JURIS CANONICI UNIVERSI COMMENTARIUS PARATITLARIS. SEU DILUCIDA...

Donato dal Padre D. Pier Francesco Schianteschi
Alla Libreria di S. Michele di Firenze

JURIS CANONICI UNIVERSI COMMENTARIUS PARATITLARIS.

CAJETANI FELICIS VERANI

TOMUS PRIMUS.

JURIS CANONICI UNIVERSI
COMMENTARIUS PARATITLARIS.

SEU

Dilucida explicatio, nova methodo exhibita, omnium Pontificiarum Decretalium, quæ continentur in quinque libris GREGORII IX. & aliarum BONIFACII VIII. in Sexto; ac Constitutionum Recentiorum Pontificum in Septimo, Clementinarum CLEMENTIS V. Extravagantium JOANNIS XXII. & Communium. Explicaturque quid jure novo per decreta Conciliorum, præsertim Tridentini statuitur.

Cuilibet Titulo

Prætexitur summarium exegeticum omnium capitum, quæ in eodem continentur cum præcipuis Glossæ Doctrinis: & in calce adjiciuntur plures selectæ quæstiones pertinentes ad materiam ejusdem tituli.

OPUS

Digestum quinque Tomis respondentibus quinque libris Decretalium.

TOMUS PRIMUS.

AUTHORE

R.P.D. CAJETANO FELICE.

VERANI

Niciensi Clerico Regulari Sacræ Theologiæ, & Juris Canonici Professore.

Nunc primùm in lucem prodit. Permissu Superiorum, & privilegio.

MONACHII, Sumptibus, ac Typis JOANNIS JÆCKLINI, Typographi Electoralis, & Bibliopolæ, Anno M. DCCIII.

SERENISSIMO, AC EMINENTISSIMO PRINCIPI
JOSEPHO CLEMENTI
Archi-Episcopo Coloniensi S.R.I. per Italiam Archi-Cancellario, & Electori, Episcopo Leodiensi Ratisbonensi, & Hildesheimiensi, Præposito Berhtesgadensi, Comiti Palatino Rheni, utriusque Bavariæ, ac superioris Palatinatûs, nec non Westphaliæ, & Angariæ Duci, Landgravio Leuchtenbergico &c. &c.

Domino Domino Clementissimo.

E Luctatum recèns præli fuligines opus istud minimè exasciatum, Serenissime Princeps, Eminentissime Elector, adsciscere sibi splendorem aliquem adnititur, quo depulsis umbris, excussisque, quas contraxerat, caliginibus; si non proprio, alieno saltem eniteat fulgore, imitetúrque exiliores in cœlis syderum turmas, quæ à Planetarum Principe suos mutuant nitores, quibus nocturnas inter cimmerias coruscant clariores. Hæcque ratio, cur ausus sim Vestri Nominis decus eidem prætexere, ut caliginoso serenitas, humili celsitudo, abjecto majestas,

jestas,exiguo magnitudo,& obscuro claritas concilietur,eò lucis fœnore illustrior,quò è vestro prodit Serenissimo Nomine splendidior. Neque fuit quòd opus licèt impolitum, nullo lævigatum pumice, nullóque verborum fuco appictum, nec laciniis ascititiæ facundiæ elegans Vestræ submississima veneratione oblaturus Serenitati,reluctatâ multùm verecundiâ depellerer sententiâ. Incerto animi, diúque in ancipiti hærenti audaciam vestra suffecit Clementia; quâ accessu facilem, ut Principem decet, se omnibus exhibet, alienæ miserans imbecillitati, ignoscens errori, opitulans indigentiæ, metúmque omnem veneratione præconceptum benignè propulsans. Hac spe fretus,quamvis nullo innixus pennarum munimine vestros ausus sum pedes advolare, meásque sistere Lucubrationes: dolerent enim, si vestro destituerentur patrocinio; in luctu in squalore jacerent, si ad frequentissimum virtutis asylum sibi aditus prohiberetur: præsertim cum antehac symbolicas meas eruditiones, ac Politico-Christiana asserta emblematum expressa oblectamentis, ac historiarum lenociniis objecta oculis per tabulas eleganter depictas, quibus Serenissimus Elector Bavariæ Vester Germanus frater MAXIMILIANUS EMANUEL plusquam Regiæ Residentiæ Monacensis partem ornavit; non solùm benigno lustraverit oculo; verùm etiam describi, unà cum reliquo Electoralium Ædium munificentissimo ornatu jusserit, typóque cudi, & evulgari. Plurimum siquidem adfert historia oblectamenti, ac utilitatis: est enim veluti tersissimum speculum, in quo inter varios cum Pacis, tum Belli flexus retroacta gesta sine fuco videmus; & ut scribit S. Gregorius Nazianzenus ad Nicobulum: *Ex alienis eventibus lætis, vel tristibus, quid in simili causa agendum sit instruimur*: quia licèt humanis in rebus æquè sæcula, & personæ intereant; causæ tamen, & eventa eadem recurrunt, ut aliorum,vel periculo, declinemus fugienda; vel emolumento, amplectamur utilia: Idque causæ,cur historiarum oblectamento, ac illicio maximos quosque Principes captos

tos deprehendimus; utque sexcentos reticeam, quos producere facilè possem ex uno solo Bavarico stemmate, quosque historiarum plena notitia ad summam auspicatissimi regiminis provexit gloriam; duos præ cæteris memoro, MAXIMILIANUM I. Auum Serenitatis Vestræ; & MAXIMILIANUM EMANUELEM fratrem, uterque enim historiarum, bellorúmque eventuum penitissimè instructus, belli, pacisque negotia, résque præclarissimè gestas ad optatos perduxit fines: ille Hæreticorum phalanges in Bohemia insecutus; hic Turcarum exercitus in Hungaria, fausto semper, & victore Marte coëgit, vel turpi fugâ erubescere; vel proprio fuso cruore rubescere, quò palmas ad plenas iisdē victorias irrigarent. Splendet igitur SERENITAS VESTRA non tam clarissimo originis, ac propriæ virtutis irradiata fulgore, quàm invictissimi vestri Germani fratris glorioso nexu: & profectò si Bavaricum stemma claritatis posset incrementa suscipere, gemini Fratris aucto jubare Solem æquaret in Leone, qui geminatus vestro fulget in stemmate toto orbe conspicuus: torret unus, simúlque terret armorum stipatus cuspidibus; fovet alter Virgini conterminus oves sibi concreditas, & favet virtutum addictis culturæ. An non Samsone beatior iste leo mellis favos distillans? si Apum examine, ceu virtutum myriade fulcitur; aculeis stimulos addit ad obsequia exhibenda, quæ debentur: idq; exequuturus has meas lucubrationes SERENITATIS VESTRÆ submississimè sisto vestigiis; mihíque adgratulor, ad litus appulisse maris jugi malacia pacatissimi, in cujus sinum omnium doctarum frontium sudores se feliciter exonerant: imò centrum advenisse, in quod innato pondere amoris fertur affectus, ut tutè decumbat; & quasi Achatem Pirrhi, in quo nativa veluti in sede Musæ omnes conglomerantur: neque gratiores umbras oleis suis Pallas reperit: & licèt possit vitio mihi verti ambitionis, cum tantum exambiam Tutelarem; malui tamen hanc subire ambitionis censuram, quàm debitæ gratitudinis tributum non persolvisse: omnem

nem vitii umbram eliminabit hoc opus, si Serenissimo Vestro fuerit nomine insignitum: imò id mihi utilitati datur, quia cum solvere debitum adnitar, ex ipsa solutione lucrum mihi accrescit; & quamvis opus solvam nullis eloquentiæ comptum calamistris, nullis ornatum Atticæ elegantiæ cincinnis; sitque quamdiu meum algâ vilius; fit tamen modò, quia Vestrum, Violis gratius, Rosisque elegantius: & fortassis ea mihi sors obtinget, quæ olim Phidiæ, qui suum in Minervam religiosum studium proditurus, elaboratissimum sculpsit ejus simulacrum, cujus pedibus propriam eâ artis industriâ effigiem colligaverat, ut nullo posset conatu divelli citra gravem simulacri læsionem; cúmque indelebilem suam Minervæ affixerit observantiam, propriæ consuluit perennitati: & quamvis in hoc opere nullum effinxerim elegans simulacrum; uniones tamen plures, quos in propemodum immenso Juris canonici pelago collegi, simúlque selegi, eidem inserui nativæ suæ relictos simplicitati: blandiùs enim arridet inaffectata pulchritudo; neque vilescunt Gemmariis uniones, si pellucidi, ac nitentes pleniorem turgeant in orbem sibi à natura insitum; vel in speciem pyri protendantur turbinatiores: & licèt illævigati materno adhæserint gremio scabræ conchæ; non tamen displicent, quamvis tumens decumanis fluctibus mare in diverberatum littus indiscreta eos profuderit largitate; cum eorum unus quandóque porrectissima latifundia æstimatione adæquet. Si quid igitur huic operi inest pretii, non ex meo hausi penu; sed ex jure deprompsi ecclesiastico, quô licèt pannosus, Vestram non erubui Purpuram accedere. Et cuinam jure potiore jura debebantur Ecclesiæ, quàm Principi Ecclesiastico, in quo uno omnia fulgent infulata decora? Quis enim eam assequatur, quâ Serenitas Vestra exornatur, veram erga Deum, Sapientiam, & Pietatem? quis vestrum firmiter addictum divino cultui animum? quis propensæ voluntatis vestræ studium in propugnandis Ecclesiæ juribus; promovendis exemplo fortiùs;

quàm

quàm verbo sacrorum rituum observantiis; instituendis piis sodalitiis sub Archangeli Michaëlis tutela, iisdémque propagandis per longè, latéque diffusas ditiones Bojarias, Colonienses, Leodienses, Westphalienses, Angarienses satis depredicaverit? Certè, qui Vestri Bonnæ sacelli ornamenta, & majestatem intuetur, pictásque historias, quas ipsemet ex clementissimo Vestro imperio per epistolam ad me Monachium directam selegi ex sacris paginis, & quidem eas, quibus illustriùs sacra Redemptoris nostri Familia commendaretur; abundè conjicit in DEI obsequia, perinde effusum cor vestrum, ac profusas divitias; & æquè thesaurum in cœlo positum, ac opes in Aris dispositas. Plura essent inter hæc memoriæ consignanda; sed ut vestræ parcam modestiæ, omitto tot pauperum turmas, quas profusa alit munificentiâ; tot inopum familias, quas lautâ complectitur charitate; tot Religiosorum cœtus, cœnobitarum asceteria, & catholicorum populos, quos à sectariorum defendit furore, ab hæresis tuetur insultu. Quis è Vestra Liberalitate beneficia accepisse non fateatur? cum vel ipsi inimici, & invidi, clementiæ, lenitatis, ac beneficentiæ vestræ melle deliniti insignibus humanitatis vinculis se tandem devictos cognoverint? Riderer, si singulas brevi charta sperarem summas Vestras recensere virtutes; id enim perinde foret, ac cyatho velle oceanum occludere. Sciunt omnes Vestrum in adolescentia animum pacatum, serium, maturum; modestiam, morum suavitatem, & beneficam in omnes mentem æquè, ac manum. Sciunt in provectiore ætate majestatem familiarem, magnitudinem demissam, sinceritatem cautam, celeritatem lentam, fortitudinem flexilem, justitiam misericordem, aliásque sexcentas virtutes, quæ sibi contraeuntes, amico tamen fœdere magno vestro confibulantur in pectore, foventur in corde, florent in

animo. Excipiat igitur SERENITAS VESTRA, quam Pietas firmat, Clementia ſuſtinet, & omnigena virtus exornat, leve hoc munus in meæ teſſeram obſervantiæ, ut omni defunctum periculo quieſcere cum dignitate valeat: & dum vota mea omnia in veſtram proſperitatem, & gloriam conſpirant, DEUM enixim rogo, ut quamdiutiſſimè eam ſoſpitem ſervet in ævi noſtri ornamentum, & proborum omnium tutelam. Scribebam Monachii pridie Nonas Januarij Epochæ Chriſtianæ Anno 1703.

Serenitatis Veſtræ
Electoralis.

Humillimus, Addictiſſimus, Obſequentiſſimus
in Chriſto ſervus

D. CAJETANUS FELIX VERANI
Clericus Regularis.

APPRO-

APPROBATIO ORDINARII

QUia quinque Tomi Juris Canonici respondentes quinque libris Decretalium ab Admodum Reverendo Patre D. Cajetano Felice Verani Clerico Regulari compositi, & à Theologis recogniti nihil orthodoxæ fidei, & bonis moribus dissonum continent: sed doctrinam omnino sanam, claram, & nervosè probatam exhibent; datur facultas, ut typis imprimi, ac evulgari possint. Actum Frisingæ die 22. Octobris 1701.

FRANCISCUS ANTONIUS BEGNUDELLIUS BASSUS. SS. Theologiæ Doctor, Cathedralis Ecclesiæ Frisingensis Canonicus Capitularis, Scholasticus, Vicarius in spiritualibus Generalis, & Officialis, Librorum Censor.

Facultas Reverendissimi Patris Generalis.

HOc opus, *cui Titulus Iuris Canonici Universi Commentarius Paratitlaris quinque tomis respondentibus quinque libris Decretalium Pontificiarum digestum* à R. P. D. Cajetano Felice Verani nostræ Congregationis Sacræ Theologiæ, & Juris Canonici Professore, cum juxta assertionem Patrum, quibus id commisimus fuerit approbatum, ut typis mandetur, quod ad nos spectat facultatem concedimus. In quorum fidem præsentes litteras manu propria subscripsimus. Romæ in Ædibus nostris S. Silvestri Montis Qurinalis pridie Calendas Julii Anno 1700.

D. GREGORIUS de BAUCIO Præpositus Generalis Clericorum Regularium.
D. JOSEPH MARIA TRINCHERIUS à Secretis.

Approbatio Theologorum.

JUssu Reverendissimi Patris D. Gregorii de Baucio nostræ Congregationis Præpositi Generalis accuratè perlegimus quinque tomos Juris Canonici respondentes quinque libris Decretalium à R. P. D. Cajetano Felice Verani nostri Ordinis sacræ Theologiæ, & Juris Canonici Professore compositos: cumque inoffenso pede eos percurrerimus, nec quicquam offenderimus orthodoxæ fidei, vel bonis moribus adversum; immo plurimam in iisdem deprehenderimus eruditionem, miram claritatem, ac solidam doctrinam; sintque omnia summâ ingenii solertiâ, ac Doctorum tum Juris Pontificii, tum Cæsarei, ac sacræ Theologiæ inconcussis stabilita fundamentis, typis dignos arbitramur, rati omnibus profuturos. Monachii in nostris Ædibus SS. Adelaidis, & Cajetani 4. Idus Maji Anno Reparatæ Salutis 1700.

D. LUDOVICUS VOLTOLINI C. R. Theol.
D. ANTONIUS REINDORFF. C. R. Theol.

AUCTOR LECTORI.

Mihi, ni fallor, succensebis, si hoc de Jure Canonico spissum opus post tot insignium Doctorum cussas, & recussas Lucubrationes tibi exhibuero: Sed si nemo naturam redarguit, quòd iisdem jugiter rerum vicissitudinibus, ac in se quodam orbe redeuntibus delectetur; floresque ex iisdem areolis, & poma ex iisdem repetat arboribus; Si nemo Intelligentiis motricibus vertit vitio, quòd cœlestes orbes indefessâ vertigine, eodémque semper tenore circumagant; Si nemo errantia sydera erroris redarguit, easdem perpetuò cursuum, recursuúmque describentia periodos, annuásque instaurantia conversiones; Si nemo telluris extimam incusat faciem reduce verna temperie similibus ridentem viretis, jocantem floribus, blandientem odoribus? Cur mihi detur culpæ, si ausim tot jam cussis lucubrationibus has meas adjicere? Tametsi in singulis rerum sublunarium speciebus innumera propemodum multiplicentur individua; non tamen hæc licèt ejusdem naturæ, ejusdémque speciei, eandem inter se corporis servant habitudinem, frontis dignitatem, oris majestatem, vultúsque similitudinem; adeout vel ipsa externa varietas plurimum conciliet oblectamenti. Si tibi obviet homo plenus majestate, staturâ excelsâ, membris teretibus, oculis vegetis, colore candido, roseóque, ac prospera valetudine, eum commendas: sed non propterea alius est tibi contemptui; si videas eum incedere cervice rigida, fronte exasperata, vultu adducto, & statura mediocri: imò sicut ex hominibus alii aliis tibi magis placent, ut pronior sis cum istis potiùs, quàm illis societatem inire: ita simile dixerim obtingere lucubrationibus, quæ de Jure canonico dietim cuduntur ab hujus instituti Professoribus: omnes eò collimant, ut jus Pontificium donent enucleatu; sed non singulæ singulis æquè placent; cum plures invenias, quæ verborum redundantiis lectores potiùs defatigent, quàm doceant; alias, quæ nimiam verborum parsimoniam affectantes, omnia gerundiis, participiis, ablativis absolutis, & parenthesibus, ita contrahunt, ut res videantur implicare potiùs, quàm explicare; alias etiam, quæ innumeris propemodum ampliationibus, limitationibus, sublimitationibus nituntur res quaslibet elucidare ingenti quidem labore; sed minimè necessario; cum paucis verbis explicationi textûs insertis, facilè possit tota illa ampliationum, & limitationum farrago abscindi. Non tamen ausim has improbare ampliationum, ac limitationum series textui adjectas, cum non me lateat præclarissimos Juris Pontificii Professores hac laudabiliter fuisse methodo usos, & præ cæteris Cardinalem Tuschum in suis insignibus lucubrationibus plurium annorum labore paratis *Practicarum Conclusionum*. Consultissimorum enim virorum fere omnium in utroque jure responsa summatim selegit, ac in suas proprias digessit classes, ut dissentientes doctorum sententiæ, rerúmque difficilium declarationes, additiones, & exceptiones præsto statim essent.

Mens igitur mea in hujus operis molitione fuit, Jus Pontificium ita pro viribus explicare, ut meæ lucubrationes scholasticis possint prælectionibus, ac exercitiis inservire; idque causæ fuit, cur singulis librorum titulis aliquot addiderim quæstiones canonicas, quæ pugnacibus argumentorum contentionibus utrinque ad acuenda studiosorum ingenia controverti facilè possunt. Cum in nostra Clericorum Regularium Congregatione Reverendissimus Pater *D. Joseph Maria Arigonius* Præpositus Generalis, vir non minus sacræ facundiæ aureo flumine totâ Italiâ clarus, quàm omnium virtutum insignitus ornamento, & præsertim scientiarum promovendarum zelo laudatissimus, hæc Juris Canonici studia instaurâsset juxta nostri Ordinis Constitutiones *part. 2. c. 6.* ubi Nostrates *Logicâ, Philosophiâ, Theologiâ, & sacris Canonibus per Magistros, atque Lectores idoneos erudiri jubentur*, additis privilegiis, quibus Clemens VII. Pontifex Maximus in sua Bulla, cui initium: *Dudum pro parte nostra* (estque 38. ejusdem Pontificis) speciali favore nostri ordinis tam Clericos, quàm Sacerdotes, *dantes operam sacræ Theologiæ, & sacrorum canonum studiis* (sunt verba

verba Bullæ) prosequitur: mihique præfatus Pater id dederit consilii, suaserítque, ut absoluto opere meæ Theologiæ calamum adjicerem Juri Pontificio; ad opus citra pœnitentiam me accinxi: quia sicut ille animos fecit ad inchoandum; ita Deus vires addididit ad perficiendum. Cæterum eò lubentius parui consiliis, promptiúsque operi manum admovi; quò sacri canones primam in Ecclesia post sacræ scripturæ scientiam sibi sedem vindicant, & dignitate, ac usu cæteras longè antecellunt facultates. Non enim Christianus orbis quidquam habet præstantius, nec dignius Hierarchiâ Ecclesiasticâ, ceu ordinatissimâ sacrorum ministrorum, ac ministeriorum serie, quibus debitus Deo cultus exhibetur, & datur; ac disciplina Ecclesiastica floret; Religio, & Justitia vigent; ac cœlestium gratiarum aperiuntur fontes salientes in vitam æternam: hæc enim omnia à sacris canonibus divinæ consonis institutioni suam regulam, formámque recipiunt: hinc Juris Pontificii peritia plurimum adfert utilitatis viris præsertim divino cultui addictis, totique Ecclesiæ; cum populi Christiani tranquillitas, ac dignitas, ex sacrorum ministrorum officiis præcipuè pendeat juxta sacrorum canonum sanxiones, & decreta, quibus Ecclesia eodem jugiter tenore gubernatur, & harmonico regiminis concentu dirigitur.

Hanc ergo sacrorum canonum scientiam publici juris facturus ad faciliorem studiosorum captum aliquot præmitto prolegomena, ceu præambulas quæstiones, quibus Iuris Canonici initia, definitiones, partium nexum, terminorúmque declarationes facili, ac dilucida methodo expendo. Mox ut commodo consulerem lectoris, cuilibet titulo summarium prætexo exegetium, seu expositorium omnium capitum, quæ in eodem in corpore juris continentur, non solùm in quinque libris decretalium Gregorii IX. verùm etiam in sexto Bonifacii VIII. in septimo recèns decerpto ex Bullis, & constitutionibus modernorum Pontificum; in Clementinis Clementis V. Extravagantibus Joannis XXII. & communibus: hoc enim summario breviter, & clarè indicatur quid in singulis titulorum capitulis summi Pontifices sanxerunt, adjectis etiam præcipuis Glossæ doctrinis, quibus studioso lectori commodiùs succurritur, quem sæpe tædet, ipsi corpori Juris manus admovere. Dein commentarios exhibeo paratitlares, & per varios paragraphos singulorum titulorum materias, nexus, divisiones, declarationes, quæstiones, & dubia ex iisdem orta explico, & juxta mentem summorum Pontificum soluta exhibeo. Cuilibet titulo in calce adjicio plures selectas quæstiones, quas juxta Pontificum sanctiones, ac magis approbatas Doctorum sententias resolvo.

Præfixi huic operi titulum *Juris canonici universi commentarius Paratitlaris*, non ut omnia pertinentia ad jus Ecclesiasticum comprehenderem: non enim explico Decretum Gratiani, nec pleraque alia, quæ in libris decretalium fusiùs ab Authoribus pertractantur: sed quia universas Juris canonici materias expendo; & spero, fore, ut ex principiis positis facilè in notitiam totius juris canonici possit deveniri.

Quod verò ad formam attinet scriptionis eam selegi, quæ ita brevitati serviret, ut perspicuitati esset accommodata; stylo utor, qui nec prorsus incultus, neque fucatus est: ut enim pudicæ virgines tanto sunt gratiosiores, quanto minus fucatæ; ita canonicæ institutiones verborum negligunt phaleras, respuuntque adscititium ornatum; quapropter malui stylo uti facili, nullo expolitus pumice, quique sponte flueret; quàm eo, qui rebus obscuris nullam conciliat claritatem, nullámque adfert lucem, neque utilitatem; ideóque rerum potior mihi cura fuit, quàm verborum. Abstinui à coacervandis Authorum cateruis, juriúmque allegationibus, quæ ab aliis ad satietatem congeri solent; & ea tantùm selegi jura, quæ mihi visa sunt clariora, rebúsque magis accommodata. Authores nonnisi singulari delectu allego: à verborum superfluitate calamum coërcui, & ab inutilibus digressionibus mihi temperavi; eos potiùs imitatus, qui citra confusionem multa paucis complectuntur: neque inde laudem exspecto; nec ulla me unquam in omni scriptione, gloriæ, aut famæ cupiditas tetigit: discere cupio; & ut Apelles picturâ suâ tectus, tacitus monitores amabat, monita venerabatur; ita ego hoc opere: nisi quòd ille imperitorum tandem impatiens exsurrexerit in indignationem sutoris supra crepidam; cum ego omnes libenter admittam, ut ab omnibus instar apis legam profutura, pellámque nocitura. Cæterum non me latet,

quàm difficile sit ad omnium salivam loqui, aut scribere, cum limatiores Scriptores Momos non declinaverint: quid Platonis Dialogis excellentius? & tamen notâ redarguuntur obscuritatis: Quid Virgilii heroica Musâ gravius, & elegantius? & tamen à nonnullis imbecilli notatur ingenio; ab aliis compilator dicitur Homeri: quid ipsius Homeri Odysseâ præstantius? & tamen Homerum quandóque dormitâsse, ait Horatius. Neque Demosthenes Marco Tullio in omnibus placuit; neque Titi Livii conciones Drogo Pompeio, à quo fictionis redarguuntur: neque Plinium alii approbant, quem turbido torrenti supparem faciunt, quasi multa degustaverit, & pauca digesserit: sunt etiam qui in Jure Bartoli distinctiones improbant; Baldi lucubrationes inconstantiæ arguunt; Alexandri methodum perplexitate incusant; Accurtii scripta mare dicunt, sed sine salis gutta. Demum licèt ex Juristis nullus fuerit Ulpiano eloquentior, Paulo nervosior, Callistrato doctior, Papiniano acutior, Cajo fluentior, Africano subtilior, Pompeio jucundior, Celso nitidior, Triphonio candidior; non propterea obtrectatorum declinârunt jacula; quia ut vulgaris habet parœmia: *edentulus vescentium dentibus invidet*: sicut varia sunt hominum ingenia; ita & diversa judicia: Ut ut res est; quicquid in hoc opere dignum reprehensione fuerit inventum æquo animo monebor, & lubens corrigam; aliquid interea à te mihi donari velim, ut si opus non probes, conatum saltem non improbes. Vale

SYLLA-

SYLLABVS
Prolegomenorum,
Titulorum, Summariorum Exegeticorum, Paragraphorum, ac quæstionum, quæ in hoc primo Tomo in primum Librum Decretalium continentur.

In Primum Librum Decretalium.

§. II.

§. VIII.

§. II.

CAJET.

CAJETANI FELICIS VERANI

CLERICI REGULARIS

PROLEGOMENA *IN* JUS CANONICUM *UNIVERSUM*

PROOEMIUM.

QUamvis ſit homo plenus rationis, & conſilii, memor præteritorum, ſagax præſentium, futurorum providus; ſapiat, intelligat, provideat, ac prævideat; viribus inſtructus, ſenſibus munitus, ac conditus ad imaginem ſui opificis DEI, cujus æmulam participat æternitatis immortalitatem, ſeu animum individuum, ſimplicem, nulli obnoxium interitui, qui nec dirimi, nec diſtrahi poſſit; totus infuſus in ſingulis corporis membris, totúſque in unoquoq; eorundem; indiget nihilominus regulâ, ad cujus amuſſim ſe componat, ſuóſque dirigat actus, ne à rectitudine deflectat; nec ſtare poteſt absque imperio aliorum, qui ſanioris, ac rectioris ſunt judicii, monente Salomone Prov. 11. v. 14. *Ubi non eſt gubernator populus corruet; ſalus autem ubi multa conſilia.*

Quia verò conſtat homo Spiritu, & corpore duplici erat politiâ regendus, civili, ſeu temporali; & canonica, ſive ſpirituali; illa ſiquidem temporalia dirigit; hæc ſpiritualia; utraque ſuis nititur legibus, fulcitur ſtatutis, quibus, quem intendit finem, aſſequitur; illa ſcilicet Reipublicæ tranquillitatem, ac populorum pacem, amicámque quietem; hæc felicitatem futuræ vitæ, ſeu æternam beatitatem, quâ rectè agentes in cæleſti ſunt patria donandi C.

 quoniam

quoniam dist. 11. c. cum verum, & c. duo sunt dist. 96. Et quamvis ambo jura eo dissentiant discrimine, ut Civile in bonum feratur temporale, & Canonicum in Spirituale; illo utatur Magistratus sæcularis, hoc potestas Ecclesiastica; cohærent tamen, ac amicè sibi obviant, séque amplectuntur, mutuisque juvant auxiliis, ut liquet ex *c. 1. de novi operis nunt.* Et *Nov. Ut Clerici apud proprios Episcopos & c. 85. in fin.* ubi leges civiles dicuntur non dedignari Canonicas, & eas imitari, ut utrisque congruat illud Horatii:

Alterius sic
Altera poscit opem simul, & conjurat amicè.

PROLEGOMENUM I.

De quidditate, origine, causis, & dignitate Juris Canonici.

1 PRæstituris juri Canonico, seu Pontificio operam, nosse priùs oportet ait Vlpian. in *L. 1. ff. de just. & jur.* unde nomen juris suam trahat originem, hauriátque nomenclationem; & docet, jus dici à justitia; & æquum ab iniquo, licitum ab illicito separare. *Non enim* (ait Augustinus *19. Trinit. cap. 21.*) *Jura putanda sunt, vel dicenda iniqua hominum instituta; cum illud etiam ipsi jus esse dicant, quod de justitiæ fonte manavit.* Cum lex temporalis sit quædam participatio legis æternæ, quæ est ipsa rectitudo, necesse est, sit justa, & jus perinde sit ac æquum.

2 Dividitur Jus generatim in naturale, & positivum; illud est obligatio orta ex natura rei, & transit in præceptum, vel per se notum, cujusmodi sunt prima principia, quorum veritas solo naturæ spiculo lumine hominibus innotescit, ut *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris:* vel notum per consequentiam, ac deductionem. Jus positivum est, cujus obligatio oritur ex voluntate, & præcepto legislatoris, à quo denominatur divinum, vel humanum. Jus gentium aliud est primarium, quod legistæ vocant hominibus proprium, ac ferè commune, ut religio erga Deum; pietas erga parentes; obsequium erga superiores. Theologi jus gentium dicunt esse, quod non præcepto naturæ; sed solo consensu populorum illis omnibus, vel fere omnibus commune est; cujusmodi sunt bonorum divisiones, dominia, servitutes, & alia id genus consensu populorum inducta; desumitur ex *§. Jus autem. Instit. de jure naturali.* Et *L. omnes populi ff. de justit. & jure.* Et *cap. Jus gent. dist. I.* Hinc quando Vlpianus *L. 5. §. jus naturale ff. de Justit. & jure* asserit, jus naturale esse illud, quod commune est omnibus animalibus, non intelligit de ipso jure, quoad regulam formalem, sed quoad effectus; quatenus jus naturale est illud, quod perducit ad finem intentum à natura, quodque etiam in brutis deprehenditur; proinde ipse per jus gentium leges intelligit solis hominibus communes.

3 Et hoc jus gentium dicitur etiam secundarium, seu jus propriè dictum; cujus exempla ponuntur *in can. jus gentium dist. 1.* ubi habetur. *Jus gentium, est sedium occupatio, adificatio, munitio, bella, captivitates, servitutes, postliminia, fœdera, induciæ, legatorum non violatorum religio, conjugia inter alienigenas prohibita, hoc jus gentium appellatur; quia eo jure ferè omnes gentes utuntur.* Hæc enim non statim lumine naturæ nobis innotescunt; nec sunt nobis à natura indita; sed ut conclusiones inferuntur ex primis principiis practicis à natura nobis congenitis; unde opus fuerat, ut gentes hujusmodi conclusiones deducerent ex primis principiis practicis; & ut leges promulgarent ab omnibus servandas.

Cæterum jus gentium propriè distinguitur à 4
jure naturali, ut liquet ex *L. 1. ff. de just. & jure.* Et cap. *Jus autem dist. 1.* Quia leges dividuntur in sua genera juxta fines diversos, ad quos diriguntur: respiciunt enim bonum subditorum, adeóque eorundem finem; suntque regulæ circa media, quibus pervenitur ad finem, & coalescunt in unum genus ob unitatem finis: igitur jus gentium debet à jure naturæ distingui: quia lex naturalis respicit finem naturæ rationalis, ut talis, qui cum sit honestè vivere, præscribit ad id media necessaria. Præterea homines ut sociabiles habent pro fine societatem humanam, pacificam, proinde fuerunt necessariæ leges dirigentes ad hunc finem, & quæ constituerent jus gentium.

Jus verò generatim sumitur multipliciter. Pri- 5
mò pro legibus ipsis sancitis. Secundò pro scriptura, quæ continet ipsum jus, seu leges, vel constitutiones, ut est corpus Juris canonici, vel civilis; seu liber scriptus continens leges, vel constitutiones canonicas; & hoc jus scriptum distinguitur à jure non scripto, seu consuetudinario *§. constat autem instit. de jure naturali, gentium, & civili.* Tertiò pro ipsa scientia legum, & hac ratione definitur jus *ars boni, & æqui* seu scientia ostendens quid bonum sit, & æquum: hæcque scientia propriè dicitur jurisprudentia *§. jurisprudentia instit. de just. & jur.* Quartò sumitur jus pro materia, seu objecto legum docentium homines, ut honestè vivant,

asmi-

nemini sint nocumento, & unicuiq; tribuant, quod suum est; ut dicitur in Procemio Decretalium Gregorii IX. Quintò pro facultate aliquid legitimè, ac licitè agendi, quo sensu dicitur quisque licitè uti jure suo, *L. nullus ff. de Regul. Juris.* Sextò pro eo, quod cuipiam debetur debito legali, seu debito propriè, ac strictè sumpto, ad quod reddendum quisq; lege adigitur ob servandam æquitatem. Septimò sumitur jus pro justo, & æquo, in quo sensu *can. Jus generale dist. 1.* habetur *jus est dictum, quia justum est.* Octavò pro sententia juxta æquitatem lata: quâ ratione judex sedens pro tribunali, & ferens sententiam censetur *jus dicere.* Nonò pro loco ipso, in quo jus redditur, sumendo locum, pro eo quod in ipso fit. Decimò sumitur jus pro ipsa necessitudine, seu jure sanguinis; & dicitur jus cognationis, jus affinitatis *L. ult. ff. eod.*

6 Jus Canonicum, si nominis etymon spectetur, suam trahit nomenclationem à græca voce *canon*, quæ idem est ac latinè regula *c. 1. dist. 3.* & communiter definitur *id, quod ex sacris canonibus, seu regulis ecclesiasticis, scilicet decretis Pontificum, statutis Conciliorum, quà Generalium, quà Provincialium coalescit, normam ostendens rectè vivendi.* Ex hac definitione constat, causam materialem, seu objectum juris canonici esse actiones humanas regulis ecclesiasticis dirigibiles. Efficientem esse Prælatos Ecclesiæ. Finalem ecclesiasticam disciplinam, rectúmque Ecclesiæ regimen. Formalem ipsam honestatem, seu æquitatem, quam canones præscribunt.

7 Jus igitur canonicum est positivum, quod ab Ecclesiæ Romanæ summis Pontificibus, ac Prælatis traditum, ac approbatum fuit; estque vel scriptum, vel non scriptum; illud est quod comprehenditur in Lege Decalogi & Evangelio *dist. 1. in sum.* & præfertur omnibus aliis scriptis canonicis *c. quis nesciat 8. dist. 9.* estque immutabile: comprehendit etiam jus scriptum Decreta Pontificum, & conciliorum; & hoc propriè dicitur Jus canonicum, Pontificium, quod suam à Deo haud ineptè dicitur originem trahere; quia Deus omnium primus præcepta Decalogi, & alias rectè vivendi regulas hominibus præscripsit; quas summi Pontifices in suis legibus circa casus particulares latiùs sunt interpretati. Vnum ex præceptis Decalogi est *non furari*; sed quando, & quomodo in singulis, qui occurrunt, casibus particularibus contra hoc præceptum peccetur; & quomodo sit furtum puniendum summi Pontifices per suos canones declarârunt. Hi autem canones jus divinum declarantes, & alii pertinentes ad regimen populi Christiani in lege Evangelica fuerunt primò ab Apostolis introducti, & à Clemente I. Romano Pontifice in unum corpus congesti; quibus accesserunt postea aliæ constitutiones, & sanctiones canonicæ Summorum Pontificum, & conciliorum; quæ simul congestæ componunt Jus canonicum scriptum. Non scriptum sunt Traditiones, & consuetudines, de quibus *c. in his dist. II.* Vbi enim nihil certi statuit scriptura, mos populi Dei, ac instituta majorum habenda sunt pro lege.

8 Ecclesiasticæ constitutiones sunt, vel statuta conciliorum, sive generalium, sive particularium, seu provincialium, aut Episcopalium *c. 3. dist. 5.* vel Decreta Pontificum, vel effata SS. Patrum *c. 2. §. Porro dist. 3.* Concilia generalia, quæ & œcumenica dicuntur, sunt quæ, Episcopi auctoritate sedis Apostolicæ ex universo orbe vocati, & convenientes constituunt, catholicæ fidei asserendæ causa *c. 1. & seq. dist. 17. c. 1. in princ. versic. sub hoc. dist. 16.* Quæ in hisce generalibus conciliis in ordine ad fidem, vel regimen Ecclesiæ statuuntur propriè dicuntur canones, qui per omnia debent ab omnibus servari *c. sancta 8. dist. 16.* Concilia provincialia sunt, quæ à Metropolitano convocante omnes Episcopos Provinciæ celebrantur. *c. propter 4. dist. 18.* Concilia Episcopalia, Episcopus in sua Diœcesi convocatis Abbatibus, Presbyteris, Clericis, singulis annis celebrat *c. pen. 1. palea dist. 18.* Quæ in hisce statuuntur propriè non dicuntur canones, sed constitutiones, & tantùm obligant degentes in tali Provincia, vel Diœcesi *c. 2. dist. 18.* Felin. *In c. 3. num. 5. de jure jur.* Omnia hæc statuta confirmatione indigent sedis Apostolicæ *c. cum accessissent 8. de. constit.*

Hinc definiri explicatiùs solet jus canonicum, quod *sit jus positivum ex sacris canonibus, vel constitutionibus, seu regulis ecclesiasticis congestum, ad rectè vivendum in ordine ad assecutionem æternæ salutis, & justitiam in populo Christiano manutenendam, ac conservandam.* Dicitur *jus positivum*, eò quia authoritate humana, seu ecclesiastica, hoc est Romanorum Pontificum sancitum fuit: dicitur enim positivum, quia positum fuit ab homine; seu à D. Petro, ejusque legitimis successoribus authoritate sibi à Deo ad id concessa Matth. 18. *Tibi dabo claves regni calorum; & quodcunque ligaveris super terram erit ligatum, & in cælis.* Dicitur etiam jus positivum divinum *c. Nimis 30. de Jure jur.* quia canones ecclesiastici partim ex instinctu, & speciali assistentia Spiritus Sancti conditi fuerunt à summis Pontificibus *can. Violatores 25. q. 1.* & partim ex sacris scripturis, veluti conclusiones ex principiis practicis deductæ *arg. c. qualiter, & quando 24. de Accusationibus*; ubi canonicæ sanctiones dicuntur processisse ex authoritatibus novi, & veteris testamenti. Demum dicitur etiam jus divinum, quia Romani Pontifices non ut puri homines, sed ut Christi Vicarii, authoritate sibi à Christo concessâ pro rectò suæ in terris ecclesiæ regimine sacros canones sanxerunt: qua ratione dicuntur divina potiùs, quàm humana conditi authoritate *c. quanto 3. de translat. Episcop.* Adduntur illæ particulæ; *Ex sacris canonibus, seu regulis ecclesiasticis congestum ad rectè vivendum*; ratione materiæ; eò quia jus canonicum coalescat ex constitutionibus ecclesiasticis, quæ sunt regulæ bene vivendi, rectéque instituendi humanas actiones: *canon* vox græca juxta Isidorum *lib. 6. Etymolog. cap. 16.* latinè dicitur *regula*, eò quia bene regat, & rectè ducat, præbeátque propterea normam rectè vivendi. Ponuntur reliquæ particulæ *in ordine ad assecutionem æternæ salutis* &c. quia finis 9

finis principalis, & primarius sacrorum Canonum est, homines perducere ad æternam salutem mediante cultu divino, fidei puritate; morúmque honestate jugiter conservanda inter fideles.

10 Quamobrem Jus Canonicum dignitate, & excellentiâ longè antecellit jus civile, ad quod perinde se habet, ac anima ad corpus; quatenus jus civile dirigit modum vivendi temporaliter: & jus canonicum normam suppeditat rectè instituendi actiones in ordine ad spiritualia: siquidem jus civile intendit dirigere actiones in ordine ad bonum commune Reipublicæ temporalis; prout congruit humanæ societati viventi civiliter; & hoc bonum comune promovetur, ac manutenetur per legalem justitiam, civilémque amicitiam. Jus verò canonicum non solùm dirigit humanas actiones, ut humana, ac civilis societas promoveatur, ac conservetur; sed etiam ut homines in societatem coëuntes Christianè, ac piè vivant per veram fidem; ac Deum intendant, ut finem ultimum; quem homines assequuntur per justitiam Christianam, & charitatem: sicut igitur anima eò est nobilior corpore, quò longiori intervallo distat à concretione materiæ, & obnoxietate corruptionis: ita jus canonicum, eò est dignius civili, quò excellentiorem intendit finem, nobiliúsque respicit objectum: hinc D. Antoninus Archiepiscopus Florentinus *tom. 1. Tractatuum tract. de usuris n. 11.* ait: *super omnes leges est jus canonicum, quod coalescit ex Decretis, ac Decretalibus, & sacrorum authoritatibus factorum.*

11 Non tamen jus Canonicum dignius est, & excellentius Theologiâ: quia excellentia cujusvis scientiæ ex nobilitate desumitur objecti, in quod fertur, & circa quod versatur: & objectum scientiæ Theologicæ est longè præstantius objecto juris canonici; siquidem objectum Theologiæ est Deus, ut Deus, quo nil præstantius, excellentius nihil esse potest, neque excogitari: objectum verò juris canonici est homo, ut dirigibilis ad bonum commune humanæ societatis, & ad Deum ut finem ultimum; quamobrem ratione objecti, quantò Deus est præstantior homine; tantò Theologia est jure canonico nobilior, ac dignior: quæ enim tractantur in jure canonico ad hominem ordinantur, ut dirigibilem ad Deum, ut finem ultimum; & ut mediante rectâ operandi normâ æternam consequatur salutem: est homo ut taliter dirigibilis, objectum attributionis juris canonici.

12 Quoad verò regimen ecclesiasticum antecellit jus Canonicum jurisdictione Theologiam: quia ecclesia quoad regimen & jurisdictionem nititur sacris canonibus, ceu regulis, ad quarum normam dirigit fidelium actiones: Theologia enim tantum instruit, docétque fidei articulos, ac dispellit errores, qui fidei adversantur: unde secundùm diversos respectus sunt ambæ facultates excessæ, & excedentes, & una præstantior aliâ, ac vicissim: in locis ubi hæresis vel grassatur, vel irrepit theologus videtur præferendus canonistæ, idque probat Felinus *ex c. in causis 30. §. final. de Elect.* ubi in Episcopo requiritur scientia Theologiæ ut rectè valeat suam gubernare ecclesiam, veritatem catholicam suos edocere subditos, & hæresum errores dissipare; hæreticorúmque proterviam è suâ eradicare Diœcesi. In ecclesiis verò, in quibus nulla est suspicio hæresis, & causæ ecclesiasticæ controvertuntur, Canonista videtur Theologo præferendus; quia jus canonicum ad dirimendas lites est magis necessarium. Mixtus verò, seu qui simul sit Theologus, & Canonista est utrique præferendus: talis enim potest rectè præesse, simúlque prodesse tam ad controversias ecclesiasticas dirimendas; quàm ad errores contra fidem extirpandos.

PROLEGOMENUM II.

De partitione Juris Canonici, ejusque citandi Praxi

Totum, ac integrum Jus Canonicum scriptum septem complectitur partes, seu membra; quibus corpus hujus Juris coalescit; scilicet Decretum Gratiani, Epistolas Decretales Gregorii Papæ IX. Sextum Decretalium Bonifacii VIII. Septimum Constitutionum Recentiorum Pontificum. Clementinas Clementis V. Extravagantes Joannis XXII. & demum Extravagantes quorumdam aliorum Pontificum in corpus Juris canonici receptas, quæque communes nuncupantur. 1

Decretum Gratiani quod attinet, talem fuit nomenclaturam sortitum à suo compilatore, qui fuit Gratianus Monacus ordinis S. Benedicti ex monasterio S. Felicis Bononiæ in Italia: hic ex variis sacræ scripturæ textibus, decretis, & responsis Pontificum, & Conciliorum, tam Generalium, quàm Provincialium, legibus Romanorum Imperatorum, sententiis SS. Patrum, aliisque legibus, ac sanctionibus Decretum hoc compilavit circa annum à reparata salute quinquagesimum supra millesimum, & centesimum; fuitque ab ipso Gratiano opus inscriptum *Concordantia discordantium canonum*, sub Pontificatu Eugenii III. Immiscentur huic Decreto quædam capitula sub nomine *Palea*, de cujus significatu non una est omnium sententia; censent plerique *Paleam* nomen fuisse cujusdam discipuli ejusdem Gratiani: autumant alii esse nomen alicujus Cardinalis, cui nomen Italicè erat *della Paglia*, id temporis in jure canonico peritissimi, qui propterea auctor fuit horum capitulorum, quæ *Paleæ* inscribuntur. Alii putant *Paleas* significare aliorum additamenta, quæ Gratianus veluti Paleas suæ admiscuit collectioni; perinde ac Palea admiscetur tritico. Ut ut est. 2

Dividitur Decretum Gratiani in tres partes, quarum prima est de distinctionibus: Secunda de causis: Tertia de consecratione. Prima Pars continet distinctiones centum, & unam; in quarum viginti prioribus agit de elementis, principiis, fontibus, ac dignitate Juris Canonici: à vigesima prima inclusivè usque ad nonagesimam tertiam agit de Personis ecclesiasticis, earum origine, institutione, officiis, vita, moribus: à nonagesima quarta inclusivè usque ad finem 3

nem ultimæ distinctionis agit de principatu Pontificis, ejus legatis, déque jurisdictionis ecclesiasticæ præstantia.

4 Secunda Decreti pars, quæ est de causis, distincta est in causas triginta sex, quarum qualibet plures sub se quæstiones continet, & quævis quæstio in capitula, seu canones subdividitur. In hac secunda parte varia causarum genera explicantur, quæ ad jurisdictionem Ecclesiasticam pertinent. Vt prima causa quærit, an vendere spiritualia sit peccatum, & complectitur quæstiones septem; & ita procedunt reliquæ, excepta trigesima tertia, quæ præter quinque quæstiones, quas continet, ratione tertiæ quæstionis dividitur in septem distinctiones de Pœnitentia. Cum in tertia quæstione quæsivisset, an sola cordis contritione possit peccatum deleri, ubi facultas confitendi non suppetit, ratione hujus quæstionis agit de Pœnitentia.

5 Tertia pars complectitur tractatum de consecratione, & dividitur in quinque distinctiones, quæ subdividuntur in plura capitula, seu canones, in quibus varia exhibentur de consecrationibus rerum sacrarum, sacramentis, ritibus, sacrisque cæremoniis.

6 Solet Gratianus in hoc suo opere hac procedere methodo. Ab initio proponit dubias quæstiones, & pro utraque contradictionis parte diversas adfert, congeritque authoritates: & in fine sententias discrepantes conciliat; quapropter non debet Lector indifferenter decisionem firmam ex primis obviantibus capitulis desumere, donec reliqua diligenter perlustraverit.

7 Praxis citandi quæ in hoc opere continentur hæc est: quæ in prima parte comprehenduntur sic solent allegari *can.* vel *cap. canones dist. 15.* scilicet in distinctione 15. in canone, cui initium est *canones*, seu incipit ab hoc verbo. vel *c. quid autem dist. 45.* hoc est distinctione 45. in canone, qui incipit *quid autem.* Quæ in secunda parte ejusdem Decreti continentur, sic allegantur: *c. super prudentia causa 14. quæst. 2.* plerumque nomen *causa* omittitur & tantum indicatur ejus numerus *c. placuit 21.* (scilicet causa 21.) *q. 3.* Quòd si ex distinctionibus de Pœnitentia allegetur aliquid, additur allegationi ordinariæ *de Pœnit. dist. 1.* vel qualis alia fuerit hoc pacto *can. Inter hæc 33. q. 3. dist. 3.* scilicet canone, qui incipit *Inter hæc causa 33. quæstione 3. dist. 3.* vel omissis prioribus strictiùs allegatur *c. Inter hæc de Pænit. dist. 3.* Tertia pars allegatur hoc pacto. *c. Accesserunt de consecratione dist. 2.* scilicet in tertia parte Decreti sub titulo de consecratione in distinctione

8 secunda, in canone, qui incipit *Accesserunt.*

Secunda pars Juris canonici complectitur quinque Decretalium libros, qui in varios dividuntur titulos; & tituli in plura capitula subdividuntur, ac jussu Gregorii IX. à Raymundo de Penniafort Ordinis S. Dominici ejusdem summi Pontificis capellano, ac Pœnitentiario, postea à Clemente VIII. sanctorum numero adscito collecti fuerunt. Dicuntur hi quinque libri Decretales à decernendo, ac statuendo, eò quia in iisdem continentur plures Decretales epistolæ summorum Pontificum missæ in varias partes ad plures quæstiones enodandas; interrogati enim Pontifices super dubiis quæstionibus Juris se consulentibus rescripserunt, & quæ relatæ sunt in corpus Juris authoritatem publicæ, ac universalis legis obtinent; & jus canonicum constituunt; perinde, ac Codex Justinianæus in corpore Juris civilis potiori sua parte ex diversorum Imperatorum ad dubias juris civilis quæstiones rescriptis coalescit. 9

Hic autem in quinque Decretalium libris ordo servatur. In primo explicatis quibusdam communibus Juris principiis, agitur de modo constituendi Prælatos Ecclesiasticos, & ordinandi Clericos, & Ecclesiasticos, variisque eorundem officiis: in calce libri adjiciuntur aliquot tituli, in quibus aliqua habentur, quæ Judiciis videntur præludere. In secundo expenduntur, quæ ad judicium, ac judicialem processum pertinent. In tertio agitur de Clericorum obligationibus, de Regularibus, aliisque, quæ Clericis, & Laicis communia habentur; cujusmodi sunt contractus, testamenta, sepulturæ. In quarto, quæ solis Laicis sunt propria, ut sponsalia, matrimonia, & iis annexa comprehenduntur. In quinto agitur de delictis, eorum accusationibus, inquisitionibus, pœnis. Tota hæc materia tribus exprimitur versibus

Personas celebrat pars prima: secunda tribunal:
Tertia de Clericis: de sponsis quarta laborat:
Vltima constituit pœnas, & crimina damnat.

Vel pressiùs unico carmine

Judex, judicium, Clerus, sponsalia, crimen.

Quæ in hisce quinque libris continentur citari solent hoc pacto: primò allegatur capitulum sub minuto c. per solam literam initialem; postea additur primum capituli verbum, demum titulus ut *c. Dudum de præbendis c. venerabilem de electione.* Hic autem titulus, in quo libro, & quoto ejus libri numero habeatur, inquirendus est in proprio titulorum indice, qui initio ponitur Decretalium. Olim cum tantùm extarent Decretales Gregorii IX. & seorsim à Decreto Gratiani, ad allegationem tituli addebatur particula *extra*, scilicet extra Decretum: verùm cum Decretum allegetur alio modo distincto, nulla urget necessitas hanc addendi particulam. Sæpe etiam in Decretalibus reperitur superscriptio *Innocentius III. in concilio Generali*, tunc subintelligitur in concilio Generali Lateranensi, quod celebratum fuit sub Innocentio III. anno 1215. Hoc concilium in sacris canonibus antonomasticè vocatur simpliciter *Generale* ad differentiam alterius concilii Lateranensis paulò ante coacti anno scilicet 1139. sub Alexandro III. Cum enim hoc concilium sub Alexandro III. jam citaretur, concilium Lateranense à loco, in quo fuerat celebratum, ut constat in *c. 2. de statu Monachorum*, cujus superscripto est: *Ex concilio Lateranensi*: ideo ne hæc duo concilia confunderentur in iisdem citandis, usus invaluit in sacris canonibus, ut illud celebratum sub Alexandro III. diceretur *Concilium Lateranense*, & aliud celebratum sub Innocentio III. *Concilium generale*; ut in *Clement. de immunit. eccles.* Ibi *in Lateranensi, & Generali conciliis*: ubi per concilium Lateranense intellligitur illud sub Alexandro 10

xandro III. & per concilium generale illud celebratum sub Innocentio III.

11 Tertia pars Juris Canonici complectitur sextum librum Decretalium à Bonifacio VIII. ex variis diversorum Pontificum, & etiam propriis responsis digestum, & anno 1298. promulgatum; præcipua responsa in illo comprehensa sunt Gregorii X. Innocentii IV. Clementis IV. quibus adduntur speciales aliqui casus, qui id temporis emerserunt; & quod in prioribus deest suppletur; quòdque dubium erat declaratur. Quamvis hæc pars quinque etiam constet libris cum suis titulis, qui dividuntur in capitula, & paragraphos; nihilominus non aliter allegatur, quàm sub nomine *sexti Decretalium.*

12 Quarta pars comprehendit septimum librum Decretalium coalescentem ex constitutionibus, ac statutis Modernorum Pontificum. Operæ pretium duxi, hunc septimum librum subnectere sexto; quia utraq; pars constat quinq; libris, cum suis titulis, qui dividuntur in capitula: hinc à recentioribus canonistis allegatur septimus liber perinde, ac sextus Decretalium, indicato tamen nomine septimi in fine citationis ut *c. inter multiplices 7. de Benef. collat. & impetrat. in 7.* estque Constitutio Pii IV. inserta septimo libro Decretalium. Congessit hunc septimum librum ex variis Modernorum Pontificum constitutionibus, quæ frequenter allegabantur, doctissimus vir Petrus de Matthæis J.C. Lugdunensis; & dietim hic septimus liber incrementum subit pro variis, novisque constitutionibus, quas recentiores Pontifices condunt, edúntque in lucem. Desiderabatur procul dubio hic septimus liber ad plenam, & perfectam notitiam Juris Canonici. Idque causæ mihi fuit, cur non solùm in Commentariis hujus operis passim hunc citaverim librum septimum; verùm etiam omnes illius titulos, & capitula eorundem innuerim in summario exegetico præmisso singulis titulis librorum Decretalium.

13 Quinta pars continet *Clementinas* ita nuncupatas à Clemente V. qui earundem dicitur Author. Hic Pontifex plures constitutiones tum in Concilio Viennensi in Gallia, tum ante, & post tale concilium edidit, quas postea in unum congessit volumen; & quia præmatura morte denatus eas non potuit in lucem edere; Joannes XXII. ejus successor illas evulgavit, & Apostolica authoritate munivit, ut liquet ex procemio Clementinarum. Continent Clementinæ quinq; libros, qui dividuntur in titulos, & capitula; & ad differentiam priorum in citationibus additur *in Clementinis*: sicut in allegatione tertiæ partis additur *in 6.* vel loco capituli ponitur *Clementina*: Ut *c. ad nostrum de hæreticis in Clementinis*: vel *Clementina. Romani de Jure jurando*

14 Sexta, & septima pars Juris Canonici comprehendunt *Extravagantes Joannis XXII. & Extravagantes communes*, ita nuncupatas; eò quia olim extra corpus Juris canonici incerta quasi sede vagarentur; & quamvis decursu temporis juxta ordinem librorum, ac titulorum qui habetur in Decretalibus Gregorii IX. fuerint distributæ, ac digestæ, non tamen nomen amiserunt extravagantium; hoc enim nomine etiam nunc allegantur. Cum enim citentur, ut alia capitula Decretalium, ut ab iisdem statim distinguantur; sicut citationi quintæ partis additur *in Clementinis*; ita allegationi sextæ partis additur *inter Extravagantes Joannis 22.* & citationi septimæ partis *in Extravagantibus communibus*; ut *c. quorundam in Extravag. Joannis 22. de Verb. signif.* id est sub titulo de verborum significatione in capite, cui initium est *quorundam* in Extravagantibus Joannis 22. vel *c. Ambitiosæ in communibus extravag. de rebus Ecclesiæ non alienandis.* 15

Hisce juris canonici partibus accessit novissimè liber septimus Decretalium, qui exemplaribus corporis juris canonici recussis adnexus fuit, quem ex variis Pontificum constitutionibus, juxta ordinem titulorum cum antiquis Decretalibus communem Petrus Matthæi insignis Jurisconsultus Lugdunensis collegit, digessitq; ut paulò superiùs innui. Et quamvis hoc opus solas pontificias constitutiones contineat; cum tamen à nullo Pontifice auctoritatem aliquam sumpserit; & privatâ tantùm industriâ non ita pridem editum sit, manent, quæ in eo libro continentur Pontificum constitutiones in eodem valore, quem independenter ab hac collectione sortiuntur; & perinde citantur, ac aliæ bullæ Pontificiæ, scilicet sub nomine illius Pontificis, qui talem edidit constitutionem; additurq; primum verbum, à quo Bulla incipit; ut etiam annus, & dies, quo Bulla emanavit indicari solent.

PROLEGOMENUM III.

De canonicis sanctionibus extra corpus Juris: & qualem præseferant authoritatem Concilium Tridentinum, Bullarium Romanum, Regulæ Cancellariæ, Declarationes Cardinalium; Decisiones Rotæ Romanæ, & Glossa.

Canonicæ sanctiones extra corpus Juris 1 sunt Concilium Tridentinum, Bullarium Romanum, Regulæ Cancellariæ, Declarationes Cardinalium, & decisiones Rotæ Romanæ.

Concilium Tridentinum, quod inter genera- 2 lia latina est duodecimum, fuit inchoatum sub Paulo III. summo Pontifice anno ab orbe reparato millesimo quingentesimo quadragesimo quinto; & legitimè congregatum, fuit continuatum sub Julio III. & Pio IV. usque ad annum sexagesimum quartum supra millesimum quingentesimum. Plures in ipso fuerunt constitutiones sedulo examine, ac summa maturitate editæ, tum circa articulos fidei; tum morum reformationem; cumque approbatæ, ac confirmatæ fuerint à summis Pontificibus, non est dubium, quin authoritatem assequantur legis universalis, sitque iisdem parendum.

Quòd autem dicant plerique, Decreta Con- 3 cilii Tridentini, quæ non sunt dogmatica, seu non concernunt fidem catholicam, non esse ubique recepta; & quidam asserant, id verum esse de facto; & dubitent, an etiam procedat de jure

jure; & id dependere ab eo, an in illis locis, ubi non receptum dicitur Tridentinum; fuerit hoc aliquando debitè promulgatum, & an fuerit justa causa illud non recipiendi; censerem nihilominus, Concilium Tridentinum utpote universale, ac ex communi omnium Regnorum, ac Provinciarum consensu congregatum non posse à viris Christianis, qui parent summo Pontifici, ut Christi Vacario, legitimè recusari; & consuetudinem in contrarium esse corruptelam emollientem viam ad malos mores. Præterea cùm Decreta Concilii favent; ubique locorum homines apertis ulnis ea amplectuntur; cur ergo in omnibus non stent eidem Concilio? juxta axioma Juris quod habetur *in lib. 2. ff. c. 2. quod quisque in alterum statuit, eodem ipse utatur.*

4 Bullarium Romanum, quod operâ primùm Laertii Cherubini Jurisconsulti Romani compilatum fuit; dein ab ejus filio tempore Vrbani VIII. novissimis auctum Bullis in lucem editum, ac eidem dicatum Pontifici, continet varias Bullas, & constitutiones emanatas à summis Pontificibus; non tamen majorem obtinet authoritatem, quàm præseferant ipsæ Bullæ in se, & sejunctæ à corpore Bullarii: quia Laertius Cherubinus, qui sub auspicio Sixti V. Bullas collegit, ac in unum corpus seriatim digessit, nullam exhibet expressam authenticam approbationem summi Pontificis, nec ullum producit Decretum, quo declaretur, Bullarium plus habere ponderis, & authoritatis, quàm ipsæ Bullæ per se seorsim. Vrbanus VIII. solùm concessit Bibliopolæ, ne hoc opus absque ejus licentia ab aliis imprimeretur, venúmque daretur; quod nullam specialem authoritatem tribuit Bullario. Tum quia si hoc privilegium concessum Bibliopolæ specialem operi tribueret authoritatem, sequeretur, hanc habituros omnes libros Pontifici dicatos, ac simile exhibentes privilegium: Demum quia similia privilegia non conceduntur à Pontifice, & aliis Principibus in favorem operis; sed ipsius Bibliopolæ, ut faciliùs possit impressum opus divendere, ac resarcire expensas: hinc rari hodie numerantur libri sumptibus Bibliopolarum impressi, qui simile à Pincipe non exhibeant concessum privilegium. Quamobrem arbitror, Bullis in Bullario comprehensis posse in scholis fidem adhiberi, ac censeri nomine *Extravagantium*, quæ in judiciis, ubi de re magni momenti ageretur haud aliter plenam facerent probationem; quàm si ab allegante in authentica forma exhiberentur.

5 Regulæ Cancellariæ Apostolicæ, quædam sunt Pontificiæ constitutiones versantes ut plurimùm circa causas beneficiales. Siquidem Innocentius VIII. Anno à partu Virgineo octogesimo quarto supra millesimum quadringentesimum die trigesimo mensis Augusti reservationes quasdam beneficiorum, dignitatúmque Ecclesiasticarum, ac Constitutiones promulgavit per Rodericum Episcopum Portuensem S. R. E. Vice Cancellarium, quæ regulæ Cancellariæ Apostolicæ fuerunt nuncupatæ, eò quia juxta illas judicandum sit omnibus, ad quos ejusmodi causæ, ac negotia pertinent in Curia Romana, seu Pontificia Cancellaria. Sunt tamen Regulæ Temporales, quæ tandiu vim obtinent, quandiu Pontifex vivit, ut monet *Gemin. Consil. 95.* An verò reservatio quoque expiret, est inter Doctores dubium, ut innuit *Tuschus Concl. 97.* Vnde sede vacante nullam vim habent, quod non ita obtingit cæteris legibus, ac Canonibus, qui etiam post legislatoris mortem vigent. Licèt mortuo Pontifice expirent; per successores tamen cum eisdem qualitatibus renovantur, pristinóque restituuntur valori *Barb. l. 2. vot. Decis. 43.*

Non excesserunt hæ regulæ olim numerum 6
septuagesimum tertium; & illas fuit interpretatus Alphonsus Sottus, & novissimè Ioannes à Chokier Jurisconsultus Leodiensis. Præfato tamen numero adduntur quædam aliæ regulæ Julii II. Clementis VII. Pauli III. & Pauli V. auctoritate commendatæ. Earum tamen usus habetur duntaxat Romæ, ut & fructus ab iis percipiatur, qui in Romana Cancellaria causas agunt.

Qualem autem auctoritatem sortiantur hæ 7
regulæ, adhuc ambiguum videtur. Curiales non diffitentur naturam sapere legis, ac proinde obligare, quibus assentitur Zerolla *part. 1. V. Regulæ.* Alii eas vocant constitutiones generales derogatorias; & illis inesse quamdam vim obligandi docent Salas *q. 92. disput. 12.* Tannerus *d. 5. Q. 3. nu. 106.* Non tamen obligare ad peccatum in foro conscientiæ, ut ex Baldello docet Escobar. *in Theol. Moral. pag. 59.* Hinc donatio inter vivos facta ab Episcopo intra viginti dies ante obitum est valida in foro conscientiæ; licèt per regulam cancellariæ nulla sit in foro externo, ut docet Diana *part. 1. tract. 10. R. 43.*

Ad Declarationes Cardinalium, quod atti- 8
net, dissentiunt inter se Doctores, an vim habeant legis, nec ne; & quia per varias, ac diversas, Glossas plerumque textus confunduntur, & contra mentem Legislatoris explicantur: ad imminens hoc malum cavendum Pius IV. in Bulla confirmatoria Concilii Tridentini sub censuris inhibuit, ne quis sine authoritate, & licentia summi Pontificis audeat ullos commentarios, glossas, annotationes, vel aliud interpretationis genus in præfatum concilium promulgare; idque prohibuit Prælatis sub pœna interdicti ingressus in Ecclesiam: & aliis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. Statuitque controversias, & dubia inde oriunda esse deferenda ad sedem Apostolicam pro declaratione, ac decisione: & quia pro hisce decisionibus proferendis post sedula, ac matura Controversiarum examina, instituta fuit Congregatio Cardinalium; oritur dubium qualem hujusmodi Decisiones habeant vim. Non desunt qui censeant, inducere duntaxat sententiam probabilem, & doctrinalem. Alii verò volunt, iisdem inesse vim decisivam in casu illo particulari, qui ad sacram fuit congregationem delatus; & respectu earum tantùm personarum, quæ illum p[illegible]fuerunt.

Alii hujus Congregationis Decisionibus tri- 9
buunt authoritatem legis universalis, eásque aqui-

æquiparant Responsis Prudentum, quibus olim à Principe concessa fuit potestas decidendi dubias quæstiones Juris. Hæc sententia videtur probabilior, cum credibile non sit, à summo Pontifice non majorem datam fuisse huic congregationi potestatem, quàm habeant cæteri Doctores privati; hi enim si Classici sint, possunt suas speciales sententias, ac doctrinas constituere probabiles, si nitantur ratione verè probabili. Unde ad solam invehendam probabilitatem non fuisset necessaria hujus congregationis erectio. Vt autem hæ declarationes Cardinalium dicantur vim, vel quasi vim legis obtinere, tres requiruntur conditiones; quarum prima est ut fiant consulto summo Pontifice, siquidem Sixtus V. in potestate concessa huic Cardinalium congregationi interpretandi Concilium, solvendique dubias, quæ occurrunt, quæstiones, expressè addidit clausulam *Nobis tamen consultis*. Secunda ut Cardinales solùm declarent, interpretentur, non verò dispensent, nec ultra verborum proprietatem legis addant incrementa, nisi super iis habeatur speciale mandatum summi Pontificis; quia Pius V. & Gregorius XIII. in suis bullis id exigunt. Tertia, ut Declarationes edantur in forma authentica, hoc est munitæ solito sigillo, ac subscriptione Cardinalis Præfecti, ac Secretarii ejusdem congregationis. Cum plurimas falsas declarationes sibi etiam contrarias super eadem quæstione compertum fuerit circumferri; Vrbanus VIII. mandavit, ut declarationibus Cardinalium sive typo vulgatis, sive manuscriptis fides non adhiberetur in judicio, vel extra; nisi in authentica forma emanaverint: & esse hoc pacto habendas pro declarationibus legis; proinde observandas, sicut alias sum̃orum Pontificum, ac Principum in particularibus controversiis decisiones, ut asserit Garzias *de Benef. in Proœmio*, & liquet *in c. in causis 19. de sentent. & re judicata.*

10 Quòd si objicias, esse de ratione legum, ut promulgentur; & has Cardinalium declarationes non promulgari. Contra est, quia hæc promulgatio tantùm requiritur, ut lex novum jus constituat; non verò est necessaria in declaratione legis, quia hæc non ponit, sed supponit ipsam legem jam conditam, & tantùm eam declarat ob dubium emergens; unde hæc declaratio non inducit novam obligationem distinctam à lege; sed eandem cum lege; quia non facit jus novum: sed duntaxat quod priùs erat declarat. Hinc declarationes Cardinalium, cum tantùm declarent quomodo intelligenda sint decreta Concilii Tridentini, retrotrahuntur ad tempus conditæ legis, seu sanciti decreti, quod declaratur. Hæcq; ratio est cur hæ declarationes transmittantur Episcopis, aliisque petentibus, nullo adjecto in iisdem mandato: quia cum non constituant novum jus, sed tantùm declarent antiquum; non requiritur speciale mandatum, ut obligationem inducant; quia ipsa decreta concilii jam per se obligant: unde sufficit illud primum mandatum, quo ab initio Concilium Tridentinum fuit promulgatum Christi fidelibus. Quamobrem Declarationes sacræ congregationis super concilium habent vim legis, & obligant eadem obligatione, qua obligant ipsa decreta Concilii, ut declarata: quia summi Pontifices dederunt huic Congregationi facultatem declarandi decreta Concilii, proinde authoritatem Apostolicam iisdem declarationibus fuerunt impertiti: debent tamen, ut superiùs monui, fieri hæ declarationes consultis priùs summis Pontificibus; hinc Rota Romana hujusmodi declarationis religionem observat, ac præfert ejusdem Rotæ decisionibus; ut notant de Luca *discur. 6. de Parochis, &* Fagnanus *in c. quoniam de constit. n. 32.*

11 Rota Romana est Romæ tribunal Pontificis pro causis litigiosis dirimendis, & licèt non desint, qui huic tribunali authoritatem tribuant legis communis, velintque decisiones Rotæ haberi ut leges, præsertim Guttierez *practic. quæstionum lib. 3. quæst. 16. num. 17. Barb. c. in causis 19. de sent. & re judic. num. 3.* Nihilominus extra territorium summi Pontificis, licèt magni fiant, & supra auctoritatem classici doctoris, non tamen haberi solent, ut leges.

12 Franciscus de Pavinis *in Prælud. Extravag. Joannis XXII. ver. decisiones* docet, Rotæ Romanæ decisiones facere quidem Jus particulare inter partes litigantes, non verò universale, adeo ut alii Judices non teneantur, perinde ac legibus, se conformare iisdem decisionibus, nec juxta illas judicare; si meliora Juris fundamenta possint aliunde adferri. Verùm decisiones Rotæ licèt non habeantur ut leges, eò quia ipsa Rota sæpè contra eas judicet, ut refert Cardinalis *in c. Pastoralis de fide instrum. in ult. q.* & quia textus *in c. in causis 19. de sent. & re judic.* Et *l. ult. in Princ. C. de legibus* loquuntur de ipsius Principis decisionibus, non verò de illis ejus senatus, vel Vicarii; nihilominus decisiones Rotæ habentur, ut magistrales, quibus plus tribuitur authoritatis, quàm quinque, vel sex Doctoribus classicis non primæ notæ.

13 Sin autem super eadem juris quæstione pluries repetitæ sint sacræ Rotæ decisiones, & hæ fuerint semper uniformes, tunc dicuntur inducere consuetudinem, ac invehere stylum in Curia Romana *l. cum de Interpretatione ff. de legibus.* Extra territorium summi Pontificis nullam inducunt legem; quia non constat in forma authentica, summum Pontificem dedisse Advocatis sacræ Rotæ, ac ejusdem judicibus hoc jus condendi novas leges, quale olim à Principibus fuit viris prudentibus impertitum.

14 Glossæ authoritas, quamvis antecedat authoritatem cujusvis alterius doctoris, ut notant Bart. *in l. ut vim*, & Baldus *in l. cum hereditates c. depositi.* Butr. *in l. C. qui per sua de jurisdictione.* Imò Felinus *in c. 1. n. 54. de constitut.* censeat, opinionem Glossæ esse præferendam communi opinioni: non tamen vim habet legis: quia nullibi legitur facultas legis condendæ concessa Glossæ. Tum quia Glossa à privatis doctoribus non habentibus facultatem leges condendi apposita fuit, ut à Tancredo, Joan. Andrea, & aliis, quorum nomina in calce Glossarum adjiciuntur. Hinc Glossæ nonnunquam deprehenduntur inter se contrariæ; quâ ratione per jura meliora, & nervosiores rationes non rarò

reji-

rejiciuntur; quia in delectu opinionum non qualitas personæ, sed pondus rationis attenditur. Imò sola allegatio Glossæ sine textu, seu canone (si hic habeatur expressè) nullius ferè est ponderis: quia ex solo textu dependet resolutio.

PROLEGOMENUM IV.

Quot, & quales fuerint Canones Apostolorum, & Pœnitentiales.

1 Fuisse ab Apostolis canones aliquot ad morum promovendam disciplinam conditos, ac Posteritati relictos unanimi fatentur consensu omnes catholici Doctores: tametsi de tempore, quo fuerunt conditi non sit ita perspicuum: communior sententia est, eos fuisse ab Apostolis conditos in Concilio Jerosolymis habito *Actor. 15.* & colligitur ex *lib. 6. Constitut.* Clementis Romani *cap. 12.* ubi ait. *Remansimus pluribus diebus Jerosolimis conquirentes unà, quæ ad communem utilitatem, ac correctionem spectabant,* ex quibus liquet, in illo concilio, aliquas fuisse conditas constitutiones, seu canones ad morum disciplinam pertinentes in communem fidelium utilitatem.

2 Certum est enim, convenisse Apostolos, & seniores Jerosolimam, & unanimi consensu statuisse, fideles esse immunes à jugo Circumcisionis, ac Mosaicarum Ceremoniarum, tantùm ut abstinerent ab immolatis simulacrorum, & sanguine suffocato, & fornicatione; & plura alia id genus vero similius est decrevisse. Fuit hoc concilium Jerosolimis celebratum anno Christi ut supputat Baronius quinquagesimo primo; cui Paulus, ac Barnabas interfuerunt ex Antiochia profecti, anno ab ipsius Pauli conversione decimo quarto, cum ipse scribat ad Galat. 2. *Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Jerosolimam cum Barnaba assumpto, & Tito.*

3 Sophronius *in homil. de agone Petri, & Pauli* censet, canones Apostolorum fuisse conditos illis quindecim diebus, quibus apud Petrum fuit Paulus commoratus, ut habetur *ad Galat. 1.* Pamphilus Martyr non Jerosolimis, sed Antiochiæ autumat fuisse hos canones conditos; cujus sententiæ visus est adhæsisse Innocentius I. epist. 18. Ex hac opinionum varietate infertur probabiliùs, hos canones fuisse primùm Jerosolymis proposita, & postea in certa capita distinctiùs reducta, ut censet Lorinus *in cap. 15. Actor. Ad Gualter. Chronolog. sæculo 1. pag. 12.*

4 Circa numerum eorundem canonum magis dissentiunt Doctores, ut liquet apud Bellarminum *lib. 2. de Pontifice cap. 23.* Turrianum *lib. 1. constitut. c. 32.* Certum est, illos octoginta quinque canones, qui passim, ut ab Apostolis emanati, recensentur, non fuisse ab ipsis Apostolis scripto conditos, neque Posteris relictos, & propterea à Gelasio Papa *dist. 15. c. sancta Romana* fuisse inter canones Apocryphos rejectos. Quinimo eorum aliqui videntur Christianæ potius adversari disciplinæ, ut sexagesimus quintus, & ultimus, ubi Jejunium diei sabbati prohibetur, & sacrorum librorum canon mutilus proponitur, ut notat. Bellarm. *lib. de scriptoribus Ecclesiasticis de S. Clemente Romano.*

5 Hinc Leo IX. *in c. 3. dist. 16. apud Gratianum* non nisi quinquaginta recenset, quos ex Græco in latinum transtulit Dionysius Exiguus. Et istos, & reliquos superadditos, exceptis sexagesimo quinto, & ultimo, Baronius ad annum Christi centesimum secundum asserit, fuisse ab Ecclesia approbatos, ac esse pro authenticis habendos; eò quia eorum doctrina, revera ab Apostolis emanaverit; & ex Apostolica traditione manserint in Ecclesia; additque in quinquaginta canonibus à Dionysio in latinum translatis nil contineri, quod Apostolicam non redoleat traditionem.

6 Isidorus *in c. 4. dist. 16.* ex mente Glossæ triplici ratione evincit Apostolorum canones servandos esse à fidelibus. Primò quia nascentis Ecclesiæ fideles suos iisdem mores conformârunt, ac ut ecclesiasticas leges servârunt. Secundò quia sequentibus sæculis SS. Patres illos commendârunt, suis sententiis confirmârunt, & ut canonicas constitutiones fidelibus servandas proposuerunt. Tertiò quia inserti fuerunt Breviario, in quo continentur decreta diversorum Conciliorum; idque factum fuit à tempore Clementis I. Summi Pontificis usque ad Silvestrum. Extant hi canones apud Zonoram, quem Quintianus Hœduus ex Græco in latinum transtulit.

7 Canones Pœnitentiales sunt quædam regulæ directivæ in ordine ad pœnitentias delinquentibus injungendas; suntque numero quadraginta septem adjecti in calce Decreti; ad quorum intelligentiam ex D. Bonaventura prænotatur, quòd sicut in scientiis practicis, quæ versantur circa operæ, sermo universalis plerumque est dubius, ac incertus; & cum applicatur ad singularia incipit quodammodo clarescere, ac certitudinem enancisci; adeo ut non considerans circumstantias particulares potiùs deviet, quàm rectè procedat; ut liquet in medicina, & scientia morali. Ita Canones in generali instruunt, quomodo sit pœnitentia delinquentibus injungenda; sed descensum ad particularia Præsbyteris relinquunt discretis; qui circumstantias considerant Personarum; attendentes ad canones, ut ad regulas directivas; quia si contra canones pœnitentias imponunt, eas non rectè injungunt. Nulli Præsbytero licet quod Patrum regulis adversatur *dist. 38. Nulli.* In canonibus magis determinatur pœnitentia quoad tempus, quàm quoad modum, quia illa determinatio est certior, & communior. Ut: *si Presbyter fornicatus fuerit, decem annis pænitentiam agat.* Item: *Qui duxerit adulterio pollutam, annis quinque. Qui votum simplex violaverit, totidem annis.* Item: *Qui cognoverit Monialem decem annis pæniteat.* Item: *Qui cojerit cum brutis pæniteat plusquàm septem annis, & similiter pro incestu.*

8 Instruuntur hisce regulis confessarii, quâ discretione præfatis canonibus uti debeant; eorùmque judicio res tota committitur ob varias, ac dispares Pœnitentium conditiones, status, nego-

negotia, dignitates, virium imbecillitatem, & alias circumstantias à confessario perpendendas. Nostris tamen temporibus pœnæ injungendæ Pœnitentibus non amplius regulantur juxta præfatos canones Pœnitentiales, qui ex longo non usu habentur ut aboliti. Immo *Navar. in c. falsas de pœnit. dist. 5.* Henriquez *l. 2. c. 22.* & alii arbitrantur, præfatos canones constitutos tantùm fuisse pro foro externo, idque ob scandalum offensionis publicæ, ac periculum revelandæ confessionis: ex diuturna illa pœnitentia; & notitia canonum facilè potuisset quis peccata proximi in confessione aperta conjicere, præsertim si pro pœnitentia injunctum fuisset opus aliquod externum.

9 Quamobrem Ecclesia ab antiquo illo remisit rigore, quia progressu temporis cum numero fidelium crevit peccantium, ac peccatorum numerus, & fervor charitatis intepuit, & laxitas opinionum paulatim invaluit; ac persuasio quorundam docentium, Pœnitentem non obligari ad acceptandam pœnitentiam sibi à Confessario injunctam, dummodo paratus sit in purgatorio luere; tametsi huic sententiæ minimè adhærendum sit. Præterea beneficio indulgentiarum plures nituntur pœnas à Confessario injunctas, vel injungendas declinare.

PROLEGOMENUM V.

Qualem Decretum Gratiani sibi vendicet authoritatem.

1 DE Gratiani decreto dubitare consueverunt Doctores utriusque Juris, qualem in utroque foro authoritatem sibi vendicet; quia cum hoc opus à privato tantùm doctore absque ulla expressa Pontificis authoritate fuerit congestum; non videtur majorem posse authoritatem sortiri, quàm alterius doctoris clarioris notæ; cujus doctrina si non fuerit expressè dissentanea bonis moribus, vel legi divinæ, aut ecclesiasticæ solam invehit probabilitatem:

2 Hinc censent plerique, non teneri Magistros in schola, nec Judices in foro præsertim externo adhærere Decreto Gratiani; si existiment pro sua sententia validiora esse in oppositum Juris fundamenta: Tum quia allegationes Canonum, qui à summis dimanarunt Pontificibus, in illo decreto non sunt infallibiles; nisi quatenus originali, unde fuerunt desumptæ, respondent; quia non pauci errores fuerunt in eodem deprehensi ut: *76. dist. necessariò*, ubi asserit in Vigilia Pentecostes non esse servandum Jejunium; & tamen in jejuniis servanda est consuetudo, ut dicitur de vigilia S. Bartholomæi *in c. consilium de obser. jejun.* Rursus notat Glossa *1. q. 1. v. Geroboan.*: quod ipse Geroboan fuit malus juxta falsum intellectum Gratiani, aliàs dicitur Gerobaal, quasi sacra destruens, *Joran* enim sacrum sonat, & *bal* destruens: hinc dictus est Gadeon, & secundum hoc non facit ad propositum Gratiani. Item *2. q. 7. §. opponitur* ait, laicos criminosos posse accusare clericos contra *cap. de cætero extra de test.* Item *11. q. 3. §. evidenter* ait, percussorem Clerici privari tantùm sacramentis, & ingressu ecclesiæ; & tamen certum est, anathemate percuti, ac incurrere omnes pœnas canonis *si quis suadente diabolo*; & ex communi sensu ecclesiæ privari communione fidelium. Item *16. q. 3. §. Pater* ponit differentiam inter ecclesiam, & monasterium; & dicit, quòd in sacris canonibus ecclesia adversus ecclesiam 30. annis; & monasterium adversus ecclesiam nonnisi quadraginta annis præscribere permittiur; in quo non benè distinxit, quia de jure comuni sola 40. annorum præscriptio currit contra ecclesiam, nulla factâ distinctione inter ecclesias, & monasteria. Plures alii recensentur errores in Decreto Gratiani.

Si dicas, etiam quinque libros Decretalium Gregorii IX. fuisse à Raymundo de Pennafort ejusdem Pontificis Pœnitentiario compilatos; & nihilominus legis habere authoritatem, eò quia contineant statuta, quæ à summis fluxerunt Pontificibus; consequenter eandem legis authoritatem etiam sortiri Decretum Gratiani, quia licèt congestum à privata Persona, continentur tamen in eodem constitutiones, & Decreta Pontificum. 3

Contra est, negatur consequentia; ratio discriminis est; quia licèt Raymundus de Pennafort fuerit persona privata; non tamen authoritate privata; sed jussu, & authoritate summi Pontificis compilavit Decretales Gregorii IX. adeo ut opus Raymundi inscribatur opus Decretalium Gregorii IX. quasi Pontifex fuerit Auctor ejusdem, quia Raymundus nomine, & authoritate Pontificis, seu ut minister, vel instrumentum illius congessit Decretales; & quod minister agit jussu, & authoritate Principis, censetur actum ab ipso Principe, Gratianus verò non nisi privata authoritate suum opus compilavit, propterea non est eidem legis authoritas tribuenda, ut operi Raymundi; quia non persona attenditur Compilatoris; sed in compilatore authoritas Principis. Etiam Tribonianus, & Dorotheus fuerunt personæ privatæ; & nihilominus quia authoritate Imperatoris compilarunt IV. libros Institutionum Imperialium, ut notat Gothofredus *in Proæmio Institutionum §. 3. verba antecessoribus* obtinent libri illi IV. legis authoritatem. 4

Constat itidem, Imperatores retroactis sæculis nonnullis Jurisperitis clarioris notæ, & qui legum doctrinâ, morúmque probitate cæteris antecellerent, authoritatem dedisse respondendi de jure, dubiásque circa jura quæstiones decidendi, & eorum decisiones fuisse nuncupatas *responsa Prudentum*; & quia hi Doctores licèt fuerint personæ privatæ, authoritate tamen Imperatoris decidebant, quæ in jure occurrerant, quæstiones; eorum Decisiones legis obtinuerunt authoritatem *§. 8. Inst. de jure Nat. Gent. & Civ.* ex iisdem propterea responsis libri digestorum deprehenduntur pleni. Non igitur omnes in jure decisiones emanatæ à Jurisperitis, licèt cæteris clarioribus, ac doctrinâ insignioribus vim obtinent legis; nisi potestatem ad id à summo Principe obtinuerint, vel authoritate Principis responderint ad quæstio- 5

quæstiones: quia non Jurisperitus, sed Princeps est Legislator, qui decretis dat vim legis.

6 Non desunt tamen, qui Decreto Gratiani vim legis tribuant, censentes, totum hoc decretum esse authenticum, & approbatum à pluribus summis Pontificibus, qui illud in suis Posterioribus constitutionibus allegârunt, & authenticum voluerunt haberi *arg. c. cum Apostolica de his, quæ fiunt à Prælatis. c. per tuas de sent. excommunic. Clem. 1. ibi secundùm formam in decretis &c. de jure jurando.* Et licèt in Decreto Gratiani plures deprehensi sint irrepsisse errores, constat tamen fuisse postea operâ Cardinalium à mendis expurgatum; & cum vetustissimis codicibus solerti indagine conquisitis, & quorum testimoniis Gratianus fuerat usus, conformatum. Fuisse Decretum hoc authoritate Pontificis emendatum constat ex Literis Gregorii XIII. summi Pontificis datis Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die secundo Junii anno millesimo quingentesimo octogesimo secundo, quæ literæ præfixæ eidem Decreto leguntur.

7 Communior sententia, quam tradit Barbosa *in collect. ad Proœmium Decreti. nu. 6. & seq.* duas prærecensitas, ac inter se pugnantes sententias quodammodo reconciliat, docens, non constare; Decreto Gratiani generatim, & secundùm omnia, quæ continet, esse legis authoritatem tribuendam: mereri nihilominus propter emendationem, ut canones in eodem emendati, quique suis originalibus absque errore, & falsitate correspondent, habeantur in eodem robore, & authoritate, ut cæteri à summis Pontificibus approbati, adeout canones ibi ex mandato Pontificis emendati, & suis correspondentes originalibus revocentur ad primævam authoritatem, quam à suis acceperunt conditoribus, id jubente Gregorio XIII. in præfatis literis decreto præfixis: ubi ait. *Jubemus igitur, ut quæ emendata, & reposita sunt, omnia quamdiligentissimè retineantur, ita ut nihil addatur, mutetur, aut imminuatur.*

8 Hæc comunis sententia fundatur etiam in Rotæ Romanæ Decisione 480. apud Pennam, cujus verba placet hic referre. *Nec refert, illos canones recensere in Decreto à Gratiano compilato: quia cum Gratianus non publica authoritate infinita quaque illa canonum ecclesiasticorum, & legum etiam sæcularium capitula in suum librum contulerit, nec legis condendæ authoritatem habuerit; nec ab aliquo Romano Pontifice liber ille tanquam authenticus, & legalis approbatus fuerit: inde fit, ut quilibet canon inibi relatus, ex eo tantùm, quòd ibi referatur, non habeat majorem authoritatem, quàm in proprio loco consistens, de sui natura esset habiturus. Neque Gregorius XIII. Gratiani librum tanquam legalem authentizavit; cum solùm emendari jusserit, & emendationes sine additionibus, aut detractionibus mandaverit observari.* Hinc liquet, Gratianum non dedisse vim legis iis, quæ in suo decreto compilavit; sed contenta in eodem esse revocanda ad primævam suam authoritatem; seu ad illam, quæ à suis obtinuerunt conditoribus: quia Gratianus nonnisi authoritate privata compilavit suum Decretum; & non constat, totum illud decretum fuisse ab aliquo Romano Pontifice approbatum. Cæterùm Decretum Gratiani inseritur corpori Juris Canonici, cujus dicitur pars præcipua, non quia omnia in ipso contenta vim habeant legis: sed quia complectitur plures sacros canones habentes vim legis.

9 Quamobrem summorum Pontificum, vel Conciliorum generalium constitutionibus, quæ citantur in Decreto Gratiani, & suis correspondent originalibus, authoritas legis, visque decisiva tribuenda est. Constitutionibus Imperatorum, legibúsque civilibus allegatis, ac supplentibus defectum Juris Canonici; nec immunitati Ecclesiasticæ repugnantibus vis itidem legis attribuitur. Cum verò Gratianus propriam exhibet sententiam; hæc dumtaxat est probabilis habenda, perinde ac sententia alterius insignis doctoris. Quando adfert sententias SS. Patrum, Ecclesiæ doctorum, est iisdem magna authoritas tribuenda, non tamen absolutè decisiva, nec infallibilis; nisi eædem sententiæ fuerint authoritate Pontificis expressè approbatæ: siquidem SS. Patres in materia utrinque disputabili, ac judiciali, plerumque nonnisi ut privati doctores fuerunt loquuti, ac in oppositas etiam nonnunquam sententias abierunt, ut liquet ex *c. 1. & 2. dist. 26.*

10 Canones, qui in Decreto Gratiani Paleæ inscribuntur, censentur additiones quædam ab aliis ante digestæ. Fuit enim ante Gratianum Codex aliquis canonum, ut refertur *in c. 5. distinct. 19.* & aliæ extiterunt Papalium Constitutionum collectiones, quas in unū codicem congesserunt Isidorus, Burcardus, & alii, qui in colligendis Pontificum Decretis, & Constitutionibus operam navârunt: & Gratianus postea studium speciale impendit in concordandis discordantibus canonibus. Cum igitur in præfatione ad Decretum Gratiani, quæ est ad Lectorem, propè finem legamus, has paleas in quibusdam vetustissimis decreti Exemplaribus non extare, censendum est, hos canones, qui paleæ inscribuntur, esse additiones non eodem tempore congestas, sed ad primam Gratiani collectionem margini priùs adjectas, deinde contextui insertas. Quamobrem falluntur, qui Paleas has tanquam res nullius ponderis, ac momenti putant esse flocci faciendas. Legatur monitio ad Lectorem præfixa ad Decretum Gratiani.

PROLEGOMENUM VI.

De Authoritate, vi, & obligatione, librorum Decretalium, Clementinarum, Extravagantium, & suarum Rubricarum, ac superscriptionum Capitulorum Decretalium.

EA est vis Canonum, ut ubicunque agitur de spiritualibus, & sacramentis præferantur cæteris legibus, quia amplectuntur æquitatem contra rigorem juris, ut docet Covarr. *c. 20. nu. 3.* Hinc debent sacri canones observari *c. 1. de constit.* nec potest de illorum justitia, 1

justitia dubitari, neque disputari ab Episcopis, qui ex speciali juramento non possunt contradicere sacris canonibus, neque statutis Romani Pontificis; sed tenentur ea servare *c. Ego N. de jure jurando*; & violatores canonum judicantur à Spiritu sancto *c. violatores 9. q. 1.* & aliter sentientes censentur saltem suspecti de hæresi *22. dist. c. 1.* & quæ contra canones statuuntur nullius sunt valoris, ac roboris *c. 1. de const. in 6.* neque inolita contra canones consuetudo vim ullam obtinet *c. fin. de constit.* quin imò canones id habent efficaciæ, ut ipsum etiam Imperatorem ligent; perinde ac quemlibet alium Laicum; adeout nequeat Imperator, licèt civilibus solutus legibus, derogare juri canonico Bald. *consil. 333. nu. 5.* Idem dicendum de rege Galliæ, quia ab ejus sententia lata contra non subditum appellatur ad Papam *c. novit. de Jud.* Bald. *consil. 213. lib. 3.* ubi ait; quòd tametsi Rex Galliæ sit Francus, ac solutus à jure Romano, ac dedignetur subjici legibus, non tamen dedignatur sacros canones imitari.

2 Ut autem canones obligent legitima est promulgatio præmittenda, ut liquet *ex cap. in istis dist. 4.* quia leges tunc dicuntur institui, cùm moribus utentium approbantur. Quomodo verò debeant promulgari dissentiunt doctores. Plures censent, non sufficere si promulgentur in Curia Romana. Ita Panormit. *in c. cognoscentes num. 9. de constitut.* Felin. *nu. 7.* Decius *num. 44.* & alii plures. Quia quando Jus Canonicum aliquod non decernit, standum est juri communi *ex cap. 1. de nov. oper. nunc.* ergo cum Jus canonicum nihil decernat, debet lex canonica, perinde ac civilis promulgari. Tum quia Pius IV. *in Bulla de tempore, quo Tridentinum capit obligare* movetur ex jure civili ad concedendum certum tempus, ante quam inciperet obligare: unde etiam in ordine ad promulgationem debet lex canonica conformari civili. Tum quia cum sit Ecclesia per totum orbem longè, latèque propagata, non videtur moraliter possibile, legem Romæ promulgatam posse statim omnibus innotescere. Demum quia Innocentius III. *cap. infirmis de pœnit. & remiss.* statuit, legem latam contra Medicos non obligare, quamdiu non fuerit promulgata per Prælatos locorum. Alii è converso affirmant, sufficere promulgationem in curia Romana, ita Monarch. *in cap. Generaliter de Regulis Juris in 6.* Bald. *Consil. 10. Sylv. verbo Lex quæst. 6.* Salas *disput. 12. de Legibus Sect. 2.* Lorca *1. 2. disput. 18. de Legib.* Et alii.

3 Mihi videtur procedendum cum distinctione. Si enim Pontifex explicet, quòd Lex non obliget priusquam fuerit in singulis provinciis promulgata, aut Diœcesibus; tunc ut obliget, præmittenda est talis promulgatio. Quia modus promulgationis non est determinatus ex natura rei, sed dependet ab arbitrio Legislatoris: unde lex suum non sortitur effectum, nisi promulgatio fiat eo modo, quò Princeps decernit. Quòd si Pontifex decernat, quòd promulgatio facta in curia sufficiat, tunc non est necessaria alia promulgatio, ut lex obliget: quia talis promulgatio sufficit ex arbitrio legislatoris, & ex natura rei, quia per ipsam lex intimatur toti Ecclesiæ, quæ repræsentatur in urbe, quæ est caput orbis Christiani; unde quando Pontifex vult illâ uti, lex canonica suum sortitur effectum.

4 Quòd si Pontifex nihil expressè decernat; sed tantùm promulget legem in curia; adhuc censerem, hanc promulgationem sufficturam, ut lex canonica obligationem inducat. Idque deducitur ex Bulla confirmatoria Concilii Tridentini, ubi Pontifex supponit, promulgationem factam Romæ sufficere ad obligandos fideles. Tum quia leges Pontificiæ latæ pro toto orbe de facto solùm Romæ promulgantur. Plures enim Decretales, Clementinæ, & aliæ constitutiones, quæ continentur in Bullario solùm Romæ fuerunt promulgatæ; illæ etiam quæ continentur in Bulla Cœnæ, Romæ solùm sunt promulgatæ. Cum igitur adsit consuetudo habens vim legis, sequitur quòd canonum promulgatio facta Romæ sufficiens sit ad obligandum omnes fideles; quia Pontifex, qui est Legislator iisdem legibus intendit obligare ubique terrarum omnes fideles.

5 Neque obstant fundamenta, quibus nititur opposita sententia: ad primum respondetur, tunc standum esse juri civili, quando jus canonicum nihil decernit; in his, de quibus jus civile potest disponere; non verò in aliis, de quibus non potest disponere; cujusmodi est promulgatio legis canonicæ. Ad secundum respondetur; non constare, summos Pontifices quoad promulgationem juris canonici velle se conformare juri civili; immò potiùs constat oppositum. Ad tertium, licèt Ecclesia sit amplissima, ac per totum orbem diffusa, habent tamen catholici commercium cum Romana curia, & patet omnibus accessus ad summum Pontificem. Ad quartum negatur consequentia, quia Pontifex ex causa speciali statuit, quòd illa lex promulgetur in quavis Diœcesi; scilicet quia prohibet ab ingressu Ecclesiæ medicos transgressores; ut non possit excusari per ignorantiam.

6 Circa tempus, quo incipit obligatio, docent communiter Doctores, leges Ecclesiasticas non obligare nisi post bimestre à promulgatione, nisi aliter expressum fuerit à Pontifice; ita enim sancitum est in jure civili, cui jus canonicum non contradicit. Imò Pius IV. in Bulla pro Concil. Trident. manifestè in hoc approbat jus commune, quod jubet, leges non obligare statim, sed post certum tempus, scilicet duorum mensium: licèt non approbet quoad promulgationem in singulis locis; approbat tamen quoad tempus, quo lex incipit obligare post dilapsum bimestre, ut, quæ sanciuntur leges, facilius innotescant, & causæ excusationum rescindantur.

7 Neque obstat, si ante bimestre leges sancitæ pluribus jam innotuerint: quia usque ad complementum bimestris legum promulgatarum obligatio manet suspensa ex voluntate Legislatoris non intendentis subditos obligare, donec à sancitæ legis promulgatione spatium effluxerit duorum mensium. Antonin. *1. 2. de const.* Tannerus *dis. 5. q. 6. d. 1. num. 3.* & alii communiter.

8 Hinc libri Decretalium, Clementinæ, & Extravagantes tum Joannis XXII. tum communes habent authoritatem legis, ac vim decisivam, & obli-

obligatoriam in judiciis; quibus propterea tenentur litigantes acquiescere. Ratio est perspicua, quia authores Decretalium, Clementinarum, & extravagantium fuerunt summi Pontifices, quorum jussu fuerunt libri Decretalium compilati, & approbati: etenim Gregorius Papa IX. natione Hernicus, patria Anagninus ex familia Comitum mortuo Romæ Honorio III. summus Pontifex creatus anno ducentesimo vigesimo septimo supra millesimum à partu virgineo, varias constitutiones, & Decretales epistolas prædecessorum suorum, quæ à plerisque privata authoritate collectæ fuerunt; per F. Raymundum de Pennafort natione Cathalaum, patria Borcinonensem, ejusdem Gregorii IX. capellanum, ac Pœnitentiarium ex sacro ordine Prædicatorum, & ejusdem ordinis Ministrum Generalem pietate; ac eruditione clarissimum in unum volumen redigendas mandavit; quas authoritate apostolica approbavit; cui collectioni Bernardus de Botono Parmensis, & Canonicus Bononiensis eruditissimas adjecit glossas. Rursus Bonifacius Papa VIII. natione Hernicus, patria Anagninus è familia Cajetana anno millesimo ducentesimo nonagesimo quarto creatus summus Pontifex, Decretales epistolas suorum Prædecessorum per Gullielmum Archiepiscopum Ebrudunensem, Berengarium Episcopum Biteren. & magistrum Richardum de Senis S. R. E. Vice-cancellarium curavit diligenter recenseri; pluribúsque decretis à se additis, in unum librum, qui inscribitur sextus Decretalium, sub debitis titulis redigi, & quinq; præcedentibus Gregorii IX. annecti: & huic sexto libro Decretalium Joannes Andreas Bononiensis plurimas, & continuas addidit glossas. Præterea Clemens Papa V. natione Gallus, provincia Vasconia, Diœcesis Burdegalensis anno millesimo trecentesimo quinto creatus summus Pontifex, tam in Concilio Viennensi; quàm ante, & post illud plures edidit constitutiones: quas cum præmatura morte raptus non potuisset, ut decreverat, in unum redigere volumen: ejus successor Joannes XXII. promulgavit nomine Clementinarum. Demum Joannes Papa XXII. natione Gallus, patriâ Caturcensis ex provincia Aquitania anno millesimo trecentesimo decimo sexto creatus Romanus Pontifex præter Clementinas sui prædecessoris multas alias edidit constitutiones, quæ ab Authore inscribuntur Extravagantes Joannis XXII. atqui hisce summis Pontificibus non defuit authoritas, nec voluntas condendi leges, cum hanc voluntatem in suis literis clarè expresserint; & authoritatem imediatè acceperint à Deo Matth. 16. *quodcunque ligaveris super terram erit ligatum & in cælis.*

9 Neque obstat, epistolas Decretales à summis Pontificibus fuisse ut plurimum directas ad particulares prælatos ecclesiarum super dubia, tunc emergentia, consulentes summum Pontificem: proinde non habere vim legum universalium obligantium totam ecclesiam. Nam contra est, quia licet ab initio directæ fuerint ad particulares Episcopos, Archiepiscopos, aliosque Prælatos: ex quo tamen publicâ authoritate redactæ fuerunt in corpus Juris canonici vim obtinent legis universalis; perinde ac responsa Imperatorum, tametsi antequam redigerentur in corpus Juris civilis directa fuerint ad particulares Præfectos, vel Consules: quia Romanus Pontifex sua authoritate comprobavit compilationem librorum Decretalium, quam confirmando suam effecit, ac direxit ad universam ecclesiam, cui libri Decretalium sunt communes. Tum quia licèt Papa respondens ad consultationem alicujus particularis, ad eundem dirigat sua verba; adhuc tamen per suam responsionem declarat, vel ostendit, vel constituit jus commune, ut notat Felinus *in c. canonum statuta n. 8. de constit.* adeo ut responsio Pontificis ostendat, quomodo in eodem casu sit ab omnibus procedendum juxta æquitatem: unde responsio Pontificis ut inserta corpori juris canonici constituit jus commune, ut notat Glossa *in c. ex tua 9. v. consultationem de filiis Presbyter.* Id tamen procedit quando constitutio non præjudicat causæ præcedenti, ut desumitur *ex c. Ex multa 9. de Voto.* Quòd si dicas, non constare, an omnes Extravagantes communes ex Pontificis Decreto fuerint promulgatæ. Respondetur sufficere, si hujusmodi Extravagantes editæ fuerint authoritate summorum Pontificum; & hoc clarè deprehenditur ex eorundem superscriptionibus. Singulæ enim præseferunt nomen illius Pontificis, à quo dimanârunt.

Ad rubricas quòd attinet. Sunt rubricæ juxta præsens institutum superscriptiones, quibus tituli Librorum, statutorum, Distinctionum prænotantur in toto corpore Juris Canonici; & per verba generalia præsignant materiam, de qua in tali libro, vel distinctione, aut statuto agitur: dicuntur hujusmodi superscriptiones *rubricæ*, eò quia olim rubro inscriberentur charactere; adeout per *rubrum*, tituli librorum, vel distinctionum significarentur; & per *nigrum* textus librorum, distinctionum, legum, & statutorum: hinc cùm dicitur valere argumentum à rubro ad nigrum; subauditur ab inscriptione tituli ad textum. Cæterum Rubricæ Decretalium, Clementinarum, & extravagantium, tum Joannis XXII. tum communium habentur authenticæ: non ita rubricæ insertæ Decreto Gratiani, ut notat Glossa *in Proœmio sexti libri Decretalium ver. Tituli.* Ratio primæ partis ex eo desumitur, quia rubricæ Decretalium authoritate sedis Apostolicæ fuerunt additæ, & à Pontificibus approbatæ cum tota compilatione, ut liquet ex Proœmio Decretalium Gregorii Papæ IX. ubi Pontifex declarat, ex propria sua authoritate fuisse Decretales illas unà digestas, & in unum redactas volumen: quod habetur etiam de sexto libro Decretalium: & cum Pontificia authoritate fuerint approbati omnes prærecensiti libri; remanent etiam approbatæ singulæ eorundem partes, consequenter etiam rubricæ: quia ex regula 80. Juris in 6. *In toto partem non est dubium contineri.* Hoc idem dicendum est de Clementinis, & Extravagantibus. Ratio secundæ partis est, quia Decreto Gratiani fuerunt rubricæ additæ, & editæ à quodam privato doctore, ut notat Cepolla *in tract. de cognitione Librorum juris Canonici*, ubi citat alios hoc idem sentientes. Idque ex eo evinci etiam potest 10

test, quia plures rubricæ comprehensæ in Decreto Gratiani, fuerunt falsæ, vel corruptæ deprehensæ, ut notat Glossa *in can. Charta 3. quæst. 9. v. Reo.* hinc Cepolla ait, hujusmodi rubricas esse potiùs summaria capitulorum, quàm rubricas; quæ propterea non dicuntur jus facere. Et licèt non desint, qui cum Butrio, Imola, & aliis censeant, primam rubricam decreti esse authenticam: id tamen non videtur concedendum; & ratio desumitur ex eo, quia prima illa rubrica non loquitur dispositivè, sed tantùm declarat intentionem finalem ejusdem libri.

11 Juvat observare, quòd quoties rubrica consonat nigro; valet tunc argumentum à Rubro ad Nigrum, ceu à rubrica ad textum juris canonici. Hinc possunt rubricæ authenticæ allegari *dispositivè*, vel *declarativè*; si verba textus sint ambigua; tunc rubrum declarat nigrum: si enim ex uno textu habeantur variæ lecturæ, illa præferenda est quæ consonat Rubricæ. Vel *extensivè* quia rubrica latior semper est nigro, dummodo habeat perfectam orationem; quia tunc sufficit ad decisionem causarum, & non restringitur per nigrum magis speciale, ut notat Tuschus lit. R. conclus. 370. Hinc notant Jason, & Salicetus, quòd si rubrica statuti diceret, quòd in causis laboratorum, & Notariorum procedatur summariè; tametsi in nigro nulla fieret de Notariis mentio; esset tunc nigrum ratione rubricæ extendendum ad Notarios; quia ut hebetur *in l. Titia* §. *2. ff. de V. O.* quæ in Præfationibus dicuntur, in sequentibus repetita intelliguntur. Verùm id limitatur quando rubrum contrariatur nigro: tunc enim nigrum restringit rubricam; & posterius derogat priori. Rursus limitatur quando consuetudo, & stylus est contrarius. Ut etiam si rubrica extenderetur ad iniquum. Cæterum Rubricæ authenticæ allegantur etiam utiliter, ex earundem situatione, ac ordine; & possumus interpretari nigrum, ut consonet, ac respondeat rubricæ, sub qua ponitur textus: quia in jure non admittitur quidquam superfluum, vel inordinatum contra procemium Decretalium. Imò superscriptiones præfixæ capitulis in Decretalibus sunt etiam authenticæ; adeout in jure ex illis valeat etiam argumentum, ut notat Glossa *in c. quorundam 24. v. Prædicatorum de Elect. in 6.* quia cum totum volumen Decretalium fuerit Authoritate Pontificia approbatum: comprehenduntur etiam sub eadem approbatione superscriptiones capitulorum.

PROLEGOMENUM VII.

De regulis concordandi discordantias Canonum.

1 Contingit plerumque, ut quæ continentur in jure canonico leges, sibi videantur adversari, & lector hæreat anceps, quámnam debeat alteri præferre. Ad hoc declinandum incommodum nonnullæ traduntur regulæ. Si enim contrarietas reperiatur in unius Authoris compilatione, ut *in Decretalibus*, vel *in sexto*, aut *Clementinis*: debent discordantes canones per congruam interpretationem conciliari; siquidem in una, eadémque legum compilatione non est censendum, irrepsisse contrarietatem *l. 1. V. contrarietatem C. de vet. jure enucl.* ut notat Glossa *in Proœmio Decretalium verb. contrarietatem.* Nonnunquam unus Canon expressè continet terminos, quibus alter, cui videtur adversari, corrigitur; sicut *in c. 2. & 3. de censibus in 6.* & tunc standum est terminis, qui exprimuntur in lege, quia hæc tunc declarat quomodo sint canones intelligendi.

Sin autem canones sibi contrariantes sint in diversis compilationibus, ut in Decretalibus Gregorii IX. & in sexto Bonifacii VIII. vel in Clementinis nuncupatis à suo Authore Clemente V. & contrarietas sit aperta; canones posteriores sunt præferendi; quia jus posterius derogat priori *c. ult in princ. de sent. excommunic. in 6.* Quòd si contrarietas sit dubia, & congruâ aliquâ interpretatione salvâ verborum proprietate possit conciliari; tunc sunt jura juribus concordanda ad declinandam jurium correctionem, & contrarietatem *c. cum expediat de Elect. in 6.* sunt semper canones, si commodè fieri potest, salva verborum proprietate simul conciliandi, cum videntur inter se aliqua contrarietate pugnare. 2

Plerumque hujusmodi contrarietas non solùm inter canones apparet; sed etiam inter jus canonicum, & civile; adeout lex canonica sit contraria legi civili. Ne hæc legum pugna incommodum adferat; aliquot solent regulæ tradi. 3

Prima regula est, quòd si casus dubius fuerit in jure civili; & in jure canonico clarè decisus, tunc standum est Pontificiæ Decisioni etiam in foro civili; quia tunc jus canonicum prævalet, & corrigit jus civile. 4

Secunda, si præsertim circa contractus, cambia, pacta, de quibus in Jure canonico non multæ habentur decisiones, dubium se teneat ex parte Juris Canonici; ac in jure civili res tota sit perspicua, & clara, nullaque laboret difficultate; tunc cum materia, de qua agitur, non sit spiritualis, debent Judices ecclesiastici adhærere Decisioni claræ juris civilis, ut liquet *ex c. 1. & 2. de novi operis nunciat.* ait enim summus Pontifex: *Sicut leges non dedignantur sacros canones imitari: ita & sacrorum canonum statuta Principum constitutionibus adjuvantur.* Quinimo nonnunquam leges civiles etiam in materia spirituali juvant jus canonicum; adeout decisiones datæ in jure civili suum etiam in jure canonico habeant robur, vimque exerceant, ut in cognatione legali, quæ oritur ex adoptione, ac invehit impedimentum dirimens matrimonium. 5

Si dicas, non licere viro Ecclesiastico studium impendere in perdiscendo jure civili; consequenter neque uti decisionibus, quæ habentur in jure civili. Antecedens liquet *ex c. ult. ne Clerici, vel Monachi*, ubi sub pœna excommunicationis prohibetur viris ecclesiasticis studium juris civilis. Contra est, quia canonica hæc inhibitio tantùm intelligitur de studio, quod abstrahit à vita ecclesiastica, estque perso- 6

næ ecclesiasticæ impedimento; quo minus divino cultui vacet, suoque fungatur munere. Finis Pontificis inhibentis ecclesiasticis studium juris civilis fuit; ne qui divino sunt cultui addicti, seque Deo mancipârunt officia sæcularium Advocatorum, ac judicum in foro civili contentioso exercerent: non autem prohibetur viris Ecclesiasticis perfecta juris civilis intelligentia, neque illa studia, quæ ut media adhibentur ad assecutionem talis finis. Sicut ecclesiasticis non prohibentur studia Poëseos, Mathesis, Perspectivæ, Opticæ, Trigonometriæ, Geometriæ, Cataptricæ, mechanicæ, & aliarum scientiarum, quæ sunt hominibus ornamento; ita nec prohibetur studium juris prudentiæ ad hunc finem adhibitum, ut ecclesiasticus perfectam emancipatur juris civilis notitiam; neque intendat patrocinari in foro contentioso civili, neque Judicem agere. Moris tamen est ad majorem cautelam, ut universitates, ac Publicæ Academiæ privilegium expressum impetrent à summo Pontifice admittendi clericos ad publicas legum civilium lectiones.

7 Tertia, si ambo jura pugnent de materia pertinente ad conscientiam, tunc standum est juri canonico, quod in spiritualibus est præferendum civili, etiam in terris Imperii: quia in spiritualibus ubi agitur de salute animarum summi Pontificis jurisdictio extenditur per totum orbem; est enim Christi Vicarius, & communis pastor omnium fidelium ubique locorum degentium. *tex. in c. solitæ. Vers. quod autem*: & *c. novit de judiciis. Clem. unam sanctam. de Majorit. & obed.* Extant exempla, quibus hæc regula confirmatur *in c. ult. de præscript.* ubi jus canonicum expressè corrigit civile in permissione præscriptionis ad longissimum tempus cum mala fide. Rursus *in c. ult. de sepult.* statuitur, ut hæredes defuncti, qui aliis, cum viveret, damnum intulit, ad exonerandam defuncti conscientiam, ejusque satisfaciendum obligationi; solvant creditoribus; cum non dimittatur peccatum, nisi restituatur ablatum *cap. peccatum de reg. juris in 6.* adeout hæredes juxta proportionem hæreditatis ad se devolutæ teneantur resarcire damna illata à defuncto cum viveret: idque contrariatur juri civili, quo hæredes non obligantur ad resarciendum damnum à denato illatū, antequem suam clauderet diem; nisi quatenus ex damno illato per furtum, vel rapinam lis cum defuncto jam fuerit contestata *L. unica C. ex delicto defuncti.* Præterea leges civiles permittunt impunè concubinatum *in c. ff. & C. de concubinis* & *in Nov. 18.* secus leges canonicæ abrogant quoad hoc leges civiles *c. audite 6. dist. 34.* injungitur enim Ordinariis, ut contra concubinarios procedant per censuras, & invocationem brachii sæcularis, ut præcipitur in concil. Trid. *sess. 24. de refor. c. 8.* & *Sess. 25. c. 14.*

8 Si objicias *c. 15. qui, & c. Christiano d. 34.* ubi ex sententia SS. Patrum viro Christiano permittitur una uxor, aut concubina: proinde concubinatum non prohiberi sub præfatis pœnis; & cum tanto rigore. Contra est, quia in præcitato *c. 15.* per concubinam non intelligitur scortum; quod SS. Patres utpote contra jus divinum permittere non potuissent; sed uxor ducta clandestinè, sed prævio vero matrimoniali consensu, absque alia concomitante solemnitate, qui consensus ante concilium Tridentinum videbatur sufficere ad contrahendum matrimonium: quia verò matrimonium erat clandestinum; & in foro externo non constabat de matrimoniali consensu, talis uxor concubina præsumebatur *arg. c. aliter 30. q. 5.*

Quarta regula: si pugna inter utrumque jus canonicum, ac civile sit de re profana citra limites conscientiæ, ut de solemnitatibus testamentorum, judiciorum, contractuum, aliorúmque id generis, quodlibet jus in proprio foro servari debet; scilicet in terris, quæ summo Pontifici subjiciuntur jus canonicum servandum erit; extra statum Ecclesiasticum jus civile *c. cum ad verum dist. 96.* Secus in causis Clericorum ubique terrarum servandum est jus canonicum *c. quod Clericis 9. de foro compet.* notat tamen Barbosa *in eodem c. 9. nu. 5.* id non procedere quoties clericus actor convenit Laicum coram judice sæculari; quia tunc Clericus actor sicut convenit forum Rei Laici; ita etiam ejusdem fori leges sequi debet. 9

Quinta regula est, quòd in materia spirituali, & speciatim sacramentorum posthabita quavis dispositione juris civilis, servetur per omnia jus canonicum; quia materia spiritualis, & sacramentorum dedignatur forum sæculare, & ad solam pertinet ecclesiasticam potestatem *c. decernimus de judiciis.* Hinc licèt jure civili matrimonium, quod filii familias contrahunt absque parentum consensu invalidum sit, eò quia filii sint sub potestate parentum *L. nuptiæ 2. & 18. ff. de ritu nuptiarum*: jure tamen canonico, & juxta Decretum Concilii Tridentini *sess. 24. de Reformatione matrim.* tametsi non sit simpliciter licitum, sortitur nihilominus suum valorem. 10

Sexta regula est, quòd leges civiles disponentes de personis, rebúsque Ecclesiasticis, ex defectu jurisdictionis nullum sortiantur valorem, licèt decernant quæ favorem concernunt ecclesiarum, & Ecclesiasticorum, *c. denique cum seq. dist. 96. c. Ecclesia 10. de constit.* quia personæ, & res ecclesiasticæ sunt jure divino exemptæ à potestate cujusvis domini sæcularis, ut apertè declarant summi Pontifices, & concilia universalia, quibus de jure divino competit statuere, ac declarare; quæ sunt de jure divino: id etiam declaratur *in c. nimis de jure jurando. c. quamquam de Censibus in 6. & in Concilio Tridentino sess. 25. de reformatione c. 20.* ut fusè ostendit Martha de jurisdictione *p. 2. c. 6.* 11

Juvat observare, quòd leges civiles tametsi favorabiles sint Ecclesiis, si disponant de personis, & rebus Ecclesiasticis, ideo sunt invalidæ; ne prætextu favorabilis constitutionis principes sæculares jurisdictionem sibi usurpent in Ecclesiasticos, ut liquet *C. Ecclesiæ.* Id autem intelligendum est de lege favorabili continente aliquam obligationem, seu mandatum, quod præseferat speciem jurisdictionis: hinc *in l. videmus C. de SS. Eccles.* de alienatione bonorum Ecclesiasticorum *in l. sacris 47. C. Episcopis, & Clericis* 12

Clericis de electione Abbatum statuitur, legem civilem non aliam vim obtinere, quàm quæ à SS. canonibus eidem datur. Quòd si leges nullam habeant annexam obligationem, sed sint merè favorabiles ac pura privilegia, tunc subsistunt, ne quod introductum est in favorem Ecclesiarum sub prætextu, quod Ecclesiæ non subjaceant legibus sæcularium, priventur bonis, quæ possident, & ne priventur facultate recipiendi privilegia, ac beneficia à Principibus sæcularibus.

PROLEGOMENUM VIII.

De Conciliis.

1 CUm Jus Canonicum scriptum constet etiam ex conciliorum decretis; præmittendum est quod ad eorundem pertinet notitiam. Concilium vox est latina desumpta ex more Romano, dicitúrque vel à communi intentione, ut declaratur *in c. Canones distinctione 15.* vel à consulendo, quasi dicatur concilium, eò quia viri prudentes, & sapientes vocentur ad consultandum super iis, quæ ad publicam pertinent utilitatem. Græcè concilium synodus dicitur, quasi comitatus, vel cœtus à coëundo, seu conveniendo *C. canones vers. synodus.*

2 Bipartitur concilium in Ecclesiasticum, & sæculare, illud circa res pertinentes ad regimen Ecclesiæ, vel fidei declarationes versatur, & definitur, congregatio virorum Ecclesiasticorum, prudentum, authoritate summi pontificis convocatorum ad tractandum communi intentione de rebus Ecclesiæ necessariis, ac concernentibus publicam ejus utilitatem

3 Ex hisce ecclesiasticis conciliis juxta Glossam *in c. convenientibus q. 7.* quædam sunt universalia, seu generalia, quæ & œcumenica vocantur. Alia localia, seu particularia, quæ & provincialia dicuntur. Concilia universalia sunt, quæ à summo Pontifice convocantur, & constant ex ipso summo Pontifice, vel ejus Legato, & Episcopis totius orbis Christiani *Glossa in c. generali distinctione 17.* qua ratione dicitur etiam concilium œcumenicum, seu universale, id est totius orbis Christiani ex parte convocatorum, quatenus Episcopi, & Prælati Ecclesiastici vocantur ex singulis mundi provinciis.

4 Ut concilium generale, seu œcumenicum sit legitimum necesse est, ut convocatio Episcoporum, qui de jure communi convocari debent, ut habentes vocem decisivam, sit legitimè facta, & generalis; adeout vocentur omnes Episcopi, quamvis necesse non sit, ut omnes personaliter compareant, ut notant Bellar. *lib. 1. contro. de conciliis cap. 15.* Turrecremata *3. de summa Ecclesiæ cap. 10.* legitimè convocantur omnes Episcopi ad œcumenicum concilium à solo summo Pontifice Romano, vices Christi in terris gerente; quia ipsi soli competit suprema jurisdictio in Ecclesiasticos.

5 Neque ullum facessit negotium quod objicit Zabarella *conf. 50. vers. secundò quæritur.* ubi asserit, in exordio surgentis Ecclesiæ consuevisse Imperatores generalia instituere concilia, & ad eadem omnes convocare Episcopos. Nam id præstiterunt Imperatores ex consensu summi Pontificis; vel eo mandante, ut habetur *in c. sexta dist. 6.* ibi: *exequente piissimo Constantino*: de aliis Imperatoribus, qui non nisi ex consensu, & mandato Pontificis congregârunt concilia eruditè ostendit Thomas Campeg. *tit. de concil[illegible]. 2. nu. 8.* & plenius Apostil. ad Abb. *in c. significasti de elect. in verb. concilia.* Et *verb. secundò limitatur*, ubi reddit rationem; quia sub illis Ecclesiæ exordiis, Ecclesia, & Pontifices utebantur ope Imperatoris, qui daret salvos conductus necessarios, & compelleret ad concilium. Postquam verò Ecclesia fuit magis propagata; firmiúsque stabilita; sancitum est, ut conveniens fuerat, solum summum Pontificem Romanum, vicem gerentem ipsius Christi facultatem habere aperiendi generale concilium; & convocandi ad illud generatim omnes Episcopos *c. 1. dist 13.* & *c. ideo. 2. quæst. 6.* idq; videtur esse de jure divino, ac positivo ex necessitate, quia solus Romanus Pontifex Ecclesiæ Prælatos compellit, & in illos exercet jurisdictionem.

Quinimo tametsi ageretur de querelis contra ipsum Romanum Pontificem; adhuc pertineret ad solum Romanum Pontificem aperire concilium, & non ad alios *c. concilia sacerdotum. §. hinc etiam. 17. dist.* Et quamvis contenderetur de ipso Papatu inter duos, qui essent in possessione obedientiæ, adhuc ad illos pertineret convocatio Concilii ad dirimendam litem; quòd si neuter vellet convocare concilium, & uterque vellet persistere in suo gradu; in tali casu convocatio Concilii generalis pertineret ad collegium Cardinalium; ne per schisma Ecclesia universalis scandalum pateretur; quia cum Cardinales sint in possessione eligendi summum Pontificem, possunt etiam uti omnibus illis mediis, quæ necessaria censentur ad electionem legitimi Pontificis, & quia tunc convocatio concilii ad litem dirimendam est medium necessarium ad tollendum schisma, & declarandum verum Pontificem in Ecclesia; ideo pertinet ad collegium Cardinalium in præfato casu convocare concilium, ut docent fere communiter cum Castr. *cons. 420. viso punct. l. 1. num. 4.* hoc idem dicendum, si Papa esset de hæresi suspectus, & detrectaret concilium convocare. 6

Pertinet itidem ad collegium cardinalium convocare concilium generale, quando in Ecclesia habetur schisma de papatu, quia tunc collegium cardinalium potest pro declaratione legitimi Pontificis convocare generale concilium; tametsi Papæ schismatici, vel Papa de hæresi suspectus expressè contradicerent, ut docet Castr. in *d. conf. 420. num. 4. & 42. num. 2. lib. 2.* ubi asserit, quòd post papam in Ecclesia Dei non sit major dignitas illa collegii cardinalium. Quòd si Cardinales negligerent ad tollendum schisma concilium convocare, tunc id pertineret ad Patriarchas, ut docet Antonius de Butrio *cons. 420. num. 4. vers. convocant ergo, inter conf. Castren. l. 1.* ratio est, quia positâ negligentiâ superioris ad proximiores fit devolutio *C. Romana* 7

mana ver. notoria de cens. l. 6. & cùm in concernentibus statum Ecclesiæ, inferiores suppleant negligentiam superioris *c. 1. de suppl. neglig. Prælat.* ideò pertineret ad Patriarchas supplere negligentiam Cardinalium : imò Antonius de Butrio asserit, non solùm spectare ad Patriarchas, verùm etiam ad Episcopos, qui loco Apostolorum subrogantur; ut habetur textus *in actis Apostolorum c. 6.* ubi duodecim Apostoli convocantes multitudinem discipulorum convocabant Concilium generale. Unde post Papam, & cardinales spectat ad Episopos convocare concilium.

8 Si quæras, ex quibus causis possit concilium convocari; respondetur, posse concilium generale convocari: primò si agatur de hæresi, per quam summus Pontifex sit declarandus privatus Pontificatu: secundò si agatur de schismate, quia schisma labitur in hæresin Cast. *cons. 420. viso puncto in fin. l. 1.* Tertiò si delictum Papæ notorium sit, & totam scandalizet Ecclesiam Castr. *d. cons. 420. l. 1.* Quartò si dubium oriatur de Papatu. Quintò si agatur de reducendis schismaticis volentibus audire super articulis, quibus dissentiunt à Catholicis, quia si adhuc non fuerint auditi, debent invitari, ac vocari, ut cognitâ veritate resipiscant: non ita si semel vocati, fuerint exclusi: ex charitate tamen consultiùs subinde est, illos iterum audire: hinc Græci fuerunt pluries auditi. Sextò si agatur de reformanda Ecclesia in capite, vel membris ; id enim fuit decisum in Concilio Constantiensi: & ad tollendos abusus, qui in Ecclesia irrepserunt, ut liquet ex Bulla Pauli III. & ex progressu Concilii Tridentini. Septimò si summus Pontifex pro rebus arduis pertractandis velit audire Episcopos totius Ecclesiæ, potest etiam concilium generale convocare Roman. *cons. 521. circa propositum num. 4.* rursus si grassarentur bella, quæ aliter non possent sedari inter Principes Christianos *c. significasti de elect. circa fin. ver. & omitto.*

9 Jurisdictio concilii generalis est ordinaria, & tam diuturna, donec concilium revocetur, vel dissolvatur Geminianus *consil. 65. ver. sed per mortem*: jurisdictio tamen concessa nominatim uni concilio generali certi loci non extenditur ad eandem congregationem factam in alio loco *Gemin. d. cons. 65. num. 10. ver. nec obstat.* præsente autem papa habet summam jurisdictionem, & eo absente tantùm delegatam, nisi facta sic delegatio ad universitatem causarum, quia tunc esset ordinaria, tam in civilibus, quàm criminalibus. Concilium generale legitimè congregatum sede vacante habet eandem jurisdictionem, quæ inest Papæ *Cast. cons. 66. num. 2. ver. ad 2. l. 1.* licèt contrarium sentiant alii limitantes jurisdictionem in iis, quæ pertinent ad Papam, ex causa necessitatis.

10 Ceterum concilium generale subjicitur omnino Papæ, nec ullum habet valorem nisi à Papa confirmetur: est enim Papa caput concilii generalis, in quod tota authoritas, & vis derivatur ab ipso capite. Ratio est, quia Christus dixit Petro non ut particulari Personæ, sed ut suo Vicario Matth. c. 16. *ego dico tibi quia tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam; & tibi dabo claves regni cælorum, & quodcunque solveris super terram erit solutum, & in cælis*: ubi liquet, Christum Divo Petro, ut suo vicario tantùm, consequenter & suis successoribus vices Christi gerentibus in Ecclesia, dedisse facultatem ligandi, & solvendi. Tum quia Joan. ult. post resurrectionem cùm Christus interrogâsset Petrum: *Simon Joannis diligis me plus his ?* respondit Petrus *: Domine tu scis, quia amo te.* & per tres vices eidem dicit: *pasce oves meas.* Quibus verbis constituit Petrum pastorem, sicut & ipse Christus Pastor fuit. Joan. 10. *Ego sum Pastor bonus.* : si igitur Christus, ut pastor concredere voluit soli Petro, ut suo in Ecclesia vicario oves pascendas; & declaravit, unicum ovile, & unicum pastorem debere fieri. Si eidem Petro dedit facultatem ligandi, & solvendi; nemo est in Ecclesia, qui præter summum Pontificem eadem gaudeat potestate, alioquin non esset in Ecclesia unus Pastor, quod adversatur verbis Christi; quòd si solus summus Pontifex habet hanc potestatem pascendi dominicum gregem, sequitur, ipsum solum esse supremum pastorem, & supra concilium.

11 Præterea quia Christus pro Petro specialiter rogavit, ut non deficiat ejus fides, & dixit eidem Petro sic confirmato in fide, ut aliquando confirmaret fratres, quasi ab illo, ut vices gerente Christi recepturi essent ceteri fideles confirmationem in fide. Additur etiam, quia *Lucæ 22.* Christus soli Petro dedit piscationem cum hamo, ut indicaret jurisdictionem traditam soli Petro, ceteris enim concessit piscationem cum retibus: & rursus voluit tributum solvere pro se, & Petro, non pro aliis; quæ causa fuit, ut discipuli inquirerent de majoratu inter ipsos, ut habetur *Matth. 17.* quòd verò hamus soli Petro concessus significet jurisdictionem, habetur *in c. est & aliud 24. q. 1.* ubi expressè hamus pro jurisdictione soli Petro concessa declaratur.

12 Ratio itidem est, quia sicut in Ecclesia triumphante sunt plures gradus, & unum caput, à quo pendent omnia: ita in Ecclesia militante debuit dari unū caput, cui cætera membra subessent, ne ecclesia esset corpus acephalum, hoc est sine capite, perfectius enim est regimen Monarchicum, in quo habetur corpus politicū, cum uno supremo capite, quàm regimen Aristocraticum, vel aliud, in quo plures funguntur munere capitis. Hinc per jus Canonicum, & doctores Ecclesiæ semper fuit declaratum, sumum Pontificem Romanum esse supremum caput totius Ecclesiæ catholicæ, consequenter esse supra concilium; non hoc supra Papam, hoc idem fuit definitum ab Innocent. *in c. nemo judicabit*; à Symacho *in c. aliorum hominum causas*, à Gelasio *in c. cuncta per mundum 9. q. 3.* ubi expressè habetur, quòd: *Papa judicat omnes, & ipse à nemine judicatur, nisi à solo Deo*; ubi Glossa ait, à nemine judicari, quando non est lapsus in hæresin, nec est schismaticus: hoc idem etiam respondit Bonifacius Martyr de hoc consultus *in c. si Papa 40. dist.* & producitur exemplum Marcellini; & *in c. nunc autem 20. dist.* habetur, quòd Papa non judi-

cetur à Concilio, neque sedes prima; sed à solo Deo.

13 Dices, concilia plerumque decrevisse aliqua servanda etiam à summo Pontifice: ergo authoritas concilii generalis est supra Pontificem. Antecedens liquet, primò quia tertia synodus sub Symacho Pontifice sic decrevit: non liceat Papæ prædium Ecclesiæ alienare aliquo modo pro aliqua necessitate, nec in usum fructuum prædia dare nisi tantummodo domos, quæ in quibuslibet urbibus non modica impensa sustentantur. Liceat etiam quibuslibet Ecclesiasticis personis contradicere, & cum fructibus alienata reposcere. Quod non modo in Apostolica Ecclesia servandum est, verùm etiam in universis Ecclesiis per provincias. Idq; habetur etiam *in c. non liceat Papa 12. q. 2.* Quinimo S. Gregorius Papa in alio Romano concilio, cujus meminit *l. 4. Epist. 88.* statuit, ne imposterum Romani Episcopi purè sæculares ad ministeria cubiculi, sed solùm Clericos electos, aut Monachos admittant.

14 Rursus concilium generale Lateranense sub Innocentio Papa III. *c. 37.* sanxit per litteras Apostolicas, non posse quempiam trahi ultra duas dietas extra suam diœcesin ad aliquod judicium; ut habetur *c. nonnulli de rescriptis* idque confirmatur per Honorium III. *c. olim de except.* quin etiam Bonifacius Papa VIII. ejusmodi litteras Apostolicas restringi deinceps voluit ad unicam dietam extra fines Diœcesis *c. statutum §. cum verò de Rescript. in 6.* Rursus concilium Lateranense *5.* & generale *sess. 9.* statuit circa ordinem, & disciplinam servandam etiam à summo Pontifice pro tempore existente. Demum Synodus Tridentina *sess. 14. c. 19.* abolet usum mandatorum Apostolicorum de providendo, & exspectativarum à suprema Sede manantium: & *sess. 25. c. 9. §. insuper* prohibet fieri authoritate Apostolica uniones beneficiorum liberorum ad beneficia juris patronatûs: vetátque hujusmodi concessionum executiones, si posthac ab Apostolica Sede indulgeantur, etiam cum expressa clausula derogatoria hujus constitutionis. Neque obstat si dicas, Principem esse solutum legibus: quia & ipse debet secundùm leges vivere *l. Princeps ff. de legibus*, & sanctus Gregorius Papa *l. 5. Epist. 112.* ait: *justitia & rationis ordo suadet, ut qui sua à successoribus desiderat mandata servari, prædecessoris sui procul dubio voluntatem, & statuta custodiat.* Tum quia officium summi Pontificis versatur circa exactum Ecclesiæ sibi concreditæ regimen, perfectionem, & disciplinam, cujus rationem apud cœlestem Judicem reddet exactissimam.

15 Sed contra, quia duplex est distinguenda potestas, coactiva una; altera directiva, hanc habent concilia in ordine ad regimen Ecclesiæ, resque Pontificis; non illam: hoc est discrimen inter utramque potestatem, quia coactiva, connotat imperium, & ex parte decernentis exigit jurisdictionem, & authoritatem; secus potestas directiva versatur circa bonos mores, & congruentem disciplinæ ordinem, cúmque nullam exigat jurisdictionem, nec authoritatem potest exerceri etiam inter pares: imò nonnunquam congruit inferiori erga superiorem prudens admonitio; & subinde etiam fraterna, ac discreta correctio. Quamobrem synodus legitima potest uti potestate directiva erga summos Pontifices, ut & Pontifex erga suos successores; non verò potestate coactiva: quam ob rem concilium licèt generale habet tantùm potestatem directivam erga Papam; non verò coactivam.

Concilia generalia, quæ hactenus fuerunt in Ecclesia coacta viginti recensentur, quorum ultimum fuit Tridentinum; ex hisce quatuor primatum obtinent. Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense, quæ ab Ecclesia catholica tanquam quatuor Evangelia approbantur, & recipiuntur *can. 2. §. inter cætera, & can. sicut 2. dist. 15. de summa Trinit.* Alia concilia generalia suam etiam habent authoritatem si convocata fuerint & confirmata à summo Pontifice *d. can. 1. §. hæc sunt, & can. 3. dist. 15.* siquidem concilia etiam generalia absq; summi Pontificis authoritate congregata, potiùs sunt conciliabula & conventicula improbata *can. 1. 2. & 5. dist. 15.* Est enim solus summus Pontifex supremus Ecclesiæ Rector, & Pastor, & Judex supremus omnium Christi fidelium, supremam, & amplissimam habens in eos potestatem *Can. patet 10. can. Nemo 13. cum seq. can. ipsi sunt 16.* 16

Concilium particulare est, ad quod non vocantur omnes Episcopi totius orbis Christiani, unde ex parte convocatorum differt ab universali, quia ad hoc convocantur omnes Episcopi quotquot sunt in orbe. Differt etiam concilium particulare ab universali ex parte authoritatis, eo quia particulare non obligat ubique terrarum omnes Christi fideles. Bene tamen universale. 17

Rursus concilia particularia dividuntur in nationalia, Provincialia, Diœcesana, seu Episcopalia. Concilia Nationalia sunt, quæ celebrantur ab aliquo Patriarcha, vel Primate cum Archiepiscopis, & Episcopis unius alicujus Regni, aut Nationis, vel duarum, aut trium, vel etiam plurium Provinciarum: Cujusmodi sunt concilia Romana à summo Pontifice cum Archiepiscopis, & Episcopis solius Italiæ celebrata. Subinde hujusmodi concilia Nationalia dicuntur etiam universalia *secundùm quid*, non absolutè; scilicèt generalia in hoc, vel illo regno: vel etiam quia sunt universalia quo ad authoritatem, quam obtinent à summo Pontifice obligante omnes fideles ad eorundem observantiam. 18

Concilia Provincialia celebrantur ab Archiepiscopo, seu Metropolitano cum suis suffraganeis, Episcopis, Abbatibus, & aliis Clericis suæ Provinciæ. Hæc concilia Provincialia olim bis singulis annis celebrabantur *Can. de conciliis 2. can. quoniam 7. & aliis dist. 18.* Deinde semel duntaxat quot annis *d. can. quoniam c. sicut olim 25. inf. de accusat.* Ex decreto tamen concilii Tridentini *sess. 24. c. 2. de reformat.* jubentur Archiepiscopi per se concilium celebrare, vel ipsis impeditis per Episcopum antiquiorem; non verò per Episcopum exemptum, ut notat Zerolla *in praxi Epis. p. 1. ver. concilium §. 7. ex declarat. Cardin. super* Concilium Tridentinum. Tenentur hisce conciliis interesse omnes Episcopi 19

ſcopi, quibus id vel ex jure, ut ſunt Abbates; vel ex conſuetudine competit. Non tamen ad eorum convocationem, aut celebrationem requiritur præſentia, vel authoritas Primatis, aut Patriarchæ *arg. d. can. de conciliis.* Solos Epiſcopos eſſe vocandos ad hujuſmodi concilia communior eſt ſententia; & liquet *ex can. propter Eccleſiaſticos, can. non oportet, can. ſi quis Epiſcoporum, & can. ult. diſt. 16.*

20 Cæterum poſſunt & alii vocari, ut ſint conſultores, non ut ſuffragatores habentes vocem. Præter Epiſcopos vocandi etiam ſunt qui juriſdictionem habent Epiſcopalem, ut colligitur ex *can. convenientibus 1. q. 7. can. Hadrianus diſt. 53.* Quòd ſi Epiſcopi Provinciales ex juſtâ cauſa nequeant intereſſe concilio, debent id per litteras, vel certos nuntios ſignificare Metropolitano Gloſ. *in can. placuit diſt. 18.* Epiſcopi, qui nulli ſubſunt Archiepiſcopo, debent & ipſi aliquem vicinum Metropolitanum ſemel eligere, & in ejus ſynodo Provinciali cum aliis intereſſe, ſalvis propriis privilegiis juxta concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. c. 2. de reformat.* Capitula Eccleſiarum Cathedralium invitanda ſunt, non cogenda *Abbas in c. ult. infra de iis, quæ fiunt à Prælato ſine conſ. capit.* illi verò qui loco Cathedralium comparent, non habent authoritatem definiendi, ut docet idem Abbas.

21 Concilia Epiſcopalia ſunt, quæ ab Epiſcopis cum ſuis Abbatibus, & Clericis celebrantur *can. quando diſt. 38. can. placuit 12. q. 2. can. Abbates 18. q. 2.* & ſede vacante, à capitulo Cathedralis Eccleſiæ. Et celebrari debent ſingulis annis *can. quoniam can. annis ſingulis diſt. 18.* juxta concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. c. 2. §. fin. de reformat.* niſi Epiſcopus juſto impedimento detineatur, quo caſu debet procuratorem aut vicarium ſuum generalem deputare, qui loco ipſius ſynodum celebret, eique præſit, *can. Epiſcopus d. diſt. 18.* quòd ſi celebrare neglexerit ſynodum, per duos menſes pœnam ſuſtinet ſuſpenſionis *can. ult. junctâ Gloſſa in V. excommunicationis d. diſt. 18.*

22 Synodus ſive Provincialis, ſive Epiſcopalis ut ritè celebretur, debent priùs moneri de ſynodo tali loco, & tempore celebranda quotquot tenentur intereſſe *arg. can. propter d. diſt. 18.* non tamen eſt neceſſaria trina monitio, ſed una ſufficit, *Gloſſa in d. can. ſi Epiſcopus.* tenentur ad hæc concilia intereſſe quotquot ſubjiciuntur Epiſcopo, non ita ſubditi extra diœceſin; neque ignorantes, niſi ignorantia ſit ſupina.

23 Concilia particularia licèt non habeant vim definiendi; procurant tamen ut quod aliàs ſive generaliter, ſive ſpecialiter ſtatutum eſt, diligenter obſervetur, & tandiu obligant ſubditos quandiu in Regno, vel diœceſi morantur *c. 2. de conſtit. in 6. L. fin. de juriſdict. omnium Judic.* ubi habetur: quod extra territorium jus dicenti impunè non pareatur. Quod tamen intelligitur de illis particularibus conciliis, quæ quo ad authoritatem Pontificis non ſunt univerſalia.

24 Cæterum Synodi tum Provinciales, tum Diœceſani celebrari ſolent pro reſtaurandæ eccleſiæ diſciplina, & præſertim pro ſtabiliendis, quæ in conciliis generalibus ſtatuuntur: quo pacto pro executione Concilii Tridentini, & obſervantia eorum, quæ in ipſo ſtatuuntur pro eccleſiaſtica diſciplina promovenda, & ſervanda, plures fuerunt inſtitutæ ſynodi Provinciales præſertim in Provincia Mediolanenſi ſub ſancto Carolo: & licèt hæ ſynodi non exerant vim obligandi, nec vim legis obtineant, in aliis provinciis non comprehenſis in ea, in qua inſtituuntur; nihilominus plurimum proſunt etiam aliis Provinciis; quia perſæpe decreta ſynodorum ſunt potiùs quædam declarationes, & interpretationes Concilii Trident. vel alterius legis generalis; quàm novæ, & poſitivæ ordinationes; proinde aſſumi poſſunt pro intellectu, & interpretatione decreti Concilii Tridentini, legúmque generalium, ad quem finem utiliter aſſumuntur decreta ſynodorum Mediolanenſium ſub S. Carolo, cujus cura, & ſolicitudine Concilium Tridentinum perquàm fuit promotum, & ſtuduit illud executioni mandari. Rurſus authoritas ſynodorum, eam adfert utilitatem, ut Prælati, Paſtores, & alii, quibus incumbit diſciplinæ eccleſiaſticæ conſervatio, aut reſtauratio, ipſam obſervantiam faciliùs populo perſuadeant, eamque à novitate, ſingularitate, nimióque rigore vindicent, oſtendentes eam à ſynodo Provinciali approbatam.

Præterea in hiſce provincialibus, vel Diœceſanis Synodis perſæpe plura ſanciuntur ad rectum eccleſiæ regimen, animarúmque ſalutem perquàm opportuna; adeò ut Prælati, & paſtores, quibus eccleſiæ regimen eſt concreditum juxta ſancita in iiſdem ſynodis utiliter ſuum inſtruant gregem: quo pacto laudantur eccleſiarum Prælati, ſi à SS. PP. vel aliis probatis Authoribus aſſumant, quæ ipſi opportunè ſuggerunt pro recto eccleſiarum regimine, & promovenda animarum ſalute, tametſi dicta ſanctorum Patrum vim non obtineant legis, nec ullam inducant obligationem. Hinc etiam eccleſia Romana pro formanda diſciplina eccleſiaſtica aſſumpſit decreta orientalium ſynodorum, quibus uſa fuit, & etiam particularium, item Africanarum decreta, tametſi eccleſia Romana non poſſit decretis hiſce ligari; cùm ſit ipſa mater omnium eccleſiarum, & cui cæteræ ſubjiciuntur eccleſiæ, tenentúrque parère. 25

Rurſus conſtat, alias eccleſias paſſim recepiſſe canones exterarum eccleſiarum in ordine ad dirigendas animas, & formandam eccleſiaſticam diſciplinam. Hinc licèt authoritas particularium ſynodorum quoad vim legiſlativam certis tantùm claudatur limitibus; cùm hæ ſynodi non obligent extra terminos illius particularis Provinciæ, in qua conduntur; quatenus tamen præſcribunt, & continent, quæ proſunt rectæ eccleſiarum diſciplinæ fovendæ; meritò aſſumuntur etiam ab iis, qui aliàs earum authoritate non ligantur: dummodo nil ſit contrarium diſciplinæ approbatæ authoritate ſuperiorum, & receptæ pro lege in particularibus eccleſiis. 26

PROLEGOMENUM IX.

De Congregationibus Cardinalium, eorúmque origine, ac dignitate, & Consistorio.

1 Cardinales sub ecclesiæ initiis, & per plura posteriora sæcula ii dicebantur, qui alicui ecclesiæ, aut loco pio, tanquam Ordinarii, & proprii Presbyteri, vel Diaconi erant *incardinati*, seu intitulati, qua ratione hac nomenclatura gaudebant Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, qui omnes Cardinales vocabantur sumptâ metaphorâ similitudinis à cardine, quia sicut cardo est fixus, & immobilis, & circa illum volvuntur ecclesiæ valvæ: ita circa Episcopos, Presbyteros, & Diaconos; veluti circa fixos, & proprios ecclesiarum cardines populus iisdem concreditus volveretur in ecclesiastico regimine, & curâ animarum; seu dirigeretur ad salutem æternam. Hinc Episcopi, Presbyteri, & Diaconi Cardinales in hoc ab aliis non Cardinalibus differebant, quia illi, ut proprii, fixi, & immobiles ministri ecclesiis suis essent incardinati, seu intitulati: isti verò subsidiarii, & adventitii assignarentur alicui ecclesiæ; adeò ut juxta veterem Cardinalium nomenclaturam hodie Parochi verè dicerentur Presbyteri Cardinales; & eorum cooperatores Presbyteri non Cardinales; eò quia sint subsidiarii, & adventitii. In hoc sensu Gelasius I. in litteris, quas direxerat ad Cœlestinum Episcopum, & referuntur à Gratiano in *suo Decreto dist. 24. can. 3.* Pontificem Cardinalem distinguit à Pontifice, seu Episcopo visitatore, eò quia hic non sit fixus Pastor, sed tantùm ad tempus alicui ecclesiæ, ut visitator invigilet; sed Episcopus Cardinalis est veluti cardo fixus, & immobilis perseverans in sua ecclesia, & circa quem populus ejus curæ concreditus in ecclesiastico regimine semper volvitur.

2 Horum Presbyterorum, & Diaconorum Cardinalium meminit etiam sanctus Gregorius Papa *lib. 12. epist. 2.* cùm enim quidam Isauriæ Episcopus ob incursiones hostium, & declinanda, quæ imminebant pericula, se cum suo Clero ad Insulam contulisset Gorcyram, vellétque in ea non solùm corpus sancti Donati, quod illuc asportaverat, collocare, & consecrare, verùm etiam Pontificalia exercere; ac propterea lis orta fuisset inter Episcopum Isauriæ, & Episcopum illius Insulæ, rescripsit sanctus Gregorius, non esse ab illa ecclesia repellendos sacerdotes, & Clerum Isauriæ, ita tamen, subdit Pontifex, *Ut dilectioni tuæ, in cujus Diœcesi castrum ipsum est positum, emissa cautione procuretur munitio, per quam promittat Episcopus Isauriæ, nullam sibi in eo potestatem, nullúmque privilegium fore, nullam jurisdictionem, nullam tanquam Cardinalis Episcopus ulteriùs authoritatem defendere: sed post pacem Deo propitio redditam ablato venerabili sancti Donati, si maluerint, corpore, ad propria se modis omnibus reversuros.* Ex hujus epistolæ fragmento liquet, D. Gregorium per Episcopum Cardinalem intellexisse proprium fixum, & ordinarium Episcopum.

Rursus rescribens Castorio Episcopo Ariminensi, ut postulante Timothea Illustri fœmina oratorium in honorem sanctæ crucis absq; missis publicis solemniter consecret, hanc cautionem adjicit: *Ita ut in eodem loco nec futuris temporibus baptisterium construatur, nec Presbyterum constituas Cardinalem lib. 2. indict. 10. epist. 9.* Pari pacto scribens Episcopo Firmano, ut cuidam suo Diœcesano permittat pro sua devotione oratorium extrui, apponit eandem cautionem, ut scilicet consecretur, sine missis publicis; ita tamen ut in eodem loco, nec futuris temporibus baptisterium construatur, nec Presbyter Cardinalis constituatur: per Presbyterum autem Cardinalem intelligit sacerdotem proprium, qui eidem oratorio sit præficiendus, tanquam cardo fixus, eò quia hujusmodi oratoria tantùm construerentur, & dedicarentur, ob privatam alicujus devotionem, & non ob publicas synaxes, publicósque populi conventus: nomine missæ publicæ intelligit Gregorius juxta phrasin illius temporis missam, ad quam unà cum suo pastore plebs debebat convenire: & quia ad hæc privata oratoria non convocabatur populus, cùm erigerentur, ob privatam devotionem alicujus petentis; ideo missæ publicæ in iisdem non celebrabantur, neque in iisdem oratoriis Presbyter Cardinalis, seu proprius fixus præficiebatur, sed tantùm Presbyter non Cardinalis, seu simplex sacerdos, qui hodie Capellanus dicitur, & olim Presbyter non Cardinalis, seu non fixus vocabatur, qui tamen erat postulandus ab Episcopo, si fundator oratorii ibi vellet missas celebrari. Hinc liquet usq; ad tempora sancti Gregorii, Episcopos, Presbyteros, & Diaconos proprios, & fixos in ecclesiis fuisse nuncupatos Cardinales, eò quia fuerint in iisdem ecclesiis incardinati, ut fixi, & proprii earundem ecclesiarum Pastores, & Ministri, adeo ut Presbyteri, & Diaconi Cardinales olim non solùm in ecclesia Romana, sed etiam in aliis passim fuerint, perinde ac modo sunt Episcopi, Parochi, & Diaconi in ecclesiis Cathedralibus, qui omnes olim Cardinales vocabantur. Imò usque ad sæculum undecimum Curiones ecclesiarum Parochialium in ecclesia Gallicana fuisse vocatos Presbyteros Cardinales, liquet ex illius temporis historia.

Cardinales igitur ecclesiæ Romanæ erant olim sicut in aliis ecclesiis Presbyteri, & Diaconi incardinati ecclesiis, & titulis, tum Presbyterorum, tum Diaconorum, ut fixi, & proprii Ministri. Diaconiæ verò erant loca, in quibus pauperes, viduæ, pupilli, & senes illius regionis per Diaconos regionarios alebantur, & erant publicæ quædam domus hospitales; quibus adnexa erant oratoria, vel sacella. Qui igitur ex clero præficiebatur hisce locis piis, veluti proprius minister in ordine ad ministranda necessaria ad victum, & vestitum pauperibus viduis, pupillis, & senibus, Diaconus Cardinalis vocabatur: erant autem hujusmodi Diaconiæ, seu Domus hospitales in singulis urbis regionibus, qua ratione etiam Diaconi Cardinales, seu qui præficiebantur iisdem locis, *regionarii* nuncupabantur. Quia verò successu temporis hæ do- 4

mus

mus hospitales corruerunt, & earum usus exolevit, solis sacellis, & oratoriis nomen adhæsit diaconiæ, constructis amplioribus ædificiis hospitalibus, in quibus necessaria subministrantur infirmis, & pauperibus. Hinc hodie Diaconi Cardinales Romæ dicuntur, qui iisdem ecclesiis præsunt, & intitulantur: quia verò olim hæ Diaconiæ per quatuordecim Urbis regiones distributæ erant, ut hinc primitùs Diaconi iisdem præfecti dicerentur Cardinales primæ, secundæ, vel tertiæ regionis, & sic successivè; hoc est à regione, in qua titulus Diaconiæ erat; hodie tamen ad exemplum Cardinalium Presbyterorum dicuntur Cardinales Diaconi, hujus, vel illius Diaconiæ, seu à titulo ecclesiæ. Tituli verò Cardinalium Presbyterorum ante millesimum, & centesimum abhinc annum referente Onuphrio fuerunt 28. quorum aliquos circa tempora Gregorii I. refert mutatos fuisse.

5 Verùm dignitas Cardinalium, & authoritas plurimum postea excrevit etiam tempore D. Bernardi: scribens enim ad Cardinales sæculo 12. ait: *Epist. 89. Nulli dubium, quin ad vos specialiter spectet de regno Dei surgentes succidere spinas, sedare querelas*, & paucis interjectis subdit: *Agite pro loco, quem tenetis; pro dignitate, quâ polletis; pro potestate, quam accepistis.* Hinc Bernardus suo tempore agnovit Cardinales ecclesiæ Romanæ, ut Ministros ecclesiæ universalis, & ut Consiliarios summi Pontificis; unde scribens ad Eugenium III. de Cardinalibus ait: *Veniamus ad colleterales, & Coadjutores tuos. Hi seduli tibi, hi intimi sunt. An non eligendi de toto orbe orbem judicaturi.* Munus igitur Cardinalium hodie est, dirigere negotia pertinentia ad ecclesiam universalem, vel statum ecclesiasticum, & dignitas Cardinalium est eminentissima, quâ Cardinales præcedunt, non solùm Episcopos, sed etiam Archiepiscopos, & Patriarchas, & immediatè assistunt summo Pontifici, cujus sunt Ministri. Eorum autem numerus non semper fuit idem, sed incrementum subivit. Sixtus IV. teste Onuprio *pag. 18.* numerum Cardinalium maximè ampliavit; cujus exemplum fuit postea secutus Alexander VI. Verùm tunc Cardinales nondum excesserunt numerum 53. postea Leo X. nulla habita ratione antiqui statuti in illa magna triginta & unius Cardinalium creatione veterem, & antiquum numerum eorundem longè superavit, cum sub Leone X. 65. numerarentur Cardinales simul viventes, quod nunquam antea contigerat à Romana ecclesia condita. Ejus exemplum secuti postea sunt Paulus III. & Paulus IV. quorum primus ad 63. & secundus ad 70. Cardinales auxit, & hic numerus ut respondens 70. viris, quos de senioribus in suum adjutorium ex mandato Domini assumpsit Moyses, & 70. discipulis, quos binos ante faciem Christus misit, fuit postea servatus, & Sixtus V. in sua constitut. cui initium *Postquam verò ille*, decrevit, ut imposterum retineretur, connumeratis omnibus cujuscunque Ordinis Episcopis, Presbyteris, & Diaconis Cardinalibus, qui nunc sunt, & in futurum (ut ait Sixtus V. in sua constitutione) creabuntur: cuncti simul numerum 70. nullo unquam tempore excedant, & hunc numerum prohibet quovis prætextu, occasione, vel causâ etiam urgentissima augeri, imò declarat etiam electionem, & nominationem alicujus ultra talem numerum irritam, & inanem; hinc hodie Cardinales non excedunt numerum 70. quorum titulos enumerat Onuphrius *pag. 18. & sequent.* ubi etiam ait, Cardinales esse hodie divisos in tres ordines, nempe in Episcopos Cardinales, qui hodie tantùm sunt sex, eò quia ecclesia Episcopalis SS. Ruffinæ, & Secundæ aliàs sylvæ candidæ à Calixto II. unita fuerit Episcopatui Portuensi: & in Presbyteros, & Diaconos.

Assumuntur autem ad Cardinalatum non solùm Principes, & Prælati ex Clero sæculari, sed etiam regulares doctrinâ, & pietate insignes, hoc tamen discrimine quoad vestes, quia assumpti ex Clero sæculari vestes induunt rubeas, & coccineas; Regulares vero ex colore propriæ religionis, in qua solemnem emiserunt professionem; exceptis Clericis regularibus, qui habentur, ut Clerici, & induunt rubeas vestes. 6

Innocentius IV. Cardinalibus, cum à summo Pontifice mitterentur ad terras ecclesiæ regendas, tradidit rubeum pileum anno 1244. ut refert Barbosa; & postea per consuetudinem concessus fuit omnibus Cardinalibus, & Paulus II. publico decreto statuit referente Ciaconio in ejus vita, ne coccineum pileum præter Cardinales ullus alius deferret, & narrat etiam primo anno sui Pontificatus concessisse Cardinalibus vestes ejusdem coloris rubri. Hæc tamen insignia cardinalitia, cùm tantùm concederentur Cardinalibus è Clero sæculari assumptis: Gregorius XIV. etiam regularibus indulsit pileum rubeum, ut constat ex ejus constitutione, cui initium est *Sanctissimus*, estque nona in Bullario ejusdem Pontificis. Quia verò titulus Cardinalis erat tantùm illustrissimus; Urbanus VIII. decrevit, ut imposterum Cardinales *eminentissimi* vocarentur, & voluit, hunc titulum non esse comunicandum, nisi solis Electoribus ecclesiasticis sacri Romani Imperii, & nullo modo Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, imposita etiam pœna anathematis iis, qui talem titulum sibi usurparent. 7

Porrò Innocentius X. anno 1645. confirmavit decretum Congregationis sacrorum rituum, quo præcipitur omnibus Cardinalibus quacunque natalium nobilitate, vel præcellentium dignitatum prærogativa insignitis, ut puro nomine Cardinalis contenti, alios titulos non admittant, nec illis utantur, neque titulus cardinalis alius sit, quàm *Eminentissimus*, & *Reverendissimus*, vel *Reverentia Eminentissima*: Præterea jubentur omnes Cardinales è propriis sigillis, signisque quibuscunque, seu gentilitio stemmate amovere coronas, signa, notasque omnes sæculares exceptis iis, quibus intra scutum stemmatum eorum familiæ, tanquam de essentia, & integritate eorundem utuntur; & ut imposterum ab illorum usu abstineant, solo pileo de pretioso Christi sanguine rubente insigniti. Ex iis liquet, dignitatem Cardinalitiam hodie inter dignitates ecclesiasticas supremum 8

mum attigisse fastigium, & Cardinales esse immediatos Consiliarios, & Ministros summi Pontificis, cujus propterea dicuntur collaterales, & Coadjutores.

8 Quia verò munus Cardinalium, vel maximè hodie elucet in dirigendis negotiis spectantibus, vel ad ecclesiam universalem, vel ad statum ecclesiasticum, & quæ proponuntur in congregationibus, quæ hodie Romæ frequentes sunt; ideò declarandum superest, quid sint hujusmodi Congregationes. Sunt igitur cœtus quidam Cardinalium à Pontifice instituti ad certa aliqua negotia dirigenda, ac terminanda, & de iisdem judicium etiam ferendum, adeò ut hujusmodi cætus, seu congregationes Cardinalium speciem quandam referant tribunalis, habeántque suos Officiales, & inferiores Ministros. Dividuntur autem hujusmodi Congregationes in ordinarias, & extraordinarias; illæ sunt, quæ jam pridem fuerunt à Pontificibus erectæ, & statum habent stabilem, ac permanentem; adeò ut semper durent: istæ verò, quæ extra ordinem per Pontificem particulariter pro aliquibus negotiis recèns occurrentibus sunt instituti, & cessant negotiis illis absolutis. Præterea inter Congregationes ordinarias, & stabiles, aliquæ sunt, quæ ea omnia explent, quæ non pertinent ad Pontificem, ut caput ecclesiæ universalis, nec spectant ad regimen ecclesiæ universalis: sed quæ Pontifici tanquam Episcopo particulari urbis Romæ, ejusque districtûs incumbunt, talis est Congregatio visitationis Apostolicæ, ut refert Cardinalis de Luca *in relatione Romana curia discurs. 24.* Aliæ quæ concernunt temporale regimen status ecclesiastici; talis est congregatio super consultatione negotiorum status ecclesiastici, quæ vulgò consulta vocatur: talis est congregatio boni regiminis, & aliæ, quas refert Cardinalis de Luca *cit. discurs. 25. & sequent.* Aliæ quæ versantur circa regimen universalis ecclesiæ, & quæ suscipiunt, examinant, & expediunt omnia illa negotia, quæ ad Pontificem, & curiam Romanam ex omnibus Christiani orbis Provinciis, & partibus deferuntur.

9 Consistorium generatim sumptum est quivis locus, ubi consistitur, in quo sensu Tertullianus *de resurrect. mort. c. 20.* vocat consistorium terram, in qua homines consistunt. Pressius tamen consistorium dicitur locus, in quo Princeps de rebus publicis agit, consultat, ac deliberat cum suis Consistorianis, ut notat Gotfredus *in not. ad l. 3. C. de offic. om. judic. lib. 1. tit. 10.* quo fit, ut Cardinalium consessus coram summo Pontifice in ejus Palatio per modum senatus consistorium postea vocaretur, & hodie in eadem significatione sumitur, quoties de consistorio Papæ, vel de beneficiis, vel negotiis consistorialibus est sermo, & hujusmodi consistorium Romæ est duplex, unum extraordinarium, quod majore solemnitate instituitur, & cui præter Cardinales intersunt etiam alii Prælati, Ministri, Oratores Principum, & Magistratus assistentes summo Pontifici, quoties præsidet in publico, & dici propterea etiam solet consistorium publicum.

Aliud dicitur consistorium ordinarium, & fit 10
in forma minus solemni cum solo interventu Cardinalium ad negotia, quæ occurrunt, pertractanda; & dici etiam solet consistorium secretum. Consistorium solemne tempore Innocentii III. moris fuisse, ut ter in hebdomada haberetur, constat ex actis ejusdem Pontificis, in quibus Pontifex auditis queremoniis singulorum, minores causas examinabat per se, adeo subtiliter, & prudenter, ut esset singulis admirationi. Hodie verò consistorium solemne non est ita frequens, sed habetur Romæ ad Papæ beneplacitum, prout negotia, quæ occurrunt, videntur exigere: ex consuetudine tamen, & praxi solet bis in mense haberi, & dies statuta solet esse feria secunda tempore matutino: nonnunquam tamen etiam alia die, prout consultiùs visum fuerit Pontifici.

Statuto igitur à Pontifice die pro consistorio, 11
hora, & loco, & Cardinalibus in curia residentibus die præcedente eo insinuato, sequente die veniunt ad consistorium solemni Pompa comitatu, & obsequio, ut notat Cardinalis de Luca, & tunc vel maximè Majestas Romanæ curiæ elucet. In Consistorio Papa in sede aliquantulum elevata sedet januis apertis, & patente aditu omnibus nobilibus, qualificatis viris, & Prælatis, & singulis Cardinalibus petentibus conceditur à Papa privata auricularis audientia super propriis, vel alienis negotiis, & absoluta hac privata audientia omnes è loco Consistorii excluduntur remanentibus solis Cardinalibus cum Papa, & tunc negotia consistorialia tractantur. Notant tamen plures, Innocentium III. auditis in Consistorio utrinque partibus consuevisse, causas minores decidere, & quidem in forma contentiosa etiam cum interventu Procuratorum, Advocatorum, utriusque partis, & decisio fiebat per suffragia etiam Cardinalium, adeò ut ex iisdem decisionibus id temporis in Consistorio habitis, insignis pars canonum, qui inseruntur quinque libris Decretalium sub rescriptis Innocentii III. desumpta fuerit.

Hodie verò, quæ in Consistorio poponuntur, & examinantur negotia, non habent amplius forensem, & contentiosam formam, sed tantùm gratiosam, & politicam, ut decet supremum senatum Pontificis. Creantur hodie in Consistorio Cardinales juxta stylum consuetum, de qua creatione Cardinalis de Luca in *relatione Curia Romanæ discurs. 5. nu. 9.* sic habet: Papa vel in consistorii initio, vel frequentius in fine dicit Cardinalibus, quòd habeant fratres, & nominando eos, quos in collegium cooptare vult, eos interrogat, quid ipsis videatur: eisque approbantibus, vel laudantibus fit decretum promotionis, quæ illicò publicatur extra Consistorium, vel curiam: quandoque tamen exprimendo numerum promovendorum, aliquorum nomina non manifestat, sed illa sibi reservat in pectore: & licèt extra actum Consistorii possit Pontifex postea publicare Cardinales, quos sibi reservaverat in pectore: siquidem, cùm id dependeat à jure, & formalitate positiva, potest Pontifex ut ipsi magis libuerit,

erit, id præstare, præsertim cum Cardinalium interventus, & consensus sit tantùm consultivus: nihilominus Pontifex non solet nisi in Consistorio præfata nomina, quæ in pectore sibi reservaverat publicare, ut notat idem de Luca.

14 Præter creationem Cardinalium solent etiam in Consistorio creari Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, & qua forma fiat hæc provisio ecclesiarum in duplici Consistorio describit Cardinalis de Luca *loco cit.* & Cardinales tenentur in Consistorio detegere crimina, & defectus promovendorum, ut notat Cardinalis Palæotus de *sacri Consistorii consultat. p. 4. q. 2.* imò sunt etiam quædam monasteria Regularium, quæ etiam consistorialiter providentur, & hæc monasteria etiam vocantur Consistorialia, quamvis interdum expediantur etiam extra Consistorium, & per solam Datariam.

15 Rursus expediuntur etiam Consistorialiter Coadjutoriæ cum futura successione tam cathedralium, & Metropolitanarum ecclesiarum, quàm Monasteriorum Consistorialium. Dimissio itidem sive libera, sive per translationem alicujus eccelesiæ, vel Monasterii Consistorialis, etiam in Consistorio admittitur, ut etiam in Consistorio approbantur novæ erectiones cathedralium, aut Metropolitanarũ cum dismembratione territorii novæ ecclesiæ assignandi; ut etiam earundem ecclesiarum uniones, vel divisiones in solo fiunt Consistorio, & omnes hæ causæ à loco, in quo tractantur dicuntur consistoriales, & quia tales nonnunquam occurrunt causæ consistoriales, in quibus solent oppositiones fieri, & auditis utriq; partibus debet examen institui, quod speciem habet contentiosæ discussionis, ideo ob majorem Consistorii Majestatem, ut loquitur Cardinalis de Luca erecta fuit particularis Congregatio præparatrix talium causarum Consistorialium, & dicitur etiam consultrix Consistorii; & vulgò dicitur congregatio Consistorialis constans ex aliquo numero Cardinalium, & etiam peritorum Prælatorum cum proprio Secretario, qui tamen non est Prælatus hodierna consuetudine, sed peritus togatus; & in hac congregatione, ut refert de Luca priùs examinantur negotia auditis partibus opponentibus in forma merè contentiosa proportionata tamen stylo Congregationum Cardinalium circa formalitatem telæ judiciariæ. Hæc Congregatio est veluti assessor Consistorii, eò quia nonnisi de illius suffragio negotia, quæ controvertuntur, expediantur in Consistorio.

PROLEGOMENUM X.

De Congregatione, quæ Romæ dicitur sancti Officii, seu Inquisitionis.

1 Quamvis sub primis ecclesiæ initiis, & per plura posteriora sæcula præcipuum munus Episcoporum esset præservare concreditum sibi gregem à quavis infectione hæresis, & propterea Episcopi fuerint tunc temporis Inquisitores contra hæreticam pravitatem; iisque incubuerit jus inquirendi contra hæreticos, suspectósque de hæresi; idque in ecclesia per duodecim circiter sæcula servatum fuerit: nihilominus irrepentibus postea, & grassantibus plerisque in locis hæresibus, nec sola Episcopi vigilantia videretur sufficiens ad custodiendam ecclesiam sibi commissam ab omni fermento hæreticæ pravitatis: ideo præter Episcopos, instituti etiam fuerunt Inquisitores, qui pari curâ, & eâdem authoritate contra hæresin procederent.

Primus omnium Pontificum, qui hos instituit Inquisitores fertur fuisse Innocentius III. 2 sub initium sæculi decimi tertii, cum enim tunc temporis in Galliis grassaretur hæresis Albigensium, misit pontifex in Provinciam Tolosanam, aliásque eidem adiacentes Arnoldum Abbatem Cisterciensem, Petrum de Castro novo, & Radulphum, Monachos Cistercienses cum plena authoritate procedendi contra hæreticos, ut liquet ex litteris ad ipsos datis 29. Maij anno 1204. in quibus Pontifex ita scribit: Ut autem injunctæ vobis non tam nostræ, quàm divinæ legationis imperio, officium possitis meliùs, & liberiùs exercere, plenam vobis in Aquensi, Arelatensi, & Narbonensi Provinciis, & vicinis etiam Diœcesibus, si quæ sunt hæreticorum labe pollutæ, concedimus facultatem destruendi, disperdendi, & evellendi, quæ destruenda, disperdenda, & evellenda noveritis; & ædificandi, plantandi, quæ ædificanda, & plantanda fuerint; illos, qui contra prohibitionem vestram venire præsumpserint canonicè puniturі: si quis verò pro violenta manuum impositione in latæ sententiæ canonem inciderit, authoritate nostra sufulti ei absolutionis beneficium impendatis, injungentes eidem, ut contra hæreticos accingatur. Hactenus Innocentius III. in litteris directis ad tres Inquisitores contra hæresin Albigensium.

Plures tamen præfati Inquisitores experti 3 fuerunt difficultates in obeundo munere inquisitionis, imò & oppositiones, tam ab Episcopis, quàm Sæcularibus Magistratibus iisdem objectas, ut notat etiam Bollandus *in act. sanctor.* ad diem 5. Martii in *commentar. histor. de vita & gestis Beati Petri de Castro novo*, ubi etiam fit mentio cujusdem epistolæ ab Innocentio III. directæ ad Archiepiscopum Narbonensem, qua Pontifex ipsum reprehendit ob auxilium negatum præfatis Inquisitoribus, ut etiam aliarum litterarum ejusdem Pontificis ad Episcopum Agathensem, & Abbatem S. Pontii, quibus Pontifex conqueritur, quòd Bitterrensis Episcopus requisitus à Petro de Castro novo, & Radulpho, recusaverit cum iisdem adire comitem Tolosanum, qui impensè Albigensibus favebat, ut authoritate Apostolica eum à tali favore averterent: Ut etiam quòd idem Episcopus rogatus ab iisdem Inquisitoribus, ut Consules urbis Bitterrensis ad abjurandam hæresin, & contra hæreticos ecclesiã defendendam authoritate Apostolica comoveret; Episcopus non solùm noluerit obedire, verùm etiam id fieri prorsus impedierit; & cum Inquisitores authoritate Apostolica convocato Clero injunxissent Episcopo, ut nisi infra præfixum diem consules hæresin abjurarent, eos vinculo innodásset excommunicationis, & nihil Episcopus præstitisset, ac propterea Petrus, & Radulphus ipsũ suspendissent non solùm ab administratio-

ne

ne, verùm etiam ab Episcopali officio, donec se Pontifici præsentaret injuncto præcepto etiam Clero Biterrensi, ne Episcopo pareret, idque sub vinculo excommunicationis: in plura inde pericula se Inquisitores illi injecerunt. Constat tamen ex iis quanta fuerit tunc temporis authoritas legatorum sedis Apostolicæ, cùm Innocentius III. nil prætermiserit, quo minus suis Legatis in hoc arduo negotio, sua authoritate assisteret.

4 Quia verò, stantibus oppositionibus Cistercienses Inquisitores speratum ex suis laboribus fructum minimè colligerent, & cùm biennium insumpserint præsertim prædicationi, nec Albigenses resipiscerent, & cùm deliberarent, quid essent acturi: contigit, ut Didacus Episcopus Oxomensis unà cum S. Dominico ejusdem ecclesiæ tunc canonico ad Romanum Pontificem venerint, à quo anno 1206. in Provinciam Tolosanam pari authoritate contra hæreticos missi fuerunt: & revertentes, ad montem Pessulanum dictis Monachis Cistercienfibus se adjunxerunt, & junctis viribus, & animis contra Albigenses iterum insudàrunt: & sanctus Dominicus adeò feliciter huic operi incubuit, ut adscitis sibi quibusdam Presbyteris sæcularibus sociis, & Coadjutoribus adeò profecerit, ut anno 1215. Episcopus Tolosanus concesserit ei ecclesiam sancti Romani in civitate Tolosana cum omnibus proventibus, & juribus, ad quam S. Dominicus cum suis sociis Presbyteris migravit, posuitque sui ordinis fundamenta, quem postea sequenti anno Honorius III. confirmavit.

5 Quamobrem primi isti contra hæreticam pravitatem Inquisitores ingentes exantlàrunt labores, plures peragràrunt Provincias, ubique prædicatione, & exhortatione se hæreticis opponentes: nihil tamen tunc temporis speciale constitutum erat circa modum procedendi contra hæreticos, nec ullum adhuc erat sacræ inquisitionis tribunal, cùm Inquisitores tantùm ut legati sedis Apostolicæ mitterentur, ut plena authoritate procederent contra hæreticos, eósque averterent ab erroribus, frugique restituerent saniori. Fertur etiam, Gregorium IX. Pontificem, Cardinalem Romanum Diaconum tituli S. Angeli misisse suum Legatum ad Provincias Albigensi hæresi infectas, & hunc anno 1229. Concilium Tolosæ celebrâsse, in quo de consilio Archiepiscoporum, Episcoporum, Prælatorum, Baronum, ac militum, sexdecim fuerunt edita decreta; quibus præscripsit modum inquirendi & puniendi hæreticos, ut habetur *in tom. II. Conc. General. edit. Col. p. 427.* & licèt per hujusmodi decreta plurimum authoritatis tum Episcopis, tum fidei Inquisitoribus tribueretur; nihilominus Gregorius IX. uberiori Zelo contra hæreticos succensus, dubitans, ne Episcopi remissiùs, quàm oporteret, agerent contra hæreticos; hoc inquisitionis munus, & officium solis religiosis Dominicanis anno 1231. concessit, cùm ipsi ad tale officium obeundum apprimè essent instructi, & etiam à sede Apostolica præcipuè instituti.

6 Verùm cum religiosi isti sanctiori essent Zelo succensi, tanto processerunt rigore contra quoslibet hæresi infectos, vel de eadem suspectos, ac hæreticorum fautores; ut comes, & populus Tolosanus è sua civitate omnes illos fidei Inquisitores ejecerint, excluso etiam toto Dominicanorum Ordine, unà cum Episcopo Tolosano, qui erat ejusdem Ordinis; eisque enixè favebat. Verùm eos postea authoritate Apostolica restituit Joannes Viennensis Archiepiscopus, jussitque etiam Inquisitionem exerceri, adjuncto tamen collega ex ordine fratrum Minorum, qui sua mansuetudine rigorem temperaret Prædicatorum, ut notat Spondanus ad annum 1234. *nu. 1.* hinc officium Inquisitionis fuit postea commissum Religiosis Prædicatoribus, & Minoribus unà cum Episcopis ab Innocentio IV. qui plura instituit pro stabiliendo sacræ inquisitionis tribunali, ut constat ex ejus constitutione, cui initium est: *Ad extirpandos*, in qua Pontifex per 30. capitula exprimit, quæ à Magistratibus contra hæreticos, eorúmque fautores observari debent, & ab eo tempore plures in Italia, terrisque Romano Pontifici temporaliter subjectis Inquisitiones cœperunt erigi, & Inquisitores desumi, præsertim ex ordine Prædicatorum.

In curia tamen Romana tribunal universalis 7 inquisitionis erigi tantùm cœpit anno 1542. à Paulo III. qui sex Cardinales constituit, ac deputavit suos, & Apostolicæ sedis in omnibus, & singulis reipublicæ Christianæ locis tam citra, quàm ultra montes in Romana curia super negotio fidei Commissarios, & Inquisitores generales, ut liquet ex constitutione Pauli III. cui initium est, *Licit ab initio*, & habetur in Bullario Romano, estque constitutio 34. ejusdem Pontificis: imò Pius IV. octo Cardinales ad hoc idem deputavit negotium, & omne statutum, decretumque ab iisdem voluit firmum, & & ratum haberi, & quod nullo modo impugnari possit, ut habetur in constitutione, quæ incipit, *Cùm nos*, estque 79. ejusdem Pontificis. Pius V. ejus successor etiam declaravit, gesta, statuta, decreta per majorem partem præsentium esse reputanda, ut statuta, & ordinata ab omnibus, quamvis duo tantùm essent præsentes, ut habetur in constitutione Pii V. cui initium est, *cùm felicis*; estque 23. in Bullario Romano. Demum Sixtus V. per suam constitutionem, quæ incipit, *In mensa æterna Dei* 72. in Bull. Rom. hanc eandem congregationem, quæ sancti Officii dici consuevit, auxit, & confirmavit, & expressit etiam Cardinalium ad eandem Congregationem pertinentium officium, & authoritatem, & præter Cardinales constituentes hanc Congregationem instituit etiam alios officiales inferiores, qui hoc inquisitionis tribunal regunt, & administrant in actuali exercitio jurisdictionis, ac processuum formatione, reorúmque examine: hinc officialis, qui Judicis Ordinarii partes subit vocatur Commissarius sancti officii, estque ex ordine S. Dominici de Lombardia, & hic Assessorem habet Prælatum, vel Clericum sæcularem, qui vocatur Assessor sancti Officii.

Sunt

8 Sunt etiam alii Ministri inferiores, ut Fiscalis, & Notarius, imò pertinent etiam ad Congregationem sancti officii viri Theologi, & sacrorum canonum periti, qui Consultores sancti officii vocantur, & quamvis ex diversis religionibus ad placitum summi Pontificis assumi possint, imò interdum etiam è Clero sæculari; nihilominus inter Regulares fixum occupant locum duo professores sancti Dominici, scilicet Magister Generalis dicti Ordinis; & Magister sacri Palatii, ut etiam alter professor Ordinis Minorum Conventualium, cui etiam tanquam fixo, & invariabili convenit singulariter nomen consultoris sancti Officii, eò quia habeat hoc munus magis peculiariter; illúdque præ cæteris Consultoribus exerceat. Conveniunt igitur hi consultores cum commissario, Assessore fiscali, Notario sancti officii singulis feriis secundis in palatio, quod vocant sancti officii propè Basilicam Vaticanam, & in hac Congregatione (quæ consulta dicitur, eò quia ex consultoribus constat) leguntur processus criminales, ut etiam alia gravioris momenti negotia, quæ solent à Cardinalibus committi Consultoribus pro majori instructione Assessoris, qui eadem relaturus est in alia congregatione, ad quam conveniunt Cardinales, ut notat de Luca in *sua relat. Curia. Roman.*

9 Hæcque congregatio Cardinalium habetur singulis quartis feriis in conventu Patrum Prædicatorum propè ecclesiam B. Mariæ super Minervam, ubi congregatis Cardinalibus habetur priùs Congregatio, quæ dicitur secreta, in qua soli Cardinales cum Commissario, & Assessore interveniunt; ac deliberatur de negotiis, quæ non fuerunt Consultoribus commissa, & majus videntur secretum exigere: & facto super his sufficiente examine, vocantur tunc Consultores, eorúmque consilium, ac suffragium postulatur: quæ verò ibi resolvuntur eodem die post meridiem referuntur per Assessorem sancti officii ad summum Pontificem, cui congregationi non solet interesse, qua ratione decreta hujus congregationis prodeunt sub nomine Cardinalium sancti officii, facta tantùm mentione relationis ad Sanctissimum, & suffragiorum etiam Theologorum, si ad hoc fuerint specialiter deputati.

10 Præterea quæ occurrunt examinandæ propositiones, vel etiam libri in lucem editi, quibusdam committuntur Theologis, qui post diligens examen referunt Congregationi, quales propositiones, vel libri mereantur censuram; & hujusmodi Theologi à propositionibus qualificandis vocantur Qualificatores sancti officii, non tamen intersunt congregationi nisi vocati ad dandam relationem negotii iisdem comissi. Habetur etiam feria quinta alia Congregatio eorundem Cardinalium, sed in palatio Apostolico, & coram Sanctissimo, & hæc Congregatio magis propriè dicitur inquisitionis, seu sancti officii; cui ut habetur in constitutione Sixti V. ob summam rei gravitatem solet Romanus Pontifex præsidere, & in hac Congregatione agitur de præcipuo negotio, tunc occurrente, & quod propterea præ cæteris meretur examinari coram summo Pontifice. Postquam verò negotium coram Pontifice est propositum, ac maturè discussum; & Theologi, quorum examini negotium commissum fuerat, relationem suam absolverunt, dimittuntur omnes exceptis Cardinalibus, qui coram solo summo Pontifice depromunt propria suffragia, ex quibus postea concluditur: quo peracto, & signo dato rursus ingreditur Assessor sancti officii cum Patre Commissario, quibus summus Pontifex resolutionem Congregationis significat; & quamvis hujusmodi resolutiones sint decreta congregationis, & signentur à Notario Congregationis, nihilominus quia eidem præsidet summus Pontifex, & concludit; ideò in decretis hujus Congregationis non ipsi Cardinales, sed ipse Papa, ut resolvens introducitur sub hac formula: *Feria quinta die 6. mensis Februarii anni 1701. in Generali Congregatione sancta Romana, & universalis inquisitionis habita in Palatio Apostolico montis Quirinalis (vel ad sanctum Petrum, si summus Pontifex in Palatio Vaticano resideat) coram Sanctissimo D. N. & Eminentissimis, ac Reverendissimis Dominis sancta Romana ecclesia Cardinalibus in tota republica Christiana contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus à sede Apostolica specialiter deputatis Sanctissimus Pater prædictus auditis votis eorumdem Dominorum Cardinalium &c.*

Hæc autem decreta quamvis sint congregationis sancti officii; potiori tamen jure Pontifici adscribuntur, quàm decreta congregationis feriæ quartæ: ratio est, quia in illa feriæ quintæ summus Pontifex, suffragia audit Cardinalium, & Theologorum, & eorundem rationes expendit: secus in Congregatione feriæ quartæ tantùm per Assessorem sancti officii referuntur compendiosè Pontifici vota Cardinalium, & Theologorum, & quæ fuerant statuta: qua ratione decreta, & resolutiones Congregationis feriæ quartæ potissimùm Cardinalibus adscribuntur: & decreta, & resolutiones feriæ quintæ summo Pontifici. Quinimò in illis negotiis, quæ Theologorum examini committuntur, decisiones, & resolutiones ipsis Theologis præcipuè adscribuntur, quia moris est, ut Cardinales sine novo examine se votis conforment Theologorum. Quòd si Theologi non conveniant, iteratò totum negotium committitur examini Theologorum: & si agatur de prohibitione alicujus libri, cujus author sit in magna dignitate, & authoritate, solent aliqui Cardinales librum ipsum per se legere, & examinare, & proprium suffragium cum rationibus in scripis etiam exhibere, aliisque communicare Cardinalibus. 11

Ad id hæc Congregatio fuit instituta, ut cognosceret de causis fidei, omnibusque ad fidem spectantibus: ideóque libros examinaret, & censurâ dignos proscriberet. Proinde in hac Congregatione Gregorius XV. generatim revocavit omnes licentias legendi quoscunque libros prohibitos à quibuscunque concessas, & prohibuit imposterum eas concedi, nisi à Congregatione sancti officii, quæ singulis hebdomadis coram summo Pontifice haberi solet, ut liquet 12

liquet ex ejus constitutione quæ incipit *Apostolatus officium*, estque 40. *in Bullar. Roman.*

PROLEGOMENUM XI.

De Congregatione Indicis, & libris prohibitis.

1 TAmetsi hæc Congregatio non semper in ecclesia extiterit; fuerunt nihilominus in eadem semper selecti libri, qui inoffenso pede legerentur à fidelibus, & prohibiti alii ab ecclesia Romana non recepti, hinc in Concilio Romano habito tempore Gelasii Papæ anno 494. decretum emanavit, quo declarabatur, qui libri ab ecclesia Romana reciperentur, & qui prohiberentur; proinde qui legi possent à fidelibus, & qui legi non deberent. Verùm in hoc decreto tantùm agebatur de lectione publica, seu de lectione in ecclesia tempore divini officii, ad instructionem, & ædificationem populi. Cùm enim Romana synodus multiplici laude acta Martyrum extulisset, eò quia pluribus tormentorum cruciatibus, ac mirabilibus confessionis triumphis fulgerent, moris fuit, ut in ecclesia acta sanctorum publicè legerentur; & quia de aliquibus dubitabatur de modo, & ob quem finem fuerunt agones perpessi; ideo juxta antiquam consuetudinem singulari cautela in sancta Romana ecclesia hujusmodi acta legi prohibebantur, eò quia non plenè constaret, de eorundem veritate, vel quia ab infidelibus, vel Idiotis plura minus apta fuerunt iisdem addita. Ob hanc igitur rationem in decreto illo Concilii Romani sub Gelasio I. ecclesia à publica lectione, divinóque officio, amovere censuit quicquid speciem haberet falsitatis, vel mixturam contineret fabulæ, idque expresse circa finem ejusdem decreti significatur illis verbis: *Ceterum qui libri in ecclesiasticis officiis per anni circulum à nonnullis legantur, pro fidelium ædificatione annotandum censuimus.* Quamobrem ex hoc catalogo non infertur, ecclesiam tunc temporis indicem effecisse librorum prohibitorum juxta hodiernam consuetudinem, eò quia non instituerit indicem exhibentem libros omnibus tam privatim, quàm publicè legi prohibitos, ut hodie habetur in ecclesia.

2 Index igitur librorum prohibitorum tantùm ante dilapsum sæculum cœpit institui cùm invalesceret in Germania hæresis lutherana, & in Galliis calviniana, siquidem tunc temporis libri plures cusi fuerunt, & in lucem editi mentito nomine Authoris, qui cùm plures continerent errores, ac hæretico essent fermento conspersi, opus fuit, ut prohiberentur legi à fidelibus, cùm nec facilè à libris catholicis possent discerni, & plures simplices ex incauta eorundem lectione venenum haurirent, ac seducerentur: ad hujusmodi in ecclesia præcavenda damna varii in variis locis fuerunt à Theologis conscripti Catalogi, seu indices librorum, in quibus notabantur, qui libri hæretico fermento essent conspersi: & præsertim Facultas Theologica Lovaniensis præcipiente Carolo V. Imperatore indicem librorum hæreticorum, & aliorum de hæresi suspectorum composuit, ut statim appareret, qui libri legi prohiberentur à fidelibus: & quia non obstante hoc indice plures dietim cudebantur hæreticorum libri continentes hæreses, & quidem nonnunquam specie pietatis palliatas; eadem Theologica facultas fusiorem alium confecit indicem, in quo notati fuerunt omnes libri, qui infecti hæresis labe, fuerunt plerisque in locis cusi, ac in lucem editi: quinimò Carolus V. hunc indicem speciali suo edicto munivit, jussitque publicari anno 1556.

3 Verùm Romæ Paulus IV. Pontifex, ut in singulis christiani orbis Provinciis, ac locis hujusmodi infecti hæreseos libri prohiberentur legi, anno 1557. præcepit Præpositis Romanæ, & universalis inquisitionis contra hæreticam pravitatem, ut & ipsi indicem prohibitorum librorum conficerent, qui cum anno 1559. fuisset absolutus, jussu, & authoritate ejusdem Pontificis Pauli IV. fuit in lucem editus, distinctus in tres classes, quarum prima exhibebat nomina eorum, quorum omnia opera cujuscunque argumenti etiam profani omnino prohibentur; inter quos etiam nomina occurrunt quorundam catholicorum; secunda classis comprehendebat libros speciatim damnatos, cum alii eorundem Authorum libri non vetarentur; tertia classis continebat scripta quædam anonyma adjecta clausula generali prohibente libros omnes anonymos editos ab anno 1519. Demum adiiciebatur catalogus sexaginta Typographorum, quorum omnium libri, quos suis typis vulgarunt, prohibentur à quocunque authore, vel in quocunque idiomate prodiissent. Et quia ante Paulum IV. nullus ex Pontificibus Romanis indicem librorū prohibitorum confecerat: ideo de Paulo IV. Pontifice maximo ait Spondanus in actis ejusdem Pontificis: Primus extitit, qui universalem omnium perniciosorum librorum, cujuscunque argumenti, etiam profani, à quibuscunque, etiámque religione catholicis scriptorum, vel etiam à suspectis Typographis de quacunque arte editorum indicem contexere studuerit; cùm ad eum usque diem librorum prohibitiones tam à Pontificibus, quàm ab Imperatoribus factæ, nunquam excessissent terminos librorum hæreticorum; aliive pestilentes legi prohibiti non fuissent, nisi quorum authores etiam damnati extitissent: hactenus Spondanus ad annum 1557. §. 5.

4 Præterea paulò post in Concilio Tridentino sub Pio IV. in Congregatione habita die 26. Januarii 1562. à Præsidibus Concilii inter alia propositum fuit, ut libri à diversis Authoribus post exortas hæreses editi, unà cum catholicorum contra eosdem censuris examinarentur, ut Synodus, quid super illis esset decernendum statueret. Verùm hoc super articulo varias fuisse Patrum sententias, liquet ex actis ejusdem Concilii à Cardinale Pallavicino in lucem editis in historia Concilii Tridentini: & præ cæteris Archiepiscopus Granatensis à tali occupatione Patres Concilii studuit dehortari, eò quia plurimum fuisset in eadem temporis impendendum, nec posset Synodus ad altiora procedere, hinc Bartolomæus de Martyribus Archiepiscopus Bracha-

Bracharensis adhærens Granatensi adjecit, posse hanc occupationem committi Academiis, ac Facultatibus theologicis. Petrus Contarenus Paphensis Episcopus, qui ut ait Palavicinus *lib. 15. histor. Concil. Trident. c. 19. n. 10.* Singulari benevolentia prosequebatur Paulum IV. cui familiaris intimus erat ante Pontificatum, & à quo postea ad Episcopatum fuerat promotus, enixim suadebat, ne ulla fieret in indice Pauli IV. mutatio, addens: verius esse, recentiorum ingeniorum intemperantiam, quàm religionis studium velle decessorum opera reformare, non quo illa meliora redderentur: sed quo ipsi præstantiores ostentarentur. Exposuit itidem Patribus, ut caverent, ne sanctiones Majorum revocantes, posteros stimularent ad eorum exempla sequenda in eorundem decretis abolendis.

5 Alii verò contrarium suadebant Patribus: sed has inter contrarias dissentientium opiniones, plures tandem consenserunt, ut aliquibus cura demandaretur indicis conficiendi, & rogatis patribus, ut Censores librorum, qui curam illam susciperent, constituerent; communi consensu electio censorum Præsidibus Concilii delata fuit, & ab iisdem designati fuerunt Censores Georgius Drascovitius Episcopus Quinqueecclesiensis Orator Cæsarius pro regno Hungariæ; Joannes Trivisanus Patriarcha Venetus, quatuor Archiepiscopi, novem Episcopi, Abbas unus Cassinensis, & duo Generales, Minorum scilicet de observantia, & Eremitarum sancti Augustini, ita tamen, ut antequam absolveretur Concilium, index esset confectus, & publicaretur, ut notat Spondanus ad annum 1562. §. 17. & hanc Patrum sententiam Tridentina Synodus edito decreto publicavit *sess. 18.* & declaravit, Concilium censuisse, ut delecti Patres ad hanc disquisitionem de censuris, librisque, quid facto opus esset, diligenter considerarent: atque etiam ad eandem synodum suo tempore referrent, quò faciliùs ipsa posset varias & peregrinas doctrinas tanquam Zizania à Christianæ veritatis tritico separare; & de his commodiùs deliberare, ac statuere, quæ ad scrupulum ex complurium animis eximendum, & tollendas multarum querelarum causas magis opportuna videbantur; ita habetur in *d. sess. 18.*

6 Verùm Post Patrum delectum, & promulgatum decretum nil ulterius de hoc indicis negotio legitur in synodo fuisse actum usque ad diem, quo finis concilio fuit impositus; & tunc synodus subjungit, quòd cùm ii, quibus opus conficiendi indicis fuerat demandatum, extremam manum eidem jam imposuerint, nec ob librorum varietatem, ac multitudinem possit distinctè, & commodè à sancta synodo dijudicari, i[deo] præcipit, ut quicquid ab iisdem præstitum est, Romano Pontifici exhibeatur, ut ejus judicio, & authoritate, hoc negotium obsolvatur, & promulgetur; adeò ut in Tridentina synodo duo tantùm circa indicem acta fuerint, quorum primum fuit, curam indicis conficiendi demandare quibusdam delectis Patribus cum relatione ad synodum, ut ipsa commodiùs postea posset deliberare. Secundum totum negotium remittere ad Sanctissimum Romanum Pontificem, ut ejus judicio, & authoritate terminetur: & juxta hoc decretum index à Patribus delectis in Concilio confectus oblatus fuit Pio IV. tunc Pontifici maximo, qui doctissimis, & probatissimis Prælatis legendum accuratissimè tradidit, imò & ipsemet voluit eum legere.

Rursus animadvertentes Prælati ad examen indicis deputati, indici Romæ pridem confecto nonnulla parùm explicatè posita fuisse, quæ propterea interpretatione indigerent, re diuturna deliberatione agitata, ac discussa, adhibitis etiam viris ex omni natione doctissimis, aliquot regulas censuerunt componendas, quarum prima continet libros, & librorum scriptores, qui aut hæretici, aut notâ hæresis suspecti fuerunt, & monet Franciscus Foretius Ordinis Prædicatorum Secretarius ex Tridentina deputatione ad conficiendum indicem, hunc cathalogum fieri oportuisse, ut omnes intelligerent, eorum scripta, non solùm edita, sed etiam edenda prohibita esse. Secunda comprehendit libros, qui ob doctrinam non sanam, vel suspectam, vel quæ offensionem etiam in moribus, fidelibus afferri potest, rejiciuntur, tametsi eorum Authores ab ecclesia nunquam desciverint. Tertia complectitur libros, qui absque Authoris nomine cussi fuerunt, & in lucem editi, continéntque doctrinam, quam ecclesia Romana, ut contrariam catholicæ fidei, & adversantem morum integritati damnandam esse decrevit; siquidem non omnes libros non præferentes nomen Authoris damnârunt, cùm persæpe viri doctissimi, & sanctitate insignes libros ediderint, quibus proprium nomen non præfixerunt, modestiæ potiùs studio, quàm doli alicujus indicio; ut nimirum fideles ex eorundem laboribus, & vigiliis fructum caperent, simúlque ipsi Authores inanem gloriam declinarent, ut notat idem Foretius: ex hac trina regula liquet, Patres à Tridentina synodo designatos ad indicem efficiendum servâsse normam indicis antea à Paulo IV. concinnati. 7

Regulæ istæ, quæ synodi vocantur, hodie numerantur decem, & plura continent ab Episcopis, Inquisitoribus, Typographis, aliisque circa librorum lectionem, expurgationem, & venditionem observanda; & prohibetur, ne quis audeat contra harum regularum præscriptum, vel hujus indicis prohibitionem, libros aliquos legere, aut habere. Quòd si quis libros hæreticorum, vel cujusvis authoris scripta ob hæresis, vel falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, sive habuerit, statim sententiam incurrit excommunicationis, qui verò libros alio nomine interdictos legerit, aut habuerit, præter peccati mortalis reatû, quo afficitur, judicio Episcoporum sævetè punitur: & ad has pœnas alluditur in prohibitione hodierna Romana librorum, cùm dicitur: *sub pœnis in indice librorum prohibitorum contentis.* Verumtamen quia hujusmodi pœnæ adhuc sunt variæ pro librorum, qui prohibentur, varietate; neque juxta hodiernum stylum congregationis indicis solet exprimi, ex quo capite liber prohibeatur, fit, quòd adhuc sit incerta pœna, quæ à contravenientibus incurritur. Prosunt tamen hæ regulæ 8

gulæ, quia instruunt, quomodo Episcopi, Inquisitores, & in Universitatibus Facultates theologicæ debeant procedere in prohibendis, vel corrigendis libris. Cæterum ad Episcopos, & fidei Inquisitores præsertim pertinet invigilare, ne populus ex librorum lectione hæresi inficiatur, vel aliis perniciosis doctrinis, quibus boni mores corrumpuntur: quapropter fuit Romæ erecta Congregatio sancti Officii, seu Inquisitionis universalis, quæ invigilat prohibitioni, ac correctioni librorum: & quia hæc Congregatio in aliis gravioribus occupatur negotiis pertinentibus ad fidem, ut notat Cardinalis de Luca in *sua relatione Romanæ curiæ discurs. 19.* ideo Sixtus V. aliam instituit congregationem, quæ Indicis nuncupatur, estque veluti vicaria Congregationis sancti Officii, cujus est adjutrix remanente semper primæva potestate penes ipsam Congregationem inquisitionis, seu sancti Officii.

9 Hæc igitur Congregatio indicis erecta à Sixto V. tanquam Vicaria Congregationis sancti Officii constituitur ex competenti numero Cardinalium juxta beneplacitum Pontificis: ejus Secretarius est religiosus ex ordine sancti Dominici, qui unà cum Cardinale Præfecto signat decreta, quæ emanant ab eadem Congregatione. Rursus Magister sacri Palatii pariter ex ordine sancti Dominici est in hac congregatione perpetuus, & fixus Consultor, quia assumitur ut Theologus in rebus fidei in privatis occurrentiis, ut loquitur Cardinalis de Luca in *d. relat. discurs. 8.* & ad Magistrum sacri Palatii pertinebat Papam informare antequam sub Paulo III. erigeretur Congregatio inquisitionis; imò olim revisio, expurgatio, & impressio librorum ad solum pertinebat Magistrum sacri palatii; ut etiam hodie facultas imprimendi libros Romæ, & in ejus districtu. Imò notat Cardinalis de Luca, inesse eidem etiam hodie facultatem revidendi, si velit, libros alibi impressos, & qui ad urbem venales transferuntur, ac leguntur.

10 Huic congregationi aggregatur numerus non modicus Theologorum, aliorúmque litterarum Professorum, qui, ut notat de Luca pro majore parte sunt Religiosi diversorum Ordinum, qui vocantur Consultores congregationis Indicis, ad quos pertinet relegere, & examinare libros, qui suspecti denuntiantur juxta distributionem, qua solet per Secretarium iisdem fieri, cum obligatione referendi, & examinandi in plena congregatione, quæ tamen diem certum non habet, & in eadem statuitur, an liber suspectus debeat prohiberi, vel expurgari, aut suspendi, vel possit absolutè permitti: & Cardinales hujus Congregationis, utplurimum solent judicio Consultorum acquiescere. Non tamen Consultores votum habent decisivum, sed tantùm consultivum, adeò ut decidere ad solos pertineat Cardinales, quibus à Sixto V. in erectione hujus Congregationis injunctum fuit, ut libros, qui post indicem Concilii Tridentini jussu editum prodierunt catholicæ doctrinæ, & Christianorum morum disciplinæ repugnantes expendant diligenter, & maturè examinent, ut ubi Pontifici retulerint, ejus authoritate eos rejiciant.

Huic Congregationi non solet Pontifex assistere, proinde sub nomine Cardinalium congregationis indicis nulla facta mentione Pontificis decreta in eadem eduntur, quæ tamen priusquam imprimantur per Secretarium Congregationis exhibentur Pontifici, qui formato decreto simpliciter annuit, nulla in eodem decreto facta mentione Pontificis, sed tantùm Cardinalium Congregationis inquisitionis, & sancti officii, ideo per ejus erectionē authoritas Congregationis Inquisitionis in ordine ad libros prohibendos non fuit diminuta in minimo: hinc interdum contingit, ut liber aliquis per decretū Congregationis in indicem relatus postea per speciale decretum Congregationis inquisitionis prohibeatur, ut contigit in libro Amadei Guimenii, qui die 5. Aprilis anno 1666. fuit à Congregatione Indicis prohibitus, signatúsque in indice librorum prohibitorum, & rursus die 12. septembris 1675. fuit etiam à Congregatione inquisitionis specialiter prohibitus, ut habetur in brevi Innocentii XI. editi die 16. Septembris anno 1680. quo eundem librum iterum prohibet, eò quia non obstante prohibitione utriusque Congregationis indicis, & inquisitionis, adhuc nonnulli auderent librum illum retinere, ac legere. 11

Non obstante hac congregatione liberum adhuc est Episcopis, ac fidei Inquisitoribus in suis respectivè Diœcesibus, & districtibus libros prohibere, expurgare, & corrigere, quinimò inquisitio Hispanica plures prohibet libros, qui tamen alibi minimè prohibentur. Verùm Index librorum prohibitorum concinnatus in Hispanica inquisitione alibi non recipitur, donec libri in eodem indice prohibiti, prohibeantur etiam Romæ. 12

PROLEGOMENUM XII.

Quinam libri ex decretis Pontificiis, & Bulla Cœnæ prohibeantur: & quæ pœna eos legentibus injungantur.

Certum est, in Bulla cœnæ Domini prohiberi omnibus Christi fidelibus scienter legere, tenere, imprimere, vel quomodocunque defendere ex causa publicè, vel occultè quovis ingenio, vel colore hæreticorum libros continentes hæresin, vel tractantes de religione sine authoritate Sedis Apostolicæ, idque sub pœna excommunicationis Pontifici reservatæ, adeò ut nec Regulares virtute suorum privilegiorum possint ab ea absolvere. Imò eandem prohibitionem fuisse etiam extensam à summis Potificibus per sua specialia decreta, ex eo liquet, quia Sixtus V. in sua Bulla 21. sub excomunicatione sibi reservata prohibuit etiam libros Astrologiæ, seu tractantes de divinatione, quibus futura contingentia intenduntur cognosci. 1

Rursus

2 Rursus Clemens VIII. in indice librorum prohibitorum, sub excommunicatione quamvis sibi non reservata prohibuit libros hæresiarcarum, tametsi non tractantes de religione, nisi prius corrigantur, & expurgentur. Rursus prohibuit etiam libros Authorum, qui sunt suspecti de hæresi, ut etiam libros Catholicorum, quibus aliquæ sunt hæreses admixtæ; quique expurgatione indigent; ut traditur in regulis indicis librorum prohibitorum, in quarum prima prohibentur omnes libri, qui ante annum 1515. à summis Pontificibus, vel Conciliis Oecumenicis damnati erant; in secunda omnes libri hæresiarcarum cujuscunq; tituli, vel argumenti, & etiam hæreticorum tractantes ex professo de religione; & tantùm permittuntur, qui non tractant de religione, si à Theologis catholicis jussu Episcoporum, & Inquisitorum approbati fuerint: ut etiam libri catholicè scripti tam ab illis, qui postea in hæresim lapsi sunt, quàm ab aliis, qui post lapsum resipuerunt, si approbati fuerint à facultate theologica alicujus universitatis catholicæ, vel ab inquisitione generali. In tertia agitur de versionibus scriptorum ecclesiasticorum editis ab Authoribus damnatis. In quarta de Bibliis vulgaribus non permittendis, nisi cum certis conditionibus. In quinta de libris, qui opera hæreticorum prodeunt, in quibus tamen hæretici nihil, vel parum de suo proprio apponunt, sed tantùm dicta aliorum congerunt, ut sunt lexica, Apophtegmata, symbola heroica, concordantiæ, & alia id genus, quæ permittuntur expurgatis tamen iis, quæ expurgatione indigent ex consilio Episcopi, Inquisitoris, & Theologorum. In sexta de controversiis inter catholicos, & hæreticos scriptis in lingua vernacula, vulgari. In septima prohibentur libri de rebus venereis, & contra bonos mores agentes: antiqui tamen ab ethnicis scripti ob sermonis elegantiam, ac proprietatem permittuntur; non tamen legi à junioribus, nisi prius fuerint expurgati. In Octava statuitur, ut libri, quorum principale argumentum est bonum, & in quibus aliqua obiter sunt inserta, quæ ad hæresin, impietatem, divinationem, seu superstitionem spectant, si à Catholicis Theologis authoritate generalis inquisitionis fuerint expurgati, permitti possint, idque etiam procedit de summariis, annotationibus, & prologis, quæ ab Authoribus damnatis apponuntur. In nona prohibentur omnes libri, & tractatus Astrologiæ judiciariæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Onomantiæ, Chyromantiæ, Negromantiæ, artis magicæ, & omnes continentes sortilegia, auspicia, veneficia, auguria, incantationes, vel superstitiones, hi enim prohibentur à Sixto V. in Bulla, cui initium *Cœli & terræ n. 17.* quam Bullam etiam innovavit, & confirmavit Urbanus VIII. in alia sua Bulla, quæ incipit *Scrutabilis*, in qua plures pœnæ imponuntur legentibus hujusmodi libros.

3 Verùm si in hisce libris, vel tractatibus non contineatur hæresis, censura, quæ tunc incurritur ab iis, qui illos legunt, vel retinent, ea tantùm est, quæ ponitur in indice ex Bulla Pii IV. & non est reservata summo Pontifici. Id tamen procedit, dummodo tales libri prohibiti sint ob suspicionem hæresis, vel suspicionem falsi dogmatis, quia Bulla Pii IV. de iis tantùm loquitur: alioquin si continerent hæreses, ut sæpius contingit, incurreretur excommunicatio, quæ ponitur in Bulla cœnæ, estque summo Pontifici reservata: quod tamen intelligitur, dummodo tales libri sint hæreticorum, quia Bulla cœnæ de iis tantùm loquitur, ut notat Thesaurus in *prax. p. 2. v. superstitio c. 1.*

In Bulla cœnæ igitur prohibentur tantùm libri hæreticorum, quique propriè sunt hæretici, cujusmodi sunt, qui post susceptum baptismum à fide defecerunt, proinde si sint libri aliorum, qui nondum fuerunt baptizati, sub hac prohibitione non continentur, quia isti non subjiciuntur, ut hæretici, ecclesiæ: hæc prohibitio tantùm statuta fuit in detestationem, & punitionem hæreticorum, ut notat Farin. *de hæres. q. 180. n. 10.* non tamen est necesse, ut hæretici declarati fuerint, & denuntiati, sed sufficit, si cognoscantur tales esse, ut notat Grassus *lib. 4. decis. c. 18. decis. 40. & seq.* Libri itidem Græcorum, & Armenorum, aliorumque Orientalium, qui baptismum susceperunt sub eadem putàrim comprehendi prohibitione, tametsi non desint, qui contrarium censeant: ratio mihi videtur perspicua, quia Græci, & Armeni schismatici, ut sunt hodie, revera sunt hæretici, quia defecerunt à fide Romanæ Ecclesiæ, non obediunt Pontifici, errant in articulis fidei, de incarnatione, de Trinitate, circa processionem Spiritus sancti, de purgatorio, de suprema potestate Romani Pontificis, & de nonnullis, quæ adversantur fidei catholicæ, proinde sunt hæretici, & si scribant libros continentes hæreses, vel de religione, suisque ritibus ecclesiasticis; hujusmodi libros putàrim comprehendi sub hac prohibitione Bullæ cœnæ, Tum quia Græci, & Armeni schismatici, ita pervicaciter hodie suos propugnant ritus, ut improbent illos Romanæ Ecclesiæ, eósque impugnent, quod ad minus sapit hæresin. 4

Verùm quia ex Græcis, & Armenis Orientalibus plures sunt hodie Catholici, ideò non statim ac liber est alicujus Græci, vel Armeni, habendus est pro libro Authoris hæretici, nec comprehenditur sub hac prohibitione, quia canon Bullæ cœnæ, est tantùm contra scienter legentes libros hæreticorum hæresim continentes, vel de religione tractantes: unde ut incurratur excommunicatio requiritur, ut qui librum legit, sciat esse librum hæretici, vel quòd ex lectura deprehendatur, esse Authoris hæretici, tunc enim est etiam prohibitus, ut fideles possint sibi ab eodem præcavere. 5

Cæterum qui legunt libros, vel retinent, aut imprimunt infidelium, qui nunquam baptismum susceperunt, cujusmodi sunt Judæi, vel Turcæ, tametsi contra fidem errorem contineant, vel de religione tractent, non incurrunt excomunicationem in canone Bullæ cœnæ, quia cùm non sint baptizati, non sunt hæretici, & in Bulla cœnæ non nisi legentes libros hæreticorum anathemate percutiuntur, ut notat Ugolinus in *1. clausul. Bull. V. ac eorundem libros* Duardus *in Bull. cœna lib. 2. can. 1. q. 3. n. 3.* Idque etiam 6

etiam probabiliter extenditur ad libros Catechumenorũ, quia isti non sunt professi fidem in facie ecclesiæ, quamvis deficiant à fide, proinde non sunt propriè hæretici, cum nondum fuerint baptizati, nec ecclesiam ingressi per baptismum.

7 Neque sub hac prohibitione Bullæ cœnæ comprehenditur liber Authoris Catholici, quamvis errores aliquos per ignorantiam ejusdem Authoris, vel forsan per malitiam alicujus hæretici addentis contineat: ratio est, quia talis liber absolutè est Authoris catholici, non verò hæretici, & in canone Bullæ cœnæ tantùm prohibentur libri hæreticorum, & ita docent Ugolinus in *1. clauſ. Bulla cœnæ V. ac eorundem libros* §. 1. Duardus in Bulla cœnæ *lib. 2. can. 1. q. 43. n. 2.* Graffius *lib. 4. decif. c. 18. n. 43.* & id putârim etiam procedere quamvis ab hæreticis addita fuerint scholia hæreses continentia, & ex quibus videatur constare major pars libri, ut notat Sousa *in expedit. Bull. c. 2. diſput. 13. concluſ. 3.* Farinac. *de hæreſ. q. 180. n. 5.* Ratio ex eo petitur, quia hujusmodi scholia sunt semper quid accessorium ad librum authoris, & denominatio non fit ab accessorio; sed à principali. Hinc liber Authoris catholici, quamvis commentarios copiosos alicujus hæretici contineat, adhuc liber dicitur esse Authoris catholici, non verò hæretici commentatoris: sicut è converso liber authoris hæretici quamvis commentarios copiosos alicujus catholici comẽtatoris habeat, adhuc dicitur esse Authoris hæretici; non verò liber catholici Comẽntatoris. Verùm putârim, hæc procedere spectata prohibitione in canone Bullæ cœnæ, quia stante prohibitione Clement. VIII. & Pauli V. quilibet liber infidelis, vel catholici, qui aliquem continet errorẽ, legi, & retineri non potest, quin priùs fuerit expurgatus ab illis, ad quos pertinet libros corrigere.

8 Rursus si Author hæreticus adderet scholia, vel adnotationes libro authoris catholici, & commentarius esset ita copiosus, ut duplò excederet textum, ac propterea liber potiùs ex commentariis coalesceret, quàm ex textu, tunc legentem hunc librum putârim incurrere excommunicationem in canone Bullæ cœnæ, si hujusmodi scholia hæresim continerent, vel tractarent de religione, ut docent Alterius *de cenſur. in explicat. can. 1. Bulla cœnæ. lib. 5. diſp. 2. c. 6. dub. 1.* Suarez. *tom. 5. de cenſur. diſput. 21. ſect. 2. n. 11.* Persæpe enim ob copiosum commentarium contingit, ut liber potiùs denominetur à Cõmentatore, quàm à textu: qua ratione plures Authores fusissimè scripserunt commentaria super Magistrum sententiarum, S. Thomam, quinq; libros decretalium, & nihilominus libri denominantur ab Authore cõmentariorum.

9 Imò non solùm legentes libros typis cussos hæreticorum, & continentes hæreses incurrunt excommunicationem *in can. Bulla cœna.* verùm etiam legentes, vel retinentes manuscripta continentia hæreses, ut docent Duardus *lib. 2. in Bull. cœn. can. 1. q. 32. n. 32.* Naldus *in ſum. V. Bulla cœnæ n. 8.* Ugolinus *in 1. clauſ. Bulla cœnæ V. ac eorundem n. 1.* Suarez. *diſput. 2. de fide ſect. 2. n. 10.* Idque mihi videtur perspicuum, quia libri non prohibentur ratione impressionis, sed ob errores, quos continent, & materiam, de qua tractant: atqui quoad hoc est utrinque par ratio, tam enim hæreses continentur in libro typis cusso, quàm calamo scripto; prohibetur enim lectio libri in odium hæresis, & ob periculum, ne fideles talem librum legentes hæresi inficiantur, quæ rationes æquè militant de libro cusso, ac scripto: alioquin facilè posset hujusmodi prohibitio eludi, ac enervari, possent enim libri tradi Amanuensibus scribendi, non verò Typographis imprimendi, sicq; libri scripti possent evulgari, ac si essent impressi. Neque obstat, si dicas, hanc prohibitionem esse odiosam, ac proinde restringendam ad solos libros impressos, eò quia isti tantùm propriè dicantur libri. Nam contra est, quia causa finalis hujus prohibitionis attendi debet; estque odium hæresis, & periculum infectionis: atqui hæc causa finalis æquè militat de libro impresso, ac manuscripto, proinde in utroque debet dispositio in canone Bullæ cœnæ locum habere *l. Pater filium §. fundum ff. de legat. 3. l. illud ff. ad legem Aquil.* Cæterum fateor, causam impulsivam, & specialiorem prohibitionis esse de libris impressis, eò quia isti faciliùs communicantur, & ad manus omnium deveniunt: sed in hac prohibitione non attenditur causa impulsiva, sed finalis, quæ procedit tam de libro impresso, quàm scripto. Tum quia nomen libri est genericum ad libros impressos, & manu scriptos, consequenter ob identitatem rationis libri manu scripti comprehenduntur sub dispositione Bullæ cœnæ de libris hæreticorum.

Sub prohibitione igitur Bullæ cœnæ comprehenduntur illi hæreticorum libri, qui vel hæresim continent, vel de religione tractant, adeò ut quælibet ex his conditionibus etiam seorsim ab alia sufficiens sit, ut sub prohibitione comprehendantur, ut notat Ugolinus in *1. clauſul. Bull. cœn. V. vel de religione n. 2.* Suarez *de fide diſput. 10. ſect. 2. n. 15. & tom. 5. de cenſur. diſp. 21. ſect. 2. n. 10.* Sin verò liber Authoris hæretici esset in plures tomos divisus, & eorum unus de religione tractaret, vel hæresim contineret; non ita alter, si tomi essent distincti, ac diversas continerent materias, & distincta argumenta, nec inter ipsos esset ulla connexio; tunc qui legeret tomos, in quibus non continentur hæreses, nec tractarent de religione, non incurreret excommunicationem in canone Bullæ cœnæ, quia non legeret librum continentem hæresim, neque tractantem de religione, ut notant Duardus in *Bulla cœna lib. 2. can. 1. q. 39. n. 10.* Diana *p. 6. tract. 6. reſolut. 55.* Suarez *tractat. de fide. diſp. 20. ſect. 2. n. 9.* Secus tamen esset, si tomi illi essent inter se invicem connexi, quia tunc quilibet tomus esset pars ejusdem operis prohibiti, & illa divisio nonnisi per accidens contingeret, ad evitandam nimiam libri molem, & hæc sententia est valdè probabilis, quam docet Suarez *loc. cit.* 10

Si quæras quinam libri propriè dicantur agere de religione, ut legentes incurrant excommunicationem in canone Bullæ cœnæ? Respondetur, eos libros censeri tractare de religione, qui tametsi nullam contineant hæresim, tractant nihilominus de rebus pertinentibus ad fidem, ut de sacris scripturis, vel aliquibus ca- 11

rundem

rundem partibus, de Theologia scholastica, vel morali, de mysteriis fidei, de cultu Dei, & sanctorum, de Sacramentis, de Pontifice, Episcopis, Cardinalibus, Clericis, Religiosis, aliisque ecclesiæ Ministris: rursus de moribus christianis, de recta, vel non recta morum institutione, de virtutibus, & vitiis in ordine ad finem supernaturalem, de ritibus religionis spectantibus ad religionem catholicam, & similibus, ut notat Suarez *tom. 5. de censur. disput. 21. sect. 2. n. 10. & tractat. de fide disput. 20. sect. 2. n. 16.* Pellizarius *tom. 2. manual. tract. 6. c. 15. n. 20.* quia religio non sumitur hic strictè, ut est quædam specialis virtus, sed latiùs quatenus complectitur materias omnes religiosas, tam in ordine ad notitiam, quàm ad operationum hominis directionem: quia cùm præcipuum ecclesiæ officium sit, homines ad æternam dirigere salutem; pertinet etiam ad ecclesiam avertere ea omnia, quæ possunt esse impedimento huic assecutioni æternæ salutis, proinde pertinet ad ecclesiam impedire infectionem circa doctrinam pertinentē ad bonos mores, & prædictam salutem æternam.

12 Hinc libri tractantes de Philosophia, Mathesi, Medicina, Optica, aliisque similibus artibus non dicuntur agere de religione, proinde qui tales libros legeret, non incurreret excommunicationem Bullæ cœnæ, nisi in iisdem contineretur aliqua hæresis, ut notat Suarez *tract. de fide disput. 30. sect. 2. n. 16. & tom. 5. de censur. disp. 21. sect. 2. n. 10.* Quinimò ad incurrendam hanc excommunicationem requiritur, ut liber ex professo, & instituto tractet de religione, adeò ut argumentum libri sit de religione, non verò ut tantùm obiter, & perfunctoriè de eadem tractet. Hinc qui legeret lexicum compositum ab hæretico, & in quo obiter tractaretur de religione, non incurreret excommunicationem Bullæ cœnæ, quia argumentum libri non esset de religione, & materia esset prorsus heterogenea, & quædam consarcinatio historiarum, eruditionum, & scientiarum: cum igitur materia neque ex professo, neque notabiliter esset de religione, qui librum illum legeret, non incurreret excommunicationem in canone Bullæ cœnæ, ut docent Duardus in Bulla cœnæ *lib. 2. can. 1. q. 2. n. 2.* Azorius *p. 1. lib. 8. c. 16. q. 5.* Posset tamen in contrarium objici, quia damnato Authore etiam ejus libri censentur damnati *c. fraternitatis c. excommunicamus §. credentes. V. si Tabellio de haret. c. nullus 3. q. 4. c. scientia Romana §. item de haret.* & docent Hostiensis *in d. c. fraternitatis n. 1.* Innocentius ibid. *n. 2.* Butrius *n. 2.* Ananias *n. 3.* Abbas *n. 1.* Felin. *in c. Translato de constit. n. 1.* atqui hæretici sunt omnes ab ecclesia damnati; proinde etiam omnes eorundem libri. Sed contra; damnato Authore censentur etiam damnati ejus libri absolutè, & simpliciter negatur: si tales libri contineant hæresin, vel ex instituto tractent de religione conceditur: unde quando non continent hæresin, nec sunt compositi ab Authore tempore, quo fuit damnatus, sed antequam condemnaretur, vel postquam resipuerit, non censentur tales libri damnati, quia non fuerunt ab illo compositi ut hæretico, sed ut Philosopho, Medico, vel Mathematico. Præterea libri compositi ab hæretico, & damnati in odium Authoris, non damnantur ex vi verborum Bullæ cœnæ, sed tantùm ex indice librorum juxta regulas ibi præscriptas.

Ad contrahendam igitur excommunicationem Bullarum ex parte librorum duæ debent conditiones concurrere, quarum prima est, ut liber sit alicujus Authoris hæretici: & nomine hæretici, non venit quicunque hæreticus, sed hæreticus notorius, & publicus, proinde denuntiatus, ut hæreticus: vel qui publicè profiteatur aliquam sectam hæreticorum, cujusmodi sunt Lutherani, Calvinistæ: quia canon anathematizat hæreticos juxta sectas, & alios hæreticos cuiuscunque nominis, vel sectæ, & postea deveniens ad libros subdit: *Ac eorundem libros*, & dictio *eorum* refertur ad superiùs nominatos, consequenter canon prohibet libros Lutheranorum, Husitarum, Calvinistarum, & hæreticorum aliarum sectarum: ut enim excommunicatio incurratur, debet legens scire, quòd legendo transgrediatur prohibitionem, & consequenter scire debet, quòd author libri sit hæreticus: & non potest legens id scire, nisi Author libri profiteatur aliquam hæresin damnatam: consequenter ut sit hæreticus alicujus sectæ Lutheranorum, Calvinistarum, ut notat Ugolinus *p. 2. de censur. reservat. summo Pontif. v. ac eorundem n. 11.* In dubio tamen, an Author sit hæreticus non incurritur excommunicatio, quia in dubio quilibet præsumitur bonus, donec probetur malus. 13

Secunda conditio est, ut liber tractet de religione, vel saltem contineat hæresim, idque sufficit, si disjunctivè, quia tota prohibitionis ratio, quæ est declinare infectionem, & impedire, ne fideles ex lectione talium librorum hauriant errores, militat etiam de libro, cui sola hæresis reperitur inserta. Præterea eò ipso, quòd liber hæresim continet, aliquo modo etiā tractat de religione, cum hæresis sit semper contra religionem. Quòd si liber tantùm tractet de religione, & non contineat hæresim, censent plures, tunc corruere rationem prohibitionis, eò quia cesset periculum, ut legens ex tali lectione hauriat errores, & hæreses, ut notant Duardus in Bullam cœnæ *lib. 2. can. 1. q. 40. n. 2.* Farinacius *de hæres. q. 80. n. 32.* 14

Verùm putārim procedendum cum distinctione, quia si liber tractet de religione, hæretico modo hoc est cum aliquo influxu in tractationem, seu cum aliqua proportione, & relatione ad hæresin, ad quam propterea disponat, tunc censerem, talem librum prohibitum, & scienter illum legentem incurrere excōmunicationem, quia tametsi in canone tractare de religione stet disjunctivè: intelligi nihilominus debet juxta subjectam materiam, hoc est de libris de religione tractantibus, quiq; fuerunt compositi ab hæreticis, ut talibus, proinde cum aliquo influxu hæresis in talem tractationem: verba enim accipienda sunt juxta qualitatem personæ, ad quam referuntur *l. ex militari ff. de testam. milit. l. plenum §. Equiti. ff. de usu & habitat.* ut notat Fusarius *de substit. q. 339. n. 32.* Tum quia 15

quia imminet tunc periculum infectionis legenti, tum quia id etiam infertur ex *regula 3.* indicis, & ex *regula 8.* ejusdem, quas superiùs recensuimus.

15 Rursus si liber hæresim contineat modo doctrinali, probétque rationibus hæresim, quam continet, tunc nulli dubium, quin talis liber sit prohibitus; sive ex professo, sive per digressionem, & obiter tractet de hæresi, quia tunc potiori jure vim habet ad inficiendum legentem, eúmque trahendum ad assensum: sin autem liber non contineat hæresim modo doctrinali, eò quia rationibus eam non probet, vim non habet ad extorquendum consensum legentis, & aliqui censent, tunc cessare rationem prohibitionis, ut cessat in libris continentibus catalogum hæresum sine impugnatione, cùm tales libri prohibiti non sint, eò quia non tendant ad docendum hæresim: Præterea quia si liber hæresin non continet modo doctrinali, non videtur continere hæresim nisi materialiter: continentia autem libri, ut sit vera continentia debet esse formalis juxta naturam libri: & cùm liber ordinetur ad communicandum aliis, quæ continet, ea tantùm dicitur continere, quæ legentibus potest communicare, & hæc sententia mihi videtur perquàm probabilis.

16 Quod verò ad scholia attinet, quæ ab hæreticis libris adjiciuntur catholicorum, etiam putârim procedendum cum distinctione: vel enim scholia purè, & simpliciter tantùm explicant textum libri absque ulla hæresi, & absque tractatione ulla de religione, & tunc putârim non comprehendi sub prohibitione Bullæ cœnæ, quia tunc liber non denominatur ab Authore scholiorum, sed ab Authore textûs, & materiæ principalis: & quia liber principalis compositus ab Authore catholico non est prohibitus, ita neque propter scholia adjecta ab hæretico est censendus prohibitus, quia scholia se habent tantùm accessoriè in ordine ad librum, qui dicitur principalis; & accessorium naturam sequitur sui principalis. Hinc hæretici in Hollandia plures addiderunt adnotationes Virgilio, Livio, Tacito. Imò etiam libris Catholicorum, qui tamen omnes leguntur, & legentes non contrahunt excommunicationem in canone Bullæ cœnæ,

17 Sin verò scholia ab hæretico adjecta contineant hæresim, tunc censerem hujusmodi scholia prohibita, & ea legentem incurrere excommunicationem in canone Bullæ cœnæ; tamesi liber sive compositus sit ab Authore Ethnico, sive catholico, non tractet de religione, nec ullam contineat hæresim, quia tunc scholia illa ob hæresim, quam continent, non censentur ampliùs accessoria, sed hæresis est quid principale, quod prohibetur, & non habet connexionem cum textu in libro: tum quia si hujusmodi scholia, quia adjecta textui non prohiberentur, sequeretur, quòd possent sine censurâ Bullæ cœnæ etiam legi commentaria hæreticorum in sacram scripturam, tametsi plures continerent hæreses, eò quia textus scripturæ sit pius, & sanctus.

Hinc Suarez *de fide. disput. 20. sect. 2. n. 13.* rectè docet, scholia hæreticorum, si hæresim contineant, vel ex professo tractent de religione comprehendi sub canone Bullæ cœnæ. Tum quando in canone Bullæ cœnæ percutiuntur anathemate legentes libros hæreticorum, illud genitivum hæreticorum non solùm importat denominationem, verùm etiam personalitatem Scriptoris: siquidem genitivum de sua natura importat personalitatem *c. si gratiosè de rescript. in 6.* Rota *decis. 29. n. 7. p. 3. recent.* hinc canon Bullæ cœnæ procedit de libris, qui referuntur ad personas hæreticorum, tanquam ad Authores: & liber constans ex scholiis hæretici, saltem quoad scholia habet authorem hæreticum, ad quem scholia referuntur. Rursus si liber esset Authoris hæretici, & scholia Catholici, tunc si liber contineret hæreses unà cum libro essent etiam scholia prohibita, quia textus contineret adæquatam rationem prohibitionis, ob quam prohiberentur etiam scholia. 18

Cæterum circa hæreticorum libros non solùm prohibetur lectio, sed etiam retentio, impressio, defensio, venditio, emptio, asportatio, divulgatio, & aliæ consimiles actiones; non tamen ob istas actiones incurritur excommunicatio, nisi scienter fiant, adeò ut ignorantia prohibitionis, vel censuræ excuset à pœna incurrenda, ut docent communiter Doctores cum Farinacio *de hæresi q. 180. n. 44.* Suarez *de fide disput. 20. sect. 2. n. 17.* Imò Bonacina *de censur. disput. 2. q. 5. punct. 4. n. 3.* cum aliis censet, etiam ignorantiam crassam, & affectatam excusare, dummodo non sit ingens temeritas, quia laborans ignorantia quamvis crassa, & affectatâ adhuc non potest dici scire: sin verò simul adesset ingens temeritas, jam præsumeretur scientia, quia hæc temeritas non supponitur sine gravi suspicione malitiæ. 19

Quòd si liber prohibitus continens hæresin esset latinè compositus, & qui librum legeret, non calleret linguam latinam, nec intelligeret materiam, de qua tractatur in libro, tunc probabiliùs censerem, legentem excusari; eò quia cessset ratio prohibitionis, quæ est, ne lectores ex tali lectione errores hauriant, & ita docent Ugolinus *de censur. Papæ reserv. p. 2. v. Ac eorundem libros §. 1. v. 5.* Duardus in *Bulla cœnæ lib. 2. can. 1. q. 47. n. 5.* Sousa *dist. 13. n. 5.* Tum quia legere, & non intelligere sensus eorum, quæ leguntur, est tantùm legere physicè, & materialiter: in canone autem Bullæ cœnæ non prohibetur lectio materialis, sed formalis, quia ex hac, non ex illa imminet periculum hauriendi errores ex libris hæreticorum, non enim quæ leguntur sine intelligentia percipi possunt: consequenter neque ex tali lectione potest periculum imminere infectionis. Cùm igitur in lectione materiali cesset ratio prohibitionis, cessat etiam ipsa prohibitio *c. Ratio nulla de præbend. l. cum Pater. §. dulcissimis ff. de legat. 2. l. non aliter ff. de legat. 3.* Tum quia legere sine intelligentia non potest effectum habere lectionis: atqui paria sunt non fieri, & non sortiri effectum *l. 1. §. nihil ff. de interrogat. act. l. ex* 20

consensu §. *1. de appell.* proinde lectio illa materialis non videtur prohibita.

21 Non verò ob parvitatem materiæ censerem, legentem librum prohibitum incurrere excommunicationem in canone Bullæ cœnæ, licèt contrarium sentiat Ugolinus *p. 2. de censur. reserv. summo Pontifici v. Ac eorundem libros.* Ratio est, quia legere unam tantùm, vel alteram lineam, non est peccatum lethale: parvitas enim materiæ ex genere suo, & quæ hic datur, excusat à culpa lethali, ut docent Suarez *disput. 20. sect. 2. n. 20.* Duardus *in Bulla cœnæ lib. 2. can. 1. v. 47. n. 4.* Alterius *lib. de censur. c. 6. dub. 2.* & ubi non incurritur culpa lethalis, non contrahitur censura gravis, ut est excomunicatio in canone Bullæ cœnæ, ut docent Azorius *tom. 1. lib. 8. c. 19. q. 3.* Suarez *de fide disput. 20. sect. 2. n. 20.* Coninck *disput. 18. dub. 11. n. 179.* & alii addentes, quòd tametsi inciperet quis legere librum prohibitum cum intentione totum legendi, si postea post aliquas paucas lineas cessaret, ipsúmque pœniteret pravi desiderii, non contraheret excommunicationem, quia tametsi lectio illa ob pravam voluntatem legendi totum librum non careret culpa mortali, non tamen talis esset ob solam exteriorem lectionem, sed tantùm ratione voluntatis legendi totum librum; perinde ac si haberet quis animum furandi materiam gravem, quindecim, vel viginti aureos, & postea nonnisi unum, vel alterum assem surriperet, peccaret lethaliter non ratione furti exterioris cùm sit materia levis; sed ratione pravæ intentionis surripiendi materiam gravem: excommunicatio autem non contrahitur ob solam intentionem, sed propter illius executionem, in qua propterea, si non sit materia gravis inducens culpam lethalem, non contrahitur excommunicatio: hinc, quia regulariter in lectione quatuor, vel quinque linearum non videtur esse grave periculum perversionis, excusat hæc parvitas materiæ à culpa gravi, consequenter ab incurrenda excommunicatione in canone Bullæ cœnæ, ut docet Suarez *de fide disput. 20. sect. 1. n. 20.*

22 Verùm si quis ex eo, quòd legeret paucas lineas, se exponeret notabili periculo infectionis, tunc ratione periculi non excusaretur à culpa gravi, nec excomunicatione contrahenda, quia ratio prohibitionis est, ne, qui legunt hujusmodi libros errores hauriant, & inficiantur: unde si adsit periculum infectionis, militat eadem ratio desumpta à causa finali, & ob quam incurritur excomunicatio in canone Bullæ cœnæ. Quòd si dicas, parvitatem materiæ excusare. Respondetur, tunc materiam illam esse censendam gravem ratione periculi, sicut enim illa quantitas lectionis dicitur materia parva, quæ nullam, vel minimam vim habet inficiendi, & si qui legit, non sit facilis deceptionis; ita illa quantitas lectionis est materia gravis, quæ vim magnam habet inficiendi, & in qua periculum adest perversionis: non enim levitas, & gravitas materiæ pensanda est ratione solius lectionis, sed etiam ratione periculi infectionis.

23 Hinc contrahunt excommunicationem canonis Bullæ cœnæ, qui tantùm oculis, & mente percurrunt libros prohibitos absque prolatione verborum, quia ad legendum non est necesse, ut pronuntiatione verba proferantur; sed sufficit, si ex libro hauriatur notitia eorum, quæ in ipso continentur, hæc enim est formaliter lectio, haurire notitiam eorum, quæ continentur in libro, quem quis oculis percurrit: alioquin potest quis legere, & proferre verba de his, quæ continentur in libro, quæ lectio est potiùs materialis, & ita docent Duardus in *Bulla cœnæ lib. 2. can. 1. q. 39. n. 31.* Ugolinus *in 1. clausul. Bulla cœnæ v. Ac eorundem n. 2.* Suarez. *tract. de fide disput, 20. sect. 2. n. 18.*

Secundò incurrit etiam excommunicatio- 24
nem, qui ob curiositatem, vel libri elegantiam legit librum Authoris hæretici, quia universaliter libri hæreticorum prohibentur legi non solùm ob periculum perversionis, sed etiam ob alias causas, & præsertim in odium Authoris; & in re tam gravi transgredi præceptum ecclesiæ non excusatur à culpa gravi, nec à contrahenda excommunicatione, ut docent Farinac. *de hæres. q. 190. §. 1. n. 39.* Ricciulus *de jure person. lib. 5. c. 25. n. 5.* Decianus *in tract. crimin. lib. 5. c. 15. v. 33.*

Tertiò contrahit etiam excomunicationem, 25
qui in notabili quantitate legit librum Authoris hæretici in ea tantùm parte, quæ non continet hæresim, quia in Bulla universaliter, & non solùm ob periculum infectionis, seu perversionis, verùm etiam ob alias causas prohibentur legi libri Authoris hæretici; si hæresim contineant, vel de religione ex instituto tractent; qui verò legit partem illam, quæ non continet hæhæresim, dicitur legere librum Authoris hæretici, & continentem hæresim, consequenter contrahit excommunicationem canonis Bullæ cœnæ, Tum quia non tantùm prohibetur legi hæresis contenta in libro, verùm etiam ipsemet liber, proinde si legatur pars notabilis libri, cùm tunc parvitas materiæ non excuset, graviter delinquitur, & contrahitur excomunicatio.

Quartò incurrit etiam excommunicationem 26
legens librum Authoris hæretici, licèt qui legit jam sit hæreticus, ut notat Ugolinus in *1. clausul. Bulla cœna v. Ac eorundem. n.* 1. id ex duplici capite, & quia est hæreticus, & quia legit librum Authoris hæretici, cùm enim hæretici ratione baptismi suscepti subjiciantur ecclesiæ, tenentur ejus leges observare, perinde ac Catholici, adeò ut si eas transgrediantur incurrant easdem pœnas, quas catholici.

Quintò incurrunt hanc excommunicationem 27
etiam Episcopi, Primates, & Cardinales, si absque licentia sedis Apostolicæ libros legant hæreticorum, ut docent Suarez *de fide disput. 20. sect. 2. n. 26.* Duardus *in Bull. cœnæ lib. 2. can. 1. q. 34. n. 7.* quia isti non excipiuntur; & privilegia, quæ olim dicuntur habuisse, fuerunt revocata per Julium III. in constitutione, cui initium: *Cùm Meditatio*: per Paulum IV. in constitutione, quæ incipit: *Cùm in futurum*, & per Pium IV. in constitutione, cui initium: *Cùm pro munere* apud Pegnam inter litteras Apostolicas. Hinc Episcopi, & Inquisitores, non possunt aliis concedere licentiam legendi libros hæ-

hæreticorum, si hi hæreses contineant, vel de religione ex professo tractent, sed necesse est, ut licentia petatur, & impetretur à Sede Apostolica.

28 Quid verò dicendum sit de eo, qui non legit, sed audit legentem librum Authoris hæretici. Respondetur cùm distinctione, vel enim tantùm obiter, aut casu audit aliquem ita legentem, & tunc putârim, non incurrere excommunicationem, eò quia merè passivè se habeat, ut docet Naldus in *sum. v. Bulla cœnæ n. 14.* Azorius *p. 1. lib. 8. c. 16.* Graffius *p. 1. decis. lib. 4. c. 18.* vel qui audit, accessit ad ita legentem, ut perciperet, quæ in tali libro continentur, & tunc censent aliqui, audientem ita legere incurrere excommunicationem canonis Bullæ cœnæ, eò quia non merè passivè se habeat, cùm voluntariè accesserit, ut notitiam perciperet eorum, quæ in tali libro continentur. Vel audiens legere jussit, & præcepit, vel suasit alteri, ut legeret, & tunc quia fuit causa talis lectionis, non videtur excusandus à contrahenda excommunicatione canonis Bullæ cœnæ, quia tunc licèt per se immediatè non legat; legit nihilominus mediatè, & per alium, quod videtur sufficere, ut sub nomine legentis comprehendatur præsertim in prohibitione factâ ob bonum commune, & fidei defensionem. Nihilominus audientem legere non incurrere hanc excommunicationem canonis absolutè, & simpliciter, docent plures, præsertim Navarrus *in sum. c. 27. n. 56.* Farinacius *de hæresi. q. 180. circa fin.* Sousa in *Bull. cœn. c. 2. dist. 14. n. 4.* Duardus *in Bull. cœn. lib. 2. can. 1. q. 48. n. 5.* Ugolinus *de casib. Pap. reserv. p. 2. v. Ac eorundem libros §. 1. n. 4.* & hæc sententia non caret probabilitate, quia leges pœnales nòn debent extendi ultra propriam significationem verborum, & sub verbo legentis propriè non comprehenditur, qui tantùm audit legere, tametsi legentem ad legendum induxerit, quia ipsa inductio non est legere, neque ipsa auditio lectionis est legere; siquidem inducere ad legendum fit verbis, & suasionibus, & lectio, seu legere propriè habetur per visum; & audire legentem per aures: unde cùm hæc tria distinguantur; ob auditum lectionis non videtur audiens incurrere excommunicationem; quæ cum sit pœnalis, non debet extendi ad non expressa, sed tantùm restringi ad expressa, & in Bulla tantùm exprimuntur legentes. Tum quia censura lata in facientes, non comprehendit suadentes, jubentes, nisi exprimantur, ut communiter docent Doctores præsertim Cajetanus *v. excommunicatio in princ.* Sylvester *v. excommunicatio ult. q. 4. dist. 3.*

29 Quòd si dicas, periculum infectionis tam imminere in lectione, quàm auditione, consequenter militare utrinque rationem prohibitionis, proinde eandē prohibitionem per textum in *c. ex parte de postulando*, ubi prohibitio advocandi facta Monachis declaratur extendi etiam ad canonicos Regulares. Contra est, quia cùm auditus non comprehendatur sub lectione, non potest prohibitio extendi ad auditum, si iste non exprimatur. Tum quia cùm non possit auditus esse sine tertio, non ita facilè committitur peccatum, cùm delinquens indigeat tertio, faciliùs enim peccat, qui solus, & sine ope alterius potest malè agere. Neque obstat textus in *c. Ex parte*; quia Canonici Regulares sunt & ipsi Monachi, seu Religiosi, quibus generatim prohibetur Officium advocandi, nomine enim Monachorum comprehenduntur omnes Religiosi. Tum quia licet ante declarationem Pontificis dubitaretur, an nomine Monachorum intelligerentur omnes Religiosi etiam Canonici Regulares, id postea fuit decisum: & canonici Regulares, ideo prohibentur advocare, seu patrocinari, quia exprimuntur: secus in canone Bullæ cœnæ exprimuntur soli legentes, non verò audientes. Posset tamen objici, quia ratio prohibendi lectionem mediante visu est, ne percipiatur prava doctrina, sed hæc efficaciùs potest percipi per auditum, proinde æquè lectio, & auditio prohibentur. Verùm ad id posset responderi, rationem prohibendi lectionem esse quidem, ne percipiatur prava doctrina, non tamen utcunque, sed tantum tali medio facili, & secreto, qualis est lectio, cujus facilitas, & secretum non habetur per auditum.

Si dicas, facientem aliquid per alium, per se ipsum videri hoc idem facere. Respondetur, id verum esse in contractibus, & in aliis quoad culpam, & peccatum tantùm; non verò quoad pœnas incurrendas, nisi id exprimatur; qua ratione pœnæ, quæ sunt impositæ contra facientes expressè sunt etiam extensæ ad mandantes, jubentes, & consulentes. Famulus tamen, qui jussu Domini legeret librum Authoris hæretici, & sensum verborum perciperet, incurreret excommunicationem canonis, quia famulus tenetur magis obedire ecclesiæ, quàm Domino, cui non tenetur servire nisi in rebus licitis: ex ignorantia tamen, vel periculo notabilis damni, vel metu cadente in constantem virum posset excusari, quia leges humanæ non obligant cum tanto rigore, ut docet Suarez *disput. 6. de censur. sect. 3. n. 2.* Covarruvias *in c. Alma Mater. p. 1. §. 3. n. ult.* 30

Quod verò ad pœnas attinet, quas generatim incurrunt transgredientes prohibitionem legendi libros hæreticorum. Certum est, eos, qui scienter legunt, retinent, imprimunt, vel quomodocunque defendunt libros hæreticorum continentes hæresim, vel tractantes de religione, esse excommunicatos excommunicatione reservata in Bulla cœnæ Domini: rursus esse suspectos de hæresi, & reputari fautores hæreticorum: & eum esse itidem puniendum, ut hæreticum, qui ex proposito hæreses scripsit, vel defendit, quia verè habetur, ut hæreticus, cùm scienter contra ecclesiam doceat, & magis deliberatè, quàm si tantùm verbis hæreses proferret, & id procederet, quamvis initio libri præfigeret protestationem, quia esset contraria facto & nulla: secus tamen si tantùm obiter, & non ex proposito propositionem aliquam hæreticam scriberet, quia tunc præsumeretur non ex malitia, sed ex ignorantia scripsisse, præsertim si res erat captu difficilis, & Author, qui scripsit vir catholicus, pius, & probus, ut notant Mascardus *de probat. conclus. 862. n. 3.* Farinacius 31

de

de heresi q. 180. n. 16. idque etiam procedit de corrumpentibus, vel falsificantibus libros catholicorum, iis inserendo falsa dogmata, ut notat Menochius de *arbit. centur. 6. cas. 549. n. 5.*

32 Rursus imprimentes libros hæreticorum præter excommunicationem, canonis puniuntur etiam pœna arbitrariâ, ut fautores eorundem ex Pio V. ad indicem librorum prohibitorum *reg. 10.* Imò Concilium Tridentinum *sess. 4. decret. de edit. libror.* innovat pœnas impositas impressoribus librorum hæreticorum ex Bulla Leonis X. in Concilio Lateranensi, quæ incipit *inter solicitudines*, in qua prohibetur Typographis, ne libros, vel alias scripturas, quæcunque illæ sint, tametsi hæresim non contineant, nec de religione tractent in urbe imprimant sine examine, & approbatione in scriptis obtenta à Magistro sacri Palatii: & in aliis diœcesibus sine approbatione Episcopi, & Inquisitoris hæreticæ pravitatis; qui autem secus præsumpserint, ultra librorum impressorum amissionem, eorúmque publicam combustionem, & scutatorum centum pro fabrica S. Petri, suspenduntur etiam per annum ab exercitio imprimendi, & incurrunt ipso facto excomunicationem reservatam Episcopo, ex vi hujus decreti, & crescente contumacia augentur pœnæ à Vicario Romæ, & ab Episcopo alibi. Romæ tamen Vicarius remittit librum videndum Magistro sacri palatii, cujus licentia requiritur, ut Typographus possit imprimere, & hæc licentia præfigitur initio libri per clausulam *de licentia superioris, vel permissu superiorum*, vel aliam æquipollentem.

PROLEGOMENUM XIII.

Ex quibus rationibus ecclesia prohibeat lectionem librorum hæreticorum.

1 Certum est, consuetudinem prohibendi libros hæreticorum jam pridem in ecclesia inolevisse, ut liquet *ex c. 17. act. Apost.* ibi: *Multi qui fuerant curiosa sectati, offerebant libros, & comburebant eos coram omnibus*, ex quo textu constat, consuetudinem comburendi libros, in quibus hæreses, vel alii errores continerentur ab ipso nascentis ecclesiæ exordio suum duxisse initium. Jubebantur enim primi illi fideles ad ecclesiam conversi deferre, quos haberent libros continentes ritus, & errores aliarum sectarum, ut nimirum illis præcluderetur occasio redeundi ad pristinos errores, in quos faciliùs incurrissent, si libros illos præ manibus semper habuissent: ad igitur removendum tale periculum, consultius visum fuit, statim hujusmodi libros tradere flammis. Tum quia ad suscipiendum baptismum, cum debita dispositione id videbatur necessarium, ut sacro fonte expiandi quanto ardentiori affectu religionem christianam amplecterentur; tantò promptius pristinos errores, idolorum vanitates, & aliarum sectarum ritus abominarentur: & licèt libri qui *in d. c. 17. Actor.* à Gentilibus ad fidem conversis oblati ad comburendum essent Magici, inde argumentum desumitur, potiori jure esse comburendos libros continentes hæreses, cùm in ipsis deteriores contineantur errores, quibus facilius simplices decipiuntur, ac deficiunt à vera fide.

Quamvis hæc consuetudo prohibendi hæreticorum libros fuerit semper in ecclesia, propriè tamen, ut observavit Suarez *de fide disput. 10. sect. 2. n. 9.* non reperitur hæc prohibitio in jure communi, sed tantùm obiter indicatur in *c. sancta Romana dist. 15.* & expressiùs *in l. damnato §. nec verò. l. quicunque §. nulli, & §. omnes C. de hæret. l. Mathematicos C. de Episc. audi.* hinc expressa horum librorum prohibitio dicitur facta à Julio III. quia per leges canonicas, & civiles prohibebantur tantùm legi libri quorundam hæreticorum, donec à Julio III. sancita fuerit lex generalis, quâ libri prohiberentur legi omnium hæreticorum. Quòd verò hæc prohibitio fuerit justa, & sancta; imò & necessaria ex eo ostendi potest. Primò quia ecclesia habet potestatem puniendi etiam hæreticos, quia isti ob susceptum baptismum subjiciuntur jurisdictioni ecclesiæ, quæ propterea potest illos punire saltem indirectè prohibendo Catholicis, ne legant eorum libros, quos etiam ecclesia in pœnam tanti criminis tradit comburendos flammis: cùm enim hæretici deliquerint in scribendo, ut eorum pœna sit crimini proportionata, æquitas exigebat, ut eorum scripta omnino abolerentur, & in flammis extinguerentur, & si libri aliqui superessent, omnino prohiberentur legi. 2

Secundò, quia spectat ad ecclesiam præservare fideles ab hæreticorum contagio, quod facilè ex lectione librorum hæreticorum contraherent: & ob hanc rationem prohibebantur fideles sub primis ecclesiæ exordiis legere libros Gentilium, ut refert Clemens *lib. 1. constit. Apostol. c. 6.* & etiam præcipitur in Concilio Carthaginensi *4. c. 16.* 3

Tertiò, quia ecclesia præcipit directè, ne fideles communicent cum hæreticis in verbis: ergo poterit etiam præcipere, ut non communicent cum iisdem in libris scriptis, cùm hæc communicatio magis obsit, quàm quæ fit per sola verba; cùm libri scribantur adhibita majori diligentia, eruditione, & eloquentia, nec elabantur ut verba, quæ vix prolata, evanescunt, sed semper, & in omni loco permaneant, proinde magis obesse possint, quàm verba. 4

Quartò quia libelli scripti in contemptum, & injuriam privati hominis justè prohibentur, & eorum Authores plectuntur etiam capite *l. unic. C. de famosis libell. l. lex Cornelia. §. siquis librum. ff. de injur. l. cum leges §. is cui.* proinde multò magis sunt prohibendi, ac tradendi flammis libri ab hæreticis scripti, & continentes hæreses, cùm in Christi, & ecclesiæ injuriam compositi, & cussi fuerint: hinc ex Tullio *lib. 4. Tusculan.* inter leges 12. tabularum, una apud antiquos Romanos erat, quâ si quis maledicum carmen in aliquem edidisset, ultimo fuisset supplicio puniendus. Et lex alia fuit itidem promulgata, quâ libri continentes maledicta in Magistratum comburerentur. 5

6 Præterea cùm justè prohibeantur colloquia turpia, & redolentia venerem, eò quia excitent ad turpitudinem, & lasciviam audientes, à fortiori ecclesia justè prohibuit lectionem librorum hæreticorum, cùm excitent ad impietatem legentes, eósque inficiant, ac pervertant. Hinc in *can. 100. Trullano in epit. sanc. can.* anathemate percutiuntur Harmenopuli, eò quia turpes sive in tabula, sive in tela, sive in pariete picturas pingerent, & quæ pictæ erant, deletæ statim fuerunt, ne aspicientes ad turpia excitarentur: proinde multò magis libri hæreticorum erant ab ecclesia prohibendi, cùm plus adferant damni, quàm picturæ turpes. Tum quia ut cives vitam pacificam ducant, ejici è republica, ac removeri debent homines nefarii, & improbi *l. congruit. ff. de offic. Præsid.* ergo à pari ne disciplina catholicorum corrumperetur, sed fideles unanimes in simplicitate fidei viverent; prohiberi, ac removeri debuerunt libri hæreticorum, utpote aptissimi ad excitandas seditiones, ut liquet ex libris Arii, Lutheri, Calvini: hinc libri hæreticorum comburuntur non solùm propter errores, quos continent, verùm etiam ne pestiferæ doctrinæ vestigium ullum supersit, ut dicitur in *l. damnato* §. *nec verò*, & in *l. quicunque* §. *omnes C. de hæret.* ut etiam ne memoria hæreticorum, quæ ut plurimum ex libris oritur, in iisdem conservetur: qua ratione etiam eorum nomina, & insignia lapidibus insculpta abraduntur, & abolentur, ut notat Penna *in directorio. p. 2. comment. 4. V. Ex his amplius.*

7 Nec obstat, in libris hæreticorum contineri etiam aliqua, quæ vera sunt, & bona. Nam licèt in iisdem sint bona mixta malis, sint mala mixta bonis, ut faciliùs legentes decipiantur ac pertrahantur ad sectas hæreticorum, ut notat sanctus Gregorius *lib. 5. moral. c. 11.* non tamen inde sequitur, non contineri in iisdem hæreses, quas solent hæretici floribus exornare, ut latens anguis in herba faciliùs venenum spargat, inficiátque legentes: si enim Authores hæretici solùm falsa, & mala docerent, nemò esset, qui id animadvertens vellet eos legere: sin autem tantùm bona, & vera continerent, non essent prohibiti, quapropter ut scribit Hieronymus ad Lætam *epist. 7.* venena non dantur nisi mele condita: & hæc est ratio, cur soleant hæretici in suis libris permiscere malis bona.

7 Quòd si libri hæreticorum nulla sint hæresi infecti, nullúmque contineant errorem, tunc permittuntur, cujusmodi sunt libri tractantes de mathesi, medicina, philosophia, grammatica, Rhetorica, eò quia nullum inferant periculum: sed hujusmodi libri non dicuntur scripti ab hæreticis, ut sunt hæretici, sed ut sunt Mathematici, Medici, Philosophi, Rhetores. Excipiuntur tamen si sint scripti ab hæresiarchis, quia hæresiarcharum libri in pœnam tanti criminis omnes prohibentur, & legentes quoscunque libros hæresiarcharum incurrunt excommunicationem, tametsi tales libri, nec hæresim contineant, nec de religione tractent, ut patet ex *reg. 2. indicis libro. prohibitor.*

8 Quamobrem ecclesia justè, & sanctè libros prohibet hæreticorum; tum in pœnam Authorum, & execrationem; tum in detestationem errorum, tum præcipuè ne latiùs venenum pestiferæ doctrinæ in alios diffundatur; siquidem quod hæretici in suis libris docent, non ad alium finem dirigunt, quàm ad suadendum falsum: & finis est, qui specificat actionem, & qui principaliter in rebus attenditur *l. receptum. ff. de comm. l. cum furiosus ff. de judic. l. non intelligitur.* §. *quando autem. ff. de jure fisci.* Prohibentur etiam libri hæreticorum, ne illorum memoria conservetur, sed aboleatur. Tum quia non solùm proprios libros mendaciis implent, verùm etiam quia sacras litteras, & Concilia corrumpunt, & depravant, ut notat Isidorus *lib. 6. de summo bono. c. 12.* hinc rectè Pius IV. in sua constitutione, cui initium *Dominici gregis*, & præfigitur indici librorum prohibitorum, ait: *Cùm librorum ab hæreticis editorum lectio non modò simpliciores homines corrumpere soleat; verùm etiam doctos, eruditósque in varios errores, & à veritate fidei catholicæ alienas opiniones inducere, huic quoque rei duximus esse providendum: cùm autem aptissimum ei malo remedium esse sciremus, si componeretur, atque ederetur index, sive catalogus librorum, qui vel hæretici sint, vel hæretica pravitate suspecti, vel certe moribus, & pietati noceant, id negotium ad sacram Tridentinam synodum rejiceremus.*

9 Quód si dicas, etiam plures antiquorum Patrum libros, ut Tertulliani, Origenis, Eusebii, & aliorum fuisse hæresi infectos, & nihilominus ecclesiam eos non prohibuisse. Respondetur, eatenus tales libros non fuisse prohibitos, quia paucos continerent errores, qui facilè etiam tunc potuerunt præcaveri, & nunc sunt absoleti, adeò ut hodie nullum sit periculum, quod legentes hos libros inficiantur erroribus. Tum quia ecclesia præfatos libros non prohibuit, quía eos expurgavit, & in iisdem eximia eruditio, & insignis doctrina contineretur. Nec obstat, quòd etiam libri hæreticorum contineant plura vera, & bona. Tum quia hujusmodi bona pluribus inficiuntur malis, quibus fiunt aptiora ad seducendum. Tum quia etiam in moneta adulterina aliquid continetur boni *l. 1. & 2. C. de falsa moneta* & *l. elegant.* §. *qui reprobatos de pignor. act.* & nihilominus tota prohibetur, hinc etiam rejicitur testimonium testis falsi, quamvis aliquid veri testificetur; Baldus *in l. fin. C. edict. D. Adriani n. 18.* Hostiensis *in c. fraternitatis de hæret. n. 6.* hinc quia bona, & vera, quæ libris inseruntur hæreticorum faciliùs, & commodiùs absque ullo periculo perversionis habentur in libris catholicorum, prohibentur in libris hæreticorum, in quibus referuntur ad suadendum malum, & falsum, quo fit quòd totus liber ut malus prohibeatur. Neq; obstat, quòd ecclesia toleret libros gentilium: quia ex illis non imminet legentibus periculum perversionis, sicut imminet ex libris hæreticorum.

10 Quinimò libri cujuscunque sint Authoris propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem prohibiti legi, vel retineri, prohibentur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ex consci-

constitutione Pii IV. quæ incipit *Dominici gregis* edita die 26. Martii anno 1564. & præfixa indici librorum prohibitorum, ibi: *Is quidem, qui hæreticorum libros, vel cujusvis authoris scripta ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, habueritve, ipso jure in excommunicationis pœnam incidat, eámque ob causam in eum tanquam de hæresi suspectum inquiri, & procedi liceat, præter alias pœnas super hoc ab Apostolica sede, sacrisque canonibus constitutas.* Ubi juvat observare, sub hac prohibitione comprehendi libros hæreticorum solùm damnatos propter suspicionem falsi dogmatis, quia si essent damnati ob hæresim continerentur sub prohibitione Bullæ cœnæ. Per falsum dogma intelligitur doctrina falsa circa fidem, seu omnis illa doctrina, quæ non concordat cum doctrina fidei. Rursus hæc prohibitio procedit, non solùm de libris impressis, sed etiam de manu scriptis, quia in textu dicitur, *cujusvis Authoris scripta.* Non tamen excommunicatio, quæ inde incurritur, est reservata, ut liquet ex textu, proinde absolvi potest, per quemcunque legitimum Confessarium, ut notat Duardus in *Bulla cœnæ lib. 7. q. 34. n. 12.* Rursus ut hæc prohibitio, & communicatio procedat, non sufficit si liber Authoris Catholici hæresim contineat, vel suspicionem falsi dogmatis; sed ulterius necesse est, ut propter has causas sit damnatus, ut notat Thesaurus *in prax. p. 2. c. 2.* adeò ut non sufficiat, si liber sit damnatus, sed ulterius requiratur, quòd in damnatione exprimatur causa, ob quam damnatus sit.

PROLEGOMENUM XIV.

De aliis Congregationibus, quæ Romæ habentur,

1 PRæter Congregationes, de quibus hactenus diximus, constitutæ sunt etiam Romæ plures aliæ, inter quas habetur congregatio pro executione, & interpretatione Concilii Tridentini, hoc enim absoluto Pius IV. in Bulla confirmationis ejusdem Concilii, cui initium *Benedictus Deus.* Apostolica authoritate inhibuit omnibus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne quis sine authoritate sedis Apostolicæ auderet ullos commentarios, Glossas, annotationes, scholia, aliúdve interpretationis genus super Concilii decretis quocunque modo edere, vel evulgare: hinc post Concilii Tridentini confirmationem, & hanc reservationem, ad interpretanda ejus decreta in dubiis delatis sedi Apostolicæ, erecta fuit ab eodem Pontifice per constitutionem specialem, quæ incipit *Alias nonnulla,* estque in Bullario Romano 88. Congregatio aliquorum Cardinalium, eorum præsertim, qui eidem Concilio Tridentino interfuerant, & qui propterea de mente Concilii magis videbantur instructi: & quamvis hæc Congregatio non fuisset tunc instituta pro interpretatione dubiorum, quæ oriri possent circa decreta Tridentinæ Synodi, quæ omnia voluit Pontifex ad se referri, sed pro executione, & observantia eorundem decretorum: nihilominus notat Cardinalis de Luca *in annot.* ad Concilium Tridentinum *discurs. 1.* quòd cum eo tempore aliquot cæperint dubia oriri, præfati Cardinales cœperunt etiam, quæ oriebantur dubia declarare, & Fagnanus ad *c. 12. de judic.* refert, hanc eandem congregationem aliquando dubitâsse, an ipsa incidisset in censuram constitutionis *Benedictus Deus* decidendo multos casus propositos pertinentes ad interpretationem Concilii nulla facta ad Sanctissimum prævia relatione, & cùm Congregatio hac super re consuluisset Pium V. respondit Pontifex, se non credere, congregationem incidisse in hujusmodi censuras, quoniam opinabatur, hanc prohibitionem, eos tantùm comprehendere, qui propria authoritate decreta Concilii præsumpsissent interpretari, & id etiam deduci ex verbis ejusdem constitutionis *audeant interpretari.* Ad removendum tamen scrupulum dixit, se tribuere facultatem Congregationi, ut absque alia delegatione posset decidere casus, quos Congregatio tanquam claros putaret decidendos; quos verò dubios putaret, referret Sanctitati suæ.

Verùm Sixtus V. in sua constitutione, cui initium est *In Mensa* 74. in Bullario Romano, huic congregationi facultatem dedit non solùm exequendi, verùm etiam interpretandi, decreta Concilii Tridentini, seu reformationis, reservatâ ipsi Pontifici interpretatione eorum, quæ ad fidei dogmata pertinent. Hinc hæc eadem congregatio, quæ in dicta constitutione Pii IV. vocabatur congregatio *super executione, & observantia sacri Concilii Tridentini*; in constitutione Sixti V. dicitur congregatio *pro executione, & interpretatione Concilii Tridentini.* Hujus Congregationis præcipuum institutum, ut notat de Luca *loc. cit.* est interpretari, atque edere oracula in abstracto super dubia, quæ proponuntur, & in hac interpretatione aliæ Congregationes, se non intermiscent, adeò ut hæc facultas sit privativa, non cumulativa aliis, adeóque hæc interpretatio pertineat ad hanc solam Congregationem. Circa verò executionem subinde quæ occurrunt dubia remittuntur ad aliam congregationem super negotiis Episcoporum, & Regularium. Voluit etiam Sixtus V. ut hæc congregatio provideret, celebrari Synodos Provinciales, & Diœcesanas juxta decretum Concilii Tridendini, & decreta præcipiat ad se mitti examinanda, & cognoscenda; quo pacto consuetudo invaluit, ut hodie decreta Synodorum Provincialium mittantur Romam pro confirmatione, ut ab hac congregatione tantùm examinentur, corrigantur, & approbentur, ut notat Fagnanus *loc. cit.* 2

Rursus ad hanc congregationem pertinet audire postulata Episcoporum ad præscriptum sui juramenti visitantium, & eis congrua responsa dare; & alia ad hanc materiam visitationis pertinentia expedire. Notat de Luca, hanc congregationem tantùm constitui ex Cardinalibus uno excepto Secretario, qui est Prælatus: & inter Cardinales unum habere præfe- 3

 ctum ram

eturam pro subscriptione litterarum, & decretorum ejusdē Congregationis, cura, & directione; & is dicitur Cardinalis præfectus, adeò ut responsiones, & resolutiones emanantes ab hac Congregatione muniri debeant subscriptione Cardinalis præfecti, & Secretarii, ut etiam sigillo ipsius Congregationis, alioquin nisi prodeant in hac authentica formâ, non est iisdem fides præstanda, ex declaratione Urbani VIII. 2. Augusti annno 1632. Hinc declarationes emanantes ab hac congregatione non publicantur per modum legis, sed tantùm per litteras subscriptione Cardinalis Præfecti, & Secretarii, ac Sigillo Congregationis munitas, & Consulentibus intimantur, nisi Pontifex mandet publicationem fieri, ut contigit quoad decretum circa communionem quotidianam ab hac Congregatione 12. Februarii anno 1679. emanatum.

4 Alia est etiam Congregatio instituta super negotiis Episcoporum, & Regularium, seu quæ hodie vel inter ipsos Regulares: vel etiam inter Regulares, & Episcopos, vel alios de Clero agitantur, postquam enim Religiosi cœperunt esse exempti à jurisdictione Episcoporum, ac pluribus gaudere privilegiis, plures cœperunt inter ipsos; vel etiam inter ipsos & Episcopos oriri dissentiones, ad quas componendas opus fuit, hanc Romæ Congregationem instituere: & quia ex juris communis dispositione causæ Religiosorum non cognoscuntur per juris apices, sed summariè, & potiùs tractantur in forma extrajudiciali, ideo Sixtus V. inter plures à se erectas congregationes, hanc itidem erexit super negotiis Regularium, quam conjunxit cum altera super negotiis Episcoporum, ut notat de Luca *d. discurs. n. 15.* adeò ut hodie unica tantùm sit Congregatio super negotiis Episcoporum, & Regularium, quæ propterea ut notat Cardinalis de Luca *discurs 16. in relat Roman. Curiæ.* duo peragit negotiorum genera, Episcoporum scilicet, & Regularium: propterea hæc congregatio dicitur occupatissima, & in multitudine negotiorum omnium major ob faciles recursus, querelas, & contentiones Regularium. Dicitur etiam hæc Congregatio Cardinalitia, quia præter unum Prælatum exercentem munus secretarii, & à quo litteræ, & decreta congregationis, scribuntur, & sigillo muniuntur unà cum subscriptione Cardinalis Præfecti, cæteri omnes sunt Cardinales.

5 Habetur autem hæc congregatio in palatio Apostolico feria 6. cujuslibet hebdomadæ, notat Cardinalis de Luca *loc. cit.* stylum hujus congregationis esse, ut si quis exhibito libello conqueratur, se à suo Episcopo gravatum, scribatur epistola familiaris nomine Congregationis cum subscriptione Cardinalis Præfecti, & Secretarii, & sigillo, cum incluso libello supplici ad Episcopum, vel alium superiorem, ut super expositis in libello supplici congregationem informet, quæ habita informatione, si videat, quòd circa facta conveniatur, tunc tota difficultas reducitur ad punctum juris; & negotium examinatur, ac resolvitur in congregatione, & resolutio per litteras subscriptas, & signatas intimatur. Quòd si informatio ipsi congregationi non videatur sufficiens, vel super factis non conveniat cum libello supplici; tunc congregatio interdum per alias litteras libellum supplicem pro ulteriori informatione mittit ad Metropolitanum, vel viciniorem Episcopum, vel etiam ad aliam personam in dignitate constitutam. Quando verò quæstio agitur inter Regulares sumitur informatio ab ipso Procuratore Ordinis, qui in Curia semper assistit, & nonnumquam etiam ab ipso Generali Ordinis. Notat etiam de Luca *discurs. 16. n. 6.* in hac Congregatione, ut etiam in aliis non admitti accusationes ex causa suspicionis.

Est etiam Romæ Congregatio Rituum, quam instituit Sixtus V. in constitutione 74. quæ habetur in Bullario Romano, cui quinque præfecit Cardinales. Incumbit autem præsertim huic Congregationi diligenter observare, ut veteres ritus sacri in omnibus christianorum Provinciis, & locis etiam in capella Pontificia ritè peragantur, & omnia ad divina officia, missas celebrandas, sacramenta administranda, ad divinum cultum manutenendum pertinentia ab omnibus diligenter observentur; cæremoniæ si exoleverint, restituantur; si depravatæ fuerint, reformentur, ut etiam libri de sacris ritibus, & cæremoniis, præsertim Pontificale, Rituale, Cæremoniale, prout opus fuerit. Rursus incumbit huic Congrationi curam adhibere circa sanctorum canonizationem, festorúmque dierum celebritatem, & concedere officia divina de sanctis Patronis, illis priùs examinatis, & approbatis à Pontifice. 6

Quamvis olim hæc congregatio ex solis quinque Cardinalibus constaret, hodie tamen præter Cardinales, quorum numerus dependet à beneplacito Papæ, interveniunt plures Prælati inferiores, quorum unus est Secretarius, imò etiam plures Religiosi sacræ theologiæ Professores, & præ cæteris Magister sacri palatii, & Sacrista Papæ, ut etiam unus, vel plures Magistri cæremoniarum Papæ. 7

Finis ob quem fuit hæc Congregatio constituta, est, ut omnia in divinis officiis, sacramentorum administratione, & Dei cultu ritè, & religiosè peragantur, nilque permittatur, quod sit irreligiosum, aut indecens. Hinc Consultores hujus Congregationis debent, vel maximè esse versati, circa verum, ac genuinum ecclesiæ sensum in ritibus, & ceremoniis præscribendis, & in discernendis etiam ritibus jam pridem ab ecclesia approbatis, ad promovendam populi devotionem, altiúsq; imprimendam divini operis majestatem. Rursus præter quæstiones spectantes ad ritus, & cæremonias ecclesiasticas, plures aliæ solent etiam ad hanc congregationem referri, ut quæ spectant ad præcedentias, & præeminentias præsertim in processionibus, aliisque publicis functionibus, ut etiam super jure funerandi, & aliis, quæ divina possent officia turbare, & quæ eò pertinent, ut ritè, & rectè singula in ecclesia peragantur. Verùm tamen est, quòd si hujusmodi quæstiones incidant inter regulares non rarò remittuntur ad aliam congregationem super negotiis Episcoporum, 8

& re-

& Regularium, à qua deciduntur: quo fit, ut præcipuum munus Congregationis rituū sit invigilare, ut omnia ritè procedant in divinis officiis, ut etiam super canonizationem sanctorum.

9 Quod verò juxta hodiernam praxim ad canonizationem sanctorum attinet, monet Cardinalis de Luca, tunc Congregationem dici extraordinariam, eò quia in ea ultra Cardinales, & Prælatos pertinentes ad Congregationem rituum, quasi extra ordinem adsciscuntur alii Prælati, scilicet promotor fidei, tres seniores Auditores Rotæ, qui ut periti Canonistæ munus videntur à se solùm gerere. Unus etiam ex prothonotariis participantibus. Imò interveniunt etiam alii Theologi, qui Consultores, vel respectivè Qualificatores dicuntur. Imò pro consilio solent etiam adhiberi Medici, & Philosophi, aliique Professores, ut judicent, an operationes, quæ miraculis adscribuntur, revera sint supernaturales, vel provenire possint à causa aliqua naturali. Maturè discussis per plures Congregationes probationibus, si negotium canonizationis sit præparatum, tunc habetur congregatio magis solemnis coram ipso Pontifice, qui audito voto congregationis interponit quidem decretum super beatificatione, aut concessione, cultus particularis in aliqua ecclesia, vel ordine; non tamen decernit canonizationem, seu absolutam adscriptionem in cathalogum sanctorum, sed peracto hoc examine aliud instituitur coram Papa in pleno Consistorio secreto, & demum habetur Consistorium solemnius, & publicum, ad quod conveniunt omnes Archiepiscopi, & Episcopi, qui Romæ adsunt, quorum omnia suffragia exquiruntur, veluti per quamdam speciem Concilii, cui olim canonizationes sanctorum deferebantur, & in hoc solemni consistorio præmissis precibus, & aliis cæremoniis consuetis summus Pontifex sedens cum mitra instante Procuratore causæ pronuntiat in hunc modum: *Ad honorem sanctæ individuæ Trinitatis, & exaltationem fidei Catholicæ, & Christianæ religionis augmentum authoritate ejusdem Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & nostra, de Fratrum nostrorum consilio decernimus, & definimus bonæ memoriæ N. sanctum esse, & sanctorum Cathalogo adscribendum, ipsumq; cathalogo hujusmodi adscribimus.* Hæcque est hodierna praxis, adeò ut nullus hodie ut sanctus de novo, vel honorari publicè possit, nisi per Pontificem ritu superiùs descripto in sanctorum cathalogum relatus fuerit.

10 Præter Congregationes sunt etiam in curia Romana alii officiales inservientes Cancellariæ, & Datariæ. Cancellarii olim dicti fuerunt, qui ad cancellos forenses, seu Judicum starent, & supplicantes introducerent ad Judicem, ut notat Cassiodorus *lib. 12. epist. 1.* hodie Cancellarius dicitur, cui incumbit videre, ut nulla Principis constitutio, nulla functio, nullum rescriptum non è republica, atque etiam à dignitate reipublicæ principaliq contraria exeant, ut notat Gothofredus ad *l. 3. C. Theod. de Assess.*

Romæ verò Vicecancellarius habet fixum titulum Cardinalitium, & quidem conspicuum, 11 scilicet ecclesiæ collegiatæ sancti Laurentii in Damaso; etiam commodam, & amplam habet habitationem in insigni palatio, quod cancellaria dicitur, & habet speciem magni tribunalis, ad quod deferuntur primaria, & graviora Sedis Apostolicæ negotia publica, & solemnia, qualia sunt consistorialia, & alia plurima: adeò ut Vice-Cancellarius dicendus potiùs sit Cancellarius Papæ, perinde ac in singulis Diœcesibus, quilibet Episcopus suum habet Cancellarium majorem, qui acta Synodalia, & judicialia, & etiam Pontificalia scribit, & authentizat, ut loquitur Cardinalis de Luca *in relat. Romanæ Curiæ discurs. 10. n. 5.* ubi etiam addit verisimilius esse vocari potiùs Vicecancellarium, quàm Cancellarium postquam dignitas Cardinalitia ad tantùm fuit fastigium elevata, ut non videretur huic Cardinalitiæ dignitati congruere, assumere officium inferius principaliter, quod tamen provisionaliter, seu Jure cujusdam commendationis administrari per Cardinalem indecorum non videatur; idque patet etiam in Datario, quod officium si exerceatur à Cardinali dicitur *Prodatarius*, hoc est vices gerens Datarii.

Officiales Cancellariæ plures sunt, quibus 12 incumbit Bullas prævidere transcribere, plumbare, registrare, & ex istis alii vocantur Summistæ, alii Scriptores, alii Secretarii, alii Plumbatores, alii Equites, alii Cubicularii, Scutiferi alii, alii Prothonotarii, alii Subdiaconi, qui omnes participant in annatis, vel in emolumentis, quæ pro litterarum expeditionibus solvuntur, & vulgò dicuntur taxæ Cancellariæ Apostolicæ. Hæc Cancellaria quasdam habet Pontificias regulas, juxta quas expediuntur negotia spectantia ad Cancellariam, & de quibus passim in jure Canonico fit mentio, & de quibus suo loco dicendum erit fusiùs.

Officium Datarii hodie in Romana Curia est 13 inter præcipua munia, adeò ut etiam Cardinales ad illud assumantur, eò tantùm discrimine, quód si ad hoc Officium promoveatur Prælatus inferior, dicitur Datarius; sin verò Cardinalis Prodatarius, eò quia ut notat de Luca non congruat eximiæ dignitati cardinalitiæ assumere officium inferius, nisi provisionaliter, seu jure cujusdam commendationis: notat etiam de Luca hoc nomen Datarii non oriri à verbo dandi, eò quia non sit Datarius, qui dat beneficia ecclesiastica, & concedit alias gratias, sed ab ignoto, & barbaro vocabolo *datore*, eò quia munus Datarii sit adnotare datam, quæ in Principum legibus provisionalibus, & gratiis ab antiquo tempore consuevit adhiberi: unde pertinet ad Datarium cognoscere, & signare omnes collationes beneficiorum reservatorum, vel affectorum, ut etiam reservationes pensionum super iisdem, & dispensationes matrimoniales, ut etiam aliæ super natalibus, super irregularitate, super bigamia, super ætate, ut etiam alienationibus bonorum ecclesiæ: hinc Dataria præter Datarium plures habet Officiales, ex quibus, duo primi, seu Majores dicuntur, alter Subda-

Subdatarius, & alter per obitum: ille propriè est substitutus Datarii, licèt à Datario non dependeat, sed à Papa constituatur, ac Prælatis Curiæ adscisatur, & ad ipsum pertinet revidere omnes libellos supplices, qui offerri Papæ expostulantur iis exceptis, qui sunt pro impetrandis beneficiis vacantibus per mortem in terris *obedientiæ*: Siquidem revidere hos libellos spectat ad alium officialem, qui dicitur per obitum.

24 Sin verò in libellis agatur de aliqua materia ordinaria, ut de resignatione simplici beneficiorum, quæ à Papa signari non debent, remittuntur ad officialem *concessum*, cujus munus est signare libellos supplices sibi à Subdatario transmissos cum nota ad marginem *ad Ordinarium*. Quòd si Subdatarius videat ex materia libelli, quòd Papa petitioni non annuet, nisi prævio judicio Congregationis Cardinalium, tunc Subdatarius libellum ad illam remittit cum hac apostilla *ad Congregationem* Rituum, aut aliam. Libellos autem supplices pro gratiis, quæ à solo Papæ arbitrio dependent Subdatarius, vel aliquis ejus substitutus examinat, & ad calcem eorum apponit summarium libelli supplicis.

PROLEGOMENUM XV.

De Interpretatione SS. Canonum.

1 INterpretatio alia est simplex, alia authentica: simplex, quæ doctrinalis dicitur, explicat verba legis; non secus ac Magister in scholis ad abjiciendam obscuritatem *l. un. Cod. de professʃ. in urbe Constant.* authentica, mentem legislatoris in particulari, & non prævisio casu declarat, proinde legem corrigit *l. ult. C. de l. 1.* in legibus Ecclesiasticis interdum adhibenda est interpretatio ob casus particulares talibus vestitos circumstantiis, ut non censeantur prævisi à legislatore, ut liquet *ex l. neque leges. l. nulla de leg. l. non dubium. C. eodem.*

2 Quomodo verò interpretatio authentica, seu correctiva, quæ & judicialis dicitur, sit facienda, non una est omnium sententia. Conveniunt tamen doctores, quòd si hic, & nunc evidens est, legem non obligare; tunc licet cuilibet subdito eam interpretari ex æquitate; & agere contra verba legis: ut si lex jubeat, tempore obsidionis portas civitatis nemini aperiri, & contingat aliquot cives ad portam accedere, qui nisi introducantur, sint ab hostibus occidendi, tunc aperienda est porta, licèt lex generatim videatur contrarium præcipere. Ratio est quia ut notat sanctus Antoninus *p. 1. T. 17. §. 19.* in observatione legum maximè attendi debet, ac servari intentio ferentis legem: de qua si constet, & contraria sit ad scripturam legis, servanda est intentio ferentis legem, omissâ litterâ, aut scripturâ: sin verò dubitetur de intentione legislatoris, standum est legi scriptæ, ut docent communiter Sayrus *l. 3. c. 10. num. 3. Salas q. 97. disput. 21. sect. 10.* Valentia *disput. 7. q. 5. p. 4.*

3 Quòd si dubium sit negativum, ita ut in neutram partem præponderet, tunc recurrendum est. Ad superiorem *juxta reg. Pandect. 96. In ambiguis orationibus maximè sententia spectanda est ejus, qui eam protulit.* Siquidem illius est interpretare legem, cujus est condere. *l. fin. C. de leg. c. inter alia de sententia excommunicationis*: idque vel maximè est verum, si dubium occurrens sit arduum. Quòd si ad superiorem præcludatur aditus, verba legis sunt attendenda, ne lex violetur contra conscientiam, Fillucius *tract. 21. num. 43.* Navar. *c. 13. num. 26.* & alii communiter.

Quòd si ratio in unam partem propendeat, nec pateat accessus ad superiorem, & res non patiatur moram; tunc potest quis uti opinione verè probabili, & secundùm illam operari. Ratio est perspicua; quia necessitas tunc illud permittit, cui omnes subjiciuntur, nec moras patitur, nec ferias habet *l. 2. §. deinde quia difficile de origine juris. l. illicitas §. ult. de off. Præf. l. solet etiam de feriis.* 4

Sin verò dubium non sit de lege, sed de potestate legislatoris, tunc dubitans debet consulere viros doctos: quia sicut ad legislatorem pertinet condere leges, easque corrigere, quando necessitas id exigit; ita ad viros doctos pertinet declarare legislatoris potestatem, ne hic ultra quàm oporteat suam extendat jurisdictionem: hinc habetur vulgatum illud: in propria causa alienus judex esto *leg. unic. C. ne quis in sua causa. c. qualiter & quando de accus.* Neque urget si dicas, proprium esse Prætoris æstimare, an sua sit jurisdictio *l. si quis alien. de judic.* Nam id intelligitur de causis, & litibus particularibus, quæ coram Prætore moventur. 5

Cæterum facultas interpretandi leges ampliari potiùs solet per se loquendo, & abstrahendo à casibus particularibus, quàm coarctari. *l. Benignus de leg. c. placuit C. de judic. c. fin. de transact. reg. 15. juris in 6. odia restringi, & favores convenit ampliari.* adeò ut, si simul concurrant in aliqua dispositione, favor, & odium, dispositio censenda sit simpliciter favorabilis Bald. *ad leg. qui non pos. ad libert. admitt.* Si enim dispositio sit dubia non est odium considerandum, sed favor, Panormitus *ad c. in litteris de restit. spoliat.* dixi per se loquendo, quia in plerisque casibus particularibus contrarium contingit. Cæterum interpretatio Brevium Apostolicorum, & privilegiorum, quæ conceduntur à sede Apostolica, pertinet ad Papam, ut etiam interpretatio constitutionis Principis ad Principem, qui illam sancivit. Baldus *conf. 305. ver. prin. l. 1.* 6

Quòd si ad superiorem non pateat accessus, verba legum, canonum, statutorum & privilegiorum intelligenda sunt in sensu proprio *l. 3. §. hac verba*, alioquin nil esset certum in legibus, si liceret cuilibet metaphoricè verba legis interpretari, & illa in sensus improprios detorquere: hinc si quis legaverit Religiosis centum aureos, est intelligendum de viris, qui in religioso ordine sub regulari obedientia, & disciplina vivunt; non verò de aliis hominibus Religiosis, qui ex se piam ducunt vitam: eodem pacto si Paterfamilias filios suos hæredes insti- 7

tuat

tuat, intelligitur de solis legitimis filiis; non de spuriis, ut notat Decius *in reg. 6. juris, non vult hares esse.*

8 Quòd si verba in proprio sensu sumpta ineptum redderent sensum, tunc interpretanda essent in alio sensu minus proprio, ut notat Geminianus *consil. 122.* quia in Pœnalibus etiam ad evitandam pœnam, verba accipiuntur in laxa significatione Abbas *consil. 28.* ut etiam si subjecta materia aliud suadeat. Hinc si Pontifex reservet beneficia ad collationem Episcopi pertinentia; intelligitur de beneficiis, quæ sunt in possessione Episcopi, tametsi verbum *pertinet* proprietatem significet Calder. *Consil. 244.*

9 Moris tamen est, ut verba Canonum, & Privilegiorum intelligantur juxta id, ad quod principaliter proferuntur *c. final. de verb. signi.* quia actus agentium non operantur ultra eorundem intentionem. Intentio autem legislatoris solet in procemiis legum, & privilegiorum aperiri, quia procemia solent continere causam motivam, & finalem privilegiorum, quæ conceduntur; unde ex illis colligi facilè potest qualis sit legislatoris intentio *l. fin. de haredibus institutis.*

10 Potest etiam sententia aliqua declarari per alias, licèt, ab illa plane diversas: si enim legislator in aliquo speciali sensu plerisque in locis fuerit usus aliquâ sententiâ, debet hæc in eodem sensu interpretari, si occurrat dubium; ut monet S. Augustinus *lib. 3. de doct. Christ. c. 26.* si verba scripturæ apertiùs in uno loco ponantur; ibi discendum est, quomodo in locis intelligantur obscuris.

11 Juvat itidem, intentionem legislatoris conjicere ex verosimili *c. 1. non est vero simile de eo quod metus causa.* siquidem qui à vero simili arguit, dicitur à ratione arguere: idque procedit, si contra veri similitudinem allegetur quid aliud, ratione cujus tollatur præsumptio veri similitudinis, quia quoties concurrunt duæ præsumptiones, quarum una non præponderat alteri; se mutuò confundunt; & ubi altera est fortior, imbecillior corruit *c. transmis. qui fil. sint legit.*

12 Juvat tamen perpendere, num leges Canonicæ favorabiles sint, vel potiùs odiosæ; quia istæ sunt restringendæ, illæ ampliandæ *reg. 15. juris. in 6. reg. 38. eodem l. 3. de const. Prin.* & ratio eruitur ex rei æquitate pensatâ utriusq; diversitate. Hinc statuta, & Privilegia Religiosorum non interpretantur secundùm apicies juris, sed ex æquo, & si occurrant dubia, in partem flectuntur mitiorem, ut notat Decius *in reg. 90.* est tamen interpretatio ita facienda, ut lex, aut Canon non reddatur prorsus inutilis. *L. non dubium C. de legibus c. in his. de Privil.* quia legislator non intendit sancire leges inutiles; cum finis legum sit bonum publicum, & salus populi.

13 Debent itidem verba Canonũ intelligi secundùm subjectam materiam, cui sunt accomodanda *c. intelligentia de ver. sign.* unde licèt verba sint universalia, pro natura rei intelliguntur particularia, & si pluralia quasi singularia; ut notat *Alex. consil. 60.* in dubio verò, an verba loquantur de præterito, vel futuro, debet id res significata determinare; quia promissio futurum; solutio verò præsens tempus exigit.

14 In legibus pœnalibus argumentum à simili nil præfert roboris, non enim leges sunt exasperandæ, sed potiùs mitigandæ, nec debent excedere proprium casum, *c. in pœnis de reg. jur. in 6.* hinc odiosa, cujusmodi sunt pœnalia dicuntur restringi ad proprios suos speciales casus.

15 Statuta verò, quibus alicui consuetudini, vel privilegio derogatur, quia ad jus commune propiùs accedunt laxa gaudent interpretatione. *l. si unus de pactis*; quòd si statuta leges corrigant, strictè interpretantur *l. si quando C. de inoff. testam.*

16 Cæterùm pro interpretatione Canonum debent quatuor diligenter observari, scilicèt verba legis, mens legislatoris, finis ejusdem, & circumstantiæ. Significatio verborum dependet ex usu recepto, & ex primæva institutione: mens legislatoris censetur anima legis, & præfertur ipsis verbis *c. humanæ aures 22. q. 5.* ratio est, quia leges aliter non obligant, nisi juxta intentionem legislatoris. Finis qui est ratio motiva dignoscitur ex subjecta materia, circumstantiis, & adjunctis, quæ omnia sunt accuratè perpendenda

17 Rursus quoad verba, hæc nunquam in sacris canonibus sunt ita interpretanda, ut censeantur superflua; siquidem in Decretalibus, aliisque juris partibus, imò & in aliis Pontificiis dispositionibus cavenda semper est hæc verborum superfluitas, & omnino declinanda; ut docent communiter cum Glossa *in c. solitæ v. tanquam de major. & obed.* ibi enim ex eodem textu infert, nullam dictionem debere vacare in rescripto; unde multo magis, nec debet vacare in canone, ac in lege pro tota communitate sancita; alioquin ut subdit Glossa: *frustra membranas occuparet*: hæcque vitanda superfluitas in dictionibus clarè etiam innuitur in ipso Procemio Decretalium Gregorii IX. ubi Pontifex utitur verbis illis *superfluis resecatis*: & in Procemio Decretalium ait Pontifex, compilationem illam factam fuisse *superfluis penitus resecatis.* Ex eo igitur quòd omnis superfluitas sit in sacris canonibus vitanda; sequitur, verba canonum esse ita interpretanda, ut non censeantur otiosè; ac frustraneè posita; sed ut aliquid semper operentur; ut desumitur *ex c. si Papa 10. de Privilegiis in 6.* ubi expresè dicitur: *cum verba aliquid operari debeant*: & huic textui consonat *l. ait Prætor. §. 1. ff. de Jurejurando,* & *l. si quando 112. §. 1. ff. de Legatis 1.*

18 Quin imo in utroque jure canonico, & civili non solùm dictiones, & verba debent aliquid operari, & non otiosè jacere; verùm etiam ipsæ syllabæ, quibus dictiones constant suos debent effectus producere; quia ut notat Prosper Fagnanus *in c. Tuarum n. 26. de Privilegiis* in lege neq; syllaba debet esse superflua, & sine mysterio aliquid operandi.

19 Hinc Federicus de Senis *consil. 45.* & Gratianus *discept. Forens. c. 306. n. 16.* asserunt, argumentum deductum à superfluitate vitanda esse in

esse in jure nervosissimum, ac plurimum obtinere roboris: exemplificatur hoc *ex c. 1. §. sanè de statu Regularium*, ubi ex eo quòd Pontifex dicat: *in monasteriis Ordinum non mendicantium* verè inferimus, vocabulum illud *monasterium* ex sui natura, & primæva institutione, ac significatione non significare sola monasteria ordinum non mendicantium; alioquin supervacanea, ex frustranea essent verba illa *ordinum non mendicantium*: ad evitandam igitur hanc superfluitatem, rectè inferimus; ex monasteriis alia esse ordinum non mendicantium & alia ordinum mendicantium, ut argumentatur Federicus de Senis *l. c.* quamobrem verba illa *ordinum non mendicantium* id operantur, ut coarctent textum ad monasteria Monachorum non mendicantium, & excludant conventus mendicantium.

20 Quin imò modus argumentandi ab exclusione hujus superfluitatis verborum adeo in jure Canonico est efficax, ut Cardinalis Tuschus *in littera S. conclus. 895. n. 1.* asserat, verba superflua nullo modo esse admittenda in SS. Canonum interpretatione; & infert, licitam potiùs esse interpretationem, per quam omnia verba operentur etiam à contrario sensu, imò etiam à tacito; quam ut omnino jaceant otiosa; quia intentio Conditoris Canonum est, ut omnia verba aliquid operentur.

21 Immo ad evitandam hanc superfluitatem, ait idem Cardinalis Tuschus, esse verba potiùs interpretanda in sensu improprio, quàm permittere ea jacere otiosa, ac inducere superfluitatem; ut etiam notant Craveta *Consil. 294. n. 3.* Barbosa *Axiom. 222. n. 22.* ubi citat plures, & desumitur etiam *ex l. si tam angusti 13. ff. de servit. L. si tibi 20. ff. si certum petatur.* Idque procedit etiam in pœnalibus, & odiosis *argum. c. si sententia 16. de sent. excommun. in 6.* ut notat Tuschus *loc. cit. n. 13.* debet tamen hoc ita intelligi, ut inde non sequatur aliquod iniquum, vel absurdum: quia ex duobus malis, minus eligitur: & tunc interpretamus legislatorem potiùs voluisse in suis legibus verborum superfluitatem, quàm aliquod illicitum, aut iniquum, ut notant Tuschus *loc. cit.* & Craveta *nu. 26.*

22 Præterea admittitur etiam in lege verborum superfluitas potiùs, quàm tollatur voluntas testatoris; ne scilicet aliquid fiat contra mentem disponentis, ut notat Barbosa *Axiom. 216. n. 9.* Ratio est, quia verba sunt potiùs intelligenda secundùm mentem proferentis; si de hac possit sufficienter constare; quàm juxta sonum eorundem; non enim res, nec mentis conceptus inservit sermoni; sed sermo conceptui mentis. *c. intelligentia 6. de V. S.* Felinus tamen *in c. solitæ. n. 4. de major. & obed.* recenset plures casus, in quibus superfluitas verborum nullo modo toleratur, ut quando dispositioni miscetur aliquid novi, ac insueti *argum. c. si tibi absenti 13. de Præben. in 6.* quia tunc verba, vel non sunt omnino superflua, eò quia clariùs factum exprimunt; vel tolerantur, ut magis constet de mente disponentis. Cæterum expressio eorum, quæ tacitè insunt, nil operatur *l. non rectè ff. de fideiuss.* Ut etiam quando alicui conceditur quòd de jure communi eidem competit: sed tunc verba illa non videntur esse omnino superflua; quia censentur posita ad majorem cautelam *l. testamentum C. de Testam.*

Nonnunquam verba, quæ videntur super- 23 fluere studiò ponuntur ad tollendam dubitationem; vel sophisticas malignorum interpretationes, & ad majorem claritatem; & tunc verba hæc non sunt superflua, quia ponuntur ad majorem cautelam, & eorum proprius effectus est illa major claritas, quam præseferunt: ut enim notat Tuschus; nonnunquam in statutis; & legibus semel dispositum pluries inculcatur per eadem verba, vel alia æquipollentia, quæ idem significant; & tunc non dicuntur otiose jacere, nec superfluere; quia ponuntur ad majorem inergiam; quæ est proprius effectus eorundem verborum. Demum verborum superfluitas solet etiam excusari per consuetudinem jam inolitam.

PROLEGOMENUM XVI.

De fictione Juris.

DEfinitur juris fictio à Bart. *in l. si is qui pro* 24 *emptore ff. de usucap. num. 21.* quòd sit *in re certa, ejus, quod est possibile contra veritatem pro veritate à jure facta assumptio*; quo fit, ut non habeat locum juris fictio, ubi veritas opem non fert, quia est juris fictio legis adversus veritatem in re possibili ex justa causa dispositio; cum fiat ex justa causa in re possibili imitatur saltem veritatem, quæ dicitur opem ferre.

Hinc fictio juris eo fine introducta est, ut id 25 suppleat, in quo desiderabatur facti veritas. Hinc Cajus nunquam malus vir fuisse censetur, eò quia fuit vir pius, addictus culturæ virtutum: item Titius hæres, à puncto mortis testatoris, fingitur dominus extitisse bonorum; tametsi nondum hæreditatem adjerit. Rursus si major pars alicujus communitatis consenserit tota censetur communitas consensisse: hæc & similia dicuntur jurisfictiones; quia lex supplet id, in quo desideratur facti veritas,

Differt fictio à veritate in multis; siquidem 26 aliud est esse tale, & aliud haberi pro tali. Tum quia fictio ad solam legem pertinet, non ita veritas. Differt etiam à præsumptione, quia fictio juris tantum operatur, quantum veritas; præsumptio manet etiam in dubio. Rursus fictio juris aptatur ad certa; & præsumptio ad incerta: fictio juris non admittit probationem; quæ tamen contra præsumptionem validè urget. Rursus fictio tantum operatur quantum veritas, non ita præsumptio per se; unde attendendum est, ne fictio sub specie veritatis aliquem decipiat. Differt etiam aliquem esse ingenuum, & jura ingenuitatis habere *Oldr. cons. 67. in fin.* quia servus habens jus annulorum aureorum habet privilegia ingenuitatis, & tamen non est ingenuus, ut *ibi in fin.* Aliud esse exemptum; & aliud habere privilegium exemptionis *Oldr. d. cons. 67. in fin.*

4 In jure verbum *videtur* importat fictionem *Rom. Conf. 224. ista captura in fin C. qui per alium de reg. jur. in 6.* ut etiam verbum *intelligatur, Abb. conf.* 20. *Col.* 2. *ver. nam verbum intelligatur lib.* 2. Rursus *censere aliquid ita esse* importat fictionem; licet propriè verbum *censere* significet constituere,& præcipere *l. censere ff. de verb. signif.* ubi Rebuff. *col.* 1. *verbum censeri in fin.* in passivo dicit importare idem quod *videri*, proinde inducit fictionem. Rursus verbum *habeatur* fictionem inducit *l. jure civili ff. de condit. & demonst.* aliud enim est, aliquem esse legitimè natum, & aliud haberi pro legitimo, quia legitimatus est per fictionem, & non per veritatem, sicut legitimus. Sunt etiam alia verba inducentia in jure fictionem, quæ à Jurisperitis recensentur, & explicantur. Vide Wesenbec. *l.* 22. *t.* 3. *cir. fin.*

5 Cæterum fictio non parit fictionem,quia duo specialia non generantur ab eadem causa, quapropter fictio,quæ causatur tanquam aliud speciale non potest parere alium actum fictum *l.* 1. *C. de Dotis promiss.* perinde ac unum tacitum non producit aliud tacitum; hinc non datur fictio fictionis Decian. *conf.* 49. *num.* 47. *lib.* 2. Nec duæ fictiones possunt concurrere circa idem *l.* 1. *C. de Dotis. promiss.* nisi una fictio veniat in consequentiam alterius; quia tunc possunt concurrere, ac cumulare plures jurisfictiones, licèt non tendant ad eundem finem, sed ad diversum, ut notat *Alex. conf.* 117. *viso process. num.* 4. *ver. nec obstat. lib.* 5.

6 Non tamen jurisfictio tantæ est efficaciæ quantæ est veritas, & naturalis actus, *Bald. in l.* 4. *C. ad Velleian.* ubi asserit: *plus operari verum, quàm fictum*; & affert rationem; quia fictio dicitur miraculum & speciale,quod inducitur à lege,vel Principe contra veritatem,ut si condat legem quæ præterita comprehendat,quæ non potest comprehendere nisi per fictionē,quæ non tollit jus quæsitum tertio, alioquin induceretur secundum miraculum, & speciale quod non debet admitti.Hinc si Papa signaret gratiam uni hodie,& cras alteri cum data anteriori,licèt per fictionem retrotrahatur, non tamen in præjudicium gratiæ signatæ medio tempore *Cast. conf.* 345. *in præsenti casu circa fin. lib.* 1. quia extrema debent esse capacia, id autem procedit quando gratia media est valida ; non ita si fit nulla, quia non præstat impedimentum : siquidem quod est, non operatur, nec impedit.

7 Rursus fictio nunquam retrotrahitur in præjudicium juris tertio quæsiti *l. Gall.* §. *& quid sit tantum ff. de lib. & posth.* Quod procedit quando jus est quæsitum medio tempore tertio, & efficaciter; non ita si jus fit acquisitum in specie ; quia faciliùs impeditur jus quærendum, quàm tollatur quæsitum. *Flor. q.* 3. *in* 2. *dubio num.* 30. *ver. non obstat octavò.* Tum quia non retrotrahitur fictio legis in præjudicium juris tertio quæsiti facto hominis ; secus si sit quæsitum facto legis, sive facto ipsius, cui est quæsitum, eò quia lex removeat aliquod obstaculum *Flor. q.* 3. *in* 2. *dubio num.* 3.

Habens tamen datam veram anteriorem 8 præfertur habenti fictam, quando maximè concurrunt affectio præbendæ, vel conjecturæ juris,pro habente veram datam *Gem. conf.* 138. *ver. putarem usque in finem*, quia dispositio facta, in casu vero bene trahitur ad casum fictum habentem eandem rationem,non è converso Alexan. *in l.* 1. §. *lex Falcidia n.* 9. *ff. ad legem falcid.* Hinc in matrimonio si concurrant sponsus verus,& fictus præfertur verus *C. fraternitatis de frigid. malef.* Gem. *conf.* 138. *n.* 2. *ver. sed quando.*

Regula generalis est, ut fictio cedat veritati : hinc statutum excludens fœminas 9 stantibus Masculis non habet locum, si exstent Masculi adoptivi, quia sunt ficti filii Bald. *conf.* 24. *in fin. lib.* 1. quapropter filia fœmina naturalis, & legitima præfertur filio Masculo adoptivo, & etiam illegitimo, qui est filius tantùm naturalis.

Fictio in spiritualibus locum non habet 10 saltem in multis casibus, non enim in spiritualibus fictio habetur pro veritate Oldrad. *conf.* 73. *in fin. v. non obstat quod dicitur de actu*: & id vel maximè est verum in foro conscientiæ.Cæterùm in pluribus casibus etiam Canones admittunt fictionem, quæ etiam in spiritualibus habetur plerumque pro veritate, etiam invito simulante,& fingente *c. quod interrogasti* 27. *dist.*&Gloss. ibid. ubi mulier, quæ mortuo marito se finxerat monialem, si postea nubat in sæculo compellitur redire ad monasterium: Monachum itidem, si se fingit; ut fiat Abbas, adigitur esse monachus,licèt non sit Abbas,Abbas *in sua q.* 2. *stante statuto Col.* 11. *in prim. & ver.* 2. *adducitur* ubi ficte fumenti baptismum veraciter sacramentum confertur. Ubi declarat Abbas *d. q.* 2. *col.* 12. *n.* 15. quòd mulier non sit vera monialis propter fictionem, sed tantùm compellitur esse Monialis;& quod baptismus veraciter conferatur ex parte conferentis, non recipientis.

Fictio induci potest tum à lege,tum à Principe Decian. *conf.* 5. *n.* 50. *lib.* 1. imò & ab aliis habentibus jura Principis,Abb. *Conf.* 20. *in pr.* imò à lege Canonica etiam inducitur fictio juris, & in ea reperiri hanc fictionem probat Nicol. Everhard. *de fict.* per omnia Aristotelis prædicamenta, ut liquet singula perlustranti. In prædicamento *substantiæ* habetur exemplum Matth. 11, *vers.* 14. *Ipse est Elias, qui venturus est.* Et sermo est de Joan. Baptist. *& c. queritur* 22. *q.* 2. *item in l. Titius testamento de lib. & posth.* fingitur non natus, qui revera est natus. In prædicamento *Quantitatis* Marci 10. *vers.* 43. *Quicunque voluerit esse major erit minister c. Diacon. dist.* 23. In prædicamento *qualitatis* habetur exemplum. *in c. ferrum dist* 50. ubi post peractam pœnitentiam,& correctos mores criminosus fingitur non criminosus.Et in jure civili plerumque lex fingit esse purum, quod est conditionatum, & è converso conditionatum quod est absolutum. In prædicamento *Relationis Lucæ* 2. *vers.* 48. *ego,& Pater tuus dolentes quærebamus te.* Ubi Josephus, qui Pater non erat fingitur esse pater, & habetur transsumptivè *in c. instit.* 27. *q.* 2. In lege civili filii adopti- 11

adoptivi etiam finguntur filii, licèt non sint. In prædicamento *Ubi* exemplum fictionis habetur *in c. mutat. q. 1.* ubi ad alium Episcopatum translatus fingitur adhuc in priore loco esse, in quo non est. In jure civili etiam fingitur præsens quoad commodum, vel incommodum, ut in fictione postliminii, & legis Corneliæ, captus enim ab hoste si in civitatem revertatur, fingitur nunquam absuisse. In prædicamento *Temporis* fingitur aliquid eo tempore esse quod non est *c. pericul. de pœnit. dist. 1.* ubi in homicidio quod patratur fingitur esse præsens, qui illud mandavit. In jure civili habetur exemplum in actu conditionali, qui sortitur effectum ex conditione, & quia conditio retrotrahitur, fingitur jam dudum fuisse antea *l. si quod pendente de peric. & comm. rei vendita.* In prædicamento *Actionis* habetur exemplum *in c. quanta de sent. excommunic.* ubi violentas manus in clericum finguntur injicere, qui consentiunt in percussionem clerici, nec illam impediunt cùm commodè possint. In jure civili tribuitur actio illi, qui procul distans procuratorem constituit *l. licet de judic.* In prædicamento *Passionis* nonnunquam ille dicitur pati, qui nil patitur, & è converso non pati, qui revera patitur *c. proposito, & seq. 32. q. 5.* In lege civili injuria illata patri censetur irrogata filio *§. patitur instit. de injur.* In prædicamento *Sitûs* habetur exemplum in *c. Nervi & c. duo mala. dist. 13.* Siquidem fingitur perplexitas esse; ubi non est. In lege civili præscriptio aliquando currere fingitur, aliquando dormire *c. cum non liceat ex transmissa. de præscript.* In prædicamento habitûs habetur exemplum in *C. lex continentia d. 31. & in c. uxoratus de convers. conjug.* ubi conjugatus fingitur non habere uxorem. Jus civile etiam interpretatur eum habere, qui non habet *l. qui actionum reg. jur.* item habere possessionem, qui illâ caret, ut quando ab ea avocari potest *l. nemo junct. Gloss. C. de aquir. poss.*

PROLEGOMENUM XVIII.

De utilitate, & necessitate Juris Canonici, & in quibus prævaleat Civili.

1 CErtum est, jus canonicum prævalere civili in Sacramentalibus, & spiritualibus, in quibus leges civiles non dedignantur imitari sacros Canones *c. 1. de novo oper.* Feder. de Sen. *cons. 36. casus talis est in prin.* Imò eò juri civili prævalent SS. Canones, quò altiores sunt Cœli à terra, ut notat Bald, *cons. 464. in fin. lib. 1.* hinc quidquid dicunt canones circa matrimonia prohibita, & permissa, hoc idem etiam dicit jus civile: generaliter ubi agitur de salute animæ, & de peccato declinando, jus Canonicum semper prævalet civili, & non solùm circa matrimonia, & spiritualia; verùm etiam circa accessoria ad ea, & dependentia; & ideò pœnæ secundò nubentium intra annum luctûs in totum sunt sublatæ. Fed. de Sen. *Cons. 36. n. 2. ver. ex his ergo.* ubi est casus consilii. Idque extenditur, quià sicut non valet statutum laicorum circa juramentum, & matrimonium; ita non valet statutum circa pœnam dependentem à juramento, & matrimonio, Alex. *Cons. 59. viso instrumento n. 4. in fin.* Restringitur tamen, quia licèt legitimatus per subsequens matrimonium secundùm jus canonicum, tametsi non intercesserint dotalia instrumenta, pro ut requiritur de jure civili, sit verè legitimus factus, tam in terris Ecclesiæ, quàm imperii; attamen quo ad successionem bonorum contrarium habetur: in terris imperii non succedit, quia successio potest regulari per jus civile, etiam in legitimis, & jus canonicum nil in contrarium disponit.

Ea igitur est necessitas SS. Canonum, ut sine eorundem notitiâ perfectus Jurista non habeatur: dependent enim in pluribus leges civiles à canonicis præsertim cum agitur de spiritualium conditione, de sacramentis, rebúsque sacris, in quibus Canones præferuntur legibus civilibus. Hinc Jurista perfectus is tantùm dicitur, qui scit utrumque jus, civile, & Canonicum: & nisi Jurista sciat canones, non gustat dulcedinem legalem, ut loquitur Bald. *in c. cum causam de probat.* Tum quia Canones ligant Imperatorem, sicut quemlibet laicum; adeò ut non possit Imperator, qui aliàs est solutus legibus, derogare juri Canonico. Bald. *consil. 373. n. 5.* 2

Jus Canonicum esse itidem scitu necessarium, Theologis, virisq; Ecclesiasticis, non vertitur dubio, si enim de administrandis, applicandis, vel conferendis sacramentis agitur, ut etiam de officio Ordinarii, seu Episcopi, Archidiaconi; Archipresbyteri, Primicerii, aliorúmque Clericorum necessarium omnino est judicium Juris Canonici, quo munera omnia Ecclesiastica, & officia, declarantur; explicatúrque, quid debeat quisq; in suo gradu Ecclesiastico agere, ut etiam de Authoritate Legatorum Sedis Apostolicæ, de potestate Delegatorum, Vicariorum, Coadjutorum, Capituli sede vacante, de Prælatorum electione, postulatione, confirmatione, consecratione, collatione beneficiorum Ecclesiasticorum, eorúmque usu, & administratione. Rursus de decimis, de jure patronatûs, de immunitate, & sepultura Ecclesiastica, de voto, & voti mutatione, seu redemptione, de censuris Ecclesiasticis, aliisque id genus, quæ sunt Ecclesiastici juris. Ex quibus liquet, virum Ecclesiasticum vix posse suo fungi munere, nisi calleat notitiam sui officii; consequenter & Juris Canonici saltem quoad partem. 3

Quòd si quæstio incidat de iis, quæ comprehenduntur in Jure Canonico, vix respondere potest Theologus, si scientiâ Juris Canonici fuerit destitutus. Etenim SS. Canones agunt de impedimentis matrimonii, tum impedientibus, tum dirimentibus, de 4

Con-

Conventione usuraria, & symoniaca, de absolutione à reservatis, & de plerisq; aliis; de quibus interrogatus Theologus ignorans Canones vix veram dabit responsionem. Hinc salubriter à Cœlestino Papa *c. nulli dist. 38.* constitutum est; ut nulli sacerdotum liceat Canones ignorare: nec quidquam agere, quod Patrum possit regulis obviare. Gravius etiam injungitur hæc Canonum scientia, à Greg. *c. hac consona. 25. q. 1.* ubi ait: *Hac consona SS. Patribus definitione sancimus, ut qui sacris nescit obedire Canonibus, nec sacra administrare, nec communionem capere, sit indignus altaribus.* Quinimo etiam generaliter sancitum est in concilio Meldensi, & exstat in *c. 1. ext. de constitut.* ut Canonum statuta custodiantur ab omnibus, & nemo in actionibus, vel judiciis Ecclesiasticis suo sensu; sed eorum authoritate ducatur. Hinc Theologus SS. Canonum notitiam nullo pacto debet negligere. Siquidem ecclesiastici Canones constituti ab ecclesia fuerunt, ut eorum adminiculo, Christi fideles salutem animæ consequerentur, séque ad æternam vitam promoverent, mediante æquitate in rebus agendis exercenda. Hinc haud incongruè dixit Glossa *in reg. juris 2. in 6.* subjectum attributionis scientiæ Juris Canonici esse hominem dirigibilem non solùm in bonum commune, seu politicum, ad quod scientia Juris Civilis per se, ac directè ordinatur: sed etiam in DEUM, quatenus viam sternit ad æternam salutem.

5 Non tantùm Theologo, sed & Juristæ pernecessaria est scientia Juris Canonici, ut paulò superiùs innuimus: siquidem quæ à jure civili de personis Ecclesiasticis prodita sunt, ea jam pridem antiquata, & ad Ecclesiasticas constitutiones revocata sunt *c. Eccles. sanctæ Mariæ 10. ext. de constitut. c. 1. dist. 96.* Tum quia quæ de matrimonio contrahendo vano conatu constituit Jus civile, illa pariter redacta sunt ad regulas SS. Canonum *cap. in fin. de consang. & affin. c. 12. de excess. Prælat. c. 4. & 5. ext. de secundis nuptiis.* Rursus concilium Tridentinum *sess. 24. Can. 22.* concubinatum, usuras, præscriptionem cum mala fide, seu cum conscientia rei alienæ à Jure Civili admissa ad normam itidem Juris Canonici revocavit.

6 Plures sunt lacunæ Juris Civilis, ut loquitur Canisius *in Proæmio sua sum.* Quæ Christiano nomine sunt indignæ, & corriguntur per Jus Canonicum, ut & illud, quod contra pietatem à Justiniano Imperatore constitutum est *§. fin. Novell. 89. quib. mod. natural. effic. sui auth. ex complex. C. de incest. & inut. nupt.* de non alendis liberis à parentibus ex incestu, vel aliàs à legibus damnato concubitu natis. Præterea quod non minorem redolet impietatem, est, quia Jus civile comprobat leges, quibus, patri permittitur, ut is filiam suam in adulterio deprehensam possit unà cum adultero impunè, & sine scelere occidere *l. patri 20. & l. quod ait ff. ad legem Jul. de adult.* quorum utrumque à Jure Canonico summa æquitate expunctum est. Primum enim *ex c. habet 5. extra de eo qui duxit in matrimonium.* alterum *ex c. 6. c. 9. 33. q. 2.* ex quibus liquet, pertinere ad Jus Canonicum corrigere Jus Civile in iis, quæ pertinent ad bonos mores, vel virtutum culturam, aut animæ salutem; & in iis omnibus, quæ juri divino, vel naturali adversantur.

Cæterum Justinianus Imperator sanctè, & religiosè de SS. Cononibus videtur sensisse ut conjicitur ex *Novell. 131. de Eccles. Tit. §. 1. ubi ait: sancimus igitur, vicem legum obtinere sanctas Ecclesiasticas regulas, quæ à SS. quatuor Conciliis exposita sunt, aut firmata* (scilicet Niceno, Constantinopolitano, Ephesino, Chalcedonensi) *prædictarum enim quatuor synodorum dogmata sicut sanctas scripturas accipimus; regulas sicut leges observamus.*

PROLEGOMENUM XIX.

De regulis argumentandi in Jure Canonico.

Quemadmodum Jus Canonicum metaphysicas respuit subtilitates, quæ propriæ sunt Philosophiæ, & Theologiæ speculativæ; ita argumenta, quæ in jure Canonico producuntur iisdem non nituntur; quia Juris Canonici, & civilis materia tota quanta legibus continetur, quarum rationes, & causas in singulis semper investigare, nil aliud foret, quàm in moribus humanis velle quadraturam circuli reperire; seu cribro haurire aquam, vel rete ventos expiscari. Tum quia definitiones in neutro Jure Canonico, & Civili ponderandæ sunt ad libellam Dialecticæ; siquidem raræ sunt illæ definitiones in jure, quæ ex solo genere, & differentia, coalescunt. Etenim lex à Papiniano, definitur *commune Præceptum l. 1. de legibus*, in qua definitione non reperitur differentia, nisi sumatur commune, ut differat à particulari: sed non omne præceptum commune est lex. 1

Rursus contractus à Labeone definitur *ultro, citròque inter duos, pluresque obligatio*, quæ definitio etiam videtur manca, quia deest genus. Vnde difficile est in jure explicare quidditatem & essentiam rei definitæ. 2

Omissis igitur Metaphysicis abstractionibus, & subtilitatibus: fontes argumentorum in Jure Canonico sunt petendi. Primò, ab ipsa lege, siquidem in qualibet lege, ut notat Bald. *§. scire leges de legibus.* Tria perpendi debent, scilicet *verba, Vis, & Authoritas*, ex quibus possunt Argumenta desumi: in argumentatione enim materiali verba legis, vel maximè attenduntur *l. 1. §. si is, qui navem de exercit. act. subtil. & intellectual.* quia hæc argumentatio consistit in vi sermonis, ut quod verbum *exigere* significet ab invito petere, *l. 11. §. si rem ff. de legib.* Rursus à lege arguitur affirmativè vel 3

vel negativè; priori modo arguitur, quando lex expressa, & authentica adducitur pro casu, de quo litigatur. *Negativè*, à legis dispositione cessante.

4 Secundò, valet argumentum ab authoritate alicujus celeberrimi Doctoris, ut etiam ab Authoritate Aristotelis, *l. si pater ff. de solut. l. 7. mens. ff. de stat. homin.* Non tamen argumentum ab hac authoritate censetur ullius ponderis, si adversetur legi; adeò, ut ab authoritate Aristotelis, vel alterius magni viri argumentari contra legem, perinde sit, ac risum in adstantibus movere, quia authoritas Aristotelis in jure non attenditur Bart. *q. 7. mulier habens in solutione n. 2. in fin. vers. & sic non curo de authoritate Aristotelis*, quod procedit, quando adversatur legi.

5 Tertiò, argumentum rectè ducitur à ratione, quando deficiente lege ratio naturalis suggerit, quid efficiendum, vel declinandum sit, sicut Labeo *in l. fluminum §. adjicitur de damno infecto*: ubi ait, quòd si hoc non admittatur, iniquum erit. Quod enim tam firmum ædificium est, ut fluminis, aut maris, aut tempestatis, aut incendii, aut terræ motûs vim sustinere possit?

6 Quartò, argumentum etiam valet, si concludat ab omni parte contra eum, qui agit absque alia declaratione: Hinc si fœmina petat divisionem bonorum, quæ negantur esse communia petenti, excluditur ea à judicio divisionis: quia si petat bona tanquam feudalia, fœmina non succedit; si tanquam allodialia debet priùs probare proprietatem Cast. *Conf. 159. in causa, quam magnificus n. 6. vers. super tertio lib. 1.* idque procedit, tametsi in quolibet intellectu non arguat eandem qualitatem, seu probationem ejusdem qualitatis, ut quando in uno concludit præsumptivè, & in alio verè, quia utraque probatio sufficit. Cast. *d. conf. 159. in causa quam n. 6. in tertio dubio lib. 1.* Idque ampliatur in probatione, quia tametsi incerta probatio non relevet probantem maximè in criminalibus; valet nihilominus, quando argumentum, & probatio omninò concludit: ut si testes affirment, quòd Titius interfecerit Cajum, sivè cum gladio, sive cum sclopeto: quia ea non dicitur incerta probatio, quæ concludit ex omni parte; & homicidium ab omnibus affirmatur.

7 Quintò, à sufficienti partium enumeratione, valet etiam argumentum *l. Patre furioso in prin. ff. de his, qui sunt sui, vel alieni juris*, siquidem in omni dispositione argumentum petitum à sufficienti partium enumeratione efficaciter concludit: & hoc argumento sæpissimè utuntur Doctores, ut rei veritatem ostendant.

8 Sextò à communiter contingentibus urget etiam argumentum, quia si fit consuetudo, ut aliquid fiat communiter in loco; ut quod lauda homologentur, antequam legantur, & de iis habeatur notitia, homologatio præsumitur facta, eo modo, à communiter contingentibus *Cast. conf. 466. n. 5. lib. 1.* hinc in præsumptione contra usurarios valet hoc argumentum, eò quia soliti sint, non aquiescere de sorte, quin priùs obtinuerint usuras Cast. *conf. 26. n. 3. l. 2.* in dubio itidem partus in nono mense præsumitur conceptus, si aliud non probetur in contrarium, quia à communiter accidentibus homines nascuntur in nono mense, Bald. *conf. 390. n. 3. li. 2.* valet etiam argumentū, si agatur de crimine, & vita turpi, quia hæc probatur per locum à communiter contingentibus, ut si fœmina passim introducat in domum Juvenes amasios Bald. *conf. 253. filia familias, in princ. lib. 2.* valet etiam ad probandum homicidium, ut si maritus exstiterit solus cum sua uxore, præsumitur illam interfecisse, si non appareat alius interfector Bald. *conf. 254. proponitur, quod uxor circa medium vers. in contrarium lib. 2.*

Septimò, valet etiam argumentum à verisimili mente statuentis, nimirum quòd statuens interrogatus, ita respondisset Gloss. *in l. tale pactum §. fin. Gloss. ff. de pact. l. Titius §. Lucius.* Idque procedit tam in reo, quàm in actore, tam in masculo quàm in fœmina: quia licèt Glossæ, & Doctores loquantur de reo, vel masculo; tamen illud est ratione frequentioris usûs; & ideò indistinctè procedit de omnibus. Sunt tamen aliquæ regulæ contrariæ, quæ habentur apud Doctores. 9

Octavò, à contrario sensu valet etiam argumentum in jure: Hinc exemptio concessa Clericis & Ecclesiis ne solvant Gabellam, neque onera pro rebus propriis, non habet locum circa bona ex mercimoniis acquisita, quia valet argumentum à contrario sensu *c. quamquam ubi Doctor de cens. in 6.* Hoc argumentum dicitur etiam fortissimum, eò quia oppositum tantum operetur in opposito, quantum propositum in proposito *l. sicut C. de repud. hæredit.* Et sicut in rebus pessimi exempli excedimus jura in puniendo; ita in rebus optimi exempli licitum est transgredi jura in præmiando, ut tantum operetur oppositum in opposito; quantum propositum in proposito. In Jure Canonico procedit argumentum à contrario sensu in favorem piæ causæ, tametsi casus sit prohibitus de jure civili, quia resultat à contrario sensu, *c. licet de sepult. lib. 6.* ubi à contrario sensu inducitur, quod filius familias potest testari, codicillare & legare ad piam causam cum consensu patris, licèt de Jure Civili non possit Federicus de Senis, *conf. 294. per totum.* 9

Nonò, valet etiam argumentum à constitutione municipali, & statuto ad rescripta, Roman. *conf. 399. ut præsens consultatio in princ. vers. 2. probatur*: & è contra de rescripto ad statutum Jas. *in l. Justitia coll. pen. ff. de justitia & jure.* Valet itidem de statuto ad conventionem, vel contractum; quia parem significationem strictam habent, ut secundùm Jus commune intelligantur Rom. *d. consult. 399. n. 2. vers. 3.* è contra à conventione ad statutum valet argumentum affirmativè Rom. *d. consult. 399. n. 3.* 10

Decimò, argumentum ab Ethymologia vocabuli est tantum argumentum probabile, & non concludit necessariò, Homod. *consult. 70. in quæst. vertent. n. 3.* quod verò argumentum du- 11

ductum ab Ethymologia vocabuli valeat tam affirmativè, quàm negativè asserit Abbas *consult. 82. quamquam n. 2. vers. 2. lib. 1.* ubi ait: Feudum dici à fide, & fidelitate propter Ethymologiam, idque declarat Alex. *consult. 153. viso Themate n. 3. vers. hoc etiam patet lib. 7.* Siquidem valet argumentum ab Ethymologia vocabuli, quando non contradicit propriæ significationi; idcóque vult, quòd Consobrini propriè sint filii sororum, quia etiam allusio vocabuli concurrit, quasi consororii.

12 Undecimò, argumentum à majore ad minus affirmativè non valet, *c. cum in cunctis de elect.* idque declarat Curt. *consult. 339. n. 59. & 60. lib. 3.* quia inde sequeretur quòd quidquid potest Imperator, posset etiam privatus. Contrarium tamen tenet Gozadin. *consult. 6. n. 52.* illudque extendit etiam in materia odiosa, quia si potest, quod majus est, ergo etiam potest, quod est minus, & valet affirmativum à paritate concessionum; ut si clausula præventionis operatur in secunda gratia, quæ minoris est efficaciæ, debet etiam operari in priori.

13 Duodecimò, argumentum valet etiam de temporalibus ad spiritualia, & è contra: ut à Clerico deserviente Ecclesiæ ad militem inservientem castris admittitur Argumentum ab Oldra. *cons. 17. n. 10. in fin. coll. 2.* Hinc argumentum à matrimonio carnali valet ad matrimonium spirituale; ut sicut una debet esse sponsa, & unus sponsus; ita eadem Ecclesia non potest habere duos Episcopos, ut ostendit Ultrad. *consf. 67.* ubi docet, quòd propterea duo instituti in parochiali Ecclesia, ad exercitium parochiale purè non sint Prælati, & in ea non habent locum, *C. de multa de præb. c. licèt canon. de l. in 6. elect.* Valet etiam à dote temporali ad dotem spiritualem beneficii dotati, Abb. *consult. 89. ex Them. n. 2. vers. moveor lib. 2.*

14 Tertio decimò, valet etiam argumentum à conjunctione plurium legum, ut etiam à conjunctione plurium statutorum, Aret. *consult. 76. n. 15.* In iis tamen; in quibus effectus resultat contrarius non fit argumentum, ut si quis in ultima voluntate leget, postea dicat perseverans in eadem voluntate, se donare inter vivos bona legata, non arguitur in isto casu ex conjunctione plurium statutorum, quia voluntas ultima est ambulatoria, & exspectat mortem; non ita donatio inter vivos Aret. *consult. 73. n. 58. & sequent. vers. nec obstare possunt.* A lege argumentabantur Judæi, ut probarent, Christum dignum morte Joan. 19. *Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori:* Sed à ratione Christus infregit eorum argumentum Joan. 8. *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?*

15 Quartò decimò, valet argumentum ab exemplo, ut etiam in plerisque casibus, in quibus datur aliquando æquiparatio; sed in pluribus aliis nil obtinet ponderis; proinde ab hoc fonte infirma deducuntur argumenta. Ab exemplo tamen Angelus Lucæ 1. probat Virginem Mariam concepturam, & parituram JESUM; inquiens: *Ecce Elisabeth, cognata tua concepit filium in senectute sua.*

16 Modus verò convincendi adversarium habetur per retortionem; quando telum ab illo projectum, in caput ipsius retorquetur, sic Christus respondit Judæis Joan. 8. *In lege vestra scriptum est, duorum hominum testimonium verum est: & vos hoc agnoscitis: at ego sum, qui testimonium perhibeo de me, & pater meus, qui misit me, testimonium perhibet de me; duo nimirum dicunt: ergo testimonium hoc verum est.* Convincitur etiam adversarius per interrogationem, ut per ejus responsionem argumentum sumatur *C. quo jure dist. 8. Quo jure defendis villas Ecclesiæ? divino, an humano? divinum jus in scripturis habemus; humanum in legibus Regum.* Solvuntur verò argumenta, quæ fiunt in Jure canonico, si attendantur, quæ in hisce tribus comprehenduntur versibus, quos refert, & fusè explicat Speculator *l. 2. T. de Disput. & allegat. in v. Generaliter*

Causa, locus, tempus, persona, rigor, novitásque,
Antiquum, bonitas, tempus, veto, consulo, præcipioque
His si jungatur permissio, jus variatur.

Addit Speculator *l. c.* Omnia contraria in Jure per tres fallacias ferè solvi, nimirum per fallaciam æquivocationis; accidentis; secundùm quid, & simpliciter.

†

R. P.

R.P.D. Cajetani Felicis

VERANI COMMENTARIA

In primum Librum

DECRETALIUM.

TITULUS I.

De summa Trinitate, & Fide Catholica.

Quia deficiente fundamento nil potest superædificari, *Can. cum Paulus 1. q. 1.* & è converso ædificium tunc solidè constituitur, quando firmissimum jacitur fundamentum; & Deus sit rerum omnium initium, ac firmissimum fulcimentum: Ideo Gregorius IX. daturus initium Juri Canonico suam orditur tractationem ab iis, circa quæ Christianæ Religionis momenta versantur, seu à summa Trinitate, & Fide Catholica: quia sicut leges civiles, ut justæ sint, ex præceptis juris naturalis, & gentium, seu rationis humanæ desumi debent, *l. 1. ff. de Iustit. & jur.* ita leges canonicæ, seu Constitutiones ecclesiasticæ, veluti quædam conclusiones ex Lege Divina, & præceptis fidei, veluti ex suis principiis, ac præmissis deducuntur, *c. qualiter, & quando de Constit.* Hæcque est ratio, cur Summus Pontifex Jus Canonicum auspicetur à Summa Trinitate, & Fide Catholica, de quibus, cum fusè egerim in Theologia, *tom. 3. & 6.* pauca subjiciam.

SUMMARIUM EXEGETICUM

Omnium Capitum, quæ in hoc Titulo continentur.

CAP. FIRMITER I. h. t. Proponit INNOCENTIUS III. unà cum Concilio generali Lateranensi, unum esse Deum, & quidem tres Personas, sed unam essentiam, seu naturam, omnino simplicem; adeo ut Deus sit unus in essentia, omnipotens, æternus, creator omnium corporalium, & incorporalium; trinus verò in Personis, ita tamen, ut Pater à nullo sit, sed sit semper generans, & spirans: Filius à solo Patre sit genitus, sed semper spirans: Spiritus S. ab utroque procedens. Quòd Filius sit à tota Trinitate incarnatus, & cooperatione Spiritus S. ex B. Virgine conceptus, & ex eâ natus secundùm carnem passibilis, secundùm Divinitatem impassibilis; sitque pro nostra salute passus, & mortuus. Et quòd una sit universalis Ecclesia, in qua idem ipse Sacerdos est Sacrificium JESUS CHRISTUS, cujus corpus, & Sanguis in Sacramento Altaris continentur. Quod Sacramentum nemo conficiat, nisi Sacerdos ritè ordinatus. Baptismus verò à quocunque ritè collatus proficiat ad Salutem. Et post illum lapsi in peccatum per veram Pœnitentiam possint reparari.

CAP. DAMNAMUS 2. h. t. Damnatur ab eodem Pontifice, doctrina Abbatis Joachimi, contra Petrum Lombardum, quâ negat tres Personas Divinas esse unam essentiam, substantiam, & naturam, & asserit esse tantùm inter illas quandam unitatem collectivam, & similitudinariam, perinde ac multi homines sunt unus populus, & multi fideles una Ecclesia: quæ doctrina damnatur ut hæretica; & approbatur ut Catholica illa Petri Lombardi dicentis: quod quædam summa res (scilicet natura) sit Pater, Filius, & Spiritus S. & illa Res non sit generans, nec genita, nec procedens: sed sit Pater, qui generat; Filius, qui generatur; & Spiritus S. qui procedit; Damnatur etiam ut hæretica doctrina Almarici, ut in textu.

IN SEXTO.

CAP. FIDELI UNIC. Damnat GREGORIUS X.

X. In Concilio generali Lugdunensi omnes, qui negare præsumpserint, Spiritum Sanct. procedere à Patre, & Filio, tanquam ab uno principio, & una spiratione æternaliter. Vel temerè ausi sint asserere, Spiritum S. procedere à Patre, & Filio, tanquam ex duobus Principiis spirativis, non ut ab uno.

IN SEPTIMO.

CAP. CUM QUORUNDAM. 1. h. t. PAULUS IV. definit. Trinitatem Personarum in unitate substantia. Christi Divinitatem, & ejus, de Spiritu Sancto, in utero Virginis Mariæ, conceptionem.

CAP. CONVENIENTES. 2. h. t. EUGENIUS IV. in Concilio Florentino declarat, & defendit Fidem, & Religionem Christianam, contra errores Græcorum, de Processione Spiritus S. à Patre, & Filio.

CAP. DIFFINIMUS. 3. h. t. Idem Pontifex declarat, esse credendum de fide Eucharistiæ Sacramentum, & Pœnitentiæ, ut etiam bonorum Operum merita, suffragia ecclesiastica, Sedisq; Romanæ primatum, & Apostolicam Successionem.

CAP. INJUNCTUM. 4. h. t. PIUS IV. in Concilio Tridentino statuit, ut imposterum omnes promovendi ad beneficia, & dignitates ecclesiasticas, cujuscunque Ordinis, ac instituti, debeant professionem Fidei profiteri juxta præscriptam ibi formam, & cum solemni juramento.

IN CLEMENTINIS.

CAP. FIDEI CATHOLICÆ UNIC. h. t. CLEMENS V. in Concilio Viennensi definit, Dei Filium assumpsisse partes nostræ humanæ naturæ simul unitas; Corpus scilicet passibile, & animam rationalem: & in ea natura voluisse non solùm mori, sed etiam post emissum Spiritum, latus suum perforari, ut exinde profluente aqua, & Sanguine, formaretur mater Ecclesia, conjux Christi; perinde ac de latere veteris Adæ dormientis, Eva formata fuit. Approbat etiam Evangelium S. Joannis. Item, damnat omnem doctrinam temerè asserentem, vel vertentem in dubium, quòd substantia animæ rationalis verè, & per se humani corporis non sit forma. Demum approbat Doctrinam asserentem, tam parvulis, quàm Adultis, conferri in Baptismo, ex Christi meritis, gratiam, & virtutes.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

De Summa Trinitate.

1 TRaditurus Summus Pontifex doctrinam Juris Canonici, initium auspicatur à Fide Catholica, quæ est ejus objectum, & à summa Trinitate, à qua omne bonum in nos derivatur, & est finis ipsius Juris Canonici, & circa quam nil aliud statuendum, aut credendum est, quàm quòd universalis Ecclesia, à SS. Scripturis, & Apostolicis traditionibus edocta, ministerio S. Spiritus, ejúsque lumine interiùs illucente decrevit, & professa est; adeò, ut teneamur confiteri, unum solum esse verum Deum, æternum, immensum, incommutabilem, incomprehensibilem, omnipotentem, ineffabilem, cujus essentia sit infinita, simplicissima, omnem excludens compositionem, ac potentialitatem, sed summam dicens actualitatem, sibiq; identificet tres Personas divinas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum; adeò ut licèt tres sint Personæ, unica tamen sit essentia, substantia, natura, omnino simplex; & ex personis, Pater à nullo sit; Filius à Patre solo, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, absq; initio, semper, ac sine fine; & Pater sit semper generans, filius nascens, & Spiritus S. procedens; & hæ tres Personæ consubstantiales sint, coæquales, coomnipotentes, & coæternæ: unum universorum principium, Creator omnium visibilium, & invisibilium, spiritualium, & corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem; Angelicam videlicet, & mundanam; & deinde humanam, quasi communem, spiritu, & corpore constitutam. Hæc enim S. Trinitas secundùm comunem essentiâ individua & secundùm personales proprietates discreta, primò per Moysem, & SS. Prophetas, aliósq; famulos suos juxta ordinatissimam dispositionem temporum, doctrinam humano generi tribuit salutarem; ita enim sentiendum esse de summa, & individua Trinitate declaravit Innocentius III. in Concilio generali, quod fuit Romæ in Laterano celebratum anno Christi millesimo, ducentesimo decimo quinto, assidentibus Jerosolimitano, & Constantinopolitano Patriarchis, & totius ferè orbis Episcopis, Principúmq; Legatis, anno sui Pontificatûs XVIII. Sicut igitur Justinianus Imperator, Leges suas, quas XII. Libris Cod. complexus est, à summa Trinitate, & Fide Catholica, orsus fuit: ita eodem modo Summus Pontifex Jus Canonicum auspicatur: quia sicut Leges civiles, ut intra limites contineantur æquitatis ex præceptis Juris naturalis, & gentium, peti debent, *l. 1. D. de just. & jure*: ita Leges Canonicæ, seu Ecclesiasticæ, veluti quædam Conclusiones, ducuntur ex lege divina, & præceptis fidei, à quibus oriuntur, perinde ac flumina suam è fontibus originem trahunt, *C. qualiter, & quando, inf. de constitut.*

2 Fundamentum igitur totius Juris Canonici, seu Pontificii, est ipse Deus trinus, & unus, quo solo nititur, à quo solo oritur, & in quem solum ten-

tendit; adeò ut *in can. Quæ jure dist. 8.* dicatur, Deus humana jura per Imperatores, & Rectores sæculi communicâsse humano generi: & *in can. nemo 16. q. 3.* dicantur Humanæ leges, divinitus per ora Principum promulgatæ: sitq; Deus legum omnium rectè sancitarum origo, dicâtq; Proverb. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores justum decernunt.*

3 Quamobrem rectè à Sumâ Trinitate Pontifex initium Juris Canonici auspicatur, ut inde significetur ejus primaria origo, & finis ultimus. Est autem Trinitas idem ac trium unitas, & duo importat, unitatem, & numerum; scilicet unitatem naturæ, & numerum Personarum, hunc in recto; illam in obliquo, ut cum Nysseno *lib. de opif.* docet D. Thomas *1. p. q. 31. art. 1.* docet enim fides Catholica, dari in Deo tres Personas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, quia Math. 28. dixit Christus: *Euntes ergò, docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, ex quo textu communiter SS. Patres colligunt, in una divina essentia significata, *in nomine*, dari tres Personas; ut etiam ex illo Joan. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.*

4 Quòd verò Filius sit consubstantialis Patri, seu ejusdem numero substantiæ, fuit de fide definitum in Concilio Nyceno contra Arrianos, & *in 6. Synodo actione 1. & 17.* ubi habetur, *profitemur Christum consubstantialem Patri, secundùm Deitatem*, & desumitur ex illo Joan. 10. *Ego, & Pater unum sumus*, scilicet unius substantiæ, & unius naturæ. Hinc Christus loquens de prædestinatis dixerat, *non rapiet eos quisquam de manu mea*, & adducens rationem subdit: *quia nemo potest eos rapere de manu Patris mei*: ex quo infert: *ego, & Pater, unum sumus*, ut ostendat æqualitatem potentiæ, & naturæ.

5 Spiritum Sanctum esse consubstantialem Patri, & Filio, fuit itidem definitum in Concilio Niceno, in cujus Symbolo dicitur de Spiritu Sancto; *Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur*, & in Concilio Constantinopolitano IV. *Collat. 8. Can. 1. Si quis non confitetur Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, unam naturam, & virtutem, & potestatem. Trinitatem consubstantialem, unam Deitatem in tribus subsistentiis adorandam, anathema sit.* Id etiam colligitur ex Scripturis *Actorum 3. dixit autem Petrus Anania: cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto, non es mentitus hominibus, sed Deo*: Ex quo SS. Patres, Chrysostomus, *Serm. de consubstantiali Trinitate*, Epiphanius *hæres. 59.* Augustinus *3. contra Maxim. cap. 25.* & alii plures inferunt, Spiritum S. esse Deum. Neque obstat, Apostolum ad *Rom. 3* asserere, Spiritum S. postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus; ex quo videtur inferendum, esse inferiorem Deo, eò quia postulare sit proprium inferioris. Nam Spiritus S. eatenus dicitur postulare, quatenus facit, ut nos postulemus, excitando per suam gratiam homines ad postulandam æternam salutem.

6 Quamvis in divinis detur *Trinitas*, non tamen conceditur *Triplicitas*, quia hæc vox significat proportionem inæqualitatis, estque species proportionis inæqualis; est enim triplex majus eo, respectu cujus dicitur triplex, ut docet D. Tho. *1. p. q. 31. art. 1. ad 3.* Secus *Trinitas* dicitur absolutè, nec refertur ad aliud, sed significat numerum ternarium Divinarum personarum: unde cum dicitur *Trinitas in unitate*, non ponitur numerus in unitate essentiæ, quasi hæc sit ter una: sed ponuntur personæ numeratæ in unitate essentiæ; seu tres personæ identificatæ cum eadem simplicissima, ac individua essentia; sitque Trinitas in unitate, & unitas in Trinitate. Estque mysterium, quò Deus lucem dicitur habitare inaccessibilem, humili potiùs silentio adorandus, quàm curioso ratiocinio inquirendus.

Etenim, si fides nos ineffabile hoc non edoceret mysterium; ratio, quâ solo prælucente spiculo naturæ lumine res à materia sejunctas investigamus, non aperiret: siquidem ejus cognoscibilitas excedit hominis captum. Quis enim, præcisa fide, intelligat, quomodo relationibus distinguantur, non dividantur personæ? Originibus producantur, non causentur termini? Quis capiat quomodo Personæ (ut loquitur Ambrosius contra Arianos) ex alio sint, & non ex materia: sine subjecto, nec tamen sint ex nihilo; ab alio sint, non tamen ab ipso dependeant? Quis comprehendat quomodo sine corruptione exerceatur generatio; sine divisione sit pluralitas, sine solitudine unitas, ac demum unitas in Trinitate, & Trinitas in unitate veneranda sit? 7

Ratio, cur in Deo Trinitas ponatur personarum oritur ex ejus summa perfectione. Cum Deo nulla sit perfectio deneganda; & fœcunditas ex proprio conceptu quædam sit perfectio, quâ simile producit sibi simile; debet hæc fœcunditas infinita, quâ Divinæ Personæ producantur ad intra, necessariò in Deo poni, alioquin totam non complecteretur perfectionum plenitudinem. 8

Hanc fœcunditatis perfectionem inesse Deo, liquet Isaiæ 66. *Nunquid ego, qui cæteros parere facio, sterilis ero?* quasi dicat, quomodo illâ carebo perfectione, quam aliis communico? est autem Deus fœcundus per intellectum, & voluntatem; tametsi sit actus simplicissimus, omnem excludens potentialitatem. Actus siquidem intellectûs, & voluntatis ita comparantur, ut unus sit posterior altero, quem præsupponit, cum voluntas semper feratur in id, quod jam est cognitum: quod in divinis proportionaliter etiam locum habet; adeò ut processio Amoris supponat processionem Verbi: & sicut Amor in beatis oritur ratione cognitionis, ita etiam in Deo productio Amoris, procedit à ratione Verbi. Hinc processiones divinæ non sunt à natura divina, prout hæc dicit intellectû, & voluntatē, quocumq; modo, sed prout terminatur ab hypostasibus, ita ut processio proveniat formaliter ratione illius terminationis, quæ exigit terminari, tali, vel tali hypostasi. Habet enim natura divina, ratione suæ infinitatis esse principium talis, & talis processionis, quatenus terminatur tali, vel tali hypostasi; idque ex eo liquet, quia, ut terminatur hypostasi Patris, est princi- 9

pium

pium Verbi; & ut sit principium Spiritus Sancti, exigit ulterius terminari hypostasi Filii: quia cùm Spiritus Sanctus procedat, ut Amor, supponit Verbum productum, ut illud, quod pertinet ad intelligere. Quam ob rem virtus spirativa, ut est in Patre, non intelligitur, esse principium proximum Amoris, quia non potest esse principium Spiritus Sancti, quin sit etiam in filio. Sicut enim Amor in creaturis procedit ratione cognitionis involventis verbum creatum: ita Amor divinus procedit, ratione Verbi divini, ideoq; exigit, esse ab illo, ut terminante naturam divinam secundùm virtutem spirativam. Et hæc est ratio, cur in Deo ad intra fœcundo dentur tres personæ in unica simplicissima natura.

10 Solet etiam hæc Trinitas Personarum evinci in Deo ratione summi boni, quod est sui summè communicativum: & cum non possit Deus se summè communicare ad extra in creatione rerum. Eò quia repugnet creatura summè perfecta, Deóque consubstantialis, ideò necessum est, ut Deus ab æterno se ad intra communicet, producátq; sibi similem, & quidem per actionem intellectûs, & voluntatis, cùm nulla alia sit actio immanens in Deo. Hinc actione intellectûs procedit secunda persona, quæ dicitur Filius, & Verbum: filius quidem, quia genitus, ejus enim processio propriè est generatio; quia habetur per modum similitudinis, & ejusdem prorsus naturæ cum eo, à quo procedit.

11 Et quamvis, quod procedit ad extra ab alio, debeat esse distinctum ab eo, à quo procedit; non ita quod procedit ad intra processu intelligibili, ut Filius à Patre: quinimò eò perfectiùs procedit, quò magis est unum cum eo, à quo procedit: siquidem quò magis intellectus actu intelligit, eò arctius fit unum cum re intellecta, & cum divinum intelligere sit infinitæ perfectionis, necesse est, Verbum divinum esse perfectè unum cum eo, à quo procedit sine ulla diversitate; & quia procedit per modum intelligibilis actionis, & secundùm rationem similitudinis, propriè dicitur filius, & ejus processio est propriè generatio: non ita processio Spiritus Sancti, quæ est magis secundùm modum impulsûs, & inclinationis, quàm per modum similitudinis: intellectus enim per hoc fit in actu, quia possidet in se rem intellectam secundùm suam similitudinem: secus voluntas fit in actu, per hoc, quod habeat quamdam inclinationem, ac propensionem in rem volitam; non veró quòd res volita sit in voluntate, secundùm suam similitudinem: & hæc est ratio, cur terminus procedens secundùm actionem voluntatis non procedat, ut genitus, nec ut filius; sed potiùs, ut Spiritus, quo nomine vitalis motio, & impulsus significatur:

12 Hinc dantur in Deo processiones reales, ratione quarum una persona procedit ab alia, Christus enim de se *Joan. 8.* ait: *Ego à Deo processi*, & *cap. 15.* de Spiritu Sancto dicitur: *Cùm venerit Paraclitus, Spiritus veritatis, qui à Deo procedit.* Unde Augustinus 15. de Trinit. c. 26. *Qui potest intelligere sine tempore generationem filli Dei de Patre, intelligat sine tempore processionem Spiritus Sancti ab utroque.* Sunt igitur divinæ processiones immediatè, & proximè per intellectum, & voluntatem: Filius enim Ecclesiastici 24. dicitur: *Sapientia genita,* quæ proximè, & immediatè est ab intellectu: & Spiritus Sanctus *ad Rom. 5.* dicitur *Charitas*, quæ immediatè procedit à voluntate.

Processiones passivas realiter distingui inter se, fides adstruit, docens alteram ex divinis Personis, ex vi suæ processionis, procedere, ut Filium; & aliam, ut Spiritum Sanctum. Habetur tamen hæc distinctio, solùm ratione ordinis, originis, & oppositionis relativæ. Ex vi processionis formaliter, & primariò Pater communicat filio totam, & adæquatam naturam divinam, ut etiam Pater, & Filius, ex vi spirationis totam Deitatem Spiritui Sancto. 13

Hinc dantur in Deo veræ relationes propriè, & rigorosè tales, quæ definiuntur rationes substantiales propriæ personarum divinarum, per quas personæ vicissim referuntur. Et præter tres relationes constituentes personas divinas datur etiam quarta, quæ vocatur relatio spirationis activæ. 14

Dicuntur termini divinæ intellectionis, & volitionis personæ, quia illis congruit definitio personæ, quæ traditur à Boëtio *lib. de Person. & natur. c. 3. ubi definitur persona, ut sit: naturæ rationalis individua substantiæ.* Unde ratio personæ primariò, & in recto significat ipsam personalitatem, & in obliquo naturam, quia personæ multiplicantur juxta numerum personalitatum; quà ratione dantur in Deo tres personæ, quia totidem dantur personalitates, licèt unica detur tantùm natura: è converso in Christo Domino licèt dentur duæ naturæ, divina, & humana, quia tamen non datur, nisi una personalitas divina hypostaticè unita naturæ humanæ, non datur nisi una persona. Hinc liquet, divinas personas non constitui, neq; distingui proprietatibus absolutis, sed relativis; non prout istæ concipiuntur per modum originis, & fluxûs; sed quatenus se habent per modum, quasi formæ permanentis. Habent personæ divinæ suos speciales characteres, seu notiones se habentes per modum quasi formæ significatæ in abstracto: sunt enim notiones rationes discretivæ personarum, quia ut rectè Augustinus lib. 5. de Trinit. c. 6. *Alia est notio, quâ cognoscitur Genitor, & alia est notio, quâ cognoscitur Genitus.* 15

Quia verò in divinis concedenda est persona aliqua improducta, quæ principium sit cæterarum sine principio, ideò præter quatuor relationes, seu proprietates personarum, Paternitatem, filiationem, spirationem activam, & passivam, ponenda est quinta notio; quæ explicet, & characterizet hanc personam in ratione primi principii sine principio, estque ipsa innascibilitas, quâ Pater, ita est principium cæterarum personarum ad intra; ut ipse non sit ab alia persona, seu principio, sed à se; adeò, ut innascibilitas sumpta negativè, habeat in Patre fundamentum positivum, sitque ratio primi principii à se sine principio, seu ipsa Paternitas, non sub præciso, & explicito conceptu pa- 16

ternitatis, sed sub conceptu paternitatis à se: Unde innascibilitas formaliter, & explicitè dicit negationem processionis ab alio, & est propriè notio discretiva personæ Patris ab aliis divinis personis, quia solus Pater non procedit ab alia persona, sed ab ipso procedunt Filius, & Spiritus Sanctus.

17 Hinc prima persona propriè dicitur Pater, quia hoc nomen significat Patris notionem, ratione cujus persona Patris distinguitur ab omnibus aliis personis: propriū enim nomen cujuslibet personæ, illud significat, per quod illa persona distinguitur ab omnibus aliis. Et quamvis in creatis Pater non significet personam, eò quia sit relatio adveniens personæ jam constitutæ: in divinis tamen constituit personam, quia significat relationem subsistentem in persona divina. Quamobrem nomen Patris, quod propriè, & non metaphoricè dicitur de prima persona divina, quo ad rem significatam, non convenit univocè, neque analogicè, cum personis creatis.

18 Secunda persona, quæ dicitur Filius, propriè est etiam Verbum, Joan. 5. *Tres sunt, qui Testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*, adeo, ut ratio Verbi propriè dicatur notionaliter de secunda persona, quæ propterea dicitur imago Patris, ab ipso expressa ex intentione se ipsum repræsentandi in Verbo; adeo, ut sola productio Verbi sit formaliter generatio, quia Verbum ex vi suæ formalis processionis procedit, ut simile producenti, non solum in principio quasi generico, seu natura; sed etiam proximo, quod est intellectus ultimo constitutus per objectum intelligibile, estque principium assimilativum. Quia verò Verbum procedit per intellectum, cui proprium est cognoscere, utique procedit ex cognitione divinæ essentiæ, omniumque attributorum absolutorum, in quarto modo perseitatis: ut etiam ex cognitione omnium divinarum personarum, proinde ex cognitione intuitiva sui. Neque inde sequitur, Verbum procedere à se ipso, quia de ratione verbi est procedere à dicente, & loquente, non ab objecto. Quinimò procedit etiam ex cognitione Creaturarum possibilium ob earum continentiam eminentialem in omnipotentia, & essentialem connexionem cum ipsa.

19 Tertia Persona vocatur Spiritus Sanctus: & quamvis nomen Spiritus S. ex vi duarum dictionum, scilicet ratione adjectivi, & substantivi sit commune omnibus divinis personis, cum Pater etiam dicatur Spiritus, *Spiritus Domini super me*: & Filius etiam dicitur Spiritus: *In Spiritu Dei ejiciam dæmonia*: & etiam Spiritus Sanctus dicatur Spiritus, *effundam de Spiritu meo super omnem carnem*: & omnes tres personæ sint æquè sanctæ: nihilominus hoc nomen Spiritus Sanctus sumptum pro una, & eadem dictione ex usu Ecclesiæ accomodatur ad significandam tertiam personam, eò quia hæc procedit per modum Amoris. Procedit enim Spiritus Sanctus ex Amore, quo Pater, & Filius amant se essentialiter, ut etiam attributa, & omnia necessaria, quæ sunt in Deo: siquidem procedit ex Amore perfectissimo, & omnino adæquato ipsi Deitati, quapropter necesse est, extendatur ad omnia, quæ sunt formaliter in ipsa Deitate. Non tamen procedit ex amore libero circa creaturas ad extra, quia quod est priùs non potest procedere ab eo, quod est posterius: & futura dependent à libero Dei decreto, ut à causa; & decretum de creaturis producendis ad extra emanat à tribus Personis divinis: qua ratione opera ad extra dicuntur indivisa totius Trinitatis.

Quamvis Pater, & Filius sint principium Spiritus Sancti, non duo tamen sunt principia spirandi, sed unum tantùm; quia nomina substantiva non multiplicantur, quin eorum formæ multiplicentur: & virtus, seu ratio spirandi non multiplicatur in Patre, & Filio. Discrimen inter concreta adjectiva, & substantiva hoc est; quia illa, ut dicantur pluraliter, non est necessaria pluralitas formalis rei significatæ. Sed sufficit, si plurificentur supposita, tametsi in iisdem sit ejusdem rei formale significatum; quo pacto, si in duobus parietibus replicaretur eadem numero albedo, adhuc essent duo parietes albi, non unus: hinc quamvis consubstantialitas sit eadem numero in tribus personis; dicuntur tamen divinæ personæ, ut distinctæ consubstantiales, coæternæ. Secus, ut multiplicentur concreta substantiva debet plurificari formale significatum per nomen concreti substantivi. Cùm verò dicimus, Patrem, & Filium esse unum principium Spiritus Sancti per nomen Principii intelligitur ipsa virtus spirandi, non in abstracto; sed in concreto, seu principium subsistens de virtute spirativa: quod principium sunt Pater, & Filius simul indistinctè. 20

Hinc quamvis in divinis dentur quatuor relationes Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, & passiva, non tamen dantur quatuor Personæ: siquidem quaternitas personarum omnino damnatur *C. damnamus hoc. tit.* quia relatio spirationis activæ non differt realiter à paternitate, & filiatione, cum nulla intersit oppositio inter spirationem activam, & paternitatem, ac filiationem: & in divinis omnia sunt unum, inter quæ non intervenit oppositio originis, & relationis. Neque Pater, & Filius includunt duas spirationes activas, nec duas relationes illis correspondentes: quia Pater, & Filius concurrunt ad processionem Spiritus Sancti, in ratione unius principii, & per unicam eandemque spirationem *c. unico eodem tit. in 6.* 21

Quia verò circa processionem Spiritus Sancti Græci errarunt, ac defecerunt à fide Catholica: solvenda supersunt fundamenta, quibus nitebantur Græci. Primò igitur, ut probarent, Spiritum Sanctum non procedere à Filio: objiciebant illud Salvatoris, Joan. 15. *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit*, ubi ex eo, quòd nulla fiat mentio de processione Spiritûs S. à Filio, inferebant, procedere à solo Patre, quod tamen falsum est: quia Christus non dixit, Spiritum S. procedere à solo Patre, sed dixit procedere à Patre non privatè, sed cumulativè cum Filio, ut apertè habetur in aliis Scripturis, ait enim CHRISTUS Joan. 16. 22

Ille

Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Sed Spiritus sanctus nil aliud potest à filio accipere, quàm ipsam essentiam divinam: & eo ipso, quòd accipit essentiam à filio, jam procedit ab illo; quia unam personam in divinis procedere ab alia perinde est, ac accipere eandem essentiam ab illa: alioquin si non acciperet essentiam, non haberet eandem essentiam, ac naturam cum filio, proinde esset creatura: quamobrem quando Joan. 15. Christus ait, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, non intelligitur à Patre privativè, & exclusivè quoad filium, sed cumulativè cum Filio: ratio, cur Christus solum Patrem nominet, est, quia ad eum solet referre etiam id, quod ipsius est, cùm hoc ipsum habeat à Patre: hinc ait Augustinus *lib. 3. contra Maximin. c. 14.* hic nominari solum Patrem, non ut excludatur filius; sed quia Pater solus est primarius Author processionis Spiritus sancti, eò quia habeat virtutem spirandi ex se ipso non ab alio; & filius habet à Patre principium spirativum, quod cùm sit prorsus idem in Patre, & filio; ex eo, quòd dixerit explicitè à Patre Spiritum veritatis procedere, implicitè dixit etiam procedere à Filio, qui licèt expressè non nominetur, implicitè tamen includitur: quia idem principium spirativum, quod est in Patre, est etiam in filio, & cum Spiritus sanctus procedat ab hoc principio: à Patre, & filio, tametsi filius non exprimatur indicto *c. Joan. 15.*

23 Nitebantur secundò, eò quia sanctus Dionysius *c. 1. de divinis nominibus* circa initium dicat: *Omnino igitur non audendum est quidquam de summa, abstrusáque divinitate, aut dicere, aut cogitare præter ea, quæ nobis divinitùs scripta divina enunciaverunt.* Verùm ad auctoritatem sancti Dionysii respondet D. Thomas *p. 1. q. 36. art. 2. ad 1.* procedere quoties aliquid in scriptura non exprimitur, nec per verba, nec per sensum, adeò ut nec explicitè, nec implicitè deduci possit ex scripturis; tunc enim verum est, non esse cogitandam quidquam præter ea, quæ scripta divina nobis divinitùs enuntiarunt: atqui in scripturis licèt expressè non haberetur, Spiritum sanctum procedere à Filio; implicitè tamen, & quoad sensum habetur processus Spiritus sancti etiam à Filio, eò quia cum Spiritus Sanctus procedat à Patre, non præcisè, ut est Pater, sed ut est spirator; & filius sit etiam spirator, adeò ut principium spirativum, quod est in Patre, sit etiam in Filio, sequitur necessariò, quòd si Pater per tale principium spirat Spiritum sanctum; etiam Filius illum spiret: alioquin idem prorsus principium spirativum spiraret, & non spiraret. Præterea Spiritum sanctum procedere à Filio clarè etiam deducitur ex illo Christi Joan. 16. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet*, non potest autem Spiritus sanctus accipere à Filio nisi scientiam, & essentiam: Verbum etiam est sapientia Patris, & sapientia est prorsus idem realiter entitativè cum divina essentia, quo fit, ut Spiritus sanctus accipiat essentiam divinam etiam à Filio, & procedat etiam ab ipso.

Nitebantur tertiò Græci authoritate Damasceni *lib. 1. de fide Orthodoxa c. 11.* ubi ait *Spiritum sanctum ex Patre dicimus, & Spiritum Patris nominamus: ex Filio autem Spiritum sanctum non dicimus: Spiritum verò filii nominamus:* ex qua authoritate inferebant Græci, Spiritum sanctum non procedere à filio. Sed perperam, quia ex eo, quòd Damascenus dicat, Spiritum sanctum nominari Spiritum Filii, apertè indicat, filium spirare etiam spiritum sanctum: si enim illum non spiraret, non esset spiritus filii, nec consequenter posset nominari spiritus filii: unde ex Damasceno potiùs infertur, Spiritum sanctum procedere etiam à filio: neque obstat, Damascenum dicere: *Ex filio autem Spiritum sanctum non dicimus*, quia Patres Græci censuerunt, tutiùs dici, Spiritum sanctum procedere *per filium*, quàm ex filio; quapropter idem Damas. *loc. cit.* ait: *Spiritum per filium dicimus, ex Filio non dicimus*, scilicet in eo sensu, quo etiam plures Patres latini præsertim Hilarius *l. 12. de Trinit.* ait, Spiritum sanctum procedere à Patre per filium; quod perinde est ac procedere à Patre, & filio, cùm idem principium spirativum, quod inest Patri, sit etiam in filio. Dicitur autem procedere à Patre per filium, quia Pater idem principium spirativum communicat filio, ut notat D. Thomas *q. 36. art. 2.* Cæterùm Patres Græci maluerunt dicere Spiritum sanctum procedere à Patre per filium, quàm ex filio propter Hæresim Macedonii, & Eunomii, qui asserebant, Spiritum sanctum procedere à filio, ut ex primaria, & unica causa; ad abolendum enim hunc errorem dixerunt Patres illi, Spiritum sanctum procedere ex Patre per filium, ut notat Bellarminus *lib. 2. de Christo cap. 27.* Neque ex eo quòd Spiritus sanctus perfectè procedat à Patre, sequitur superfluè procedere à Filio: quia cùm sit idem prorsus principium spirativum in Patre, & filio debet ab utroque perfectè procedere. Tum quia etiam Pater perfectè mundum condidit, & tamen inde non rectè inferimus, Filium, & Spiritum sanctum non creasse simul cum Patre mundum: ratio est, quia tres Personæ divinæ creārunt mundum, prout sunt una ac eadem simplicissima res omnipotens, proinde unum ac idem principium creativum rerum omnium: atqui etiam Pater, & Filius sunt unicum, ac idem principium spirativum, & Pater non spirat Spiritum sanctum, prout præcisè est Pater, sed ut est Spirator; & quia filius est etiam Spirator rectè sequitur, quòd si Spiritus sanctus procedit à Patre, procedat etiam à Filio, quia procedit ab eodem principio indivisibili spirativo, quod est in Patre, & Filio. Hinc in symbolo Athanasii habetur: *Spiritus sanctus à Patre, & filio, non factus nec creatus, nec genitus, sed procedens*, & in symbolo Apostolorum, de Spiritu sancto dicitur, *qui à Patre, Filióque procedit.*

§. II.

De Fide Catholica.

Fides Catholica est donum Dei, ac internum lumen, quo homo mente illustratus firmiter, & absque ulla hæsitatione assenti- 1

 tur

tur omnibus, & singulis, quæ DEUS revelavit, nobisque per Ecclesiam proposuit credenda, sive scripta sint, sive non; hæc enim consistunt partim in libris sacris, & canonicis, qui recensentur in Concilio Tridentino *sess. 4.* ubi anathemate feriuntur, qui eosdem integros, & cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica leguntur, & in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris, & Canonicis non susceperint. Quæ verò non sunt scripta, habentur per traditiones, quæ vel ab ipso Christo immediatè, vel ab Apostolis, & Spiritu sancto dictante ad nos derivârunt, quasi per manus majorum ad successores traditæ. Concilium Tridentinum etiam percutit anathemate eos, qui præfatas traditiones scienter contempserint: Dividuntur autem traditiones in Divinas, Apostolicas, & Ecclesiasticas. Traditiones divinæ sunt: quòd Spiritus sanctus à Patre, & Filio tanquam ab uno principio, & una spiratione ab æterno processerit: quòd tres personæ divinæ sint in substantia, essentia, natura, æquales, eò quia earumdem, una sit, ac eadem substantia, & natura, & distinguantur realiter per relationes reales ratione originis, producentis, & producti. Traditiones Apostolicæ sunt, ciborum delectus, jejunium quadragesimale, trina immersio, cum quis aqua lustrali baptismi abluitur. Traditiones Ecclesiasticæ versantur circa mores, & consuetudines, quas Ecclesia semper religiosè observavit, præsertim circa res sacras in consecrandis altaribus, Basilicis, templis, & aliis id genus.

2 Definitur autem fides catholica ab Apostolo ad *Hebr. 11.* quòd sit: *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, quam definitionem apertis amplectuntur ulnis, tum Canonistæ, tum Theologi: quia Apostolus allata definitione comprehendit duplex fidei munus, ob quod nobis divinitùs infunditur: nimirum ad illuminandum, & firmiter credendum ex parte intellectûs; & ad stabiliendam spem nostram, omnésque actus bonos ex parte voluntatis: etenim per illa verba *sperandarum substantia rerum* claret, fidem esse basim, ac fundamentum rerum omnium supernaturalium, quæ speramus in cœlesti patria: quapropter fides divina est etiam fundamentum spei christianæ; & hac ratione dicitur sperandarum substantia rerum: nimirum quoad objectum primarium fidei supernaturalis, seu quoad DEUM. Cæterum plura credimus fide divina ob infinitam, & infallibilem veracitatem DEI revelantis, quæ neq; speramus, neque consequi optamus: ut sunt peccatum Adæ; lapsus Luciferi, & aliorum Angelorum; Diluvium, infernus, proditio Judæ, & plura alia id genus, quæ sunt objecta fidei minus principalia. Quamobrem per illa verba sperandarum substantia rerum significatur nobis primarium fidei supernaturalis objectum, seu DEUS, quem in cœlesti patria speramus intueri, ac cœlesti donari beatitate. Indicatur etiam fidei proprietas, quæ certa, & infallibilis esse debet. Dicitur etiam *substantia* rerum sperandarum, quia per fidem stabilitur affectus nostræ voluntatis, ut firmiter subsistat in ordine ad speranda cœlestia, & obtinendam eorundem consecutionem per exercitia bonorum operum.

Hinc subdit Apostolus alia verba: *argumentum non apparentium*, ut nimirum ostendat, fidem esse firmam adhæsionem intellectûs, ac firmum ejus assensum: dicitur autem hoc argumentum esse *non apparentium*, eò quia hæc firma adhæsio intellectûs fit de rebus, quæ ex se nec claræ sunt, nec evidentes: quæ enim fide credimus, non videmus, nec demonstratione nobis innotescunt, alioquin de iisdem haberetur potiùs scientia, quàm fides: hinc ait Glossa, fidem ibi non habere meritum, ubi humana ratio præbet experimentum: quapropter proprium est fidei captivare humanum intellectum in obsequium credendorum. Cæterum quia per habitum fidei supernaturalis intellectus firmiter adhæret objecto, quod credit; dicitur fides illuminare intellectum, eúmque firmiter corroborare, ut credat, certum, & infallibile esse objectum fidei ob revelationem Dei, qui non potest falli, nec nos fallere. 3

Contra tamen hanc definitionem fidei traditam ab Apostolo objicit Glossa ad rubricam hujus tituli, ubi asserit, non esse rectè traditam, eò quia non sit convertibilis cum suo definito; & conveniat etiam spei, quæ est itidem substantia rerum sperandarum. Verùm id non videtur obstare, quia licèt spes possit etiam dici substantia rerum sperandarum, cùm sit spes virtus, quâ spiritualia, & æterna sperantur, & cum fiducia expectantur; differt tamen definitio fidei à definitione spei per alias particulas additas ab Apostolo, seu per *argumentum non apparentium*, quæ particulæ nullatenus spei congruunt. Rursus fides versatur æquè circa res bonas, ac malas, dummodo à DEO fuerint revelatæ: credimus enim peccatum Adæ, lapsum Luciferi, proditionem Judæ, & alia id genus, quæ in se mala sunt, cum avertant à DEO fine ultimo: atqui malum, non est objectum spei; nullus siquidem est, qui speret, ac desideret, quod sibi potest esse malum, ac nocivum: spes enim est actus prosecutionis, quo prosequimur, & desideramus, quod speramus: malum autem est objectum aversionis. 4

Rursus fides extenditur ad tempus præteritum, præsens, ac futurum: credimus enim præterita, præsentia, & futura, quatenus nobis revelantur à DEO: & propter infallibilem veracitatem DEI, qui non potest falli, nec nos fallere, credimus certè, & infallibiliter quicquid nobis ab ipso revelatur, sive jam præterierit, sive præsens sit, sive venturum sit: secus spes non est de præteritis, sed tantùm de futuris, & quæ speramus consequi, & nobis proponuntur ut assequibilia: ex quibus liquet discrimen inter fidem, & spem, & quomodo definitio fidei tradita ab Apostolo non conveniat spei: quamobrem definitio allata ab Apostolo est convertibilis cum suo definito, quia in eo, quòd dicatur substantia rerum sperandarum, distinguitur fides divina ab humana, quia hæc non est substantia rerum sperandarum supernaturalium in cœlesti patria: præterea ex 5

eo

eo, quod Apostolus dicat, esse *argumentum non apparentium*, distinguitur fides divina ab humana, quia hæc est fallibilis: homines siquidem, quibus credimus, possunt & falli, & nos fallere: secus fides divina ob infallibilem veracitatem Dei revelantis, non est obnoxia falsitati.

7 Hinc differt etiam fides divina ab opinione, & suspicione, quia in istis non habetur firma adhæsio intellectûs, ut in fide divina. Differt etiam à scientia per hoc, quòd Apostolus dicat, fidem esse *argumentum non apparentium*: etenim quod apparet, certum est, ac evidens: quod verò credimus, nobis evidenter non innotescit.

Liquet adæquatum objectum materiale fidei non esse solum Deum; sed etiam aliquid creatum, quia illud totum pertinet ad objectum materiale, quod potest substerni formali: at objecto formali fidei, non solùm Deus; sed etiam plura creata substernuntur: quòd enim Beata Virgo semper fuerit Virgo, quòd fuerit desponsata Joseph, sunt propositiones de fide: & omnis veritas revelata authoritate divinâ pertinet ad objectum materiale fidei, & potest attingi per habitum fidei. Verùm tamen est, Deum esse objectum principale, quia Augustinus *lib. 4. de civit. Dei c. 20.* ait *fidei unum, & primum, & maximum officium est, ut in unum credamus Deum.* Quia est fides substantia rerum sperandarum, inter quas principaliori modo se habet Deus. Tum quia in visione beata correspondente fidei principalius objectum est Deus clarè visus. Vnde Deus sub ratione saltem ultimi finis, pro ut est summum bonum, est objectum principalius fidei, quia fides elevat homines, ut ambulent tanquam viatores, & manifestat modum tendendi ad terminum: & cum terminus nostræ viæ sit Deus sub ratione ultimi finis, ideo Deus nobis manifestabitur sub tali ratione.

8 Objectum formale fidei catholicæ est prima veritas in dicendo, quia cum fides fit ex testimonio dicentis, fides divina, qualis est catholica nititur testimonio Dei *1. Joan. 5. si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est.* Testimonium autem dicit veritatem in dicendo. Tum quia sola hæc veritas in dicendo potest movere intellectum ad assensum, quia eatenus assentimur rei, ut est sub revelatione; quatenus judicamus, quod testificans sit verax. Fundatur tamen hæc veritas in dicendo in ipsa veritate cognitionis: siquidem veritas in dicendo est manifestativa veritatis in cognoscendo.

9 Disputare publicè, vel privatim de articulis fidei prohibetur laicis sub pœnis excommunicationis *in c. 2. §. 1. de hæreticis in 6.* quinimò neque Magistris & Custodibus Canonum licet inire certamen cum hominibus alienæ communionis, ut habetur *in c. cum quibus 24. q. 3.* idq; verum est, si disputetur causâ tumultûs vel perfidiæ defendendæ; alioquin ad confusionem hæreticorum, & ostendendam veritatē disputare non est prohibitum; quia id dirigitur ad salutem proximi, estque opus charitatis docere ignorantes, & peccatores, ut resipiscant.

10 Fidei catholicæ professionem ex Concilio Tridentino *sess. 4. de Refor. c. 1.* tenentur facere promoti ad Episcopatum: item provisi de canonicatibus, & dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus; & non tantùm coram Episcopo, vel ejus officiali, sed etiam coram capitulo sub pœna privationis fructuum, non suffragante eis possessione, ut habetur in *Concil. Trid. d. sess. 24. c. 12. §. provis.* Imò Zypæus *de jure Pontificio. lib. 1. hoc tit.* refert, Carolum Magnum olim sanxisse, ut Presbyteri, & Diaconi constituendi per parochias hanc professionem coram proprio Episcopo facerent: & Pius IV. eandem professionem injunxit iis, qui Doctoratum, licentiam, aut cujusvis artis professionem adipiscuntur, ut liquet ex declaratione Cardinalium *ad c. 2. Concil. Trid. sess. 25. de refor.*

11 Quomodo verò quilibet Christi fidelis obligetur ad internam, vel externam fidei confessionem, docent Theologi cum D. Thoma *sec. 2. q. 1. & sequent.* non enim sufficit solo corde credere, sed etiam ore, vel alio actu exteriore, quo exprimatur interna fides, ubi id exigit honor Dei, vel proximi utilitas, non obstante quovis periculo, cui debet semper præferri honor Dei: & quamvis hominem christianum non faciat lingua, sed conscientia; non tamen potest salutem assequi, qui exterius non profitetur fidem, dicente Apostolo ad Rom. 10. *corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem*: & præsertim cùm Christus Matth. 10. apertè dicat: *qui me negaverit coram hominibus, negabo eum coram Patre meo, qui est in cælis.* Hoc tamen præceptum externæ fidei confessionis faciendæ cùm sit affirmativum, licèt regulariter obliget semper, non tamen pro semper.

§. III.

Proponuntur, & dissolvuntur aliquot selecta quæstiones.

1 QUæritur primò, quales fuerint errores Abbatis Joachimi, de quo fit mentio in *c. damnamus 2. h. t.* respondetur, Abbatem Joachimum fuisse Monachum Benedictinum fundatorem Monasterii Florensis regulari observantiâ celebris, & vixisse anno reparatæ salutis 1195. & scripsisse commentaria in Isaiam, Jeremiam, & Apocalipsin, & concordiam testamenti veteris cum novo. Hic igitur Abbas ex eo, quòd Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis, qui floruit tempore Gratiani anno Christi 1145. sententias sanctorū Patrum, ac Theologorum simul congessisset, & in quatuor sententiarum libros distribuisset, qua ratione per antonomasiam dicitur Magister sententiarum, occasionem sumpsit contra ipsum scribendi; eò quia Petrus Lombardus *lib. 1. sent. dist. 5.* asseruerit, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, esse unam summam, & increatam essentiam. Rursus essentiam divinam non generare, sed Deum Patrem esse genitorem; neque essentiam divinam generari, sed filium Dei à Patre generari: ad quod asserendum movebatur Petrus Lombardus, quia esse-

essentia divina communis sit tribus personis, sitque una, & simplicissima in Patre, Filio, & Spiritu sancto; adeo, ut personæ divinæ non distinguantur, nisi in proprietatibus personalibus, & relativis. Hanc igitur Petri Lombardi doctrinam impugnavit Abbas Joachimus putans unitatem naturæ, quæ divinis personis tribuitur esse quasi collectivam, & similitudinariã, perinde ac inter homines dicimus, esse unum populum, unum exercitum: & ut hunc errorẽ propugnaret, allegavit illud *Joan. c. 17.* ubi Christus rogat pro suis fidelibus Patrẽ, *ut sint unum, sicut & nos*, unde sicut fideles non possunt esse quid unum, nisi collectivè, inferebat Abbas Joachimus ex verbis Christi; personas divinas nonnisi collectivè esse quid unum, & impugnabat simplicissimam unitatem essentiæ Patris, Filii, & Spiritus sancti, quia non poterat percipere, quomodo tres personæ discretæ possent esse una, ac indivisa essentia divina: cùm unum, & plura; divisum, & indivisum opponantur.

2 Verùm hic error fuit damnatus in Concilio Lateranensi, ex quo fuit desumptum *d. c. damnamus 2. h. t.* Concilium enim approbavit doctrinam Petri Lombardi, & damnavit errores Abbatis Joachimi, & ad verba Christi *Joan. 17.* respondit Concilium, illam particulam *sicut* non significare similitudinem perfectam, sed aliqualis proportionis sitæ in eo, quòd sicut Pater, & Filius sunt unum in essentia; ita fideles sint unum in gratia, & charitate: idq; corroboratur ex eo; quia Christus *Matth. 5.* ait: *Estote vos perfecti, sicut & Pater vester Cælestis perfectus est, ac si manifestius diceret* subdit Concilium Lateranense: *Estote perfecti perfectione gratiæ, sicut Pater vester cælestis perfectus est perfectione naturæ: utraque videlicet suo modo: quia inter Creatorem, & Creaturam non potest tanta similitudo notari. quin inter eos sit major dissimilitudo notanda*, hactenus Concilium. Hinc ad id, quod asserebat Abbas Joachimus, personas divinas esse tres, & discretas, respondetur, divinam essentiam in tribus illis personis esse realiter, & in se unam, & simplicissimam: & ex eo, quòd eadem simplicissima essentia sit in tribus divinis personis, posse ad summum tantùm dici virtualiter multiplicem; quatenus in tribus personis divinis, cum quibus identificatur, & ratione cuius tres personæ sunt unus Deus, habet eandem entitatem; & virtutem; ac est eadem prorsus in una, ac in alia.

3 Quæritur secundò, cur error Abbatis Joachimi, & damnatio sui libri non obfuerit Monasterio Florensi per ipsum instituto, ac directo? respondetur, rationem assignari in *d. c. damnamus. §. in nullo 2. h. t.* ubi habetur: *In nullo tamen propter hoc Florensi Monasterio (cujus ipse Joachim extitit institutor.) volumus derogari: quoniam ibi & regularis est institutio, & observantia salutaris; maximè cum ipse Joachim omnia scripta sua nobis assignari mandaverit Apostolicæ sedis Judicio approbanda, seu corrigenda.* Ratio igitur cur error Abbatis non obfuerit Monasterio, duplex fuit. Primò quia religiosi præfati Monasterii regularem semper retinuerint observantiam, & non fuerunt participes erroris Abbatis: hinc notat Panormit. in *dict. cap. damnamus n. 2.* Prælatum delinquentem non obesse Capitulo, si istud non consentiat delicto Prælati; *juxta Regulam 77. in 6. delictum personæ non debet in ecclesiæ detrimentum redundare.* Tum quia *ex reg. 22. in 6. non debet aliquis alterius odio prægravari.* Fallit tamen hæc regula in aliquibus delictis gravioribus, pro quibus etiam alii quamvis innocentes quodammodò luunt: hinc filii nati ex Patre criminoso notantur aliquo dedecore, ut liquet in illegitimis *c. 1. & 2. de filiis Presbyteror.* Ut etiam in filiis hæreticorum *c. 2. §. hæretici de hæret. in 6.* Ut etiam in filiis eorum, qui crimen læsæ Majestatis commiserunt *l. quisquis 5. §. filii C. ad leg. Jul. Majest. c. vergentis 10 de hæret.* Rursus si crimen Prælati esset dilapidatio bonorum, & ob hanc dilapidationem etiam Conventus suspectus esset, tunc delictum Prælati obesset etiam conventui, in quem redundaret, ut notat Felin. *in. c. Is qui 11. de major. & obed.* Quamobrem præfatæ regulæ limitantur *per regul. 23. in 6.* ubi habetur: *Sine culpa, nisi causa subsit, non est aliquis puniendus*: & quando filii puniuntur ob delictum parentum, tunc subest justa causa.

Secunda ratio, cur error Abbatis Joachimi non obfuerit Monasterio, est, quia Abbas Fuerit protestatus, quòd libellum suum Judicio sanctæ Romanæ ecclesiæ intendebat humiliter submittere: hinc quia Abbas non fuit pertinax in suo errore, potuit error damnari; absque eo, quòd ipse Abbas damnaretur, ut hæreticus: quia ut aliquis damnetur ut hæreticus, requiritur pertinacia; potest autem quis proferre propositionem hæreticam, quamvis non sit hæreticus: quia hæresis, ut constituat hæreticum, debet esse error in fide non simpliciter, sed ut junctus cum pertinacia, ut notat Glossa *V. pertinaci*, ubi ait: *licèt teneat aliquis ea, quæ sunt contra fidem, dummodo paratus sit corrigi; non est Hæreticus.* Hinc quia Abbas Joachimus suum errorem pertinaciter non tenuit; sed sua scripta submisit judicio sedis Apostolicæ approbanda, vel corrigenda; non fuit hæreticus. Tum quia Abbas Joachimus in epistola propriâ manu subscripta palam professus fuit, firmiter se tenere fidem illam, quam Romana tenet ecclesia, & quæ disponente Domino omnium fidelium est Mater, & Magistra: cùm igitur in ipso defuerit pertinacia, non fuit formaliter Hæreticus, quia pertinacia est in voluntate, & error contra fidem in intellectu *can. dixit Apostolus 24. q. 3.* 4

Quæritur tertiò, cur in libris scribendis consultius semper sit, iisdem præfigere protestationem, quâ Author sua scripta correctioni submittat sedis Apostolicæ? Respondetur id esse consultius, ad evitandum omne periculum hæreticæ pravitatis: quia tunc tametsi aliquis error contra fidem irrepsisset; ex defectu tamen pertinaciæ in Authore, non esset hic censendus hæreticus; tunc enim error censetur irrepsisse per ignorantiam sine malitia, vel per incuriam *arg. c. damnamus 2. h. t.* ut notat Fagnanus *n. 23.* 5

Solent

Solent etiam, qui vitam, & miracula Servorum Dei scribunt, suam præfigere protestationē, quâ expressè protestantur, se nolle historicæ narrationi de vita, virtutibus, miraculis, beneficiis, revelationibus, aliisque donis supernaturalibus aliam tribui fidem, quàm, quæ tribuitur aliis narrationibus, quæ solâ humanâ fide nituntur; donec narrata à sede Apostolica approbata fuerint. Adhibetur hæc solemnis protestatio, eò quia Pontifices præsertim Urbanus VIII. prohibuerint, hujusmodi miracula, & dona supernaturalia promulgari, antequam fuerint approbata à sede Apostolica: hinc ne contraveniatur duabus constitutionibus Urbani VIII. quarum una emanavit die 13. Martii 1625. cui initium est *Sanctissimus*: & altera die 5. Julii 1634. quæ incipit *cælestis Jerusalem*; solet hujusmodi solemnis protestatio præfigi præfatis libris.

6 Posset tamen in contrarium objici, quia protestatio contraria facto non relevat *argum. c. gratum de offic. deleg.* & *l. quod in plures §. locati* ut notat Oldradus *consil. 107. n. 10.* Sed contra, quia id tantùm procedit in casibus, in quibus factū dependet à sola voluntate protestantis: tunc enim protestatio utpote declaratoria animi protestantis valet, & relevat, tametsi protestatio sit contra factum *argum. c. damnamus 2. h. t.* & notat Panormit. *in c. cum M. Ferrariensis n. 19. de constit.* ubi id declarat exemplo Testatoris, qui ab initio protestatur, quòd si alicui bis legaverit, velit semel tantùm legatum esse: tunc enim licet postea sæpius eidem legaverit; valet nihilominus protestatio, nisi aliter specialiter exprimat, adeò ut legatum nonnisi semel debeatur. *l. si quis in principio 22. ff. de legat.* & ratio, est quia protestatio Testatoris tunc est declaratoria proprii facti dependentis à sola sua voluntate, qua ratione protestatio suum sortitur valorem. Hoc idem etiam dicendum est de protestatione declaratoria mentis, & voluntatis Authoris, quia tunc protestatio revera non est contraria facto: est enim tunc protestatio compatibilis cum facto, & fit ad tollendam mentem, & præsumptionem, quæ cæteroquin ex facto illo emergeret.

7 Quæritur quartò, an damnato libro censeatur etiam damnatus ejus Author: & è contra damnato Authore sit etiam damnatus ejus liber? Respondetur ad quæsitum quoad primam partem, posse damnari librum, quin damnetur Author, præsertim si hic librum suum submiserit judicio Sedis Apostolicæ corrigendum *argum. c. damnamus 2. h. t.* ubi damnato, & reprobato libello Abbatis Joachimi, non damnatur ipse Abbas Joachimus, eò quia hic non fuerit pertinax in suo errore, sed sua scripta humiliter submiserit corrigenda judicio Sedis Apostolicæ.

8 Quoad secundam partem quæsiti respondetur, damnato Authore censeri etiam damnatos ejus libros, idque desumi ex *c. fraternitatis* junctâ Glossa *de hæretic.* & ratio desumitur ex *regul. juris 42. in 6.* quia accessorium sequitur suum principale, unde destructo principali, seu Authore, necesse est destruatur etiam accessorium, seu ejus scriptum; tametsi aliqua utilia in eodem contineantur: quod tamen ita est intelligendum, ut non sint recipienda pro jure, & ut habentia authoritatem ex tali Authore damnato *argum. c. licet 37. de testib.* Vix adest liber etiam ab Hæretico compositus, in quo non sint bona mixta malis, & mala mixta bonis: tunc enim bona dicuntur non valere, tanquam habentia authoritatem ex tali Authore damnato; alioquin quæ bona sunt, licitè possunt usurpari, quemadmodum citantur sententiæ Originis, quamvis ille post obitum fuerit damnatus *can. sanè profertur 25. q. 2.* Quamobrè Authore damnato damnantur quoq; ejus scripta, quoad hoc, ut pro jure non habeantur, nec ullam ex tali Authore contineant Authoritatem.

9 Quæritur quintò, quales fuerint errores Almarici, de quo fit mentio in *c. damnamus 2. h. t. §. fin.* Respondetur, inter præcipuos Almarici errores damnatos fuisse; primò quia negaverit in Sacramento Eucharistiæ transubstantiationem, & blateravit; corpus Christi non aliter esse in pane altaris, quàm in alio pane. Secundò quia dixit, Deum sic locutum fuisse in Ovidio, sicut in S. Augustino. Tertiò, negavit resurrectionem corporum. Quartò etiam paradisum, & infernum, asserens, illum habere in se Paradisum, qui cognitionem Dei possideret, & eum infernum, qui peccato lethali esset infectus. Quintò quia dixit, idololatriam esse, sanctos invocare, altaribus Deo dicatis, & sacris imaginibus thus adolere, & offerre. Sextò, quòd si Adam non peccâsset, non fuisset distinctio sexûs, & homines perinde ac Angelos fuisse multiplicatos. Septimò, Deum non posse videri in se, sed tantùm in creaturis, perinde ac lumen in aëre. Octavò non esse peccatum quòd fit in charitate, tametsi aliàs ex se peccatum esset. Alios etiam effudit errores, quos Concilium Generale Lateranense damnavit in *d. c. damnamus 2. §. fin. h. t.* ubi habetur: *Reprobamus etiam, & condemnamus perversissimum dogma impii Almarici, cujus mentē sic pater mendacii excæcavit, ut ejus doctrina non tam hæretica, quàm insana censenda sit.* Fuit Almaricus natione Gallus, vixitque sub Ottone quarto Imperatore, & Innocentio Papa III. Parisiis anno 1204. & notat Fagnanus in *d. c. damnamus n. 28. h. t.* Almaricum de suis insanis erroribus ab Episcopis, & Theologis Parisiensibus convictum ex mœrore animi concepto morbo exuisse mortalitatem, & ejus cadaver jussu Philippi Galliarum Regis postea exhumatum anno 1208. fuisse flammis traditum.

TITULUS II.

De Constitutionibus.

CUm Pontifex in præcedenti titulo jecerit fundamentum, & posuerit principia, quibus nititur Jus Canonicum: incipit mox agere de ipso Jure Canonico, seu Ecclesiastico in communi: & quia jus omne Pontificium, quô utimur, est, vel scriptum, vel non scriptum; & scriptum est certius, ac nobilius: ideo Pontifex ab hoc jure scripto suum inchoat tractatum; agitq; de Constitutionibus. Leges enim, seu constitutiones dicuntur jus scriptum; non quia scriptura sit de essentia legis: siquidem præceptum superioris etiam sine scripto, sed sola publica voce potest cōmunitati promulgari, ut notat Panormitanus *in Rubrica hujus tituli n. 3.* sed quia leges, ut firmiùs, ac diutiùs maneant scripto ferri solent; quâ ratione vocantur jura scripta. Sunt igitur Constitutiones, leges, seu placita, generalium Conciliorum statuta, & Decreta summorum Pontificum, quæ omnia Canonum nomine censentur, & de quibus agit hîc Pontifex.

SUMMARIUM EXEGETICUM

Omnium Capitum, quæ in hoc Titulo continentur.

CAP. CANONUM I. h. t. *Præcipitur ex Concilio Meldensi, ut Canonum statuta ab omnibus custodiantur; eò quia Canones ligent omnes, excepto Papa: adeo ut in judiciis ecclesiasticis, & actionibus civilibus nemo suo sensu, sed horum auctoritate, duci debeat. Nomine autem canonis intelligitur omnis constitutio ecclesiastica.*

C. COGNOSCENTES 2. h. t. *Ex decreto Gregorii Papæ, Judæi, qui Christiana mancipia emerint, intra diem quadragesimum jubentur ea vendere. Sed si ante annum, quàm hoc statueretur empta mancipia habuissent, prohibet illis ex eo dispendium irrogari; eorum alendorum licentiâ eis concessâ pro arbitrio. Item prohibet Pontifex, ne res, quæ culpa carent in damnum vocentur: & statuit, ut lex det formam futuris negotiis, non præteritis, ne ignorantes detrimentum incurrant ante prohibitionem.*

C. TRANSLATO SACERDOTIO 3. h. t. *ex D. Augustino super Epist. ad Hebræos. 7. n. 7. declaratur, quòd translato sacerdotio, debeat etiam fieri legis translatio: quia sub eadem sponsione utraque data sunt; proinde quod dicitur de uno, necesse est, ut de altero intelligatur: quia ab uno connexorum fit extensio ad alterum.*

C. NAM CONCUPISCENTIAM 4. h. t. *Ex eodem D. Augustino super Epistol.* ad Rom. 7. v. 9. *Declaratur, quòd lex, quâ uno malorum prohibito cætera etiam prohibentur, est optima.*

C. NE INNITARIS 5. h. t. *Ex D. Hieronymo in Parabolis monet Pontifex, quòd lex, & constitutio propria opinioni præferenda sit. Is verò dicitur suæ prudentiæ, seu judicio, ac opinioni inniti, qui quæ sibi agenda, vel dicenda videntur, Patrum decretis præponit.*

C. CUM OMNES 6. h. t. *Innocentius III. rescribit, constitutionem Collegii antiquam consuetudinem auferentem & non omnibus communem (seu præsentibus, & successuris) non valere: & constitutionem factam in præjudicium successorum esse nullam.*

C. QUÆ IN ECCLESIARUM 7. h. t. *Idem Pontifex declarat, constitutionem laicorum factam sine legitimo consensu ecclesiasticorum in ordine ad alienanda ob inopiam feuda ecclesiastica nullum sortiri valorem; & venditionem esse ipso jure nullam.*

C. CUM ACCESSISSENT 8. h. t. *Idem Pontifex declarat, dignitatē Primiceriatûs per statutum capituli à Papa confirmatum sublatam ab ecclesia, ulteriùs non vacare, nisi per contrarium actum capituli tale statutum fuerit revocatum.*

C. Cùm M. Ferrariensis. 9. h. t. *Idem Pont. rescribit, Canonicis receptis supra numerum confirmatum etiam à Papa esse providendum de fructibus excrescentibus, quomodocunque excreverint, licèt per industriam antecessorum: eò quia in reductione canonicorum ad certum numerum semper intelligitur clausula:* nisi in tantùm facultates ecclesiæ excreverint, quòd pluribus sufficere competenter possint.

C. ECCLESIA SANCTÆ MARIÆ 10. h. t. *Idem Pont. rescribit, statutum Laicorum generale, tam circa temporalia, quàm circa spiritualia in præjudicium Ecclesiæ, vel personæ, vel rei ecclesiasticæ non tenere, imò neq; in eorumdem commodum, quia Laici de rebus eccle-*

ecclesiæ non possunt disponere, neque in temporalibus; neque de his potest in Laicum compromitti c. contingit de Arbitr.

C. *EX LITTERIS* 11. *h.t. Idem Pont. rescribit Doctoribus Parisiensibus, quòd privatus ob contumaciam, juxta formam, statuti, communione aliorum, si deinde voluerit obedire, sit restituendus: quia quando non opponitur in perpetuum, intelligitur privatio temporalis, tum ex jure, tum ex consuetudine. Tum quia vigore Juris Canonici Contumax satisfactione exhibita restitutionem obtinet.*

C. *EX PARTE* 12. *h.t. Honorius III. rescribit, diminutionem numeri canonicorum factam à Canonicis, imò & confirmatam à Papa esse revocandam, si redditus, ac proventus ecclesiæ non erant diminuti. Numerus Canonicorum tunc tantùm minui potest ab Episcopo, quando redditus ecclesiæ sunt diminuti* argumen. c. quoniam de vita, & honest. Cleric.

C. *QUONIAM* 13. *h. t. Gregorius IX. declarat, leges, & Constitutiones ita respicere futura, ut non trahantur ad præterita, nisi de his nominatim caveatur: idque ex regula generali:* Quia constitutio non ligat ignorantes l. 50. si ignorans cum Glos. ff. locati.

IN SEXTO.

C. *LICET ROMANA* I. *h.t. Bonifacius VIII. declarat, quòd cum Papa censeatur habere omnia in scrinio pectoris sui; ideò si constitutionem posteriorem contrariam priori sanciat, quamvis de ipsa nullam mentionem faciat, præsumitur eam revocare: & licèt memoria hominis sit labilis* l. peregrè ff. de acquir. posses. *habet tamen suos Consiliarios, à quibus moneri solet. Locorum tamen, ac personarum speciales consuetudines, ac statuta non præsumuntur revocata, nisi expresse de ipsis mentio fiat: quia princeps præsumitur ignorare statuta particularia; quæ si sint rationabilia non censentur revocata. nisi princeps expresse caveat de ipsis.*

C. *VT ANIMARUM* 2. *h. t. Idem Pont. declarat, quòd Constitutio Episcopi, vel alterius non liget ignorantes probabiliter, nisi ignorantia fuerit crassa, & supina. Neque ligat subditum extra suam Diœcesim: ut si fiat statutum, ne Clericus incedat armatus sub pœna excommunicationis; si delinquat extra Diœcesim non incurrit pœnam. Secus est si sit excommunicatus, vel infamis; quia licèt exeat Diœcesim, semper talem secum defert pœnam, vel notam; quia hæc afficiunt personam, cui inhærent. Statutum autem factum ab eo, qui territorium habet limitatum, non habet vires nisi in illo territorio.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

De Origine, & Partitione Constitutionum.

1 Constitutiones suam à statuendo, vel constituendo trahentes nomenclationem, aliæ sunt generales, aliæ speciales: illæ comprehendunt omnes juris scripti sive canonici, sive civilis partes, à quocunque proficiscantur, sive à Principe, sive ab inferiore, dummodo eidem insit potestas constitutionis edendæ, ut liquet de Ecclesiastica constitutione *ex c. 6. 8. & 12. hoc tit.* Constitutiones speciales sunt, quæ à Rege, vel Imperatore, vel Principe constituuntur *Can. Constitutio, dist.* 2. *s*iquidem quod Principi placet, constitutionis habet vigorem *l. 1. §. quod principi instit. de jur. natur. gent. & civil.* hinc constitutio dicitur à constituendo, quasi commune statutum, vel quia debet esse communis *Can. erit autem lex dist. 4.* vel quia Princeps unà cum suis Proceribus, & consiliariis constitutiones statuat *c. Humanum. C. de leg.*

2 Nonnunquam constitutiones, sunt personales, eò quia dirigantur ad unam tantùm, vel alteram personam, sed tunc degenerant à nomine, & natura constitutionis, induuntque naturam privilegii, ut liquet *ex canone Reg. dist. 3.* Tum quia, ut docet Philosophus, non est necesse, rationem Ethymologicam semper converti cum nomine: siquidem fur dicitur à furto, eo quod nocte intempesta fiat, & nihilominus plerúmque etiam interdiu committitur furtum manifestum *l. 1. ff. de furtis.* Tutor etiam à tuendo suam desumit nomenclaturam, ut etiam doctor à docendo, Augustus ab augendo: & nihilominus plerumque est tutor, qui non tuetur; & doctor, qui non docet; Augustus, qui non auget.

Jus constitutionis suum duxit initium ab ipsis constitutionibus, quas Deus tradidit Moysi, 3
Exodi 12. si emeris servum Hebræum &c. can. jus autem dist. 7. Moyses autem omnium primus divinas constitutiones explanavit, ut etiam Rex Pharoneus populis Græciæ leges, & constitutiones tradidit, & Numa Pompilius Romanis; cùmque successu temporis populus seditiosus magistratum iniquiùs ferret; Decemviros legibus scribendis elegit, qui constitutiones ex libris Solonis in latinum translatas duodecim tabulis exposuerunt. Processu autem temporis antiquis constitutionibus, vel incuriâ vel ex non usu antiquatis, & abolitis, novæ constitutiones à Constantino, suisque successoribus fuerunt editæ.

Ceterùm constitutiones essentialiter exigunt ferri in bonum communitatis, est enim 4
finis earundem, ut liquet *ex leg. jura, & lege nul-*

la juris. & c. 1. de constit. Siquidem constitutio essentialiter est regula rectè operandi, quæ de sua intrinseca natura exigit ordinatam communitatem, cùm rectè operari sit omnibus commune juxta subjectam materiam. Quinimò constitutiones per se respiciunt communitatem, perfectam; vel secundùm totam, vel secundùm ejus partem, certùmque personarum genus. Duplex siquidem datur communitas, perfecta una, quæ sibi ipsi sufficit, quatenus habet jurisdictionem in ordine ad politicum regimen, ut docet Aristoteles *polit. c. 1.* Alia imperfecta, cui non inest jurisdictio, sed duntaxat dominativa potestas: & quia constitutio est essentialiter actus jurisdictionis ordinatus à Justitia legali, respiciente bonum communitatis, non potest sanciri, nec locum habere, nisi in perfecta communitate: actus siquidem jurisdictionis ibi tantùm reperitur, ubi jurisdictio adest, seu forma perfectæ communitatis. Si dicas in corpore juris tam canonici, quàm civilis contineri leges quasdam personales. Id non obstat, quia hujusmodi leges non sunt propriè constitutiones, sed tantùm privilegia, vel personales obligationes. Quod si extendantur ad communitatem, & obligent omnes, ad quos spectat talis constitutio, tunc non est privilegium; sed vera constitutio.

5 Exigit etiam constitutio, ut sit justa, quia ut monet Augustinus *19. de civit. c. 21. non enim jura putanda sunt, vel dicenda iniqua hominum instituta, cùm illud etiam ipsi jus esse dicant, quod de justitiæ fonte manavit.* Cum sit constitutio temporalis, quædam participatio legis æternæ, quæ est ipsa rectitudo, & justitia per essentiam, debet, & constitutio, ut ejusdem participatio, esse justa; siquidem à justitia nequit participari, nisi quod est justum. Si dicas, dari aliquot constitutiones permittentes malum. Respondetur has constitutiones permissivas suam itidem continere justitiam, in eo sitam, quod justum sit juxta exigentiam boni communis, quod tale malum permittatur impunè, ad impedienda majora, & pejora.

6 Quinimò constitutiones, non solùm debent justæ esse, sed etiam justè ferri, adeo ut commensurentur potestati legislativæ, ut cum D. Thoma, *2. 2. q. 55. art. 4. docent communiter:* siquidem constitutio est actus potestatis jurisdictionalis, ordinata ad ponendum debitum ordinem in communitate; proinde exigit justè ferri, nec potest excedere potestatem legislativam, perinde ac effectus nequit virtutem suæ causæ excedere, alioquin secundùm mensuram excessûs esset, & non esset à causa. Præterea non potest ordinari ad ponendum debitum ordinem, quin servet in subditis æqualitatem proportionis: siquidem hâc sublatâ communitas deordinatur.

7 Debet itidem constitutio promovere utilitatem communitatis, quia cùm sit regula publicæ potestatis, ac ordinetur ad regimen totius populi, exigit esse propter bonum publicum. Tum quia constitutio est regula directiva communitatis: & eo ipso quòd communitatem dirigit, fertur in bonum ejusdem, est enim talis directio utilis communitati. Neque obstat, Constitutiones nonnunquam ferri in bonum particularium, seu privatorum. Quia non est necesse quòd constitutio respiciat bonum commune per se, sed sufficit, si ad illud ordinetur mediante bono particulari subditorum, ut sunt membra communitatis: quia cùm pars sit propter totum, bonum partis est etiam propter bonum totius: unde eo ipso, quòd constitutio respicit bonum particularium subditorum, quatenus isti membra sunt communitatis, ordinatur in bonum commune.

Si dicas, aliquas constitutiones redundare in damnum plurium, proinde non ordinari ad bonum commune, in quo debent omnes participare. Contra est, quia per accidens se habet, si redundent in damnum nonnullorum, quia bonum commune præferendum est particulari, *ex c. scias 7. q. 1.* licèt non fiant mala, ut inde eveniant bona; fiunt tamen bona, ex quibus per accidens sequitur aliquod malum. Quòd si constitutio esset inutilis, non induceret rationem constitutionis, non induceret obligationem, ut docet *Cast. 1. de lege pænal. c. 5.* 8

Hinc Princeps, qui plura possidet regna non potest ferre constitutiones pro bono unius cum detrimento alterius, ut docent Sottus *1. de justitia & jure q. 1. art. 2.* Salas *disp. 1. de lege: sect. 8. n. 49.* Quia lex inferens detrimentum censetur injusta, nec debet unum regnum gravari ob commodum alterius, id enim adversatur justitiæ, perinde ac si Princeps vellet unum ex ordine equestri spoliare propriis bonis, ut alii ditescerent. Quia verò in constitutionibus fit frequens mentio juris naturalis, & plures constitutiones fundantur in jure naturæ, non abs re esse duco hic attexere juris naturalis notitiam. 9

Solet jus naturæ bipartiri in primævum, & secundarium. Illud dicitur, quod etiam bruta animantia sentiunt, & natura ipsa ea docet, quæ sunt juris naturæ, ut est maris, & fœminæ conjunctio, in ordine ad prolem; & educatio ejusdem; defensio propria contra vim injusti aggressoris, & alia id genus. Jus naturæ secundarium est, quod à ratione dependet, & hominibus est proprium; & hoc jus fundatur in his duobus principiis naturæ lumine notis; *quod tibi vis fieri, alteri feceris: & quod tibi non vis, alteri ne feceris.* Debent tamen hæc principia ita intelligi, ut illa voluntas, qua quis sibi vult aliquid fieri, vel non fieri, sit juxta rectam rationem. 10

Hinc lex naturalis, importat formaliter judicium intellectûs intimativum unicuique illius, quod ex principiis practicis exprimitur, vel ut faciendum, vel ut fugiendum pensatis circumstantiis, quia lex naturalis respicit executionem, quam causat: siquidem non respicit ordinem ad finem quocunque modo, sed ut ponendum, proinde debet consistere in judicio intima- 11

tivo,

tivo, quia quod non est intimativum, solùm ostendit, quomodo operatio sit ponenda, non verò ordinatur ad opus actù ponendum. Neque inde sequitur, legem naturalem confundi cum conscientia, quæ etiam est judicium intimativum. Quia conscientia dicit, judicium particulare hic, & nunc adigens ad operandum in ordine ad unam individuam operationem: secùs lex respicit operationem, secundùm speciem, & ut perpetuam. Tum, quia conscientia non adigit ad operandum in virtute propria, sed quatenus applicat legem. Secus lex adigit ad operandum in virtute propria.

12 Lex enim naturalis habet vim præceptivam, à se ipsa cum sola subordinatione ad legem æternam, & ostendit ex se quædam esse mala ex sua natura, & quædam esse bona; siquidem principia practica sunt immutabilia, ac necessariæ veritatis: unde actus, qui sunt objectum horum principiorum, participant suam bonitatem, aut malitiam necessariò immutabilem: ceterum lex naturalis est obligativa, & præceptiva, ex vi judicii intimativi: quia, sicut speculativa scientiæ principia adigunt intellectum suasivo modo ad assensum speculativum conclusionis, adeò, ut si quis assentiatur principiis, adigatur assentiri etiam conclusioni: ita principia practica adigunt intellectum ad assensum practicum, & ad illationem conclusionis practicæ, proinde etiam voluntatem ad operandum: quia verò præcepta naturalia in sua intimatione continent evidentem veritatem practicam principiorum, adigunt intellectum ad assensum practicum, & movent voluntatem ad operandum. Neq; inde sequitur, voluntatem necessariò operari. Quia quod respectu intellectûs est coactio, respectu voluntatis est tantùm obligatio, quæ libertatem non tollit: voluntas siquidem ita adigitur, ut possit ex alio motivo semper resistere, & non satisfacere suæ obligationi.

13 Materia legis naturalis non solùm sunt, quæ continentur in primis principiis, sed etiam in conclusionibus evidenter deductis ex iisdem. Siquidem habent evidentem veritatem practicam, & immutabilem, suntque simpliciter necessaria ad rectum ordinem moralem naturæ rationalis, quia omnes veritates practicæ necessariæ, & immutabiles, præscribunt quid agendum sit, & quid fugiendum ex necessitate; adeò, ut si operatio non sit ipsis conformis, deficiat, & habeatur inordinata, eo, quia careat ordine præscripto à ratione; unde quæ habent hanc evidentem veritatem practicam, pertinent ad legem naturæ, quia cùm veritas hæc sit immutabilis, etiam operatio eidem conformis erit immutabiliter bona.

14 Hinc præcepta legis naturalis sunt plura, juxta diversitatem principiorum, & conclusionum ad eandem spectantium: quia lex naturalis prohibet plura vitia, & præcipit diversas virtutes, & quælibet virtus habet distinctum motivum proprium, quo præcipitur; ut etiam vitium, quo prohibetur: verum tamen est, omnia præcepta naturalia uniri in unicam legem, seu in illud Dei præceptum universale, quod habetur in Psalmis, *declina à malo, & fac bonum.* Siquidem lex naturalis habet pro objecto adæquato ordinem moralem, adeò, ut quodlibet præceptum aliquid de ipso involvat, consequenter omnia præcepta uniuntur in præfato universali: si enim fiat bonum, & declinetur malum, habetur adæquatus ordo moralis, in quo nil deficit.

Quamobrem lex naturalis quoad præcepta, est eadem apud omnes, quia natura semper est eadem in omnibus, proinde etiam lumen naturale ostendens legem; eo enim ipso, quòd lumen naturale fuit semper idem, lex naturalis fuit semper eadem, quia ab eodem principio semper habetur idem effectus; unde tantùm per accidens potest contingere, quòd ab omnibus lex naturalis non cognoscatur secundùm omnia sua præcepta: siquidem, ut lex naturalis innotescat secundùm omnia sua principia, & præcepta, necesse est, quod cognoscantur non solùm omnia principia practica, verùm etiam omnes conclusiones necessariæ, & immutabiles ex iisdem deductæ: & plerumq; contingit, aliquas saltem conclusiones non cognosci, cùm intellectus humanus tenebris concupiscentiæ involvatur, & ob propensionem ad bonum sensibile, impediatur, ne deducat conclusiones ex illis principiis, quæ sunt præcepta naturalia; vel si deducit, nonnunquam deficit in deducendis, vel non advertit ad omnia principia. 15

Jus naturale secundarium, vocatur etiam Jus gentium, eò quia sit à natura gentibus omnibus inditum, ut desumitur *ex §. Jus autem Instit. de Jur. natur.* Et *l. omnes populi ff. de Just. & Jur.* cujusmodi sunt Rerum divisiones, & leges belli, servitutis. Unde, quando Vulpianus *l. 1. §. jus nat. ff. de Just.* asserit, jus naturale esse illud, quod commune est omnibus animalibus, non fuit loquutus de ipso Jure, quoad regulam formalem; sed quoad effectus; quatenus jus naturale est illud, quod perducit ad finem intentum à natura, quod inest etiam brutis, quæ materialiter moventur propter finem. Licèt promiscuè Jus Gentium quoad regulam formalem dicatur cum jure naturali; solet tamen Jus gentium subdividi in primævum, & secundarium; Jus gentium primævum, quod etiam jus rationis dicitur, est ipsum jus naturale secundarium; sive ratio dijudicans æquum ab iniquo, quæ fuit à natura, seu ab authore ejusdem hominibus indita. Jus gentium secundarium, quod habetur ex ratione ratiocinata, seu per discursum practicum, & dicitur *Jus ratiocinationis*, introductum est ex hominum necessitate, ut sunt rerum divisiones, commercia, & alia id genus, quæ referuntur *in c. Jus gentium dist. 2.* Scilicet sedium occupatio, munitio, bella, captivitates, postliminia, Legatorum non violandorum religio, dominiorum distinctiones, agrorum termini, ædificia collocata, emptiones, venditiones, locationes, conductiones. 16

Hinc Jus Gentium propriè sumptum distinguitur à jure naturali proprio, ut liquet *ex l. c. ff. de Just. & Jur.* *Et C. Jus autem Dist. 1.* quia leges dividuntur in sua genera juxta fines diversos, in quos feruntur; respiciunt siquidem leges bonum subditorum, ac eorundem finem; suntque regulæ circa media, quibus pervenitur 17

ad finem. Lex verò naturalis respicit finem naturæ rationalis, ad quem ordinatur; cùmque talis finis sit honestè vivere, præscribit media bene vivendi. Præterea, quia homines sunt sociabiles, habet itidem pro fine humanam societatem, ad quam ineundam, & promovendam fuerunt necessariæ leges à gentibus conditæ, quæque ad hunc dirigerent finem; & hæ leges propriè constituunt Jus gentium.

18 Si dicas, etiam Jus naturale respicere hanc societatem, eò, quia homo fit ex natura sua sociabilis. Id non conceditur, quia societas non convenit hominibus, ut instituta, sed ut instituenda; unde neque leges, quibus societas est regulanda conveniunt homini, ut institutæ, sed tantùm, ut instituendæ. Non diffiteor, dari plura præcepta naturalia, quæ hanc respiciunt humanam societatem, ut quòd non sit inferendum bellum injustum: quòd non sit prodenda respublica; & alia id genus: sed hæc & alia similia præcepta non respiciunt per se primò humanam societatem; sed tantum secundariò, quatenus societas stat sub aliqua determinatione; quia præfata præcepta non important puras obligationes naturales; sed applicatas materiæ jam institutæ ex communi gentium consensu; proinde talia præcepta pertinent ad jus gentium.

Neque ex data distinctione Juris naturalis à
19 Jure gentium sequitur, Jus naturale esse posterius Jure gentium, eò, quia præceptum non furandi sit naturale, & præsupponat rerum divisionem, quæ tantùm dicitur esse de Jure gentium, quod propterea præsupponeretur ad Jus naturale. Nam contra est, quia præceptum non furandi tantùm per accidens supponit rerum divisiones, & jus gentium; quia tametsi nulla facta fuisset rerum divisio; adhuc præceptum non furandi viguisset; sicut de facto viget apud Religiosos, quibus omnia sunt communia, & à quibus excluduntur illa duo pronomina, *meum*, *tuum*, quæ inter gentes tot jurgia, lites, bella excitant. Nulla facta rerum divisione, nemo habuisset dominium rerum; unde, si quis usurpâsset, quod non debuisset, furtum perpetrâsset.

20 Hinc Jus gentium differt à jure naturæ; quia hoc, ea respicit, quæ ex natura sua sunt bona, vel mala, & absolutè necessaria ad bene, ac honestè vivendum: Jus verò gentium, quæ necessaria sunt pro communi societate servanda. Tum quia Jus naturæ est ab intrinseco omninò immutabile, quia continet intimativo modo veritatem practicam in ordine ad esse morale, & consistit essentialiter in eadem veritate, quæ non est mutationi obnoxia. Secus Jus gentium non est ab intrinseco immutabile, quia non versatur circa ea, quæ habent absolutam necessitatem pro morali rectitudine, ut notat Suarez *2. de leg. c. 20.* Præterea Jus gentium continet conclusiones derivatas ex principiis tantùm probabiliter, & cum morali certitudine; siquidem, cùm dependeat à voluntate hominum, volentium ita se obligare, non habet vim ab ipsa natura. Jus verò naturæ dependet immediatè ab ipsa natura; & ab universalibus principiis insculptis indelebiliter hominum cordibus; eò, quia sint congenita lumini naturali, quod omnibus illucescit; hinc ajebat David: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.*

An verò Jus gentium contineat vim præceptivam, & prohibitivam, respondetur affirmativè. Quia Jus gentium fuit constitutum pro conservanda humana Societate, ac promovendis mediis conducentibus ad ipsam; proinde necessum est, quòd sit obligativum. Tunc enim lex continet vim obligandi, quando est medium necessarium pro assequutione Finis: cùm enim finis non possit obtineri, absque legis observantia; debet lex obligare ad observantiam, quia est ex præefficaci intentione finis: quæ autem sunt de Jure gentium, necessaria sunt ad conservandam humanam societatem, quæ efficaciter præintenditur: qua ratione bellum est necessarium ad compescendos turbatores publicæ quietis: fœdera sunt etiam necessaria pro conservatione regnorum. Neque obstat, si dicas, Jus gentium non habere annexam potestatem coactivam, eò quia non detur superior, qui possit cogere omnes gentes: quia inde tantùm sequitur, Jus gentium non esse obligativum ex jurisdictione potestativa habente annexam vim coactivam; non verò, quòd non habeat vim obligativam ex mutuo gentium consensu. 21

Est enim Jus gentium institutum communi consensu omnium nationum rationabiliter viventium; quia cùm ratio habeat vim cogendi ad ea, quæ honesta sunt, ac necessaria, pro statu singulorum, potuit etiam cogere homines ad ea, quæ erant necessaria pro conservanda communi Societate: rationabilia enim cognita, ut talia cogunt intellectum ad assensum in ordine ad praxim, & movent ad executionem, cùm voluntas sit determinata ad id, quod illi repræsentatur, ut honestum: hinc subditi, qui per vim non possunt cogi, coguntur ad obedientiam à recta ratione eadem rationabilia dictante. In hominibus autem recta ratio ostendit plura, ut necessaria ad conservandam humanam, & communem societatem; proinde habet vim ad cogendos homines ad assentiendum iis, quæ necessaria sunt ad talem finem. 22

Præter Jus naturale, & gentium, dantur aliæ constitutiones divinæ, & humanæ; illæ fuerunt à Deo latæ, & subdividuntur in constitutiones veteris, & novi testamenti; ex primis aliæ erant *Ceremoniales*, quæ ad cultum divinum, & ritus Sacrificiorum pertinebant; aliæ *judiciales*, quæ in causis judicialibus præscribebant ordinem servandum juxta æquitatem, ut cuilibet tribueretur Jus suum: aliæ *morales*, quæ ex rectæ rationis dictamine procedunt, cujusmodi sunt decem Decalogi præcepta: aliæ *mixta*, seu partim cæremoniales, vel judiciales, & partim morales; tales sunt *decimæ*, quæ ratione quantitatis, seu decimæ partis participant de judiciali constitutione: & etiam de morali quoad congruã sustentationem ministrorũ Ecclesiæ. *Sanctificatio Sabbathi* habetur itidem constitutio mixta, quia ratione talis diei sabbathini est cæremonialis; ratione divini cultus debiti Deo est moralis. 23

Ex

24 Ex hisce veteris Testamenti constitutionibus, mixtæ in lege Evangelica non obligant ex Jure divino, quatenus sunt cæremoniales, vel judiciales: benè tamen, ut sunt morales. Constitutiones verò purè cæremoniales, vel judiciales, quia latæ fuerunt pro Judaico populo, & fuerunt præfigurativæ Christi tunc venturi, veluti umbræ ad accessum divini Solis, licèt intra nubem humanitatis, seu per adventum Christi excussæ disparuerunt, nec ullam post se vim obligandi reliquerunt, ut asserit D. Paulus ad *Galat. 3. & 4.* Immò observatio Judaicarum Cæremoniarum, nunc mortifera est, nec ulli licet Christiano eas exercere. Licèt constitutiones judiciales, nec ipsæ ex se nunc obligent; ob tamen moralem æquitatem, ac honestatem possunt, vel constitutione, vel consuetudine introduci *c. 1. de homicidio. c. 1. & sequente de injuriis.* Morales constitutiones veteris Testamenti adhuc in novo vigent, sempérque vigebunt; eò quia fuerint à natura institutæ, & à Christo in Evangelio præceptæ, ubi jubet servari mandata, quia hæc sunt consona rectæ rationi.

25 Constitutiones novi testamenti, sunt quas Christus Dominus constituit circa Sacramenta, Sacrificium, & fidem; & ipse, vel per se immediatè, vel per Apostolos promulgavit. In Epistolis Apostolorum illæ constitutiones sunt de Jure divino, quæ ex verbis Apostolorum colliguntur tales esse; ut cùm Apostolus ait: *Ego accepi à Domino: Dominus ordinavit.* Apostoli itidem, ut Ecclesiæ Antistites seorsim à Divinis constitutionibus plures instituerunt in ordine ad Christianorum mores regulandos. Hinc D. Paulus *1. ad Timot. c. 3. & ad Titum c. 1.* Prohibuit, ordinari in Episcopum Bigamos, Criminosos, ac percussores; quia verò hæ constitutiones non fuerunt à Christo conditæ; non sunt de jure divino; sed tantùm de jure Ecclesiastico, quia institutæ ab Antistite Ecclesiæ; proindesubjiciuntur potestati Ecclesiæ, & summus Pontifex potest dispensare *c. at si Clerici §. de adulteris. de Judiciis.*

26 Cæterùm Constitutio Ecclesiastica laxè, & genericè sumpta in plures partitur species, à quibus plures etiam sortitur nomenclationes: siquidem nonnunquam dicitur Canon, subinde decretum, aliquando dogma; interdum mandatum, interdictum, vel sanctio, ut notat Glossa in *sum. dist. 3. V. omnes,* & colligitur etiam ex *Can. si quis dogmata 25. q. 2.* ubi Apostolicæ constitutiones vocantur etiam Canones, decreta, decretales Epistolæ, dogmata, Sanctiones. Canon verò, in laxiori significatione, sumitur pro quacunque constitutione ecclesiastica, sive hæc immediatè emanet à Pontifice, sive à Concilio: & in hoc sensu sumitur in *cap. Canonum 1. h. t.* ubi dicitur, quòd Canones ligent omnes excepto Papa, & injungitur, ut Canonum Statuta custodiantur ab omnibus, quia cum Canon sit regula, quâ fideles reguntur; & normam rectè vivendi ab hac regula accipiunt *Can. 1. & 2. dist. 3.* consequens est, ut Canonum statuta, decreta, dogmata, sanctiones ab omnibus serventur. Immo notat Tuschus *litt. C. Conclus. 23. n. 4.* & cum ipso Barbosa *de oblig. Verborum Juris V. Canon,* nomine Canonis etiam intelligitur Constitutio Capituli in laxa significatione, & materia favorabili. Pressiùs verò, ac magis propriè Canon dicitur constitutio ecclesiastica, quæ in Concilio generali editur, *Can. Nicena dist. 31.* ut notat Abbas in *c. canonum n. 1. h. t.* & clarè desumitur ex Tridentino, in quo Canones fidei ponuntur separatim à decretis reformationis; tametsi hujusmodi decreta, ut emanata à Concilio Generali etiam Canones dicantur in eodem Concilio Tridentino, *Sess. 14. in proæmio de decret. reformat.* ut notat Fagnanus *in d. c. Canonum n. 20. h. t.* Immo non solùm, quod à generali Concilio emanat, ac statuitur, Canon dicitur, verùm etiam, quod à Provinciali sancitur, ut habetur in Vocabulario juris *V. Canon.*

Decretum propriè dicitur, quod statuitur à Papa de Consilio suorum Cardinalium ad nullius petitionem, ut notat Glossa in *sum. dist. 3. V. omnes,* Fagnanus in *c. canonum 1. n. 18. h. t.* Sumitur tamen etiam laxiùs pro statutis generalibus editis à Concilio generali, qua ratione quæ statuuntur in Concilio Tridentino dicuntur *Decreta de reformatione.* 27

Decretalis Epistola vocatur, quæ à Papa solo, vel unà cum Consilio Cardinalium statuitur ad petitionem, vel Consultationem alterius; & ex hisce decretalibus Epistolis, constant quinque Libri Decretalium, ex quibus coalescit corpus juris canonici. Vocantur etiam hujusmodi Epistolæ decretales *rescripta,* eò quia à Papa ad petitionem, interrogationem, consultationem, supplicationem alterius rescribuntur. 28

Dogma, propriè est Doctrina Christianæ fidei, ut probat Glossa ex *Can. qui Episcopus dist. 23.* unde articulus, vel propositio fidei vocatur dogma Christianum; alioquin dogma laxè sumptum, significat Decreta cujuslibet Sectæ, qua ratione D. Hieronymus in *c. 1. Danielis* relatus in *can. qui de mensa dist. 37.* vocat dogmata Philosophorum, eorum placita, ac sententias. Propriè verò, & ut ad præsens pertinet institutum ea vocantur dogmata fidei, quæ ab Ecclesia fuerunt definita de fide; & propterea, ut talia tenentur omnes fideles credere. Hinc distinguitur dogma à mandato, quia illud est doctrina fidei, & mandatum doctrina morum: non enim est aliud mandatum in jure Canonico, quàm constitutio pertinens ad ecclesiasticam disciplinam promovendam; bonósque mores instituendos, ut desumitur ex *Can. is igitur dist. 23. & cap. mandamus, de Offic. Archidiac.* 29

Interdictum etiam sumitur pro ecclesiastica constitutione, & tunc propriè ponitur interdictum, quando fit prohibitio nullâ pœnâ adjectâ in Transgressores *argum. can. interdixit dist. 32.* adeò, ut juxta præsens institutum nil aliud sit interdictum, quàm simplex, & pura prohibitio absque eo, quòd ulla injungatur transgressoribus pœna. 30

Sanctio per hoc differt ab interdicto, quia hoc est prohibitio nulla adjecta pœnâ, contra Transgressores: & sanctio est prohibitio, cui tamen pœna adjicitur subeunda à Transgressoribus 31

bus c. *fancimus* 1. q. 7. Ex iis constat, Canones, Decreta, Epistolas decretales, Dogmata, Mandata, interdicta, & Sanctiones esse veluti species sub genere Constitutionum Ecclesiasticarum. Immò, quia Constitutiones Apostolicæ interdum promulgantur per Bullas Pontificias, vel Brevia Apostolica, sunt etiam Bullæ, & Brevia species sub genere ecclesiasticæ constitutionis.

32 Brevia Apostolica, ut notant Fagnanus, & Cardinalis de Luca, *discurs.* 7. n. 9. sunt litteræ, in membranis subtilibus, & candidis latino charactere, ac nitido descriptæ; à tergo etiam illitæ cera rubea inclusis cordulis lineis, & signatæ annulo Piscatoris, & subscriptæ manu Secretarii: vocari etiam solent hujusmodi Brevia Apostolica, litteræ in forma Brevis, eò quia compendiosè, & breviter res in iisdem contentæ scribuntur *l. 1. c. de Apoch. public. lib. 10.* Vel dicuntur Brevia, eò, quia concedantur tantùm in brevibus negotiis; eò quia in arduis, & difficilioribus soleant expediri Bullæ, dummodo excipiantur illæ gratiæ, quæ in gravioribus negotiis, quandoque à Papa concedantur, & quæ ex regulis Cancellariæ, aut ex Stylo non requirunt necessitatem litterarum sub plumbo, proinde expediuntur etiam in forma Brevis, sub annulo Piscatoris, ut notat Cardinalis de Luca *tom. 3. de relat. curia Romanæ, discurs. 7. n. 9.*

33 Hinc Bulla distinguitur à Brevi Apostolico, quia, ut notat idem de Luca *loc. cit. n. 9.* Bullæ propriè sunt Litteræ Apostolicæ, seu Papales, quæ per Cancellariam expediuntur sub plumbo, seu Sigillo plumbeo, pendente ex chordulis: & hujusmodi litteræ solent scribi in membrana rubiori, ac magis nigra, & antiquo charactere Gallico. Rebuff. in *addit. ad regul. 34. circa fin.* addit aliquod discrimen inter Bullas Apostolicas: quia, si Bullæ expediantur in materia gratiæ, tunc Sigillum plumbeum pendet ex chorda serica; sin verò in materia justitiæ, pendet plumbeum Sigillum ex chordula de canabe. Moris verò nunc est, ut Bullæ, si expediantur *in forma gratiæ*, plumbum habeant pendulum, ex chorda quidem serica, sed rubri, vel crocei coloris. sin verò *in forma dignum.* habeant Sigillum plumbum pendulum ex chordula de canabe: tales sunt Bullæ matrimoniales, & justitiæ.

34 Tametsi Brevia Apostolica, si ritè fuerint confecta eandem vim habeant in materiis illis, in quibus conficiuntur, ac Bullæ in cæteris materiis: adest nihilominus inter Bullas, & Brevia Apostolica discrimen. Primò, quia Brevia Apostolica expediuntur à Romana Curia, per Apostolicam Secretariam, sub annulo Piscatoris: dicitur Sigillum hoc annulus Piscatoris, eò quia contineat insculptam imaginem D. Petri piscantis, & solet hujusmodi Sigillum diligenter custodiri per summum Pontificem, vel per unum magis intimum, ac probatæ fidei familiarem: & post obitum Pontificis, statim à Cardinali Camerario solet infringi. Secus Bullæ expediuntur per Cancellariam Apostolicam sub Sigillo plumbeo, & chordula, à qua pendet hoc Sigillum, quod solet nunc ex una parte imagines præferre Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli; & ex altera nomen Papæ regnantis impressum exhibet: & hoc Sigillum dicitur etiam ultimum consummativum Apostolicarum litterarum: hinc ante ejus appensionem non censentur eædem litteræ expeditæ: ubi notandum est, quòd si contingeret, ut Chordula in totum disrumperetur, ampliùs Bulla non probaret, ut notat Glossa in *Can. nobilissimus dist. 97.* & Rebuffus in *addit. ad regul. cancellar. 34. §. breve.* Secundò, quia Brevia Apostolica scribuntur in membranis subtilibus, & albis: secus Bullæ in membranis crassioribus, & nigricantibus. Tertiò, quia Brevia Apostolica scribuntur Charactere nitido latino, & eleganti, qui facilè legi possit; secus in Bullis servatur antiquus Stylus characteris Gallici, qui tunc fuit in usu, quando Sedes Apostolica Avinione, in Provincia Galliæ residebat, ut notat Cardinalis de Luca *tom. 3. de relat. curiæ Rom. discurs. 7. n. 9.* Sunt etiam alia Discrimina inter Brevia Apostolica, & Bullas; quia Brevibus Apostolicis, præsertim Indulgentiarum, & absolutionum, nec non dispensationum pro foro conscientiæ, solet exterius inscribi: *Gratis pro Deo, & Scriptura*, eò, quia omninò gratis expediantur. Rursus etiam expeditiones, seu litteræ, quas tribunal Sacræ Pœnitentiariæ concedit pro foro interno, immò etiam subinde pro externo circa absolutiones à censuris, aut dispensationes super irregularitatibus, etiam Brevia dici solent; tametsi hujusmodi expeditiones habeant notoriam diversitatem à Brevibus Apostolicis, ob diversam formam, diversimque Sigillum: quapropter solent Brevia in duas veluti species distingui, alia enim dicuntur Brevia Apostolica, & alia Brevia Pœnitentiariæ, ut notat idem Cardinalis de Luca *tom. 3. de relat. Cur. Rom. discurs. 7. n. 10.*

Quia verò constitutio laxè sumpta veluti genus, plures sub se continet species, oritur dubium, an etiam comprehendat simplex præceptum, & respondetur negativè, si sumatur constitutio, pro lege ecclesiastica, quæ solet definiri *recta agendorum ratio à publica potestate communitati denunciata cum voluntate eam perpetuò obligandi ad aliquid agendum, vel omittendum:* quia constitutio in hoc sensu sumpta, immediatè afficit locum, seu territorium legislatoris, ac propterea transit etiam in subditos ibidem existentes, ut docet Layman *lib. 1. tract. 4. c. 11. n. 2.* & desumitur etiam ex *l. omnes populi ff. de justit. & jur.* ubi Jus civile ita dicitur, eò, quia sit Jus proprium ipsius civitatis, & obliget cives in eadem commorantes, & habentes domicilium: & dicitur etiam Ius municipale civitatis, eò, quia transeat ad omnes habentes firmum domicilium in eadem, quia leges territorii non obligant cives absentes, *c. ult. de constit. in 6.* secus simplex præceptum non afficit locum, sed proximè, & immediatè ipsas personas singulares, quibus tantùm dicitur adhærere, & quas sequitur, quo- 35

cun-

cunque proficiscantur: hinc præceptum Superis obligat subditos, ubicunque isti commorentur: Siquidem superioribus, præsertim regularibus, convenit jurisdictio in suos subditos non ratione loci, sed per se, & ratione personæ, & oritur hæc obligatio parendi præcepto Superioris, ex voto obedientiæ. Rursus præceptum simplex, cum non feratur per modum constitutionis generalis, afficit tantùm personas singulares, quibus adhæret, & cum quibus solet extingui, adeo, ut non transeat ad successores, ut si Abbas præcipiat aliquid Religioso sibi subdito. Non tamen semper præceptum extinguitur cum personis, quas afficit: quia, si Princeps ad dies vitæ suæ generaliter præciperet omnibus, aliquid faciendum, vel omittendum, certè hoc præceptum vivente Principe transiret ad successores suorum subditorum, donec Princeps extremum clauderet diem. Secus Lex ecclesiastica, seu Constitutio imponitur toti communitati, & non solùm loquitur ad præsentes, sed etiam ad futuros, quia ut habetur in *l. leges 7. C. de legib. leges, & constitutiones futuris certum est dare formam negotiis.*

36 Demum, quia Constitutio ecclesiastica perseverat in suo vigore, etiam post mortem Pontificis, à quo emanavit, donec ab eodem, vel à successore revocetur, vel per contrariam consuetudinem legitimè abrogetur: quia leges ecclesiasticæ, seu Constitutiones, sunt leges naturæ suæ perpetuæ, quia feruntur propter bonum commune Reipublicæ, & ut dent formam futuris negotiis. Secus simplex præceptum expirat per mortem præcipientis; adeò, ut cùm primum præcipiens cessat vivere, expiret simplex præceptum, ac cesset absque alia nova revocatione: & ratio est, quia per mortem præcipientis, ut etiam per depositionem ab officio extinguitur ejus jurisdictio, à qua præceptum vim suam desumebat, ut notat Menochius *lib. 1. de arbit. judic. q. 69. n. 4.*

37 Quod si objicias *c. relatum 19. & c. gratum 20. de offic. Deleg.* in quibus expressè dicitur mandatum non expirare per mortem mandantis re non ampliùs integra. Respondetur citatos textus, nullum facessere negotium, quia in iisdem est sermo de mandato jurisdictionis, quo superior committit inferiori suam jurisdictionem tanquam Judici delegato; quo fit, ut mandatum, re non ampliùs integra non expiret per mortem mandantis. Nos verò loquimur de mandato non jurisdictionis; sed hominis, seu de præcepto simpliciter emanato à Superiore, & obligante ad aliquid agendum, vel omittendum, & dicimus, hoc præceptum simplex expirare etiam re non ampliùs integra per mortem præcipientis, vel ejus depositionem ab officio: & ratio est, quia tunc cessat jurisdictio superioris in tali persona; proinde cessat etiam ejus effectus, seu simplex præceptum emanatum à tali superiore, ex vi jurisdictionis. Hinc præcepta non emanantia per modum constitutionis ex natura sua non sunt perpetua, & cessant cessante jurisdictione præcipientis, sive res integra sit, sive non.

§. II.

De Causis Efficientibus Constitutionum civilium.

Ametsi ad honestè vivendum, non essent simpliciter necessariæ civiles Constitutiones, cum ad honestæ vitæ institutionem sufficiat lex naturalis per dictamina rectæ rationis præscribens, ac ostendens, quid agendum sit, & quid fugiendum: quia tamen ex hominibus reperiuntur adeo hebetes, ac ingenio rudes, ut vix ex primis principiis spiculo naturæ lumine notis, sciant deducere conclusiones practicas; & multò minùs ex præceptis Decalogi, quæ sunt primæ conclusiones immediatè deductæ ex universalibus naturæ principiis; ideò necessum fuerat, ut constitutiones conderentur, quibus homines in hoc statu naturæ corruptæ, irascentis, ac concupiscentis animi motibus obnoxii instruerentur, ac dirigerentur, ne à rectitudine deflecterent. 1

Quia verò Constitutiones exigunt aliquem virum probum, ac prudentem, à quo, ut à causa efficiente dimanent, certum est, dari in Republica potestatem condendi constitutiones, idque colligitur ex illo Proverb. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt.* Ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Hinc Constitutiones humanæ necessariæ sunt etiam pro republica Christiana, proinde debet eidem inesse potestas aliqua suprema, à qua instituantur, quia cùm lex naturalis, & Evangelica non præscribant de omnibus, erant necessariæ constitutiones, ut christiana respublica rectè administraretur: 2

Neque sufficit naturalis ad bonum propensio, & inclinatio ad honestatem indita hominibus: quia non obstante hac propensione ad bonum honestum; adhuc homines in præsenti statu naturæ lapsæ, trahuntur à concupiscentiis ad ea, quæ minimè rectæ rationi sunt consona. Tum quia ratio non semper in omnibus ostendit, quid sit agendum: occurrunt enim plerúmque circumstantiæ, quibus homo hæret anceps. Unde necessariæ erant civiles constitutiones, quibus homines instruerentur: neque Christus Math. 7. dicitur reprehendisse servantes leges humanas, sed tantùm servantes mandata hominum superstitiosè, & transgredientes divina. Si dicas, Joan. 8. Christianos dici constitutos in libertate: *Si Filius vos liberaverit, verè liberi estis*, & Apostolum hoc idem confirmasse 2. Cor. 3. *ubi spiritus Domini, ibi libertas.* Contra est, quia lex Evangelica non constituit Christianos liberos à civilibus constitutionibus emanatis à legitima potestate, sed constituit viros Christianos liberos à peccato, & servitute diaboli, ut scripsit Apostolus *ad Rom. 6. cùm servi essetis peccati, liberi facti estis.* 3

Hæc autem potestas condendi Constitutiones civiles est á DEO, ut Authore naturæ, proinde est congenita eidem naturæ, quia 4

ut ait Apostolus ad Corinth. 13. *Non est potestas, nisi à Deo: quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt*, & Christus *Joan. 19.* ait: *non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* Siquidem potestas condendi Constitutiones, se extendit ad actus aliquos, qui ex se facultatem excedunt creaturæ, ut est occidere malefactores, quia solus DEUS cùm sit Dominus vitæ, ad ipsum solum pertinet homines occidere, ob plenissimum, ac dispoticum dominium, quod habet in omnes creaturas: unde nisi hæc potestas occidendi malefactores fuisset à DEO derivata ad homines, non possent isti condere constitutiones, quibus malefactores capite plecterentur, vel alio modo vitâ privarentur. Non tamen hæc potestas fuit à DEO hominibus communicata speciali commissione: sed tantùm naturali modo, ut, quid debitum naturæ rationali; Siquidem, quod est debitum naturæ, non est ex speciali commissione, sed eidem est congenitum, quod enim est debitum naturæ; nequit eidem denegari: & hujusmodi potestas erat debita naturæ rationali exigenti civilem societatem; proinde etiam ordinem, quo rectè instituatur. Et hic ordo Constitutiones supponit, quibus præscribitur.

4 Quinimò hæc potestas communicatur immediatè omnibus hominibus, ut sociabilibus in eadem communitate: eo enim ipso, quòd homines sunt ex sua natura sociabiles, debent iisdem inesse omnia necessaria ad promovendam, instituendam, & conservandam hanc Societatem: id autem absque congruis constitutionibus, quæ serventur ab omnibus Societatem ineuntibus, exerceri nequit: unde singuli homines, ut sociabiles cùm sint æquales in natura, participant hanc potestatem, & ipsis convenit ex vi naturalis luminis, & ex vi voluntatis; siquidem potestas condendi constitutiones illis inest potentiis, ex quibus proveniunt: & constitutiones proveniunt ex intellectu, & voluntate, sunt enim actus legislativæ potestatis ordinantes communitatem.

5 Ita tamen hæc potestas condendi leges convenit omnibus, & singulis hominibus, ut isti possint illam transferre in personas determinatas, sive unam, sive plures; quibus ceteri homines ex communitate subjiciantur. Est enim sub dispositione, & potestate cujuscunq; se subjicere alteri, & non uti potestate propriâ, sed obsequi mandatis alterius. Immò, communitas tenetur, hanc potestatem transferre in unum, aut plures, qui Rempublicam moderentur, curámque habeant recti regiminis; quia, quando quis tenetur ferri ad finem aliquem, tenetur etiam ad media necessaria ad assecutionem ejusdem finis: & eo ipso, quod homines volunt in societate vivere, se obligant ad servandum debitum societatis ordinē: proinde etiam ad media necessaria ad eundem ordinem servandum: & quia unum ex necessariis mediis est, quòd aliquis, vel plures, curam habeant recti regiminis: siquidem est moraliter impossibile, quòd omnes homines semper unanimes conveniant in unam determinationem: ideò necessum erat, ut homines viventes in communitate transferrent hanc potestatem condendi constitutiones in unum, vel plures, qui curam gererent ejusdem communitatis. Hinc non est regimen politicum, determinatum ex natura rei, sed pertinet ad communitatem illud taliter eligere. Potest enim finis humanæ Societatis obtineri per varias formas regiminis: quamobrem aliud est regimen Monarchicum, in quo unus tantùm ceteris dominatur: aliud Aristocraticum, in quo pauci, sed optimates totam gubernant communitatem: aliud Democraticum, in quo plures ex populo gubernant, ac cæteris præsunt.

Hinc Reges habent potestatem regalem im- 6 mediatè à communitate, adeò, ut regalis potestas non sit de Jure divino, ut docet D. Thomas *1. 2. q. 90. art. 3.* & communiter Juris periti *in l. 1. ff. de constit. Princ. & in l. 2. ff. de orig. jur.* Siquidem hæc potestas, cùm sit ex natura rei in singulis hominibus, non potest in aliquem derivari, nisi ex consensu cæterorum.

Quòd, si dicas, Deum esse, qui dat regna; 16 id verum est, sed intelligitur secundùm cursum ordinarium, divinæ providentiæ, scilicet mediantibus ipsis hominibus transferentibus hanc potestatem in unum, quem sibi constituunt Regem, ut docet Divus Augustinus *tract. 6. in Joan. & lib. 2. contra Faustum cap. 22.* Adeò, ut Principes dicantur vices DEI in terris gerere, quatenus acceptâ potestate à communitate ministrant ordinem divinæ providentiæ in eandem. Quam ob rem injuste, vel violenter occupantes regna, non habent supra ipsa ullam potestatem, sed hæc remanet apud populum, nisi hic consenserit in eorundem dominium: quapropter quamdiu tyrannus legitimè non imperat, potest Respublica eidem obsistere: quòd si non possit; potest eum tolerare, & eidem obsequi, ne communitas notabile damnum inde patiatur.

Quòd si communitas hanc potestatem condendi constitutiones, semel transtulerit in unum, quem constituit Principem, nequit postea id revocare; & desumitur *ex l. quod semel ff. de Justit. & Jur.* Quia per talem concessionem Princeps acquirit summam potestatem, per modum contractûs, quo populus se obligat obsequi suo Principi, & Princeps populum regere: Contractus autem, cùm sit ex natura sua irrevocabilis, est etiam hæc potestas in Principe irrevocabilis: nisi Princeps fieret Tyrannus, ut liquet ex *l. 2. §. ex act. ff. de orig. Jur.* Quia, si Princeps abutatur potestate sibi concredita, consurgit in communitate Jus naturalis defensionis contra abusum Principis. Revocatur etiam hæc potestas ex inhabilitate, quâ redditur incapax ejusdem, ut etiam si Princeps excedat terminos Principis, quia tunc non censetur ampliùs Princeps, ut desumitur *ex c. scelus 11. q. 1. c. non omnis q. 7.*

Quæritur primò, an Imperator habeat jurisdictio-

dictionem in totum orbem, consequenter & potestatem condendi constitutiones obligantes ubique terratum omnes homines. Respondetur negativè, quia dantur plura regna, quæ nec de facto, nec de jure subjiciuntur Imperatori, ut habetur *l. mercat. c. de commerc. c. super specula de privilegiis*: Quia Principes non acquirunt jurisdictionem; nec potestatem in populum, nisi voluntate, & deditione ejusdem, vel justa subjugatione, vel concessione illius, qui habet supra ipsos supremam jurisdictionem: & populi ubique terrarum diffusi nunquam convenerunt, ut se uni tantùm homini subjicerent, nec justè subjugati sunt; nec eorum Principes suum concesserunt dominium uni tantùm homini; qui cæteris omniqus imperaret.

10 Neque obstat, quòd Imperator *l. benè C. de quatriennali rescriptione. & can. ità Dominus dist. 19.* dicatur Dominus mundi: quia id tantum dicitur Antonomasticè, quatenus id temporis Imperator dominabatur potiori mundi parti, & cæteri populi, ut barbari habebantur. Si dicas, Pontificem habere potestatem in totum mundum. Id verum est, sed inde non sequitur, quòd Imperator habeat potestatem temporalem in omnes gentes; ratio discriminis est, quia potestas spiritualis est immediatè à Deo, consequenter secundùm ipsius institutionem est universalis, séque extendit in totum mundum: Secus potestas temporalis etiam imperatoria est à populis, qui nunquam convenerunt, ut omnes se uni subjicerent.

11 Quamobrem Imperator potest tantùm constitutiones condere pro suis subditis, quibus immediatè, vel mediatè dominatur, adeò, ut possit etiam obligare subditos feudatariorum: & leges imperiales comprehensæ in corpore Juris non obligant Regna, & Provincias, quæ non subjiciuntur imperio, nec Imperatori. Jus enim imperiale habet tantùm vim directivam apud eos, qui subsunt imperio. Cæterum Reges, & Principes, qui non subjiciuntur Imperio. nec imperatori, nec habent alium Principem superiorem, possunt constitutiones condere pro suis subditis; ut etiam Communitates, quæ non recognoscunt superiorem, ut Respublicæ liberæ: ratio generatim est, quia ibi datur potestas condendi constitutiones, ubi habetur suprema potestas.

2 Quæritur secundò, an Summus Pontifex habeat jurisdictionem temporalem in omnes homines. Respondetur, Pontificem non habere jurisdictionem temporalem, nec spiritualem in infideles, & colligitur ex Apostolo *1. ad Corinth. cap. 5. quid mihi de illis, qui foris sunt, judicare. nonne de iis, qui intus sunt, vos judicatis: nam de iis, qui foris sunt, DEUS judicabit.* Ubi, qui foris sunt, infideles intelliguntur, quia sunt extra Ecclesiam. Tum quia Pontifex habet tantùm illam potestatem spiritualem, quæ ipsi convenit, ut Christi vicario, & ut supremo capiti totius Ecclesiæ, & cum CHRISTUS tantùm sit caput Ecclesiæ; ita Pontifex ut CHRISTI Vicarius habet potestatem spiritualem in omnes illos tantùm; qui comprehenduntur in Ecclesia: quòd verò non habeat jurisdictionem temporalem in omnes Christianos, desumitur *ex C. duo sunt dist. 26. c. inter hac 33. q. 2. c. si Imperator dist. 96.* Quia Pontifex non habet majorem jurisdictionem in terris, quàm habuerit Christus, qui non habuit dominium temporale, Joan. 18. *Non venit filius hominis in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Et Christus de se ipso dixit: *Regnum meum non est de hoc mundo*, & *Matth. 28.* Cùm dixisset, *data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Postea declarans hanc potestatem esse spiritualem, subdit: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos*; Ergò jurisdictio temporalis Romani Pontificis non se extendit per totum orbem Christianum, proinde néq; ejus potestas condendi constitutiones civiles.

Potest tamen Pontifex disponere circa temporalia juxta exigentiam finis spiritualis, quod est habere indirectè jurisdictionem temporalem, in totum orbem Christianum: ex virtute enim hujus jurisdictionis transtulit Imperium, constituit Electores cum facultate eligendi Imperatorem, privavit Reges regno, & alios hujus generis exercuit actus circa temporalia, juxta exigentiam finis spiritualis: quia, cum potestas spiritualis respiciat, ut finem bonum spirituale communitatis, & temporalia subjiciantur spiritualibus, à quibus dependent, potest facultas spiritualis reordinare temporalem, quando deficit, & supplere ejus defectum. Hinc cum *in c. una sancta de majorit. & obed.* Pontifex dicitur, habere utrumq; gladium, spiritualem, & temporalem, id intelligitur, quatenus gladius, seu potestas spiritualis, indirectè extenditur ad temporalem. 13

Cæterum potest Summus Pontifex habere potestatem, & jurisdictionem temporalem, quia ex natura rei hæc non repugnat cum spirituali, nec ex CHRISTI institutione, siquidem temporalia inserviunt spiritualibus, & utraque potestas est necessaria pro adæquato regimine. Neque obstat, quòd Christus *Matth. 20.* dixerit: *Scitis, quia Principes dominantur eorum: non ita erit inter vos.* Quia inde non sequitur, Christum prohibuisse Ecclesiasticis dominium temporale, sed tantùm prohibuisse dominari eo modo, quo Principes gentium dominabantur, scilicèt tyrannicè. 14

Quæritur tertiò, ex civitates subditæ, habeant potestatem condendi constitutiones. Respondetur; Comunitatem alteri subjectam posse de Jure communi condere constitutiones, dummodo ipsi insit aliqua forma regiminis, nec constitutiones sint contra leges Principis, cui subjicitur, quia, ubi adest potestas ordinativa communitatis, ibi debet adesse potestas ponendi ordinem pro bono communi proportionatum potestati: & ubi habetur aliqua forma regiminis specialis, habetur etiam specialis pote-

stas ordinativa : Hæc potestas illis inest civitatibus, in quibus præter Officiales Principis adest parlamentum, vel Senatus.

16 Quæritur quartò, an Principes feudatarii potestatem habeant condendi constitutiones, licèt subjiciantur Principi superiori. Respondetur: posse illas condere pro suis subditis, quia Principes feudatarii habent dominium utile perpetuum, cui est annexa potestas condendi constitutiones in ordine ad bonum commune subditorum.

§. III.

De Causis efficientibus Constitutionum Ecclesiasticarum.

1 NUlli dubium, quin detur in Ecclesia sufficiens potestas eam gubernandi, cùm Christus *Matth. 16.* dixerit Petro : *Tibi dabo claves regni cælorum , & quodcunque ligaveris super terram , erit ligatum & in cælis, & quodcumque solveris , erit solutum :* Ligare, & solvere, supponunt potestatem legislativam, & condendi Constitutiones obligantes subditos: Hinc in Ecclesia datur vera potestas condendi constitutiones obligantes in conscientia, ut fuit definitum *in 6. Synodo act. 4. & in 8. & in Concilio Constantiensi, Sess. 8. & 5.* ut etiam in Tridentino, *Sess. 6. can. 20.* & deducitur ex illo, Actorum 13. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, ut abstineatis* &c. Ex hoc enim textu satis apertè colligitur potestas condendi Constitutiones in ordine ad regulandos mores Fidelium. Tum, quia ibidem de Apostolo Paulo dicitur, quòd *perambulabat Syriam, & Ciliciam, confirmans Ecclesiam, & præcipiens custodiri præcepta Apostolorum , & Seniorum:* unde Apostoli in Ecclesiæ exordio condiderunt constitutiones obligantes primos illos fideles: siquidem omnis Communitas, ut rectè ordinetur exigit potestatem legislativam, seu condendi constitutiones servandas à subditis, alioquin non posset dirigi in finem per media congrua ; unde , cùm Ecclesia sit communitas benè ordinata debuit eidem inesse potestas condendi constitutiones , præsertim, cùm Constitutiones à Christo latæ non præcipiant de omnibus, & ex qualibet circumstantia; unde erat necessaria, in Christi Vicario hæc potestas, ut pro diversis Circumstantiis temporis, & loci posset Constitutiones condere, quibus fideles dirigerentur , in ordine ad assecutionem salutis. Hinc Christi Vicarius dicitur habere supremam potestatem in ordine ad finem supernaturalem Ecclesiæ, *c. quanto de translatione Episcopi* , adeò ut præsit omnibus, quæ salutem concernunt animæ, *can. duo sunt dist. 96.* & omnes ipsi subjiciuntur, ut supremo capiti *C. solitæ 6. de majorit. & obed.* potestas enim condendi constitutiones, nectitur supremæ potestati, cui supremus debetur actus in ordine ad rectum regimen: & hujusmodi supremus actus est condere constitutiones obligantes subditos.

Imò, hæc potestas condendi constitutiones in Ecclesia, est spiritualis supernaturalis, quia est participatio illius potestatis, quam Christus habuit, ut Caput Ecclesiæ: Siquidem est hæc potestas in summo Pontifice, ut Christi Vicario: unde, si potestas Christi, ut capitis Ecclesiæ, fuit spiritualis supernaturalis, etiam in Pontifice, ut Christi Vicario, erit talis. 2

Hanc potestatem, condendi leges, habet summus Pontifex, ut Christi Vicarius, immediatè à Christo, qui eam tradidit S. Petro, non ut tali personæ, sed ut ejus Vicario in Ecclesia; proinde etiam Successoribus fungentibus vices Christi in Ecclesia, quia hæc potestas fuit tradita non personæ, sed dignitati, quæ perseverat in Ecclesia, idque fuit definitum in Concilio Lugdunensi, ut habetur *in c. ubi periculum de elect.* & in Concilio Florentino *in litteris unionis*, ut etiam in Tridentino *Sess. 14. c. 7.* siquidem *Matth. 16.* dixit Christus Petro: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves*, ex quo textu liquet, hanc potestatem non fuisse collatam soli Petro à Christo, sed etiam ejus Successoribus: quia fuit collata Petro, ut fundamento, cui debuit Ecclesia inniti quoad regimen; hoc est, fuit collata Petro, ut Christi Vicario: consequenter etiam omnibus Successoribus vices Christi gerentibus: quia ipsis veluti fundamento innititur Ecclesia quoad regimen: Cùm esset Ecclesia perpetuò duratura, debuit & fundamentum, cui innititur esse perpetuum; Petrus autem, ut erat talis persona, non fuit fundementum perpetuum, quia brevi erat moriturus; benè tamen dignitas Vicarii Christi, non erat defutura, cùm à Petro esset transitura in suos Successores; ergò fundamentum, cui innititur Ecclesia, est dignitas Christi Vicarii, non verò talis specialis persona, quia hæc deficit non deficiente Ecclesia; non verò deficit dignitas Christi Vicarii: ergo Romanus Pontifex, ut Christi Vicarius, in Ecclesia habet immediatè à CHRISTO potestatem condendi constitutiones, quibus fideles rectè dirigantur. 3

Hinc potest Pontifex condere Constitutiones etiam sine consilio Cardinalium, ut desumitur *ex c. significasti de elect. & c. duo sunt dist. 96.* quia potestas Pontificis cùm sit immediatè à Christo, independens est à Cardinalibus; proinde potest ipsis inconsultis constitutiones condere: Siquidem eo ipso, quòd est independens, nullam habet necessitatem requirendi eorum consensum. Tum, quia potestas Pontificis fuit eadem cum potestate Petri, quæ fuit independens à quovis alio, cùm Christus soli Petro dixerit *Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* 4

Potestas enim Apostolorum, fuit inferior potestate Petri, quia soli Petro, ut capiti fuit data suprema potestas, & ipsi specialiter dixit Christus Joan. 21. *Pasce oves meas:* undè Petro fuit data potestas ordinaria, tanquam Pastori: Apostolis verò fuit data, ut ovibus, quia tanquam oves Christi erant, & ipsi 5

Apo-

Apostoli pascendi à Petro: unde potestas tradita Petro fuit ordinaria, & potestas tradita cæteris Apostolis fuit subordinata Petro, quia cùm fuerit Petrus Christi Vicarius, & caput Ecclesiæ, licèt cæteri Apostoli habuerint etiam immediatè à Christo hanc potestatem Joann. 20. *sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* fuit tamen potestas collata cum subordinatione ad Petrum: quia etiam tempore Apostolorum caput Ecclesiæ fuit unicum tantùm; & ideo illi tantùm competebat potestas ordinaria, & cæteris cum subordinatione ad Petrum: alioquin tot fuissent capita, quot potestates independentes, cùm ratio capitis constituatur per potestatem independentem. Demum erat Petrus ipsa petra, supra quam fuit fundata Ecclesia, seu fundamentum ejusdem, proinde omnis alia potestas Ecclesiastica debuit in Petro fundari mediante subordinatione ad ipsum.

6 Quæritur primò, an Concilia habeant potestatem condendi constitutiones? Respondetur: quòd, si iisdem intersit summus Pontifex ut caput, habent potestatem condendi constitutiones obligatorias *can. catholica dist. 11.* quia tunc ratione capitis, seu summi Pontificis refunditur in Concilium authoritas. Cæterum si Pontifex nec per se, nec per suos Legatos præsit, non habet Concilium talem potestatem, quia tunc non est legitimè congregatũ, proinde non repræsentat totam Ecclesiam. Hinc nequit concilium condere constitutiones obligantes summum Pontificem; quia, hic est caput Ecclesiæ, & Vicarius Christi, habens plenitudinem potestatis, ut liquet *ex c. honorem de usu pallii & c. decret. 2. q. 6. & c. fin. causa 1. q.* 3. sin autem concilium posset constitutiones condere, quibus summus Pontifex obligaretur, haberet potestatem supra Pontificem, qui propterea non esset caput Ecclesiæ: non enim super caput datur authoritas superior, est enim potestas capitis prima, non habens ullam aliam supra se. Tum quia Pontifex non esset Christi Vicarius, quia de ratione Vicarii est ut in eo ordine, in quo est Vicarius nulli subjiciatur, nisi illi, cujus est Vicarius; & summus Pontifex si posset ligari constitutionibus emanatis à concilio intra ordinem potestatis Ecclesiasticæ, subjiceretur concilio, & non haberet plenitudinem potestatis, cùm hæc in illo tantùm sit, qui superiorem non habet,

7 Neque potest concilium, licèt generale, absq; consensu & approbatione sumi Pontificis condere constitutiones obligantes totam Ecclesiam; quia concilium generale catenus potest suis constitutionibus Ecclesiam obligare, quatenus repræsentat corpus Ecclesiæ: atqui sine Pontifice non repræsentat corpus Ecclesiæ: ergo nequit constitutiones condere obligantes totam Ecclesiam: hæc enim est corpus politicum: cujus caput est summus Pontifex, adeò ut non possit tota repræsentari sine capite; sicut corpus humanum, sine capite non dicitur totum corpus. Præterea quia potestas condendi constitutiones obligatorias non fuit concessa membris hujus corporis, sed capiti ejusdem. Cui Christus *Joan. 21.* dixit: *pasce oves meas*: unde à quo excluditur Christi Vicarius, excluditur etiam potestas supra totàm Ecclesiam, in qua membra inferiora habent totam potestatem subordinatam capiti, seu dependentem à summo Pontifice.

8 Tum quia Ecclesia est ædificata supra authoritatem summi Pontificis, tanquam supra fundamentum, *Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Sin autem concilium universale posset suis constitutionibus summum Pontificem obligare, non Ecclesia niteretur suo fundamento; sed fundamentum iñiteretur ecclesiæ; seu non domus niteretur fundamento; sed fundamentum sustineretur à domo, quo nil absurdius: ergo potestas concilii dependet à potestate sumĩ Pontificis tanquam à fundamento, cui innitur; & veluti à capite, à quo dirigitur; proinde repugnat, posse suis constitutionibus summum Pontificem obligare.

9 Quòd si tempore Schismatis, vel quando Pontifex in hæresin incidit, concilium generale sit legitimè congregatum, tunc habet facultatem declarandi verum Pontificem, ut communiter docent Doctores cum *Bellarm. 2. de concil. c. ult.* quia debet Ecclesiæ inesse sufficiens potestas ad ejusdem regimen, & conservationem: consequenter debet posse tollere Schisma, & per depositionem capitis infecti hæresi consulere ejus conservationi: alioquin non haberetur sufficiens potestas ad ejus regimen; siquidem status Ecclesiæ perturbaretur, & ex hac perturbatione oriretur ejus destructio, quod absurdũ est: quia Ecclesia, ut instituta à Christo, est rectè ordinata, nec potest relinqui sine remedio in casu schismatis, vel capitis infecti hæresi. Non tamen inde sequitur, à Concilio judicari Pontificem. Quia eo ipso quòd Pontifex est hæresi infectus, ex se labitur è Pontificia dignitate, quâ privatur; & Concilium hoc idem declarat.

10 Tum quia Christus ipse suæ assistit Ecclesiæ Matth. 28. *ego vobiscum sum usque ad consumationem sæculi*: sed non assistit visibiliter: ergo debet assistere per alios sensibiliter: sed non assisteret in præfatis casibus, si non posset per suos ministros aliquid decernere. Demùm quia portæ inferi prævalerent adversus Ecclesiam, si orto Schismate concilium generale non posset verum Pontificem declarare.

11 Quinimò videtur hæc potestas convenire Concilio ex jure naturali divino: siquidem cuilibet communitati ex jure naturæ competit expellere à se malum, séque ipsam tueri ab illis incomodis, quæ in ejus tendunt destructionem: est enim hæc repulsio mali propriè defensio, quæ est de jure naturæ: quod si hæc facultas se defendendi convenit cuilibet communitati, non erit deneganda Ecclesiæ, quæ propterea tempore schismatis, vel quando caput est infectum hæresi, potest sibi consulere. Demum quia Episcopi ex divina institutione sunt pastores propriæ Ecclesiæ, à qua tenentur damna spiritualia arcere; illis enim dicitur Act. 20. *attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus constituit Episcopos regere Ecclesiam Dei*: ego tenentur Episcopi ex institutione divina etiam arcere malum, quod ex schismate oritur.

12 Quæritur secundò, an concilia nationalia, quibus intersunt omnes Episcopi alicujus nationis: & Provincialia, in quibus interveniunt Episcopi Provinciæ congregati ab Archiepiscopo habeant potestatem condendi constitutiones obligantes subditos illarum Nationum, vel Provinciarum? Respondetur affirmativè, & liquet ex *c. catholica dist. 11. & ex Trident. sess. 24. de refor.* Siquidem Patriarchæ, & Metropolitani sunt à sede Apostolica instituti in ordine ad talia concilia; quæ propterea si ab iisdem congregentur habent potestatem condendi constitutiones obligatorias: siquidem hæc potestas desiderabatur ad rectum regimen earundem Ecclesiarum, & ad finem, pro quo fuerunt concilia illa congregata.

13 Non tamen hæc concilia possunt condere constitutiones adversantes juri communi, ut constat ex *c. quod superis de majorit. & obed. & c. fin. de offic. Archipresbyt.* est enim potestas horum conciliorum inferior potestate Pontificis, cui propterea non potest adversari. Advertendum tamen si constitutiones conderent contrarias juri communi. Quinimò nec talia concilia possunt condere leges circa majores, & grandiores causas: idque desumitur ex *c. præceptis dist. 11. & c. multis, & c. non licuit dist. 17.* sunt enim causæ majores, quæ ex natura sua concernunt statum Ecclesiæ universalis, quæ propterea reservantur specialiter summo Pontifici *c. majores de baptis. & c. cum dilect. de consuet.* Concilia autem sive nationalia, sive Provincialia, non habent jurisdictionem in universalem Ecclesiam, sed limitatam in proprias, & subordinatam summo Pontifici, unde non possunt quidquam statuere, quod pertineat ad universalem Ecclesiam: neque ad ea, quæ reservantur Pontifici.

14 Quæritur tertiò, an Archiepiscopi, & Episcopi habeant potestatem condendi constitutiones? Respondetur affirmativè, quo ad proprias Ecclesias tantùm, & cum subordinatione à summo Pontifice, adeò ut Episcopus possit per se condere constitutiones pro sua Diœcesi *c. cum dilect. de Consu. & c. quod superis de majorit & obed. & c. final. de Offi. Archipresbyt.* idque colligitur ex illo Actorum 20. *posuit vos Spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei*, sunt enim & ipsi pastores propriarum Ecclesiarum, consequenter possunt pro bono regimine earundem constitutiones condere, in iis, de quibus jus commune non disponit, proprium enim pastoris munus est, oves pascere, ac ducere ad salutem; consequenter per constitutiones iis ostendere, qua sit eundum, ne deflectant à recto tramite. Non tamen possunt condere constitutiones adversantes juri communi, quia hoc est superius, & inferior non habet potestatem contra superiorem: ut nec etiam causa essentialiter subordinata potest agere contra motum subordinantis. Hinc nec possunt condere constitutiones de rebus majoribus, ut liquet *c. 1. de translat. Epis.* quia res majores sunt communes toti Ecclesiæ, & ex natura sua pertinent ad dispositionem capitis, cui ut membra subduntur Archiepiscopi, & Episcopi, qui ut membra debent regulari à capite.

Quòd si dicas, Episcopum posse in sua Diœcesi, quod Papa in tota Ecclesia, proinde posse condere leges de rebus omnibus. Respondetur, id esse verum, si servetur proportio, quidquid enim potest Papa in tota Ecclesia quo ad res communes, potest etiam Episcopus quo ad res particulares: sicut enim Papa est Episcopus totius Ecclesiæ catholicæ, seu communis omnium fidelium, ita ad ipsum pertinent causæ communes: Episcopus verò est tantùm pastor particularis, cui conveniunt res particulares tantùm: immò Episcopus non potest novas condere constitutiones saltem de jure communi sine consilio capituli, licèt non teneatur sequi ejus consilium, nisi in casibus expressis, ut habetur: *in c. quantò, & c. nolit. de iis, quæ fiunt à Prælatis*: ubi statuitur, Episcopos debere circa negotia Ecclesiæ requirere consilium Capituli. 15

Quæritur quartò, an Cardinales habeant potestatem condendi constitutiones? Respondetur, illam non habere pro tota Ecclesia, quia hæc convenit soli summo Pontifici: unde illam habent tantùm pro Ecclesiis propriorum titulorum, quia in iis habent jurisdictionem quasi Episcopalem *c. is qui de majorit. & obed. & c. querelam de elect.* Nec tempore sedis vacantis totum collegium Cardinalium habet potestatem condendi constitutiones obligantes totam Ecclesiam, sed tantùm possunt decernere quæ tunc temporis necessaria sunt, ut habetur in *Clement. ne Romani de elect.* quia collegium cardinalium sede vacante non habet hanc potestatem ex natura rei; quia hæc potestas fuit à Christo concessa soli summo Pontifici, ut capiti: Neque habet ex concessione ullius Pontificis, ut liquet *ex d. Clement: ne Rom.* neque ex eo, quod possint summum Pontificem eligere, possunt sede vacante condere constitutiones obligantes totam Ecclesiam, quia sede vacante non gerunt vicem Pontificis quoad jurisdictionem, sed tantùm quo ad Ecclesiæ defensionem. 16

Quæritur quintò, an legatus Pontificis habeat potestatem condendi constitutiones obligantes? Ex legatis Pontificis, alii sunt legati nati, seu tales ex officio annexo dignitati *c. 1. de Offi. legati.* Alii sunt temporarii, quibus ad tempus concreditur officium legationis pro certa provincia, aut regno *C. placuit 7. qu. 1.* Alii sunt legati à latere ita dicti, quia sint quasi de latere summi Pontificis, seu Romanæ Ecclesiæ Cardinales, licèt non sit simpliciter necessarium, quod tales legati sint Cardinales *c. per tuas de majorit. & obed.* usus tamen invaluit, ut non nisi Cardinales assumantur legati à latere *c. ad eminent. de sent. excom.* Respondetur, omnes prærecensitos legatos habere potestatem condendi constitutiones juxta terminos propriæ legationis, ita fuit determinatum ab Innocentio III. *c. fin. de offic. legat.* quia legatus habetur ut Princeps, cui inest regia potestas, ut liquet ex *d. c. & c. cum venerab. de consuet.* ergo legatus Pontificis quicunque ille sit, habet potestatem condendi constitutiones, ut suum valeat munus rectè gerere. Quinimò hæc potestas est ordinaria, & desumitur *ex toto Tit. de offic. legat. c. legat offic.* 17

legat

legat. in 6. quia hæc potestas est annexa muneri, & dignitati, consequenter est potestas ordinaria conveniens ratione muneris, & officii. Non tamen possunt legati condere constitutiones contra jus commune, nec contra universalem consuetudinem illius provinciæ, in qua funguntur munere legationis, neque contra privilegia concessa à summo Pontifice tali Provinciæ: neque circa ea, quæ sunt specialiter reservata Pontifici, ut notat Felin. in *c. quod super is de majorit. & obed.* quia jurisdictio legatorum dependet ex nutu summi Pontificis, à quo possunt excludi ab officio: unde non possunt exercere jurisdictionem directè, vel indirectè contra Pontificem, nec contra ea, quæ sunt à Pontifice statuta, & approbata, vel concessa. Hoc idem dicendum de Nuntiis Apostolicis, quia & ipsi sunt legati, ut habetur: *in c. ex part. de verb. signif.*

18 Quæritur sextò, an Capitulum sede vacante habeat potestatem condendi constitutiones? Respondetur, duas esse sententias, quarum prima docet, capitulum sede vacante non succedere in omni jurisdictione Episcopo, nisi tantùm quoad ea, quæ in jure particulari reperiuntur: ita Glossa *in Clement. 1. §. de hæret. v. capitulum*, & *cap. in his quæ de major, & obed.* Archidiaconus *in cap. Pontifices 7. quæst. 1. col. 1.* Joan. Andreas *in cap. penult. §. Episcopo de temporibus lib. 6.* Geminian. *in can. Presbyteri 24. dist.* Lambertinus *de jure Patronat. lib. 1. part. 2. q. 3. n. 2. & l. 2. part. 2. art. 14. n. 7.* Costa *de Judiciis n. 44.* Nititur hæc sententia quia *in c. 2. ne sede vacante* Pontifex ait, capitulum non succedere Episcopo in collatione beneficiorum: quia nullibi reperitur id in jure expressum: proinde capitulum tantùm succedit Episcopo in iis, quæ in jure expressa reperiuntur. Verùm hæc ratio non urget, quia collatio beneficiorum est quædam donatio *c. de multa de præbend.* donatio autem non comprehenditur sub quacunque ampla, & generali facultate concessa, nisi exprimatur: unde meritò dixit Pontifex *in d. c. Ne sede vacante.* Capitulum non posse conferre beneficia, quia nullibi id reperitur in jure expressum. Secunda sententia, cui adhærendum omnino est, asserit, Capitulum sede vacante succedere in omnibus, quæ ad ordinariam jurisdictionem, & administrationem Episcopi, tam in Spiritualibus, quàm temporalibus pertinent; idque desumitur *ex c. cum olim de major, & obed. c. 2. Ne Prælati vices suas. cap. ad abolendum in princ. de hæret. cap. penul. c. fin. de supplend. neglig. Prælat.* & ex Tridentino *sess. 7. cap. 10. sess. 24. c. 16.* & docent hanc sententiam Merola *tom. 3. disput. 7. cap. 7. dub. 1. n. 2.* Diana Coord. *tract. de Potestate capituli sede vacante tom. 3. Resol. 1. n: 2.* & alii quos ipse refert, & sequitur. Ratio est, quia Jura dicunt, capitulum sede vacante succedere in jurisdictione ordinaria Episcopi: proinde potest statuta condere, quæ posset Episcopus si viveret, ut notant Abbas *cap. cum olim de major, & obed.* Federic. *cons. 16.* Ratio est, quia condere statuta est actus jurisdictionis, ac proinde convenit capitulo sede vacante. Imò ex hac ratione potest etiam abrogare statuta antecedentium Episcoporum, quia hæc abrogatio est etiam actus jurisdictionis. Non tamen capitulum sede vacante potest statuta condere, quæ juri, & auctoritati noceant Episcopi successuri, ut si conderet statutum, quo charitatis subsidium Episcopo debitum auferatur ex toto, vel ex parte, ut docet Lapus, quem citat, & sequitur Pavin. *part. 1. quæst. 6.* & in hoc sensu intelligenda est sententia asserens capitulum sede vacante non posse novas constitutiones condere. Cæterum notat Pavin. *part. I. quæst. 6.* statuta capituli tamdiu durare, donec ab Episcopo successore revocentur, quod tamen limitandum est dummodo ab ipso dependeant.

Quæritur septimò, an hæc potestas legislati- 19
va Ecclesiastica subordinet sibi civilem? Respondetur affirmativè, & desumitur ex *Clement. unam sanctam de majorit. & obed.* idque probant SS. Patres ex illo Matth. 16. *tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: ex quo textu inferunt, omnes Christianos habentes jurisdictonum civilem subdi potestati spirituali, eo quia omnes, oves sunt Christi: præterea, quia Ecclesia est unum corpus, ut ait Apostolus *1. Cor. 12.* cujus caput est Christus, cujus vices in terris gerit summus Pontifex, qui est caput Ecclesiæ in terris, & omnes Christiani sunt membra hujus corporis sub hoc capite, proinde subjiciuntur summo Pontifici, perinde ac membra capiti. Tum quia potestas condendi constitutiones in Ecclesia est in ordine ad finem supernaturalem, proinde sibi subjicit potestatem civilem, quia finis potestatis civilis subjicitur fini supernaturali. Demum quia pertinet ad summum Pontificem, procurare, ut Principes rectè utantur potestate civili juxta exigentiam finis supernaturalis.

§. IV.

De Causa Materiali Constitutionum, Ecclesiasticarum, & Civilium.

CErtum est, materiam proximam juris canonici esse diversam saltem secundùm determinationem à materia juris civilis, ut communiter docent in *c. Ecclesia de constit. & in l. omnis populi ff. de just. & jur.* colligitur etiam ex *c. solitæ de majorit. & obed.* quia cùm hæc jura habeant diversos fines, habent etiam diversam materiam proximam saltem secundùm determinationem: siquidem materia juris est medium ad assecutionem finis, quem respicit practico modo: ergo materia juris canonici stat saltem sub diversa determinatione à materia juris civilis. Neque urget quòd leges civiles versentur plerumq; circa eandem materiam circa quam versantur constitutiones canonicæ, ut circa usuras, matrimonia, juramenta, contractus, & alia plura: quia licèt jus canonicum versetur circa eandem materiam, non tamen in ordine ad eundem finem; sed ad diversum, & sub diversa determinatione; siquidem jus civile disponit de materia juxta exigentiam finis temporalis: & jus canonicum juxta exigentiam finis spiritualis.

Ca-

2 Cæterùm jus Canonicum in pluribus convenit cum Civili: primò quia non potest præcipere omnes actus omnium virtutum, cum fundetur in potestate humana, quæ non potest exerceri nisi secundùm humanam capacitatem, & exigentiam finis humani, qui non exigit omnes actus omnium virtutum. Secundò convenit, quia jus canonicum potest præcipere, & prohibere, quæ lege naturali, aut divina non præcipiuntur, aut prohibentur, quia hæc possunt esse necessaria ad assecutionem finis, quem intendit: & hoc idem etiam præcipit jus civile in ordine ad suum finem.

3 Non tamen jus Canonicum potest per se directè, & immediatè versari circa actus purè internos, sed tantùm indirectè ratione externorum, à quibus trahuntur. Idque desumitur ex *c. cogita de pœnit. dist. 1. & c. erubescant dist. 32. & c. duo nos.* Siquidem Ecclesia nequit constitutiones condere circa ea, de quibus potis non est judicare: atqui Ecclesia per se directè nequit judicare de actibus purè internis cum judicium supponat cognitionem, & actus interni secundùm se sint omnino extra sphæram humanæ cognitionis: non enim cadunt sub sensus, & in intellectu humano nihil est, quin priùs alicui obviaverit ex sensibus, juxta vulgatum axioma: nil est in intellectu, quin priùs fuerit in sensu: unde cùm intellectus non judicet de illis, quæ ipsi non innotescunt, eo quia judicium supponat essentialiter cognitionem, sequitur, jus Canonicum non posse per se directè, & immediatè versari circa actus purè internos. Quòd si dicas, non posse jus canonicum judicare de actu occultissimo, & tamen posse de ipso condere constitutiones. Id est verû, sed inde non sequitur, posse judicare per se, directè, & imediatè de actibus purè internis, est enim discrimen, quia actus occultissimus potest de se esse objectum judicii, adeo ut per accidens se habeat, quod non cognoscatur: siquidem potest actus occultissimus esse in materia sensibili, & externa, adeòq; intra sphæram humanæ cognoscibilitatis, extra quam sunt actus purè interni, quæ sub sensus non cadunt.

4 Potest tamen potestas condendi constitutiones Ecclesiasticas se extendere ad actus internos conjunctos per se cum actu externo, adeo ut saltem indirectè se extendat ad actus internos necessarios pro validitate actus externi; siquidem potestas condendi constitutiones habet in Ecclesia jus præcipiendi actus externos cum sua validitate: ergo etiam actus internos, qui necessarii sunt pro tali validitate; quia semel quòd Ecclesia habet jus ad validitatem actus, habet etiam jus ad causam talis validitatis: Ecclesia enim habet jus ad actus externos inservientes fini intento à lege, & necessarios pro consecutione talis finis: hujusmodi autem actus non inserviunt fini, nisi quatenus sunt validi: non enim collatio Sacramenti inserviret ad salutem, nisi sacramentum esset validum. Si dicas, legem non posse versari circa ea, de quibus nequit sententiam ferre, & de actibus internis non posse judicare, neque sententiam ferre. Respondetur, quòd licèt lex humana non possit versari circa ea, de quibus non potest ferre sententiam quantùm ex vi sua: potest tamen versari circa tales actus internos mediante subsidio alterius legis, quandò ex vi exigentiæ proprii finis trahit actum ad complendam vim obligativam; quod tunc contingit, quando actus coincidens, dependet etiam ab obligatione alterius legis.

5 Hinc potestas condendi constitutiones Ecclesiasticas non se extendit per se primò, & ratione sui ad actus purè internos, sed tantùm ratione legis naturalis, vel divinæ, quatenus hæ leges obligant ad actum internum in ordine ad refundendam validitatem externam, quamobrem quando lex humana prohibet, vel præcipit actum externum, subintrat obligatio præcepti divini, vel naturalis pro actu interno: quia cùm actus interni ex sua natura exigant actum externum pro sua extrinseca validitate, quoties præcipiuntur à lege humana, subintrat ex natura rei lex naturalis, vel divina obligans ad actum internum necessarium pro validitate externi: quia lex humana præcipit actus externos, juxta exigentiam propriæ naturæ.

6 Jus civile non tantùm versatur circa materiam justitiæ, verùm etiam cæterarum virtutum: quia lex civilis habet pro objecto, & fine bonum comunitatis: finis autem legis civilis est rectus ordo communitatis, & illa felicitas, & tranquillitas, quæ oritur ex tali ordine: ergo potest ea præcipere, quæ necessaria sunt pro bono communitatis: atqui plures actus omnium virtutum, vel in uno, aut in alio sunt subinde necessarii ad assecutionem talis finis, quia cùm bonum commune exigat rectum ordinem in humana societate, requirit etiam tales actus, quia virtutes, vel sunt ad se, vel ad alterum, si ad se sunt necessariæ, ut quisque quoad se ipsum ordinatè se habeat: si ad alterum, necessariæ sunt ut servetur debitus ordo cum aliis. Non tamen potest jus civile præcipere omnes actus omnium virtutum; adeò ut nequeat virginitatem præcipere, nec statum religionis, quia lex civilis nequit præcipere, ultra exigentiam proprii finis, consequenter non potest præcipere omnes actus omnium virtutum, quia isti non sunt necessarii: siquidem nec necessarii sunt respectu finis ultimi, licèt ad ipsum, viam veluti sternant, & conducant.

7 Potest tamen Jus civile præcipere, vel prohibere, quæ jure naturali nec præcepta, nec prohibita sunt: quia cum Jus civile habeat pro fine bonum communitatis, potest omne id, præcipere, vel prohibere, quod inservit ad bonum commune promovendum, & juxta ejus exigentiam: & plura quæ non præcipiuntur, nec prohibentur jure naturæ possunt occurrentibus aliquibus circumstantiis esse necessaria pro bono communitatis; qua ratione per leges civiles plura præcipiuntur, & prohibentur ad bonum comune promovendum, quæ aliàs nec præcepta, nec prohibita essent. Quòd si dicas, legem humanam derivari à naturali, proinde non posse præcipere, nisi quæ præcipiuntur à lege naturali. Verum est, legem humanam derivari à naturali; sed hanc derivationem in eo sitam esse, quòd præcipiat, quæ conformia sunt dictamini naturali, ac bona; & quia dantur plura

plura, quæ per se parum, vel nihil præseferunt utilitatis, & cum aliquibus circumstantiis hic, & nunc plurimùm secum trahunt emolumenti; ideo licet ex se non præcipiantur jure naturæ, occurentibus tamen istis circumstantiis præcipiuntur jure positivo, & civili, eò quia conformia sint dictamini rectæ rationis, ac utilia in ordine ad bonum commune promovendum.

8 Hinc jus civile potest etiam præcipere, & prohibere actus, qui alioquin ex se essent indifferentes; quia cùm possit præcipere, quod necessarium est ad promovendum bonum commune; & prohibere, quod illud impedit: & quæ alioquin essent ex se indifferentia; ob occurrentes circumstantias conducunt ad promotionem boni communis, & alia, quæ sunt eidem impedimento; ideo possunt illa præcipi, & hæc prohiberi; quia tunc illa sunt bona, & hæc mala in ordine ad finem ex occurrentibus circumstantiis: alioquin quæ sunt indifferentia ex objecto, & perseverant in sua indifferentia, non possunt præcipi, nec vetari: quia jus civile in sua potestate mensuratur à fine, adeò ut ea tantùm possit præcipere, quæ exiguntur à fine, & ea prohibere, quæ eidem adversantur: & talia non sunt indifferentia, si perseverent in sua indifferentia: siquidem quod exigitur à fine; debet posse induere bonitatem, quæ habetur ratione finis, & exuere indifferentiam.

9 Non tamen jus civile se extendit ad ea immutanda, vel relaxanda, quæ jure naturali, & divino, vel gentium præcipiuntur, vel prohibentur; quia inferior non potest legem superioris abrogare, aut dispensando eam relaxare. Potest tamen interpretare, vel declarare legem naturalem: & quidem hæc declaratio si versetur circa res spirituales, pertinet ad Ecclesiam: si circa res temporales, spectat ad Magistratum sæcularem: quia declarare, legem, quando occurrunt dubia, non est immutare legem, nec quidquam illi de novo addere, sed tantùm explicare, quomodo lex se habeat. Quòd si declaratio juris naturalis facta à Magistratu sæculari non esset clara, & adhuc suas pateretur difficultates; tunc pertinet ad judicium Ecclesiæ declarare, quid in tali re agendum sit, siquidem ad Ecclesiam pertinet declarare: an talis juris naturalis interpretatio sit juxta conscientiam, vel non.

10 Non tamen Jus civile potest constitutiones condere, quæ uni vel alteri in particulari præjudicent sine justa causa *Argu. c. quæ in Ecclesiarum 7. h. t.* licèt enim princeps habeat jurisdictionem in suos subditos, non tamen habet dominium rerum privatorum, spectantium ad subditos privatim: unde tantùm ex justissima, & urgente causa, ut ob publicam necessitatem, aut utilitatem potest Princeps tales constitutiones condere, quia cùm bonum publicum sit privato præstantius, debet eidem præferri, quando necessitas urget: non tamen in dubiis Princeps censendus est ita fecisse, quia non facilè censetur uti potestate extraordinaria, & faciliùs potest præsumi derogare juri acquirendo, quàm acquisito.

Generatim materia constitutionis præcepti- 11
væ comprehendit ea omnia, quæ conducunt ad promovendum, vel conservandum bonum commune; & constitutionis prohibitoriæ, quæ eidem bono adversantur. Quòd si dicas, plura esse priùs jure divino, vel naturali præcepta, vel prohibita; proinde frustraneè iterum præcipi, vel prohiberi jure humano. Contra est, quia nil impedit, quin idem actus ad uberiorem juris divini, vel naturalis declarationem, vel observationem, iterum præcipiatur, vel prohibeatur jure humano: plura enim quæ juræ naturæ præcipiuntur, sunt dubia, & non clarè innotescunt omnibus; proinde non frustraneè jus positivum humanum iterum illa præcipit, vel prohibet.

Possunt humanæ constitutiones permittere, 12
quæ alioquin ex se mala sunt, & inhonesta, non quidem simpliciter, sed ad evitandum majus malum, si utrumque in Republica post adhibitam diligentiam, nequeat declinari: quia tunc constitutio non approbat minus malum, ut licitum, sed tantùm dissimulat ejus pœnam; ne majus malum inde oriatur: hâc ratione plures censent *Deut. 23.* fuisse Judæis concessum, usuras exercere cum extraneis, ne scilicèt easdem cum suis fratribus exercerent: ad præcavenda etiam adulteria, & alia atrociora peccata in aliquibus civitatibus tollerantur simplices fornicationes, & non puniuntur meretrices. Puniunt tamen jura malefactores in Republica: si enim constitutio Principis perhibeat aliquem actum, & non determinet pœnam infligendam transgressoribus: ii tamen Judicis prudentis arbitrio puniuntur, alioquin frustra conderentur constitutiones, si mali formidine pœnæ non coërcerentur ut docet Menoch. *de arbit. lib. 2. cas. 1065. n. 2.*

Occurrunt nonnunquam etiam delicta, quæ 13
dicuntur mixti fori, quatenus ab utroque jure canonico, & civili puniuntur. Et tunc inter judicem Ecclesiasticum, & sæcularem datur locus præventioni, in enormioribus tamen delictis, quibus pœnæ præstitutæ à jure canonico sunt potiùs medicinales, quàm vindicativæ, puniti transgressores in foro Ecclesiastico, adhuc ad terrorem cæteris incutiendum traduntur foro sæculari puniendi *c. felicis vers. per hoc quoque de pœnis in 6. c. 2. de maledicis. l. placet C. de S. Ecclesia*

An verò constitutiones civiles possint dire- 14
ctè, & immediatè præcipere, vel prohibere actus merè internos; est major difficultas, quia actus interni, vel etiam occulti videntur posse esse materia constitutionum humanarum, quia *c. dolentes, de celeb. miss.* Pontifex præcipit, ut officium divinum à clericis devotè recitetur: & devotio est actus purè internus, scilicèt elevatio mentis ad Deum: *& Clement. 1. §. verum de hæret.* excommunicatione percutiuntur illi, qui ex odio, gratiâ, vel avaritiâ negligunt inquisitionem contra hæreticos; & nihilominus odium, gratia, & avaritia plerumque sunt actus interni, vel occulti, Rursus Concilium Tridentinum *sess. 4. de refor. c. 6.* concedit privile-

vilegium Episcopis, ut possint absolvere à censuris, & irregularitatibus provenientibus ex delictis occultis: E contra *l. 18. ff. de pænis, & c. cogitationis de pænit. dist. 1.* habetur, pœnam cogitationis in foro externo neminem pati, ideò quia cogitatio sit actus purè internus: in *c. sicut. c. duo nos de Simonia, in Trident. sess. 24. de refor. mat. c. 1.* Ecclesia dicitur de occultis non judicare. Pro solutione hujus difficultatis juvat observare, ut paulò superiùs innuimus, de constitutionibus Ecclesiasticis versantibus indirectè circa actus internos; ex actibus humanis alios esse merè internos, & per se occultos, qui cùm in sola mente consistant, soli Deo, & illi, à quo eliciuntur, innotescunt: & quia certum est, hos actus absque revelatione non posse aliis hominibus innotescere, sequitur neq; posse ab iisdem præcipi, nec puniri, cùm hoc præsupponat judicium, quod non fertur in incognitum: Hinc Simoniaci, hæretici, & usurarii purè mentales *in 5. decret.* non incurrunt pœnas juris.

15 Alii sunt actus humani externi, qui licèt initium duxerint à mente, procedunt tamen ad opus externum: & isti, si sint omnino occulti, eò quia fiant secretò absque ullo teste, nec ullo possint documento probari, dicuntur tantùm per accidens occulti; quia per se sunt actus sensibiles, & tantùm per accidens se habet, quòd hic & nunc non cadant sub sensus aliorum hominum: hoc est discrimen inter actus purè internos, & occultos externos: quia illi sunt per se occulti, cùm per se non sint sensibiles, nec ullo possint sensu percipi: qui verò sunt sensibiles, quatenus transeunt ad opus externum, non nisi per accidens dicuntur occulti, eo quia hic, & nunc absque ullo teste fiant: & hujusmodi actus per accidens occulti subjacent jurisdictioni Ecclesiasticæ, suntque materia constitutionum, licèt ex defectu probationum nonnunquam judicium effugiant humanum; quia id se habet tantùm per accidens. Hinc si Prælatus Ecclesiasticus condat constitutionem, quâ excommunicatione percutiat omnes, qui furtum sacrilegum commiserint: stante hâc constitutione, qui furatur in loco sacro res Sacras, incurrit procul dubio talem censuram, tametsi neminem habuerit sui sacrilegii testem, quia furtum rei sacræ per se est quid sensibile, & tantùm per accidens se habet, quod hic & nunc fuerit occultum.

16 Alii sunt actus humani, qui dicuntur mixti, seu partim externi, & partim interni, in quibus præter actum externum etiam requiritur internus, seu intentio, ut externus sit perfectus, & completus quoad substantiam, ut in Sacramentorum administratione, & perceptione, in quibus requiritur intentio interna, ut administratio externa sit valida: & hos actus diximus paulò superiùs posse indirectè præcipi à constitutionibus Ecclesiasticis, quæ cum præcipiant actum externum perfectum, in quem directè feruntur; præcipiunt etiam omne id, quod necessarium est, ut talis actus externus sit perfectus, habeatque suam validitatem, proinde indirectè præcipiunt etiam actum internum, quando is requiritur necessariò ad validitatem actus externi: sic Ecclesia per suas constitutiones præcipit indirectè intentionem consecrandi, eò quia consecratio non sit valida sine intentione. Tum quia homines non tantùm quoad directionem corporalium, & externarum actionum; verùm etiam quoad directionem animæ suis subjiciuntur superioribus, cum dicat Apostolus *ad Rom. 13. omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit*, & paulò post subjungat: *ideo necessitate subditi estote, non solùm propter iram* (intellige judicis externi) *sed etiam propter conscientiam.*

Hisce prænotatis, respondetur ad dubium: quòd tametsi constitutiones civiles 17
non possint directè, & immediatè præcipere, vel prohibere actus merè internos, benè tamen indirectè; præcipiendo, vel prohibendo actum externum, qui secum trahat internum. Quòd non possint directè; desumitur *ex l. cogit. ff. de pænit.* cui accedit ratio: quia cum constitutio sit regula directiva in ordine ad bonum commune; nequit habere pro materia nisi quæ sunt capacia directionis ad bonum commune: & hanc directionem nequit humana constitutio inducere in actus purè internos, quia isti non cadunt sub cognitionem: directio enim non cadit nisi in subjectum cognitum.

Quòd si dicas: jus civile per suas consti- 18
tutiones eos punire, qui cogitârunt aliquod scelus perpetrare *l. divus, ff. ad legem Com. de sicar. l. si quis. C. de leg. Jur. majest.* consequenter prohibere actus purè internos, cujusmodi sunt cogitationes. Contra est, quia per citatas constitutiones non puniuntur cogitationes mentis, quamdiu existunt intra mentem, sed quia transierunt aliquo pacto in actum externum; tametsi actio non fuerit consummata: tum enim cogitatio mentis per actum externum, cui nectitur, fit sensibilis, & materia, in quam directè feruntur humanæ constituutiones; quæ indirectè tantùm præcipiunt, vel prohibent actus internos; quia cùm actus externus sit earum materia, prout conducit ad debitum ordinem humanæ societatis, & nonnunquam actus externus nectitur essentialiter cum interno, ideò iste fit materia indirectè constitutionum: quia concesso uno intelliguntur concessa ea omnia, sine quibus ad illud perveniri non potest, *l. 1. ff. de jurisdict. omnium Judic & l. ad legatum. ff. de procurat.* unde etiam præcepto, vel prohibito uno censentur præcepta vel prohibita omnia, sine quibus non potest illud haberi, & talis est actus internus necessariò connexus cum externo: Hinc constitutio humana potest, præcipere actum internum concomitante externo, ut etiam actum malum internum punire, quatenus nectitur cum opere externo, & habetur exemplum in jure civili *Tit. de injuriis* ubi tunc injuria punitur, si ex animo & intentione injuriandi processerit. *l. si non convicii 5. Cod. de injur.*

§. V.

§. V.

De Causa formali, & effectibus Constitutionis.

1 FOrma humanæ constitutionis est complexio omnium illarum conditionum, quæ requiruntur, ut statutum superioris inducat rationem constitutionis, ac vim obligandi: quapropter est de ratione constitutionis, ut sit justa, ac justè feratur: quia cùm sit quædam participatio legis æternæ, quæ est ipsa justitia per essentiam; debet constitutio humana essentialiter esse justa, cùm à justitia per essentiam non possit quidquam participari, quin sit justum. Debet itidem justè ferri ad quod requiritur, ut potestati commensuretur legislativæ, & quòd cum æqualitate proportionis imponat onus subditis, quia constitutio est actus potestatis jurisdictionalis, & ordinatur ad ponendum debitum ordinem in communitate, consequenter exigit, ut justè feratur, & cùm non possit ferri, nisi ab habente jurisdictionem, & potestatem legislativam; sequitur, non posse illam excedere, cùm repugnet effectus excedens virtutem causæ; siquidem secundùm mensuram excessus non posset esse à tali causa, in qua non præcontineretur. Præterea nequit ordinari ad ponendum ordinem, quin servet in subditis æqualitatem proportionis: hâc enim sublatâ, communitas caret suo ordine, Hinc constitutio injusta, non est vera constitutio, quia caret forma constitutionis: debet tamen talis injustitia constare; quia in dubio præsumitur pro legislatore,& jus libertatis in subditis cedit juri præcipientis,perinde ac jus inferius; juri superiori *c. quo ad culp. 23. q. 1.*

Debet itidem ferri pro communitate *l. jura & l. nulla juris eod. Tit. & c. 1. de constit.*
2 quia constitutio est essentialiter regula rectè operandi, & exigit ex suo intrinseco ordinari ad communitatem, cùm rectè operari sit quid omnibus commune juxta subjectam materiam. Hinc constitutio debet per se respicere communitatem perfectam,aut secundùm se totam, aut secundùm aliquam ejus partem: dupliciter dicitur communitas; perfecta una, quæ sibi sufficit, & in qua est jurisdictio in ordine ad regimen politicum: alia imperfecta carens jurisdictione, & tantùm habens potestatem dominativam, ut est domus: cùm constitutio sit actus jurisdictionalis ordinatus à justitia legali, quæ respicit bonum communitatis, nequit locum habere, nisi in perfecta communitate, quia actus jurisdictionalis ibi tantùm potest esse, ubi jurisdictio reperitur; consequenter & forma perfectæ communitatis. Si dicas *in l. 1. ff. de constit. Princi.* referri quasdam leges personales. Id verum est, sed tales leges non sunt constitutiones, sed tantùm privilegia, vel obligationes personales, cujusmodi est obligatio voti, quòd si hujusmodi leges inserantur corpori juris, tunc extenduntur ad communitatem, & obligant omnes, ad quos spectant, ut serventur.

Debet itidem constitutio ordinari in bonum commune, quia est regula publicæ potestatis, quæ ordinatur ad regendas morales operationes, quæ respiciunt bonum publicum: siquidè potestas publica respicit subditos, & communitatem, quæ propterea debet dirigi per constitutiones tendentes in bonum publicum. Non tamen est necesse, ut respiciat bonum, quod per se primò commune est, sed sufficit, si ad illud ordinetur mediante bono particulari subditorum, qui sunt membra communitatis: quia cùm pars sit propter totum; etiam bonum partis est propter bonum totius, proinde constitutiones respicientes bonum particulare subditorum,respiciunt mediatè bonum commune. Neque obstat, nonnunquam constitutiones redundare in damnum aliquorum; quia bonum publicum præferendum est privato, & non interest si unus, vel alter ex subditis aliquod damnum patiatur, dummodo bonum communitatis promoveatur. 3

Requiritur etiam, ut constitutio sit necessaria pro bono communitatis, ut desumitur *ex c. omnia dist. 12.* quod intelligitur de necessitate, in ordine ad expellendum aliquod malum a communitate, vel promovendum aliquod bonum necessarium, quia constitutio habetur tanquam onus privans libertate; & constringens vitas hominum *l. leges sacratissima C. de leg. & l. 1. §. quæ onerandæ. ff. quarum rerum actio non datur.* Rursus inducit quandam servitutem, quæ morti æquiparatur *l. servitutem. ff. de reg. juris. & l. libertas ff. de statu hominum.* Unde si constitutio feratur nulla urgente necessitate, non erit censenda justa, quia sine ratione, tunc gravarentur subditi. 4

Rursus debet quod præcipitur, vel prohibetur per constitutionem esse possibile, non solùm physicè,sed etiam moraliter: de possibilitate physica nullum est dubium, quia natura libera non potest adigi ad id,quod non est in ejus potestate. De possibilitate morali, quæ excludit illam difficultatem, quæ non solet regulariter superari etiam est perspicuum, quia constitutiones non debent esse observatu ita difficiles: unde quæstio procedit de illa possibilitate morali, quæ tantam non ingerit difficultatem: & respondetur, constitutionem hanc habere moralem possibilitatem, ut desumitur *ex c. erit autem & c. denique dist. 2. & l. 1. §. dies autem ff. quando appellandum sit.* quia cùm lex sit regula dirigens subditos in ordine ad bonum commune,debet proportionari eorundem capacitati, adeò ut non debeat introducere, nisi illam directionem,cujus sunt subditi capaces: hi autem non sunt capaces nisi illius directionis, quæ non magnam ingerit difficultatem, estque moraliter possibilis, ac facilè introducibilis; alioquin si constitutio foret observatu admodum difficilis, frustraretur suo fine, ob non observantiam subditorum, quia frequentius violaretur, quàm observaretur. 5

Tunc autem censetur constitutio moraliter possibilis, & observatu non admodum difficilis, quando motiva, seu rationes, pro ejus ob-

servantia præponderant in ordine ad rectam rationem motivis se tenentibus pro non observantia.: quia voluntas ex natura sua est determinata ad bonum honestum; adeò, ut si illud non prosequatur, quando eidem repræsentatur ab intellectu, deficiat: unde si motiva pro observantia legis præponderant motivis in oppositum, cùm honestas ex parte eorundem, moveat voluntatem secundùm ejus naturam, poterit voluntas facilè amplecti observantiam constitutionis si rectam velit rationem sequi.

7 Hinc non obstat, quòd aliquæ constitutiones videantur admodum observatu difficiles, ut est illa de exponenda vita pro bono Reipublicæ, aut etiam pro salute spirituali proximi; quia hæ constitutiones talibus vestiuntur circumstantiis, tunc quando obligant, ut habeant motiva præponderantia pro observantia in ordine ad rectam rationem; proinde ex natura sua censentur tunc observatu faciles, & difficultas tantùm oritur ex prava voluntatis dispositione. Si dicas constitutiones, veteris legis fuisse veras constitutiones, & nihilominus actor. 15. dici jugum importabile. Respondetur, non dici absolutè jugū importabile, sed tantùm comparativè ad legē Evangelicam, quæ cùm sit lex libertatis, est jugū suave, ac leve, adeò ut dixerit Christus: *jugum meum suave est, & onus meum leve.*

8 Debet itidem legitima constitutio emanare ab habente potestatem jurisdictionalem; quia cùm sit regula dirigens subditos secundùm exigentiam boni communis, debet esse actus jurisdictionalis emanans ab habente potestatem jurisdictionalem, idque colligitur *ex. c. cùm accessissent, & c. cùm Ecclesia de consit.* unde ad condendas constitutiones, requiritur suprema potestas jurisdictionis: quia est constitutio obligans subditos supremus actus reginimis, & effectus exigit causam proportionatam; proinde effectus supremus in aliquo ordine exigit in eodem ordine causam supremam, & cùm constitutio intra ordinem reginimis sit actus supremus exigit in principio, à quo oritur potestatem jurisdictionalem supremam: quâ ratione paterfamilias nequit constitutiones obligatorias condere pro sua familia, quia tantùm habet potestatem œconomicam non jurisdictionalem.

9 Hinc differt constitutio à præcepto, quia illa est stabilis, & perpetua; præceptum verò temporaneum, & finiens cum morte præcipientis, vel officii abdicatione, ut liquet *ex C. & quis, ff. de jurisdict. omnium judic. & c. relatam. & c. gratum de offic. delegati* quia constitutio est actus potestatis jurisdictionalis, & præceptum potestatis tantùm gubernativæ; siquidem præceptum potest injungi ab eo, qui regimen exercet, licet careat potestate jurisdictionali: sic superiores regulares, locales, possunt injungere præceptum suis subditis, licet non possint constitutiones condere, cùm id tantùm pertineat ad capitulum generale: unde præceptum non extenditur plusquam extendatur gubernatio, quo pacto dicitur temporaneum: secus constitutio ex natura sua est perpetua, ut notat Glossa *in c. à nobis 1. de sent. excom. & desumitur ex C. de edendo, & ex c. fin. de off. legati*: est enim constitutio regula directiva communitatis juxta exigentiam boni communis, proinde quantùm est ex se, debet esse perpetua, seu tamdiu durare, quàmdiu manet communitas exigens rectè gubernari. Si dicas, constitutiones veteris testamenti non fuisse perpetuas, eò quia cessaverint obligare, cum primùm fuit à Christo instituta lex Evangelica. Respondetur, constitutiones veteris legis fuisse perpetuas ex natura sua, quia exigebant tamdiu durare, quamdiu durabat status ille populi Judaici: unde desiverunt, non ex se, sed ex mutatione materiæ.

Ad formam constitutionis extrinsecam requiritur signum aliquod expressivum, præcepti, cujusmodi sunt verba *præcipio, jubeo*, & alia hujusmodi. Desumitur ex Clement. *Exivit de verborum signif.* quia constitutio est essentialiter imperium superioris respectu subditi; proinde exigit intimari per modum imperii in signo aliquo extrinseco, ratione cujus transeat ad subditos. Potest tamen hoc signum sensibile se habere, vel in actu quasi signato, ut sunt verba *præcipio, jubeo, volo*; vel in actu quasi exercito, quo efficaci modo intimetur, quid faciendum sit, vel fugiendum, cujusmodi sunt hæc verba: *egrediatur, solvat, satisfaciat, non præsumat* desumitur ex *Concil. Trident. sess. 13. cap. 17.* ubi injungens præceptum sacerdoti, qui urgente necessitate, & elicito prævio actu contritionis celebrat cum conscientia peccati lethalis; ait *quamprimùm confiteatur*: quia hæc verba sunt intimativa, vel prohibitiva, & habent efficaciam in ordine ad executionem. 10

Effectus verò constitutionum quòd attinet, plures sunt, primò efficere subditos aliquo modo bonos in suo genere, & desumitur *ex l. 1. ff. de just. & jure & ex Psal. 118. lex domini imaculata convertens animas.* siquidem constitutio, cùm sit justa, subjicit subditos rectæ rationi, illis præscribit modum operandi cùm conformitate ad rectam rationem: proinde constituit subditos bonos: eò ipso, quòd aliquis subjicitur rectæ rationi, eiq; conformat suam operationem, est bonus; non tamen est necesse; quod constitutio efficiat subditos bonos efficaciter, sed sufficit quo ad intentionem, & præscriptionem, seu directivè, quia ut faciat bonos efficaciter debet servari, quod pertinet ad subditos mandantes executioni constitutiones. 11

Secundò, obligare subditos *l. 1. & l. legis virtus ff. de leg.* quia cùm injungatur subditis, quibus præscribit, quod necessarium est juxta exigentiam boni comunis, debet ipsos obligare ad operandum juxta tale præscriptum, alioquin possent subditi nunquam illam excutioni mandare: hinc etiam constitutiones injungentes pœnas sunt obligatoriæ, obligant judices ad imponendas pœnas, & delinquentes ad illas tollerandas. Hinc constitutiones, quæ nullo modo obligant, sed tantùm sunt consulentes propriè non sunt constitutiones, ut notat Bart. *in l. legis virt[9] ff. de leg.* unde in hoc differt constitutio à consilio, quòd istud tantùm dirigit, & non obligat; illa verò utrumq; præstat, dirigens & obligans. 12

Tertiò sunt etiam effectus constitutionum præcipere, permittere, & punire, ut habetur *in l. legis virtus. ff. de leg. & desumitur ex c. omnis dist.* 13

dist. 3. Non tamen omnes isti effectus conveniunt singulis legibus in particulari copulativè, sed tantùm disjunctim, scilicèt diversis legibus: Sunt enim ij effectus in eadem numero constitutione incompossibiles: eo ipso, quòd constitutio permittit aliquid, illud non prohibet; quòd si prohibet aliquid, illud non præcipit, & si permittit non punit. Ii autem omnes actus non sunt effectus legis, si sumantur activè, quia hoc pacto important vim præceptivam, vel prohibitivam, permissivam, vel punitivam; proinde constituunt ipsas leges in suo esse: quamobrem sunt tantùm effectus constitutionum sumpti passivè, quatenus transeunt in subditos, quos subjiciunt constitutioni conditæ, secundùm specialem modum subjectionis.

14 Quartò, solent etiam alii recenseri constitutionum effectus, ut limitare actum, inhabilitare personam, abrogare alias constitutiones, revocare privilegia, taxare pretia, transferre dominia, & alia id genus. Verùm hi & alii effectus facilè reducuntur ad prærecensitos: irritatio enim reducitur ad constitutionem præcipientem, vel prohibentem: nam si fundetur in eo, quòd actus careat debita forma, est effectus constitutionis præcipientis: si verò fundetur in prohibitione, pertinet ad constitutionem prohibentem, quæ potest prohibere, non solum actum, sed etiam usum potentiæ, & tunc habetur irritatio: pari pacto inhabilitatio, si oriatur ex defectu, est actus constitutionis prohibitivæ, si verò ex delicto, est actus constitutionis punitivæ. Abrogatio itidem, si sit actus constitutionis, est actus præceptivæ, aut prohibitivæ, & idem dicendum de revocatione privilegii, quando fit per Constitutionem revocatoriam. Taxatio pretii, etiam reducitur ad constitutionem prohibitivam, quia tunc prohibetur, ne res pluris vendantur: vel ad præceptivam, quia præcipitur, quod tanto pretio dentur venum. Demum translatio dominii, est actus constitutionis præceptivæ, quia importat modum acquisitionis præscriptum à constitutione.

§. VI.

De *Promulgatione, & acceptatione Constitutionum.*

1 CErtum est, Constitutiones non obligare antequam promulgentur, ut publica authoritate sancitæ, ut asserunt communiter, cum Gloss. *in c. Cognoscentes verbo ante probibitionem de constit.* Siquidem nemo potest obligari ad id agendùm, quod ipsi non innotescit, esse à se faciendum. Tametsi promulgatio præsupponatur, ut constitutio obliget, non tamen est de essentia constitutionis: sed tantùm ejus conditio extrinseca, ut obliget actualiter; perinde, ac approximatio ignis ad paleas, est conditio, respectu ignis, ut comburat. Non enim constitutio in sua essentia constituitur per actualem obligationem; sed tantùm per vim obligativam: Actus enim secundus, in genere causæ formalis non pertinet ad essentiam rei, quia non tribuit constitutioni vim obligativam, sed illam supponit. Neque obstat, quòd in *c. in istis dist. 4.* habeatur, quod leges tunc instituantur, quando promulgantur; quia dicuntur in illo loco constitutiones institui, quando promulgantur, quo ad usum, & applicatione pro regimine, non verò quoad essentiam.

2 Tametsi sit necessaria sufficiens promulgatio, ut Constitutiones obligent, non tamen est necesse, ut omnibus, & singulis intimentur: ut colligitur ex *c. 1. de postul. Prælat.* alioquin sequeretur, nullam obligationem obligaturam, cùm moraliter sit impossibile, quòd omnibus, & singulis semper intimetur constitutio à Principe condita: unde satis est, si intimetur communitati. Non tamen sufficit ad invehendam promulgationem, si constitutio fuerit solemniter edita, sed insuper requiritur ipsa formalis promulgatio, ut colligitur ex *c. in istis dist. 4. & ex l. legis sacratissimæ C. de legibus.* Cùm enim sit constitutio regula emanata pro tota communitate, necesse est, ut eidem promulgetur, quia causa non potest suum effectum producere in subjecto, cui non applicatur.

3 Quòd si constitutio feratur tantùm pro una civitate, vel Provincia, sufficit, si in ea provincia, vel civitate promulgetur, ut docent communiter cum Panormit. *c. 1. n. 7. de const.* Siquidem talis promulgatio tunc sufficit, ut censeatur, posse constitutionem facilè pervenire ad notitiam omnium. Requiritur tamen, ut constitutio, sive per Scripturam publico loco affixam, sive per præconis proclamationem ita promulgetur, ut in omnium notitiam devenire possit: ait enim Imperator in *Novell. 66. c. 1.* cur enim culpabimus eos, qui positas ignoraverint constitutiones.

4 Quòd si Constitutio imponatur pluribus Provinciis, aut Regnis, tunc probabile est, quòd ex natura rei sufficiat promulgatio facta in curia Principis: Siquidem ex natura rei sufficit illa promulgatio, per quam constitutio condita proponitur communitati: & eò ipso, quòd promulgatur in curia, videtur sufficienter proponi communitati, quia curia Principis communicat cum omnibus partibus regni, tamquam caput cum membris: idque verum est, quando omnes illæ Provinciæ constituunt unam communitatem, alioquin, si non constituerent unam communitatem, ex natura rei requiretur, quòd constitutio promulgaretur in singulis Provinciis: quia Princeps non potest velle, ut constitutio obliget, nisi promulgetur illi communitati, pro qua ponitur: atqui in dato casu plures illæ Provinciæ constituerent diversas communitates; unde per id, quòd constitutio promulgaretur in curia Principis, non censeretur promulgata omnibus illis Provinciis, quia civitas curiæ non esset pars illarum, consequenter constitutio emanata à Principe, debet promulgari cæteris Provinciis, & regnis, ut omnes subditos obliget.

5 Neque sufficit, si ex promulgatione facta in curia, possit constitutio pervenire ad notitiam omni-

omnium Provinciarum,& Regnorum,quæ subjiciuntur tali Principi, quia licèt id verum sit: non tamen sufficit ad inferendam obligationem, quia tunc potest tantùm per divulgationem subditis innotescere, quando ad notitiam etiam non subditorum potest pervenire: non verò ex vi ipsius promulgationis; quæ fiat authoritate publica, ac intimet constitutionem servandam. Sicut enim constitutio promulgata Parisiis per accidens se habet, quod perveniat ad notitiam civium degentium hîc Monachii, eò quia hæc civitas non constituit unam communitatem cum Gallia; ita, si Rex Hispaniæ promulget Constitutionem aliquam Madriti, per accidens se habet, quod perveniat ad notitiam illorum, qui habitant in Provinciis Americanis, quæ subjiciuntur Regi Hispaniarum, quia Provinciæ Americæ, non constituunt unam communitatem cum Hispania: Hinc patet discrimen inter Provincias, quæ communicant cum curia, & constituunt cum ipsa communitatem, & alias, quæ non communicant. Constitutiones tamen civiles de Jure communi Imperiali promulgantur in omnibus civitatibus capitalibus cujusvis Provinciæ, quia ita decernitur in authentica, *ut fact. non conf. c. 1.* & licèt textus loquatur de legibus testamentariis, Rubrica tamen loquitur de omnibus legibus, ut notat Gloss. & ita communiter Doctores intelligunt præfatam authenticam, quam extendunt ad omnes Constitutiones, quia constitutio extenditur juxta generalitatem Rubricæ.

6 Constitutiones tamen Pontificiæ, vim habent obligandi, postquam in Romana curia fuerint promulgatæ, & in acie campi Floræ, & ad valvas Basilicæ Apostolorum affixæ fuerint, ac habitæ in Cancellaria Apostolica pro promulgatis. Quia tunc promulgatio sufficit ex natura rei, ut desumitur *ex Bulla confirmat. Concil. Trident.* Siquidem talis confirmatio fuit tantùm Romæ promulgata, & Pontifex supponit, talem promulgationem sufficere: Ratio itidem est, quia talis promulgatio sufficit ex natura rei, quia per ipsam constitutio intimatur toti Ecclesiæ repræsentatæ in civitate primaria: unde, quando Pontifex vult illâ uti, constitutio sortitur suum effectum. Quinimo de facto Constitutiones Pontificiæ conditæ pro toto orbe, tantùm Romæ solent promulgari, & hoc modo fuerunt promulgatæ plures decretales, Clementinæ, & aliæ Constitutiones, comprehensæ in Bullario, & in Bulla Cœnæ: qua propter videtur inducta consuetudo, quòd talis promulgatio sufficiat, quia tunc Pontifex intendit omnes Christi fideles obligare.

7 Plures tamen excipiunt ea, quæ proximè pertinent ad conscientiam, cujusmodi sunt Censuræ Ecclesiasticæ, jurisdictio confessariorum in foro pœnitentiali, & alia similia, quæ volunt debere innotescere in partibus à Curia dissitis, ne ignorantes peccati arguantur cum discrimine animarum *argu. c. cum infirmitas de pœnit.* Verùm id non videtur obstare, quin promulgatio facta in curia inducat obligationem; quia aliud est, Bullam legitimè promulgatam obligare; & aliud subditum ignorantem talem promulgationem, & sui obligationem peccare, si operetur contra constitutionem; ignorantia enim excusat à peccato, præsertim, si non fuerit crassa;

Cæterùm, si Pontifex explicet, quòd Constitutio 8
non obliget, quamdiu non fuerit promulgata in singulis Provinciis, aut Diœcesibus, tunc Constitutio non obligat, antequã talis promulgatio facta fuerit in talibus Provinciis, quia modus talis promulgationis non est determinatus ex natura rei, & dependet à voluntate Principis; proinde Constitutio non sortitur suum effectum, donec promulgatio fiat eo modo, quo statuitur à Principe. Secus quando Pontifex explicat, se velle, quòd promulgatio in curia sufficiat, ut constitutio vim habeat obligandi; tunc non est necessaria alia promulgatio, quia promulgatio facta in curia sufficit ex natura rei, & per ipsam constitutio intimatur toti Ecclesiæ repræsentatæ in civitate primaria.

Quinimò etiam promulgatio constitutionis 9
irritatoriæ, & inhabilitantis sufficit, si fiat in sola curia. Quia promulgatio non est necessaria ad hoc, ut constitutio irritatoria omnibus, & singulis innotescat, sed tantùm, ut publico modo publicetur, ut cùm in eadem curia Romana publicantur constitutiones, quando sunt affixæ in acie campi Floræ; & ad valvas Basilicæ Apostolorum, & in Cancellaria Apostolica: tunc enim in curia habentur Pontificiæ Constitutiones, ut sufficienter intimatæ, ac publicatæ: Ergò etiam pro constitutione irritanda sufficit hæc eadem promulgatio in curia: non enim exigit magis innotescere ex vi promulgationis, quàm sufficiat ad hoc, ut censeatur intimata communitati.

Verùm tamen est, quòd, quando constitutio 10
irritans respicit actum, ad quem subditi habent jus, & est talis naturæ, ut si fiat invalidè, damnificentur contrahentes; tunc debet constitutio condita, & irritans talem actum promulgari in singulis locis, ut statuit Tridentinum *Sess. 24. c. 1. de Refor.* quia constitutio debet esse utilis subditis, adeò, ut si prævaleat damnum, non sit recta, & legitima constitutio: & in hoc casu, si constitutio recens condita, & irritans actum publicaretur tantùm in curia, plus ex ipsa damni sequeretur, quàm utilitatis: siquidem extra curiam, ubi non haberetur promulgatio, nec notitia talis constitutionis, fierent plures actus, qui nullum sortirentur valorem, cum damno notabili subditorum. Hoc idem videtur dicendum de illis constitutionibus, quæ conscientiam ligant, ut circa censuras Ecclesiasticas, jurisdictionem confessariorum in foro pœnitentiali, hæc enim, & alia similia debent innotescere omnibus, & etiam extra curiam publicari, ne inde discrimen oriatur animarum, *argu. c. cum infirmitas de pænit.*

Deducitur ex prædictis, non esse necesse, quòd 11
Episcopi in singulis Diœcesibus promulgent omnes constitutiones Pontificias, ut specialiter suis innotescant subditis; quia eò ipso, quòd Romæ more solito publicatæ sunt, obligant ubiq; neque eorum obligatio dependet ab acceptatione populi; quamobrem Episcopi possunt, ac debent punire subditos detrectantes observare

vare constitutiones Pontificias eâ ratione, quia in tali Diœcesi non fuerint publicatæ. De facto enim dantur plures constitutiones, quæ tametsi fuerint in sola Curia publicatæ, obligant nihilominùs ubique terrarum Christi fideles: sic Pius II. Anno 1461. Constitutionem edidit contra Clericos malè promotos, quam vult ubique obligare, post publicationem Romæ factam: similem constitutionem etiam sancivit Sixtus V. Anno 1588. ut etiam Clemens VIII. aliam contra eos, qui ad Presbyteratûs ordinem non promoti missam celebrant, vel Sacramentum pœnitentiæ ministrant; Fuit hæc constitutio publicata tantùm Romæ, Anno 1601. & nihilominus obligat per totum mundum. Pius IV. itidem cùm dubitaretur, ex quo tempore cœpissent obligare Decreta Concilii Tridentini spectantia tantùm ad reformationem, & Jus positivum; respondit, talem obligationem incipere Calendis Maji; & cùm illa Decreta fuissent confirmata, sub finem Mensis Januarii ejusdem anni, & non parùm temporis fuisset Romæ insumptum, in iisdem imprimendis, ac diligenter corrigendis; perspicuum est, quòd tam brevi tempore non potuerint promulgari in omnibus, & singulis Diœcesibus, neque Pontifex in illa Bulla, quæ incipit: *Sicut ad Sacrorum.* & fuit Romæ publicata, anno 1564. ullam facit mentionem de promulgatione facienda in aliis Diœcesibus. Urbanus VIII. etiam in Bulla, quæ incipit, *Romanus Pontifex*, & quæ fuit Romæ publicata die 5. Junii 1641. damnat omnia præjudicialia, contra immunitatem Ecclesiasticã, etiam sub prætextu, quòd Bullæ Pontificiæ non fuerint publicatæ, vel usu receptæ. Ex quibus apertè liquet, solam publicationem factam Romæ more solito, sufficere, ut constitutiones Pontificiæ suum ubiq; terrarum sortiantur valorem, sintque obligatoriæ.

12 Circa Constitutionum acceptationem, certum est, constitutiones Pontificias obligare independenter ab acceptatione populi, quia, si dependerent ab acceptatione populi, non posset Pontifex exercere suam potestatem jurisdictionalem, nisi dependenter à voluntate populorum, qui propterea participarent in potestate jurisdictionali cum Pontifice, quod, quàm falsum sit, ex eo conjicitur: quia Christus soli Petro Joan. 21. dixit: *Pasce oves meas*; quibus verbis totam potestatem jurisdictionalem dedit soli Petro, qui, cùm sit supremum Ecclesiæ caput, illi soli debebatur hæc potestas; sin autem ejus constitutiones non obligarent, nisi consentiente populo, potestas jurisdictionalis Pontificis non esset exempta à voluntate populorum; sed perinde esset eidem alligata, sicut voluntas Regis Angliæ alligata est voluntati Parlamenti; & voluntas Regis Poloniæ alligatur voluntati illius Senatûs, unde neutra regia potestas est suprema, & absoluta.

12 Dices, vim, & substantiam legis, dependere ab acceptatione populi, & omnes constitutiones, seu leges habere tacitam conditionem, si acceptentur, quia habetur *in c. istis §. leges. dist. 4. leges instituuntur, cum promulgantur, firmantur cum moribus utentium comprobantur.* Rursus *in l. de quibus ff. de legibus. Ista leges*, ait Jurisconsultus, *nulla ex causa nos tenent, quàm quòd judicio populi receptæ sunt.*

Sed contra est, quia allegata non obstant, ille enim textus, qui citatur *in c. istis §. leges*, est Gratiani, cujus authoritas non est decisiva, neque omnia dicta SS. Patrum inserta in Decreto Gratiani, habent vim legis, ut liquet ex *c. de libellis. dist. 20.* Quia condere constitutiones, aut leges, est actus jurisdictionalis potestatis, quæ in ordine ad totam Ecclesiam non fuit in SS. Patribus, nec in Gratiano, sed in solo Summo Pontifice Christi Vicario.

Præterea textus posset commodè explicari de extrinseca, & accidentali confirmatione constitutionum, non verò de intrinseca, & substantiali, quatenus constitutiones Pontificiæ moribus utentium receptæ extrinsecam suam perfectionem, & vigorem sunt assecutæ; non verò, quòd ante hanc acceptationem non habuerint vim intrinsecam propriam obligandi ex se independenter à tali acceptatione populi. Secundus textus allegatus, & desumptus *ex l. de quib. ff. de legibus*, procedit tantùm de antiquo tempore, quando potestas condendi constitutiones fuit ex magna parte in populo Romano: postea verò, quando populus *lege regia* suam in Principem transtulit potestatem, ut liquet *l. 2. ff. de constit.* nulla ampliùs fuit in Populo potestas condendi constitutiones civiles. 14

Hinc Principes independenter à subditis possunt constitutiones condere, quæ obligent independenter ab acceptatione populi: quia potestas jurisdictionalis ex natura sua est ordinativa communitatis, secundùm exigentiam boni communis, proinde tenentur populi acceptare constitutiones justas, ac legitimè conditas, quia tenentur cooperari bono communi, & rectam instituere vitam, quod non fit, nisi in ordine civili ordinatè procedatur. Præterea potestas jurisdictionalis subjicit sibi populos in ordine ad promovendum bonum commune, proinde potest ipsos adigere ad observantiam constitutionum, quæ sunt juxta exigentiam boni communis. Est enim rationi valdè consentaneum, quòd populus in omnibus justis præceptis, & constitutionibus, tam in foro externo, quàm interno, obediat suo superiori; omnes enim populi subjiciuntur suo legislatori, & Principi, hinc ait Apostolus ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Hinc deducitur, non posse populum detrectare, constitutionibus justis positis à suo Principe parere: quia, ubi est subjectio, ibi voluntas non dominatur, sed dominanti subjicitur. 15

Quamobrem constitutiones tantùm dependent à populo quoad experimentum justitiæ; utilitatis, & aliarum conditionum, quæ necessariæ sunt, ut constitutio sit justa, & ordinetur ad bonum commune, ut colligitur *ex c. istis §. leges. dist. 4. & ex l. de quibus ff. de legibus.* quia, si constitutio careat necessariis conditionibus non obligat, proinde, si communitas rectè judicet constitutiones emanatas à Principe carere talibus conditionibus, potest communi- 16

tas eas non acceptare, ut adversantes bono communi: & hâc ratione dicuntur constitutiones dependere ab approbatione, & acceptatione populi, non verò, si fuerint justæ, & habuerint omnes conditiones requisitas; Quando verò constitutiones non acceptantur à populo, non desinunt obligare, nisi accedat saltem tacitus consensus Principis, quia ipse semper manutenet constitutiones suas, in suo robore, si fuerint justæ: & voluntas inferioris, non potest prævalere contra voluntatem superioris.

18 Constitutiones Pontificiæ concernentes jura Apostolicæ sedis, non possunt per non usum tolli, nisi accesserit consensus Pontificis, idque desumitur ex Bulla Urbani VIII. quæ incipit: *Romanus Pontifex.* Siquidem nemo potest absque consensu proprio privari jure proprio, proinde, quando Pontificiæ constitutiones tendunt ad conservanda jura Sedis Apostolicæ, non possunt impediri per non usum, nisi accesserit consensus Pontificis, quia per non usum potiùs violaretur jus Pontificis. Constitutiones tamen civiles dissimulante legislatore, si non fuerint à populo observatæ per 10. annos, abolentur: ad constitutiones verò Ecclesiasticas spatium requiritur 40. annorum, ut docent communiter cum Laymano *in Theologia moral. Tract. 4. c. 3. n. 4.* Quòd si legislator urgeat, velitq; suas constitutiones vigere, & acceptari, non obstante gravamine, à populo proposito, neque constet de injustitia, & iniquitate constitutionum, parendum tunc erit Principi, quia eidem debetur obedientia in iis, quæ pertinent ad adrectum regimen.

§. VII.

De obligatione Constitutionum in utroque foro.

1 Constitutiones humanas obligare in conscientia, adeò est certum, ut à plerisque censeatur de fide, & ab aliis ita certum, ut oppositum habeatur erroneum, idque desumitur ex Apostolo *ad Rom. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non enim est potestas, nisi à Deo, quæ autem à Deo sunt, ordinata sunt; itaque, qui potestati resistit: Dei ordinationi resistit; qui autem Deo resistunt ipsi sibi damnationem acquirunt.* Ex quibus infertur ut certum, quòd constitutiones humanæ, si sint justæ, & legitimæ obligent in conscientia: siquidem debet quisque ex ordinatione divina obedire Principibus, proinde eorundem constitutionibus, quibus, si quis resistat, Dei ordinationibus resistit: & cùm non possimus sine peccato resistere Deo, ita neque constitutionibus Principum, si hæ fuerint justæ: ait enim Apostolus: *Resistentes sibi acquirere damnationem,* quæ non incurritur, nisi agatur contra obligationem conscientiæ: ergò constitutiones humanæ obligant in conscientia.

2 Constitutiones verò Ecclesiasticas obligare in conscientia, est certum de fide: & desumitur ex illo Apostoli, *1. ad Thess. 4. Scitis, quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jesum.* Præcepta autem, quæ dantur per Christum, obligant in conscientia: Hinc *Matth. 18.* ait Christus: *Si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus &c.* ex quibus perspicuum est, Canonicas Constitutiones obligare in virtute, & potestate ipsius Christi, consequenter obligare in conscientia. Neque urget, si dicas: Conscientiam esse forum Dei, & non posse homines obligare in foro illo. Siquidem non possunt obligare, ubi non possunt judicare: de conscientia enim non judicat homo, sed solus DEUS. Nam contra est, quia licèt nequeant homines obligare in foro conscientiæ directè, & immediatè, benè tamen indirectè, & mediatè, quatenus ex obligantione in foro externo, resultat etiam obligatio interna. Et licèt obligare ad peccatum lethale sit obligare sub pœna inferni; adhuc potest homo ad talem pœnam obligare, non ut ab ipso infligendam, sed consecutivè, ut infligendam à Deo, eò quia fuit constitutum ex Dei ordinatione: adeò ut, quando homo sub pœna inferni obligat in conscientia ad observantiam constitutionum, non obliget per se primò ad talem pœnam, sed ut exequens divinam ordinationem.

Non tamen constitutiones Ecclesiasticæ semper obligant in conscientia, ut colligitur ex Clement. *Exivi vers. nec tamen de verb. signif.* quia actus non operatur ultra intentionem agentis *l. 3. §. 1. ff. de oblig. & act.* quarnobrem, si legislator non intendat obligare in conscientia, neque constitutio obligabit: qui a tota obligatio derivata in constitutionem mensuratur intentione legislatoris, unde, si hic non habet intentionem obligandi; nulla in constitutionem refunditur obligatio. 3

An verò lex fundata in falsa præsumptione obliget in conscientia, Videtur esse aliqua difficultas. Præsumptio alia dicitur *Juris,* & est quæ se tenet ex parte legis, eò quia inducatur, & approbetur à lege, ut asserit Bald. Rubric. *de præsumpt. n. 3.* alia est *Juris, & de Jure,* quæ fundatur in aliquo facto, estque dispositio legis præsumentis aliquid, & super præsumpto tanquam sibi comperto statuentis *c. is, qui fidem de sponsal.* Certum est, constitutionem, seu legem supponentem præsumptionem Juris, tametsi falsam, obligare in conscientia, ut docent communiter cum Suarez *3. de leg. c. 23. n. 6.* Quia, quando constitutio præsupponit præsumptionem juris, non dependet à veritate præsumptionis; quia tunc præsumptio Juris est tantùm causa impulsiva, ponendi constitutionem, non verò fundamentum obligationis ejusdem, neque finis ipsius: unde non potest dependere à veritate præsumptionis, proinde licèt, præsumptio falsa sit, adhuc constitutio obligat. 4

Sin autem constitutio fundetur in præsumptione falsa Juris, & de Jure, non obligat in conscientia, ut docet Bartol. in *l. si is, qui ff. usucap.* quia in foro conscientiæ attenditur sola veritas, ut desumitur *ex c. ita nos de sponsal.* Proinde quoties constitutio fundatur in falsa præsumptione juris, & de jure non obligat in con- 5

conscientia, licet obliget in foro fori, quia in conscientia tantùm obligat ex suppositione veritatis præsumptionis, si enim quod præsumitur verum non est, non habet vim obligandi in conscientia, quia lex imponitur quatenus habetur pro vera. Quam ob rem non semper leges, quæ sunt justæ in foro externo, sunt etiam tales in foro interno, quia constitutio fundata in præsumptione, licet obliget in foro externo, non ita in interno; si quod constitutio præsumit, verum non est: habetur exemplum in *Novell.1.c.2.* ubi dicitur: Quòd hæres non consiciens inventarium, teneatur creditoribus ultra vires hæreditatis solvere debita emergentia, tametsi tot,& tanta bona in hæreditate nō repererit;quia præsumptio juris est, ut, cùm non confecerit inventarium, aliqua bona de hæreditate clam surripuerit, ut liquet ex textu *in d. c. 2.* ubi habetur: *Non per ea, quæ fortè surripiunt, aut malignantur:* unde in foro externo tenetur solvere debita excedentia bona hæreditatis, tametsi nihil de hæreditate surripuerit, nec malignatus fuerit: & nihilominus cùm certus sit hæres, quod nihil subtraxerit de hæreditate, non tenetur in conscientia solvere talia debita excedentia bona hæreditatis.

6 Non tamen desunt, qui putent, præfatam constitutionem *Novel. 1.* fundari potius in quasi contractu aditæ hæreditatis, quàm in præsumptione falsa Juris,& de jure: Censent enim, hæredem adeuntem hæreditatem tacitè promittere creditoribus omnibus solutionem debitorum, & consequenter ex hac promissione obligari in conscientia, ad solvenda debita: eò, quia omnis, quasi contractus præsupponat intentionem se obligandi ad naturalem æquitatem. Verùm in dubiis nemo censetur velle se obligare, cum tam gravi suo incommodo; neque æquitas naturalis id persuadet: unde stat, constitutionem fundatam in præsumptione falsa Juris, & de jure non obligare in conscientia, licèt in foro externo inducat obligationem.

7 Habetur etiam exemplum, quod desumitur *ex §. 1. instit. de litt. obligat.* ubi reliquens Chirographum suum, in quo se fatetur debitorem per integrum biennium apud suum creditorem, à quo tamen non accepit pecuniam; postea in foro externo simpliciter obligatur ad solvendum, neque ampliùs cum exceptione non numeratæ pecuniæ auditur, adeò, ut nihil illi prosit, si dicat, se non accepisse pecuniam, quam revera non accepit. Nihilominus, quia hæc obligatio orta ex solemnitate litterarum, non habet æquitatem naturalem, neque consensum, nisi sub tacita conditione sit pecunia numerata, adhuc in foro externo præsumitur pecunia fuisse numerata, alioquin tanto tempore debitor litteras suas apud creditorem non reliquisset: in hac præsumptione tametsi, qui reliquit chirographum apud creditorem præsumatur debitor, & in foro externo condemnetur ad solvendum: in foro tamen conscientiæ cùm certus sit, se non accepisse pecuniam, non tenetur solvere.

8 Tametsi hujusmodi constitutiones fundatæ in præsumptione falsa *Juris, & de Jure*, obligent in foro externo contra conscientiam, non propterea censentur iniquæ, quia licet in uno, vel altero particulari ob defectum veritatis præsumptæ, sint materialiter injustæ, eò quia obligent contra conscientiam: Nihilominus formaliter, & regulariter sunt justæ, quia ad avertendum aliquod malum, vel promovendum bonum Reipublicæ, constitutiones rectè ob defectum aliarum probationum possunt in præsumptione fundari; quia præsumptio est quædam species probationum. Non tamen, quæ dicuntur de præsumptione *Juris, & de Jure*, dicenda pariter sunt *de fictione Juris*, est enim discrimen, quia præsumptio supponit veritatem, fictio autem etiam cognitâ falsitate, aliquid ut certum statuit, quapropter lex fundata in fictione dummodo manifestè non sit injusta, etiam in conscientia valet. Hinc Canonicus ex legitima causa, à suo beneficio absens, quia fictione Juris habetur pro præsente: veluti præsens rectâ conscientia percipit fructus sui beneficii: ita ratihabitio etiam quo ad effectus fori interni Juris fictione retrotrahitur, & æquiparatur mandato *c. 10. de reg. Juris in 6.*

Quia constitutio humana non obligat in conscientia, nisi juxta intentionem legislatoris, quæritur, quando dignosci possit hæc legislatoris intentio; & quòd constitutio ab ipso emanata obliget sub mortali. Solent ad hanc dignoscendam intentionem, & constitutionis obligationem in conscientia aliquot tradi regulæ, quarum prima est, quòd quoties constitutio traditur per verbum *oportet*, vel aliud æquivalens non obliget sub peccato, eò quia verbum oportet tantùm indicet quandam convenientiam, non verò importet ullam obligationem gravem. Verùm huic regulæ adversatur Vasquez in *1. 2. disput. 158. c. 3. n. 22.* similiter, quando in constitutionibus apponuntur illa verba: *facite, cavete. solvite, nemo audeat, omnes abstineant.* Cast. *de leg. pœnal. c. 5. docu. 4.* asserit non continere præceptum, & Sà *verbo lex n. 6.* vult obligare sub veniali. 9

Secunda regula est, quòd si lex sit purè pœnalis, ac dicat, qui arma secum habuerint, incurrant talem pœnam, sive sit purè præceptiva, quæ injungat aliquid fieri, vel prohibeat simpliciter; sive mixta, quæ simul præcipiat, aut prohibeat, & addat pœnam, dummodo materia sit gravis, & seriò in constitutione condita legislator utatur verbis imperativis; obligat in conscientia: cùm in pœnalibus puris, & mixtis, sit major ratio; eò, quia magis perspicua fiat voluntas legislatoris, aliquid præcipientis, vel prohibentis sub pœna; siquidem est de ratione pœnæ supponere culpam. Quòd si legislator non intendit in aliquo casu obligare ad culpam, id solet exprimere, ita enim censent plures cum Lessio, *lib. 2. c. 33. dub. 8. n. 59.* quanta verò sit obligatio legis pœnalis, id colligunt ex gravitate pœnæ. Sed Reginal. *Tom. 1. lib. 15. c. 6. sect. 5. n. 5.* & cum illo plures Theologi negant, hanc secundam regulam, docentes, legem pœnalem puram, vel mixtam non obligare ad culpam, nisi res præcepta etiam fuerit Jure naturali, & divino: quia legislator, qui potest obli- 10

obligare ad pœnam temporalem, & æternam, si in sua constitutione meminerit solius pœnæ temporalis, non censetur velle obligare ad æternam, quia constitutiones debent interpretari de minori pœna *c. in pœnis 49. de reg. Jur. in 6.*

11 Tertia regula est, quòd verba legis debent intelligi de obligatione tantùm ad culpam venialem, quando non exprimitur aliud, quia constitutiones obligantes tantùm ad venialem culpam, non sunt extendendæ ad mortalem, quia pœnæ debent benignè interpretari ex *l. interpretatione ff. de pœnis.* Quam ob rem in dubio, an lex obliget sub mortali, an tantùm sub veniali, censendum est obligare tantùm sub veniali.

12 Putarem tamen, exactiùs intentionem legislatoris, & obligationem in conscientia conjici ex gravitate materiæ, adeò, ut legislator non possit obligare sub culpa lethali in materia levi, quia potestas legislatoris non se extendit ultra terminos rationis, alioquin non esset in ædificationem; sed in destructionem: proinde in materia simpliciter levi, ex qua non sequatur aliud incommodum in Republica, non videtur posse obligare sub culpa mortali; Dictat enim recta ratio, quod obligatio non debeat excedere exigentiam materiæ, alioquin injustè gravaret subditos, & absque ullâ necessitate. Neque urget, quòd constitutio dicatur obligare juxta intentionem legislatoris, proinde obligare in materia levi ad culpam lethalem, si talis fuit intentio legislatoris. Quia constitutio obligat quidem secundum intentionem legislatoris, non tamen quamcunque, sed rationabilem. Unde constitutio non nisi in materia gravi potest obligare ad culpam gravem.

13 An verò etiam in materia gravi possit constitutio obligare sub veniali, plures affirmant, quia obligatio gravis, & levis in eadem materia sunt ejusdem rationis, & qui potest ponere gravem, potest etiam ponere levem. Verùm probabilius dicendum est cum D. Thoma *2. 2. q. 186. art. 9. ad 2.* Quòd, quando materia est gravis in ordine ad finem communitatis, non possit constitutio in illa materia obligare sub sola culpa veniali: siquidem, ubi est gravis dissonantia ad rectam rationem, ibi obligatio non potest non esse gravis. Quando verò materia est gravis in ordine ad finem communitatis, transgressio procul dubio continet gravem dissonantiam ad rectam rationem, proinde obligat sub culpa gravi, quia gravis dissonantia debet sub mortali culpa vitari.

14 Tum quia leges divinæ, & naturales, in materia gravi semper obligant sub culpa gravi: alioquin, cùm hæ leges respiciant finem ultimum, posset quis graviter delinquere contra talem finem, adeòque se avertere à fine ultimo, & graviter offendere Deum, & simul tantùm venialiter peccare, quod repugnat: ergo etiam constitutiones humanæ proportionaliter in materia gravi obligant sub culpa gravi. Et ad summum possunt obligare sub veniali tantùm, quando materia est gravis, secundùm se, & non in ordine ad finem communitatis: siquidem obligatio constitutionis debet commensurari exigentiæ finis; qui, si non exigat graviter talem materiam, nec obligatio est gravis. Ad fundamentum oppositæ Sententiæ. Respondetur, eum, qui potest ponere gravem obligationem, posse quidem etiam iniungere levem, non tamen in eadem materia, sed in diversa, quia est ponenda obligatio secundùm exigentiam finis, & materiæ, ut ponatur rationabili modo.

Quomodo verò leges pœnales obligent, non modica est difficultas. Juvat animadvertere ex legibus pœnalibus alias esse merè, ac purè pœnales; & alias mixtas: purè pœnales sunt, in quibus legislator non intendit illaqueare conscientiam, nec obligare ad culpam; sed ad puram pœnam, idque ordinariè contingit circa actus, qui absolutè non adversantur juri divino, aut naturali, sed tantùm contrariantur bonis moribus in ordine politico, & prohibitio eorundem actuum confert ad tranquillum, & paccatum Reipublicæ statum conservandum: ut, cùm Princeps suis constitutionibus prohibet, ne subditi deferant arma, idque sub tali, vel tali pœna, tunc constitutio est merè pœnalis, quia non obligat ad culpam, quam Princeps non intendit, & aliàs ex se portare arma, non adversatur Juri divino, nec naturali, quinimò deferre arma in propriam tantùm defensionem, est potiùs juxta Jus naturæ. 15

Si dicas, pœnam semper supponere culpam, & esse vindictam peccatorum, ut habetur *in l. aliud 131. in princ. & §. 1. ff. de verb. signif.* Respondetur, culpam esse duplicem, unam civilem adversantem Statui politico; & aliam adversantem fini ultimo, & injuriam irrogantem Deo: & leges purè pœnales supponere tantùm culpam politicam, adversantem laudabili reipublicæ ordinationi; non verò avertentem à fine ultimo, & injuriam irrogantem DEO: in hoc sensu pœnæ semper adscribitur noxa delictorum, & est vindicta culparum: Non verò, quòd pœna semper supponat aversionem à fine ultimo, & gravem injuriam Deo irrogatam. Potest tamen contingere, ut transgressio legis pœnalis inducat etiam culpam læsivam divini Juris, & aversivam à fine ultimo: si nimirum lex purè pœnalis violetur ex contumacia, & contemptu magistratûs cum scandalo civium, & gravi perturbatione in Republica. 16

Præter leges purè pœnales dantur etiam pœnales mixtæ, sunt que, quibus sub culpa, & pœna simul aliquid prohibetur, ut sunt illa delicta, quæ adversantur legi divinæ, & humanæ simul, ut Sacrilegia, furta, homicidia, & alia id genus, in quibus duplex reperitur obligatio, una ad culpam etiam in conscientia; & altera ad pœnam injunctam à lege humana, & luendam in hac vita: quam tamen pœnam nemo tenetur in conscientia subire ante judicis sententiam, adeò, ut non obliget in conscientia; neque teneatur, quis esse sui ipsius accusator, judex, & executor. Excipiuntur tamen illæ pœnæ, quæ incurruntur ipso Jure, & facto perpetrati delicti: Hæ siquidem leges, nisi aliam externam executionem exigant statim obligant in conscientia, ac delictum, cui talis 17

pœna

pœna est annexa, committitur; sunt hæ pœnæ censuræ Ecclesiasticæ, & irregularitates, inhabilitas ad aliquod officium, impedimentum ad contrahendum matrimonium.

18 Quòd, si pœnæ ipso jure inflictæ externam aliquam exigant executionem, ut est amissio dominii, confiscatio bonorum, ex *c. cum secundùm leges 19. de hære. in 6.* privatio beneficii, amissio officii, & alia id genus, quæ exigunt externam sensibilem executionem non obligant in conscientia, ante sententiam Judicis declaratoriam, nisi lex expressè addat clausulam *non obstante quacunque declaratione.* Adeò, ut legislator se exprimat, quòd intendat obligare, etiam ante declarationem Judicis, ut in Concilio Trident. *Sess. 23. c. 1.* ubi declaratur, quòd Episcopus, vel curatus, qui non residet legitimo tempore, alia etiam declaratione non secuta, nequeat in tutâ conscientia fructus sui beneficii, & officii suos facere: ex hoc textu desumitur argumentum, quòd, sicut exceptio firmat regulam in casibus non exceptis: ita etiam exceptio specialis, cum insolita Clausula, *etiam non secutâ alia declaratione*, confirmat specialem casum.

19 Juvat animadvertere, quòd quando leges pœnales non obligant in conscientia nisi post declaratoriam Judicis sententiam, sensus non est, quòd judex tunc imponat talem pœnam; alioquin non esset lex, quæ præscriberet pœnam, sed Judex, qui illam injungeret. Rursus hoc est discrimen inter sententiam judicis condemnatoriam, & declaratoriam; quia pœna, quæ injungitur per sententiam Judicis condemnatoriam, oritur imediatè ab ipso judice, ac debetur statim post sententiam condemnatoriam à judice prolatam; secùs pœna, quam quis tenetur luere post sententiam declaratoriam, non infertur à Judice, sed à Jure: quia Judex tantùm declarat constitutionem, & quod delictum fuerit transgressio talis legis, ac proinde delinquens incurrerit pœnam illatam à jure: unde hæc pœna debetur non tantùm à die declarationis; sed retrotrahitur à die comissi delicti. Neq; inde sequitur, esse supervacaneum Jus retinendi fructus beneficiales ipso Jure amissos in conscientia, eò, quia post declarationem debeant, etsi retrò percepti, restitui: nam tale Jus non est otiosum, quia hoc specialiter operatur, quòd fructus ipso Jure amissi, si non ampliùs exstent, & possessor tempore declarationis ad pinguiorem non devenerit fortunam, non sint restituendi.

20 Constitutio à Principe lata, sub pœna gravissima, ut mortis, vel mutilationis alicujus membri, aut infamiæ, flagellationis publicæ, exilii perpetui, carceris diuturni, amissionis omnium bonorum; an semper obliget sub peccato lethali; videntur Doctores dissentire. Communior, ac tutior sententia asserit, talem constitutionem inducere obligationem peccati mortalis: quia tam gravis pœna non potest imponi absque culpa gravissima, ut docet D. Antoninus *2. part. Tit. 4. c. 2. §. 3.* Sotus *lib. 1. de Justit. q. 6. art. 5. ad finem corporis.* Covarruvias *reg. 2. part. 2. §. 5. n. 3.* & alii ferè comuniter id asserentes non solùm de pœna mortis, sed etiã mutilationis alicujus membri, infamiæ, flagellationis publicæ, exilii perpetui, & carceris diuturni: Siquidem constitutio videretur imprudens, & esset injusta, si propter aliquem actum, qui culpâ lethali caret, præfatas gravissimas pœnas injungeret. Suarez tamen excipit pœnam publicæ flagellationis: asserit enim, non esse absolutè signum certum obligationis sub mortali, quia in Hispania infligi solet his, qui è carcere fugiunt, licèt talis fuga peccatum mortale non includat: siquidem quilibet de Jure naturæ potest ea media adhibere, quæ necessaria sunt pro vita tuenda, vel conservanda.

Neque ullum facessit negotium, quod respondent aliqui; eam pœnam tantùm esse gravissimam absolutè, non verò respectivè pro tali persona; & rursus esse necessariam ad defensionem publicæ justitiæ: quia plerumque personis inhonestissimis talis pœna infligitur, quibus procul dubio accidit gravissimum, debere eam luere. Sed quidquid sit de casu aliquo speciali, in quo ob commune bonum, & administrationem justitiæ infligitur pœna gravis, etiam leviter delinquenti; delictum non est censendum leve, quoties grave damnum ex illo oritur in Republica; ut si justitia non administraretur. Quando verò pœna mortis, aut mutilationis, vel alia corporis afflictiva statuitur, nequit reus obligari, ut directè tales pœnas exequatur, ut venenum bibat, se ipsum occidat, famis inedia deficiat, quia hujusmodi obligatio, utpote naturæ conservationi contraria; censetur moraliter impossibilis; ageret enim contra instinctum naturæ reus, si se ipsum deberet occidere; tenetur tamen post latam sententiam non resistere executioni, cui etiam tenetur indirectè cooperari, prout est necessarium, ut sententia executioni mandetur, quo pacto tenetur reus scalas ascendere, in patibulo collum præbere. 21

Non tamen desunt, qui cum Castro Palao, *Tract. 3. disput. 1. punct. 15. n. 12.* docent, nullam pœnam temporalem posse esse sufficiens indicium obligationis sub pœna culpæ mortalis incurrendæ: quia ad impositionem pœnæ licèt gravissimæ sufficit, si committatur culpa politica, seu civilis, tametsi hæc non sit aversiva à fine ultimo, idque probant exemplo Custodum murorum in bello, quibus injungitur lex de vigilia sub pœna vitæ: & nihilominus sub culpa mortali aversiva à fine ultimo, non dicuntur excubiæ obligari ad vigilandum. Secundò, adferunt pœnam impositam effractoribus carceris, quæ gravissima est, & nihilominus, qui infringit Carceres, ut inde evadat ad conservandam vitam, non committit peccatum ullum lethale, quia nimis durum foret obligare homines in conscientia, ad non adhibenda illa media, quæ necessaria sunt ad conservationem propriæ vitæ; cùm id Juri divino non repugnet, & consonum sit Juri naturæ. 22

Neque obstat, grave inde oriri damnum custodibus carcerum: quia tunc tantùm per accidens custodes carcerum damnificantur, siqui- 23

dem

dem eorum culpâ contingit ; quòd carceres frangantur, quia non exactiùs invigilârunt. Tum quia utens jure suo non censetur alteri injuriam, vel injustitiam, inferre, *l. nullus videtur. ff. de reg. Jur.* Hanc sententiam probabilem etiam putat Caspensis, *tract. de leg. dist. 3. Sect. 5. n. 43.* quia, ubi non constat de mente legislatoris, lex debet interpretari in meliorem partem, ut solùm obliget ad pœnam: unde, quando legislator non se explicat expressè, quòd intendat obligare sub culpa gravi; ejus constitutio non obligat, nisi ad pœnam. Tum quia, qui ex duobus propositis alterum tantùm affirmat, videtur alterum negare *ex l. cum prætor. ff. de Judic. c. nonne de præsumpt:* unde legislator, qui simul potest obligare ad pœnam temporalem, & æternam, si tantùm mentionem fecerit de pœna temporali, non videtur intendisse obligare ad æternam: in odiosis enim, ut sunt pœnalia, constitutiones non sunt ampliandæ, sed potiùs restringendæ.

24 Quæritur primò, an constitutiones obligent ad intentionem satisfaciendi præcepto? Respondetur non obligare, nisi ad ipsam adimpletionem præcepti: Quia lex tantùm obligat ad id, quod præcipit; & lex humana non solet intentionem implendi legem præcipere, nisi hæc fuerit essentialiter connexa, cum opere externo, ac completivo illius, quia tunc indirectè lex obligat etiam ad intentionem: Secus præcisa ab essentiali connexione obligatio non plus extenditur, quàm se extendat intimatio, quæ tantùm extenditur ad ipsam impletionem operis externi. Si dicas, legem obligare ad obedientiam, proinde ad intentionem satisfaciendi præcepto. Id verum est de obedientia virtuali sita in eo, quòd id, quod præcipitur, fiat humano modo, non ita de obedientia formali. Sed dices: Si debitor det suo creditori centum aureos, absque intentione extinguendi debitum, cum eodem contractum, non solvit debitum, quia censetur eidem liberè donâsse illos aureos: Ergò ex eo, quòd quis exequatur, quod lege præcipitur, non implet legem, si illam non intendat implere. Contra est, quia tametsi debitor ad solvendum centum aureos creditori non intendat actualiter extinguere suum debitum; habet nihilominus voluntatem interpretativam priùs satisfaciendi propriæ obligationi, quàm exercere actum liberalitatis, alioquin non censeretur prudenter operari.

25 Quæritur secundò, quid, & quotuplex sit pœna, quæ solet in utroq; foro infligi? respondetur, pœnam esse coercitionem delictorum, & in jure civili octo recenseri pœnas, scilicet, damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, servitutem, & mortem. Et in Jure Canonico tres principaliores esse, excommunicationem, suspensionem, & interdictum, & alias minus principales, ut irregularitatem, depositionem, inhabilitatem, degradationem, intrusionem, incarcerationem, & verberationem. Est etiam alia pœna, quæ dicitur conventionalis, quam sibi imponunt contrahentes de communi consensu solvendam, ab illo, qui non steterit pacto, promissioni, vel contractui. Ex pœnis, illæ, quæ non possunt executioni mandari absq; propria hominis actione, non incurruntur ante condemnationem Judicis, quia usus invaluit, quòd nemo ante sententiam privet se rebus, quas possidet. Tum quia si homines deberent exequi pœnas in se ipsos, id nimis durum foret, nec talis lex esset accommodata humanæ imbecillitati.

Quæritur tertiò, an defraudantes vectigalia justè imposita à lege teneantur ad restitutionem? 26
Non desunt, qui censeant leges imponentes vectigalia non obligare in conscientia, consequenter defraudantes tributa, & vectigalia in foro conscientiæ esse tutos; & tantùm in foro externo, si deprehendantur, pœnâ commissi delicti civilis mulctari posse. Nititur hæc sententia, quia leges humanæ purè pœnales non obligant in conscientia, & leges imponentes tributa, & vectigalia, sunt pœnales, quæ propterea videntur non obligare in conscientia: Quia legislator semel, quòd suæ constitutioni adnectit pœnam, non videtur obligare ad culpam, & reatum conscientiæ; sed esse contentus solâ pœnâ. Verùm contraria sententia est vera, & dicendum adhærendum, scilicet, leges tributorum, & vectigalium, si justæ sint, seu latæ ab habente authoritatem, & ex justa causa ob bonum commune, obligare in conscientia, non solùm ad solvendum, verùm etiam ad restituendum non solutum, & defraudatum: ita enim docent ferè communiter Doctores, asserentes vectigalia ita deberi in conscientia, ut lethaliter peccent ea defraudantes in materia gravi, & notabili, & quidem, materiam notabilem esse, quæ sufficit ad furtum mortale. Ratio ex eo desumitur, quia constitutiones imponentes vectigalia, & tributa fundantur in justitia commutativa, ratione cujus Principi, & Magistratui, pro sua sustentatione debetur compensatio, & redditus annuus, propter onera publica, quæ subit; & curam regiminis, quam exercet: Sicut enim Princeps Reipublicæ debet incommoda subire in cura, vigilantia, & regimine ejusdem; ita Respublica debet Principi congruum suæ dignitati subsidium dare: Est enim veluti contractus initus inter Principem, & subditos, unde isti non possunt Principi denegare tributa, & vectigalia justè imposita: & peccant, qui vectigalia defraudant, tenentúrque ad restitutionem. Firmari hoc, idem potest ex sententia Christi, qui cum interrogaretur, an liceat tributum dari Cæsari, respondit Matth. 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari,* & ex verbis Apostoli 13. *Necessitate subditi estote, etiam propter conscientiam, & tributa præstatis, ministri enim DEI sunt in hoc ipsum servientes: reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* Nectit Apostolus solutionem tributi; & vectigalis cum ipsa conscientia, ex quo conjicitur, quòd defraudatio tributorum, & vectigalium, non excusetur à peccato. Neq; fundamentum, quo nititur contraria sententia ullius est momenti, & communiter rejicitur circa constitutiones, quæ ex æquitate naturali, vel justitia commutativa procedunt,

cedunt; in his enim constitutionibus additio pœnæ non excludit principalem obligationem, nec præceptũ non agendi contra justitiam, quinimò potiùs ejus gravitatem arguit, & declarat menten legislatoris fuisse sub gravi culpa obligare subditos. Est tamen verum quòd ipsa pœna in conscientia ante sententiam Judicis non obligat, quia licèt sit obligatio in conscientia solvendi tributa, non tamen tenetur defraudans antequam condemnetur bona, quæ possidet proprio motu in pœnam statutam solvere.

27 Generatim constitutio pœnalis, quæ ipso facto pœnam inferens, obligat, non solùm in conscientia, verùm etiam, ut delinquens teneatur illã pænam solvere; ante judicis sententiam non obligat. Duplex datur pœna, una, quæ aliquam activã exigit hominis executionem, altera quæ talem non requirit executionem, sed in sola consistit passione, vel privatione, cujusmodi sunt pœnæ inhabilitatis, privationis vocis activæ, & passivæ, excommunicationis; diximus enim superiùs, reum non teneri ante sententiam judicis declaratoriam solvere pœnam, quæ aliquam activam hominis exigit executionem, quia nemo tenetur esse sui ipsius accusator, judex, & executor. An verò qui est causa, ne quis condemnetur ad pœnam justam impositam à à constitutione Principis, teneatur ei restituere, cui esset applicanda, ut si fiscus non accuset, vel si judex non condemnet ad pœnam lege præscriptam; vel si custodes civitatum non manifestent crimina propter, quæ esset pœna pecuniaria injungenda: vel si testis, vel reus juridicè interrogatus crimen neget, ex cujus manifestatione condemnaretur ad mulctam pecuniariam. Respondent plures negativè, præsertim Vasquez. *tom. 2. disput. 168. c. 4.* Salas. *de leg. disput. 13. sect. 8. n. 105.*

28 Verùm contraria sententia est tuta, ac propterea eidem adhærendum, nam qui est causa, sive directa, sive indirecta damni tertii, quod posset commodè impedire, censetur damnum illud inferre præsertim si ex officio teneatur impedire, ne damnum illud sequatur, propterea non excusatur ab onere restituendi: de teste autem interrogato à judice, an teneatur ex justitia commutativa respondere, quòd si non respondeat, restitutioni, sit obnoxius, videtur major difficultas. Censent enim plures, quòd licèt talis testis graviter peccet contra charitatem erga proximum, & contra obedientiam, & justitiam legalem contra Judicem; non tamen censent eum peccare contra justitiam commutativam, quia ante mandatum judicis non tenebatur ex commutativa justitia; & per mandatum judicis tantùm supervenit obligatio justitiæ legalis, & obedientiæ. Verùm licèt probabile sit, testem juridicè interrogatum à judice, & negantem veritatem, non teneri fisco, non obligari de mulcta, & pœna pecuniaria, quæ imponeretur reo, si testis veritatem manifestaret; tenetur tamen parti de damno secuto ex non manifestata veritate, quia quando testis est in judicium vocatus, & legitimè interrogatus, tenetur ex lege justitiæ ad aperiendam veritatem ex officio, quo in judicio fungitur, & obligatur ad restitutionem damni.

§. VIII.

De tempore, quo constitutiones humanæ incipiunt obligare, & solvuntur aliquot dubia pertinentia ad easdem.

CErtum est, constitutiones humanas, sive canonicas, sive civiles non obligare in conscientia invincibiliter ignorantes, qui propterea excusantur ab earumdem observantia *argu. cap. 2. h. t.* quia causa non non producit effectum, nisi in subjecto, cui applicatur; & constitutiones Principum non applicantur subditis, nisi mediante notitia: ubi enim est invincibilis ignorantia; nequit esse culpa, cùm illa tollat voluntarium, sine quo non datur culpa. Sin autem constitutio sit irritans præcisè, sortitur suum effectum etiam quoad ignorantes, quia non obstante ignorantia, impedit, ne actus fiat cum debita potestate, siquidem constitutio irritans tollit facultatem ponendi talem actum: hinc si constitutio præcisè irritet aliquem actum, vel contractum, certam præscribens formam; actus vel contractus ab invincibiliter ignorantibus factus contra talem constitutionem est nullus, quia talis irritatio non est pœnalis, nec supponit culpam, sed tantùm statuit certam formam in ordine ad promovendum bonum commune. 1

Constitutiones Cæsareæ, & civiles non obligant, nisi post duos menses ab earundem publicatione, supposito, quòd supremus Princeps non declaret se statim obligare, ut habetur *c. cum singula 32. in fin. de præbend. in 6.* quia sicut lex, & constitutio dependet à voluntate legislatoris, ita ab eadem dependet vis obligandi, adeó ut constitutiones tunc incipiant obligare, quando supremus Princeps declarat, quòd tunc incipiat earundem obligatio. Quòd si nec locus, nec tempus promulgationis faciendæ, & obligationis inchoandæ præscriptũ fuerit; obligant leges cæsareæ post duos elapsos menses ab earundem promulgatione facta in singulis Provinciis, *authent. ut novæ constitutiones Novel. 66.* quia tempus duorum mensium à facta promulgatione in singulis Provinciis censetur sufficete, ut promulgatio ad omnium notitiam perveniat: & quia hæc Rubrica est generalis, posita ab Imperatore, comprehendit constitio omnes constitutiones, etiam testamentarias. 2

Constitutiones verò conditæ ab aliis Principibus, qui non recognoscunt superiorem, nec servant jus Imperiale, obligant statim post promulgationem: quia cùm Constitutio ex natura sua habeat vim obligandi, & hæc non impediatur à Principe, statim obligat: quia causa sufficienter applicata, & expedita ad operandum, statim producit suum effectum, tum quia de istis constitutionibus non habetur quidquam jure positivo determinatum, quia *d. auth.* tantùm loquitur de legibus imperatoriis; unde constitutiones aliorum Principum tunc incipiunt obligare, quando ex natura sua possunt; & cùm possint obligare, quamprimùm sunt promulgatæ, tunc incipiunt obligare. 3

Constitutiones Pontificiæ, ut etiam omnes aliæ cononicæ obligant statim ac in curia Ro- 4

mana promulgantur, quia hæc est praxis communissima in jure canonico recepta, & quæ in Romana curia servatur; hæc enim solet causas ex toto orbe Romam delatas, juxta constitutiones pontificias Romæ promulgatas, decidere: adeò ut cùm primùm constitutiones pontificiæ promulgantur Romæ, obligent ubique terrarum; remotos tamen, & longè à curia absentes post tempus moraliter necessarium, & sufficiens ut lex promulgata in eorum notitiam devenire potuerit spectatâ distantiâ locorum à curia, uti liquet ex *c. 1. §. nec obstaret. de conf. & concess. præbend. in 6.* non enim constitutiones obligant, nec producunt effectum, nisi in subjecto, cui applicantur per sufficientem notitiam.

5 Si dicas, jus canonicum adjuvari à civili *c. 1. de nov. oper. nuntiat.* sed jus civile assignat duos menses post promulgationem: ergo etiam constitutiones Pontificiæ obligabunt post duos menses. Contra est, quia jus canonicum in his tantùm adjuvatur à civili, quæ ex natura sua sunt sub dispositione ipsius, cujusmodi sunt, quæ pertinent ad judicia, testamenta, & alia id genus, non autem in aliis, quia constitutiones canonicæ non dependent à civilibus, & cum Pontifex non suspendat vim obligandi, sequitur, quòd statim obligent; quia tale bimestre post promulgationem non est necessarium ex natura rei, neque ex jure positivo, cum nullum jus suspendat obligationem constitutionis; proinde hæc statim obligat ex se, & ab intrinseco, cùm primùm promulgatur in curia Romana, quia tunc habet omnia requisita ad obligandum, & est sufficienter applicata per promulgationem.

6 Neq; obstat quòd Pius IV. in Bulla *de Oblig. Conc. Trid.* concesserit duos menses à publicatione pro obligatione ejusdem Bullæ: quia illa dispositio fuit specialis pro illo casu, in quo Pontifex expressè voluit explicare suam intentionem circa talem obligationem: ut enim diximus sicut constitutio dependet à voluntate legislatoris, ita etiam ab eodē dependet vis obligandi: unde potest Pontifex condere constitutionem, quæ non incipiat obligare, nisi post primum semestre: sin autem Pontifex suam non exprimat intentionem, semper præsumitur, quod intelligat obligare, cùm primùm constitutio promulgatur in curia.

7 Cæterùm quando constitutioni præfigitur tempus, quo incipiat obligare, ante illud tempus non obligat in conscientia, ut communiter docent cum Suarez. *2. de leg. c. 18. n. 5.* quia præfixio temporis suspendit obligationem constitutionis, quæ propterea non sortitur suum effectum obligandi, quia in ipso dependet à voluntate legislatoris.

8 Quæritur primò, an constitutiones civiles, & statuta magistratûs sæcularis obligent personas Ecclesiasticas? Respondetur negativè, quando tales constitutiones aliquid præcipiunt, vel prohibent, idque liquet ex *c. Eccles. 7. h. t.* idque ob defectum jurisdictionis sæcularis, à qua Clerici jure divino sunt exempti *c. nimis de jurejur. c. quamquam de cens. in 6.* unde quoties constitutiones civiles in specie, & nominatim disponunt de Clericis aliquid præcipiendo, vel prohibendo, non tenentur iisdem parere, & sunt nullæ, etiamsi in commodum, & favorem Ecclesiarum disponant, ut desumitur ex *d. c. Eccles.* nisi dispositio esset in merum favorem, vel privilegium absque ulla obligatione, & onere annexo, ut sunt constitutiones præcipientes in favorem Ecclesiæ quadragenariam præscriptionem. Idque extenditur etiam ad bona patrimonialia, & allodialia, adeò ut nec in illis Clerici subjaceant statutis laicorum, desumpto argumento à Levitis *Exodi 30. & Num. 18.* ex quibus colligitur, Clericos non tantùm in personis, sed etiam in rebus suis exemptos esse, nec subjacere statutis laicorum *c. ult. & c. quamquam.*

Tum quia jus civile non potest quidquam statuere in bona, quin simul obliget personas ad statuti observantiam: Ecclesiastici autem non possunt à sæcularibus obligari *c. Eccles. 10. h. t.* idque firmatur ex vulgatis regulis juris, quia *accessorium sequitur suum principale. Quæ religiosis adhærent, religiosa censentur. De connexis idem est judicium*: Atqui bona Ecclesiasticorum sunt accessoria, & adhærent religiosis, quibus sunt connexa: ergo cùm statuta civilia non habeant jurisdictionem in personas Ecclesiasticas *c. nimis de jurejur.* sequitur quòd nec etiam in earundem bona *c. quamquam de cens. in 6.* 9

Hinc constitutiones civiles prædicantes directè, vel indirectè imunitati Ecclesiarū, aut personarum ecclesiasticarum, earūmq; bonis sunt injustæ, ac irritæ, ut etiam omnes illæ, quæ gravamē Ecclesiasticis imponunt, aut eorundum juri acquisito derogant *c. 7. & 10. h. t. C. nover 49. c. gravamē. 53. de sent. excom. l. placet. 5. l. privilegia 12. authent. cassa C. de SS. Eccles.* speciatim enumerantur tanquam constitutiones iniquæ, quæ feruntur de solvendis, ac præstandis vectigalibus, collectis, & aliis id genus exactionibus, si ad Clericos, & personas Ecclesiasticas extendantur *c. non minus 4. & c. quamquam 4. de cens. in 6.* Secundò sunt irritæ illæ civiles constitutiones, quibus prædia Ecclesiarum, & Clericorum fiunt tributaria sæcularibus, ut etiam quibus gravantur Ecclesiastici migrantes ex uno loco in alium, & jubentur partem aliquam bonorum, quæ secum deferunt Fisco, vel Communitati solvere; ut etiam omnes illæ constitutiones civiles, quibus gravamen imponitur Ecclesiasticis, ac illis graviter præjudicant: quia defectu jurisdictionis nequit jus civile obligare Ecclesiasticos, qui sunt exempti, & alterius fori. 10

Quæritur secundò, an statuta vel constitutiones principis, ac magistratus sæcularis prohibentia quovis modo vendi Ecclesiasticis bona immobilia, sint statuta licita? Respondetur negativè, & prohiberi sub pœna excommunicationis, si specificè, & expressè prohibeant, ne talia bona à subditis sæcularibus vendantur, aut donentur Ecclesiis, aut personis Ecclesiasticis, idque colligitur ex *c. ult. de immunit. Eccles. in 6.* ubi percutiuntur excomunicatione illi magistratus sæculares, qui prohibent suis subditis, ne quidquam vendant Ecclesiasticis: siquidem talia statuta attentantur in derrogationē libertatis Ecclesiasticæ, cùm Ecclesiasticis jus naturæ concedat 11

dat, posse cæteris paribus à quibuscunque bona immobilia emere, & acquirere: non enim Ecclesiastici deterioris censentur conditionis, ac sæculares, quibus ex jure naturæ, & comuni jure positivo concessum est, posse bona immobilia emere, & acquirere à quibuscunque. Et licèt quilibet privatus possit prohibere, ne bona sua, quorum plenum habet dominium in Ecclesiasticos transferantur, eò quia de rebus suis habeat quisque dominium proprietatis, & possit pro suo libitu disponere: non tamen potest talem prohibitionem instituere magistratus sæcularis circa bona suorum subditorum, quia magistratus habet tantùm dominium jurisdictionis, non verò proprietatis, & absolutum circa bona subditorum: proinde licèt possit aliquid statuere circa suos subditos, non tamen circa Ecclesiasticos, qui non subjiciuntur magistratui sæculari.

12 Quæritur tertiò, an constitutiones infirmantes contractus, vel testamenta, seu ultimas voluntates propter omissam solemnitatem, vel aliis ex causis locum habeant etiam in foro conscientiæ: adeò ut ex tali contractu, vel testamento infirmato, nil possit in conscientia retineri, ac si testamentum non esset? Certum est, quòd si actus, vel contract⁹ jure naturæ, vel gentium sit validus, & constitutio civilis positiva eum non approbet, nec improbet; tunc datur actio in foro externo, idq; ad evitandam litium multitudinem; & nihilominus adhuc urget naturalis obligatio etiam exceptionem pariens, eò quia jure naturæ talis actus, vel contractus verè subsistit *Tit. de oblig. & tit. decret de pactis*

13 Certum est etiam, nonnunquam constitutiones positivas Principum expressè prohibere, actum vel contractum celebrari, & celebratum illum non irritare, adeò ut illum constituant illicitum, sed non invalidum, cujus observatio obligat in conscientia, ut liquet ex *c. ad Apostol. de regul.* Hinc matrimonium contractum tempore interdicto, vel sinè præmissis in Ecclesia denuntiationibus, vel in fraudem priorum sponsalium de futuro; vel cum voto simplici castitatis, aut alio impedimento impediente tantùm, non dirimente illicitum est, & peccaminosum si fiat; nihilominus si factum fuerit validum est. Rursus constitutiones civiles possunt irritare actum civiliter tantùm, denegando actionem, vel concedendo rescisionem per officium judicis adhuc manente naturali obligatione, donec actus in foro externo rescindatur, ut si minorennis suadente tutore hæreditatem lucrosam repudiaverit, aut damnosam adjerit, & postea restitutionem in integrum postulet *l. 1. & seq. C. si tutor vel curat. interven.*

14 Præterea possunt constitutiones humanæ actum aliquem jure naturæ, vel gentium subsistentem ita annullare, ut nulla prorsus nec naturalis, nec civilis, sive in foro interno, vel externo supersit obligatio: quo pacto concilium Tridentinum irritavit matrimonia clandestina sine Parocho, & testibus celebrata, & jus civile irritat contractum à pupillo sine authoritate Tutoris initum *l. quod pupillus 41. ff. de condit. indeb. l. pupill. 59.* quia quamvis jus naturæ in genere producat obligationem ex consensu mutuo, non tamen simpliciter, sed quatenus consensus est justus, idque generatim sumptum est de jure naturæ; in particularibus verò, an consensus hic, & nunc justus sit, vel injustus, lex humana declarat, si enim talis consensus præjudicet bono comuni, & ex illo sequantur plura incommoda in republica, talis consensus censetur injustus, & contractus nullus: hinc quia ex matrimoniis clandestinis plura sequebantur incommoda, & inconvenientia, eò quia facilè conjuges post aliquot tempus negarent se præstitisse consensum, & inde proles suscepta habebatur illegitima, ideò talis consensus clandestinus censetur injustus, & fuit declaratus insufficiens ad contrahendum matrimonium; non quòd concilium Tridentinum mutaverit materiam, vel formam matrimonii, sed quia ipsi contractui humano apposuerit conditiones aliquas, scilicèt præsentiam Parochi, & testium, sine quibus contractus sit invalidus, licèt sacramentum matrimonii non possit mutari, benè tamen contractui humano possunt aliquæ conditionis apponi, quibus positis sit validus, & quibus omissis nullum sortiatur valorem.

Ad quæsitum de constitutionibus infirmantibus contractus, vel testamenta propter omissam solemnitatem, respondent plures cum Fagnan. *lib. 4. Controverf. c. 5.* tales solemnitates testamentorum non habere vim in foro interno, seu conscientiæ, dummodo certò constet de voluntate defuncti, adeò ut legatarius in testamento non solemni tutus sit in conscientia, si legatas sibi pecunias accipiat, & retineat, eò quia exequitur voluntatè testatoris: ratio est, quia ex voluntate testatoris defuncti, etiam non solemni, dumodo fuerit voluntas sana, ac processerit ex plena deliberatione, ex naturali obligatione debetur legatario, vel etiam alteri, totum, quod defunct⁹ voluerit; licèt in foro externo pro eo consequendo non detur actio; quia ubi solutū repeti non potest, ibi non adest naturalis obligatio; & ubi nulla adest obligatio solvendi, quocunq; errore solutum sit, non potest solutū repeti *l. quod indebitum, & de leg. quod pupillus ff. de cond. & indeb.* Atqui relicta in testamento non solemni, & soluta legatario non possunt repeti *l. 2. C. de fidei commiss. l. non dubium. C. de testament.* ergo quia naturali obligatione, quæ legantur in testamento non solemni sunt debita legatariis. Tum quia ut docet Panor. *in c. cum esses de testament. & in c. plerique de imun. Eccles.* solemnitates actuum, & testamentorum inductæ fuerunt à jure civili præsumptione ad evitandas fraudes; & leges, quæ fundantur in præsumptione non obligant in conscientia, quando constat certò de veritate, & voluntate defuncti *text. nota. in l. fin. C. de fideicommiss.* 15

Putàrim tamen probabiliùs, solemnitates testamentorum, ut etiam aliorum actuum, vel contractuum etiam in foro conscientiæ suum sortiri effectum, & legatarium non posse in conscientia accipere pecunias sibi legatas per testamentum, quod caruerit substantialibus solemnitatibus, quod est intelligendum citra spontaneam donationem hæredis, qui, si velit juri suo cedere, potest legatas pecunias dare legatario. Ratio mihi videtur perspicua, quia legislator, 16

aut

aut magistratus ob bonum publicum possunt contractibus, & testamentis adnectere solemnitates quasdam, quibus seclusis, contractus, & testamenta nullius sint valoris, adeò ut legislator non det aliter potestatem contrahendi, & testandi nisi cum talibus solemnitatibus, quo pacto testantes, vel contrahentes sine ipsis nihil efficiant, ac si non haberent potestatem contrahendi, & testandi: hoc pacto concilium Tridentinum irritavit matrimonium clandestinum, quatenus tali contractui addidit solemnitates, sine quibus contractus est nullus, & contrahentes, quamvis fateantur se contraxisse, & præstitisse verum consensum, ita se habent, ac si non contraxissent, quia potentia non reducitur ad actum, nisi cum talibus solemnitatibus, quibus actus dicitur vestiri.

17 Firmari ex eo potest, quia lex ob bonum regimen subditorum, & ad evitanda incommoda, potest ex legitima causa auferre dominium rei ab uno, & contra voluntatem ejusdem in alium transferre, adeò ut qui accipit rem illam tutâ conscientiâ eam possideat: idque liquet *in jure præscriptionis, & usucapionis.* proinde multò magis ex defectu solemnitatum, quæ fuerunt introductæ ob publicam utilitatem, poterit impedire dominii translationem contra voluntatem testatoris, vel contrahentis: siquidem ad valorem cujusvis actûs etiam in foro interno duo desiderantur, voluntas, & potentia; *text. in c. cum super. de Offic. deleg.* adeò ut sola voluntas non sufficiat, unde quidquid testator in testamento non solemni voluerit, effectum non habebit, si illi non inerit potestas illud faciendi *l. hac consultissima §. 1. C. de testament.* ubi habetur *ex imperfecto testamento voluntatem teneri defuncti non volumus.* Atqui testator, qui sine solemnitatibus testamentum condit; tametsi habeat voluntatem legandi, non tamen habet potestatem, quia hæc à jure non conceditur nisi cum solemnitatibus essentialibus: ergo testamentum est nullum, & legatarius non potest sibi retinere pecunias legatas. Tum quia leges, & præcepta legislatorum si sint justa in foro externo, debent etiam esse justa in foro conscientiæ, siquidem non est rationi consonum, quod judex alicui in foro externo justè adjudicet hæreditatem contra voluntatem testatoris expressam in testamento non solemni, & nihilominis accipiens hæreditatem non sit tutus in conscientia.

Ad argumenta oppositæ sententiæ, respondetur ad primum, talem obligationem ortam ex voluntate defuncti, non adhibitis solemnitatibus in testamento, non esse naturalem, quia constitutiones justæ non derogant juri naturæ. Neq; quod addebatur ex citatis textibus, vim videtur habere; etenim dicebatur ex *l. ult. C. de fidei comiss.* quòd relicta in testamento non solemni, & per errorē soluta non possunt repeti; quod est falsum: quia quod ex omnibus causis, quæ jure non valuerunt, nec habuerunt effectum, fuit per errorem solutum, repeti potest *l. ex his omnibus 54. de cond. indeb.* Cæterum si hæres non obstet legatario, cui solvit pecunias à testatore legatas non tenetur postea legatarius eas restituere, quia hæres tunc censetur approbare voluntatem defuncti, sive hæc approbatio habeatur per præsumptionem, sive per jurisfictionem; id enim sufficit, ut legatarius tutâ conscientiâ sibi ab hærede solutas pecunias retineat, ut clarè habetur, *l. non dubium. 16. C. de testam. etsi voluntas defuncti circa legata, & fideicomissa legibus subnixa non sit; tamen si hæres spontè agnoverit, implendi habeat necessitatem.* Alius textus habetur *in l. 2. C. de fideicomiss.* ubi lex comperiens voluntatem defuncti non solemnem, si illam exequatur juris interpretatione, censetur eam approbare.

Ad aliud petitum à Panormitano asserente solemnitates actuum, & testamentorum fuisse inductas à jure civili ex præsumptione ad evitandas fraudes. Respondent ferè communiter constitutiones præscribentes actibus, vel contractibus formas substantiales non fundari in præsumptione, tametsi evitatio fraudis dederit impulsum ad condendas tales leges, præscribentes has solemnitates. Et licet ratio legis cesset in aliquo particulari casu, non tamen cessat lex generalis statuens actui formam, nisi etiam cesset lex generalis. 18

Quæritur quartò, an Princeps propter publicam necessitatem possit subditis privatis jus suum auferre. Ratio dubitandi est, quia, in *l. Lucius ff. de evict. & in l. si verberatum §. 1. ff. de re vend.* dicitur: quòd Princeps ex causa publicæ utilitatis possit uni, vel alteri privato re sua præjudicare, imò & etiam illam auferre. Verùm id non est intelligendum simpliciter, sed cum exhibitione recompensationis *l. 1. C. quibus ex causis ser. pro præm. libert. & l. si quando C. de oper. libert.* Cæterùm absque resarcitione damni non potest Princeps uni, vel alteri privato jus suum auferre, & textus est apertissimus *in l. ven. 13. §. 1. ff. com. præd.* ubi Vlpianus verbis disertis scribit. *si in agro alicujus sint lapidicinæ, tu nec invito illo domino, neminem posse lapidem cædere, nec privato, nec publico nomine, nisi prius per hoc salarium domino præstet* ubi notandum est, quòd nec publico nomine, seu propter utilitatem, vel necessitatem publicam potest auferre privatis quidquam, nisi adhibita justa recompensatione Ratio itidem hoc evincit, quia iniquum foret, si cum gravissimo incom̃odo & jactura unius, Reipubl. consuleretur necessitati: cùm enim com̃odum sit universorum, ita æquissimum est, ut incommodum sit etiam omnium, non unius tantùm, vel alterius privati: est enim lex naturæ justissima, ut eos sequantur incom̃oda, quos commoda sequuntur *l. secundum 10. ff. de reg. jur.* Tum quia nemo debet alterius causa prægravari *c. non debet. de reg. jur. in 6.* huc etiam referuntur illæ regulæ juris, desumptæ ex lege naturæ, & æquitate; quod nemo sit lædendus *l. 10. ff. de justit. & jur. §. 3. instit. eod. Tit.* ne quisquam locupletari debeat cum alterius detrimento *l. 14. ff. de cond. indeb. l. 206. ff. de reg. jur.* & tandem: quòd nullus sine sua culpa re suâ, suóque jure sit privandus. *l. 12. de reg. jur.* 19

§. IX.

De iis, qui subjiciuntur Constitutionibus.

ORitur primum dubium de ipsis Principibus legislatoribus, an sint à suis constitutionibus soluti, vel teneantur; eas servare; etenim

enim Ulpianus *in l. Princeps 31. ff. de leg.* disertè asserit, Principem suis esse solutum legibus. quem textum Jurisperiti variè interpretantur, etenim Cujacius *lib. 15. obser. c. 30.* ait: græcos interpretes explicare textum de legibus pœnalibus, adeò ut princeps ob delictum à se commissum non teneatur subjici pœnæ à legibus definitæ, eò quia princeps careat judice. Alii intelligunt præfatum textum de legibus odiosis, præsertim Jullia, & Pappia, hoc argumento, quia ex Ulpiano *l. 13.* ad Julliam, & Pappiam de caducis, & odiosis fuerat lex illa sancita.

2 Ut autem clarè procedamus necesse est, utamur aliqua distinctione: si enim legislator sit aliqua tota communitas, ut senatus; tunc nulli dubium, quin singuli de ipsâ communitate subjiciantur constitutionibus, quia sumpti seorsim se habent, ut privatæ personæ. Omnes enim, qui sunt de communitate subjiciuntur legibus talis communitatis, quia lex sibi subjicit omnes, ad quos ordinatur, ut ait Apostolus ad *Roman. 3.* Et cùm constitutio, seu lex imponatur communitati, sibi subjicit omnes, qui comprehenduntur in tali communitate.

3 Certum est, Principem etiam, ut peculiarem personam condentem constitutiones, non obligari iisdem, quoad vim coactivam; ratio videtur perspicua; quia vis coactiva connaturaliter non exercetur, nisi in invitum, à quo pœna reposcitur pro transgressione legis: & hujusmodi pœna non potest reposci à supremo legislatore, quia non subditur aliis, nec sibi ipsi: vis enim coactiva exigit essentialiter subditum, & superiorem tanquam distinctas personas, proinde debet pœna esse ab aliquo majore, ut habetur ex *l. nam magistrat. ff. de orbit.* Firmatur quia esse debitorem pœnæ, dicit respectum ad alium, à quo possit quis urgeri ad pænam luendam: & supremus Princeps non subditur alicui, qui possit, ut superior ab illo pœnas exigere, alioquin Princeps non esset ipse supremus: quamobrem quando Princeps delinquit contra leges, tantùm redditur obnoxius pœnæ apud Deum, non apud homines.

4 Quoties tamen lex humana conjungitur cum obligatione legis naturalis, aut divinæ, tenetur Princeps eam servare: quia tunc legislator subjicitur legi naturali, & divinæ; proinde tenetur observare proprias constitutiones, quando cum ipsa conjunguntur, quia tunc constitutiones Principis desumunt vim obligandi à lege naturali, & divina. Neq; obstat, quod princeps potuerit suas constitutiones non condere, quia ex suppositione quòd ipsas condiderit, oritur obligatio ad illas servandas, non obligatione orta ab ipso Principe, sed à lege naturali, & divina. Præterea subinde bonum communitatis exigit, ut tales constitutiones serventur à Principe.

5 Præterea quamvis legislator non semper teneatur suis legibus purè humanis, nonnunquam tamen tenetur illas servare, idque expressè desumitur ex *c. cum omnes, de constit.* & *c. justum. dist. 9.* in quibus habetur, quòd princeps servare debeat proprias leges, quod vel maximè verum est de legibus merè positivis, quarum observatio æquè Principem decet, ac populum, ut sunt mercium taxatio, solemnitates actuum, & contractuum, & alia id genus; tunc leges sunt directivæ, quæ obligant etiam legislatorè, quia vis directiva non est ex vi jurisdictionis propriè dictæ, quam in se ipsum nemo propriè exercet; sed oritur ex dictamine, & directione rectæ rationis, quâ princeps, se ut caput conformat toti corpori comunitatis; quia ut rectè Augustinus in *c. quæ contra. dist. 8. turpis est omnis pars suo universo non congruens.* Hinc *Matth. 23.* reprehenduntur Pharisæi, eò quia obligarent ad onera importabilia; & digito suo nollent ea movere. Firmari etiam ex eo potest, quia Princeps subjicitur rectæ rationi, consequenter tenetur ex vi directiva servare proprias constitutiones, quia istæ derivant à lege naturali: cùm teneatur Princeps sequi dictamen rectæ rationis, tenetur etiam servare proprias constitutiones, cùm istæ contineant tale dictamen.

Rursus constitutiones purè humanæ tunc etiam censentur obligare legislatorem, quando earum observatio est moraliter necessaria etiam in ipso pro bono comuni; quia cùm constitutio debeat esse pro bono comuni, illud vel promovendo, vel conservando, tunc, cùm non possit ordinari ad bonū commune, nisi servetur etiam à legislatore, tenetur iste ad ejus observantiam; alioquin communitas gravaretur injustè. Hinc legislator etiam sub mortali obligatur suis legibus, quando non possunt ordinari ad bonum comune, nisi ab ipso observentur: quia tunc constitutiones obligant sub culpa lethali, quando ex transgressione oritur gravis difformitas ad rectam rationem: & quoties Princeps non servat leges, ad quas tenetur, hæc gravis difformitas invenitur, quia recta ratio exigit, quòd injustè non graventur subditi, & leges serventur. 6

Si dicas, legislatorem nullum iniviße pactum cum communitate de servandis constitutionibus, proinde non teneri ad ipsas. Contra est; quia legislator non tenetur, ratione pacti cum comunitate initi, proprias leges servare, alioquin sequeretur, quòd Prælatus Ecclesiasticus nec teneretur servare proprias leges, cùm nullum pactum iniverit cum communitate: seclusò enim quovis pacto non observantia propriarum constitutionum adversatur rectæ rationi. Obligatio igitur servandi proprias constitutiones oritur radicaliter à lege naturali, obligante ad vitandum omne malum, & ad amplectendum omne honestum, quod necessarium est pro malo vitando: & quia ex non observantia constitutionū à Principe gravissimum incommodum oriretur in republica, ideò ad hoc vitandum, tenetur Princeps proprias servare constitutiones. Non tamen tenetur legislator servare proprias leges irritantes, quia irritatio provenit ex eo, quòd non servetur aliqua forma in celebratione actûs, vel contractûs; & tunc bonum commune non exigit has leges servari à Principe, quia non sunt necessariæ pro ipso. Secus si irritatio absolutè irritet actum secundùm se, tenetur princeps ad talem observantiam, si constitutionis observantia sit etiam ipsi necessaria, quia tunc actus absolutè prohibetur, ut contrarius bono communi. 7

8 Infideles non baptizati non obligantur legibus Ecclesiasticis, quia cùm non sint de corpore Ecclesiæ, non subjiciuntur jurisdictioni Ecclesiasticæ, proinde nec obligantur constitutionibus positis pro Ecclesia, qua ratione Apostolus ad Corinth. *5.* ait *de his. qui foris sunt nihil ad nos.* qui verò deficiunt à fide subduntur constitutionibus Ecclesiasticis, quia ratione baptismi pertinent ad corpus Ecclesiæ, cujus propterea jurisdictioni subjiciuntur, ut etiam infideles subduntur legibus civilibus Christianorum, quando in eorum terris cōmorantur, quia tunc pertinent ad communitatem civilem, ut sunt Judæi habentes civilem societatē cum christianis,

9 Constitutiones tamen municipales non obligant subditos, quamdiu sunt absentes, idque desumitur ex *c. Romana de sent. excommun. & c. ut animarum de constit. in 6.* quia potestas legislativa non extenditur extra locum, cui præest legislator; proinde neque obligatio constitutionis potest se extendere extra talem locum, quia vis obligandi est adnexa ipsi constitutioni, nec potest plus extendi, quàm ipsa constitutio. Tum quia constitutio emanat à potestate jurisdictionali, & jurisdictio Principis non extenditur ultra proprium territorium ut liquet: ex *Clement. pri. de foro compet. & ex c. Episc. 9. q. 2. & c. ut animarum. de constit. in 6.* ut autem quis non obligetur legibus proprii loci, debet esse absens, non solùm formaliter, & secundùm personam; sed etiam virtualiter, ita ut non habeat præsentiam virtualem in eo sitam, quòd secundùm aliquid concernens personam sit præsens, ut sunt bona, contractus, delictum, officium, & alia id genus: siquidem lex obligat personam ratione materiæ circa quam versatur, proinde potest obligare præsentem virtualiter, quatenus potest disponere de his, quæ pertinent ad personam, & sunt intra territorium legislatoris.

10 An verò peregrini obligentur legibus locorū, per quæ transeunt, si non intendant ibi habitare, videtur esse aliqua difficultas: sed si sermo sit de legibus juris divini, aut naturæ, certum est, peregrinos ad has teneri, quia hujusmodi leges semper, & ubiq; locorum obligant. Hoc idem etiam verum est de legibus humanis juris communis, quia illis peregrini in omnibus locis obligantur, in quibus illæ vigent, & observantur. Hinc peregrini obligantur legibus loci, in quo sunt actus communes, in quibus communicant cum cæteris, ut sunt actus, vel contractus, qui pertinent ad publicam utilitatem. Quia lex obligat omnes subditos, & peregrini exercentes hos actus, fiunt subditi ratione eorundem, quia tales actus concernunt im̃ediatè bonum publicum, & sunt sub dispositione legis localis, utpote pertinentes ad potestatem loci, cui proprium est regulare bonū publicum: unde quamvis peregrini ex se non subjiciantur jurisdictioni talis loci, subjiciuntur tamen ratione actuum pertinentium ad cōmunitatem. Circa verò alios actus non tenentur peregrini legibus cōmunitatis, seu loci, per quem transeunt, quia non censentur subditi, nec membra talis communitatis. Subjectio enim consistit in unione per modū membri cum capite; ut enim docet Gloss. *in c. statutum. de rescript. in 6.* duobus modis potest subjectio contingere, vel ratione originis, vel domicilii, & ex neutro capite peregrinus subjicitur loco, per quem transit, consequenter non tenetur constitutionibus ejusdē loci, quo ad illos actus, quibus duntaxat subditi obligantur: quòd si dicas, peregrinos, & advenas non servantes constitutiones loci puniri, proinde teneri earumdē observantiæ. Contra est, quia tantùm puniuntur ex consuetudine, quoties violant leges, quas tenentur observare, non verò alias, quibus nō tenentur obsequi.

11 An verò Advena, qui per majorem anni partem moratur in aliquo loco, teneatur constitutionibus ejusdem, videtur esse aliqua difficultas, quia censetur acquirere in tali loco domicilium; & potest ibidem sacramenta suscipere excepto Ordine: nihilominus dicendùm est, etiam commorantes majori anni parte in aliquo loco, absq; tamen intentione habendi ibi fixum domiciliū, non teneri constitutionibus ejusdem loci, quia per talem moram etiam ultra semestre non contrahitur domicilium *l. quæsitum. de legat. 3. & l. penult. ff. de senat. & l. nec ipsi C. de Inno. & c. Romana de foro competenti.* ergo talis mora non habet vim obligandi Advenam ad observandas constitutiones loci. Etenim ad inducendum talem obligationem duo necessariò requiruntur, potestas jurisdictionis ex parte condentis constitutiones; & subjectio ex parte illius, qui obligatur ad observantiam constitutionum. *c. fin. de constit. in 6. & l. final. de jurisdict. omnium jud.* Atqui advena tametsi ultra semestre moretur in aliquo loco, non acquirit ibi domicilium fixum, nec est subditus Principis loci, nec incorporatur tali communitati: proinde non subjicitur constitutionibus loci. Hinc corruit fundamentum oppositæ sententiæ, quia Advena in tali loco non censetur acquirere fixum domiciliū. Quòd verò possit in illo recipere sacramenta, oritur ex jurisfictione, quatenus jura fingunt ad evitanda incommoda quoad hoc subjectionem: fictio autem juris non extenditur ultra casus expressos *c. in præsentia de probationibus.*

12 Quia plures constitutiones conduntur contra reos ad punienda delicta. Oritur dubium, an reus juridicè interrogatus à judice propter semiplenam probationem, vel indicia æquivalentia teneatur respondere, etiam in casu capitali. Respondetur affirmativè, quia judex quando interrogat juridicè, exequitur, & adimplet constitutiones juris, quibus reus subjicitur, etiam cum suo damno: ergo reus non potest occultare veritatem, sed tenetur obedire judici interroganti juridicè, quia tunc est superior, & præcipit, quod justum, & æquum est juxta leges divinas, & humanas.

13 Aliqui tamen censent probabile, reum in causa capitis ad mortem evitandam posse crimen semiplenè probatum occultare, non obstante, quod judex juridicè interroget: quia est hominibus à natura inditum, ut imminens mortis periculum declinent, séque defendant: qua ratione potest quis injustū invasorem ad propriam defensionē cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ occidere. Et ad fundamentum oppositæ sententiæ respondent, quòd licèt judex habeat jus inquirendi veritatem à reo; reus etiam habet jus ad conservan-

servandam propriam vitam mediis necessariis;& in tali casu occultatio veritatis est medium necessarium.

14 Verùm adhærendum omninò est primæ sententiæ,quia si Iudex non posset obligare reum ad fatendum crimen capitale,difficulter detegerentur delicta,quæ propterea grassarentur in Republica,cum maximo ejusdem damno,unde bonum privatum debet cedere bono communi, & licèt reus habeat jus ad conservationem vitæ propriæ;judex habet etiam jus ad conservandum bonum comune,& vitam cæterorum: proinde jus in judice est fortius,quàm in reo, in quo est de bono particulari,& in judice de communi.

15 Dubitatur ulterius, an judex secundùm allegata,& probata possit reum accusatum punire pœna capitis,quem tamen certò scit ex privata scientia esse innocentem. Respondetur teneri quidem judicem judicare juxta allegata, & probata,quia non judicat ut persona privata, sed ut publica;proinde debet judicare secundùm illam scientiam,quam habet ut persona publica, adeò ut in ferenda sententia debeat uti scientiâ tantùm publicâ; hoc autem est secundùm allegata,& probata. Verùm si judex certò scieret,reum accusatum esse innocentem, & testes accusantes falsum deponere, teneretur judex avertere actores ab injusta accusatione; quòd si non posset eos avertere,teneretur omnem adhibere conatum,ut actores litem inchoatam non prosequerentur,& curare per viros doctos, & prudentes, secretò admoneri testes de illorum falsitate,quòd si adhuc nollent desistere,tenetur judex litem protrahere,& testes seorsim pluries,& per intervalla diligenter examinare super omnes circumstantias facti, donec deprehendat aliquam variationem,quâ accusationes habeantur improbabiles.

16 Neq; hæc variatio censenda est de impertinentibus,quia ad salvandum innocentem adhibenda sunt omnia media: etenim nec Daniel censuit esse impertinentem circumstantiam de facto Susanæ,quòd unus testis diceret contigisse sub schino,seu lentisco, & alter sub pino. Sin autem hæc non sufficerent ad salvandum innocentē teneretur adhuc judex si comodè,& absq; scandalo fieri posset, curare, ut carcer maneret apertus, & reo daretur occasio inde evadendi: quòd si nec hoc sufficeret ad liberandum reum,teneretur se excusare, & eum remittere ad judicem superiorem,quem in secreto deberet benè informare de innocentia rei accusati: & supremus judex ab inferiore informatus deberet tunc dicere, se ex causis sibi cognitis nolle hunc reū morti adjudicare, nec mutilationi, sed velle eum absq; scandalo liberare ab ultimo supplicio: hoc pacto potest commodè salvari,quòd reus innocens non adjudicetur morti, tametsi per falsos testes secundùm allegata,& probata esset adjudicandus.

§. X.

De Epichia, Interpretatione, Cessatione, Abrogatione, & Dispensatione Constitutionum.

EPichia, quæ & emendatio justæ constitutionis dicitur, importat judicium, quòd legislator non intendat obligare in casu aliquo particulari vestito circumstantiis,quæ non censentur prævisæ: unde Epichia reducit rigorem constitutionis ad æquitatem, & habet locum in constitutione humana, etiam quando lex est nimis dura, & difficilis, ut liquet ex *l. nulla. ff. de leg.* quia constitutio debet esse moraliter possibilis,& talis non est,quando est nimis dura, & difficilis, proinde tunc potest per Epichiam reduci ad æquitatem. Quinimò Epichia non solùm habet locum,quando observantia legis adversatur bono communi,sed etiam quando est contra particulare, nisi hoc sit exponendum pro communi: quia defensio est de jure naturæ, proinde quando observantia legis affert notabile incommodum,est emendanda per Epichiam,quia constitutio non censetur obligare contra jus se defendendi.

2 Quòd si dubitetur, an actus comprehendatur sub lege; tunc recurrendum est ad superiorem pro declaratione suæ constitutionis, vel lex servanda est: quia in dubiis conditio possidentis est melior, & lex est in possessione obligandi, donec superior aliter declaraverit. Tum quia lex habet jus certum obligandi,& subditus tantùm jus dubium, an possit se eximere à lege, & jus dubium non prævalet juri certo.

3 Constitutionum interpretatio est, quâ eruitur verus sensus, quando constitutio videtur esse dubia: estque duplex, authentica una, quæ fit authoritativè; & alia doctrinalis, quæ fit secundùm regulas rationis. prima tantùm potest fieri àb habente potestatem condendi constitutiones, ut docent communiter cum Glossa *in c. contra de reg. jur. in 6.* & desumitur ex *l. fin. C. de leg.* quia interpretatio authentica est actus potestatis jurisdictionalis, & habet vim obligandi ad servandam constitutionem secundùm sensum, quem interpres illi authenticè tribuit, consequenter debet fieri à superiore. Consuetudo etiam dicitur esse constitutionis interpres, quia sicut potest legem introducere, ita etiam interpretationem authenticam, quæ vim habeat obligandi. Secus interpretatio doctrinalis fieri potest à quovis Doctore, si rationabiliter procedat *l. unica. C. de prof. & c. 2. de privil. in 6.* quia interpretatio doctrinalis debet fieri juxta alias leges, & secundùm intentionem legis, ac ejus rationem: ergo potest fieri à viro docto,qui ex his omnibus possit verum sensum eruere.

4 Nec hujusmodi interpretatio doctrinalis prohibetur, quando lex inhibet interpretationem, quia interpretatio legum, & constitutionum est necessaria *l. 2. §. his legibus. ff. de orig. jur.* unde quando interpretatio doctrinalis legitimè procedit, non censetur prohibita: non enim lex prohibet media, quæ necessaria sunt ut observetur. Cæterùm lex debet interpretari juxta mentem legislatoris, ut constat ex *c. humanæ aures 22. q. 1.* quia verba debent inservire intentioni; quæ propterea in explicanda constitutione attendenda est: intentio autem legislatoris solet præcipuè ex procemio constitutionis conjici, ut notat Bart. *in l. fin. ff. de hered. instit.* & desumitur *ex l.* regu-

regula. ff. de jur. & fact. ignor. quia finis constitutionis movet legislatorem ad eam ponendam, proinde obligat secundùm mensuram finis, ex quo conjicitur intentio legislatoris in ordine ad obligandum. Colligitur etiam hæc intentio ex materia constitutionis, ut liquet ex *c. 2. de translat. Epis.* quia constitutio semper præsupponitur prudenter posita, proinde juxta exigentiam materiæ. Solet etiam mens legislatoris desumi ex aliis legibus, ut notat Glossa in *c. cupientes de elec. in 6.* quia cùm legislator respiciat bonum communitatis, præsumitur condere constitutiones conformiter ad jam conditas, nisi oppositum expressè constet.

5 Cessat obligatio constitutionis cessante fine ejusdem, finis autem dupliciter intelligitur cessare: primò contrariè, quando lex sortitur finem contrarium; adeò ut, quod priùs justum erat variatis circumstantiis fiat injustum. Secundò negativè, & tunc contingit, quando materia, ita variatur ut constitutio non amplius sortiatur suum finem. Quando finis priori modo seu contrariè cessat; nulli dubium, quin etiam cesset obligatio constitutionis, quia tunc, quæ erat justa incipit esse injusta: major difficultas est de cessatione finis negativè. Communior tamen sententia est, quòd cessante fine universali constitutionis, etiam tantùm negativè, cesset & ipsa obligatio constitutionis, idq; desumitur ex *c. cum cessante de appellat. & c. post transl. de renuntiat.* quia quando effectus in conservari dependet à causa, cessante causa etiam negativè cessat effectus: obligatio autem constitutionis in conservari dependet à fine ejusdem: siquidem obligatio dependet à validitate, & hæc ab utilitate, quæ est medium ad finem constitutionis conditæ: ergo cessante fine etiam negativè cessat utilitas, quia hæc non potest ampliùs esse medium ad assecutionem finis, proinde cessante hoc, etiam negativè cessat obligatio constitutionis. Tum quia constitutio dependet à voluntate condentis; proinde cessante fine etiam negativè, cessat ejus obligatio, quia Conditor tantùm respectu finis intendit obligare.

6 Sin verò constitutio pertineat ad actiones spectantes ad bonum publicum, vel in quibus singulares personæ invicem publico modo communicant; tunc si cesset finis negativè in uno tantùm, vel altero particulari, non cessat obligatio constitutionis: quia tunc non cessat finis ejusdem, nec adæquata ratio ipsius; quia finis constitutionis non obtinetur in privatis actionibus, tametsi ex istis resultet utilitas publica; sed per se primò obtinetur per actionem publicam concernentem immediatè usum publicum: unde cessante fine constitutionis negativè in particulari, seu in hac, vel illa personâ privata, non cessat ejus obligatio, quia non habetur adæquata cessatio finis.

7 Abrogari non potest constitutio sine justa causa saltem licitè: quia Princeps ex justitia legali tenetur promovere, ac conservare bonum communitatis; & quando abrogat constitutiones non accedente causâ justa, agit contra bonum commune, quia tollit, ac destruit, quod prodest bono communi: & tunc tenetur resarcire damnum per restitutionem ejusdem constitutionis, ne lædatur communitas contra exigentiam justitiæ legalis. Unde licèt possit Princeps, qui constitutiones condidit, eas abrogare ex justa causa, eò quia constitutiones dependeant à voluntate Principis: non tamen seclusâ justâ causâ.

An verò constitutio inferioris confirmata à superiore, etiam ex certa scientia possit abrogari ex justa causa ab inferiore videtur esse aliqua difficultas, quia *in c. si Apostolica. de præbend.* Pontifex ait: *illa nostra facimus, quibus authoritatem impertimur.* Unde cum lex confirmata, fiat lex superioris, non videtur posse abrogari ab inferiore. Tum quia ex vi confirmationis lex fit jus publicum, cui non potest à privato derogari *c. si diligenti de for. compet.* nihilominus contraria sententia est valdè probabilis, & desumitur ex *l. omnium C. de testam.* ubi habetur, quòd testamentum confirmatum à Principe possit revocari à solo testatore: & ex *c. cum dilecto de præbend.* ubi statuitur regula dignoscendi, quando inferior non potest abrogare constitutionem confirmatam à superiore, & est quando in confirmatione apostolica expressè additur clausula ut *ut quidquid in contrarium factum fuerit, irritum sit*, ergo quando non apponitur hæc clausula, potest inferior, qui constitutionem condidit, eam abrogare, licèt superior confirmaverit. Ratio hoc idem suadet, quia confirmatio supponit constitutionem, cui tantum tribuit robur, nec illam extrahit à suo ordine, sed in eodem relinquit statu, intra quem illam roborat, consequenter remanet intra sphæram illius jurisdictionis, à qua fuit condita. 8

Præterea quia vis obligandi in constitutionem derivatur ab eo, qui eam condidit, proinde si cesset ejus influxus; adeò ut nolit conditor, talem constitutionem ampliùs vigere; cessat ejus obligatio. Neque obstat textus *si apostolicæ de præbend.* quia illa dicuntur fieri à principe, quibus princeps authoritatem impertitur; sed quæ confirmantur à superiore non obtinent ab eodem authoritatem originativè; sed tantùm corroborativè: adeò ut confirmatio non ponat vim obligativam in constitutione: sed illam supponat, & tantùm magis firmet, ac roboret. Ad aliud quod adbatur: respondetur, confirmationem superioris facere jus publicum illas constitutiones, quæ antecedenter ad confirmationem habent in se vim obligandi originativè, licèt nondum corroborativè. 9

Cæterum constitutio posterior opposita priori, quando cum ipsa concordari non potest, abrogat priorem, idq; colligitur ex *c. licèt de constit. in 6.* quia cùm constitutio posterior sit incompossibilis cum priori, illam abrogat. Ut etiam constitutio specialis contraria alteri speciali, pro eadem communitate illam abrogat, tametsi nulla 10

nulla de ipsa fiat mentio, ut docent communiter cum Bartol. *in l. omnes populi n. 29. ff. de Just. & Jur.* Est enim eadem ratio proportionaliter de speciali, ac de universali. Constitutio specialis licèt deroget generali, si sit illi contraria, non tamen eam abrogat, ut docent communiter cum Bartol. *in l. nam & posteriores ff. de leg.* Ratio est, quia constitutio specialis non est totaliter incompossibilis cum generali, sed tantùm secundùm quid, consequenter eam non abrogat, sed tantùm illi derogat, seu illam non destruit totaliter, sed tantùm secundùm partem, cui constitutio specialis contrariatur. Quòd, si constitutio posterior fuerit generalis, nec abrogat priorem specialem, sed generalis limitatur juxta specialem, ut desutur *ex c. licèt de constit. in 6.* Quia Princeps condens constitutionem universalem, præsumitur ignorare particularem: ergò non censetur illam abrogare, quia quod præsumitur ignotum, non cadit sub intentionem.

11 Præterea, quia constitutio universalis potest fortiri suum effectum, tametsi subsistat particularis, quæ præsumitur necessaria pro particulari regimine. Imò, si constitutio universalis habeat clausulas derogatorias, non abrogat specialem, ut communiter docent cum Gloss. *can. authentic. de success. ab intestat.* quia clausula derogatoria tantùm respicit constitutiones impedientes executionem novæ constitutionis, consequenter non extenditur ad leges speciales: quia istæ licèt limitent constitutionem generalem, non tamen impediunt, quin in aliis suum sortiatur effectum.

12 Dispensare in constitutione, perinde est ac relaxare ejus obligationem *can. dispensat. & tanta 1. q. 7. & c. multa de præbend.* Constitutiones humanas posse dispensari, nulli est dubium, quia cùm dependeant à voluntate legislatoris, possunt ab ipso relaxari. Quinimò potest superior etiam dispensare in constitutionibus emanatis ab inferiore sibi subordinato: quia tunc potestas jurisdictionalis inferioris, cùm subordinetur superiori; etiam actus subordinatur, qui propterea est sub illius dispositione. Non tamen potest dispensare in constitutione, quando Lex se habet per modum contractûs initi, vel à se, vel ab inferiore: quia tenetur quilibet ex vi legis naturalis servare contractus: est enim contra Justitiam violare contractus jam celebratos, & nullus licitè potest agere contra justitiam.

13 Inferior tamen non potest dispensare in constitutione superioris, idque habetur expressè in *Clement. Ne Romani de elect.* Quia jurisdictio inferioris non prævalet contra superiorem, consequenter, neque voluntas inferioris, quo ad actus jurisdictionales potest prævalere contra voluntatem superioris. Neque obstat, quòd Prælatus inferior possit absolvere ab excommunicatione non reservatâ, ut colligitur *ex c. nuper de sent. excommunic.* Quia Jus concedit, posse quemlibet resipiscentem absolvi à censuris non reservatis, quæ cùm sint propter bonum animæ, jam fuerunt assecutæ suum finem: non autem concedit, quòd inferior possit dispensare in constitutionibus superioris. Hinc nec obstat, quòd Episcopus possit dispensare in votis non reservatis: quia inde non sequitur, posse etiam dispensare in constitutionibus superioris: ratio discriminis est, quia vota pertinent ad Statum particularem cujuscumque personæ: secus constitutiones superioris respiciunt statum universalem, qui non est sub dispositione inferioris: qui propterea non potest dispensare, nisi illi concedatur, vel à Jure, vel ex delegatione ipsius superioris, vel materia fuerit levis, & casus frequenter occurrerit, quatenus in his casibus accessus ad superiorem censetur moraliter impossibilis; quâ ratione inferior potest dispensare in constitutione superioris, quando necessitas urget, vel inde oritur maxima utilitas: quia voluntas superioris præsumitur rationabilis circa regimen subditorum, consequenter præsumitur, quod velit dispensare in dictis casibus.

Cæterùm absque legitima causa inferior non 14
potest dispensare in lege superioris, ut communiter docent cum Gloss. *in can. non est de voto.* Siquidem inferior non habet potestatem dominativam contra constitutiones superioris, sed tantùm administrativam, proinde non accedente justâ causâ non potest dispensare, cùm nequeat excedere facultatem sibi concessam, quæ tantùm est administratoria, consequenter ad dispensandum cum justa causa. Cæterùm inferior, si bona fide dispenset in constitutione superioris, eò quia putet adesse justam causam, validè dispensat, tametsi causa non sit talis, ut docent plures: quia facultas dispensandi eatenus exigit causam justam, quatenus hæc est necessaria, ut dispensatio fidelis sit, ac prudens: ex quo conjicitur, quòd non requiratur causa sufficiens secundùm se, sed tantùm in ordine ad prudens judicium dispensantis: qui si judicet, causam esse sufficientem prudenter, & fideliter utitur facultate dispensativa.

Solet dubitari, an qui potest dispensare cum 15
aliis, possit cum se ipso: quia idem non videtur posse exercere jurisdictionem in se ipsum, *l. illa ff. ad Trebell.* atqui dispensare est exercere Jurisdictionem: Ergò, qui potest dispensare cum aliis, non videtur hoc idem posse cum se ipso. Verùm contraria sententia est verior, quia dispensatio est relaxatio obligationis, & potest quis hanc potestatem relaxandi exercere in proprium commodum: Est enim relaxatio obligationis actus solius potestatis, & voluntatis; & eandem voluntatem, quam quis exercet in alios, potest etiam in se ipsum: licèt non possit exercere Jurisdictionē contentiosam in se ipsum, eò quia hæc exigat oppositionem partis: potest nihilominus exercere jurisdictionem voluntariam, quia in hac potest quis repræsentare plures personas, *l. si consul. ff. de adopt.*

†

§. XI.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones.

1 QUæritur primò, an leges humanæ obligent sub peccato, & in conscientia? Respondent communiter Canonistæ, & etiam Theologi cum D. Thoma *1. 2. q. 96. art. 4.* affirmativè: & ratio desumitur ex ipsa definitione legis, quæ est: *Recta ratio agendorum à publica potestate communitati declarata cum voluntate eam perpetuò obligandi*, ex hac enim definitione juvat argumentari: omnis lex, ut talis sit, & obligationem inducat, debet justum & rationabile præcipere communitati, seu multitudini hominum subjectorum; adeò, ut lex sit præceptum superioris, qui per ipsam præcipiat suis subditis, quod est justum; & rationabile: atqui præceptum superioris, eò ipso, quod est justum, & rationabile, obligat subditos ad parendum, & quidem in conscientia, & sub peccato gravi, si materia, quæ præcipitur, sit gravis: quia, ut scribit Apostolus *ad Romanos 13.* qui ordinationi Dei resistunt & ipsi sibi damnationem acquirunt: vel sub culpa politica, si materia sit indifferens. Hoc idem etiam dictat lumen ipsum naturæ, ut inferiores superioribus obediant. Hinc illæ Regulæ, & ordinationes quarumdam Religionum non obligantes per se sub peccato, propriè, & in rigore, non sunt leges, sed monita quædam; tametsi ob similitudinem cum legibus vocentur etiam laxè leges, & constitutiones, eò quia latæ sint ab habentibus publicam potestatem, & ob bonum publicum. Tum quia licèt transgressoribus non sit injuncta pœna aliqua specialis: nihilominus non permittuntur hujusmodi transgressiones impunitæ, cùm Transgressores puniantur ad arbitrium Superioris. Generatim non omnia, quæ continentur in regulis Religiosorum præcipiuntur sub culpa præsertim gravi: benè tamen, si Religiosus ea transgrediatur, quæ pertinent ad tria vota substantialia Religionis.

2 Quæritur secundò, an alleganti ignorantiam legis latæ in foro externo sit credendum, ratio dubitandi desumitur *ex regul. jur. 47. in 6.* ibi præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur: & ratio addi potest, quia scientia est actus positivus, & nescire est pura carentia scientiæ: & affirmanti aliquid incumbit onus illud probandi, non verò ei, qui negat, *l. 2. ff. de probat.* Respondetur nihilominus, alleganti ignorantiam publici edicti, vel legis non esse fidem præstandam, nisi probet allegatam ignorantiam: ratio est, quia lex eo ipso, quod sufficienter fuit promulgata præsumitur omnibus innotescere; quòd uni, vel alteri fortassis non innotescat, per accidens contingit, & ex propria incuria, proinde debent sibi imputare. Neque obstat allata *regula Juris 47. in 6.* quia talis regula plures patitur limitationes. Primò, quia factum proprium non præsumitur quis ignorare *c. ab excommunicato 41. de rescript.* nisi fortassis ob elapsi temporis diuturnitatem illius obliviscatur, ut notat Mascardus *de probat. conclus. 879. n. 40.* Secundò, quia si quis asserat, se ea nescire, quæ ad proprium suum pertinent officium, non debet audiri *c. innotuit 21. de elect.* Quia constitutus in aliquo officio tenetur scire omnia, quæ ad ipsum pertinent, ut possit ritè suum munus obire. Tertiò, nec creditur asserenti se nescire ea, quæ publicè gesta sunt: Hinc, si lex in loco publico fuerit legitimè promulgata, & in communem jam devenerit observantiam, tunc alleganti ejus ignorantiam non creditur *c. 1. de postul. Prelat.* Notandum tamen est, quòd licèt alleganti legis latæ ignorantiam in foro externo non sit credendum, eò quia præsumatur eam scire: hæc tamen Juris præsumptio non est talis, ut contra ipsam non possit admitti probatio in contrarium, si ex conjecturis verisimilibus probetur legis latæ ignorantia. Dantur enim plures casus, in quibus contra hanc juris præsumptionem potest admitti probatio in contrarium. Primò, si jus sit captu difficile, & nonnisi paucis valdè doctis innotescat; tunc enim ejus allegata ignorantia non respuit probationem in contrarium. Secundò, si quis tempore promulgatæ legis abfuit, vel detentus fuerit in loco, ut probabile sit, legis latæ promulgationem ad illius non devenisse notitiam. Tertiò, si quis abfuit à Diœcesi, in qua lex promulgata fuit, & quidem per diuturnum tempus etiam post promulgationem, ut notat Glossa in *c. cognoscentes 2. h. t.* Siquidem in legibus Pontificiis tempus adductæ ignorantiæ est arbitrarium, & conjicitur ex circumstantiis, præsertim ex loci distantia. Quartò, dantur certæ personæ, quæ faciliùs præsumuntur, legem ignorare, cujusmodi sunt mulieres, milites, minorennes, simplices agricolæ, hi enim legem publicam faciliùs possunt inculpatè ignorare. Quòd si legis ignorantia ex conjecturis tantùm semiplenè probantibus ostendatur; tunc posse in supplementum probationum deferri à Judice juramentum censent Abbas *in d. c. cognoscentes. 2. n. 9. h. t.* Felin. *ibid. n. 11.* Gaillus *lib. 2. observ. pract. observ. 148. n. 23.* Quia juxta vulgatam regulam, quæ sunt occulta, & intus in solo animo consistunt, cùm aliam probationem dilucidiorem non possint habere, per juramentum confirmantur.

Quæritur tertiò, an constitutio obliget ignorantes postquam sufficienter, & legitimè est promulgata, & post illud tempus, quo publicè potuit innotescere toti communitati? Respondetur cum distinctione: si ignorantia sit affectata, crassa, & culpabilis, certum est obligare constitutionē ad pœnā, eò quia talis ignorantia sit culpabilis: etenim ignorātia alia est affectata, alia crassa, & supina; ignorantia affectata est, quâ quis affectat, seu eligit nescire præceptum, ut possit liberiùs peccare: ut si clericus positivè eligat, nolle scire, latam esse censuram contra deferentes arma, ut possit ea liberiùs ferre, dicitur hæc ignorantia censuræ affectata, quæ cùm non excuset à culpa, ita neque à pœna. Ignorantia 3

crassa,

crassa, dicitur, quæ procedit ex lata culpa, seu ex summa negligentia, ut cum quis ferè nullam, vel nonnisi modicam adhibet diligentiam, ut ea cognoscere possit, quæ scire tenetur, postquam de iisdem habuit aliquod dubium, ut cum Corduba notat Chrysostomus Philippinus in suo Tractatu *de privilegiis ignorantiæ n. 8.* Hæc ignorantia crassa est vincibilis, & oritur ex negligentia, & desidia sumpta metaphora ex hominibus crassis, qui desides esse solent. Ignorantia supina est, quæ oritur ex nimia solicitudine circa alia, & modica diligentia, & cura in vincenda ignorantia: quia utraque ignorantia affectata crassa, & supina non excusat à culpa, ita neque à pœna; proinde neque ab obligatione, quā inducit constitutio, postquam est sufficienter, & legitimè promulgata. Sin verò ignorantia sit justa, probabilis, & invincibilis, ac inculpata, tunc constitutio non obligat affectos tali ignorantia, & desumitur *ex c. cognoscentes 2. h. t.* ubi redditur ratio, cur lex novum aliquid statuens non ad facta præterita, seu antecedentia extendatur, sed ad futura tantùm: nimirum, ne detrimentum ante prohibitionem legis, vel ejus præceptum ignorantes incurrant, quod illos, si postea deliquerint, æquum est sustinere, ut notat Abbas *in d. c. n. 6.* Ratio itidem potest facilè assignari, quia cum lex sit rationabilis, non tenetur quis eidem obedire, si ipsi absque sua culpa non innotescat: siquidem ignorantia tollit voluntarium, & ubi deest voluntarium culpa adesse non potest, proinde neque pœna, quæ est pedisequa culpæ, ad quam refertur *c. satis 7. dist. 56.* ibi: *Rem, quæ culpâ caret, in damnum vocari, non convenit.* Verùm id limitatur, nisi causa subsit; siquidem si causa legitima subsit, potest quis, etiā sine culpa privari jure suo, quo pacto, si Petrus possidet agrum, in quo pro defensione communi debeat propugnaculum construi, ac fortalitium, potest privari jure, quod habet in talem agrum, quia tunc bonum privatum cedit publico: debet tamen aliunde resarciri damnum illatum ob privationem talis juris.

4 Quæritur quartò, an constitutio canonica irritans actum, vel contractum obliget ignorantes postquam sufficienter, & legitimè est promulgata, & post illud tempus, quo publicè potuit innotescere toti communitati? Respondetur affirmativè, adeò ut lex irritans aliquem actum, vel contractum post sufficientem promulgationem obliget etiam invincibiliter ignorantes, adeò, ut licèt sine culpa, quis ignoret talem constitutionem; adhuc si contrahat contra formā ipsius, contractus sit nullus. Ratio est, quia quoties constitutio præscribit certam formam contractui, essentialiter hæc requiritur ad constituendū contractum illum validum, quia tunc forma dat esse, & valorem ipsi contractui: atqui ubi deest ratio constitutiva, adesse non potest constitutū, quia hoc repugnat sine suo constitutivo: proinde ubi non servatur forma præscripta à lege irritante actum, vel contractum, non potest contractus suum sortiri valorem; tametsi bona fide, & etiam per ignorantiam inculpabilem quis inivert contractum illum, quia bona fides, & ignorantia quæcunque illa sit, est quid extrinsecum contractui, cui non dat esse, nec formam. Hinc quia lex canonica irritat matrimonium clandestinum, tametsi, quis ignoret hanc constitutionem etiam inculpabiliter, si clandestinè contrahat matrimonium, hoc est invalidum: neque obstat, quòd contrahens sit immunis à culpa, eò quia invincibiliter supponatur ignorare constitutionem irritantem contractum matrimonii clandestini, quia irritatio actûs propriè non est pœna, quæ supponat culpam, sed tantùm est quoddam damnum, quod ob bonum comune ex legitima causa subiri debet, etiam ab ignorantibus invincibiliter, & bona fide operantibus.

Quæritur quintò, an etiam constitutiones Archiepiscoporum, & Episcoporum obligent ignorantes? Respondetur negativè, dummodo ignorantia non fuerit crassa, & supina, & desumitur ex *c. cognoscentes 2. h. t.* ubi Gregorius Papa declarat, rem, quæ culpâ caret non officere ignorantibus: & legem dare formam futuris negotiis, non præteritis, ne scilicet ignorantes detrimentum incurrant ante prohibitionem: unde Jure Canonico constituitur, ut sententiis per statuta quorumcunque Ordinariorum prolatis non ligentur ignorantes, si eorum ignorantia non fuit crassa, & supina, & textus intelligitur de Sententiis, quæ ligant animam, seu de censuris ecclesiasticis, quæ per Statuta Episcoporum, aliorúmque Prælatorum inferiorum feruntur, quia nomine statuti propriè intelliguntur Statuta particularia, seu Diœcesana: & deciditur, quòd si Statutum sit in aliqua Diœcesi, ut committens furtum incurrat excommunicationem, hæc censura non obligat ignorantes, nisi ignorantia fuerit crassa, & supina, ut notat Pirhing. *lib. 1. tit. 2. Sect. 1. §. 6.* ubi addit, hoc etiam procedere de censura lata per constitutiones, seu Bullas Pontificias, aut canones generales Juris communis, nisi fuerit aliter expressum. 5

Quæritur sextò, an Magistratus humanus possit Legem naturalam præceptivam immutare, statuendo aliquid contrarium, vel in eo dispensando? Respondetur negativè, quia inferior non habet potestatem in leges Superioris, & Magistratus humanus, sive laicus, sive Ecclesiasticus, est semper inferior respectu Superioris, seu legislatoris Juris naturalis, & Divini, proinde non potest leges condere contra Jus naturale, vel divinum, præceptivum, nec statuere quicquam contra id, quod lex naturalis, vel divina præcipit, vel prohibet, eò quia, ut docet D. Thomas *1. 2.* inferior non potest abrogare, nec relaxare legem Superioris in ea dispensando. Neque obstat, quòd Prælati Ecclesiastici sæpe dispensent in votis, quorum obligatio est de Jure divino: nam inde non sequitur, posse inferiorem abrogare, vel relaxare legem Superioris in ea dispensando, quia, quando Prælati ecclesiæ ex justa causa dispensant in votis fidelium, directè non fit aliqua mutatio, vel relaxatio divinæ legis præcipientis vota esse servanda: sed tantùm fit remissio, seu relaxatio Juris divini, seu Juris acquisiti Deo, & 6

& cui propterea debetur juxta illud Psal. 75. *Vovete, & reddite Domino Deo vestro*, hoc autem debitum acquisitum Deo remittunt Prælati Ecclesiæ non directè, & primariò, sed ut Dispensatores fideles, ac Vicarii ipsius Dei in Ecclesia militante per potestatem ipsis à Christo concessam per illa verba à Christo directa Petro ejusque in Ecclesia legitimis Successoribus, *quidquid solveris super terram, erit solutum & in cælis*: unde Prælati Ecclesiastici dispensando in votis fidelium ex justa causa directè non mutant, nec relaxant legem divinam præcipientem vota servari: sed tantùm, ut Vicarii Dei per potestatem ipsis à Christo concessam remittunt Jus Deo acquisitum per talia vota emissa à fidelibus: quo pacto non relaxant Jus divinum; sed tantùm remittunt debitum ex voto hominis Deo acquisitum, tanquam Vicarii Dei in terris. Idque potest etiam exemplificari in humanis, Oeconomus enim Principis absente Principe ex commissione expressa, vel etiam tacita ejusdem, si justa causa subsit, potest remittere, & condonare jura, ac debita Principi acquisita, quin Oeconomus transgrediatur legem Principis, vel eam relaxet: quia tunc condonat, vel remittit jus acquisitum Principi ex ejus voluntate saltem præsumpta: sicut enim Oeconomus non authoritate propria, sed authoritate Principis, à quo accepit facultatem remittendi tale Jus, illud indirectè, & per accidens remittit: Ita etiam Prælati Ecclesiastici non directè, & authoritate propria, sed tantùm, ut Vicarii Dei, & authoritate ipsius, sibi concessa, remittunt obligationem, seu Jus debitum Deo & acquisitum ex promissione hominis voventis.

7 Quæritur septimò; an Magistratus humanus, sive laicus, sive Ecclesiasticus possit statuere aliquid, quo immutetur lex naturalis permissiva addendo, quod Jus naturæ nec statuit, nec prohibuit, sed indeterminatum reliquit? Respondetur affirmativè cum D. Thoma *1. 2. q. 94. art. 5. ad 3.* & ratio desumitur ex eo, quia sicut ars naturam perficit, ita lex positiva legem naturalem juvare potest; non quidem contrarium illi statuendo, sed superaddendo quod à tali lege naturali permissiva non fuerat statutum. Hinc lex positiva, & humana interdum supplet, quæ lex naturalis permissiva reliquit indefinita, & de quibus nil disposuit: quo pacto per Jus positivum ecclesiasticum plura impedimenta dirimentia matrimonii constituuntur, quæ à lege naturæ non sunt statuta: quæ tamen impedimenta non sunt illi contraria, sed à lege ipsa naturæ, & divina permittuntur, quatenus nil statuit pro, vel contra. Hinc Magistratus humanus, quamvis non possit quidquam statuere contra Jus gentium præceptivum potest tamen Juribus permissivis gentium aliquid adjicere: quod non possit contra jus gentium præceptivum aliquid adjicere, explicatur, quia Magistratus humanus nequit Statuta condere, ut impunè, ac licitè violentur fœdera etiam cum hostibus inita, vel religio Legatorum non violandorum §. *Jus gentium 9. dist. 5.* & ratio est, quia pax, & humana Societas non possent consistere, nisi talia gentium jura servarentur inviolata. Quòd verò Magistratus humanus possit aliquid addere, vel detrahere Juri gentium permissivo ex eo itidem liquet, quia plura, quæ ad Jus gentium pertinent, sunt potiùs permissiva, quàm præceptiva. Hinc licèt spectato jure gentium ad probationem rei gestæ communiter sufficiat testimonium duorum, vel trium carentium omni suspicione; non tamen Jus gentium prohibet, imò interdum permittit, ut si justa causa subsit ad vitandas fraudes plures exigantur testes, sive ad valorem actus, sive ad formam substantialem ejusdem, ut liquet in testamentis, & ultimis voluntatibus.

Quæritur octavò, an Princeps, vel Magistratus, urgente aliqua causa possit statutum condere, cum præjudicio Juris privatorum? Respondetur affirmativè, dummodo urgens aliqua subsit causa. Hinc potest Statutum condere, ut urgente extrema necessitate, vel cogente inopia possit feudatarius feudum alienare absq; consensu Domini directi. Sic Princeps, si causa aliqua urgeat, potest illegitimè natum cum præjudicio agnatorum legitimare ad feuda ex pacto, & providentia; non ita Princeps, vel Magistratus potest sine urgente causa statutum condere, quo jus suum subditis privatis auferatur: ratio est, quia Princeps, vel Superior, ideo constitutus est Superior, ut Jus suis reddat subditis, & justitiam iisdem administret, ut habetur in *l. penult. C. de precib. Imperat. offer.* ubi habetur, rescripta Principis contra Jus elicita, & quibus privati læduntur, nullius esse roboris; neque à Judicibus esse recipienda. Hinc omne rescriptum, privilegium, dispositio, vel indultum Principis semper saltem tacitè continet clausulam illam *salvo jure alterius l. 2. §. si quis à Principe. ff. ne quis in loco publico. c. super eo 15. juncta Glossa v. intentionis de Offic. Deleg. Bald. in l. 1. circa fin. ff. de rer. divis.* 8

Cæterum Princeps ob publicam utilitatem potest Juri alterius derogare, seu præjudicare Juri privatorum, ac uni Jus suum auferre, & dare alteri, ut communiter docent Doctores, præsertim Jason. in *l. Barbarius n. 24. ff. de offic. prætor.* Quia bono publico, tanquam universaliori, ac præstantiori cedit bonum privatum, unde debet quilibet civis contentus esse, ut proprii sui privati Iuris detrimentum patiatur pro bono publico, ut pro defensione, & conservatione Reipublicæ. Debet tamen clarè constare de voluntate Principis, qui ob bonum publicum velit derogare juri privatorum: quia in dubio nunquam præsumitur, velle Principem juri alterius præjudicare, ut notat Andreas Alciatus de *præsumpt. reg. 3. princ. præsumpt. 11. n. 1. & sequent.* Ubi addit in commissione quamvis generalibus verbis facta nunquã censeri concessum, ut jus alteri quæsitum tolli possit, idque desumitur etiam ex *cap. ex parte 13. de Offic. delegat.* Hinc rescriptum Principis derogans Juri tertii non caret suspicione, quod fuerit per obreptionem impetratum. Imò nec potest Princeps sine justa causa Statutum condere contra leges positivas justas, quæ in republica vigent, quia Princeps debet esse custos, non destructor legum publicarum, qua- 9

rum

rum observantia bonum commune promovetur, vel manutenetur *argum. c. ult. in fin. de rescript. in 6.* & licèt, possit Princeps legi publicæ absolutè derogare, si tamen id non exprimat, vel aliis indiciis certò non constet, non est censendus voluisse uti ea absoluta potestate, ut notat Alciatus *loc. cit. præsumpt. 36. n. 7.*

10 Quæritur nonò, an Statutum, quod à Superiore confirmatum est confirmatione accidentali tolli possit, eadem inferiorum authoritate, quâ fuit introductum? Respondetur cum Suarez *lib. 6. de legib. c. 26. n. 12.* Affirmativè, quia Superioris confirmatio non mutat naturam Statuti, hinc Constitutiones Religiosorum ex eo, quòd fuerint à Papa confirmatæ, non propterea fiunt Constitutiones Papales: ita nec leges Episcopales per confirmationem Papæ fiunt Papales, quia confirmatio non immutat naturam rei, quæ confirmatur, sed tantùm eam magis firmat, ac stabilit in suo esse. Secus dicendum est de Statuto, quod à Superiore confirmationem essentialem, & necessariam accipit, tunc enim non potest ordinariè post confirmationem tolli ab inferioribus, quia per ipsam confirmationem essentialem contrahit authoritatem Papalem *l. 1. C. de Jure veteri enucleando,* ubi Imperator Justinianus ait: *Omnia nostra facimus, quibus authoritatem nostram impertimur.* Hinc ut ait Bartolus, eadem solemnitas requiritur ad destruendum, quæ ad construendum. Id tamen intelligendum est de Statuto confirmato à Superiore propter bonum commune, & publicum; adeò, ut lex fiat Juris publici, & pertineat ad bonum Statum Ecclesiæ: quia, si Statutum ita confirmatum directè, & principaliter tenderet in commodum ipsorum Statuentium, ac petentium confirmationem à superioriore, tunc potiùs se haberet per modum privilegij, vel legis specialis, & tolli posset sine authoritate confirmantis.

11 Quæritur decimò, an Constitutiones usu non receptæ obligent? Respondetur constitutiones Canonicas post sufficientem promulgationem obligare subditos ad illas acceptandas, quia Constitutiones Pontificiæ, seu canonicæ, si ritè publicatæ fuerint, actù obligant fideles ad eas acceptandas, adeò, ut qui ab initio eas non servant, vel non recipiunt, nec deducunt in usum, non possint excusari à peccato, nisi fortassis legitimam causam allegent, & quâ excusentur à tali observantia, ut docent communiter cum Suarez *lib. 4. de legib. c. 16. n. 4.* Quia, ut subditi obligentur ad acceptandam constitutionem, vel legem ex parte legislatoris requiritur potestas, & voluntas obligandi subditos *c. cum super 23. de offic. Deleg.* Et hæc potestas obligandi subditos per leges justas inest supremo legislatori absque consensu subditorum, *l. 1. ff. de constit. Princ. §. sed & quod Principi instit. de Jur. natur. gent.* Imò, habet etiam Princeps non solùm potestatem obligandi, sed etiam cogendi subditos ad illius observationem *l. leges 7. ff. de legib.* Proinde potest etiam cogere subditos ad acceptandam legem; alioquin posset potestas legislativa in Principe semper eludi à subditis, si legum obligatio, & observatio ab eorum dependeret libero consensu, & acceptatione, possent enim subditi semper rejicere leges à Principe conditas, quo pacto potestas legislativa semper eluderetur, & esset inefficax.

12 Tum quia subditi subjiciuntur foro Judicis proprii etiam inviti, & reluctantes, siquidem judicium redditur in invitum *l. inter stipulantes 83. §. 1. ff. de V. O.* Unde, ut leges obligent, non requiritur consensus Subditorum: Siquidem forum sortiri, & Statutis ligari pari passu procedunt, ut desumitur ex *c. ex parte 2. h. t. in 6.* Rursus, quòd suprema potestas condendi leges insit Pontifici sine consensu populi, & independenter ab ejus acceptatione, liquet ex potestate à Christo soli Petro, ejúsque legitimis Successoribus immediatè data Matth. 16. *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis.* Non enim Romanus Pontifex hanc potestatem accepit per electionem à populo, proinde Pontificiæ constitutiones obligant independenter à consensu populi: alioquin si tantùm obligarent mediante consensu populi, sequeretur hoc absurdum, quòd populus simul cum Papa esset legislator, & conditor Ecclesiasticarum constitutionum. Quòd etiam adsit in Principe voluntas obligandi subditos ad acceptandas, & servandas leges, ex eo evincitur, quia quando verba legis sunt simpliciter præceptiva, tunc lex absolutè obligationem imponit, & non sub conditione, si subditi velint legem acceptare: alioquin lex non esset præceptum, sed potiùs consilium: Voluntas legislatoris deprehenditur ex verbis legis *l. Labeo 7. §. id Tubero ff. de supell. legat.*

13 Cùm igitur in legislatore sit potestas condendi leges obligatorias ad earum observantiam, & voluntas subditos obligandi per tales leges; sequitur, subditos teneri statim acceptare, & observare leges illas, postquam sufficienter fuerint promulgatæ: alioquin, si nulla suppetente justa causa eas non servent, non excusantur à peccato, & ita fuisse decisum à Romana Rota, nimirum in constitutionibus Papæ habentis immediatè potestatem à Deo, non esse necessariam acceptationem fidelium, ut eos obligent, refert Fagnanus *in c. 2. n. 55. h. t.* Immo id etiam procedere servata proportione de legibus, & Statutis Episcoporum, aliorúmque Prælatorum Papâ inferiorum docet Suarez *lib. 4. de legib. c. 16. n. 2. & 3.* Quia tametsi Episcopi probabiliter dicantur jurisdictionem habere non immediatè à Deo, sed à summo Pontifice, qui potest eam augere, vel minuere: non tamen Episcopi accipiunt à populo hanc facultatem condendi leges, quapropter nec ab ejusdem acceptatione, aut consensu dependet vis, & obligatio earundem legum.

14 Quæritur undecimò, qualem potestatem condendi constitutiones habeant Episcopi? Respondetur, posse Episcopos pro bono ovium sibi concreditarum novas constitutiones edere: ratio est, quia id pertinet ad Officium Pastoris pascentis dominicum gregem, imò possunt has constitutiones non solùm in Synodo diœcesana con-

condere *can. 1. de consec. dist. 3.* Verùm etiam extra Synodum *c. si quis venerit 2. de majorit. & obed.* ubi allegantur constitutiones conditæ ab Episcopis in ordine ad promovendum bonum spirituale animarum. Hisce verò constitutionibus certum est, ligari omnes diœcesanos etiam laicos in iis, quæ spectant ad bonum spirituale, vel res Ecclesiasticas *c. novit. 13. de judic.* & præ ceteris docet Ugolinus *de potest. Episc. c. 47. §. 1. n. 1.* quia statutum Episcopi facit jus inter suos Diœcesanos, ut notat Glossa in *c. ut animarum v. statuta Episcopi de constit. in 6.* Quòd si Statuta Episcoporum fiant in Synodo diœcesana, non expirant per mortem Episcopi, sed perpetuò durant, nisi revocentur. Secus Statuta facta ab Episcopo extra Synodum expirare per mortem ejusdem Episcopi docent plures, præsertim Sperellus *decis. 14. for. Eccles. n. 21.* Barbosa *p. 3. de Offic. & potest. Episc. alleg. 93. n. 32.* ubi etiam affert decisionem Rotæ.

15 Alii tamen forsan probabiliùs docent, Statuta Episcopi facta ex consilio, vel consensu capituli durare in perpetuum, nisi per successorem revocentur, ut docet Federicus de Senis, *consil. 16. circa init.* Quia de natura statuti est, ut sit perpetuum *c. ult. de offic. legat.* Hinc *in c. cognoscentes 2. h. t.* Statuta dicuntur respicere futura. Tum quia in *c. ult. de legat.* Statuta legati dicuntur durare in perpetuum: proinde etiam Statuta Episcoporum, tamdiu debent durare, quamdiu per Successorē non revocantur. Immo hanc potestatem condendi Statuta pro spirituali bono diœcesanorum convenire etiam Episcopo electo, & confirmato, licèt nondum consecrato docent communiter cum Palao *p. 1. moral. tract. 3. disp. 1. punct. 23. n. 7.* & ratio est, quia cum potestas condendi Statuta non sit potestas ordinis, sed tantùm Jurisdictionis, non requiritur, ut Episcopus sit consecratus, sed sufficit, si sit electus, & confirmatus: quia tunc habet jurisdictionem *c. ut animarum de constit. in 6.* Quinimò potest Episcopus hæc statuta condere etiam sine consensu Capituli, dummodo requisierit ejus consilium, adeò ut si Capitulum sine causa rationabili nollet consentiri, adhuc regulariter loquendo posset Episcopus Statutum condere. *c. quanto 5. de his, quæ fiunt à Prælat.* & notat Abbas *in c. cum consuetudinis 9. de consuetud.* Verùm id procedit tantùm regulariter loquendo, quia fallit, quando Episcopus vult aliquid statuere de rebus spectantibus simul ad Episcopum, & Capitulum: quia tunc non sufficit solum consilium, sed requiritur verus consensus Capituli, quia quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari juxta *Regul. jur. 29. in 6.* imò neque potest Episcopus sine consensu Capituli statuta condere, quæ cederent in præjudicium Capituli, & Cleri, nec potest Statutum condere contra consuetudinem legitimè præscriptam: tunc enim requiritur consensus Capitularium constituentium unum corpus cum Episcopo.

16 Neque obstat, si dicas, Episcopum in sua Diœcesi posse, quod potest Papa in tota Ecclesia exceptis specialiter reservatis Papæ. Nam respondetur, Episcopum in sua Diœcesi posse quidem, sed cum dependentia, & subordinatione ad papam, cui subjicitur, perinde ac membra corporis subjiciuntur capiti: proinde Episcopus non potest nisi ea, quæ eidem à Papa conceduntur: Ecclesia enim Romana est prima, & caput cæterarum omnium Ecclesiarum; & Pontifex est Episcopus totius Ecclesiæ Catholicæ, & quia ipse non potest personaliter adesse omnibus, & singulis Ecclesiis, ideo suum Episcopatum divisit in plures inferiores sibi subordinatos, & à se dependentes, unde reliquis Episcopis vices suas credidit exercendas, ut in partem sint vocati solicitudinis, non in plenitudinem potestatis, ut habetur in *can. qui se scit. 2. q. 9. cap. ad honorem 4. de authorit. & usu pall.*

Quæritur duodecimò, quámnam Capitulum 17
Cathedrale habeat potestatem condendi leges; & Statuta? Conveniunt communiter Capitulum Cathedrale non posse constitutiones condere in præjudicium Episcopi, neque vivente Episcopo posse Statuta edere, quæ obligent extraneos, ac totam Diœcesin, quia vivente Episcopo jurisdictio hæc est in Episcopo, non verò in Capitulo seorsim ab Episcopo. Immò, nec potest Capitulum sine consensu Episcopi Statutum condere, quod pertineat ad communem Statum Ecclesiæ, & Episcopatûs, ut etiam ad ejus Jura, & negotia ardua, & desumitur ex *c. cum consuetudinis 9. de consuetud.* ubi prohibetur Capitulo Cathedrali sub nullitate actûs immutare sine consensu Episcopi suæ Ecclesiæ constitutiones, vel consuetudines approbatas, nec novas inducere, ut docet Barbosa de Canonicis, & dignitatibus *c. 42. n. 16.* & fuit decisum à Rota Romana *decis. 11. apud Farinac. p. 2. recent.* Quia Episcopus unà cum Capitulo Cathedrali constituit unum corpus, cujus Episcopus est caput, & Canonici membra, *c. novit. de his, quæ fiunt à Prælat. sine consens. Capitul.* Sed non debent membra à capite recedere *c. cum non liceat 12. de præscript.* Proinde nec potest Capitulum sine Consensu Episcopi Statutum condere circa communem Ecclesiæ, & Episcopatûs Statum, nec circa ejus jura. Neque potest Statuta condere juri communi contraria, idque ob defectum jurisdictionis, quia inferior non potest tollere legem Superioris, in quem non habet jurisdictionem *can. inferior. dist. 71.* Hinc Statuta contraria Juri communi condita à Capitulo nullius sunt valoris; tametsi accesserit consensus Episcopi, nisi à Summo Pontifice fuerint confirmata, ut notat Barbosa *c. 42. de Canonicis n. 17.* Hinc Capitulum etiam accedente sui Episcopi consensu non potest validè statuere, quòd descendentes ex genere infecto hæreticorum, Maurorum, Judæorum non admittantur ad beneficia Ecclesiastica, si aliàs digni habiti fuerint, eò quia tale Statutum esset contra Jus commune *c. cam te 7. de rescript.* ibi: *Pro eo, quòd Judæus extiterit, ipsum dedignari non debes*, hoc est recipere in Canonicum, ut notat Barbosa in *l. 42. de Canonicis n. 18.* & solet etiam citari decisio Rotæ in Cordubensi dimidiæ portionis 28. Junii 1628. coram Merlino

limo. Immo, nec valet Statutum Capituli, ut non admittantur Canonici, nisi probatis tot gradibus nobilitatis, quia est contra Jus commune in *c. venerabilis 37. de præbend.* ubi etiam adducitur ratio: Quia non generis, sed virtutum nobilitas, vitæque honestas gratum Deo faciunt. Nec est acceptatio personarum apud DEUM. Excipiuntur tamen, ut notat Pirhing *h. t. n. 103.* illæ Ecclesiæ, in quibus ex primæva fundatione conditio nobilitatis requiritur, cujusmodi sunt in Germania plura Cathedralia Capitula, in quibus non recipiun-
18 tur nisi nobiles. Potest tamen Capitulum etiam vivente Episcopo aliqua condere Statuta, pertinentia ad negotia ejusdem, & quæ concernant rectam ordinationem Ecclesiæ, seu Capituli; ut quòd certo modo fiat distributio obventionum quotidianarum, quòd tali tempore pulsentur campanæ: quòd ad pulsum hujus, vel illius specialis campanæ Canonici debeant ad Chorum, vel Capitulum accedere: hæc & alia id genus Statuta, si rationabiles causæ subsint condi possunt, & concurrentibus cæteris requisitis suum sortiuntur valorem, etiam independenter ab expresso Episcopi consensu, & desumitur ex *c. cùm accessissent 8. h. t.* & docent Barbosa *c. 42. de Canonicis n. 16.* post Rotam in Illerben. Statuti 19. Maij 1597. coram Corduba; & in Padu. Sedilium 26. Januarii 1618. coram Sacrato, Abbas in *c. cum omnes n. 4. de constit.* Tum quia in *c. ex litteris 11. h. t.* id conceditur minoribus Universitatibus. Verùm, ut hujusmodi Statuta valida sint, quatuor requiruntur conditiones: quarum prima est, ut Capitulares consentiant in tale Statutum, & quidem in conclavi deputato pro Capitulis celebrandis, & in quo Canonici per modum Communitatis sint congregati. Secunda, ut saltem duæ partes Capitularium adsint, *l. 3. & 4. ff. quod cujusque universit.* Tertia, ut omnes fuerint vocati, quia uno tantùm contempto, seu non vocato, si vocandus fuisset, potest reclamare, & irritare actum, nisi ob bonum pacis velit postea consentire, *argum. c. bonæ memoriæ 36. de elect.* Quarta, ut major, & sanior pars præsentium consentiant Statuto, ut notat Barbosa *c. 38. de Canonicis n. 16.*

19 Quæritur tertiodecimò, quamnam Archiepiscopi habeant facultatem condendi Constitutiones? Respondetur, Archiepiscopos non posse condere Constitutiones, quæ obligent totam Provinciam, nisi in Concilio provinciali, & consentientibus suis suffraganeis, seu comprovincialibus suis Episcopis; idque desumitur *ex Can. nullus primas 9. q. 3. cap. sicut olim 25. de accusat.* Non tamen possunt Archiepiscopi etiam in Provinciali Concilio, ut neque Episcopi in suis Diœcesibus quidquam statuere contra Jus commune canonicum, & alias Constitutiones Apostolicas, ut desumitur ex *c. cùm inferior 16. de major. & obed.* & ex *Clement. ne Romani. §. 1. de elect.* ubi dicitur, quòd lex superioris per inferiorem non possit tolli. Licèt possint leges Superioris per inferiores juvari, præsertim per adjectionem pœnæ ad coërcendos Transgressores legis *arg. c. ult. h. t. in 6.* ubi præceptum naturale, & divinum non furandi adjuvatur lege diœcesana per adjectionem pœnæ excommunicationis, ita docent Menoch. *lib. 2. de arbit. Judic. cas. 398. n. 46.* Abbas in *c. licèt n. 5. de pæn.* Siquidem nullo jure id reperitur prohibitum: imò, ratio etiam id suadet, quia aliud est abrogare legem Superioris, & aliud per adjectionem pœnæ compellere subditos ad observantiam legis: & hac ratione possunt etiam Principes sæculares punire Transgressores canonicarum constitutionum, ut contrahentes matrimonia clandestina; exigentes usuras ex mutuo, pejerantes, blasphemias proferentes, & perpetrantes alia crimina, tametsi prohibita jure naturali, & Ecclesiastico: quia tunc tantùm abest, quòd Principes sæculares abrogent leges Ecclesiasticas, ut potius earundem promoveant observantiam, proinde non censentur exercere jurisdictionem in Ecclesiasticos. Cæterum Archiepiscopi possunt in suis particularibus diœcesibus condere Constitutiones obligantes, perinde ac Episcopi in suis Diœcesibus, quia habent suam propriam jurisdictionem.

Quæritur quartodecimò, an leges civiles obligent independenter ab acceptatione populi? Quia Constitutiones Canonicæ post sufficientem promulgationem statim obligant subditos ad eas acceptandas, eò quia Legislator ecclesiasticus habeat potestatem, & voluntatem ita obligandi *c. cùm super 23. de offic. Deleg.* Oritur dubium etiam de Legibus civilibus; & respondetur, supremum Principem habentem absolutam, & independentem potestatem possse subditos obligare ad observandas leges justas, & pro bono publico conditas, quia, ut docet Suarez *lib. 3. de legib. c. 19. n. 4. & sequent.* Populus potestatem suam absolutè, & simpliciter absque ulla limitatione transtulit in Principem: proinde habens absolutam potestatem condendi leges, habet etiam potestatem obligandi subditos ad easdem acceptandas, & servandas: alioquin potestas hæc in legislatore inutilis esset. Id tamen Suarez *loc. cit. n. 6.* limitat, nisi Princeps à populo accepisset limitatam potestatem, ut leges ab ipso conditæ vim obligandi non habeant, nisi prius acceptentur à populo, quia tunc requireretur consensus populi. Cæterùm communior sententia, & probabilior est, ut lex condita à legislatore habente absolutam potestatem obliget independenter à consensu populi, & antequam acceptetur à populo, tametsi Princeps id non exprimat, quia lex non operatur ex voluntate populi, sed ex voluntate, & potestate legislatoris; alioquin possent frequenter subditi absque culpa non acceptare, nec servare leges conditas ob bonum commune. 20

Cæterum, si contingeret, ut lex de facto non acceptaretur à tota communitate, vel à majore ejus parte, & interim flueret sufficiens tempus, ut arbitrio prudentum censeri posset promulgatio illius legis inutilis, ut in legibus civilibus est decennium, tunc desineret legis obligatio. Excipitur tamen, dummodo 21

major pars communitatis legem non servet, & tum possunt alii licitè se majori parti conformare, tametsi nondum sit elapsum tempus sufficiens ad legem abrogandam, quia tunc Princeps non videtur velle obligare illos paucos. Tum quia lex est communis, quæ debet ab omnibus servari. Quinimò, si lex esset nimis dura, & observatu difficilis, & talis communiter à populo judicaretur, censent aliqui probabile esse, populum non obligari ad acceptandam legem illam, & eos excusari à peccato, qui incipiunt legem non servare, eò quia Princeps præsumitur ignorare talem difficultatem, & nolle cum tali incommodo subditos obligare. Notat tamen Suarez *lib. 3. de legib. c. 19. n. 12.* de rigore juris, legem, quamvis duram, populũ obligare, dummodo non sit injusta, & per ejus observantiam promoveatur bonum commune.

22 Quæritur quintòdecimò, an Constitutiones canonicæ obligent omnes Christi fideles? Respondetur, constitutiones alias esse generales obligantes omnes Christianos, tales sunt præcepta Ecclesiæ omnibus nota, & decreta generalia in corpore Juris Canonici contenta: cum enim hæc statuta sint generalia obligant generaliter, quotquot subjiciuntur jurisdictioni Ecclesiæ, *c. ult. h. t.* quia jure tam divino, quàm naturali, & humano tenetur quisque servare leges à suo superiore legitimè sancitas, quia jurisdictio legislatoris extenditur ad omnes ejus subditos. Alias esse constitutiones speciales, quæ particulari tantùm personarum generi imponuntur, ut solis Clericis. Alias locales, quæ certo tantùm loco imponuntur, ut uni civitati, vel Provinciæ: & communis sententia est, hujusmodi speciales constitutiones non obligare omnes, sed eos tantùm, qui sunt in Statu clericali, vel morantur in tali provincia, vel civitate, ut rectè notat Suarez *lib. 1. de legib. c. 6. n. 5.* Quia lex non obligat ultra voluntatem legislatoris, ut nec etiam extenditur ad non subditos, qua ratione Judæi, Turcæ, Cathecumeni, aliique nondum baptizati non ligantur Statutis ecclesiasticis, eò quia non subjiciuntur Ecclesiæ *c. gaudemus 8. de divortiis*, quia de his quæ foris sunt non judicat Ecclesia, seu de iis, qui non subjiciuntur jurisdictioni ecclesiasticæ: quod tamen intelligendum est, quoad spiritualia, quia quoad pœnas temporales leges temporales Pontificis obligant etiam Judæos commorantes in Provinciis pertinentibus ad Ecclesiam: unde si Judæi delicta committant, vel pacem Reipublicæ turbent, vel aliquid in opprobrium Christianæ Religionis faciant, puniri possunt ab Ecclesiasticis *c. in nonnullis 15. de Judæis.* Hæretici verò, quia sunt baptizati compelli possunt ad obedientiam, & observantiam sacrorum Canonum, etiam pœnis, & censuris Ecclesiasticis, quia per baptismum subjiciuntur Ecclesiæ jurisdictioni *c. novit. 13. de judic.*

23 Quæritur sextodecimò, an legislator obligetur ad observantiam legum, quas ipse condidit? Respondetur, legislatorem, præsertim ecclesiasticum, seu Papam non obligari ad talem observantiam quoad vim coactivam, eò quia nemo potest propriè à se ipso cogi, imò, neque à pari, cum par in parem potestatem non habeat. Cæterum legislator directivè tenetur leges à se sancitas servare ex vi rationis, & æquitatis naturalis dictantis, ut quod quisque in alium statuit, debeat ipse eodem uti, ac proinde pati legem, quam ipse pro populo sancivit *c. omnes 6. h. t.* Cæterum Summus Pontifex, nec Decretis Conciliorum Generalium potest directè obligari: & ratio est perspicua, quia Pontifex illis non subest, sed præest. Tum quia Concilium quamvis Oecumenicum subest Papæ; & inferior non potest suis legibus superiorem ligare, *argum. clement. 2. in princ. de elect.* Hinc Magistratus summi, & Principes supremi, ut Papa, Imperator, Reges per se, ac directè non obligantur coactivè legibus à se sancitis pro suis populis *l. digna vox 4. c. de legib.* Secus alii Magistratus inferiores obligantur suis Statutis, perinde ac populus, eò quia & ipsi sint de populo: siquidem propriè non exercent dominium jurisdictionis in alios tanquam subditos, sed aliquam administrationem sibi à populo concessam.

Quæritur decimoseptimò, an in foro externo judicari necessariò debeat juxta constitutiones canonicas? Respondetur affirmativè, adeò, ut si in materia temporali unũ statuat Jus Canonicum, & aliud Jus civile, debeat utrumque Jus in suo foro servari. hoc est Jus Canonicum in foro ecclesiastico, & Jus civile in foro sæculari: Ratio est, quia potestas ecclesiastica, & sæcularis sunt duæ potestates distinctæ, ac separatæ, quarum una non subordinatur alteri in materia temporali, ut notat Glossa *in reg. 2. v. possessor. de reg. jur. in 6.* & notat Abbas in *c. 1. de nov. oper. nuntiat. n. 7.* Quòd si materia salutem concernat animæ, & circa illam aliud reperiatur statutum Jure Canonico, & aliud Jure civili: tunc judicari debet secundùm Jus Canonicum etiam in foro sæculari: quia in iis, quæ pertinent ad spiritualia, & salutem animæ, lex civilis corrigitur, vel abrogatur per legem canonicam, ut notat Abbas in *d. c. 1. de nov. oper. nuntiat. n. 5.* Quoad ordinationem verò Judicii, & processum formandum, observatur Stylus Curiæ sæcularis, in qua Judicium fertur. Sin verò circa materiam temporalem, & profanam nil reperiatur statutum Jure Canonico: &ècontra in Jure civili id clarè sit expressum: tunc etiam in foro ecclesiastico servari debent leges civiles, ut desumitur ex *c. 1. de nov. oper. nuntiat* Sicut etiam vice versa, si in materia temporali, & politica reperiatur aliquid decisum Jure Canonico, quod in jure civili, vel non sit decisum, vel sit dubium; tunc in foro sæculari judicandum est secundùm Jus Canonicum, ut notat Felinus *in c. 12. n. 49. h. t.* 24

25 Quæritur decimooctavò, an Constitutiones imperatoriæ, & Statuta Principum sæcularium, quæ expressè, & nominatim disponunt de Ecclesiasticis, & Clericis, cujusmodi sunt plures constitutiones imperatoriæ in Codice, & Novellis, de Ecclesiis, Episcopis, Clericis, & Monachis obligent Ecclesias, & personas

Eccle-

Ecclesiasticas? Respondetur negativè, idque desumi ex *c. Ecclesia Sanctæ Mariæ 10. h. t.* ubi Pontifex declarat, Statutum Laicorum generale, tam circa temporalia, quàm spiritualia in præjudicium Ecclesiæ, vel personæ, vel rei ecclesiasticæ, nullius esse momenti: & speciale, neque in eorum commodum valere. Quia, ut notat Glossa *ibid.* Laici non possunt disponere, neque in temporalibus, neque in spiritualibus, neque de his potest in laicum compromitti *c. contingit de arbit.* Tum quia nulla jurisdictio potest se extendere extra suos limites *l. ult. ff. de jurisdict. omn. Judic.* & Clerici, Ecclesiæ, & bona ecclesiastica sunt extra limites jurisdictionis sæcularis, *c. ult. de rebus eccles. non alien.* Hinc sequitur, nullum legislatorem sæcularem posse quidquam disponere, vel statuere de personis, rebusque ecclesiasticis defectu jurisdictionis, ut etiam declaratur in Concilio Tridentino *Sess. 25. n. 20. de refor.* Imò id etiam procedit quamvis Statuta specificè disponant de bonis patrimonialibus Clericorum, quia etiam hæc bona sunt exempta, cùm pertineant ad clericos à jurisdictione sæculari exemptos; quia accessorium sequitur suum Principale, cui adhæret: unde ex eo, quòd jurisdictio sæcularis non se extendat ad Clericos; neque ad eorum bona etiam patrimonialia, quia hæc sunt accessoria Clericis, ut notat Abbas *in c. qualiter 17. n. 8. de jud.*

26 Tum quia tale Statutum non posset disponere de bonis patrimonialibus Clericorum, nisi obligaret ipsos Clericos; & certum est, personas ecclesiasticas non posse specialiter obligari per leges sæculares, ex defectu jurisdictionis. Excipiuntur tamen bona feudalia. Clerici enim possidentes feudum à Domino laico, quoad tale feudum subjiciuntur jurisdictioni Domini laici, à quo etiam debent investituram petere, ut moris est in Germania, ubi feudatarii ecclesiastici quoad feuda subjiciuntur Imperatoris jurisdictioni, & desumitur etiam ex *cap. ex transmissa 6. de for. compet.* quia dominium directum feudi, seu proprietas ejusdem, manet semper penes dominum directum, ratione cujus retinet jurisdictionē in bona feudi. Neq; obstant constitutiones imperatoriæ, quæ habentur in Codice, & Novellis, de Ecclesiis, Episcopis, Clericis, & Monachis, de quibus specificè, & nominatim disponunt. Nam licèt antiquitus hujusmodi constitutiones aliquid obtinuerint roboris ob dissimulationem Pontificum non valentium, tunc Imperatori resistere: absolutè tamen semper fuerunt invalidæ, utpote sancitæ à non habentibus jurisdictionem in clericos.

27 Quòd si Ecclesia aliquot ex his constitutionibus recipiat, & approbet, tunc vim habent obligandi Ecclesiasticos, non quia sancitæ à Principe sæculari: sed quia approbatæ ab ecclesia, quia tunc per talem approbationem, & confirmationem censentur iterum sanciri ab Ecclesia, consequenter, ut constitutiones ecclesiasticæ vim obtinent obligandi omnes Ecclesiasticos, & desumitur ex *c. Ecclesia Sanctæ Mariæ 10. h. t.* Cæterum ex eo præcisè, quòd plures constitutiones Imperiales de personis, rebusque ecclesiasticis inserantur decreto Gratiani, non propterea censentur approbatæ à Jure Canonico: siquidem Gratianus non habuit potestatem approbandi constitutiones sæculares in ordine ad obligandos ecclesiasticos, ut notat Felinus *in c. 2. n. 39. de rescript.* Neque obstat, quod volumen decreti sit approbatum à Papa: quia licèt volumen sit approbatum: non tamen ut volumen dicti Gratiani, ut notat Joan. Andreas *in d. c. 2. n. 23. de rescript.* ratio est, quia approbare leges civiles in ordine ad obligandos Clericos pertinet ad solum Papam, qui tamen, si constitutionem Cæsaream alleget in aliqua sua decretali Epistola, eo ipso censetur eam approbare.

Quæritur decimonono, an constitutiones 28 Principum sæcularium validæ sint, si tantùm disponant de bonis illis ecclesiasticis, quæ ratione solius dominii directi pertinent ad Ecclesias: & quoad dominium utile ad laicos? Respondetur negativè, & est sententia communior, quia laici per suas constitutiones, non possunt derogare Juribus Ecclesiarum *c. 1. dist. 10. c. noverit 49. de sent. excommun.* Ubi excommunicatio lata fuit contra facientes servari Statuta edita, & consuetudines introductas contra libertatem ecclesiasticam, ut etiam contra Statutarios, & Scriptores Statutorum, in ordine ad alienationem feudorum Ecclesiæ sine consensu domini directi. Ex quo claret, alienationem feudi pertinentis ad Ecclesiam, vel personas ecclesiasticas factam à Vasallo laico habente dominium utile esse irritam. Hoc idem etiam procedit de constitutionibus disponentibus de rebus pertinentibus ad Ecclesiam, quoad solum dominium utile: immò id etiam procedit, quamvis constitutio fiat causâ majoris utilitatis, quia ad valorem constitutionis non sufficit justa causa necessitatis, vel utilitatis, sed requiritur necessario jurisdictio, seu potestas statuendi, quam nulla necessitas, vel utilitas tribuere potest ei, cui non convenit: & laicis non competit iurisdictio in Ecclesiasticos.

Verùm id limitandum est, quando constitutiones sæcularium, concedunt merum favorem, ac Privilegium Ecclesiis, vel Clericis, quia tunc in favorem Status Ecclesiastici, constitutiones sæcularium suum sortiuntur valorem: quo pacto, si Statuta sæcularium disponerent in favorem clerici primogeniti, ut posset succedere in feudis, majoratibus, ac fideicommissis validè essent, quia dans privilegium non dicitur exercere jurisdictionem in privilegiatum, qua ratione privilegia concedi etiā possunt non subditis, & omnino extraneis: & hæc ratio etiam est, cur nemo obligetur acceptare privilegium sibi datum, eoque uti: quo fit, ut Princeps laicus possit privilegia dare Ecclesiis, ac personis Ecclesiasticis. Cæterum, si Statutum Principis sæcularis etiam in favorem Ecclesiæ aliquid statueret præcipiendo, vel prohibendo, tunc non valeret, nisi priùs ab Ecclesia approbaretur, quia talis modus statuendi imperativè denotat superioritatem; quam non habent Principes sæculares in Ecclesiasticos, & Ecclesias: Secus tamen est, si simpliciter statuta sæculari- 29

larium sint favorabilia ecclesiasticis, quia tum potiùs induunt rationem privilegii, ut notat Abbas in *c. 42. de for. compet.*

30 Quæritur vigesimò, an constitutiones civiles non repugnantes Statui clericali, nec Juri Canonico, si promoveant bonum commune Reipublicæ, ejúsque bonum regimen, & sancitæ sint circa materiam communem Clericis, & laicis, à quibus sine injusto gravamine possint commodè servari, obligent etiam Clericos? Respondetur, cum distinctione, si sermo sit de obligatione per vim coactivam, certum est, hujusmodi constitutiones non obligare Clericos: quia Judex laicus non potest cogere Clericos eos citando, condemnando, vel puniendo, ut desumitur ex *cap. 2. de for. compet.* quia actus citationis, condemnationis, sunt actus jurisdictionis coactivæ, qui non possunt exerceri, nisi erga subditos, & Clerici non subjiciuntur Magistratui sæculari *c. Ecclesia Sanctæ Mariæ 10. h. t.* unde, si hisce constitutionibus sit pœna adjecta, hanc non incurrunt Clerici: quòd si contra talem constitutionẽ delinquunt, sunt deferendi ad proprium Judicem ecclesiasticum, à quo possunt etiam puniri, eò quia talis transgressio sit contraria juri, & bono communi, cui expedit, ne tales transgressiones maneant impunitæ. Sin verò sermo sit de obligatione quoad vim directivam, etiam in conscientia possunt Clerici per tales constitutiones obligari, quia sunt etiam ipsi membra Reipublicæ, & tenentur se conformare cæteris in iis, quæ ad bonum regimen necessaria sunt, alioquin sequeretur perturbatio in Republica, in qua pax & tranquillitas non posset servari.

31 Præterea cum Clerici gaudeant, & ipsi communibus Reipublicæ commodis, & privilegiis, æquitas videtur exigere, ut etiam communia cum aliis onera, à quibus specialiter Jure Canonico non eximuntur, subeant; præsertim cùm Statui clericali non repugnent; cujusmodi sunt leges præscribentes certam formam in contractibus, aut testamentis celebrandis, vel condendis: ut etiam formam servandam in judiciis instituendis; etenim si Clericus in causa pecuniaria laicum conveniat in Jure civili coram Judice sæculari; æquum est, ut hæc tractetur non secundùm modum præscriptum Jure Canonico, sed juxta formam traditam in jure civili municipali, ut notat Glossa *in cap. quod Clericus 9. §. aliquos de foro compet.* tunc enim interest Reipublicæ, ut Clerici, & laici iisdem legibus, ac Statutis obligentur: hac ratione etiam non subditi, seu extranei obligantur Statutis, & legibus loci, in quo litigant, vel contractus iniunt, adeò, ut teneantur ea servare, argum. *fundus ff. de eviction.* Ubi expressè habetur esse inspiciendam consuetudinem loci, in quo negotium gestum est.

32 Quæritur vigesimo primò, an Constitutio de novo aliquid statuens extendatur ad præterita, quæ jam facta sunt? Respondetur cum distinctione, quia vel in constitutione exprimitur, ut extendatur etiam ad præterita, & tunc nulli dubium, quin præterita comprehendat; quia cùm lex sit justa, potest Princeps ex justa causa per legem de novo latam tollere jus alteri quæsitum, proinde potest etiam pro bono publico cavere in lege, ut extendatur etiam ad negotia præterita, & gesta anteacta, tametsi per id alteri auferatur jus, ut docet Pirhing. *h. t. Sect. 1. §. 3. n. 118.* Excipiuntur tamen ea negotia præterita, quæ per transactionem, sententiam, juramentum, & solutionem fuerunt decisa: quia tunc lex nova, hujusmodi jam præterita non comprehenderet, quia illa clausula adjecta legi, ut constitutio extendatur ad præterita intelligitur de negotiis præteritis non decisis, quia ut habetur *in l. causas 16. C. de transact.* causas, & lites transactionibus legitimè definitas, Imperiali rescripto non oportet resuscitari: imò id procedit etiam de causis præteritis nondum decisis, & adhuc pendentibus coram Judice: adeò ut constitutio non obstante tali clausula, si edita sit post litis pendentiam non extendatur ad talia præterita, quæ adhuc sunt sub lite. Tum quia vel lis pendet in secunda instantia per appellationem, & tunc exigit decidi à Judice, ad quem appellatum est secundùm jus, quod erat in prima instantia, ut notat Glossa *in c. licet 14. v. de cætero de elect. in 6.* vel lis pendet in prima instantia, & tunc nec extenditur constitutio nova ad illam, quia causa decidenda est juxta leges priùs editas, non juxta illas, quæ de novo eduntur: siquidem in medio litis non fit nova lex, nec forma *novell. 113.*

33 Tum quia partes litigantes censentur consentire in Judicem, ut cognoscat secundùm jura, & leges, tunc existentes, nisi Princeps motu proprio novam legem tulisset, in qua expressisset, ut causæ etiam pendentes secundùm hanc novam legem decidantur. Vel constitutio recèns edita expressè dicit, quod tantùm futura comprehendat, & tunc ad præterita non extenditur, & desumitur ex *c. quoniam 13. h. t.* ubi Gregorius IX. rescribit legem, & confirmationem ita respicere futura, ut non trahantur ad præterita, nisi de his nominatim caveatur: quia id est proprium constitutionis præcipientis, vel prohibentis, ut solùm referatur ad actus futuros, siquidem lex est regula externa actuum humanorum: & actus præteriti, ut tales non possunt ampliùs regulari, non enim factum potest fieri infectum, ut iterum fiat, vel reguletur.

34 Vel tandem constitutio simpliciter, & absolutè disponit nulla facta de præteritis, aut futuris mentione, & tunc est subdistinguendum, quia, si lex sit tantùm dispositiva præcipiendo, vel vetando aliquid, ac decernat de forma faciendi, non extenditur ad præterita, quæ jam facta sunt, nisi disponat tantùm de ipsa executione, aut ulteriore processu negotii jam inchoati, quia tunc extenditur ad præterita, quæ nondum fuerunt executioni mandata, ut notat Navarrus in *c. si quando 5. de rescript. except. 21.* Vel lex est interpretativa, & declaratoria Juris antiqui, & tunc extenditur ad præterita, quia hæc declaratio non est propriè nova lex, sed antiqua, ut taliter declarata.

35 Quæritur vigesimo secundò, an prior constitutio tollatur per posteriorem? Respondetur affirmativè, si posterior sit omnino contraria priori,

ori, tametſi de illa nulla fiat mentio, & deſumitur ex *c. licet 1. h.t. in 6.* ubi Bonifacius VIII. declarat, quòd cum Papa cenſeatur habere omnia in ſcrinio pectoris ſui, primam conſtitutionem revocat per ſecundam, quamvis de prima nullam faciat mentionem. In Principe enim adeſt poteſtas abrogandi priorem legem à ſe, vel ſuis anteceſſoribus latam: unde eo ipſo, quòd condit novam conſtitutionem directè contrariam priori eam revocat. Excipiuntur tamen Concilii Generalis decreta, quibus per poſteriorem conſtitutionem Pontificiam contrariam non derogatur, niſi clauſula derogatoria expreſſè adjiciatur, & dicatur non obſtante quacunque lege, aut conſtitutione in Concilio generali edita, & deſumitur ex *c. ult. de Capell. Monach.* quia decreta Concilii Generalis videntur continere tacitam clauſulam derogatoriam omniũ poſteriorum conſtitutionum, quæ illis ſunt contrariæ, niſi de iisdem mentio fiat.

TITULUS III.

De Reſcriptis.

Cum Reſcripta juxta præſens inſtitutum, & de quibus in hoc Titulo agitur, ſint literæ Summi Pontificis, vel Principis ſæcularis, quibus reſpondet libellis, ſibi oblatis, ac precibus exhibitis; ideo reſponſa nonnunquam dicuntur *l. ut reſponſum C. de tranſact.* in quibus hæc ſemper tacitè conditio ineſt: *ſi preces veritate nitantur c. ex parte 2. h.t.* Quia verò hæc Reſcripta plerunque jus conſtituunt; ſuntque ſpeciales veluti conſtitutiones habentes vim legis *l. 1. ff. de Conſtit. Princ.* & Regulæ quædam externæ noſtrorum actuum, ut hi rectè, ac ritè fiant; & propterea diriguntur ad miniſtros, qui jura exêquuntur: ideo Pontifex poſt Titulum de Conſtitutionibus rectâ procedens methodo agit de Reſcriptis habentibus vim legis, ſaltem inter Perſonas, quibus conceduntur, & in negotiis, pro quibus Reſcripta ſunt edita *l. 2. C. de legibus.*

SUMMARIUM EXEGETICUM

Omnium Capitum in hoc Titulo contentorum.

CAP. SICUT ROMANA I. h.t. ALEXANDER III. declarat, quòd ſpeciale mandatum derogat generali, etiamſi de ipſo nulla fiat mentio: adeò ut habens generale mandatum appellandi, & Judici delegato committatur cauſa ſublato remedio appellationis; ſi appellationem proponat, non ſit hæc admittenda contra ſpeciale mandatum conceſſum alteri parti: quia quoties Judici delegato cõmittitur cauſa alicujus ſublato Remedio appellationis; pars contraria, quæ obtinuit generalem facultatem appellandi ex prohibitione Pontificis nequit appellare.

C. EX PARTE 2. h. t. Idem Pont. declarat, in Apoſtolicis Reſcriptis ſemper tacitè intelligi clauſulam: Si preces veritate nitantur: *licèt non fuerit expreſsè appoſita. Item, quòd perjurus, qui ſine neceſſitate pejerat; repellendus ſit ab obtento beneficio. Item, quod Reſcriptum debeat potiùs interpretari ſecundùm rei veritatem, quàm ſecundùm ordinem ſcripturæ.*

C. CÆTERUM 3. h.t. Idem Pont. reſcribit, quòd primæ litteræ cõmiſſionis cauſæ ab uno litigantium obtentæ attendi debeant; ſi in ſecundis ab altero obtentis non ſit de illis facta mentio. Itẽ, ſi primæ de conſenſu partium ſint obtentæ, & deinde una pars, inſciâ alterâ, tacens conventionem, ſecundas obtinet committentes alteri Judici cauſam, hæc gratia eſt nulla; & hic tenetur ad expenſas.

C. INTER 4. h.t. Idem Pont. reſcribit, quòd quando Papa in reſcripto mandat de duobus, inquiri disjunctivè ad aſſecutionem certi effectus; ſufficiat alterum probari, ut ſi conſtiterit, eſſe filium ſacerdotis: quia poteſt aliquis eſſe filius ſacerdotis; licèt non fuerit à ſacerdote genitus; ſed antequam ejus pater fieret ſacerdos.

C. SI QUANDO 5. h. t. Idem Pont. mandat, eum ad quem reſcripta diriguntur, teneri reverenter parére, & adimplere injuncta in Reſcriptis: vel rationabilem cauſam adferre, cur non adimpleat.

C. CUM ORDINEM 6. h.t. Idem Pont. declarat, Ciſtercienſes eſſe privilegiatos, adeo ut Reſcripta contra eorum privilegia; ſi de illis non faciant ſpecialem mentionem, non valeant.

C. EAM TE 7. h. t. Idem Pont. mandat, ut litteræ Papæ continentes, quòd ſede vacante capitulum provideat alicui de præbenda. Si aliquis de Capitulo deinde fiat Epiſcopus, is teneatur etiam dare dictam præbendã. Item, quòd non debeat quis dedignari recipere in Canonicum alium natum ex gente Judæorum. Item, quòd in Reſcriptis debeat data conſiderari.

C. AD AURES 8. h.t. LUCIUS III. reſcribit, litteras impetratas ad beneficia eſſe irritas, niſi de impetrantis dignitatibus eccleſiaſticis, quas impetrans habebat, mentionem fecerint. Unde qui

qui præditus dignitate, super minoribus beneficiis litteras impetrat suppresso nomine dignitatis, litteræ sunt nullius valoris.

C. SI AUTEM 9. h. t. Idem Pont. rescribit, quòd qui in Judicio objecerit se litteras priores habere, quarum posteriores ab adversario obtentæ non faciunt mentionem; si eis dolo, vel negligentia usus non est, conveniri possit. Secus si non fuit usus, eò quia non habuerit copiam judicis delegati.

C. AD HÆC. 10. h. t. Idem Pont. declarat, litteras impetratas continentes, quòd omnia negotia, unius Judicis, vel plurium arbitrio, prout impetranti magis placuerit committantur, esse invalidas. Quia per talem commissionem absorberetur jurisdictio ordinarii, quòd fieri non debet argum. can. pervenit 11. quæst. 1. Id autem procedit quando Judices sunt incerti.

C. AD AUDIENTIAM 11. h. t. Idem Pont. declarat, litteris Apostolicis falsam latinitatem continentibus non esse adhibendam fidem. Idque procedit in omnibus litteris, tam gratiæ, quàm justitiæ.

C. EX PARTE 12. h. t. Idem Pont. rescribit, quòd quando impetrantur secundæ litteræ non facta mentione de primis; si primus appellat nulla facta mentione de suis primis litteris de quibus non fit mentio in secundis, transacto anno, primæ litteræ ei ampliùs non prosunt, quia ob dolum, & negligentiam fiunt nullæ: & tenetur ad expensas. Immò impetrans litteras post appellationem, debet mentionem facere de appellatione.

C. SCISCITATUS 13. h. t. CÆLESTINUS III. declarat, quòd si causa ita pluribus committatur, ut si omnes interesse non possint, cæteri exequantur sibi commissam causam; id esse intelligendum, quod non possint interesse ob impotentiam, tam de jure; quàm de facto: dummodo impediti excusationem aliis canonicè insinuent. Qui verò nolunt interesse, non possunt uti excusatione, nisi in Rescripto sit clausula: Si non omnes interfuerint, vel nequiverint, vel noluerint interesse. Juvat adnotare, impedimentum de jure haberi ratione servitutis, vel infamiæ. hinc nec servus, nec infamis, nec aliter legibus impeditus potest esse judex; sed infamis potest esse arbiter. Impedimentum verò de facto haberi ob factum, quòd recèns contigit; ut si morte fuerit quis occupatus; vel alia inevitabili necessitate detentus. Unde impotentia facti est, quando re ipsa aliquid fieri non potest l. suus quoque fin. ff. de hæred. Instit.

C. PASTORALIS 14. h. t. INNOCENTIUS III. rescribit, quòd si unus ex adversariis impetret primas litteras, & alter secundas ad diversos judices, & dubitetur, quæ litteræ prævaleant: tunc omnes illi judices debent id declarare; quòd si partes non conveniant, debent tunc eligere communes arbitros. Item, quòd delegatus; si in litteris non exprimatur causa; & persona per clausulam generalem, habet jurisdictionem in habitu tantùm; non in actu: seu non potest illam exercere. Item, quòd jurisdictio data per generales litteras eneruatur per speciales in bis, quæ specialiter exprimuntur.

C. SEDES APOSTOLICA 15. h. t. Idem Pont. declarat, quod quando in commissionibus exprimuntur minores, & viliores personæ non intelligantur inclusæ majores, & digniores; tametsi habeatur clausula generalis; per quam neque potest conveniri in Judicio effrænata multitudo. Item, qui de levioribus tantùm mentionē faciunt, non sunt audiendi in gravioribus, ex vi ejusdem clausulæ. Item, qui in commissione expressit aliquas personas non ut velit eas convenire; sed ut valeat transire ad pares, vel minores caret omnino impetratis. Hodie per effrænatam multitudinē intelligitur numerus ultra quatuor c. cum in multis 2. h. t. in 6.

C. EX TENORE 16. h. t. Idem Pont. rescribit, eum qui super eodem negotio diversas litteras impetrat ad diversos judices, & ultimæ non revocantur, nec citant primas, perdere commodum commissionis utriusq;: quia fraus, & dolor alicui patrocinari non debent.

C. CUM ADEO 17. h. t. Idem Pont. declarat, quòd in litteris pro beneficio obtinendo debeat semper mentio fieri de alio beneficio, si quod habet ille, qui aliud beneficium impetrat: & debeat semper apponi clausula: Si dignus est: & si non ponatur, debeat intelligi, aliàs litteræ sunt nullius valoris; quia beneficia ecclesiastica non dantur indignis. Item, si impetrans sit clericus debet id exprimere; quòd si clericus non sit, debet se Scholarem dicere. Hinc litteræ possunt ex triplici capite esse subreptitiæ. Primò, si impetrans secundum beneficium reticuit primum, quod antea habuit. Secundò, si non se dixit clericum, vel Canonicum. Tertiò, si non apponatur clausula: Si dignus est.

C. CAUSAM 18. h. t. Idem Pont. declarat, formam rescripti contra Jus cōmune non esse servandam, nisi secundùm Jus Commune; nisi constiterit, Papam aliter voluisse, quòd si aliquid fuerit factum, illud solùm revocatur, quod fuit illegitimè factum. Rursus, si causa principalis, vel incidens committitur, debet legitimè expediri.

C. CONSTITUTUS 19. h. t. Idem Pont. rescribit, quòd litteræ impetratæ, ut quis admittatur in numerum canonicorum, si horum numerus erat certus, juramento firmatus, & à Papa confirmatus, & expletus ante datam, litteræ non valent ob tacitam veritatem. Cæterum si Papa, vel Imperator casset consuetudines, vel Statuta, non intelliguntur ea, quæ juramento sunt firmata, ut docet Afflictus decis. 5. in fin.

C. SUPER LITTERIS 20. h. t. Idem Pon. rescribit, eos, qui per fraudem, vel malitiam litteras impetrant exprimentes falsitatem, vel supprimentes veritatem, nullum ex impetratis fraudulenter litteris, commodum consequi; quia fraus nemini debet patrocinari: & delegatus non debet cognoscere de causa. Sin verò falsitas sit talis, ut si nota fuisset Papæ, adhuc Papa litteras concessisset, tunc Judex delegatus relictâ formâ litterarum debet procedere in causa secundùm ordinem juris. Sin verò Papa cognitâ falsitate litteras non dedisset, tunc Judex nō debet procedere, nisi ad convocandas partes, ut cognoscat de qualitate precum, an aliàs movisset delegantē.

C.

C. EDLCERI 21. h.t. *Idem Pont. declarat, Abbatem teneri respondere in causa monasterii ubi negotia Abbatis, & conventûs non sunt separata; tametsi in rescriptis nulla de conventu mentio fiat. Quòd si in litteris dicatur, remotâ appellatione, Abbas nō pôtest appellarene, molestetur, nisi alia causa occurrat; & nisi Abbatis, & conventûs negotia sint omnino discreta. Possunt tamen bona Abbatis, & Monasterii esse communia utrisque, vel diversa quoad rem, sed non quoad administrationem; quia Abbas administrat utraque bona: vel quoad rem, & administrationem; quia conventus sua bona administrat per se, & idem Abbas sua per se. Textus loquitur de divisione tertii generis, quando excipit bona omnino discreta.*

C. CUM DILECTA 22. h.t. *Idem Pont. declarat, subreptitias litteras non valere. & irritum esse quidquid tentatur; vel irritandum esse. Neque processum inde factum ullius esse valoris: sicut processus per litteras subreptitias factus est irritandus; ita processus contra formam mandati, seu rescripti est ipso facto irritus, & gesta contra formam sunt nulla. Ut si statutum exigat pro forma aliquod praeambulum ante citationem, illo omisso citatio est nulla.*

C. PLERUMQUE 23. h.t. *Idem Pont. declarat, quòd si quis impetrat litteras, & cum habeat copiam Judicum, nihilominus ex malitia, vel negligentia infra annum illis non utitur: secundæ ab adversario impetrata, nullâ facta mentione primarum valeant; & annus incipit currere, ex quo potest habere copiam judici:* c. Liberum 3. quæst. 6. ff. de diverf. temp. præscript. l. attigimus ff. de servit. rustic. præd. *hinc impedimentum agendi subducendum est præscriptione temporis utilis, & est desumendum ex persona actoris, rei, & Judicis; & annus non incipit currere, quandiu aliquis ex his tribus haberi non potest. Sed Judex delegatus tamdiu expectare debet, donec declaret, se non posse cognoscere, nec Judicio interesse.*

C. CUM CONTINGAT 24. h.t. *Idem Pont. rescribit, ut quando ordinarius à delegato primas litteras recipit, si non cognoscit jurisdictionum differentiam inter partes contrarias habentes diversas litteras, debeat tunc exequi primum mandatum: quòd si cognoscat differentiam, ab utroque delegato debeat tunc petere copiam litterarum: quòd si ex tenore evidenter sine hæsitatione cognoscit, primas litteras revocari per secundas, tunc debeat secundas exequi; secus si istæ primas non revocant: Sin verò res sit dubia, non debet procedere donec dubietas sopiatur.*

C. OLIM 25. h.t. *Idem Pont. declarat, quòd quando in litteris plura narrantur diversos respicientia effectus; & ponitur in rescripto clausula:* si ita est: *non sufficit impetranti probare aliquid horum esse verum; sed omnia tenetur probare vera, ut litteræ aliquem habeant effectum. Cæterum qui falsat litteras Judicis, debet privari eo, super quod litigat, licèt non acquiratur jus parti.*

C. DILECTUS 26. h.t. *Idem Pont. ait, rescriptum impetratum super restitutione beneficii, in quo non sit mentio de causa amotionis, vel excommunicationis esse invalidum: quia Pontifex illud non concessisset, si ei privatio, vel excommunicatio innotuisset.*

C. POSTULASTI 27. h.t. *Idem Pont. decernit, Episcopum ordinantem aliquem habentem vicariam perpetuam sufficientem non teneri ei providere; eò quia habeat beneficium. Item Pontifex de levi non scribit pro habente beneficium, ut illi detur aliud beneficium, quin faciat de primo mentionem. Perpetuus vicarius, de quo est sermo in hoc textu est Rector, seu Parochus, qui proinde reputatur beneficiatus.*

C. NONNULLI 28. h.t. *Idem Pont. declarat, neminem per litteras Apostolicas posse trahi ad judicium extra suam Diœcesim ultra duas dietas nisi de consensu partium impetrentur litteræ; vel nisi expressam mentionem fecerint de hac constitutione. Item si quis super aliqua quæstione sine speciali mandato domini, præsumit impetrare litteras Apostolicas, hæ nullum sortiuntur valorem; & impetrans est puniendus, ut falsarius: nisi fortè de illis sit personis, à quibus de jure non debet mandatum exigi.*

C. DILECTUS 29. h.t. HONORIUS III. *rescribit, quòd si duo sint rescripta, unum super causa principali ad unum judicem; & secundum supèr appellatione ad alterum: secundus Judex possit tantùm cognoscere de validitate appellationis, non Judex principalis.*

C. CAPITULUM 30. *Idem Pont. decidit, quòd si duo impetrent litteras Apostolicas pro obtinendo beneficio in eadem ecclesia, sit providendus, qui primò præsentavit capitulo literas, non secundus, qui non fecit mentionem de primis litteris. Tria olim erant litterarum genera, quæ dabantur pro beneficiis. Aliæ erant litteræ monitoriæ, quibus Pontifex hortabatur ordinarium ad beneficium huic, vel illi conferendum. Aliæ præceptoriæ, quibus id præcipiebat. Aliæ executoriæ, quibus dabantur Executores, qui Ordinarios cogerent ad conferenda beneficia juxta mandatum Pontificis.*

C. AD AUDIENTIAM 31. h.t. *Idem Pont. declarat, quòd si quis impetratis litteris super provisione beneficii, loco beneficii acceptet annuas pensiones, vel postea alias impetret, non factâ mentione priorum, debeat carere commodo litterarum, ac revocandum in irritum, si quid illarum prætextu factum fuerit.*

C. IN NOSTRA 32. h.t. GREGORIUS IX. *declarat, impetrantes plures litteras, quarum aliæ de aliis non faciunt mentionem, ut in pluribus ecclesiis admittantur: si in aliqua sint recepti, quamvis nondum beneficium fuerint assecuti, debere contentos esse illâ Ecclesiâ, neque occasione talium litterarum esse admittendos ad aliam ecclesiam: nisi de receptione sua expressam fecerint mentionem. Notat tamen Felinus, quòd receptus in Canonicum sub expectatione præbendæ non dicatur assecutus beneficium ecclesiasticum, donec præbendam re ipsa obtineat.*

C. EX PARTE 33. h. t. Idem Pont. declarat, revocationem Procuratoris dati ad lites debere pervenire ad notitiam Judicis, & Adversarii, ut valida sit contra partem. Rursus Rescriptum, quod Procurator revocatus, & de hoc certificatus, impetravit extra judicium, non valet: sin verò in judicio, & revocatio non innotescat Adversario, vel judici, tunc valet.

C. SIGNIFICANTE 34. h. t. Idem Pont. declarat, litteras impetratas à Papa contra aliquem unius Diœcesis, non valere, si is alterius deprehendatur esse Diœcesis. Quia error nominis Diœcesis regulariter vitiat rescriptum.

C. RODULPHUS 35. h. t. Idem Pont. Rescribit, litteras impetratas à Papa contra aliquos de Diœcesi non comprehendere viros de ipsa civitate Diœcesis. Quia licèt nomine Diœcesis in favorabilibus comprehendatur civitas Episcopalis; non ita in odiosis, ut in casu hujus textus; siquidem odia restringi debent, non ampliari.

C. SIGNIFICAVIT 26. h. t. Idem Pont. declarat, quòd si quis obtineat litteras Apostolicas ad conveniendum aliquem; si conveniendus decedat re integra, non possit successor conveniri. Bene tamen si fuit facta citatio: vel esset contra aliquam dignitatem, ut contra Episcopum talis civitatis; tunc successor potest conveniri.

C. EX INSINUATIONE 37. h. t. Idem Pont. rescribit, litteras executorias facientes mentionem de admonitoriis non valere; nisi admonitoriæ præcesserint: alioquin esse procedendum secundùm formam datam. Est stilus Curiæ, ut priùs exhibeantur litteræ monitoriæ, postea præceptoriæ; dein Executoriæ.

C. MANDATUM 38. h. t. Idem Pont. declarat, quòd si quis mandatum Apostolicum Episcopo exhibeat super provisione sua cum clausula: Si pro alio ibidem non scripsimus, qui hujusmodi gratiam prosequatur Episcopus alio jam beneficium per litteras Apostolicas obtinente, illud exequi non tenetur; quia Papa non intendit esse gravamini Ecclesiæ.

C. LITTERIS APOSTOLICIS 39. h. t. Idem Pont. jubet, ut cum unus Pontifex dat litteras monitorias uni Ecclesiæ; & alter Pontifex dat eidem litteras executorias: primus gravet, non secundus. Ex quo textu liquet, Papam debere prosequi saltem ex urbanitate factum incboatum per suum Prædecessorem c. quia Joannes 12. q. 5. c. illud 16. q. 6. hodie omnis Pontifex recèns creatus revocat omnes gratias factas per prædecessorem, si per eas nondum sit acquisitum jus in re c. fin. de Conc. præb. in 6. Item declarat per litteras monitorias, præceptorias, & executorias non acquiri jus, sed solam implorationem officii, ut recipiatur. Item litteras monitorias non expirare per mortem concedentis, quando, res non est ampliùs omnino integra; sed gratia incboata.

C. ABBATEM 40. h. t. Idem Pont. declarat, quòd quando Papa mandat alicui Abbati, ut provideat clerico de Ecclesia sui monasterii. Si postea scribat Episcopo per litteras generales, ut provideat alteri Clerico, vel faciat, ut provideatur de aliqua ecclesia intra suam Diœcesim, non potest tunc Episcopus præfatum Abbatem cogere ad providendum, quia jam est gravatus. Nota primò, collationem beneficiorum in Diœcesi posse pertinere ad Abbatem: quamvis de jure commni institutio, vel provisio beneficiorum spectet ad Episopum c. omnes Basilicæ 16. q. 3. potest tamen ex consuetudine, præscriptione, vel privilegio convenire prælato inferiori. Nota secundò. Mandatum generale posteriùs impetratum, nō derogare speciali priùs obtento.

C AB EXCOMMUNICATO 41. h. t. Idem Pont. rescribit, quòd si mandetur excommunicatori, ut absolvat excommunicatum asserentem fuisse excommunicationem latam sine forma concilii generalis Later. & similiter mandetur aliis deputatis judicibus, ut Episcopo non obediente mandatum Apostolicum exequantur, si res ita sit, debeant judices id cognoscere; non verò Episcopus. quia hic de proprio suo facto præsumitur esse certus.

C. SI PROPONENTE 42. Idem Pont. declarat, quòd si aliquis proponat, se nondum fuisse beneficium ecclesiasticum assecutum, & non ita sit, sed revera jam obtinuerit beneficium licèt exiguum: rescriptum sit nullum. Qui enim habet beneficium tenetur mentionem de illo facere, alioquin impetratio est nulla.

C. QUIA NONNULLI 43. h. t. Idem Pont. declarat, abutentes literis Apostolicis privari commodo rescripti, & condemnari ad expensas. Hujusmodi abusus sex recensentur. 1. si quis litteras suo nomine impetratas alteri ejusdem nominis tradat. 2. Si quis litteras tali modo recipiat. 3. Si quis trahat ad judicium illos, contra quos nihil habet quæstionis. 4. Si quis litteras ad futuras extendat controversias, quæ tempore impetrati rescripti nondum erant exortæ. 5. Si si quis alium super uno negotio; vel super pluribus personalibus, quæ commodè possunt ab uno tractari, vocet ad diversos judices. 6. Si Actor citet Reum simul ad diversa loca, vel ad aliquem indeterminatè. Hi omnes carent commodis litterarum. Nota cum Panormitano, æquivocationem nominis non vitiare litteras Apostolicas respectu impetrantis.

IN SEXTO.

C. IPSO JURE 1. h. t. GREGORIUS IX. declarat, ipso Jure non valere rescriptum, nec processum vi illius habitum, si ab excommunicato super alio, quàm excommunicationis, vel appellationis articulo fuerit impetratum. Nota, excomunicatum regulariter non posse impetrare Rescriptum delegatorium contra suos debitores.

C. CUM MULTIS 2. h. t. INNOCENTIUS IV. statuit, ut per illam clausulam quidam alii v. c. citentur, quæ frequenter in litteris Apostolicis inseritur, non intelligantur ultra tres, vel quatuor, quos impetrans in actis, vel in primo citatorio debet omnes nominare; alioquin citatio est nulla.

C. DISPENDIA 3. h. t. Idem Pont. in Concilio Generali Lugdunensi ampliat statutum GREGORII IX. Ut si quis plures actiones contra alium voluerit movere, non impetret litteras ad diversos Judices, nec ad eosdem: secus litteræ nullum sortiuntur valorem, & im-

impetrans, seu Actor condemnatur ad expensas
legitimas. Reus itidem si contra Actorem impe-
trat litteras de reconventione in eodem judicio;
vel de conventione ad eosdem Judices debet eas
impetrare sub eadem pœna ; nisi eos, ut suspe-
ctos recuset. Nota hoc decretum valere in
personalibus, non in realibus.

C. *CUM ALIQUIBUS 4. h.t. BONIFACIUS*
VIII. declarat, quòd si concedatur facultas
aliquem recipiendi in Canonicum, cum hac
clausula: Non obstantibus privilegiis, con-
suetudinibus, vel statutis, juramento, con-
firmatione Apostolica, vel quacunque firmi-
tate aliâ roboratis *is qui recipitur authoritate*
Apostolica dignoscitur esse receptus; nisi canoni-
corum receptio alias pertineat ad eosdem, ad
quos littera diriguntur: quia tunc non Aposto-
lica, sed recipientis authoritate censetur re-
ceptus. Nota quòd quando duo sunt recepti
in canonicos, unus prior authoritate Ordinarii,
& alius posterior authoritate Papæ, quibus sit
providendum de præbenda primò vacatura,
præfertur provisus à Papa.

C. *SI GRATIOSE 5. h.t. Idem Pont. declarat,*
quòd si Pontifex alicui concedat, ut beneficia
priora canonicè obtenta post novam promotio-
nem retineat cum hac clausula: Usque ad be-
neplacitum concedentis *tunc gratia expiret*
per obitum concedentis. Secus si concedat
cum clausula: Usque ad beneplacitum sedis
Apostolicæ: *quia cum sedes ipsa non moriatur,*
gratia perpetuò durat, nisi à successore ex-
pressè revocetur. Nota quòd si dicatur ad
beneplacitum summi Pontificis, perinde est, ac
si dicatur ad beneplacitum sedis Apostolicæ, quia
potiùs tunc designatur dignitas, quam persona.
Franc. hic n. 7. *quòd si Papa exprimat nomen*
in sua creatione assumptum, tunc denotat per-
sonam, non dignitatem.

C. *SUSCEPTUM 6. h.t. Idem Pont. rescri-*
bit, ei, cui mandatur provideri de beneficio
vacante per resignationem, non posse provideri
de beneficio vacante per mortem. Item si duo
proponant, idem beneficium vacare, unus per
obitum, alter per cessionem; quod verum erat;
debeat posterior præferri. Nota, gratias ad
beneficia esse odiosas, ac propterea restringen-
das, & appellatione unius non venire aliud:
& in litteris verba esse propriè, & strictè intel-
ligenda.

C. *GRATIA 7. h.t. Idem Pont. declarat, gra-*
tiam non esse vitiosam censendam; quamvis
impetrans de alio beneficio sibi absenti & igno-
ranti collato tacuerit. Quòd si beneficia sint
incompatibilia, debet tunc alterutrum dimit-
tere. Quod dicitur de ignorante, procedit
etiam de sciente, antequam acceptet, vel ra-
tam habeat collationem, quia beneficium non
est suum; sed verior sententia est, debere men-
tionem facere de tali beneficio. Rursus quam-
vis ignorantia probabilis excuset à susceptione,
non tamen dispensat contra canonem c. de mul-
ta de præbend.

C. *QUAMVIS 8. h.t. Idem Pont. declarat,*
quòd post gratiam revocatam restitutus ad
eandem non præfertur illi; cui post revocatio-
nem & ante restitutionem alterius in eadem
Ecclesia, est gratia facta. Nota, quando plures
impetrant similes gratias, is præferendus
est, qui est prior in data. Quia prin-
ceps nunquam præsumitur velle alteri tollere
jus quæsitum, quamvis rescribat in materia,
in qua per solam voluntatem possit jus alteri
auferre; ut Pontifex in materia beneficiali.
Hodie tamen hujusmodi mandata de provi-
dendo de beneficiis vacaturis sunt sublata per
Concil. Trid. sess. 24. c. 9.

C. *SI EO 9. h.t. Idem Pont. declarat, quòd*
si dentur alicui litteræ, ut provideatur de be-
neficio cum cura, vel sine cura, & tempore
datæ non habet ætatem pro cura: si deinde per-
venit ad ætatem, non potest provideri de cura-
to, quia attenditur tempus datæ. Quia ex
Regula universali; in omni provisione subin-
telligitur semper clausula: Si impetrans est
idoneus. *Potest tamen provideri de beneficio*
sine cura; quia tempore datæ erat idoneus. Et
litteræ Apostolicæ valere possunt pro una parte
licèt non valeant pro alia: quia utile per inuti-
le non vitiatur.

C. *SI PROPTER 10. h.t. Idem Pont. statuit,*
quòd si Papa concedat Episcopo propter pauper-
tatem fructus primi anni beneficiorum vacan-
tium, quamvis apponat clausulam: Non ob-
stante consuetudine, privilegio, vel statuto,
per quod concessio impediri posset: *tamen non*
intendit derogare speciali statuto, privilegio, vel
consuetudini.

C. *STATUTUM 11. h.t. Idem Pont. statuit, ut cau-*
sæ litterarum Apostolicarum committantur ha-
bentibus dignitatem, personatum vel canonica-
tum in cathedrali; vel in locis insignioribus. Epi-
scopi tamen non tenentur hac decretali, quia
possunt vices suas simplici Clerico committere.

C. *TIBI QUI 12. h.t. Idem Pont. declarat, priùs*
impetrantem admitti in canonicum, & præ-
bendam primò vacaturam, esse præferendum se-
cundo impetranti: licèt secundus priùs præsen-
taverit, ac fuerit receptus in Canonicum: dum-
modo antequam vacet præbenda prior præsentet;
quia erat prior in data.

C. *SI PROTE 13. h.t. Idem Pont. declarat quòd*
si primus provideatur sub conditione si assentia-
tur *Episcopus; & secundus simpliciter impetret;*
si ante adimpletam conditionem primi, secun-
dus obtineat canonicatum, debeat secundus
præferri primo in assecutione præbendæ: licèt
interim conditio primi fuerit adimpleta. Quia
mandatum conditionale ante adimpletam con-
ditionem consensum non habet; neque vim.

C. *DUOBUS 14. h.t. Idem Pont. declarat, quòd*
si duo, vel plures in eadem ecclesia beneficium
per litteras Apostolicas impetrent, neque appa-
reat, quis primò impetrârit, jus potentius sit
præferendum: & si non appareat, quod jus sit
potentius, præfertur is, qui primò litteras præ-
sentat; quòd si in præsentatione etiam concur-
rant: hi tunc ad quos pertinet collatio, quem
maluerint, eligere possunt; & alter debet ca-
rere impetratis, nisi de mente Papæ appareat,
quòd utrique voluerit providere. Nota hæc
mandata hodie non esse ampliùs in usu.

C. *QUIA PER AMBITIOSAM 15. h. t. Idem Pont. revocat omnes perpetuas indulgentias, ut absentes percipiant fructus, exceptis quotidianis distributionibus, si non sint concesse ecclesiis, vel dignitatibus, sed personis; & judicat in futurum non esse concedendas. Nota, perpetuas indulgentias, eas etiam dici, quæ conceduntur ad dies vitæ, vel quarum terminus est incertus.*

IN SEPTIMO.

C. *OMNES PERSONÆ 1. h. t. INNOCENTIUS VIII. varias pœnas imponit contra impedientes executionem Rescriptorum, & mandatorum Apostolicorum.*

C. *LICET 2. h. t. LEO X. declarat, statuta, & ordinationes, quæ fiunt in injuriam executionis rescriptorum, & litterarum Apostolicarum nullius esse vigoris.*

C. *RESCRIPTORUM 3. h. t. CLEMENS VII. anathemate percutit omnes personas, quæ directè, vel indirectè, aut quovis quæsito colore auxilium, consilium, favorem præstare præsumpserint impedientibus executionem Rescriptorum, & litterarum Apostolicarum: ut etiam excommunicat ipsos impedientes; & interdicit loca, quorum consensu, favore, conatu litteræ, & rescripta Apostolica manent sine executione. Hoc diploma legitur Romæ singulis annis die cœnæ domini; & excommunicantur impedientes executionem litterarum Apostolicarum, & aliarum expeditionum.*

C. *AD ROMANI 4. h. t. GREGORIUS XIII. declarat, decretum concilii Tridentini de cognoscendis causis coram ordinariis locorum, non obesse Apostolicis Rescriptis.*

IN CLEMENTINIS.

C. *ABBATES 1. h. t. CLEMENS V. ad tollendas fraudes* contra c. statutum 11. in 6. h. t. *statuit, ut Abbates, & Præsidentes alieni administrationi non possint auctoritate litterarum Apostolicarum, vel legati convenire reos sibi subditos occasione beneficiorum, nisi ubi, & coram quibus sunt subditi immediatè: vel nisi ubi convenirent, si illis competeret specialis administratio talium beneficiorum, tametsi beneficia illa sint de mensa Abbatis; secus præsumentes condemnantur in expensas, & processus est nullus.*

C. *ETSI PRINCIPALIS 2. h. t. Idem Pont. quia in c. statutum 11. h. t. in 6. causæ erant delegandæ existentibus in dignitate, personatu, vel canonicatu, nunc dicit quòd possint etiam comitti principali officiali Episcopi, & Priori conventuali; non verò officiali foraneo Episcopi, seu constituto in certa parte ecclesiæ, vel ad certos actus: nec Priori claustrali sui Monasterii. Nisi expressè nominentur à Papa. Causæ Vicario generali non possunt delegari, quia non est Officialis.*

C. *AUDITOR 3. h. t. Idem Pont. declarat; quòd si duo litigent de beneficio in Curia Romana, si à Papa in eadem Curia Romana deputetur Auditor super hanc litem, tunc si Auditor pronunciat, beneficium deberi uni, possit eidem conferri beneficium. Secus esset si Auditor daretur extra curiam; vel ab alio, quàm à Papa, ut à Legato.*

C. *GRATIÆ 4. h. t. declarat, Pontifex, quòd si quis impetravit mandatum ad obtinendum beneficium curatum; & priùs quàm gratia habeat effectum obtineat pacificè aliud beneficium incompatibile cum præmisso; non possit ampliùs uti gratiâ, tametsi renunciet beneficio obtento. Quia gratia semel perempta non reviviscit, quamvis revertatur in pristinum statum.*

C. *LITTERAS 5. ET ULT. h. t. Idem Pont. declarat, gratiam concessam pro beneficio primò vacaturo, non extendi ad beneficium, quod erigitur post datam. Id tamen non procedit in beneficio tempore datæ suppresso, & deinde renovato.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid sit Rescriptum, quæ ad ipsum Requirantur, & an habeat vim legis.

1 Rescriptum non dicitur, quasi iterum scribatur, sed est responsum in scriptis datum à Principe, quod per antonomasiam dicitur rescriptum; qua nomenclatione vocantur Imperatorum responsa ad dubia juris à subditis proposita *l. 1. §. 1. de appellat. & l. 1. in princ. quando appellan. sit.* unde rescriptum est illud responsum, quod datur in scriptis à Pontifice, vel Principe supplicanti, aut consulenti, *d. l. 1. §. 2. de appellat.* Eduntur autem constitutiones Principis per edictum, vel epistolam, vel sententiam *l. 1. De constit. Princ. §. sed et quod principi instit. de jur. naturæ, gentium, & civil.* Unde constitutiones, quæ per epistolas præsertim responsorias conduntur ex usu dicuntur rescripta. Hinc Pontifex post titulum de constitutionibus recta methodo procedit ad rescriptum, quod nihil aliud in genere est, quàm specialis constitutio per epistolam tradita, quâ Princeps respondet supplicanti, & consulenti in dubiis juris.

2 Hinc definitur rescriptum à Rebuffo *tractat. de rescript. n. 5.* concessio Principis legitimè facta per litteras authenticas ad instantiam suppli-

supplicantis, aut consulentis, sive sit secundùm jus, ut si mandetur à Principe, ut fiat jus *c. licèt 12. inf. de Offic. ordin. juxta tex. in c. præmium. h. t.* Sive quòd aliquid concedatur contra jus, ut quando princeps mandat, ut per sententiam jam condemnatus adhuc audiatur; & licèt rescriptum contra jus non habeat vigorem; benè tamen quando Princeps per rescriptum derogat juri, ut in *l. fin. C. si contra jus :* quando autem Princeps mandat, ut jam per sententiam condemnatus, audiatur, per suum rescriptum derogat juri, & rescriptum principis suam habet efficaciam. Est igitur rescriptum propriè concessio, quia petitio, seu supplicatio non est rescriptum, sed præsupponitur ad rescriptum, & est ratio cur Princeps moveatur ad edendum rescriptum, ut satisfaciat supplicanti, aut consulenti, adeò aut consulens, aut supplicans dicatur impetrare rescriptum, quando illi conceditur *c. cæterum 3. in verb. impetraverit litteras h. t.*

3 Debet hæc concessio fieri per litteras, nam si solo verbo concessio facta fuerit, non est rescriptum, donec concessio litteris expeditis fuerit scripta, adeò ut rescriptum propriè dicatur contineri in litteris expeditis, quia illæ propriè dicuntur rescripta, si fuerint authenticæ, quia aliàs non essent rescripta *c. 1. & 2. inf. de fide instrum.* Rursus debet hæc concessio non solùm authenticè contineri in litteris expeditis, sed etiam debet esse legitimè facta, alioquin si subreptitiè, vel obreptitiè impetraretur, nullius esset valoris.

4 Debet hæc concessio fieri à Principe, vel ab eo, qui habet authoritatem rescribendi; cujusmodi est summus Pontifex *in h. t. & aliis juribus* : & ejus rescripta diversas sortiuntur nomenclaturas, vocantur enim *vel litteræ apostolicæ, vel rescripta apostolica :* ut etiam rescripta Imperatoris vocantur *divinæ jussiones, sacri affatus, sacra oracula, sacræ formæ, imperiales concessiones, sacræ litteræ.* Omnia hæc nomina reincidunt in idem, & significant rescriptum, quod supplicanti, aut consulenti Princeps concedit. Præter summum Pontificem, & Imperatorem possunt etiam rescribere omnes alii Principes, non recognoscentes in temporalibus superiorem in suis propriis Provinciis, quia habent supremam jurisdictionem in suos subditos. Potest etiam rescribere Cancellaria sive Papæ *c. ad hæc 10. h. t.* sive Imperatoris, vel Regis, in illa Provincia ubi constituta est, dummodo plures cancellariæ non se mutuò impediant. Demùm omnes qui possunt constitutiones condere; & habent jurisdictionem, possunt etiam rescripta concedere, ac instituere, ut notat Hostiensis in *summa hujus tit. 5. §. quis possit.*

5 Differunt rescripta à Privilegiis, & mandatis; quia *rescriptum*, propriè est ad juris observantiam : siquidem per rescriptum præscribitur forma judicandi causam secundùm jus, seu procedendi secundùm leges justitiæ : secus *privilegium* est contra jus, quatenus princeps per *privilegium* eximit eum, cui conceditur ab aliquo onere, vel observantia legis. *Mandatum* est, quò princeps jubet, alicui provideri de beneficio, vel præbenda, ut explicat Rebuffus *in praxi beneficiorum Tit. differentiæ inter privilegium, rescriptum, & mandatum*: verùm quia hæc distinctio inter rescriptum, privilegium, & mandatum non est magni momenti; solent canonistæ rescriptorum appellatione illa tria comprehendere, præsertim cùm reducantur ad rescripta justitiæ, vel gratiæ. Ex rescriptis enim alia sunt ad lites, quæ dantur, vel ad jus explicandum, vel ad jus dicendum inter partes, & hæc vocantur rescripta justitiæ, quatenus Princeps per hæc rescripta intendit, ut, cui conceditur rescriptum, consequatur suum jus : alia dicuntur rescripta ad beneficia, & hæc impetrantur à Principe pro consecutione alicujus beneficii, & dicuntur rescripta gratiæ; eò quia gratia fiat petenti; hujus generis sunt rescripta beneficialia, quæ conceduntur ad collationes, resignationes, aut alias dispositiones faciendas circa beneficia Ecclesiastica.

Quodlibet rescriptum tribus debet partibus constare, *narratione, supplicatione, & conclusione.* Duæ priores partes se tenent ex parte supplicantis, ad quem pertinet narrare, & Principi supplicare : concedere pertinet ad Principem rescribentem, & hæc tertia pars quatenus scribitur in litteris authenticis dicitur rescriptum. Rescripta Pontificia solent ad ordinarios locorum dirigi, si sint rescripta gratiæ: & hæc rescripta, quamvis non semper expresè; semper tamen tacitè annexam habent clausulam, *si preces veritate nitantur c. 2. h. t.* sin verò fuerint rescripta justitiæ diriguntur ad ipsos judices delegatos, ut cognoscant super veritate narratorum. Rescripta cæsarea de jure communi non aliter valent, quàm si præfatam clausulam expressam habeant *l. fin. C. de divers. rescript.* 6

Rursus narratio pertinens ad rescripta, alia est rescribentis, seu principis, & alia supplicantis. Quæ narrantur in rescriptis à summo Pontifice non inducunt probationem, si super iis non fundetur ejus intentio : plerùmque obiter tantùm adjiciuntur aliqua, propter quæ Pontifex non concederet rescriptum; ut si Pontifex in rescripto honorificè tractet supplicantem, & aliquam ejus exprimat dignitatem, titulum, vel Officium; non tamen ex vi rescripti, qui supplicavit Pontifici, vel Principi acquirit jus in illa dignitate, vel Officio, quia hæc tantùm obiter, & incidenter ponuntur in rescripto, nec Pontifex, vel Princeps intendunt illa approbare, nec quidquam novi juris circa illa tribuere supplicanti *Clement. si summus de sent. excommunic.* Sin autem super narratis fundetur intentio Principis rescribentis, tunc vel rescribens de iis narrat, quorum habet scientiam propriam : vel de facto alieno, motu tamen proprio : vel de facto alieno ad instantiam supplicantis : si priori modo rescribens narrat de facto proprio, vel alieno secum gesto, vel de facto sui antecessoris, vel de jure quod est in ejus pote- 7

state, tunc quæ narrantur in rescripto, alia non indigent probatione, imò neque regulariter admittunt probationem in contrarium, ob summam narrantis authoritatem; si tamen præsumptio non impugnet narrationem, quia tunc datur locus probationi; ut si Pontifex beneficium conferat, quod narrat, vacare per resignationem sibi factam, non est prohibitum Petro probare hoc beneficium ad se, non ad resignantem pertinere, quia beneficium collatum à Pontifice, fundatur in præsumptione, quod vacaverit per resignationem, quòd si Pontifex fuisset certus de contrario beneficium non contulisset.

8 Sin verò summus Pontifex vel alius rescribens narrat motu proprio de facto alieno, tunc conceditur probatio in contrarium, & onus probandi incumbit illi, qui tale rescriptum intendit impugnare, quia tunc narratio rescribentis inducit tantùm fidem præsumptivè: siquidem pro impetrante est præsumptio ex authoritate narrantis Gloss. *Clem. unica in verf. fecisse narramus de probat.* quòd si narratio rescribentis procedit ad præviam suggestionem supplicantis, tunc nihil ex se probat, sed narratio semper est probanda ab ipso supplicante: quia tunc non censetur rescribens narrationem illam posuisse, ut propriam, sed ut insinuatam à supplicante, ad quem propterea pertinet illam probare; & dici melius posset narrativa supplicantis, quàm rescribentis.

9 Dantur tamen plura rescripta, in quibus narratio probatione non indiget, ut si supplicans narraverit se idoneum esse ad beneficium, & illud impetraverit cum clausula *si idoneus fuerit.* Tunc enim nisi in contrarium aliquid ostendatur præsumitur idoneus *c. dudum fin. de præsumpt.* quod verum est de idoneitate intrinseca, sita in dispositione animi, non ita si beneficium collatum exigeret, vel gradum doctoratûs, circa quem necessaria esset probatio, vel quid aliud extrinsecum. Rursus si supplicans duo narraret, nimirum eum, qui beneficium petit esse illegitimum, & beneficium ipsum violenter occupasse; & Pontifex utramque narrationis partem sub alternatione repeteret, hoc est, si verum sit quòd possessor sit illegitimus, vel beneficium violenter occupaverit, tunc sufficeret per impetrantem, alterutrum probare, licèt supponeretur in probatione alterius defecisse *c. inter cæteros. 4. h. t.* dantur plures aliæ narrationes, quæ alia non indigent probatione.

10 An verò rescriptum Pontificium perpetuum sit, vel temporale, in plerisque casibus solet dubitari, qua propter dantur aliquot regulæ, quibus dignoscitur, quando rescriptum est perpetuum, vel temporale. Si enim rescriptum concedatur dignitati est perpetuum, præsertim si sit super re, vel negotio habente causam perpetuò duraturam Oldr. *conf. si quod est 334. in pri. v. ad 1.* Hinc gratia concessa per rescriptum dignitati non solùm convenit perpetuò habenti dignitatem, sed etiam transit ad successores constituendos in eadem dignitate: quia tunc gratia contenta in rescripto censetur facta dignitati, non verò personæ habenti talem dignitatem: & quia dignitas est perpetuò duratura, ita etiam gratia eidem adnexa. Quòd si quæras, quomodo dignosci possit, quando rescriptum sit in favorem dignitatis, & quando personæ? Respondetur: quòd si rescriptum dirigatur dignitati, ut Præposito, Decano talis Ecclesiæ, tunc censetur concessum dignitati Fed. *de sen. conf. 20. n. 4.* secùs si in rescripto præmittatur nomen personæ, ut Petro de Leliis canonico, vel Decano talis Ecclesiæ, tunc gratia contenta in rescripto censetur facta soli personæ, ac exspirare cum eadem persona.

Rescriptum, vel privilegium concessum Episcopo alicujus Ecclesiæ; si talis Episcopatus erigatur in Archiepiscopatum non propterea cessat privilegium concessum tali Episcopo, quia dignitas illa Episcopalis est eadem, licèt aucta fuerit, Oldrad. *Conf. 339.* Rescriptum itidem ad judicia durat perpetuò durante vita concedentis etiam re integra. Si tamen rescriptum fuerit subreptitium, gratia in eo concessa est nulla, & non valet processus executoris, quia jurisdictio accessoria exspirat cùm primùm annullatur gratia. 11

Superest inquirendum, an rescripta Principum habeant vim legis obligantis. Sunt enim rescripta directè in favorem supplicantium, vel consulentium, qui ea à principe impetrant, ordinata. Unde oritur dubium, an possint habere vim legis, cùm non fuerint directa ad totam communitatem; cum sit de ratione legis ut condatur pro omnibus: nihilominus certum est, rescripta Principum, quamvis directa ad personas particulares, etiam in consequentiam jus commune inducere, eò quia Princeps super dubio aliquo juris à privatis consultus suam sententiam dixerit; adeò ut rescripta Principum etiam directa ad particulares supplicantes induant vim legis, id enim desumitur ex *c. 1. dist. 19. & ex c. sancta Romana dist. 15. & ex l. 1. ff. de constit. princ.* Ratio est, quia hujusmodi rescripta, seu responsa ad casus particulares, sunt ordinativa communitatis, & ut directiva ejusdem emanant à Principe: sunt enim hæc rescripta, veluti regulæ, quas principes volunt servari in talibus casibus cum iisdem circumstantiis; ergo ita hæc rescripta sunt in favorem privatorum, ut etiam ordinentur ad totam communitatem, consequenter induunt rationem legis: quia ita sunt pro casu particulari, ut contineant rationem universalem, sequè extendant ad totam communitatem: hinc ex iisdem rescriptis constant ferè omnes decretales Pontificis, & Codex Justinianeus saltem ex majori parte. 12

Verùm ut induant rationem legis, debent provenire ex voluntate Principis, tanquam à regula communitatis; proinde indigent promulgatione, ut notat. Decius *in Rubric. de rescript. n. 7.* quia, ut rescripta habeant rationem legis necesse est, participent condi- 13

tio-

tiones ejusdem, proinde debent provenire à voluntate Principis, tanquam à regula publica. Epistolæ tamen Decretales Pontificum habent rationem legis, tametsi non sint insertæ in corpore juris: sunt enim Epistolæ Decretales, quibus Pontifices respondebant ad diversas instantias, in dubiis juris, & circa ea, quæ servanda, vel vitanda erant: scribebantur hæ decretales, ut essent regulæ eorum, quæ concernunt communitatem: ergo tametsi non inserantur in corpore juris, adhuc habent vim legis, cùm contineant actum potestatis legislativæ, & emanârint à communi regula, cui tenentur populi conformari.

14 Neque obstat, si dicas: plura rescripta, ac litteras decretales non innotuisse omnibus per promulgationem, proinde non posse vim legis obligatoriæ induere, quia lex non obligat, nisi fuerit promulgata. Contra est, nam sufficit, si rescripta pontificia sint publicè exposita, & constet ex iisdem esse mentem Pontificis, ut serventur, per hæc enim duo censentur sufficienter rescripta Pontificia promulgari. Atqui certum est, talia rescripta esse publicè exposita, & constat mentem Pontificis esse, ut serventur: ergo induunt vim legis obligatoriæ. Si dicas, à lege Principis non dari appellationem *l. 1. ff. à quibus appellari non licet*, & à rescripto principis dari appellationem *c. signifi. de rescript.* proinde rescripta non induere vim legis. Contra est quia à rescripto non appellatur, quatenus est rescriptum, sed tantùm ut fundatur in falsa informatione *l. 1. de appellat.*

§. II.

De Rescriptis, gratiæ, justitiæ, & mixtis.

1 Solemnis est partitio rescriptorum in rescripta justitiæ, & gratiæ, ad quæ videntur reduci etiam privilegia, & mandata Principum: vel enim rescripta dantur ad lites dirimendas, seu ad jus explicandum, vel dicendum inter partes, & tunc vocantur rescripta justitiæ, quia in iis agitur, ut quisque suum jus consequatur: alia sunt rescripta ad beneficia, quæ impetrantur à Principe pro aliquo beneficio obtinendo, & hæc dicuntur rescripta gratiæ, eò quia contineant gratiam concessam supplicanti. Rescripta justitiæ, de quibus fit mentio *in l. legibus C. si contra jus, vel utilit. publ.* sunt quando Pontifex super aliquo dubio juris consultus illud explicat, & ostendit, quid judex in judicando sequi debeat *c. ex parte 12. c. sedes 15. h. t.* vel quando causâ ad se devolutâ delegat judicem aliquem *c. 1. c. non nulli 28. h. t.* vocantur rescripta justitiæ, eò quia pertineant ad justitiæ administrationem. Tum quia continent justam causam; ratione cujus debeant à Principe concedi, adeò ut debeantur potiùs ex justitia, quàm ex gratia: & licèt hæc rescripta dicantur dari præter jus, quatenus dantur in casibus à jure non decisis; magis tamen propriè dicuntur rescripta secundùm jus, quia dantur ad juris veram interpretationem, ac executionem faciendam secundùm æquitatem.

Rescripta gratiæ talem sortiuntur nomenclaturam, quia conceduntur ex mera liberalitate Principis ad instantiam supplicantis, cujusmodi est rescriptum, quo Pontifex mandat alicui provideri de beneficio Ecclesiastico *c. mandatum 38. c. Abbate 40. h. t.* unde rescripta Pontificum sunt, vel ad lites dirimendas, vel ad beneficia conferenda. In dubio, an rescriptum sit gratiæ, vel justitiæ præsumitur justitiam continere, & non gratiam, & onus probandi illi incumbit, qui asserit, rescriptum esse gratiosum Gem. *conf. 65. col. penult. n. 23. v. in contrarium videtur.* idque vel maximè verum est, quando pars narravit sententias latas per favores, petitque restitui in integrum: quia talis restitutio præsumitur ex justitia concessa, non ex aliquo favore, aut gratia. Ut autem cognoscatur quando rescriptum est justitiæ, perpendenda est ejus narratio: quia si in eo contineatur narratio respiciens justitiam, vel dicatur quòd adversarii indebitè, & injustè contradicunt, tunc rescriptum est justitiæ, non gratiæ, Calderin. *Conf. 38.* Ex clausulis rescribentis etiam conjicitur si rescriptum sit justitiæ, si enim rescribens adjiceret hanc clausulam: honesta supplicatio sit voti compos, vel alia æquivalens, conjicitur esse rescriptum justitiæ. Datur etiam rescriptum mixtum, quod continet gratiam, & justitiam simul, ut si in rescripto mandetur executori, ut conferat beneficium, in hoc est gratiosum, & si in eodem rescripto datur jurisdictio compellendi, sapit justitiam, & rescriptum dicitur mixtum Gemin, *Conf. 65. Col. penult. v. ego puto. n. 24.*

Ad hæc tria rescriptorum genera reducuntur cæteræ principum concessiones: privilegia enim, quæ sunt dispensationes, ut cùm alicui plura beneficia incompatibilia conceduntur, cùm versentur circa gratiam; reducuntur ad rescriptum gratiæ: mandata itidem comprehenduntur intra idem genus: Siquidem dupliciter rescriptum gratiæ contingit, primò per litteras, quibus alicui tribuitur jus ad beneficium vacaturum; & hæc concessio vocatur *gratia expectativa*: secundò per litteras, quibus mandatur Ordinario, vel alicui alteri executori, ut de beneficio vacante provideatur Clericus, in cujus favorem scribitur, & hujusmodi litteræ propriè vocantur mandata; de quibus plura habet Menoch *de arbit. cas. 201.* 4

Cæterum omnia principum rescripta fundantur in voluntate conditionata, sive explicitè, sive implicitè rescribentium, nimirùm *si preces veritate nitantur.* Hæc enim conditio, tametsi in rescriptis Pontificiis expressè non apponatur, semper tamen subintelligitur *c. in parte. c. olim. h. t.* & id etiam declaravit Rota in *Burgiensi canonicatus* 19. Januarii 1590. coram Cardin. Pamphil. apud Marc. 5

Marc. de *commiss. par. 2.* adeò ut concessiones Pontificiæ censeantur Subreptitiæ, & nullius valoris defectu voluntatis rescribentis, si non exponatur veritas. Id autem non habet locum in concessionibus privatis, eò quia jus de ipsis nihil decernat.

5 Hinc si quis insistat apud Parochum pro impetranda licentia, ut aliquis sacerdos loco ipsius intersit, & assistat matrimonio contrahendo, eò quia nolint contrahentes manifestari apud Parochum, timentes, ne parochus cognitis personis sit licentiam negaturus; ac propterea nuptias contracturi, studiò reticeant nomina, & cognomina propria, solùmque exponant matrimonium esse contrahendum inter quandam ipsius Parochianam, & quendam virum militem; & Parochus licentiam concedat, quam si qualitas personarum illi innotuisset, non concessisset; in hoc casu putàrim, concessionem impetratam à parocho suum sortiri valorem, & effectum, ut censet Barbosa de *potestate Episc. alleg. 32. n. 133. & de paroch. c. 21. n. 7. &* cum ipso Trullenc. *de jure parochi c. 8. n. 5.* quia voluntas, quâ sacerdoti conceditur licentia assistendi matrimonio ineundo inter parochianam, & militem est absolutè efficax; & voluntas, quâ supponitur non concessisse licentiam, si qualitas contrahentium illi innotuisset, est interpretativa, & conditionalis, quæ defacto non existit, sed tantùm existeret, si parocho innotescerent personæ. Quando verò, cum voluntate absoluta concurrit conditionalis, illa prævalet, & hæc deperdit suam vim, quia absoluta, utpote efficax sortitur suum effectum, quia transfert facultatem assistendi simplici sacerdoti, & voluntas conditionalis non negat dictam facultatem, quia cùm non existat nihil ponit in esse *l. si quis sub conditione dandorum ff. si quis omiss. caus. test. & c. si pro te de rescript. in 6.*

6 Quòd si dicas, voluntatem interpretativam tollere absolutam, quando hæc oritur ex dolo ob reticentiam alicujus, quod impediret voluntatem absolutam. Contra est, quia id tantùm valet, quando voluntas concedentis non est absoluta, sed tantùm conditionata, & habet pro fundamento clausulam illam conditionalem *si preces veritate nitantur*; quia conditio semper præsupponitur inesse rescriptis, & concessionibus *l. fin. C. divers. rescript. & c. ex parte 1. de rescript.* Quapropter rescripta Pontificia censentur subreptitia, & nulla, si non exponatur veritas: in concessionibus autem privatis id non valet, quia jus de ipsis hoc non decernit. Nec vitiatur privata concessio, quando id reticetur, quod expressum impediret concessionem. Nam licèt hoc verum sit de rescriptis, & concessionibus principum, eò quia jura ita disponunt: non ita verificatur de concessionibus privatis, quia ex natura rei taciturnitas solùm potest vitiare concessionem, quando versatur circa causam finalem, non ita quando reticentur qualitates extrinsecæ dispensationis, ut notat Suarez *Tom. 2. de relig. lib. 6. de voto c. ult. n. 11* quia cùm tunc concedens versetur in errore circa causam finalem censetur deficere in ipso consensu *l. si per errorem. ff. de jurisdict. omn. Judic.* Tiraquell. *tract. cessante causa limit. 1.* in præsato autem casu non reticetur quidquam concernens causam finalem, aut qualitates intrinsecas dispensationis; sed tantùm omittuntur qualitates extrinsecæ.

7 Neque obstat, si dicas, concessionem, tunc esse subreptitionem, quando reticetur aliquid, quo expresso non fieret: ergo concessio facta à parocho habetur pro subreptitia: eò quia, in illa non exprimatur id, quo expresso licentiã parochus non concessisset. Tum quia dispensitio concessa cum taciturnitate qualitatũ, quæ si innotuissent parocho, eam non concessisset, est nulla *c. quia circa de consanguinit.* Tum quia nil est fortius ad irritandas concessiones, quàm defectus consensûs oriens ex aliquo errore *l. si per errorem ff. de jurisdict. omn. Judic.*

Nam contra est, quia tunc tantùm concessio censetur subreptitia, quando in narratione non exprimitur id, quod concernit causam finalem; vel esse intrinsecum concessionis, aut ejus objectum: quia tunc concessio non se extendit ad objectum taliter qualificatum, nec prout stat sub tali fine; ideòque concessio censetur involuntaria, & nulla: non ita si taciturnitas fit de iis, quæ reddunt objectum concessionis ignoratum. De jure concessio ex taciturnitate tunc tantùm est subreptitia, quando ea tacentur, quæ de jure, vel de stylo curiæ erant explicanda.

8 Ad id, quod addebatur de consensu orto ex errore. Respondetur, tunc talem consensum deficere, ac reddere concessionem nullam, quando error versatur circa substantiam concessionis, vel ejus causam finalem, quia tunc illam etiam reddit involuntariam. Secus quando error versatur circa qualitates accidentales, quæ extrinsecus adveniunt concessioni, inter quas recensetur etiam causa impulsiva; tunc non redditur concessio involuntaria, quia adhuc supponitur debitus consensus, quia non ignoratur substantia actûs, neque ejus finis. Quapropter error non reddit concessionem involuntariam; quia non impedit consensum circa substantiam, & finem, sed tantùm circa accidentalia, quæ ignorantur. Licèt id verùm sit de concessionibus emanatis à personis privatis, non tamen valet de rescriptis concessis à summo Pontifice, vel alio Principe, quia jura aliter decernunt, & voluntas Principis rescribentis semper habet pro fundamento conditionem *si preces veritate nitantur l. fin. C. de divers. rescript.*

9 Quamobrem in omnibus rescriptis Principum facienda est mentio eorum, quæ movere Pontificem, vel alium Principem possunt ad rescribendum, vel non rescribendum. Idque generaliter verum censet Garzias *de benef. p. 8. c. 3.* in rescriptis justitiæ: secus in rescriptis gratiæ, non nisi eorum facienda est mentio, quæ ut exprimantur jure, & stylo Curiæ cautum est; siquidem collatio beneficii facta criminoso iis exceptis, quæ inhabilitatem inducunt, valida est. Sin autem obreptitiè impetrata esset jurisdictio, nullius foret valo-

valoris, nec ejus processus ullius efficaciæ *c. ex tenore c. ad audientiam. c. super literis. c. ad aures h. t.*

10 Discrimen inter Rescripta gratiæ, & justitiæ, multiplex est, ut ostendit Rebuffus *in praxi beneficiorum in tit. differentia inter Rescripta gratiæ, & justitiæ*. Placet hic adjicere aliquot eorundem differentias; quarum prima desumitur à forma extrinseca; eò quia Rescriptis gratiæ juxta stilumCuriæ apponatur filum sericum: & Rescriptis justitiæ filum canabis, è quo plumbum cum Sigillo pendet. Hinc *c. quàm gravi de crimine falsi*, ad dignoscendumRescriptum, si verum sit, monemur filum diligenter inspicere.

11 Secundò, quia Rescripta Justitiæ tantum impetrantur ab ipso principali in negotio, super quo supplicatur principi, ad concedendum Rescriptum; vel saltem debet hæc supplicatio fieri de mandato ipsius Principalis, aut per personam eidem conjunctam *c. nonnulli* §. *fin. h. t.* In Rescriptis verò gratiæ, sive includant beneficia, sive privilegia obtinenda pro aliis non requiritur tale mandatum *d. c. nonnulli.*

Tertiò, quia Rescripta gratiæ per subreptionem, aut obreptionem impetrata nulla sunt ipso jure. Secus Rescripta Justitiæ suam fortiuntur vim, si adversarius contra ea nil opponat; quia tunc censetur in illa consensisse juxta illam regulam: qui tacet consentire videtur, ut notat Rebuffus *l. c. n. 11. & 12.*

12 Quartò, in Rescriptis gratiæ consideratur tempus *datæ*, quia Rescriptum gratiæ incipit producere suum effectum ab illo tempore, quo litteræ authenticæ includentes concessionem, seu Rescriptum principis, sunt datæ, tali anno, mense, & die, adeò, ut ab illo die incipiant rescripta gratiæ esse efficacia, ac suum producere effectum, idque liquet *ex c. eam te 7. h. t.* ubi Rescriptum gratiæ ad beneficium directum pro executione ad unum ex Canonicis, ad quem collatio illius beneficii pertinet, debet per eundem mandari executioni, tametsi promotus sit ad Episcopatum tempore, quo ipsi Rescriptum præsentatur, quia sufficit, si tempore *datæ* fuerit adhuc Canonicus. In Rescriptis verò justitiæ non consideratur tempus *datæ*, sed tantùm *præsentatæ c. ut debitus. de appellat.* ubi habetur, quòd Judex ordinarius non teneatur supersedere à processu, tametsi adversarius dicat, se obtinuisse Rescriptum Justitiæ pro delegatione causæ ad alium judicem; quia antequam litteræ sint actualiter judici delegato præsentatæ, non tenetur is supersedere à processu, & sententia.

13 Quintò, quia Rescripta gratiæ sunt perpetua, adeò, ut nec ipsa gratia, nec potestas data gratiæ executoribus morte concedentis exspiret, *c. si cui nulla de præbend. in 6. c. decet de R. I. in 6. c. si super. de offic. delegati in 6.* idque valet tam in beneficiis, quàm privilegiis, & aliis concessionibus gratiosis, & facultatibus. Secus Rescripta Justitiæ intra annum præsentanda sunt, si impetrans copiam habuerit judicum, *c. si autè. c. plerumque h. t.* & perseverante re integra exspirant morte cõcedentis *c. gratum. c. licèt de offic. delegati*: ad impediendũ tamen damnum partis ex hac extinctione, facta est regula Cancellariæ *12. de revalidatione litterarum*, in qua novus Pontifex revalidat litteras gratiæ, & justitiæ per suum prædecessorem intra annum ante diem obitûs concessas, & debitis temporibus non præsentatas earum executoribus. Quamobrem ex vi hujus regulæ executor rescriptorum gratiæ, si hæc nondum fuerit facta, sed facienda, non potest sede Papali vacante procedere. Et ita dicendũ de Rescriptis justitiæ, quia hæc rescripta exspirarunt: potest tamen electo novo Pontifice suum inchoare officium absque alia supplicatione, & impetratione aliorum rescriptorum, quia per electionem novi Pontificis cum regulis Cancellariæ reviviscunt etiam ipsa rescripta.

Sextò, quia Rescripta gratiæ ad beneficia concessa, vel concedenda, non prosunt hæredibus nec successoribus; quia in beneficiis Ecclesiasticis non datur hæreditaria successio *c. ex transmissa de filiis Præsbiterorum*. Tum quia beneficium Ecclesiasticum non aliter obtinetur, quàm per Canonicam institutionem *c. 1. de R. I. in 6.* quod verum est de beneficiis Ecclesiasticis: non ita de Rescriptis privilegiorum, si hæc non fuerint merè personalia, quia tunc transeunt ad successores, nisi privilegiatus tempore dati privilegii jam suum diem obiisset, quia tunc hæredi non prodesset, *l. Neracius 191. ff. de R. I.* ubi habetur, quòd Princeps, qui concessit beneficium, sive privilegium ei, quem vivere existimabat, non videatur concessisse defuncto. Rescripta verò justitiæ, si res non amplius sit integra, & in judicio producta fuerint, ac eorundem authoritate citatus adversarius, transeunt in successorem, sive hæredem, sive sint in favorem, sive contra, *argu. à contrario in c. significavit.* Secus, si res adhuc integra sit, tunc enim non transeunt in successorem, quin priùs fuerint impetrata sub nomine dignitatis, vel contra dignitatem in re, vel causâ concernente tam personam, quàm prælaturam *c. dilecti de foro compet.* ut declarat Innocentius *in c. gratum 20. de offic. delegati.* 14

§. III.

De Forma Rescriptorum, quomodo servanda sit.

Forma Rescripti est ille Ordo, seu modus præscriptus in ipsis Rescriptis, quæ forma si non observetur, processus nullum sortitur valorem, & id etiam procedit, quamvis forma mandati, vel modus procedendi spectato jure communi non requiratur; sed à delegante de novo præcipiatur: ratio est, quia tunc censetur pertinere ad substantiam actûs, qui propterea est irritus, nisi talis forma servetur, & desumitur ex *c. cum dilecta 22. h. t.* ubi Pontifex rescribit, contra formam rescripti inane, & irritum esse quidquid tentatur, quia cùm exacta diligentia forma mandati est servanda in negotio. Pertinent autem ad formam rescripti, 1

ut in primis ordo verborum, seu Scripturæ servetur, adeò, ut quòd in Rescripto prius narratur, vel præcipitur, fit ante alia expediendum, & si hic ordo pervertatur, processus est ipso jure irritus, dummodo talis ordo sit de substantia actus, & desumitur *ex d. c. cum dilecta 22. h. t.*

2 Hinc qui primo loco nominatur in Rescripto censeri debet cæteris dignior. Rursus notat Glossa in *d. c. cùm dilecta.* in Rescriptis, quod principaliter mandatur, esse primò,& principaliter exequendum, & cætera secundariò, & accessoriè; & quando plura principaliter mandantur,esse tunc necessariò servandum ordinem nisi unum de sua natura præcedat aliud. Hinc forma rescripti est exactè observanda: alioquin omnia, quæ acta sunt, irritantur ipso Jure: etenim fines mandati sunt diligenter custodiendi, & qui eos non servat, aliud videtur facere *l. diligenter 5. ff. mandati*, quapropter, si Commissarius, vel delegatus contra formam mandati sibi præscriptam agat, excedátque limites concessionis, vel delegationis sibi factæ nihil agat, eò quia non habet potestatem agendi, nisi juxta mensuram sibi concessam à delegante, seu mandante.

3 Quòd si forma Judicii delegato præscripta non pertineat ad substantiam actûs, tunc executio delegantis est quidem illicita, non observata tali forma; sed est nihilominus valida,tametsi jure communi requiratur, ut Judex delegatus procedat juxta talem formam præscriptam, quia tunc solùm instruitur delegatus, quid facere debeat: Hinc si alicui delegata sit facultas absolvendi ab omni excommunicatione præmissa priùs satisfactione, vel saltem cautione satisfaciendi parti læsæ; si delegatus adhuc,etiam culpabiliter,prætermittat illam exigere, adhuc valida est absolutio, tametsi illicita:& ratio est, quia quamvis de jure communi exigatur,ut talis Satisfactio, vel cautio satisfaciendi præcedat absolutionem; quia tamen non pertinet ad substantiam absolutionis; ideo quamvis exprimatur in mandato, seu delegatione; non tamen inducit novam formam, sed tantùm continet instructionem Judicis delegati, quomodo debeat se gerere in absolvendis excommunicationibus: id tamen procedit, dummodo delegatio ipsi non absolutè, sed cum expressa limitatione facta fit, ut non aliter absolvat: quia tunc absolutio aliter facta esset nulla.

4 Sin verò Princeps in Rescripto mandet de pluribus alternativè, seu sub disjunctione inquiri in ordine ad certum effectum, tunc satis est, si unum ex illis verificetur, & probetur, ut Commissarius exequi possit, tametsi alterum fit falsum, idque desumitur *ex c. inter cæteras 4. h. t.* ubi dicitur, quòd si Papa in Rescripto mandet, de duobus inquiri disjunctivè certum effectum consequendum, sufficiat alterum probari: ut si in Rescripto dicatur, si constiterit, quod fit filius Sacerdotis in Sacerdotio natus, vel quòd illicitè Ecclesiam occupaverit: quia in alternativis, & disjunctivis sufficit, ut alterutra pars vera fit, & probetur: tametsi ad veritatem propositionis copulativæ requiratur,ut utraque pars vera fit §. *penult. instit. de hered. instituend.* Hinc in contractibus alternativis electio est debitoris, & sufficit alterutrum adimpleri *ex Regul. jur. 70. in 6.* In pœnis verò, sive à lege, sive ab homine injunctis sub disjunctione ob delictum, attendi debet,ad quem verba alternativa dirigantur, nimirum, si ad Judicem,ut delinquentem puniat tali, vel tali pœna, & tunc optio eligendi hanc,vel illam pœnam ad ipsum pertinet: sin verò ad reum, ut si dicatur, quòd solvat centum aureos, vel per triennium detrudatur in carcerem, tunc optio eligendi alteram ex his pœnis est ipsius rei. Quòd si dubitetur ad quem verba dirigantur, tunc in dubio verba præsumuntur ad Judicem referri, cùm ad ipsum pertineat pro varietate personarum,ac circumstantiarum pœnam decernere: alioquin reus mitiorem semper eligeret pœnam, *l. perspiciendum 11. §. aut facta 16. ff. de pœn.* Cæterum, si à Principe præscribatur Judici certa forma procedendi secundùm justitiam in una causa; hæc eadem servanda etiam est in aliis similibus causis,quia de similibus debet esse idem judicium *l. non possunt 12. ff. de legib.*

Ad formam Rescriptorum etiam pertinet, quòd primæ litteræ commissionis causæ ab uno litigantium obtentæ attendantur; Si in secundis ab altero obtentis nulla fiat de illis mentio: hinc si quis à Sede Apostolica litteras impetravit, in quibus aliqua causa sit Judicibus delegata; si postea ejus adversarius alias litteras impetret à Papa, in quibus eadem causa delegetur aliis Judicibus, tunc litteræ posteriores, si in illis nulla fiat mentio de commissione facta in prioribus litteris, nullam obtinent firmitatem, & possunt priores Judices delegati procedere ad decisionem causæ non obstantibus litteris posterioribus: quia tunc præsumitur, quòd si Princeps fuisset recordatus prioris Rescripti, non concessisset posterius, quod propterea non subsistit ex defectu voluntatis concedentis, idque colligitur *ex c. ex parte 12. h. t.* ubi habetur, quod quando impetrantur secundæ litteræ nulla facta mentione de primis; si primus appellat, nulla facta mentione de suis primis litteris, de quibus non fit mentio in secundis; transacto anno non potest se juvare cum primis; eò quia dolo, & negligentia sint nullæ, ex quo infertur, quòd sublatis dolo, & negligentiâ, primæ litteræ fuissent validæ, & posteriores impetratæ sine mentione priorum essent irritæ, quia Pontifex in *d. c. ex parte* ait, *si memores fuissemus nos pro prædicto N. litteras direxisse pro adversario neutiquam scripsissemus.* Verùm id procedit, dummodo primæ litteræ fuerint præsentatæ Judicibus, & vigore illarum citatio facta, quia iurisdictio, & potestas cognoscendi causam, non acquiritur Judici delegato, antequam litteræ delegationis eidem præsententur: hinc *in d. c. ex parte* ob negligentiam præsentandi, dicuntur primæ litteræ transacto anno nullius valoris,& valet secundum Rescriptum justitiæ, in quo nulla fuit facta mentio prioris, quia hoc non est ipso jure nullum, quamvis per oppositam exceptionem rescindi possit, ac irritari: qua ratione etiam processus initus

initus à Judicibus posteriùs delegatis est validus, donec contra ipsum ab adversario excipiatur, ut notat Abbas *in c. caterum 3. n. 5. h. t.* Quamobrem notandum est, quòd cùm posterius Rescriptum dicitur irritum, & nullam habere roboris firmitatem, id intelligendum est quoad effectionem, & conditionem, si pars contraria excipiat contra ipsum, quia ope exceptionis elidi potest.

6 Id tamen non procedit, si Rescriptum Justitiæ accessoriè tantùm sit concessum in Rescripto gratiæ, subreptitiè à Principe impetrato: si enim Cajus per subreptionem impetravit Rescriptum gratiæ de conferenda eidem parochia; & in eodem Rescripto, in quo eidem conceditur gratia, accessoriè etiam concedatur jurisdictio ad executionem illius gratiæ, & constituatur executor; tunc tale Rescriptum licèt sit justitiæ adhuc ipso jure est irritum, sicut ipsa gratia subreptitiè impetrata, quia cùm gratia sit principalis, & constitutio executoris se habeat ad illam accessoriè, corruit cessante principali, quia accessorium semper sequitur principale.

7 Quòd si in posteriori Rescripto fiat mentio prioris, seu factæ delegationis, tunc prius Rescriptum est nullum, & procedi debet secundùm posterius, cùm non sit impetratum subreptitie, seu tacita veritate: Tunc enim censetur Papa, voluisse causam à prioribus Judicibus avocare: constat enim tunc de intentione Papæ volentis priùs Rescriptum irritare, vel eidem derogare, quia posteriora prioribus derogant. Sin verò prius Rescriptum ad Judices delegatos impetratum sit ex communi consensu utriusque partis litigantis, si postea una pars alterâ nesciente aliud impetret Rescriptum, ut causa illa delegetur aliis Judicibus nulla facta mentione prioris Rescripti ex communi consensu impetrati, tametsi mentio fiat de priori commissione facta, tunc posterius Rescriptum est irritum; & impetrans debet condemnari in expensas, quas adversarius fecit: quia eò ipso quòd Rescriptum impetratur tacita veritate pertinente intrinsecè ad ipsam rem, & quæ si Principi innotuisset probabiliter non concessisset secundum Rescriptum, saltem in tali modo, & forma; tunc ob non expressam veritatem Rescriptum est subreptitium, & nullius valoris.

8 Præterea, quia Princeps non solet Judicem delegare ad instantiam unius tantùm partis, sed ex consensu utriusque *l. observandum 47. ff. de judic.* vel saltem, ut utraque pars adsit. Ex Stylo tamen Curiæ, si altera pars absit dari etiam solet Judex delegatus ad petitionem partis præsentis, salva tamen manente potestate alteri parti recusandi ex rationabili causa Judicē concessum parti præsenti, & petenti, *c. causam 17. de offic. deleg.* Quia fraudulenter impetrans litteras ad alios Judices delegatos nulla facta mentione de prioribus datis ad petitionem utriusque partis infert injustum damnum adversario, qui tenetur ad plures expensas, accedendo ad judicium per se, vel per Procuratorem, si citatus fit: unde adversarius, qui fraudulenter litteras impetravit ad alios Judices delegatos, tenetur damnum hoc resarcire. Hodie tamen non sufficit, si in secundo Rescripto mentio tantùm fiat de priore, sed ulteriùs debent etiam exprimi qualitates, quæ nisi exprimantur, Princeps difficiliùs concedit secundum Rescriptum: immò requiritur etiam, ut expressè, & nominatim derogetur regulæ 16. Cancellariæ de non tollendo Jus alteri quomodolibet quæsitum per quamcunque commissionem, vel concessionem, ut notat Fagnanus in *d. c. caterum 3. n. 27. h. t.* & id etiam procedit, quamvis Papa supponatur habere certam scientiam de præjudicio tertii ex eidem narratis: immo procedit etiam quamvis gratiam, aut Rescriptum concesserit motu proprio, & ex certa scientia, vel etiam ex plenitudine potestatis: siquidem protestatio, quæ fit in dicta Regula, tollit omnino consensum Papæ, in ordine ad tollendum jus alteri quæsitum, tametsi per viam Rescripti fuerit regulis Cancellariæ derogatum, ut notat Cochier *in regul. 16. Cancellar. V. tollit Jus quæsitum.* Id autem non procedit, quando derogatio juris alterius in ipso Rescripto tacitè continetur, tunc enim non requiritur specialis derogatio præfatæ regulæ, quia non tollitur Jus, sed potiùs manifestatur jus, quod latebat, ut notat Rebuffus *in prax. benefic. in Regul. 16. Cancellar. de non tollendo jus quæsitum in Glossa 5. §. Limitatur.*

Observandum est, quòd tametsi Rescriptum Justitiæ, seu ad lites subreptitiè obtentum sit nullum, non quidem ipso jure, ut superiùs diximus, sed quatenus per adversarii exceptionem elidi potest, si nulla facta sit in ipso mentio prioris Rescripti: nihilominus hæc regula limitatur, quando prius Rescriptum, de quo non fit mentio in posteriori est irritum ob sub- vel obreptionem, tunc enim posterius Rescriptum valet, quamvis in illo nulla fiat mentio de priore, dummodo hoc sit subreptitium; vel per exceptionem possit elidi *c. ex parte 12. h. t.* Hinc, si Petrus appellans à sententia Judicis ordinarii ad Papam impetret litteras in causa, super qua appellavit, nulla in illarum impetratione facta mentione de appellatione, quam intra biennium à tempore appellationis neglexit prosequi; & interim Joannes adversarius Petri, à Sede Apostolica litteras impetret ad judices delegatos; hæ posteriores litteræ validæ sunt, tametsi in illis nulla mentio fiat de litteris priùs à Petro impetratis: quia ob tacitam appellationem, cui renuntiare non potuit, cùm res non esset ampliùs integra; litteræ illæ erant irritæ, ut etiam ea ratione, quia neglexerat iisdem uti intra biennium; potuissent enim per exceptionem elidi: unde ex eo, quòd priores litteræ fuerint irritæ, posterius Rescriptum fuit validum, tametsi nulla fuerit in illo facta mentio de prioribus litteris subreptitiis; Ex hoc textu *in d. c. ex parte 12. h. t.* claret, quòd si impetrentur secundæ litteræ non facta mentione de primis, si primus appellet nulla facta mentione de suis primis litteris, de quibus nec fit mentio in secundis, transacto anno non potest ampliùs se juvare cum primis litteris, quia ob negligentiam eas exequendi nullius sunt valoris, & tenetur ad expensas: hinc impetrans litteras post appellationem tenetur 9

netur mentionem facere de appellatione, & per diuturnitatem temporis, ac negligentiam interdum probare dolum irritantem Rescriptum priùs impetratum, qui enim non prosequitur appellationem intra annum, vel ex justa causa intra biennium, fingitur non appellâsse, & sententia rata manet.

10 Ad formam Rescripti, ut hoc validum sit, plura alia requiruntur exprimenda: siquidem in Rescripto Justitiæ impetrato in forma communi Clericorum pauperum debet fieri mentio proprii patrimonii, ad quod impetrans est ordinatus: alioquin Rescriptum est subreptitium, & invalidum, & Ordinarius, vel executor non tenetur tali Clerico exhibenti hoc Rescriptum providere, si sufficiens habeat patrimonium. Secus Rescriptum gratiæ validum est, quamvis nulla in ipso mentio fiat de proprio patrimonio Clerici, cui provideri mandatur, ut notat Pirhing. *h. t. Sect. 3. §. 3. n. 60.* cum Rebuff. in *prax. benefic. tit. de differentiis inter Rescripta gratiæ & justitiæ n. 31.* Ratio discriminis petitur ex eo, quia per litteras beneficiales justitiæ providetur tantùm Clericis pauperibus: & qui habet sufficiens patrimonium non accensetur numero pauperum, proinde tales litteræ, in quibus nulla fit mentio proprii patrimonii sunt subreptitiæ, ac irritæ; utpote impetratæ fraudulenter tacita veritate, quæ si Papæ innotuisset non ita facilè rescriptum concessisset, nec mandâsset conferri beneficium impetranti. Secus est in Rescriptis gratiæ, quæ conceduntur Clericis non pauperibus: hi enim, non est necesse, ut exprimant proprium patrimonium, quia eorum Rescripta non fundantur in justitia, sed in gratia, quapropter etiam non expresso patrimonio Pontifex concederet Rescriptum, & mandaret beneficium conferri impetranti, u notat Rebuffus *in prax. benefic. tit. de differen. inter Rescripta gratiæ, & justitiæ n. 32.*

11 Quòd verò in Rescriptis Justitiæ debeat mentio fieri de proprio patrimonio Clerici impetrantis beneficium, id procedit, sive Clericus fuerit ordinatus ad titulum sui patrimonii, sive non, quia cùm non indigeat, cessat in utroque casu causà eidem concedendi litteras justitiæ in forma pauperum, cùm reverà pauper non sit, qui ad titulum paupertatis est ordinatus, si sufficiens habeat patrimonium. Secus in litteris gratiosis non est necesse, ut mentio fiat de patrimonio impetrantis, tametsi ad titulum illius sit ordinatus, quia, si non habeat aliud beneficium Ecclesiasticum, non tenetur suis propriis stipendiis militare, & Ecclesiæ inservire: unde tametsi Pontifex scivisset, quòd impetrans habeat sufficiens patrimonium, adhuc tales litteras ei dedisset.

12 Immo, non solùm Rescripta beneficialia justitiæ, quibus à Papa mandatur alicui conferri beneficium Ecclesiasticum, in forma pauperum, & à Curia Romana emanant; verùm etiam Rescripta gratiosa sunt subreptitia, & irrita, si in illis non fiat mentio Vicariæ perpetuæ, vel alterius beneficii Ecclesiastici, quod impetrans obtinet, idque colligitur *ex c. postulasti 27. h. t.* ubi Pontifex rescribit, Episcopum ordinantem aliquem habentem Vicariam perpetuam sufficientem non teneri eidem providere, eò quia habeat sufficiens beneficium, de quo propterea, si nulla fiat mentio in Rescripto, sit hoc invalidum; quia intentio Papæ est per talia Rescripta justitiæ succurrere necessitatibus pauperum Clericorum, qui nullum habent Ecclesiasticum beneficium; proinde Rescripta sunt subreptitia, si impetrentur tacita veritate, quæ fuit causa finalis concessionis: si enim veritas innotuisset Pontifici, hic non ita rescripsisset. Quòd etiam id procedat in Rescriptis gratiosis, ex eo evincitur, quia Papa non solet has litteras gratiosas dare, ut alicui provideatur de beneficio, si jam habeat sufficiens beneficium pro congrua sustentatione, nisi de primo beneficio mentionem faciat. Tum quia ex Stylo Curiæ Romanæ hodie hæc expressio est necessaria. adeò, ut non valeat Rescriptum impetratum ad conferendum beneficium, si in eo non fiat mentio de beneficio jam obtento ab impetrante, & desumitur ex *c. cum adeo 17. h. t.* ubi expressè dicitur, quòd in litteris pro beneficio obtinendo, semper debeat fieri mentio de alio beneficio, si quod habet ille, qui impetrat. Intercedit tamen discrimen inter Rescriptum gratiæ, & justitiæ, quia in impetratione Rescripti gratiæ non est necesse fiat mentio de obtenta pensione clericali, si alicui illa data sit, non in titulum beneficii, sed ratione stipendii. Secus in Rescripto Justitiæ dato in forma pauperum debet fieri mentio de hac pensione; alioquin Rescriptum est irritum, vel saltem per exceptionem peremptoriam elidi potest, si fuerit impetratum contra ordinationem: quia per hujusmodi redditus tollitur causa concessionis, seu causa finalis Rescripti, quæ est, ut subveniatur indigentiæ pauperis.

13 Idque etiam extenditur in utroque Rescripto justitiæ, & gratioso, etiam ad beneficium tenue insufficiens ad vitæ congruam sustentationem, debet enim etiam de tali beneficio tenui fieri mentio, tam in petitione beneficii, seu supplicatione, quam in responsione, seu Rescripto Pontificio ad obtinendum beneficium, idque desumitur ex *c. si proponente 42. h. t.* ubi Pontifex declarat, quòd si quis dicat, se non habere beneficium, & hac ratione impetret beneficium quamvis exiguum, Rescriptum sit irritum, si priùs habuit beneficium quamvis tenue: quia ut notat Glossa, quicumque impetrat beneficium tenetur mentionem facere de beneficio, quod habet, alioquin impetratio nullius est valoris, & id procedit, quamvis secundum beneficium fuerit subreptitiè impetratum, vel per suggestionē falsi, dicendo, se nullum adhuc beneficium habere, cùm revera jam obtinuerit aliquod beneficium quamvis modicum, & tenue; sive fuerit impetratum per subreptionem, seu taciturnitatem veri; quia impetrans nullam fecit mentionem de suo beneficio priùs obtento: in utroque enim casu rescriptum est subreptitium, & desumitur ex *c. si motu 23. de præbend. in 6.* & notat Pirhing hic *n. 63.*

14 Quòd si dicas: Papam adhuc contulisse secundum beneficium, si ipsi innotuisset, quòd im-

impetrans priùs obtinuerit beneficium, quia hoc est ita modicum, & tenue, ut non sit sufficiens ad congruam ejus sustentationem: proinde ignorantia beneficii tam modici non videtur esse causa gratiæ, & Rescripti concessi de altero beneficio conferendo eidem Clerico. Contra est, quia quando Jus, & Stylus Curiæ exigit, ut exprimatur aliqua veritas, ut necessaria ad valorem gratiæ, vel Rescripti, censetur tunc illa expressio pertinere ad formam substantialem Rescripti, unde quoties deest expressio non habetur valor Rescripti, cum sine forma actus non subsistat: hæc autem expressio ex stylo Curiæ meritò exigitur ad impediendas plures fraudes, quæ inde oriri possent.

15 Non solùm in impetratione secundi beneficii etiam ex minoribus facienda est mentio de primo beneficio quoad substantiam, verùm etiam quoad qualitatem, adeò, ut exprimi debeat qualitas beneficii antea obtenti, nimirum, si sit dignitas, vel personatus, alioquin Rescriptum pro impetratione secundi beneficii est subreptitium proinde invalidum, eò quia non fuerat expressa veritas, quæ per se pertinebat ad rem impetratam; & qua expressa probabiliter Pontifex non concessisset tale Rescriptum pro impetratione secundi beneficij quamvis tenuis: siquidem non est intentio Pontificis concedere plura beneficia personis, quæ jam antè abundant pluribus Ecclesiasticis redditibus, tametsi posteriora beneficia sint tenuia, & ex minoribus, quia hæc solent cōcedi Clericis pauperibus. Generatim est irritum Rescriptum impetratum super beneficiis, sive majoribus, sive minoribus, si in Rescripto non fiat mentio de beneficiis antea impetratis, ut desumitur ex *c. si motu 23. de præbend. in 6.* Hinc debet etiam exprimi in Rescripto, an beneficium impetratum habeat annexam curam animarum *c. cum in illis 16. de præbend. in 6.* vel perpetuam residentiam exigat, argum. *c. ult. de Cler. non resid.* vel si sit juris patronatûs, vel electivum, vel unitum alteri benificio, vel si sit beneficium Ecclesiæ Cathedralis quod non comprehenditur nomine beneficii in Rescriptis ambitiosis *c. quamvis 4. de præbend. in 6.* & fusè notat Menochius *de arbit. Judic. cas. 201. n. 71. & sequent.*

16 Rursus præter qualitatem debet etiam in Rescripto exprimi quantitas redditųum beneficii, idque non de jure communi cum beneficium principaliter conferatur propter spirituale officium, & temporalia se habeant accessoriè ad spiritualia, sed ex praxi, & stylo Curiæ: siquidem expediens visum fuit, ut dispensatio temporalium redditųum non cuique committatur, sed habito respectu ad qualitatem personæ, ut notat Abbas *in c. ad aures 8. n. 4. h. t.* Verùm hæc procedunt nisi certum sit, immo & verosimile, quòd Papa tametsi beneficii qualitas non fuisset expressa, adhuc beneficium concessisset, quia tunc ob taciturnitatem non præsumitur Rescriptum subreptitium, quia attendenda est intentio concedentis beneficium, quæ si fuit illud conferre; tametsi qualitas beneficii fuisset expressa, Rescriptum est validum, & desumitur *ex d. c. ad aures 8. h. t.* ubi Pontifex non obstante taciturnitate qualitatis, adhuc declaravit validam concessionem, eò quia fuerit juxta ejus intentionem. Excipitur tamen nisi expressio qualitatis tanquam forma requiratur, & sine qua Rescriptum careret forma. quia tunc taciturnitas qualitatis irritaret Rescriptum.

Hæc omnia procedunt de impetratione beneficiorum, quæ conceduntur à Papa, non verò de iis, quæ conceduntur à Prælato inferiore, vel Episcopo, & ratio est, quia cum Diœceses inferiorum Prælatorum, & Episcoporum non sint admodum amplæ, supponuntur inferiores Prælati scire qualitates beneficiorum totius suæ Diœcesis, immo & conditiones petentium, nisi taceatur aliquid, quod reddat collationem beneficii nullam, quia ejus expressio requiritur tanquam forma. 17

Immo, præter beneficium priùs obtentum exprimendum etiam est Rescriptum, si hoc fuit antea impetratum pro alio beneficio obtinendo, ut desumitur ex *c. ad audientiam 31. h. t.* & procedit, tametsi quis eidem Rescripto renuntiaverit, adeò, ut si habens litteras Papales ad beneficium proximè vacaturum, & ipsi renuntiet cum pacto, ut pensionem, vel aliud beneficium consequatur, & postea eo tacito alias similes litteras impetret, hæ posteriores litteræ sint irritæ, & subreptitiæ; neque obstat, quòd litteris expectativis, seu ad providendum renuntiaverit, quia impetrans secundum Rescriptum, consequi poterat beneficium per primum Rescriptum: & qui actionem habet, seu jus petendi, censetur quodammodo habere rem ipsam, ex *regul. Jur. 15.* præsertim cum virtute primi Rescripti consecutus fuerit annuam pensionem, vel aliud emolumentum, cùm supponatur renuntiâsse juri suo ad beneficium obtinendum mediante pensione, vel alio commodo: unde, si in secundo Rescripto non fiat mentio de priore, secundum est irritum, quia, si facta fuisset mentio prioris, veri similiter Papa non concessisset secundum Rescriptum, ut notat Felinus in *c. ad audientiam 31. n. 11. h. t.* Quamvis non possit quis beneficio ecclesiastico jam obtento renuntiare sine licentia Papæ, potest tamen quis renuntiare Rescripto impetrato in ordine ad beneficium vacaturum obtinendum; ratio discriminis est, quia quando collatio beneficii jam est facta; beneficiarius habet jus in re, cui non debet renuntiare inscio Superiore: habens verò tantùm Rescriptum ad beneficium vacaturum obtinendum non habet jus in beneficio, sed tantùm ad beneficium, non quidem proximè, sed remotè; proinde non intelligitur eidem obligatus: sicut quando possidet beneficium per præviam collationem ei factam, tunc non potest hanc obligationem dimittere absque consensu Superioris. Quinimò, si quispiam beneficium obtineat, quod cum priore sit incompatibile, censetur tacitè eidem renuntiare; adeò, ut habens gratiam expectativam ad beneficium curatum, vel dignitatem, eo ipso censeatur eidem tacitè renuntiare, si ante ejus adeptionem aliud simile beneficium incompatibile pacificè possideat, & desumitur ex *Clement. in c. gratia 4. h. t.* ubi dicitur, 18

citur, quòd si quis impetravit mandatum ad obtinendum beneficium curatum, & antequam gratia habeat effectum obtineat aliud beneficium incompatibile cum præmisso, illúdque pacificè possideat, non possit amplius uti gratia, tametsi renuntiaverit beneficio: idque etiam confirmatur jure novo à Concilio Tridentino *Sess. 24. de refor. c. 19.*

19 Idque etiam procedit quamvis recipiens secundum beneficium protestetur, se non intendere renuntiare gratiæ impetratæ de primo beneficio, quia talis protestatio est contraria facto: habens enim gratiam expectativam, seu de providendo, eo ipso, quòd provisus non est, seu collationem nullam accepit, non habet jus ad beneficium, nisi remotè. Hinc habens gratiam expectativam ad beneficium vacaturum, quamvis secundo beneficio postea obtento renuntiet; non propterea recuperat jus expectativæ, quod antè habebat ad beneficium vacaturum, quia per adeptionem secundi beneficii incompatibilis amisit jus, quod per primum Rescriptum, seu gratiam expectativam habebat remotè ad beneficium vacaturum; & jus semel extinctum, non ampliùs reviviscit. Quamobrem si obtinens secundum beneficium velit repetere jus quod habebat per gratiam expectativam ad beneficium vacaturum, debet renuntiare secundo beneficio incompatibili, & supplicare superiori pro nova gratia expectativa, ut possit consequi beneficium vacaturum.

20 Generatim in beneficiis incompatibilibus acceptatio unius trahit tacitam renuntiationem alterius, tametsi quis protestetur in contrarium, ut si recipiens secundum beneficium dicat, se non intendere renuntiare gratiæ expectativæ ad primum beneficium vacaturum, quia cùm hæc beneficia sint incompatibilia, unû ex se, et ex natura rei independēter à voluntate beneficiarii excludit aliud, & protestatio tunc est contra factum: etenim sicut per acquisitionem beneficii secundi curati ipso jure, & ex natura rei vacat primum beneficium similiter curatum, eò quia plura beneficia curata sint incompatibilia in una eademque persona *c. de multa 28. de prabend.* ita etiam vacat gratia expectativa; quam Clericus habet ad tale beneficium curatum obtinendum, si ipsi conferatur aliud beneficium pariter curatum: quia, si vacat primum beneficium curatum possessum, à fortiori debet vacare gratia expectativa, quia hæc dat tantùm jus ad beneficium futurum, & quidem solùm remotè; & beneficium possessum dat jus in re, seu beneficio, quod procul dubio est majus & fortius, proinde, si amittitur jus in re, à fortiori debet etiam deperdi jus ad rem, quod est minus, & debilius *argum. c. penult. de prabend. in 6.*

21 Quòd si renuntiatio gratiæ expectativæ ad beneficium vacaturum fiat cum conditione, seu pacto adipiscendæ pensionis, est illicita, & simoniaca, nisi accesserit consensus Papæ, ut notat Felinus in *d. c. ad audientiam 31. n. 11. h. t.* quia omnis pactio in spiritualibus reprobatur ab Ecclesia ut simoniaca. Tum quia, ut notat Pirhing *h. t. Sect. 3. n. 69.* Permutationes beneficiorum sunt odiosæ, quia habentur tanquam dispensationes contra jus commune Canonicum, quo prohibetur omne pactum in spiritualibus, proinde non sunt extendendæ. Hinc excluditur etiam permutatio gratiæ expectativæ cum beneficio: ratio est, quia cum expectativa tendat ad beneficium, quod nondum vacat, ideò non habetur jus in illo, nec ad illud proximè, sed tantùm remotè; consequenter non potest gratia expectativa permutari cum beneficio, ut notat Joannes Andreas *in c. unic. de rer. permut. in 6.*

Rursus litteræ expectativæ posteriores habentur subreptitiæ, & irritæ; si nulla in iisdem mentio fiat expectativæ priùs impetratæ, cui impetrans non absolutè, sed pro pensione, aut alio commodo renuntiavit: ex quo colligitur, indirectè in impetratione beneficii esse itidem mentionem faciendam de pensione, si hæc jure, & titulo beneficii Ecclesiastici constituta sit, tametsi injustè, & simoniacè possideatur: idque ne quis commodum ex sua iniquitate reportet, non enim decet, iniquum esse melioris conditionis, quàm sit justus *c. eam qui 18. de prabend. in 6.* Juvat observare, quòd si Rescriptum gratiæ sit subreptitium, proinde ipso jure nullum, tunc etiam alia quæ ejus occasione fiunt, & habent connexionem cum illo, ad quod se habent accessoriè, sunt irrita; quia corruente principali, ruit etiam accessorium, ut desumitur ex *c. si super 9. de offic. deleg. in 6.* Quod verò dicitur de Rescriptis beneficialibus, quæ per subreptionem sunt irrita, non procedit de Rescriptis ad lites, quia hæc debent irritari ope exceptionis: & ratio discriminis assignatur à Bald. *in l. 1. n. 4. C. de collus. deteg.* Quia in Rescriptis beneficialibus negotium determinatur, ac definitur: Secus in Rescriptis ad lites tantùm præparatur, aut committitur. 22

§. IV.

Traduntur quædam generales Regulæ in ordine ad exprimenda in Rescriptis, quæ à jure, vel stylo Curiæ præscribuntur exprimi.

PRima Regula est, quòd si quis in eadem materia duo, vel etiam plura Rescripta impetret, in quorum primo fiat restrictio, & in secundo ampliatio cum præjudicio tertii, tunc in secundo Rescripto, ejusque petitione debet necessariò fieri mentio primi, & desumitur ex *c. penult. de præscript.* ubi cum quodam Monasterium in Diœcesi Vesprimensi obtinuisset privilegium à Paschale Papa postulandi Chrisma, Oleum Sanctum, Consecrationes, & Ordinationes pro suis Clericis à quocunque Præsule Catholico, cum hac tamen restrictione dummodo Vesprimensis Episcopus, vel non fuerit Catholicus, vel gratiam Sedis Apostolicæ non habuerit, vel ea non voluerit gratis exhibere: Secus verò, ut ab ipso Episcopo Vesprimensi postularet. Quia verò Abbas ejusdem Monasterii impetravit postea à Papa Clemente privilegium cum majore ampliatione 1

scilicet

scilicet absolutum, & illimitatum nulla facta mentione prioris; & Episcopus Vesprimensis se tali privilegio opponeret: discussa causa coram Innocentio III. declaravit Pontifex, privilegium secundum esse subreptitium, ac nullius valoris, quoad adjectam ampliationem, quâ secundum privilegium limites excedebat prioris, de quo nulla facta fuit mentio: ratio hujus decisionis fuit, quia per primum privilegium, & ejus restrictionem fuit roboratum jus commune, quod favebat Episcopo Vesprimensi, sicque acquirebat vim privilegii, quasi indirectè concessi: atqui privilegio non derogatur per aliud contrarium privilegium, nisi fiat expressa mentio illius.

2 Secunda est, quòd si quis, sive solus, sive ex communi consensu impetravit à Papa rescriptum delegans causam aliquibus specialibus Judicibus, & postea pars contraria petat ab eodem Pontifice rescriptum delegans causam aliis Judicibus, debeat necessariò hic secundus impetrator mentionem facere prioris rescripti à suo adversario impetrati, & quo causa erat delegata talibus specialibus Judicibus: alioquin, si reticeatur primum Rescriptum, secundum est subreptitium, & nullum sortitur valorem, proinde ope exceptionis potest elidi manente primo Rescripto in suo vigore, si fuerit jam præsentatum Judicibus, & vi illius citatio facta, ut declarat Alexander III. in *c. cæterum 3. h. t.* quòd si primæ litteræ commissionis causæ ab uno litigantium obtentæ non exprimantur in secundis ab altero obtentis, sunt secundæ litteræ irritæ.

3 An verò sint irritæ ipso jure, vel tantùm ope exceptionis, adeò, ut si nihil à parte contraria excipiatur contra posterius Rescriptum, processus institutus à Judicibus posteriùs delegatis sit validus, dubitant aliqui: sed communior Canonistarum sententia est, Rescriptum justitiæ obtentum per sub- vel obreptionem non esse irritum, antequam per exceptionem elidatur, & desumitur ex *c. si autem 9. & c. plerumque 23. h. t.* ubi Pontifex declarat, quòd si quis impetret litteras, & habens copiam Judicum ex malitia, vel negligentia infra annum eis non utitur, secundæ litteræ ab adversario impetratæ nulla facta mentione priorum valeant. Hinc si prior impetrans Rescripto suo expressè, vel tacitè renuntiet, procedi potest secundùm Rescriptum posterius, quod tacita veritate, seu nulla facta mentione prioris Rescripti emanavit: quia ipso jure est validum, donec ab adversario elidatur, & cùm hic illud non infringat, non amittit posterius Rescriptum suum valorem.

4 Notat tamen Abbas in *d. c. cæterum 3. h. t.* Rescriptum justitiæ esse ipso jure irritum, si accessorium sit Rescripto gratiæ obtento per obreptionem, quia ruente principali cessat accessorium, non enim accidens potest subsistere sine subjecto, nec res fundata sine fundamento. Cæterùm, si in posteriore Rescripto fiat mentio prioris, censetur Papa causam à prioribus Judicibus avocare. An verò in hoc casu, si Judices priores permittente posteriore impetrante procedant secundùm Rescriptum priùs datum, processus sit validus. Respondet Joannes Andreas in *c. cæterum. 3. n. 7. h. t.* inspiciendum esse, an mens Pontificis fuerit absolutè revocare priorem commissionem, & tunc certum est, non valere processum ob defectum jurisdictionis in prioribus Judicibus, à quibus fuit causa avocata; sin verò revocatio facta sit in gratiam posterioris postulantis, potest is favori suo renuntiare, & consentire, ut causa secundùm priores litteras apud priùs datos Judices discutiatur. Potest enim quisq; cedere, ac renuntiare juri suo; præsertim si ex tali cessione non inferatur damnum alteri.

Tertia, ut habens beneficium quantumvis tenue, vel vicariam perpetuam, si velit impetrare Rescriptum ad beneficium aliud sibi providendum, debeat mentionem facere Vicariæ perpetuæ: alioquin subreptitium censetur Rescriptum, quia impetratum tacita veritate, quam si Papa cognovisset probabiliter non ita scripsisset: quia tales litteræ emanant pro Clericis pauperibus nullum habentibus beneficium, qui enim obtinet vicariam non dicitur carere beneficio ecclesiastico, ut declarat Innocentius III. in *c. postulasti 37. h. t.* ubi Pontifex expressè ait: ***Non enim beneficio carere debet dici, cui competenter de perpetua vicariæ proventibus est provisum.*** Hinc liquet, Rescriptum justitiæ, seu in forma communi clericorum pauperum esse subreptitium, si in eo non fiat mentio patrimonii, ad quod impetrans ordinatus est, vel ecclesiastici beneficii, quod obtinet: & tunc Episcopus, vel alius, cui provisio mandatur, non tenetur Rescriptum exequi, notat etiam Felinus in *d. c. postulasti n. 5.* in impetratione Rescripti gratiæ non esse faciendam mentionem pensionis clericalis priùs obtentæ, aut præstimonii, dummodo beneficia non sint, sed tantùm loco stipendii: secus in Rescripto justitiæ, seu secundùm formam pauperum debet mentio fieri obtentæ pensionis clericalis: alioquin Rescriptum esset subreptitium, quatenus per exceptionem peremptoriam posset infringi, si contra ordinatorem impetratum fuit: ratio est, quia per hujusmodi proventus annuos cessat, causa paupertatis. Quinimò ipso jure tale Rescriptum videtur irritum, si non contra ordinatorem tanquam contentiosum dirigatur; sed simpliciter mandetur alicui, ut Clerico, tanquam pauperi provideat; tunc enim Rescriptum judicari debet, ut gratiosum, cui proprium est, ut ipso jure ob subreptionem censeatur irritum. 5

Quarta, ut Rescripti ad provisionem de beneficio impetrati fiat mentio in petitione alterius Rescripti, tametsi priori Rescripto renuntiatum esset: alioquin posterius Rescriptum est ipso jure irritum, & rescindendū etiam quidquid ejus prætextu actum fuit, idque desumitur ex *c. ad audientiam 31. h. t.* ubi Honorius III. ait: ***Mandamus quatenus eos, qui post litteras taliter venditas, alias (de illis mentione*** 6

non

non habita) impetrabunt de caterò, vel hactenus impetraverint carere decernas commodo earundem, & Ecclesias non permittas earum occasione vexari: revocando in irritum, si quid earum pratextu inveneris esse factum. Ex quo liquet, litteras expectativas posteriùs impetratas subreptitias esse, si nulla in eis mentio fiat expectativæ priùs impetratæ, cui impetrans, non absolutè, sed pro pensione ecclesiastica renuntiavit.

7 Quinta Regula est, quòd si quis beneficio impetrati Apostolici Rescripti receptus sit in Canonicum alicujus Ecclesiæ, sed nondum consecutus sit præbendam; adeóque habeat tantùm jus ad rem, non in re, si postea velit impetrare secundum Rescriptum ad aliud beneficium alterius Ecclesiæ, debeat in secundo Rescripto mentionem facere admissionis in Canonicatum, seu illum in una Ecclesia jam esse in Canonicum receptum, quia habet jus ad beneficium sibi acquisitum saltem radicaliter: siquidem recepto in Canonicum debetur proximè præbenda, idque desumitur ex *c. in nostra 32. h. t.* ubi Gregorius ait: *Mandamus quatenus eos Clericos Ecclesiis, in quibus recepti sunt, faciens esse contentos, non permittas, alios ab eis occasione litterarum hujus modi molestari, nisi de receptione fortè sua expressam fecerint mentionem.* unde præcipit Pontifex Archiepiscopo Mediolanensi, ut faciat eos Clericos in una Ecclesia receptos illâ esse contentos, & non permittat, eos vigore aliarum litterarum Apostolicarum beneficium alterius Ecclesiæ postulare, nisi in posterioribus litteris expressa mentio fiat, eos in una Ecclesia jam esse receptos: & tunc non sufficit generalis mentio, sed necessaria est specialis, quia Pontifex dicat, non obstante, quòd per litteras nostras sit receptus in tali speciali Ecclesia.

8 Hinc liquet, in impetratione Rescripti papalis ad beneficium, non solùm esse faciendã mentionem de jure, quod quis acquisivit in re, seu de beneficio priùs obtento, & possesso: verùm etiam de jure ad rem, seu ad beneficium, vel præbendam consequendam, quia per receptionem in Canonicum sub expectatione præbendæ, receptus non acquirit jus in præbenda, sed solùm ad præbendam, & nihilominus Gregorius IX. *in d. c. in nostra 32. h. t.* declarat, in impetratione alterius Rescripti ad beneficium esse mentionem faciendam de receptione in Canonicum sub expectatione præbendæ, seu de jure ad præbendam: præcipua enim intentio hujus textûs est, ut qui in Canonicum cum expectatione præbendæ receptus est, debeat in impetratione litterarum ad alterius Ecclesiæ Canoniam mentionem facere de sua receptione in Canonicum cum expectatione præbendæ, seu de jure, quod habet ad præbendam: quia habenti tale jus debetur suo tempore præbenda. Eadem ratione docet Abbas *in d. c. in nostra. n. 10.* injustè spoliatum beneficio jam obtento, & possesso teneri de eo facere mentionem in impetratione alterius beneficii: ratio est, quia per injustam spoliationem non perdit titulum beneficii, sed solam possessionem, adeò, ut quamvis de facto nullos percipiat redditus, adhuc habeat jus ad eos percipiendos: siquidem habet actionem, seu jus ad rem petendam, vel ablatã repetendam, seu recuperandam, & qui habet talem actionem, videtur habere rem ipsam ex *regul. jur. 15. ff.* & id etiam in personali actione locum habere, declarat Glossa.

Cæterum receptus in Canonicum cum expectatione præbendæ non dicitur habere beneficium, idque ex ipsa definitione beneficii constare videtur: est enim beneficium jus perpetuum recipiendi redditus ex bonis Ecclesiæ ratione spiritualis officii Ecclesiastica authoritate constitutum: & receptus in Canonicum cum expectatione præbendæ nõ habet jus recipiendi redditus proximè, sed tantùm remotè, & radicaliter pro tempore, quo erit præbendam suscepturus. Quòd si Canonicatus vel aliud quodcunq; beneficium oblatum quidem esset, sed nõdum acceptatum, tunc non esset necesse mentionem illius facere: quia tunc per non acceptationem excluditur ab omni jure tam in re, quàm ad rem, ut liquet in donatione, quæ ante acceptationem non fundat actionem personalem. 9

Sexta regula est, quòd si beneficium alicui absenti, ac ignoranti collatum sit ab ordinario collatore, & is impetret aliud beneficium à Papa, vel etiam ab alio inferiore Prælato nulla factã mentione beneficii priùs sibi collati; impetratio, & collatio alterius beneficii sit quidem valida; ita tamen quòd si utrumque retinere non possit, ut si beneficia secundùm Canones sint incompatibilia; in optione impetrantis sit, utrum eorum retinere velit. Idq; desumitur ex *c. gratia 7. h. t.* ubi cùm Clericus ignorans beneficium ab Episcopo sibi absenti collatũ, impetrâsset aliud beneficium à Sede Apostolica nulla facta mentione beneficii priùs sibi collati, dubitatum fuit, an gratia Papalis subreptitia esset, & respondit Bonifacius VIII. validam esse, ita tamen, ut si utrumque retinere non possit, eò quia talia beneficia sint incompatibilia, in optione impetrantis retinere, quod voluerit. 10

Quinimò, si cui ab inferiore collatore beneficii collatio facta est, is nondum acceptavit, nec consensum dedit, validè impetrat gratiam alterius beneficii nulla facta mentione de collatione beneficii nondum acceptati: ratio est, quia ante acceptationem, vel ratihabitionem collationis factæ non acquiritur jus in re, immo neque jus ad rem, si propriè loquamur, quia ante acceptationem, & ratihabitionem collationis factæ habet tantùm jus beneficium illud acceptandi, vel non; adeò, ut beneficium absenti collatum ante ejus declaratum dissensum non possit interim alteri conferri *c. si tibi absenti 17. de præbend. in 6.* unde, cum sit in libertate impetrantis secundum beneficium non acceptare, nec ratihabere collationẽ sibi factam de altero; non est necesse in impetratione mentionem illius facere, nec ob talem taciturnitatem gratia censenda est subreptitia: quia stylus Curiæ tantùm exigit, ut mentio fiat prioris beneficii, quando hoc est obtentum, & in præsenti casu beneficium non est obtentum, cùm nondum sit acceptatum. 11

Quòd

Quòd si dicas, tale rescriptum esse subreptitium ob taciturnitatem factæ collationis, quæ si Papæ innotuisset verisimilius est, quòd non concessisset aliud beneficium, proinde taciturnitatem esse tunc causam impetrati rescripti, quod propterea est irritum. Contra est, quia rescriptum sive justitiæ, sive gratiæ sine dolo obtentum ob tacitam veritatem non est subreptitium, dumodo Papa cognita veritate tacita, adhuc illud concessisset, licèt alio modo, & sub quadam alia conditione: unde tunc rescriptum potest executioni mandari saltem cum eo modo, aut conditione, prout accidit in hoc casu. Tum quia si impetrans potest duo illa beneficia simul obtinere secundùm canones, eò quia non sint incompatibilia, tunc non potest dici taciturnitas prioris beneficii collati, sed nondum acceptati esse causa gratiæ à Papa concessæ, quia supponitur quòd Papa etiam veritate expressa in impetratione gratiæ, adhuc illam concessisset absolutè, & eodem modo. Vel non potest impetrans secundùm canones utrumque beneficium retinere ob incompatibilitatem *c. de multa 28. de præbend.* vel quia unum sit sufficiens ad honestam sustentationem: & tunc si Pontifex Clerico, qui beneficium priùs sibi collatum non acceptavit, aliud quoque conferret, sub conditione ut utrumq; simul non retineat, sed unum tantùm potest quod maluerit retinere. Idq; procedit sive rescriptum sit justitiæ, sive gratiæ, quia est utriusq; eadem ratio hoc tantùm discrimine, quòd rescriptum gratiæ propter obreptionem vitiatur ipso jure, & rescriptum justitiæ non nisi ope exceptionis,

13 Septima regula est, quòd si consuetudo, vel statutum alicujus ecclesiæ resistat collationi alicujus beneficii, tunc ut rescriptum mandans provisionem hujusmodi non censeatur subreptitium, necesse est, in eo fiat saltem generalis mentio illius consuetudinis, vel statuti: quòd si statutum juramento sit firmatum, debet etiam mentio fieri ipsius juramenti, & desumitur ex *c. constitutus 19. b.* t. ubi cum Paulus Clericus à Cœlestino III. litteras impetrâsset ad Decanum, & Capitulum Ecclesiæ Bituricensis, quibus mandabatur, ut ipsum Paulum in Canonicum reciperent, eique præbendam vacantem, vel proximè vacaturam conferrent; & cùm capitulum mandatum Papæ implere neglexisset, Pontifex datis litteris Executoriis constituit hujus rei Executores. Sed mortuo Cælestino successit Innocentius III. coram quo iterum fuit hæc controversia agitata; Capitulum enim opponebat, litteras illas fuisse subreptitias propter taciturnitatem veri, eò quia numerus Clericorum in ecclesia Bituricensi juramento confirmatus esset, & à Sede Apostolica approbatus, & hujus rei nulla fuerit mentio facta in impetratione Pauli in Canonicum Bituricensem: idque cùm intellexisset Innocentius III. scripsit ad Archiepiscopum Senonensem, quòd si intellexerit, numerum canonicorum iuramento constitutum fuisse in ecclesia Bituricenti priùs quàm Paulus litteras executorias à Sede Apostolica impetrâsset, declaret irritum, & nullius valoris rescriptum illud, & quidquid ejus vigore factum fuit. Quòd si aliter se rem habere comperiret, seu numerum canonicorum eo tempore stabilitum non fuisse, tunc faceret Paulum recipi in Canonicum Bituricensem assignata etiam illi præbenda vacante, vel proximè vacatura, idque sublato omni remedio appellationis. Ex quo textu liquet, non valere rescriptum gratiæ, seu ad beneficium consequendum, si deroget statuto jurato ejusdem ecclesiæ nulla facta mentione ejusdem statuti: quia tametsi in tali statuto, ut in præsenti textu de certo Canonicorum numero recipiendo per juramentum confirmato, tacitè censeatur excepta authoritas Papæ, & salvo jure superioris; non tamen præsumitur, quòd Papa velit derogare tali statuto jurato ob additum juramentum, quo Deo est acquisita obligatio, nisi id exprimat, vel saltem addat clausulam derogatoriam, qualis est illa *non obstante statuto etiam juramento firmato.* Imò licèt statutum de certo numero Canonicorum juratum non fuisset, adhuc mentio debuisset de illo fieri, ut notat Imola in *c. constitutus 19. n. 2. b. t.* quia rescriptum gratiæ, aut beneficiale non derogat statuto ecclesiæ, si nulla de eo fiat mentio, quia mens Pontificis est, ut laudabili locorum consuetudini, aut statutis non adferatur præjudicium nisi Pontifex id exprimat *c. de constit. in 6.*

Quamobrem rescriptum impetratum in cita- 14
to textu non solùm fuit irritum, eò quia in ipso nulla facta fuerit mentio de statuto certo numero Canonicorum, sed etiam, quia tacebatur, tale statutum fuisse juratum, quia non est verisimile, Papam tollentem statuta velle etiam tollere statuta jurata, nisi id exprimat per clausulam derogatoriam, & dicat non obstante statuto etiam jurato: ratio est, quia duplex vinculum statuti scilicet, & juramenti est firmius quàm vinculum statuti tantùm: proinde non præsumitur Pontifex eadem facilitate derogare statuto jurato, & statuto simplici: & licèt juramentum sit accessoriũ cum adjiciatur statuto, & sublato principali tollatur accessorium, proinde sublato statuto censeatur etiam sublatum juramentum: id tamen non procedit nisi quando scienter tollitur statutum juratum, non verò quando tollens statutum ignorat juramentum ei adjectum, quia tunc non censetur velle tollere juramentum, vi cujus obligatio est Deo acquisita. Cæterum si rescriptum gratiæ, seu beneficiale propter subreptionem irritetur quoad partem Principalem, censetur etiam irritum quoad accessorium. Hinc in casu hujus textus quia principale intentum Pontificis fuit, ut Paulus in Canonicum Bituricensem reciperetur, & quia Canonico præbendæ debetur; ideo adjecit, ut si aliqua vacaret, vel proximè esset vacatura ea eidem conferretur. Verùm quia rescriptum quoad partem principalem fuit obreptitium, eò quia si Papæ innotuisset certus numerus Canonicorum in ecclesia illa juramento statutus, verisimiliter non mandâsset Paulum in Canonicum recipi ultra numerum illum definitum, & juratum: ideo quia principale ob subreptionem non fuit validum, neque accessorium de præbenda eidem assignanda potuit subsi-

subsistere, & quidquid inde actum fuit, nullum obtinuit valorem.

15 Octava regula est, ut in supplicatione pro beneficii impetratione exprimatur, quod supplicans sit Clericus, idq; desumitur ex *c. cum adeo 17. h. t.* ubi: Cum Petrus Clericus in ecclesia Modecensi sufficientem præbendam consecutus pro congrua sustentatione postea impetrâsset à Papa litteras, quibus eidem Canonicatus in ecclesia de Gronzola conferri juberet. Cùm hoc intellexisset Archiepiscopus Mediolonensis, scripsit ad Innocentium III. mirari se, tale rescriptum à Sede Apostolica emanâsse: cui respondit Pontifex, mirari eum non debuisse, cum ex litterarum tenore apparere non potuerit: eas per subreptionem obtentas fuisse, cùm de præbenda Petri, & quòd Canonicus esset Modecensis, nulla in iisdem litteris facta fuerit mentio, imò nec quòd Clericus esset. Rursus addit in litteris Papalibus adjectam fuisse conditionem, si ad ecclesiasticum beneficium ecclesiæ Gronzolensis dignus existeret. Ex quo textu liquet, habenti beneficium ecclesiasticum, quod sufficiat ad congruam Sustentationem spectata qualitate personæ non debere aliud conferri: quia ex abundantia redditūum ecclesiasticorum oritur luxus, & vanitas Clericorum, & ecclesiasticæ disciplinæ relaxatio, ut etiam Ministrorum paucitas, aliorúmque Clericorum inopia, proinde etiam divini cultûs diminutio: ut etiam jure novo habetur in Concilio Tridentio *sess. 24. c. 17. de refor.*

16 Cæterum expressio Clericatus tantùm videtur requiri secundùm stylum, & consuetudinem Curiæ Romanæ; quia spectato jure communi non est necesse, ut exprimatur Clericatus, quia tacita semper intelligitur clausula, si est dignus, & idoneus: & cum non possit esse idoneus, nisi sit Clericus, ideo subintelligitur semper, quòd sit Clrricus, qui beneficium petit. Cæterum rescripta emanantia ex Curia Romana debent diligenter inspici, ac considerari, an stylus, seu forma scribendi observata fuerit, & non aliquid fuerit omissum, quod necessariò erat exprimendum: & in litteris hujus textûs fuerunt duo omissa, quæ necessariò fuissent exprimenda: primum fuit, quòd impetrans aliud sufficiens beneficium haberet, cum enim in Pontificiis litteris id non exprimeretur; neque in supplicatione continebatur, proinde fuerunt subreptitiè impetratæ; tacito scilicet, & omisso eo, quod si Pontifici innotuisset minimè petitioni annuisset. Secundum omissum fuit quòd impetrans rescriptum esset Clericus, fuisset enim etiam Clericatus exprimendus, ut liquet ex textu, saltem ex stylo Curiæ. Cùm enim stylus Curiæ sit exprimere Clericatum, si in rescripto id omittatur, habetur pro subreptitio.

17 Nona est, quòd in impetratione rescripti mandantis restitutionem contra Judicem, à quo quis spoliatus est, seu amotus à beneficio, exprimenda sit causa spoliationis, quæ si non fuerit expressa in rescripto, censeatur hoc subreptitium, idque desumitur ex *cap. dilectus 26. h. t.* ubi Innocentius declarat, rescriptum impetratum sub restitutione beneficii, in quo nō fit mentio de causa amotionis, vel excommunicationis, non valere. Ratio est, quia tunc præsumptio stat pro Judice. Notandum est, contra Judicem injustè spoliantem, seu privantem Clericum beneficio non posse impetrari restitutionem in forma communi, perinde ac si privatus spoliâsset, ut notat Glossa recepta in *c. 3. in fin. caus. 7. q. 1.* siquidem qui à Judice se spoliatum asserit; non illico, & ante omnia restituitur, sicut restitueretur, si ab alio privato fuisset spoliatus: tunc quando à Judice est Clericus spoliatus cognoscendum priùs est de causa privationis, seu ablatæ possessionis, non enim tunc præsumitur, vis & violentia; quia Magistratus præsumitur rectè, & licitè privare aliquem suo officio: & in dubio præsumptio semper est pro Magistratu, seu Judice, quòd rectè processerit, donec contrarium probetur, argum. *c. quid culpatur 4. caus. 23. q. 1.*

Verùm id limitatur, si Judex extrajudicialiter aliquem privaret sua possessione, aut non servato juris Ordine, ut si possessorem beneficii non citaverit, nec ejus defensiones audierit. Limitatur etiam quando notorium est, Judicem dejecisse injustè possessorem, eùmque privâsse suo beneficio: in his casibus spoliatus est statim restituendus, ut notat Abbas in *c. conquerente de restit. spoliat.* Dantur etiam aliæ duæ causæ, ob quas, si reticeantur, rescriptum justitiæ est subreptitium, quarum prima est, si impetrans non fecerit mentionem excommunicationis, quâ afficiebatur: siquidem rescriptum Papæ impetratum ab excommunicato, est ipso jure irritum: proinde adest inhabilitas ex parte impetrantis rescriptum *c. 1. h. t. in 6.* Alia est si quis à Judice privatus, & amotus à sua possessione causam non exprimat amotionis, ut fusè declarat Glossa in *d. c. dilectus 26. v. excommunicationis h. t.* 18

Decima regula est, quòd si ordo aliquis religiosus privilegium habeat à Sede Apostolica, ut per rescriptum conveniri non possit super decimis, vel aliis rebus, in quibus ordo ille est specialiter privilegiatus: rescriptum à Papa impetratum contra illum ordinem sit irritum, nisi exprimatur cujus Ordinis sit tale Monasterium, seu collegium, contra quod est impetratum rescriptum: quia tunc rescriptum est subreptitium, nec regulares tenentur ad illud respondere, & desumitur ex *c. cum ordinem 6. h. t.* ubi habetur, quòd si contra Cisterciensis Ordinis professos rescriptum aliquod super decimis, vel aliis rebus, in quibus specialiter privilegiati sunt, impetretur, & in quo dicti ordinis mentio non fiat, non teneantur regulares ad illud respondere: ex quo textu constat, privilegiū à Principe concessum posse præscribere formam futuris rescriptis, adeò ut si forma illa servata non sit, rescriptum sit ipso jure irritum. Hinc desumitur, ratio, quia quando privilegium à Principe concessum generaliter præscribit formam rescriptis impetrandis, non valet rescriptum, si non servetur forma præscripta in privilegio; alioquin hoc esset inutile. Hinc si Ordo aliquis (ut est exemplum in textu) privilegium habeat, ut per rescriptum conveniri 19

non

non possit nisi exprimatur, Religiosos esse talis ordinis: si tunc Parochus aliquis impetret à Sede Apostolica, ut Monasteriũ Sancti Stephani situm intra limites suæ Parochiæ decimas ex suis agris cogatur præstare, subreptitium est rescriptum, si in illo non exprimatur Monasterium esse Ordinis Cistercienſium.

20 An verò debeat etiam fieri mentio privilegii, exemptionis à decimis eidem Monasterio competentis, & contra quod impetratur rescriptum. Respondetur cum distinctione, quia vel est rescriptum gratiæ, & tunc non valet, si præjudicet ei, contra quem est impetratum nulla facta mentione de gratia, vel privilegio exemptionis *c. inter 10. de sent. & re judic.* quia tunc si veritas Papæ innotuisset, minimè rescriptum concessisset. Vel est rescriptum justitiæ, seu ad lites concessum ad juris observantiam, & tunc non est opus fieri mentionem talis exemptionis: quia nullum fit præjudicium privilegiato: ratio est, quia hic potest semper in progressu litis opponere exceptionem sui privilegii. Quòd si per rescriptum Papæ alicui mandetur, ut tanquam delegatus Papæ possit visitare regulares cujuscunque Ordinis, & religionis sint, eósque in judicium vocare adjectâ clausulâ: *Non obstantibus privilegiis quibuscunq; sub quacunque verborum forma concessis*, per hanc clausulã generalem derogatur privilegiis regularium non insertis corpori juris, adeò ut possint ex vi talis rescripti visitari, & conveniri non obstante, quòd acceperint speciale privilegium, ut per rescripta Apostolica non possint conveniri, nisi expressa mentio fiat Ordinis, vel privilegii concessi: quia cum Pontifex non possit in specie scire omnia, & singula privilegia concessa regularibus, quæ in facto consistunt, & non sunt inserta corpori juris, non potest illa in specie exprimere: unde per adjectam clausulam generalem derogat tunc privilegiis non insertis corpori juris, quibus tamen non derogaretur per talem clausulam, si essent inserta corpori juris, quia tunc requiritur in specie, ut eis derogetur, & fiat etiam expressa mentio privilegiorum, quibus derogatur, quia Pontifex censetur scire omnia privilegia inserta corpori juris. *c. 1. de constit. in 6.* unde si alicui derogare vellet, debet de ipso in specie mentionem facere. Tum quia privilegium insertum corpori juris censetur esse instar publicæ legis, proinde non præsumitur Princeps, qui est legum Custos, ei velle derogare per clausulam generalem derogatoriam, unde requiritur specifica derogatio.

21 Undecima regula est, ut in rescripto impetrato in causa communi Prælato, & conventui regulari, quamvis consuetudo sit, ut fiat mentio ipsius conventus; non tamen id est absolutè necessarium: idque desumitur ex *c. edoceri 21. h.t.* ubi Pontifex declarat, quòd Abbas teneatur respondere in causa matrimonii, ubi negotia Abbatis, & conventûs non sunt separata; tametsi in rescriptis non fiat mentio de conventu, quinimò si in litteris addatur *remota appellatione* Abbas non possit appellare, ne molestetur nisi subsit alia causa. Ratio petitur ex eo, quia ad eum propriè spectat in judicio respondere, & causam defendere, ad quem pertinet rerum de quibus agitur administratio *argum. c. edoceri 21. h. t.* administratio autem bonorum Monasterii competit Abbati seu Prælato, & non tantùm in rebus temporalibus, sed etiam in spiritualibus: proinde etiam actio, & defensio in judicio ad Abbatem pertinet *c. Abbatem 4. causa 18. q. 2.*

Excipitur tamen nisi causa sit gravis, & valdè ardua, quæ sine consensu, vel consilio conventus expediri non possit: nisi ex speciali jure privilegii, consuetudinis, vel statuti præsertim à Papa confirmati bona conventus sint omnino separata, non solùm quoad proprietatem, verùm etiam quoad administrationem à bonis ipsius Prælati: tunc enim ut notat Pirhing. *h. t. sect. 3. §. 4. n. 83.* non valet rescriptum impetratum contra Prælatum super bonis spectantibus ad conventum: adeo ut non possit Prælatus ex vi talis rescripti conveniri, quia ad ipsum non pertinet procurare negotia Conventus, quando jura conventus sunt seperata à juribus Prælati. 22

§. V.

De Tempore, quo impetrata rescripta præsentari debent.

POstquam rescripta sunt legitimè impetrata, & in iisdem expressa omnia exprimenda juxta prædicta in præcedenti §. debent præsentari Judici delegato, seu executori, ut suum sortiantur effectum: unde superest inquirendum, quando debeant præsentari. Certum est, rescripta justitiæ, seu ad lites esse præsentanda intra annum si adsit copia Judicis delegati, quòd si habita tali copia impetrator intra annum per dolum, vel negligentiam non præsentaverit rescriptum, nec eo usus fuerit: tunc secundum rescriptum impetratum ab Adversario validum est, tametsi de primo nulla in ipso mentio fiat; & primum non præsentatum per dolum, vel negligentiam deperdit suum valorem, idque desumitur ex *c. si autem 9. h. t.* ubi cum Clericus rescriprum ad lites à Sede Apostolica impetrâsset, & illo usus non esset coram Judice delegato & interim ejus adversarius aliud impetrâsset rescriptum, in quo nulla prioris mentio fiebat: dubitabatur, an Clericus exhibendo prius rescriptum contra suum adversarium, posset eum repellere: & respondit Lucius Papa, esse distinguendum, si enim Clericus, qui prior rescriptum impetravit ob dolum, vel negligentiam non fuit illo usus intra spatium unius anni, seu illud non præsentaverit Judici delegato, non potest excipere, nec repellere ejus adversarium. Sin verò non culpâ suâ, sed quia non habuit copiam Judicis delegati intermisit præsentare suum rescriptum, & illo uti; competit tunc ei exceptio contra litteras posteriores. Ex quo textu liquet, quod tametsi rescripta justitiæ sint perpetua, habent nihilominus certum tempus definitum in ordine ad eorum usum, & tunc tantùm dicuntur perpetua, quando certum tempus non est definitum, adeò ut tamdiu eorum usus, seu utendi facultas duret, quam- 1

quamdiu permanet jus sive agendi, sive excipiendi, super quo fundatur *l. 2. juncta Glossa V. Perennia C. de diverf. rescript.* quod tamen limitatur per textum in *c. si autem 9. h. t.* nisi postea aliud ei contrarium rescriptum à Principe impetretur. Quia tum tolli prius potest ope exceptionis propter negligentiam, & dolum eo non utentis: idque meritò statutum fuit, quia non deerant, qui impetratis litteris Apostolicis dolosè, & negligenter protrahebant illis uti, ac præsentare Judici delegato, tametsi copiam illius haberent: & tunc tantùm eas exhibebant, cùm illis constaret eorum adversarios alias posteriores litteras à Papa impetrâsse; tunc enim excipiebant, quòd litteræ ab adversariis impetratæ essent subreptitiæ, & nullius valoris, eò quia nulla in ipsis fieret mentio de prioribus litteris jam impetratis.

2 Ad removendas has fraudes, rectè mandavit Pontifex, ut imposterum rescripta justitiæ, seu ad lites intra annum præsentarentur, si copia Judicis delegati adfuerit.

Cæterum rescripta justitiæ, seu ad lites obreptiè obtenta, non sunt ipso jure irrita, sed elidi possunt per exceptionem, ut notat Felinus in *c. ad audientiam 31. h. t.* etenim posterius rescriptum priori contrarium subreptitium est, si in illo nulla fiat mentio prioris, & tamen elapso anno si qui priùs impetravit rescriptum, illo per negligentiam, vel dolum non utatur, posterius vires ac robur acquirit. ex quo deducitur, posterius rescriptum non fuisse irritum ipso jure, sed tantùm per exceptionem potuisse elidi, quia juxta *regul. jur. 18. in 6. Non firmatur tractu temporis quod de jure ab initio non subsistit.*

3 Objici tamen posset textus in *l. licet 5. C. de except. & præscript.* ibi *quæ sunt temporalia ad agendum, perpetua sunt ad excipiendum.* Ex quo infertur, quòd tametsi impetrator primi rescripti prohibeatur agere post annum ob negligentiam, vel dolum, potest tamen semper excipere de obreptione rescripti posterioris, ut efficaciter ex eo non possit conveniri. Sed contra, respondetur cum distinctione, potest semper excipere de obreptione posterioris rescripti, si jus excipiendi oriatur ex radice perpetua, ut ex jure naturali propriæ defensionis, conceditur; quia per legem positivam non tollitur jus naturæ: hinc quamvis per legem positivam definiatur tempore jus actionis, adhuc jus excipiendi oriens ex jure naturali propriæ defensionis perpetuò manet, & habetur exemplum in *l. purè 5. §. ult. ff. de doli, & metus except.* si enim Titius in contractu inito cum Cajo est deceptus, seu dolo circumventus, convenit Titio contra Cajum actio de dolo, quam juxta *l. ult. C. de dolo* intra biennium potest instituere: & biennio elapso tametsi non possit ampliùs agere de dolo, nihilominus si Cajus adversus Titium actionem moveat, & petat servari contractum initum, in quo fuit Titius deceptus, potest semper hic Cajum per exceptionem doli mali repellere: quia naturalis æquitas non patitur, aliquem ex propria iniquitate commodum reportare, neccum alterius damno ditescere. Sin verò jus excipiendi oriatur ex radice mutabili, & temporanea, tum destructa radice cessat jus excipiendi, quia tunc tam actio, quàm exceptio contra rescriptum posterius fundatur in rescripto priùs impetrato, quod cùm per sacros canones in pœnam negligentiæ, vel doli commissi amiserit suum valorem, sequitur, quòd etiam jus excipiendi corruat, ut notat Abbas in *c. cum ordinem 6. h. t.*

Quomodo verò post elapsum annum dolus, 4
vel negligentia præsumatur in eo, qui non utitur suo rescripto impetrato. Respondetur, negligentiam præsumi post lapsum anni, quia cùm jus canonicum præscribat tempus, quo impetrator rescripti debeat illo uti, si intra id tempus illo nō utatur præsumitur neglexisse res suas, adeò ut si velit culpam, vel causam refundere in Judicem, dicátque ab ipso fuisse impeditum, quo minus uteretur rescripto, onus probandi incumbat ei, qui impetravit rescriptum, quia præsumitur neglexisse ejus usum: secus est de dolo, quia dolus non præsumitur, sed onus illum probandi incumbit alleganti dolum *l. quoties 18. §. qui dolo. ff. de probat.* Dolus autem probatur per conjecturas, seu indicia exteriùs perspicua *l. dolum ex indiciis 6. C. de dolo malo.* quia cum dolus oriatur, & inhæreat animo per se non apparet, proinde non potest aliter probari quàm per conjecturas, & indicia sensibilia, quæ sint exteriùs perspicua.

Quamobrem rescripta justitiæ, seu ad lites, ut 5
suum sortiantur effectum præsentari debent intra annum si adsit copia Judicis delegati: alioquin si impetrator suum Rescriptum non præsentet intra id tempus redarguitur negligentiæ; & si ejus adversarius impetret secundum rescriptum, hoc posterius est validum, quamvis de primo non faciat mentionem, ut desumitur ex *c. si autem 9. h. t.* & præsertim *c. pleramque 23. h. t.* ubi dicitur: quòd si alterum rescriptum super eadem causa ad alios Judices impetretur non facta mentione prioris rescripti, per exceptionem possit rejici, nisi qui priùs rescriptum impetravit, eo dolo, vel negligentiâ per annum uti intermiserit: tunc enim secundum rescriptum prævalet primo, idque in pœnam negligentiæ, quia persæpe contingebat, ut impetrantes Papalia rescripta ea longo tempore non præsentarent, & cum eorum adversarii alia rescripta ad alios Judices interim impetraverint, quorum authoritate citati fuerant; tum prioribus rescriptis productis contra posteriora excipiebant, valida hæc non esse, eò quia priorum nulla in eis mentio facta fuerit. Et quia malitiis hominum non est indulgendum statuit Innocentius III. in *d. c. plerumque 23. h. t.* ut si quis litteris à Papa impetratis ex eo tempore, quo Judicum copiam habuit intra annum ex malitia, vel negligentia uti intermiserit, possit authoritate posterioris rescripti conveniri, tametsi in ipso nulla prioris rescripti mentio facta fuerit. Malitiis hominum non esse indulgendum habetur in *c. significante 5. qui matrimonium accusare possunt. & in l. in fundo 39. ff. de re vindicat.* Siquidem si malitiæ indulgeatur, inde desiderium peccandi intra mentem subitiè contra deprimitur si malitiis hominum pœnæ injungantur.

Qua-

6 Quamobrem si prior impetrans rescriptum Papale ex malitia, vel negligentia intra annum habitâ copiâ Judicis illud non præsentavit, conveniri potest ab adversario per posterius rescriptum in eadem causa ad alios Judices impetratum, quamvis in eo nulla fiat mentio de priori rescripto. Neque obstat textus in *c. caeterum 3. h. t.* ubi dicitur, non valere secundum rescriptum super aliqua causa obtentum à sede Apostolica, si nulla in eodem mentio de priori fiat. Nam hic textus intelligi debet, ut explicatur in *c. plerumque 23. h. t.* nimirum quòd secundum rescriptum non valeat, si primus impetrator intra annum uti cœperit rescripto, quod præsentaverit Judici delegato: vel si non habuerit copiam Judicis delegati; & saltê probari possit per se non stetisse, quin suo rescripto uteretur; in hoc sensu dicitur secundum rescriptum non valere, si nulla in ipso fiat mentio de primo: idque ex defectu voluntatis concedentis *argum. c. ex parte 12. de Offic. deleg.* Aliud est, primum impetrantem neglexisse uti suo rescripto, vel dolo, & ex malitia noluisse illo uti; & aliud fuisse illo usum, vel saltem per eum non stetisse, quin illo uteretur, si copiam Judicis delegati habuisset: in primo sensu est verus textus in *c. Caeterum*, & in secundo verificatur textus in *c. Plerumque*: quo pacto textus, qui videntur inter se contrarii simul conciliantur.

7 Hinc notat Abbas in *c. si autem 9. n. 3. h. t.* rescriptum ad lites, quo per negligentiam impetrator non fuit usus, suum amittere valorem, si ab adversario post annum impetretur secundum rescriptum contrarium priori. Quòd si adversarius post annum non impetraret secundum rescriptum, tunc primum semper valeret, ac esset perpetuum, hoc est duraret tanto tempore, quanto perseveraret actio, super qua impetratur *l. falso asseratur. C. de diversis rescript.* ubi rescripta justitiæ, seu ad lites dicuntur esse perennia, nisi aliud tempus desiniatur in illis: & quia textus in jure canonico ponentes terminũ unius anni supponunt quod adversarius impetret posterius rescriptum; sequitur, quòd hoc secundo non impetrato procedat jus antiquum in *d. l. falso.* ubi rescripta justitiæ dicuntur perennia: quia non censetur plus de priori lege mutatum, quàm sit in jure expressum *l. præcipimus C. de appell.* & in hoc sensu salvantur textus juris.

8 Quòd verò ad rescripta gratiæ, seu ad beneficia attinet, non est certum tempus intra quod præsentari debeant in jure præsixum, proinde rescripta gratiæ regulariter sunt perpetua, nisi interveniat dolus, aut notabilis negligentia, vel aliunde certum tempus præsentandi rescriptum gratiæ præfiniatur in jure, vel à concedente, ut notat Abbas in *d. c. si autem 9. n. 4. h. t.* siquidem nullibi in jure reperitur determinatum certum tempus, intra quod debeant rescripta gratiæ præsentari, quapropter censentur esse perpetua, adeò ut non expirent per mortem concedentis *c. si super gratia de offic. deleg. in 6.* quod tamen procedit, nisi intersit dolus, aut notabilis negligentia: quia si quis per dolum, vel notabilem negligentiam uti neglexerit suo rescripto ad beneficium, si tunc superveniat impetratio contrarii rescripti obtenti ab alio, tunc in pœnam doli, vel negligentiæ prius rescriptum amittit suum valorem, & secundum acquirit vim; adeò ut posterior impetrator præferatur primo, idq; desumitur ex *c. si Clericus 11. de præbend. in 6.* ubi habetur, quòd si Clericus, cui mandabatur provideri de præbenda proximè vacatura negligat petere præbendam primò vacantê, & sibi debitam; gratia sibi facta ob ipsius negligentiam extinguitur.

Quanta verò debeat esse negligentia in præsentandis rescriptis gratiæ, ut hæc deperdant suum valorem, seu quanto tempore debeat impetrator negligere usum sui rescripti, cùm non sit in jure desinitum, relinquitur arbitrio boni viri, ut notat Alexander *lib. 1. consil. 39. n. 5.* ubi addit, id dijudicandum esse habita ratione ad qualitatem personæ, ad loci distantiam, & ad causæ qualitatem *argum. cum sit Romana 5. de appell.* 9 Quòd si superior desiniat tempus, quo debeat rescriptum gratiæ præsentari, tunc standum est statuto superioris concedentis rescriptũ gratiæ: unde si Papa per rescriptum Apostolicum mandet, ut aliquis provideatur de præbenda proximè vacatura, qui rescriptum impetravit, eveniente tali vacatura tenetur suum rescriptum præsentare: alioquin amittit gratiam, ut notat Glossa in *c. si Clericus v. negligenter de præbend. in 6.* Ex concordatis tamen Germaniæ tempore Nicolai V. §. *de cateris* expressè cavetur, ut si vacante beneficio in mensibus Papalibus: *Non apparuerit infra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii, quod alicui de Apostolica authoritate provisum fuerit, ex tunc, & non antea Ordinarius, vel alius ad quem illius dispositio pertinebit, de illo liberè disponere poterit.*

10 Quia verò Ordinarii Collatores in præjudicium collationis Papalis interpretabantur præcitatam dispositionem, adeò ut frequentes orirentur difficultates: Gregorius XIII. in sua Bulla, cui initium est, *quæ in ecclesiam*, (& habetur in secundo Tomo Bullarii, estque constitutio 41. ejusdem Pontificis) explicavit, præfatam dispositionem, & declaravit, sensum illius esse, *ut dispositio beneficii intra tres menses à die notæ vacationis à se prædictæ fieri, deque gratia facta alicubi apparere debeat.* & declaravit etiam, quòd post tres menses non possint ordinarii collatores disponere de iisdem beneficiis, quando de ipsis intra trimestre per sedem Apostolicam qualiscunque gratia, vel dispositio, aut concessio facta fuerit. Et ne cuiquam liceret protrahere dispositionem factam à sede Apostolica ad longum tempus: decrevit idem Pontifex, quòd provisi de beneficio concessionis sibi factæ fidem, & testimonium intra tres menses à die notæ vacationis teneantur publicare in loco beneficii, vel saltem dictis collatoribus significare: & hæc dispositio observatur, nisi temporis angustiæ, vel alia justa impedimenta obstent, ut notat Georgius Pranden. *super concordata Germaniæ q. 12. not. 2.* ubi subinfert, quòd si Papa providerit intra tres menses juxta concordata Germaniæ, non officiat, quòd talis provisio intra tres menses à die vacationis non innotuerit in partibus & citat declarationes Rotæ coram Fabio Accoram. 13. Februarii 1559. *decis. 126.*

126. Hinc licèt Gregorius XIII. statuerit significationem obtentæ provisionis esse faciendam intra tremestre, non tamen si non fiat intra id tempus annullat provisionem, quamvis irritas declaret quascunq; provisiones collatorum factas post pubicationem gratiæ Apostolicæ. Pontifex enim tantùm ad excitandam diligentiam provisorum decrevit, ut intra tremestre significetur obtenta provisio.

§. VI.

De Modis quibus rescripta sint executioni mandanda.

1 IMpetrata, & præsentata rescripta Apostolica debent, ut suum sortiantur effectum, executioni mandari à Judicibus, & Executoribus deputatis à Sede Apostolica. Hæc autem executio rescriptorum emanantium à Sede Apostolica, vel ejus Legatis, ab iisdem non potest committi nisi personis obtinentibus ecclesiasticam dignitatem, aut personatum, vel cathedralium ecclesiarum cananicis, idque desumitur ex *c. statutum 11. in 6.* ubi Bonifacius VIII. declarat, causas litterarum Apostolicarum esse committendas habentibus dignitatem, personatum, vel canonicatum in cathedrali, & locis insignioribus, & confirmatur etiam jure novo in Concilio Tridentino *sess. 23. c. 10. de refor.* ex quo textu liquet, causas authoritatis sedis Apostolicæ, aut legatorum ejus, aliis non posse committi nisi habentibus dignitatem ecclesiasticam, aut personatum, aut cathedralium ecclesiarum Canonicis, ubi notandum est cum Glossa, quam communiter ibidem approbant, sermonem in hoc textu esse de commissionibus, quæ fiunt cum annexa jurisdictione: quia nomen causæ accipi solet ut jurisdictionem involvat *c. super quæst. 27. post princ. de offic. deleg.*

2 Hinc notat Navarrus *in cap. cùm contingat 2. n. 4. & sequent.* esse distinguendum inter executores, qui deputantur super gratiis sedis Apostolicæ: quia vel sunt tantùm meri Executores, qui partes Judiciis non debent sibi arrogare, nec assumere; sed tantùm executione mandati tenentur ut conferre beneficium, vel mittere in possessionem beneficii provisum nemine se opponente.

3 Vel sunt Executores, quibus articulus non jurisdictionis, sed nudum ministerium committitur, ut esset recipere testes: & hi executores non est necesse sint in dignitate ecclesiastica constituti, nec canonici ecclesiæ cathedralis. Vel Executores gratiarum debent partes Judicis assumere & tunc obtinent jurisdictionem juxta Glossam receptam *in clement. unic. v. Executores:* ibi: *Executores ad providendum delegatam jurisdictionem habent*; & in iis requiruntur qualitates, quæ recensetur in *d. c. statutum 11. h. t.* & quamvis in commissione non contineantur verba jurisdictionis significantia processum cujusmodi sunt *vocatis vocandis*: vel compescendo contradictores, quia hæ, & aliæ similes clausulæ tacitè intelliguntur in negotiis requirentibus cognitionem causæ. Nomine autem dignitatis, qua in *d. c. statutum* debent esse insigniti ii, quibus committitur executio rescriptorum Apostolicorum, intelligitur ecclesiastica præeminentia cum jurisdictione fori externi: & nomine personatus ecclesiastica præeminentia sine jurisdictione, ut notat Barbosa in *d. c. statutum, n. 21.* ubi addit, id fuisse statutum ob majorem reverentiam in sedem Apostolicam, ne ejus Authoritas in Ministro inferiore vili penderetur, ut etiam ob utilitatem impetrantium ut hi peritos haberent Executores, ut notat Tolosanus *lib. 1. de rescript. c. 53.*

Idque procedit non solùm de Executoribus 4 datis ad causas justitiæ, seu ad lites, sed etiam de Executoribus, qui deputantur super gratiis sedis Apostolicæ expediendis, dummodo isti non sint meri Executores, quibus nulla sit commissa jurisdictio, sed tantum nudum ministerium, cujusmodi est receptio testium, adeò ut debeant solam, & puram mandati executionem facere: hi enim possunt rescripta exequi, tametsi prædictas qualitates non habeant: quia non exercent jurisdictionem, ut notat Navarr. in *c. cùm contingat. 24. h. t. caus. 2. nullit. n. 8.* Secus dicendum est de Executoribus mixtis, qui ex vi commissionis suæ annexam habent jurisdictionem, & debent partes Judicis assumere: hi enim debent esse in dignitate ecclesiastica constitui, vel saltem Canonici in ecclesiæ cathedrali, quia sunt veri Judices, & id procedit etiam ex stylo Romanæ Curiæ. An verò commissio seu delegatio fit iisdem facienda per verba significantia processum jurisdictionis, & cognitionem causæ, nimirum, ut procedant vocatis vocandis, vel contradictores compescendo. Respondetur negativè, quia hujusmodi clausulæ ut paulò superius diximus, semper tacitè subintelliguntur in negotiis exigentibus cognitionem causæ: alioquin non possent suum obire munus, ad quod à sede Apostolica deputantur, idque etiam procedit de subdelegatis; debent enim & ipsi habere potestatem assumendi Judicis Officium, ut notat Navarrus *in d. c. cùm contingat. n. 3. h. t.*

Cæterum quòd executio rescriptorum Apostolicorum non debeat committi Clericis, qui 5 dignitatem non obtinent, nec sint canonici in Cathedrali ecclesia, id tantùm procedit de causis ecclesiasticis exigentibus tractari coram Judice ecclesiastico: non verò de causis temporalibus ecclesiæ, quia istæ possunt etiam tractari juxta canones coram Judice sæculari, qua ratione potest Papa delegare causam criminalem, vel civilem contra laicum sibi subditum Judici laico, qui potest cognoscere de causis tantùm temporalibus ecclesiæ, non de spiritualibus; quòd si causa hæc temporalis ecclesiæ potest committi Judici laico, potiori jure poterit etiam committi Clerico non habenti dignitatem, nec canonicatum; dummodo non sit causa sanguinis. Quinimò si Papa ex certa scientia committeret executionem rescriptorum Apostolicorum simplici Clerico, vel curato, qui non esset constitutus in dignitate, nec canonicatu potiretur in cathedrali ecclesia, valeret commissio: ratio est, quia cum Papa sit supra jus positivum censeretur tunc derogare constitutioni juris canonici *in d. c. statutum 11.* ut in eodem notat Glossa *v. litterarum.*

Ut

6 Ut autem Papa dicatur committere ex certa scientia hanc executionem, debet ex tenore rescripti, seu mandati apparere, quòd Papa habuerit notitiam facti, & impedimenti. Episcopi autem possunt sua rescripta dirigere ad quemlibet Clericum idoneum, & eidem committere executionem tametsi non sit canonicus in cathedrali, nec dignitatem habeat; quia in jure nil specialiter disponitur circa hoc de Episcopis; proinde dispositio juris communis quoad Episcopos, & Ordinarios manet in suo vigore; & solet etiam ratio assignari, cur constitutio in *d. c. statutum 11. h. t.* non comprehendat Episcopos, seu Ordinarios, quia nimirum isti meliorem, & exactiorem habent notitiam Clericorum suæ Diœcesis: Papa autem Romæ non habet notitiam omnium Clericorum totius ecclesiæ Catholicæ, proinde à Papa executio rescriptorum Apostolicorum committitur habentibus dignitatem, vel personatum, vel canonicatum in Cathedrali ecclesia, quia isti præsumuntur periti juris canonici.

7 Quòd si executor tempore commissionis sibi factæ habuit dignitatem, vel personatum, cui postea renuntiavit, antequam litteræ Papales ipsi præsentarentur; tunc si commissio ei facta sit non ratione personæ, sed tantùm ratione officii, vel dignitatis; non potest talem commissionem amplius exequi, sed id munus tenetur successor in Officio, vel dignitate obire, & negotium expedire: quòd si commissio facta sit personæ, & quidem sub nomine proprio, tunc debet eam exequi *c. quoniam 14. de offic. Jud. deleg.* Excipitur tamen nisi propter crimen depositus fuisset, & remotus à dignitate, quia tunc præsumitur contraxisse infamiam, à qua impeditur, ne tali munus exerceat *argum. l. 2. ff. de Senatoribus.* Aliud tamen est de Canonico ecclesiæ cathedralis, quia cum is propriè successorem non habeat, ut notat Glossa in *c. quod sicut 28. V. consentire de elect.* commissio semper censetur facta personæ, tametsi ejus nomen non exprimatur in commissione, seu mandato: proinde potest in causa procedere, & eam expedire, tametsi canonicatui renuntiaverit, ut notat Glossa in *d. c. statutum V. Canonicis 11. h. t.*

8 Immo non solùm executio rescriptorum Apostolicorum committi potest constitutis in perpetua dignitate ecclesiastica, & personatu; verum etiam aliis habentibus præeminentiam cum ecclesiastica jurisdictione; tametsi ad nutum superioris revocabilem: adeò ut Officialis principalis, ut etiam Vicarius Generalis Episcopi, cui jurisdictio Episcopalis est generatim commissa, tam quoad causas, quàm quoad loca Diœcesis, possit esse Executor rescriptorum Apostolicorum; & Judex cum cognitione causæ: & desumitur ex *c. etsi 2. in Clementinis h. t.* ubi dicitur, quod causæ hujusmodi possint committi principali Officiali Episcopi, ac Priori conventuali: quia quamdiu est in Officio habet præeminentiam, & dignitatē; ac jurisdictionem Episcopalem in ejus tribunali; proinde potest illi committi executio rescriptorum papaliū cum causæ cognitione, quia Episcopus, & Vicarius Generalis habent idem tribunal, cùm Vicarius vicem gerat Episcopi. Immo id verum est, quamvis sit Vicarius Episcopi nondum consecrati, sed tantùm electi, & confirmati: ratio est, quia quoad Officium, seu exercitium jurisdictionis consecratio nil superaddit potestati Episcopi. Non tamen Vicarius Archidiaconi, vel alterius Prælati Episcopo inferioris potest constitui delegatus Papæ, quia is propriè non est Officialis: immo neque potest talis executio committi Officiali foraneo Episcopi, quia is est tantùm constitutus Vicarius in certa parte Diœcesis, & ad certos actus, Sin autem Papa in delegatione nominaret Vicarium foraneum, tunc is esset Executor, quia cum Papa sit supra jus commune, censeretur tunc eidem derogare. Quòd si in aliqua Diœcesi sint plures Officiales æque Principales, seu duo Vicarii generales concurrentes in Ordinaria jurisdictione Episcopali sibi concredita, possunt tunc utrisq; committi executiones rescriptorum Apostolicorum, & desumitur ex *d. Clement. c. etsi 2. h. t.*

Sin verò sint duo Vicarii, quorū unus sit generatim constitutus ad omnes causas, & loca Diœcesis, & alter tantùm ad certas causas, ut ad decimales, vel matrimoniales tantùm, vel etiam in certo limitato districtu Diœcesis, tunc is nisi expressè in delegatione à Papa nominetur, non potest esse executor rescriptorum Apostolicorum, quia tametsi exerceat jurisdictionem limitatam ad certas causas, vel certam partem Diœcesis, non propterea ecclesiasticam dignitatem, seu præeminentiam obtinet. Idque etiam procedit, si sint duo Officiales, seu Vicarii Episcopi unus in spiritualibus, & alter in temporalibus, quia hic non obtinet jurisdictionem; nec dignitatem ecclesiasticam; proinde non potest esse delegatus sedis Apostolicæ. Vicarius tamen Generalis in spiritualibus potest esse delegatus, tametsi non sit Officialis, seu Vicarius in temporalibus, ut notat Garcia *de benefic. c. 8. n. 122.* & in praxi servatur. Quinimò etiam Vicarius Capituli cathedralis constitutus sede Episcopali vacante potest esse delegatus, seu Commissarius Papæ, quia etiam ipse est Officialis, & exercet Episcopalem jurisdictionem, ut notat Glossa *in d. Clement. & si 2. V. Episcopi.* Rursus etiam Priori conventuali committi potest executio rescriptorum Apostolicorum, cum talis Prior toti conventui, vel congregationi regularium cum jurisdictione præsit, licèt per electionem non sit constitutus, sed per provisionem, seu nominationem superioris Monasterii, vel Abbatis, à quo etiam pro arbitrio sit amovibilis: ratio est, quia talis Prior obtinet dignitatem ecclesiasticam, seu præeminentiam junctam cum jurisdictione, ut habetur in *dicta Clement. etsi 2. h. t.* ubi notat Glossa, Priorem conventualem dici constitutū in dignitate, quamvis non sit assumptus per electionem, sed sit amovibilis ad arbitrium sui Abbatis. 9

10 Id verò non procedit de illis Prioribus, qui in eadem Congregatione, seu conventu regulariū subjiciuntur Abbati, ad quem imediatè pertinet potestas administrationis, & jurisdictionis supra totum monasterium, ut sunt in Germania Priores, qui in suis monasteriis subsunt Abbatibus, ad quos imediatè pertinet potestas administrationis & jurisdictionis supra totū Monasterium: ratio est

est, quia hujusmodi Priores non dicuntur habere jurisdictionem, nec dignitatem; sed simplicem curam, ac solicitudinem; proinde non possunt esse delegati Papales, ut notat Abbas in *d. Clem. 2. n. 6. h. t.* Excipitur tamen nisi Papa ex certa scientia talem Priorem claustralem nominatim deputaret Delegatum sedis Apostolicæ: quia tunc Pontifex derogaret juri communi: hinc nec simplex religiosus potest constitui Executor rescriptorum Apostolicorum ex defectu dignitatis, & jurisdictionis: nisi ex certa scientia Papæ ad id nominatim deputaretur.

11 Cæterùm jure novo in Concilio Tridentino *sess. 25. c. 10. de refor.* statuitur, ut præter Ordinarios locorum in singulis conciliis Diœcesanis, vel Provincialibus designentur aliquot qualificatæ personæ juxta constitutionem Bonifacii VIII. in *c. statutum 11. h. t. in 6.* quibus causæ ecclesiasticæ spirituales pertinentes ad forum ecclesiasticum possint à sede Apostolica, vel ejus Nuntio committi, vel etiam eorum substitutis, qui quatuor esse debent. Verùm causæ delegatæ authoritate litterarum sedis Apostolicæ, vel ejus Legatorum cognosci, tractari, & audiri debent in civitatibus, vel locis insignibus, ubi haberi possit copia peritorum in jure.

12 Non tamen potest quis per litteras Apostolicas trahi ad judicium ultra duas dietas, seu iter duorum dierum extra suam Diœcesin, nisi tales litteræ ex consensu utriusque partis fuerint impetratæ, vel nisi in illis expressa mentio fiat de hac constitutione, cui propterea expressè derogetur, ut desumitur ex *c. nonnulli 28. h. t.* quia æquum non est, ut reus è loco valdè remoto cum magnis laboribus, incommodis, & sumptibus citetur, nisi necessitas, aut gravitas causæ id exigat: non enim debet per judicium injuriis via sterni: alioquin injuriæ inde nascerentur, unde jura oriuntur: quapropter jure novo statutū est ut reus non citetur, nec trahatur ad judicium ultra unam dietam extra Diœcesin, ut notat Molina *tract. 5. de justit. disput. 27.* & hic probat Bart. in *l. mediterraneæ 8. C. de annonis lib. 10.* ex generali regula illa: *Non est faciendum id, in quo plus expenditur, quàm commodi percipitur*, non debitor tenetur reddere debitum, si debeat plus expendere in eo transmittendo in locum dissitum; quàm illud valeat, nec Tutori non exigenti, quæ pupillo debita sunt imputatur negligentiæ; si in iisdem exigendis plus deberet expendere, quàm debita valerent. Nec Judex tenetur testes citare ad locū Judicii, si distent per plura milliaria, imò & dietas, sitq; plus expendendum in iis accersendis, quàm sit valor rei, de qua lis instituitur.

13 Cæterùm numeratio dietæ, de qua fit mentio in dicto *c. nonnulli 28. h. t.* debet fieri à finibus Diœcesis, quia ordinariè loquendo pars litigans non censetur gravari, si intra limites Diœcesis debeat litigare *argum. c. si Episcopus 7. de Offic. Ordin. in 6.* unde gravamē incipit computari extra limites Diœcesis; spatium verò dietæ, seu itineris unius diei continet viginti milliaria italica, seu viginti millia passuum, quia totidem passus constituunt dietam legalem: passus autem quinq; pedes continet *l. 3. juncta Gloss. V. millia.* An verò si nulla fiat mentio de dieta legali, nec vulgari, sed tantùm de dieta simpliciter, sit jus intelligendum de dieta legali, vel vulgari non conveniunt Doctores. Menochius verò de *arbitrariis quæstionibus casu 106.* & alii censent esse tunc jus intelligendum de dietis legalibus, quæ per legem diffinitæ intelliguntur: alii verò censent, esse intelligendum de dietis vulgaribus, quales secundùm comunem cujusq; loci, seu Provinciæ consuetudinem computantur pro dietis; & fundantur in eo, quia nomina ex communi usu debeant intelligi *c. ex litteris. 7. de sponsal.* verùm comunior sententia censet, esse tunc legem intelligendam de dietis legalibus, quæ opinio est verior, neq; adhærendam puto asserentibus, id arbitrio prudentis Judicis esse relinquendū, consideratis circumstantiis itineris, & personarum: quia non est recurrendum ad arbitrium Judicis, nisi in illis, quæ in jure non sunt definita *l. 1. ff. de jure lib. c. de causis 4. de Offic. deleg.* Quòd verò dicitur de dietis à fine diœcesis computandis, in qua reus habet domicilium, plures id limitant, ut solùm procedat, si agatur actione merè personali, quæ non datur ad certam rem, nec est in rem scripta: secus si agatur actione reali, quæ instituatur ratione rei sitæ in Diœcesi: volunt enim, tunc duas dietas, vel jure novo unam dietam, computandam esse non à Diœcesi domicilii, sed à Diœcesi, in qua res sita est.

Verùm contraria sententia est communior, ac verior, quia etiam in actione reali computatio dietæ debet fieri à fine Diœcesis, in qua reus habitat, ubi tamen tria sunt observanda. Primum est, quia sicut potest reus conveniri coram Judice Ordinario intra diœcesin, in qua sita est res, de qua litigatur, ut desumitur ex *c. ult. de foro competent.* ita etiam coram delegato Papæ; etiam si trahatur ultra duas dietas extra diœcesin domicilii potest reus conveniri: quia Papa est ordinarius Judex in omni loco; proinde nullum tunc gravamen reo infertur. Secundum est, quòd si quis per rescriptum Papale citetur ad judicium extra diœcesin, in qua res est sita; dietæ computari debeant à loco domicilii, ubi Clericus petens beneficium obtinet residentiam, & non à loco, ubi res, de qua litigatur, sita est, quia ratione rei sitæ in certo territorio non acquirit quis diœcesin, seu domicilium, cùm ibi ordinariè non habitet; proinde non fiat subditus illius loci: quamvis ibi conveniri possit ratione rei possessæ. Unde si quis domicilium habeat in uno loco, ubi ordinariè habitat, & res litigiosa existat in alio loco, conveniri potest intra fines diœcesis rei sitæ, non tamen extra illam actione reali, bene tamen personali, ubicunq; habet domicilium, ut notat Glossa in *c. dilectus 29. v. domicilium in fin. h. t.* sicut etiam, si quis delinquat in alieno territorio, non acquirit ibi forum domicilii; & nihilominus potest conveniri ratione delicti. Tertium est, quòd si quis in duabus diœcesibus domicilium habeat, in una principale, & in altera minus principale, & res litigiosa sita sit in minus principali, tunc si reus conventus per rescriptum Apostolicum extra talem Diocesin, in qua habet domicilium, minus principale ad judicium trahatur, debent dietæ computari à finibus diœcesis illius. 14

Sin

15 Sin verò actor, & reus ejusdem civitatis, vel Diœcesis sint, eò quia habeant in eadem simul domicilium, quamvis habeant etiam domicilia in aliis diœcesibus, causæ inter illos comittendæ sunt in illa civitate, vel Diœcesi, in qua simul domicilium ordinariū habent, adeò ut non possint conveniri extra talem civitatem, vel Diœcesin, idq; desumitur ex *c. statutum 11. h. t. in 6.* ubi dicitur, quòd causæ literarum Apostolicarū debeant comitti in locis insignioribus habentibus dignitatem, vel personatum, vel canonicatum in Cathedrali, & in §. *cum verò*, habetur, quòd quando actor, & reus sunt ejusdem civitatis, vel Diœcesis, actor non debeat impetrare delegatum ultra civitatem, vel Diœcesin: sed si causa esset contra Episcopum, Capitulum, vel universitatē, posset tunc actor impetrare delegatū extra Diœcesin, quia id videtur æquitas exigere, si enim Episcopus agens contra aliquem de sua diœcesi in sua diœcesi, vel civitate impetraret aliquem ex suis subditis, ut Judicem causæ; utique is tanquam suspectus recusari posset à reo, quia cum subjiciatur Episcopo præsumeretur judicare in favorem ejusdem. Hinc, si actor ejusdem civitatis, vel Diœcesis cum reo sit subditus alteri existenti in alia civitate, vel Diœcesi, cui etiam jus agendi competat, non potest tunc reus per litteras Apostolicas trahi ad judicium extra suam civitatem, vel Diœcesin sub prætextu, quòd actor, & reus sint diversarum civitatum, & Diœcesium: quia tunc actor utpote subditus alteri existenti in alia Diœcesi traheret reum ad locum suspectum, & in quo Judex facilè faveret actori; & desumitur ex *Clement. 1. h. t.* ubi Clemens V. ad tollendas fraudes contra *cap. Statutum in 6.* statuit, ut Abbates, & præsidentes alicui administrationi non possint authoritate litterarum Apostolicarum, vel legati convenire reos sibi subditos occasione beneficiorum, nisi ubi, & coram quibus sunt subditi immediatè, vel nisi ubi convenirent, si haberent specialem administrationem talium beneficiorum, quamvis illa beneficia sint de mensa Abbatis: quòd si Abbates aliquem vexaverint contra hunc textum, mandat Pontifex, ut Judex, apud quem vexatur, condemnet Abbatem in expensis, & declaret irritum ipso jure omnem processum contra præmissa habitum, est enim talis processus sine ope exceptionis, ut notat Glossa *in d. Clement.*

16 Rursus Judex à Sede Apostolica delegatus, non potest partes citare, nec de causa sibi commissa cognoscere extra civitatem, aut Diœcesin, ad quam deputatur, sive actor, & reus sint ejusdem civitatis, aut Diœcesis, & in eadem sit Judex impetratus ad cognitionem causæ, sive sint diversarum civitatum, & diœcesium, & in civitate Rei impetratus sit judex, & delegatus, vel in tertia civitate; nisi expressus partium consensus accesserit, idque desumitur ex *dict. c. Statutum 11. §. in nullo h. t. in 6.* quia delegatus à Sede Apostolica, ut causam cognoscat in certo loco, non potest contra illum, seu in alio loco de illa cognoscere, sine partium consensu, qui tamen non sufficit, si sit tacitus, quia non opponitur exceptio; sed debet esse expressus, alioquin delegatus à Sede Apostolica excederet formam Rescripti, seu Mandati, quæ forma est omnino servanda. Sin verò accesserit utriusque partis consensus, potest delegatus in alio loco procedere, & cognoscere causam: ratio est, quia certus locus est à Sede Apostolica deputatus in favorem ipsarum partium, ne scilicet partes adigantur ad magnos sumptus, si locus dissitus ab eorum domiciliis assignetur, in quo debeant comparere coram delegato: atqui partes possunt renuntiare favori pro se introducto, potest enim quisque cedere juri suo. Juvat etiam observare *ex d. c. statutum 11. h. t.* Judicem delegatum ad lites à Sede Apostolica nullum posse à partibus litigantibus munus accipere, nec aliud quidpiam præter esculenta, & poculenta ex mera liberalitate oblata; adeò, ut nec directè, nec indirectè, expressè, vel tacitè petantur: quinimò esculenta, & poculenta debent etiam esse in modica quantitate, ut intra paucos dies absumi possint.

Excipitur tamen nisi necesse sit, ut delegatus à Sede Apostolica ob causam sibi commissam proficiscatur extra suum domicilium, quia tum moderatæ pro itinere expensæ ei debentur, & quidem ab utraque parte æqualiter, adeò, ut una non gravetur supra aliam: quia delegatus gerit commune utriusque negotium. Quòd si personæ litigantes essent notabiliter pauperes, tum non deberet delegatus quidquam pro expensis ab iisdem exigere. Cæterum non debet delegatus occasionem quærere proficiscendi extra domicilium, ut à partibus litigantibus sumptus exigat, si utilitas, vel necessitas causæ sibi commissæ id non exigat. Quod, si Judex delegatus ultra prædicta, quid aliud accipiat, non acquirit ejus dominium, sed tenetur restituere non obstante quavis remissione, ut habetur *in d. c. statutum §. si quid autem.* 17

18 Verùm hæc procedunt de Judice delegato à Papa, quia, si delegatus sit ab Ordinario, vel Episcopo etiam ad particularem causam, sententia probabilior videtur esse, quòd non possit à litigantibus esculenta, & poculenta accipere, nec expensas pro itinere, eò quia hæc omnia ab Ordinario, vel Episcopo suppeditanda sint, cùm ad ipsum spectet ratione sui Officij, hujusmodi causas expedire: siquidem ad id accipit redditus sui beneficii, ut hoc onus subeat, & alia ad suum munus pertinentia exequatur, ut notat Glossa in *c. cum ab omni 10. v. præter expensas de vita & honest. Cleric.* Non tamen, si delegato ab Episcopo omnino liberè offerantur aliqua modica esculenta, quæ possint absumi uno die ab una persona, tenetur delegatus hujusmodi esculenta, & poculenta recusare, dummodo non sit ipse, qui illa exigat; nec ob talia oblata esculenta, & poculenta magis uni, quàm alteri parti faveat. Immo si Judex delegatus à Papa munus acceptum à parte litigante re ipsa restituerit: & pars, cui facta est restitutio de novo omnino liberaliter donaret Judici delegato restituenti, probabile videtur, quòd hæc donatio iterata valida foret, dummodo sincerè fieret exclusa quacunque fraude, & is, cui do-

natur, tunc desierit esse Judex delegatus donantis, quia aliud est remittere restitutionem muneris accepti, & aliud rem aliquam post restitutionem factam de novo ei dare, qui restituit: primum cavetur in jure canonico, & posterius nullibi reperitur prohibitum: & cum hæc materia sit pœnalis, non debet fieri extensio de casu expresso ad casum non expressum.

19 Præterea in *d. c. statutum 11. h. t. in 6. §. Assessorem* habetur, quòd Judex delegatus à summo Pontifice non possit assumere assessorem, seu Consiliarium, nisi in conscientia indigeat, eò quia Judex delegatus fortassis non sit multum in jure peritus, vel infirmitate corporis impediatur, quo minus per se solum possit totum negotium expedire, aut variis aliis negotiis sit legitimè impeditus: & tunc debet assessorem vel Consiliarium assumere, qui neutri parti sit suspectus, & cui competens salarium solvant partes juxta qualitatem causæ, conditionem partium, peritiam assessoris, & consuetudinem loci: quia cum assessor assumptus à Delegato gerat commune negotium, æquum est, ut utraque pars concurrat æqualiter ad modicum ejus salarium constituendum. Quòd si delegatus sine necessitate assessorem assumat, tenetur ipsemet ex propriis congruum salariū ei constituere. Hinc an Judex verè indigeat assessore, relinquitur suæ conscientiæ, nec potest excusari.

20 Debet etiam delegatus coercere cupiditatem Notariorum; quos assumit in causa sibi commissa ad scribenda acta, quia solent plerumque Notarii plus exigere, quàm ipsis sit debitum; unde tenetur Judex delegatus eos coërcere; & etiam omnino cavere, ne cum iisdem lucrum participet, ut habetur in *d. c. Statutum §. Notarium*, ubi Pontifex mandat, ut delegatus limitet salarium Notariorum in sua causa, nec participet in lucro Notarii, vel Assessoris: & declarat, teneri ad restitutionem, si aliquid recipiat, nec eum excusari ob remissionem dantis: ubi notat Glossa: in hoc casu Dominum non posse rem suam in alium transferre; sed tantùm postquam eam recepit à Delegato, posse iterum eidem dare omnino liberè sine fraude, tunc enim potest Judex rem illam accipere, & retinere juxta probabilem sententiam Doctorum, eò quia id non reperiatur in jure prohibitum.

21 Quòd verò ad executionem Rescriptorum beneficialium pertinet, consuetudo olim fuit, ut in his litteris dandis hic ordo servaretur, ut priùs litteræ monitoriæ darentur; dicebantur monitoriæ, quia per ipsas veluti primariaspreces Papa monebat, & hortabatur Ordinarios Collatores, pro quibus scribebat, ut conferrent beneficia, si quæ tum vacarent, vel essent proximè vacatura, & pertinerent ad eorum collationem. Postea darentur litteræ præceptoriæ, quibus idem præcipiebat Ordinariis, ad quos antea monitorias direxerat. Demum, ut darentur executoriæ; in quibus Papa constitutis Executoribus iisdem mandabat, ut Ordinarios collatores cogerent ad conferendum beneficium tunc vacans, vel primò vacaturum iis, quibus mandavit conferri, ut notat Gregorius Tolosanus *lib. 1. de Rescript. c. 4. n. 1.* & valebant litteræ executoriæ, tametsi monitoriæ prius datæ non essent, nisi in executoriis mentio fieret de monitoriis, quia tunc si istæ non præcederent, executoriæ habebantur subreptitiæ, idque desumitur ex *c. ex insinuatione 37. h. t.*

Hodie verò jure novo litteræ tam monitoriæ, quàm præceptoriæ non sunt ampliùs in usu: nisi quando Papa rescribit pro receptione alicujus monialis in monasterium, ut habetur in *d. c. ex insinuatione in fin. h. t.* Sed tantùm dantur litteræ executoriæ, in quibus Papa mandat Ordinariis collatoribus, ut ei beneficium conferant, qui litteras impetravit, & quod vel jam vacat, vel erit proximè vacaturum: & solet etiam constituere executores cum potestate conferendi, si Ordinarii post præsentationem legitimè factam pontificii mandati nolint, vel negligant illud conferre: ratio est, quia ex vi Papalis Rescripti manet beneficium vacaturum ita reservatum ei, qui impetravit Rescriptum, ut cum effectu non possit alteri conferri. Cæterum gratiæ, vel litteræ expectativæ de beneficio proximè vacaturo per Concilium Tridentinum *Sess. 24. c. 19. de refor.* fuerunt sublatæ. 22

Rursus Jure novo est specialiter statutum, ut Auditor in Romana Curia deputatus à Papa ad cognoscendum, & judicandum in controversia super aliquo beneficio, cuinam de jure illud debeatur, possit absque alia nova commissione beneficium illi conferre, cui est debitum, & possit etiam suam sententiam executioni mandare: idque desumitur ex *Clement. Auditor, 3. h. t.* ubi habetur, quòd si duo litigent de beneficio in Curia Romana, & à Papa in eadem Curia deputetur auditor super hanc litem; tunc si auditor pronuntiat beneficium deberi uni, potest eidem illud conferre: ubi notat Glossa; id non procedere in auditore dato extra Curiam, vel ab alio, quàm à Papa; quia tunc auditor datus ab inferiore Prælato etiam à Legato Papæ, solùm posset pronuntiare, & referre, non verò conferre beneficium. Ratio verò, cur auditores isti non possint conferre beneficium, est, quia talis collatio pertinet ad Papam, qui non solet hanc commissionem dare Auditoribus deputatis extra curiam: quia auditores dati extra Curiam non solent causam sibi commissam conferre cum aliis auditoribus, sicut fit in Curia Romana: proindè consultiùs est, ut nova commissio petatur à Summo Pontifice, quia possent eorum factum revocari, & committi aliis, ut pleniùs cognoscerent de causa: id autem non contingit, si causa cognita sit ab auditore in Curia Romana dato, quia Papa non revocat factum à Collegio auditorum palatii Apostolici, quia hujusmodi auditores simul conferunt, & nonnisi per prævium exactissimum examen judicant de causis litigiosis. 23

Capitulum Cathedrale sede vacante potest etiam exequi Rescripta Apostolica, tametsi eorum executio propriè ad Episcopum pertineat, & desumitur *ex c. eam te 7. h. t.* ubi vacante 24

Sede

Sede Tornacensi, Alexander III. scripsit ad Capitulum ejusdem Ecclesiæ in favorem Petri conversi recens ex Judaismo ad fidem Catholicam, & mandavit Capitulo, ut ipsi canonicatus in Ecclesia Tornacensi conferretur: verùm quia jus conferendi beneficia in illa Ecclesia ad solum Episcopum pertinebat, Capitulum non mandavit executioni Rescriptum Apostolicum: & cum Archidiaconus, simúlque Canonicus ejusdem Ecclesiæ fuisset Episcopus consecratus, Petrus ab ipso petiit canonicatum. Sed Episcopus se excusavit, dicens, à Sede Apostolica nullum accepisse mandatum; idque cum innotuisset Alexandro III. rescripsit, excusationem hanc inanem esse, eò quia ex data litterarum cognosci facilè potuerit, litteras Apostolicas fuisse datas tempore sedis vacantis, & cùm nullus esset Episcopus, claret, litteras ad Capitulum directas fuisse validas; cùm sede vacante ad Capitulum pertineat regimen Ecclesiæ, & administratio ejusdem, proinde esse Petro Canonicatum conferendum ex vi earundem litterarum. Neque Petrum esse repudiandum, eò quia ex Judæo fuerit recens conversus ad fidem Catholicam. Ex quo textu claret, Capitulum Cathedrale sede vacante posse exequi Rescripta Apostolica, quamvis eorum executio propriè ad Episcopum pertineat, si enim Papa mandet conferri certæ personæ beneficium ecclesiasticum; tenetur Capitulum sede vacante illud conferre, quia tunc beneficium confertur à Papa, & Capitulum tantùm exequitur mandatum Apostolicum: Quòd si Papa illud non conferret, & Capitulum nullum acciperet Papale Rescriptum, non posset sede vacante beneficium conferre, cujus libera collatio ad Episcopum pertinet *c. unic. ne sede vacante. in 6.* Secus est, si Papa mandet, beneficium conferri certæ personæ, tunc enim tenetur Capitulum mandatum Papæ exequi, quia talis collatio beneficii est veluti necessaria stante mandato Papæ: & in necessariis præbendarum collationibus succedit Capitulum, ut notat Garcias *n. 5. de benefic. cap. 7. n. 51.*

25 Neque obstat, quòd in *d. c. eam te 7. h. t.* Pontifex dicat, Capitulum non potuisse exequi mandatum Pontificis; quia, ut desumitur ex eodem textu, ideo non potuit tale mandatum exequi, quia eo tempore, quo litteræ fuerunt Capitulo præsentatæ, Episcopus erat electus fuerat jam confirmatus, & consecratus: & Capitulum, ex eo tempore, quo novus Episcopus est confirmatus, non potest Episcopalia negotia exercere, quia solùm administrat jura ipsius Episcopi, dum sedes vacat. *c. his, quæ 11. c. cùm olim 14. de major. & obed.* Superveniente autem principali cessat potestas in vices gerente, unde cum primùm Episcopus est confirmatus, tota potestas ad ipsum devolvitur, qua ratione rescripsit Alexander III. excusationem Episcopi Tornacensis frivolam fuisse.

26 An verò in Rescriptis Apostolicis mandandis executioni attendendum sit tempus *datæ*, vel potiùs *factæ præsentationis*, distinguendum est, quia si sermo sit de Rescriptis justitiæ, & ad lites, attendendum est tempus factæ præsentationis, quia ante factam præsentationem Judex delegatus nullam habet jurisdictionem efficacem *c. ut debitus 59. de appellat.* & sine jurisdictione non potest Rescripta Pontificia exequi, quia ad id requiruntur cognitio causæ, & sententia, quæ feratur, qui actus sunt jurisdictionis, quam necessariò debent supponere: quinimò in Rescriptis justitiæ semper subintelligitur tacitè illa conditio, *si præsententur*, eò quia ex vi præsentationis factæ Judex delegatus acquirit jurisdictionem *argum. c. super eo 12. de appellat.* ibi: *Sin autem infra certum tempus lis decidenda committitur, ex tunc terminus incipit currere, cum contigerit, Judices litteras recepisse.* Hinc liquet, in Rescriptis justitiæ attendendum esse tempus factæ præsentationis litterarum Apostolicarum.

Sin verò sermo sit de Rescriptis gratiæ, in iisdem attendendum est tempus datæ, seu tempus quo litteræ Apostolicæ sunt expeditæ, quia ex tunc est partibus jus quæsitum, dumodo quid aliud non obstet, idque desumitur ex *d. c. eam te 7. h. t.* ubi Papa rescribit Episcopo Tornacensi ibi: *Quod nullatenus fecisse deberes, si datam litterarum diligentiùs attendisses*, eò quia tale Rescriptum fuit gratiæ, & in Rescriptis gratiæ attendendum est tempus datæ, ut etiam habetur in pluribus aliis juribus, præsertim in *c. eum qui 7. de præbend. in 6.* ubi expressè etiam dicitur, quod in impetratione beneficiorum inspicienda sit data, non præsentatio, vel receptio, idque firmatur etiam *ex c. si eo tempore 9. h. t. in 6.* ubi Pontifex rescribit, virtute Rescripti beneficialis non posse conferri beneficium curatum ei, qui tempore datæ ejusdem Rescripti nondum attigerat ætatem idoneam pro tali beneficio, tametsi postea effectus fuerit legitimæ ætatis: eò quia in litteris ad beneficia impetratis inspicitur tempus datæ, & quia tali tempore, qui impetravit Rescriptum pro beneficio curato non habuit idoneam ætatem, tale Rescriptum fuit subrepticium; nec Pontifex illud concessisset, si defectus ætatis ei innotuisset: & quod ab initio est irritum non potest tractu temporis propter rei mutationem convalescere, ut notat Navarrus in *c. si quando except. 10. n. 6.* ubi addit, ad cognoscendum, an Rescriptum beneficiale sit obreptitium esse attendendum tempus *datæ*, adeò, ut non sufficiat si tempore executionis impetrans beneficium habeat sufficientem ætatem, & alia omnia requisita, quia ex *Regul. 18. jur. in 6. non firmatur tractu temporis, quod ab initio de jure non subsistit.* Posset tamen in contrarium objici textus in *c. ei cui 29. in 6.* ubi per sensum contrarium ex interpretatione Glossæ ibid. *V. nondum* habetur, quòd si quispiam à Papa gratiam impetravit, quâ simpliciter mandabatur, ut beneficium proximè vacaturum eidem conferretur, si contigerit, ut vacet sacerdotale; conferri non possit ex vi talis Rescripti, si tempore vacationis impetrans ætatem legitimam assecutus non sit: & è contra posse ei beneficium conferri, si tunc, seu tem- 27

pore vacationis legitimam attingerit ætatem. Sed respondetur esse discrimen, quia in casu proposito in *c. ei cui*, nulla contigit obreptio, quâ ab initio Rescriptum impetratum foret irritum: unde in hoc casu potiùs alia Regula colligitur, nimirum, quòd cessante obreptione, si agatur de gratia, cujus effectus pendeat, & executioni nondum mandatus est; spectandum sit tempus non concessionis, sed executionis: at in casu, qui habetur *in c. si eo tempore*, Rescriptum ab initio impetratum fuit subreptitium, ac irritum; proinde tractu temporis per solam rei mutationem non potuit convalescere.

28 Notandum est, quòd si Papa motu proprio mandaret alicui conferri beneficium proximè vacaturum cum cura, vel sine cura, posset, qui Rescriptum impetravit provideri de beneficio curato, quamvis tempore impetrationis ætatem requisitam ad beneficium curatum non habuerit: dummodo hanc habeat eo tempore, quo vacat beneficium curatum: ratio est, quia motus proprius tollit obreptionem *c. si motus 23. de præbend. in 6.* Quòd si objicias, motum proprium tollere quidem obreptionem, non ita incapacitatem, seu inhabilitatem personæ, nisi quid aliud addatur, ex quo conjici possit, Papam dispensare, seu impedimentum tollere velle, ut notat Glossa in *c. si motus 23. v. ab hoc de præbend. in 6.* ubi etiam producuntur plura exempla de defectu natalium, vel ætatis, vitio corporis, bigamia, & similibus, quæ quamvis per viam subreptionis non possint parti opponi, opponuntur tamen per viam juris communis; eò quia proprius motus dispensationem talium defectuum non faciat. Respondetur, hæc omnia vera esse, eò quia habetur tunc incapacitas ex parte recipientis gratiam, ut si Papa conferret puero nondum septenni beneficium curatum, & nullum inde appareret indicium voluisse dispensare: at in casu nostro nulla adest incapacitas ex parte impetrantis gratiam, eamque recipientis, quia supponitur habere idoneam ætatem secundùm jura. Cæterum notandum est, quòd si Rescriptum beneficiale sit irritum secundùm unam partem non connexam, sed separabilem ab alia, quæ non est irrita; potest consistere secundùm hanc partem non irritam, quia ex *regul. jur. 37. in 6.* utile per inutile non debet vitiari, ut cum Glossa docent communiter Canonistæ. Rursus observandum est, quod tametsi in Rescriptis justitiæ, ut conferatur jurisdictio Judici delegato, attendatur tempus factæ præsentationis eorundem; non tamen est necesse, ut hoc tempus etiam attendatur quoad alios effectus. Hinc respectu actionis, super qua hujusmodi Rescripta impetrantur, attenditur tempus datæ, ut desumitur ex *c. quia nonnulli ult. h. t.* ubi cavetur, ne Rescripta justitiæ trahantur ad futuras controversias, quæ nondum fuerant tempore impetrationis excitatæ. Præterea in Rescriptis justitiæ quoad eorum perpetuitatem, seu in ordine ad perpetuandam jurisdictionem Judicis delegati post mortem principalis, attenditur tempus factæ citationis per delegatū *c. gratum 20. de offic. deleg.*

§. VII.

De Abusu in usu Rescriptorum Apostolicorum.

Multipliciter potest abusus contingere in usu Rescriptorum. Primò, si quis suo nomine litteras impetret à Papa, & postea alteri, qui ejusdem nominis est, tradat ad utendum; talis enim traditio est irrita, & nullius valoris, idque desumitur ex *c. quia nonnulli ult. h. t.* Ratio est, quia Rescripta justitiæ sunt jura personalia, seu eis tantum personis utilia, quibus concessa sunt, ideóque non possunt alteri cedi, nec transeunt ad successorem, aut hæredem, nisi fuerint impetrata nomine dignitatis, aut beneficii: hinc Rescripta justitiæ non excedunt personas, quibus sunt concessa, proinde non possunt alteri cedi. Idque procedit, quamvis alia jura fuerint illi cessa, ut notat Abbas in *d. c. quia nonnulli n. 3. h. t.* Ratio reddi potest, quia hujusmodi cessiones Rescriptorum ad lites sunt odiosæ, quia mutatio personarum sæpe judicium durius reddit, ac difficilius *c. 2. de alienat. mutandi judicii causa facta.* Odiosa autem non sunt amplianda ad non expressa: & hac ratione, si per clausulam Rescripti conveniendus moriatur ante litem contestatam, ejus hæres conveniri non potest, quia hæres adeundo hæreditatem non suscipit obligationes personales, quas defunctus ante mortem contraxit *c. significavit 36. h. t.* 1

Secus tamen est, quando in papali Rescripto nominatur dignitas personæ, & Rescriptum ad dignitatem dirigitur; tunc enim transit Rescriptum in successorem, quia hic jurisdictione intelligitur esse eadē persona cum defuncto. Cæterum, qui Rescriptum Apostolicum pro se impetratum tradit alteri utendum, cui idem est nomen, fit falsarius: Siquidem comittit crimen falsi, proinde potest etiam criminaliter puniri, ut notat Abbas *in d. c. ult. n. 18. h. t.* & colligitur etiam ex *l. qui falsam 19. ff. ad legem Cornel. de fals.* Rursus qui scienter recipit Rescriptum Apostolicum concessum alteri, & illo utitur, puniendus est tanquam Reus criminis stellionatûs *l. 3. ff. de crimine stellionat.* Est autem crimen stellionatûs delictum patratum per quamlibet imposturam, seu callidam circumventionem, quæ proprio nomine caret. 2

Secundò, dicitur quis abuti Rescriptis Apostolicis, si ea impetret contra eas personas, contra quas nullam habet controversiam, adeò, ut per impetrata Rescripta, eas calumniosè trahat ad judicium, tametsi contra ipsas nullas habeat actiones: tunc qui studio tales lites excitant, repelluntur, ut temerarii litigantes, & condemnantur ad expensas litis, ut notat Glossa in *d. c. ult. v. quæstiones h. t.* Ratio est, quia calumniosè trahentes alios, contra quos nulla illis competit actio, ad judicium, eos contra justitiam aggravant, & compellunt se sistere coram Judice, quod adversatur æquitati, & charitati proximi. 3

Ter-

4 Tertiò ii etiam dicuntur abuti Rescriptis, si litteras impetratas ad præsentem controversiam decidendam trahant ad futuras controversias, quæ tempore impetrationis Rescripti nondum ortæ fuerant, & desumitur *ex d. c. ult. h. t.* ubi is dicitur abuti impetratis litteris ad decidendam controversiam, qui easdem litteras trahit ad alias controversias decidendas, quæ tempore impetrationis ortæ non fuerant: idque procedit, tametsi Rescriptis ad lites adjiciatur clausula, *& quibusdam aliis causis.* Hinc Rescriptum impetratum ad beneficium in ecclesia aliqua vacaturum, non extenditur ad illa beneficia, quæ post *datam* litterarum instituuntur de novo in eadem Ecclesia. Ratio est, quia hujusmodi Rescripta sunt strictæ interpretationis, proinde non debent ampliari præter intentionem concedentis, sed restringi ad sola expressa in iisdem. Tum quia non decet in hisce materiis dispositionem facere de iis, quæ nondum sunt. Hinc traditur generalis regula, quòd in simplici quantumvis generali dispositione, nisi quid aliud exprimatur, præsentia tantùm comprehendantur, non verò quæ nondum orta sunt, *l. si ita scripsisset 47. ff. de legat. 2.* ut docet Zæsius in *l. si quis iniquum §. quod autem ff. quod quisque juris.* Ex quo etiam liquet, in Rescriptis justitiæ, & beneficialibus attendendum esse tempus datæ.

5 Quartò, committitur etiam abusus in usu Rescriptorum, si quis super uno negotio, vel etiam super pluribus, seu personalibus actionibus, quæ coram uno Judice tractari possent, impetrat plura Rescripta ad diversos judices, ut reum ad illos trahat, causâ eum defatigandi laboribus, & gravandi sumptibus: idque, ut illum adigat, vel ad cedendum suo jure, vel ut se componat cum actore: idque desumitur ex *d. c. ult. h. t.* ubi Pontifex expressè declarat, neminem super uno, eodémque negotio esse trahendum ad diversos Judices: idque ob duas præcipuè causas, quarum prima est, ne continentia, seu connexio causæ dividatur *l. nulli 10. C. de judic. & l. 1. juncta Glossa V. eundem Judicem C. de quibus rebus ad eundem Judicem eatur.* Ubi dicitur, in causis connexis teneri plures, tametsi diversi fori coram uno Judice litigare. Secunda est, ut tempori, & sumptibus parcatur, ac litibus modus statuatur, prout in *d. c. ult. h. t.* significatur, & quamvis sermo sit tantùm de Judicibus delegatis: nihilominus Abbas in *d. c. ult. n. 13. h. t.* asserit, propter identitatem rationis in Canone expressæ posse etiam extendi ad Ordinarios: quia, si non potest quis super uno, eodémque negotio, vel etiam super pluribus actionibus personalibus trahi ad diversos judices delegatos; ita neque potest eodem tempore trahi ad diversos judices ordinarios super pluribus actionibus personalibus, quæ commodiùs, & facilius expediuntur apud unum: est enim eadem in ordinariis æquitatis ratio, quæ in delegatis in Canone expressa: est enim ratio ibi assignata, ne scilicet reus absque necessitate sumptibus, & molestiis fatigetur. Qui enim adversarium indebitè fatigando, illi causam præbuit expensarum, vel alterius damni, id ei compensare tenetur.

Quòd si quæratur, à quo judice sit cogendus ad compensandas expensas, respondet Glossa in *d. c. ult. v. expensis, & damnis h. t.* esse compellendum à judice in ea causa delegato. Quia tametsi litteræ ad eum impetratæ infirmæ sint ob fraudem impetrantis, ne ex sua malitia commodum reportet: nec judex super causa principali per easdē litteras jurisdictionem acquirat: nihilominus acquirit jurisdictionem super quæstionibus incidentibus; adeò, ut judex in ea causa delegatus possit cognoscere, an Rescriptum propter malitiam impetrantis infirmum sit, & impetrans ad præstandas expensas debeat condemnari; ratio est, quia in ordine ad cognoscenda hæc incidentia jurisdictio fundatur per Rescriptum delegati: Sicut enim judex ordinarius potest cognoscere, an ad ipsum pertineat jurisdictio; ita etiam delegatus, quia jus cognoscendi super hisce incidentibus quæstionibus fundatur in Rescripto, quod examinare debet, an validum sit, nec ne; & an debeat condemnare partem ad expensas, si adversarius petat, nec ne?

Notat tamen Bartolus in *l. diem §. hoc autem judicium ff. de damno infecto*, non teneri judicem suum interponere officium, nisi petente parte, si agatur de utilitate privata exceptis causis personarum miserabilium, & aliis quæ ad pietatem, & misericordiam spectant. Juvat observare, quòd tametsi Rescripta justitiæ sint stricti juris, & non extendantur ad casum, nec ad personam non expressam. Nihilominus jus reconventionis exigit, ut qui alterum per Rescriptum ad Judicem delegatum traxit, coram eodem vicissim conveniri debeat: ratio est, quia si quis elegerit Judicem contra adversarium, ægrè ferre non debet, ut adversarius eundem etiam eligat, habeátque contra se: idque ampliatur, quamvis Judex alioquin jurisdictionem non habeat in actorem: si tamen is reum conveniat, non potest reconvenire si velit exceptionem incompetentis Judicis objicere *l. cum Papinianus 14.* 6

Secundò, procedit reconventio non solùm circa idem negotium, super quo impetratum est rescriptum, verùm etiam super alio quolibet, adeò ut utraque causa sit simul definienda. *c. 1. de mutuis petit.* Tertiò, procedit, ut reus conventus non solùm non possit actorem coram eodem Judice reconvenire: verùm etiam coram alio, quamdiu lis ab actore intentata pendet sub tali judice. Hinc reus conventus lite durante ad alium Judicem, quamvis in diversa causa non potest rescriptū impetrare, ut litibus, quæ valdè exosæ sunt, coërceantur, vel moderamen aliquod iisdem imponatur. Quartò, ut impetrator Rescripti postquam illud præsentavit Judici delegato, fecitque adversarium citari, non possit per pœnitentiam resilire, quo minus reus comparens illum reconvenire possit etiam reluctantem; adeo, ut Rescriptum veluti commune utrique parti factum sit *argum. l. petenda 6. C. de tempor. in integ. restit.* 7

Quintò, is etiam dicitur abuti Rescripto, si ut reus volens reconvenire actorem suum, litteras etiam ipse contra actorem impetret 8

ad diversos Judices, ut vi earundem, actorem eodem tempore ad diversa loca, vel indeterminatè ad villam, quæ idem commune nomen habet cum pluribus aliis villis citari procuret, ad eum finem, ut si non comparuerit, quasi contumax excommunicetur,& hac arte eum ab agendo repellat: quia tunc malitiosè se reus contra actorem gerit, quod fieri non debet. Quòd, si reus durante eodem judicio actorem in alia causa reconvenire, vel Rescriptum à sede Apostolica ab eum conveniendum impetrare velit (eò quia fortassis causa talis sit, ut de ipsa non possit Delegatus cognoscere absque speciali mandato Papæ) de jure suo apud eosdem Judices experiri, sive contra eum agere debet, (siquidem in reconventione, qui ante erat reus fit actor) præter quàm si eos, ut suspectos recusare possit; alioquin, si contra hoc fecerit, simili pœna puniendus erit *c. dispendia 3. h. t. in 6.* ubi dicitur, quod actor volens movere plures quæstiones personales non debeat impetrare litteras ad diversos Judices, sed ad eosdem, aliàs illæ litteræ non valerent; & ipse esset condemnandus ad expensas: similiter Reus, si contra actorem impetret litteras de reconventione in eodem Judicio, vel de conventione ad eosdem Judices obtineat sub eadem pœna, nisi eos, ut suspectos recuset. Ubi notat Glossa, hoc decretum valere in personalibus, non in realibus. Ratio solet assignari, quia tametsi Rescripta justitiæ sint stricti juris, & non debeant extendi ad casum, vel personam non expressam; nihilominus si aliquis impetravit Rescriptum ad Judicem delegatum, illudque ei præsentavit, & vi illius fuit adversarius citatus, potest reus conventus actorem reconvenire, sive in eadem, sive in alia diversa causa coram eodem Judice delegato, tametsi hic nullam habeat jurisdictionem in actorem: neque potest reo reconvento ab actore opponi exceptio de incompetentia Judicis *l. cum Papinianus 14. juncta authent.* quia tunc Rescriptum delegationis utrique parti litiganti, veluti commune factum est, *argum. c. 2. de mutuis petit.*

9 Pœnæ jure canonico impositæ contra abutentes Rescriptis Apostolicis, præcipuè sunt duæ. Prima est, ut abutens omni commodo litterarum, seu impetrati Rescripti careat, id desumitur *ex d. c. dispendia 3. h. t. in 6.* siquidem privilegium meretur amittere, qui permissa sibi potestate abutitur *c. privilegium 63. cauf. 11. q. 10.* Etenim puniendus est quis in eo, in quo deliquit, ut desumitur ex *c. provida 44. in fin. de elect. in 6.*

Secunda pœna est, ut abutens Rescripto, sive actor sit, sive reus, ad legitimas expensas, & damna illata resarcienda damnetur, & desumitur ex *d. c. dispendia 3. h. t. in 6.* Siquidem id generale est, ut qui adversarium indebitè fatigavit, fuitque causa, ut plures faceret expensas, & alia damna pateretur, hæc omnia debeat eidem compensare, & ad id sit etiam compellendus, & desumitur etiam ex *d. c. dispendia 3. h. t. in 6.* Verùm ad id requiritur, ut adversarius à Judice petat, ut partem contrariam condemnet ad expensas: non enim Judex tenetur officium suum impertiri, si pars non petat, & agatur non de publica, sed de privata duntaxat utilitate. Excipiuntur tamen causæ spectantes ad miserabiles personas, & ad pietatem, & misericordiam, quia in his causis potest Judex officium suum interponere, tametsi ad id non fuerit imploratus, ut notat Abbas *in c. quia nonnulli ult. n. 15. h. t.*

§. VIII.

Quænam in concursu plurium Rescriptorum simul sint præferenda.

Ut in hac materia, de qua fusè agit Glossa *in c. sicut Romana 1. h. t.* clarè procedamus, distinguendum est inter Rescripta justitiæ, & gratiæ: siquidem quando simul concurrunt plura Rescripta justitiæ, seu ad lites impetrata, & dubitatur quodnam ex illis sit præferendum, tunc inspiciendum est, an ex illis pluribus Rescriptis impetratis per diversos, unum sit speciale, & alterum generale, quòd si primum sit generale, & alterum ab adversario impetratum speciale, tum hoc est generali præferendum, quamvis nullum de generali mentionem faciat, *in c. pastoralis 14. h. t.* quia speciale Mandatum derogat generali, id tamen procedit, si illius generalitatis non prius facta fuerit specificatio, nec nominatim expressæ personæ, nec res illæ super quibus conveniendis priores illæ litteræ generales impetratæ sunt: ratio est, quia per talem specificationem cessat ratio generalitatis, & litteræ fiunt speciales, quibus posteriores speciales non derogant. Sin verò utrumque Rescriptum sit generale attenditur tunc, quod est magis speciale, quia sicut speciale mandatum derogat generali, cui præfertur, ita quod proximiùs accedit ad specialitatem præferendum est alteri, quod est purè generale: quia illa ratio specialitatis debet aliquid operari, ne sit otiosa. Sin verò nulla major ratio specialitatis potest notari in uno, quam in altero, tunc prævalet primum, dummodo in secundo nulla fiat de illo mentio, quia posteriora derogant prioribus, si contraria sint. 1

Quòd si simul concurrant duo Rescripta specialia ad lites super unam, eademq; causam, & quidem ad diversos Judices delegatos impetrata; tum si in posteriori mentio fiat de priori, valet secundum rescriptum, non primum, quia per posterius Princeps intendit derogare priori, de quo mentionem facit: sin verò in secundo Rescripto non fiat mentio de priori, tunc prius præfertur, & valet, & posterius habetur subreptitium, idq; expressè desumitur ex *c. Cæterum 3. h. t.* ubi Alexander III. declarat, primas litteras commissionis causæ ab uno litigantium obtentas esse attendendas, si in secundis ab altero obtentis non fit de illis facta mentio. Ratio est, quia si Papa in posterioribus litteris nullam de prioribus mentionem faciat, videtur circumventus, & præsumitur, quòd non dedisset hujusmodi litteras, vel si dedisset non tamen 2

eodem modo, & sub iisdem prorsus clausulis, proinde posterius Rescriptum non facta mentione de priori censetur subreptitium, & invalidum.

3 Id tamen non procedit, si prius Rescriptum ex communi consensu partium fuit impetratum, tunc enim non valet secundum impetratum ab una parte tantùm, altera nesciente, idque desumitur ex *d. c. cæterum 3. h. t.* quia, si Papa scivisset primum Rescriptum fuisse impetratum de communi consensu partium, non concessisset secundum, saltem sub eisdem clausulis ad petitionem alterius tantùm partis *argum. l. observandum ff. de judic.* proinde ex defectu voluntatis concedentis secundum Rescriptum impetratum ab una tantùm parte alterâ nesciente est invalidum; generatim quoties in impetratione Rescripti intervenit dolus, & malitia, in præjudicium alterius partis Rescriptum irritatur, quia ex propria malitia non debet quis emolumentum reportare. Hinc nec valet primum Rescriptum impetratum, si qui illud impetravit dolo, vel negligentia habitâ copiâ Judicis delegati illud non præsentaverit, tunc enim valet secundum Rescriptum impetratum ab adversario, quamvis nullam de primo mentionem faciat *c. plerumque 23. h. t.*

4 Non tamen secundum Rescriptum justitiæ, in quo nulla fit mentio de priori est ipso jure nullum; sed tantùm ope exceptionis est annullandum, adeò, ut processus per Judicem posteriori Rescripto datum formatus valeat, si contra illud ab adversario nil excipiatur, ut notat Felinus in *d. c. cæterum 3. n. 10. h. t.* Ratio etiam reddi solet: quia si qui prius impetravit suum Rescriptum dolo, vel negligentia illo non utatur intra annum, potest conveniri per adversarium ope posterioris Rescripti obtenti, quamvis in hoc non sit facta mentio prioris, ex quo liquet, illud à principio non fuisse ipso jure nullum, quia quod ab initio est invalidum, successu temporis per rerum mutationes non potest convalescere.

5 Quòd verò pertinet ad Rescripta gratiosa, si quis plura Rescripta ad idem beneficium simul, vel eodem tempore data impetret nulla facta mentione de altero, tum sunt omnia valida, dummodo inter se non pugnent: quia quando plura Rescripta eandem formam, & datam continent, non est major ratio, cur unum potiùs per alterum elidatur, & non hoc per illud, cùm sint omnino eadem quoad omnia, & in effectu reputentur unicum tantùm Rescriptum; tunc enim plura illa Rescripta non considerantur, ut plura Rescripta; sed ut plura exemplaria unius Rescripti ad majorem cautelam impetrata; ut si unum fortassis amittatur, res adhuc salva sit per aliud ejusdem prorsus rationis, quo pacto, quamvis unius testamenti sint plura exemplaria, non tamen dicuntur plura testamenta, sed plures capiæ unius testamenti *l. unum 24. ff. qui testamenta facere possunt.*

6 Sin verò impetret quis plura Rescripta à Papa eodem tempore, & sub eadem data: immo etiam successivè, & sub diversis datis, & quidem ad diversa beneficia obtinenda, si quæ de facto vacant, vel sint proximè vacatura in diversis Ecclesiis, tametsi non desint, qui censeant utrumque Rescriptum suum sortiri valorem, & in optione impetrantis esse, quónam eorum uti velit, ut docet Gregorius Tolosanus cum *Glossa in c. in nostra 32. n. 2. h. t.* Alii tamen censent, secundum Rescriptum esse subreptitium, nisi constet, impetrantem renuntiâsse priori Rescripto: quia tametsi per tale Rescriptum non acquiratur impetranti jus ad beneficium, nisi remotè, & hac ratione non sit necesse, ut de illo mentio fiat: nihilominus, quia si plura Rescripta beneficialia simul, vel successivè ad diversa beneficia possent validè impetrari nulla facta mentione de alio Rescripto obtento, via aperiretur, & sterneretur ad fraudes exercendas contra Sacros Canones: ideò ad impedienda hæc incommoda posterius Rescriptum censetur subreptitium ob tacitam veritatem, quæ intrinsecè pertinebat ad rem, seu ad negotium, & quæ si Papæ innotuisset, minimè secundum Rescriptum concessisset, vel saltem non eodem modo. Præterea, quia hujusmodi Rescripta beneficialia olent ambitionem, suntque ut odiosa restringenda *c. quamvis 4. de præbend. in 6.*

7 Quòd si quis impetret gratiam spectativam post alium, si prius in Canonicum receptus sit, in assecutione præbendæ postponendus est priori, nisi dolus, aut negligentia huic objiciatur, ut desumitur ex *c. tibi qui 12. h. t. in 6.* ubi cùm Cajus à Sede Apostolica gratiam impetrasset ad Ecclesiam Bituricensem constituto ipsi Executore, qui ipsum in Canonicum faceret recipi, & præbendam, si quæ vacaret, vel esset proximè vacatura ei provideret: & similem gratiam expectativam postea etiam impetrâsset in eadem Ecclesia Sejus, qui litteris prius præsentatis in Canonicum receptus fuit ante Cajum, qui litteras suas postea præsentavit, dubium erat, cuinam præbenda vacans deberetur. Et respondit Bonifacius VIII. quòd si præbenda eo tempore, cùm Cajus prior litterarum impetrator receptus est in Canonicum, Sejo necdum collata fuit, sit Cajus præferendus: secus si collatio tunc temporis fuit Sejo facta, sit præbenda Sejo jam proviso relinquenda. Id tamen procedit, nisi dolus & notabilis negligentia possit Cajo objici. Negligentia autem notabilis committi tunc censetur, quando prior impetrans præbendam vacantem, si sciens eam conferri posteriori impetranti, id fieri permittat: vel si intra terminum sibi assignatum collationem præbendæ non acceptet, ut notat Francus in *d. c. tibi qui. n. 8. h. t.* Ex quo textu colligitur, etiam Canonicatum distingui à præbenda: siquidem inter duos impetrantes gratiam expectativam, si posterior priùs in Canonicum receptus sit, in assecutione præbendæ priori impetranti postponitur.

Neque obstat textus *in c. eum, qui 7. de præbend. in 6.* ubi dicitur, eum, qui Canonicatum à Sede Apostolica assecutus est, esse omnibus aliis præferendum, etiam illi, qui litteras de simili gratia præsentavit, & priùs receptus 8

ceptus fuit: siquidem hic textus loquitur de provisione, seu collatione canonicatûs in forma *dignum* facta à Papa. per quam jus in re, & quasi dominium canonicatûs, seu beneficii acquiritur, & in *c. tibi 12. h. t.* sermo est de gratia expectativa, seu mandato providendi: atqui conferre, & mandare conferri sunt omnino diversa. Colligitur etiam ex textu Executorem à Papa constitutum ad expediendam gratiam beneficialem habere jurisdictionem delegatam à Papa: quia in textu dicitur, quòd possit inhibere collatori, decretum interponere, & contradictores quoslibet compescere, & cùm hi actus sint jurisdictionales supponunt jurisdictionem in eo, qui eos exercet.

9 Quando verò primus impetrator Rescripti mandatur provideri sub conditione, si assentiatur Episcopus, & secundus simpliciter impetret; si ante adimpletam conditionem primi, secundus obtineat Canonicatum, est hic præferendus primo in assecutione præbendæ, quamvis interim conditio primi fuerit adimpleta, & desumitur ex *c. si pro te 13. h. t. in 6.* ubi Titius impetravit litteras executorias ad Præpositum Ecclesiæ Bituricensis, ut ipsi Canonicatum, & probendam vacantem, vel proximè vacaturam authoritate Apostolica provideret, sub conditione tamen, si Episcopi, & Capituli consensus accederet; postea verò Cajus ad eandem Ecclesiam impetrata eadem gratia in Canonicum receptus fuit: hoc autem facto, cùm postea Episcopi, & Capituli consensus accederet etiam Titio priori impetranti litteras Canonicatus collatus est. Dubitatum tunc fuit, si post utriusque receptionem contingat præbendam vacare, uter alteri præferendus sit? Et respondit Bonifacius VIII. Cajum esse præferendum in assecutione ejus præbendæ. Ex quo textu liquet, quòd si uni mandetur provideri sub conditione, & postea alteri absolutè, & ante conditionem impletam Canonicatus conferatur posteriori impetranti, sit is in assecutione præbendæ præferendus priori impetranti, & posteriùs recepto. Ratio est, quia conditio de futuro contingenti suspendit quamlibet dispositionem, ac mandatum, adeò, ut non consequatur suum effectum, donec conditio purificetur *l. potior 11. ff. qui potiores in pignore*: ubi ponitur casus, si quis instrumenta, quæ in fundum intulerit, pignoris loco obligavit; deinde antequam ea intulit alteri eadem instrumenta absolutè oppignoret; jus pignoris hujus posterioris censeri debet, eò quia prius fuerit assecutus effectum, quàm alius, cujus apposita conditio postea impleta fuit.

10 Hinc liquet, Rescriptum absolutum esse præferendum conditionato, quamdiu conditio non purificatur, tametsi Rescriptum conditionatum fuerit priùs impetratum, ut notat Glossa *in Clement. unic. v. Executorem de concess. præbend.* quòd si primo impetranti facta fuisset gratia absolutè, præferendus fuisset in assecutione præbendæ posteriori impetranti, tametsi is priùs Canonicatum fuisset assecutus *c. tibi 12. h. t. in 6.* ut præter alios notat Capella Tolosanus *q. 273.* Quærit tamen Glossa, quid juris, si Episcopus mortuus fuisset, vel impeditus, quo minus assensum daret, an tunc Executor saltem cum Canonicorum, seu Capituli consensu potuisset providere? videtur affirmativè respondendum ex *c. unic. ne sede vacante in 6.* Sed Glossa respondet negativè, & nititur ea ratione, quia illa conditio apposita Mandato censetur forma illius, quæ si non observetur, corruit Mandatum *argum. c. cui de non 27. de præbend. in 6.* Verum secus dicendum esset, si in mandato Pontifex expressisset, ut Executor procederet cum consilio Episcopi, tunc enim mortuo Episcopo, vel etiam impedito, adhuc executor posset procedere, argum. *c. cum in veteri 31. de elect.* ubi rationem etiam dat Glossa, quia actus non dependet necessariò à consilio personæ, quod aliquis requirere tenetur, sicut dependet à consensu: quia potest quis ad consilium requirendum adigi, non verò ad sequendum consilium, ex quo liquet, actum non dependere à consilio, sicut à consensu.

Si duo, vel plures super simili beneficio in eadem Ecclesia sibi conferendo litteras Apostolicas impetrârunt, & litteræ unius fuerunt datæ priùs, & alterius posteriùs, sed tamen præsentatæ priùs; regulariter attenditur tempus datæ, non verò præsentationis, adeò, ut primus impetrans sit præferendus, quamvis secundus suas litteras præsentaverit, quia cæteris paribus est vera *regula 54. jur. in 6.* qui est prior tempore, est potior jure: & firmari etiam solet *ex c. cum jus 7. de præbend.* ubi ex professo statuitur, ut qui canonicatum in aliqua Ecclesia à Sede Apostolica impetravit, sit præferendus cæteris aliis, quibus postea in eadem Ecclesia similis gratia est concessa, tametsi ille nondum fuerit receptus, & illi priùs suas litteras præsentent. Et quamvis textus loquatur de collatione beneficii facta per ipsum Papam, & ratione cujus beneficium jam censetur affectum, & alteri obligatum: valet nihilominus etiam de gratia spectativa, & prælatione ob paritatem rationis: idque ex eo evincitur, quia etiam de gratia spectativa, qua mandat Papa cuipiam provideri de beneficio in certa Ecclesia expressè deciditur in *c. tibi qui 12. h. t.* ubi dicitur, quòd qui priùs impetrat admitti in Canonicum, & præbendam primò vacaturam, sit præferendus secundo impetranti; tametsi secundus priùs præsentaverit litteras, & fuerit receptus in Canonicum; dummodo antequam vacet præbenda, prior præsentet, eò quia erat prior in data: quinimò licèt prior præsentet, postquã præbenda vacavit nondum collata secundo, si Executor primi inchoaverit processum; imò ante processum Executoris, etiamsi præbenda vacans fuerit secundo collata, adhuc debetur primo; si in primis litteris positum fuit decretum irritans quidquid in præjudicium primæ gratiæ fiat: quod procedit dummodo in iis non possit imputari dolus, vel notabilis negligentia primi. 11

Videtur tamen in contrarium obstare textus in *c. Capitulum S. Crucis 30. h. t.* ubi in assecutione beneficii præbendalis ille jubetur præferri, qui ad eosdem Canonicos Capituli Sanct. Crucis *prius mandatum Apostolicum reportavit*, ubi in assecu- 12

secutione præbendalis beneficii ille videtur præferendus, qui priùs præsentavit litteras. Sed contra, quia ut rectè notat Felinus in *d. c. n. 5.* illa particula prius non sumitur adverbialiter, sed nominaliter, adeò ut prius mandatum sit idem ac primum mandatum. Abbas verò in *d. c. n. 4.* asserens, illam particulam *prius* sumi adverbialiter respondet, eum qui fuit primus impetrator etiam prius præ alio præsentâsse suas litteras, scilicet monitorias, & præceptorias, ut significatur *in d. c. Capitulum sanctæ Crucis.*

13 Verùm hoc procedit regulariter loquendo, quia in nonnullis casibus hæc regula fallit, ut notat Glossa in *c. si soli 6. de concess. præbend. in 6.* Primò quando primus impetrator tantùm obtinuit gratiam expectativam, seu mandatum de providendo; & alius postea etiam, similes litteras impetravit, & illas non solùm ante primũ præsentavit; verùm etiam virtute earundem fuit ipsi præbenda actualiter collata: in hoc enim casu præbenda relinquitur secundo jam proviso, & non ampliùs confertur primo; nisi fortâssis Executor Ordinario Collatori jam significâsset, velle se per potestatem Papalem sibi datam conferre præbendam: vel eidem inhibuisset, ne præbendã conferret alteri: vel nisi litteris primi impetrantis fuisset apposita clausula, quâ Papa irritaret quidquid contra ipsas fieret. Secundò præfertur secundus primo, si hic ex dolo, & notabili negligentia suas litteras non præsentavit. Tertiò si secundus habeat in suis litteris adjectam clausulam, qua debeat cæteris aliis anteferri etiam in eadem ecclesia receptis; quia tunc Pontifex per hanc clausulam revocat priores gratias expectativas factas aliis *c. quidam 40. de præbend. in 6.* Quartò præfertur secundus, si Papa mandet, primo provideri de præbenda; & postea mandet, provideri secundo, de dignitate, personatu, aut officio in eadem ecclesia, quia tunc si præbenda vacans est annexa dignitati, personatui, vel officio; secundus præfertur primo; non ita si præbenda sit sola; & non annexa alteri, tunc enim secundo debetur dignitas, personatus, vel officium; & primo præbenda cum hæc possit conferri sine dignitate, personatu, vel officio: quòd si propter connexionem, non posset separari, deberetur secundo: quia dignitas, ratione cujus præfertur, trahit secum præbendam, & accessorium sequitur suum principale. Sunt etiam alii casus, in quibus secundus in gratiis expectativis præfertur primo, Verùm non est operæ pretium diutius in hisce immorari, quia hujusmodi gratias expectativas, & mandata de providendo omnino sustulit Concilium Tridentinum *sess. 24. de refor. c. 19.*

15 Quando Papa concedit duobus, ut provideantur de canonicatu, & præbenda; ille præferendus est, qui habet datam priorem saltem una hora, idque desumitur ex *c. de duobus 14. h. t. in 6.* quia in litteris beneficialibus de providendo attendi debet tempus datæ, adeò ut qui priùs gratiam impetravit, sit alteri præferendus: quia ex *regul. jur. 54. in 6. Qui est prior tempore, est potior jure.* Hinc si litteræ duorum impetrantium eodem die sint impetratæ, onus probandi ei incumbit, qui suas litteras priùs expeditas affirmat, ut etiam ei, qui suas priùs præsentatas asserit; quia hoc est fundamentum suæ intentionis, ut notat Imola in *c. relatum n. 8. de prabend.* Ratio itidem assignatur, quia utrumque mandatum de providendo est validum, nec unum potest rejici potiùs, quàm aliud, nisi probetur, quòd unum fuerit priùs datum, vel præsentatum. Quòd si in litteris de providendo, quæ pluribus eodem die ad eandem ecclesiam datæ sunt, apparere non possit de prioritate temporis, is præferendus est, qui prius præsentavit. Sin verò ambo simul præsentaverint, tum locus est gratificationis, adeò ut unus ex iis, Collatorum arbitrio, eligatur: ratio est, quia utrumqne mandatum de providendo est validum, & licèt Collatores non teneantur utriq; impetranti providere, & possint alterutum mandatum rejicere, & contra illud excipere, quòd Papa non soleat unam ecclesiam pluribus ejusmodi mandatis gravare; debent nihilominus collatores unum recipere, & alterum rejicere, eum scilicet cujus gratia expectativa est minus firma: quòd si utraque gratia expectativa sit prorsus æqualis, tum subintrat gratificatio, ut unus ex illis, arbitrio collatorum eligatur. ratio est, quia cum utrumq; mandatum de providendo sit validum, & nulla subsit ratio, cur unum debeat alteri præferri, & ex alio capite beneficium sit individuum, nec possit ejus media pars dari uni, & alia alteri: superest ut unus ex illis arbitrio collatorum eligatur. Aliter verò est dicendum de litteris beneficialibus, quibus pluribus personis uno, eodemque die ejusmodi beneficii collatio facta est: quia tunc litteræ posteriùs datæ sunt ob-vel subreptitiæ, & prorsus irritæ: adeò ut nullum ex illis jus acquiratur impetranti. Nec tunc qui suas litteras priùs præsentavit est alteri præferendus, cum non constet, an validæ sint. Quòd si de prioritate collationis constare non possit; neutra gratia papalis est executioni mandanda, donec consultus Papa suam intentionem manifestet, & aliquid magis certum statuat,

Hinc liquet, in litteris beneficialibus de providendo esse attendendum tempus datæ, non præsentationis, & eum qui priùs beneficium impetravit esse præferendum alteri, ut liquet ex *d. c. duobus 14. h. t.* ubi cùm duo à sede Apostolica litteras Executorias de præbenda ipsis conferenda in eadem ecclesia exhiberent, & non appareret, uter eorũ litteras priùs impetravit, nec propterea quis eorum in assecutione præbendæ esset præferendus. Consultus Bonifacius VIII. rescripsit, quòd si uni eorum Pontifex canonicatum contulit, & alteri non contulit, sed mandavit ab ordinario collatore conferri; tunc is debeat præferri, cui à Pontifice collatio facta fuit. Quòd si Pontifex utrique contulit canonicatum, vel si utrique ab Ordinario conferri mandavit, tunc is sit præferendus, qui suas litteras priùs præsentavit; eò quia in gratia impetrata sint æquales. Quòd si contingat, ut etiam in præsentando concurrant, eò quia litteras simul præsentent, tunc mandat Pontifex, ut ii, ad quos pertinet Canonicorum receptio, & præ- 15

præbendarum collatio, aut major eorum pars unum ex duobus eligant, altero exclufo.

16 Præterea fi Papa concedat Titio gratiam, ut illi provideatur de præbenda primò vacatura, deinde illam revocet: & interim eandam gratiam concedat Cajo, & deinde iterum gratiam revocatam reftituat Titio: prima præbenda vacans eft danda Cajo, non Titio, quia attenditur reftitutio, non prima conceffio. Cæterùm notat Gloffa, quòd fi plures habeant fimiles gratias, ille fit præferendus, qui eft prior in data. Ex quo textu liquet, Principem nunquam cenferi alicui gratiam facere cum præjudicio, feu diminutione juris alteri quæfiti, nifi id exprimat; quamvis fola fua voluntate, & pro arbitrio poffit revocare gratiam à fe, vel fuo Anteceffore conceffam, præfertim in beneficialibus, in quibus habet plenitudinem poteftatis.

17 Rurfus quamvis in reftitutionibus, quæ fiunt ex obligatione juftitiæ, vel ex æquitate ob læfionem, vel aliam juftam caufam reftitutio fiat in integrum, adeò ut privatus recuperet omnia, quæ tempore privationis habebat *l. ult. in fin. C. de fententiam paffis.* nihilominus fiquis à Principe reftituatur ad gratiam revocatam, & legitime extinctam, non fit reftitutio ad illam cum præjudicio, feu læfione juris alteri prius acquifiti: ratio eft, quia hæc reftitutio juris legitimè amiffi eft nova gratia omnino diftincta à priori revocata, quæ propterea non revivifcit per reftitutionem, fed fit nova conceffio, ut notat Gloffa in *c. quamvis §. h.t. v. cum talis in 6.* Hinc liquet, quòd fi quis à Principe reftituatur ad jura, quæ legitimè amiferat, cenfenda fit hæc reftitutio nova gratia, quia jus qualecunque fi femel extinctum fit, non renafcitur *l. qui res 95. §. aream ff. de folut.* ubi jurisperiti communiter afferunt, obligationem femel extinctam nunquam revivifcere.

18 Hinc fi quis ob commiffum crimen fuerit à Principe privatus fuis bonis, & poftea reftitutus non recuperat ea bona, quæ medio tempore alienata fuerunt, vel alteri data, quia cùm amiferit jus, ac priftinum dominium, illud per reftitutionem non recuperat, fed tantùm per novam gratiam, feu donationem Principis, quæ non præfumitur fieri cum præjudicio juris acquifiti aliis perfonis: proinde neque fructus intermedio tempore ab aliis perceptos recuperat, fi eorundem percipiendorum jus alteri relinquebatur. Hac ratione fi Presbyter alicujus ecclefiæ ob crimen patratum, canonicè deponatur à fuo beneficio juris patronatûs, non poteft poftea iterum reftitui ab Ordinario folo, fed ulterius requiritur confenfus Patroni, perinde ac requirebatur in prima præfentatione, & collatione ejusdem beneficii: ratio eft, quia hæc reftitutio eft nova collatio omnino diftincta à præcedente, ac nova inftitutio; proinde nova quodammodo etiam Patroni præfentatio requiritur. Tum quia vacante beneficio per depofitionem, Patrono acquiritur jus alium præfentandi, quod invito non debet adimi, nec auferri.

Quando ex duobus adverfariis unus impetrat primas litteras, & alter fecundas ad diverfos Judices & dubitatur, quæ litteræ prævaleant, omnes illi Judices, debent fimul hoc declarare quòd fi non conveniant, debent communes arbitros eligere, idque defumitur ex *c. paftoralis 14. h. t.* ex quo textu liquet, non folum Judicem Ordinarium exorto dubio, num ad ipfum pertineat judicium, poffe cognofcere, an ad ipfum pertineat jurisdictio *l. fiquis ex aliena 5. ff. de judic.* fed etiam Delegatum, ut in *d. c. n. 1.* notat Abbas, id verò limitandum eft, quia licèt, fi Judex delegatus fit unus tantùm, ipfe folus orto dubio poffit cognofcere; non ita fi fint plures, quia tunc non poteft unus feorfim ab aliis cognofcere, fed debent fimul omnes convenire, & caufam examinare, quòd fi nec confentire, nec convenire poffunt, feu concordare, ad arbitros recurrendum eft. 19

Rurfus fi Judex Ordinarius, vel delegatus orto dubio de fua jurisdictione in certa caufa bona fide probabiliter prõnuntiat, fe effe Judicem competentem, & poffe cognofcere de tali caufa & à fententia hac interlocutoria non appelletur; proceffus, & fententia in caufa principali valebunt: tametfi poftea deprehendatur non fuiffe ab initio Judicem competentem, ut fusè probat Felinus in *d. c. paftoralis.* & ratio defumitur ex eo, quia hæc fit mens, ac voluntas committentis jurisdictionem, ut orto dubio num Judex in aliqua caufa poffit, cognofcere ad ipfum pertineat determinare, & fecundùm id procedere. Id autem non procedit quando Judicis jurisdictio non eft fundata, quia Judex in caufa principali non poteft procedere, nifi certus fit de fua jurisdictione: perinde ac Tutor non poteft adminiftrare, nifi certus fit, fe Tutorem effe *l. quæro 3. in fin. ff. de eo qui pro Tut.* 20

§. X.

De Nullitate Refcripti ex defectu caufæ motivæ finalis, aut impulfivæ.

Sicut refcripta vitiantur, fiùntque invalida per obreptionem, vel fubreptionem, feu per adjectionem falfam alicujus qualitatis, vel ob tacitam veritatem, quæ fi Principi innotuiffet, non conceffiffet refcriptum: & quia id, quod reticetur nonnunquam pertinet ad caufam finalem; ita fupereft inquireneum de nullitate refcripti ex defectu caufæ finalis: fiquidem alia caufa nullitatis eft dolus, vel fimplicitas, aut ignorantia admiffa, quatenus tacetur verum, vel narratur falfum in precibus; & tunc nullum impetrans refcriptum confequitur ex illo commodum, ut defumitur ex *c. fuper litteris 20. h.t.* ubi cum dubium ortum effet, quidnam fentiendum fit de litteris à Sede Apoftolica impetratis per taciturnitatem veri, vel per fuggeftionem falfi; & plures cenferent, tale refcriptum omnino irritum effe, & impetrantem nullum poffe ex eo commodum percipere; alii verò afferernt, quòd tametfi fecundùm formam à Pontifice præfcriptam procedi non debeat ob fubreptionem 1

nem, posse tamen Iudices delegatos causam cognoscere, & sententiam ferre juxta formam, & ordinem juris communis; stante hoc opinionum dissensu respondit Innocentius III. distinguendum esse, an litteræ cum taciturnitate veri, & suggestione falsi impetratæ fuerint per malitiã, vel ignorantiam; & dixit, quòd si dolosè, ob taciturnitatem veri, & suggestionem falsi, in pœnam delinquentis sint censendæ omnino irritæ, & postquam Judici sufficienter est dolus demonstratus, debeat supersedere à cognitione illius causæ. Sin verò per simplicitatem, & ignorantiam, debeat Judex attendere, an Papa, si falsitas suggesta non fuisset, aut veritas non occultata, adhuc litteras dedisset, quamvis non in tali forma, & modo; & tunc declarat, posse Judicem causam cognoscere secundùm ordinem juris communis.

2 Quòd si Pontifex nullas omnino litteras dedisset, tunc Judex delegatus non potest procedere nisi fortassis, ut partibus convocatis cognoscat de qualitate, & modo subreptionis; an ea fuerit ratio impetrationis litterarum, adeò ut Princeps causam nullo modo delegâsset, si veritatem cognovisset; & tunc declarat, non posse Judicem cognitionis officium impendere. Quòd si Princeps adhuc causam delegâsset, quamvis non cum tali forma, nec cum talibus clausulis; rescribit Pontifex, tunc Judicem posse cognoscere absque formis ejusmodi specialiter rescripti, juxta ordinem juris communis. Ex quo textu claret, rescripta justitiæ ob dictas causas fieri subreptitia, vel obreptitia. Primò per taciturnitatem veri pertinentis per se, & intrinsecè ad rem, & tunc propriè dicuntur fieri subreptitia: secundò per suggestionem falsi itidem intrinsecè ad rem spectantis, ut habetur in *l. 2. C. si contra jus*, & tunc rescripta sunt invalida, & fiunt obreptitia. Ratio itidem est, quia rescripta dependent ex voluntate mandantis jurisdictionem, & conferentis gratiam, aut beneficium. Et hæc voluntas, seu concessio juxta præsens institutum tollitur; & mandatum irritatur per ignorantiam veri dissimulati, & persuasionem falsi suggesti.

3 Hoc autem procedit, si veritas dissimulata, aut falsitas expressa in rescripto sit rei per se, & intrinsecè pertinentis ad negotium: quia si tantùm extrinsecè & per accidens se habeat, non vitiatur rescriptum justitiæ, vel gratiæ; tametsi Princeps agnita veritate rescriptum non concessisset. Idque ut ostendat Layman. *in c. super litteris 20. h. t.* ponit exemplum, si supponamus in Curia aliqua odium conceptum esse adversus Belgas; tum si Titius Belga rescriptum impetret dissimulans se Belgam esse, dicátque se Bavarum, non vitiatur ob dissimulatam veritatem nationis rescriptum, licèt fortassis si se Belgam dixisset minimè rescriptum obtinuisset, quia hæc circumstantia, num impetrans sit Belga, vel ex superiori Germania oriundus ad rem, de qua agitur per se non pertinet: immo quamvis veritas occultata; vel etiam falsitas expressa intrinsecè, & per se ad rem pertineat, si tamen non fuerit causa finalis, & principalis factæ concessionis, sed tantùm impulsiva, eò quia sine ipsa, adeóque perspecta veritate Princeps adhuc concessisset rescriptum in eadem forma, licèt fortassis difficiliùs, adhuc rescriptum non esset censendum subreptitium, suúmq; proinde sortiretur valorem, quia sola falsitas causæ impulsivæ non tollit voluntarium, quia non movet animum ad dandum absolutè; quia sublata falsitate adhuc Princeps concederet rescriptum, licèt non ita libenter, nec facilè, nec tam cito; quibus verò in casibus præsumendum sit, Principem adhuc concessisse rescriptum etiam remota tali falsitate, id remittitur judicio prudentis viri consideratis considerandis, seu stylo, consuetudine Curiæ, negotii qualitate, aliisque circumstantiis.

Cæterum subreptio per taciturnitatem veri, 4 vel obreptio per suggestionem falsi duobus modis potest contingere: primò per fraudem, & malitiam: secundò per simplicitatem, & ignorantiam; quæ tamen ignorantia debet esse crassa. Discrimen verò inter sub-vel obreptionem dolosam, & eam, quæ est ex ignorantia habetur in *d. c. super litteris 20. h. t.* quia in priore totum rescriptum videtur irritari, adeò ut Judex, ne quidem secundùm formam juris coṁunis debeat de causa principali cognoscere, quamvis Princeps sublatâ ea obreptione dolosâ adhuc concessisset rescriptum; licèt non in ea forma, sed secundùm terminos juris communis. In posteriori verò obreptione ex ignorantia procedit illa distinctio, ut si Princeps non interveniente obreptione adhuc dedisset rescriptũ, quamvis non cum forma speciali, Judex procedere possit secundùm formam communem, & tunc rescriptum sortitur suum valorem; non ita si Princeps nullo modo concessisset tale rescriptum. Quòd verò rescriptum justitiæ dolo impetratum sit ob- vel subreptitium proinde dicatur irritum, ut etiam si sit subreptitium per ignorantiam; id intelligitur dummodo pars contraria excipiat, ac opponat de sub-vel obreptione; vel etiam si evidentiâ facti obreptio sit notoria juxta doctrinam Glossæ in *l. 1. C. qui & adversus quos restit. V. in consil.* & ibi Baldus *n. 7.* quia Judex supplet in facto notorio etiam non petente parte.

An verò si litteræ dolo impetratæ contineant 5 plura capita separata, & dolus tantùm sit commissus quoad unum, non quoad alterum, vitietur totum rescriptum, sed tantùm illud caput, quod est dolosum, non conveniunt Doctores, censent enim Zœsius, Layman & alii, non vitiari rescriptum, nisi quoad illud caput, in quo fuit dolus commissus. Alii verò præsertim Vallensis *in suis paratitlis*, & Fagnanus in *c. super litteris 20. n. 12. h. t.* censent, rescriptum vitiari in totum idq; probant ex illis verbis textûs in fuæ perversitatis pœnam *nullum ex illis litteris commodum consequatur*. Possent tamen hæc verba sufficienter salvari, si asseratur, quòd vi litterarum, ne quidem in forma juris communis procedi possit; sicut procedi potest, quando simplicitas, vel ignorantia fuit causa subreptionis. Propugnantes verò primam sententiam nituntur *regul. jur. 37. in 6.* utile non debet per inutile vitiari, ut si habens votum castitatis petat dispensationem ad ducendam suam consanguineam in gradu prohibito & pro priori alleget suam incontinentiam;

tiam; pro posteriori, seu consanguineâ ducenda afferat, eam non posse invenire alium maritum suæ conditioni parem: in hoc casu ait Layman, dispensationem in voto esse validam, non verò aliâ in impedimento consanguinitatis, adeò ut possit quidem, qui dispensationem impetravit nubere, non tamen suæ consanguineæ, sed alteri. Exemplum subreptionis ortæ ex simplicitate, vel ignorantia, ac vitiantis rescriptum affert Fagnanus in *d. c. super litteris n. 65.* estque si impetretur à Papa rescriptum super re feudali non factâ mentione, quod feudalis sit: quia tunc Papa verisimiliter se non intromisisset super tali re feudali, nisi fortassis in defectu non administratæ justitiæ.

6 Mihi tamen videtur procedendum cum distinctione: si partes rescripti non sint inter se separabiles, & subreptio contingat circa causam finalem totius rescripti censerem, totum rescriptum vitiari, ac irritari sive sub- vel obreptio scienter, & per dolum; sive per simplicitatem, aut ignorantiam irrepserit: ratio est, quia tunc voluntas rescribentis non censetur concurrisse ad concessionem rescripti; quia voluntas rescribentis movetur à causa finali, & principali expressâ in narratione supplicantis. Sin verò sub- vel obreptio contingat tantùm circa unam, vel alteram partem rescripti, quæ non pertineat ad causam finalem, & principalem, à qua movetur voluntas rescribentis; & reliquæ partes sint separabiles, & sub- vel obreptio contigerit per ignorantiam, vel simplicitatem, tunc censerem, validum esse rescriptum circa cæteras partes, in quibus nulla irrepsit subreptio, quia tunc valet *regul. jur. 37. in 6. utile per inutile non vitiatur.*

7 Immo id etiam extenditur ad rescriptum continens plures gratias, quarum una non dependet ab alia, adeò ut si subreptio dolosè irrepserit circa unam, hæc invalidetur, sed rescriptum circa reliquas gratias suum retineat valorem: quia cùm hujusmodi gratiæ à principe concessæ non supponantur inter se connexæ, & nulla circa illas irrepserit sub- vel obreptio, adhuc censetur voluntas rescribentis gratiosè in illas influere.

8 Præterea licèt rescriptum continens plures gratias inter se non connexas, sit materialiter unum tantùm, virtualiter tamen censetur multiplex; proinde vitiata una parte non censentur cæteræ tale vitium contraxisse; cum partes rescripti simul non connectantur *argum. c. si ex eo tempore 9. h. t. in 6.* Id tamen limitatur, quando pars circa quam vitium irrepsit se habet accessoriè ad aliam, circa quam dolus commissus est, tunc enim & ipsa irritatur: quia accessorium induit naturam sui principalis *c. constitutis 19. h. t.*

9 Quæ hactenus dicta sunt de rescriptis justitiæ, procedunt etiam in litteris gratiæ, & beneficialibus ut notat Abbas in *c. super litteris 20. n. 5. & 6. h. t.* unde in rescriptis gratiæ est etiam distinguendum, an per ignorantiam, vel dolum sub- vel obreptio contigerit: si per ignorantiam, an Princeps nihilominus eandem gratiam concessisset secundùm substantiam: si per dolum, an pars rescripti ubi dolus commissus est, cohæreat cum altera parte, an verò sit separata, & tunc pars gratiæ, in qua dolus admissus non est, non vitiatur, donec per Judicis sententiam in pœnam commissi doli in altera parte rescripti rescindatur.

10 Quòd verò si rescriptum gratiæ vitiatum sit, perinde sit irritum ob sub- vel obreptionem, sicut rescriptum justitiæ, videtur sequi à fortiori, quia rescripta gratiæ, quæ & beneficialia dicuntur longè faciliùs infirmantur, quàm rescripta justitiæ, ut notant Abbas, & Decius in *d. c. super litteris 20. n. 5. h. t.* Ex dictis igitur liquet, quòd defficiente causâ finali simpliciter motiva ad rescriptum talis formæ concedendum, vitietur rescriptum sive justitiæ, sive gratiæ, quia deficit tunc consensus Principis.

11 Ad cognoscendum verò, an rescriptum gratiæ sit sub- vel obreptitium, nec ne; ostendi debet tempus datæ, seu impetrationis quoad habilitatem impetrantis; adeò ut non sufficiat, eum tempore executionis, seu collationis esse habilem, sed requiritur etiam, ut habilis sit tempore impetrationis, seu datæ, ut notat Felinus in *c. cum te 7. h. t.* quia rescriptum gratiæ, seu beneficiale, quod tempore impetrationis fuit subreptitium, ob inhabilitatem impetrantis, nequit tractu temporis convalescere; tametsi impetrans fiat postea habilis: quod enim ob initio non subsistit, tractu temporis non potest firmari, nec convalescere juxta *regul. jur. 18. in 6.*

12 Aliud verò dicendum est, si Petrus impetret rescriptum à Papa, in quo mandetur simpliciter, ut beneficium proximè vacaturum ei conferatur: si enim accidat, ut vacet præbenda sacerdotalis, tunc non potest ei vi hujus rescripti conferri talis præbenda, si tempore vacationis non fuit in ætate requisita ad sacerdotium: Potest autem ei conferri; si ætatem illam jam attigit: quia tunc attenditur non tempus datæ, seu impetrationis litterarum, sed tempus vacationis beneficii, seu executionis rescripti beneficialis, ut habetur in *c. ei cui 29. de præbend. in 6.* ratio discriminis ex eo oritur, quia in priori casu sub- vel obreptio commissa fuit, quando impetrans beneficium curatum, vel non curatum tacuit defectum ætatis requisitæ ad tale beneficium; proinde quia rescriptum quoad beneficium curatum fuit ab initio ob subreptionem irritum, non potuit postea tractu temporis convalescere: beneficia siquidem curata, ad quæ obtinenda major idoneitas, seu habilitas requiritur speciali indigent expressione: secùs in posteriori casu ab initio nulla intervenit subreptio, quia supplicans impetravit mandatum de conferendo sibi beneficio in genere, nulla in specie facta mentione de præbenda sacerdotali, vel diaconali: proinde non fuit necesse, ut ætatem exprimeret; unde licèt, impetrans tempore datæ, seu impetrationis non habuerit ætatem requisitam ad obtinendum sacerdotale, quia tamen tempore vacationis attigit legitimam ætatem, est illi præbenda conferenda: siquidem cessante subreptione si agatur de gratia, cujus effectus nondum est executioni mandatus, sed adhuc pendet; non spectatur tempus concessionis gratiæ, sed executionis ejusdem, ut notat Abbas in *c. dilectus 27. n. 8. de præbend.* Hinc si Papa

motu

motu proprio mandat, alicui provideri de beneficio curato, vel ſine cura proximè vacaturo; tametſi non habeat legitimam ætatem ad beneficium curatum, eſt illi conferendum, quia motus proprius tollit obreptionem *c. ſi motu 23. de præbend. in 6.*

13 Circa cauſam purè impulſivam gravis eſt difficuitas, an illa deficiente reſcriptum vitietur: cauſa impulſiva dicitur, qua non exiſtente adhuc Princeps conceſſiſſet quidem reſcriptum, ſed non in eadem forma, nec ita facilè, promptè, & expeditè. Plures cenſent, deficiente hac cauſa purè impulſiva vitiari reſcriptum, & fieri ſubreptitium; perinde ac ceſſante cauſa finali; ita cenſent ferè communiter Canoniſtæ, quibus adhæret Fagnanus. Theologi verò probabiliùs, & veriùs docent, deficiente cauſa purè impulſiva non irritari reſcriptum, huic ſententiæ adhærendum puto, & probatur ex *l. cùm tale 72. §. 6. ff. de condit. & demonſtrat.* ubi falſa cauſa, quâ movebatur legans, tunc ſolùm facit inutile legatum, ſi Teſtator ſciens, cauſam eſſe falſam, non fuiſſet legaturus, Unde à ſenſu contrario, ſi deficiente cauſa purè impulſiva adhuc ſupponitur, quòd Princeps conceſſiſſet reſcriptum in eadem forma, licèt non tam facilè, promptè, & expeditè, reſcriptum ſuum ſortitur valorem. Poteſt etiam id firmari à paritate donationis, quæ communiter cenſetur valida non obſtante falſitate cauſæ impulſivæ. Ratio itidem à priori ex eo petitur, quia eatenus reſcripta ſub- vel obreptione vitiantur, quatenus deficit conſenſus Principis: atqui ob falſitatem cauſæ merè impulſivæ non deficit conſenſus Principis, quia ſupponitur adeſſe, licèt non tam facilè, promptè, & expeditè, ac eſſet, ſi cauſa purè impulſiva adeſſet.

14 Hinc voluntas Principis, ſeu Papæ, qua ob veritatem cauſæ finalis abſolutè vult litteras conferre, quamvis aliquo modo feratur etiam in cauſam impulſivam, continet appretiativè, & virtualiter illam voluntatem, quam haberet, ſi falſitas cauſæ impulſivæ ei innoteſceret, proinde illi æquivalet: adeò ut tantundem operetur, quantum illa alia operaretur. Quamobrem ea alia voluntas non dicitur, moraliter loquendo, merè conditionata, & futura, ſed præſumitur de præſenti alioquo modo exiſtere in abſoluta voluntate concedendi gratiam ex cauſa finali exiſtente.

15 Neque obſtat textus *in c. poſtulâſti 27. h. t.* ubi taciturnitas vicariæ videtur fuiſſe cauſa ſolùm impulſiva ad concedendum beneficium, & nihilominus reſcriptum declaratur irritum, & nullius valoris: antecedens videtur colligi ex illis verbis, quibus Pontifex in textu dicit: *pro habente beneficii competentis ſubſidium de levi* (ſcilicet de facili) *non ſcribimus*, unde ſignificat Papa, quòd nihilominus pro altero beneficio ſcripſiſſet. Nam contra eſt, quia verba Pontificis in textu intelliguntur in hoc ſenſu, quòd pro habente beneficii competentis ſubſidium non facilè contingit, ut Pontifex ſcribat non facta mentione beneficii jam obtenti, hic enim ſenſus eſt communis Canoniſtarum. Præterea quia ſtylus Curiæ hujusmodi expreſſionem poſtulat. Alii etiam reſpondent, taciturnitatem Vicariæ perpetuæ fuiſſe cauſam finalem conceſſionis, & quâ ſublatâ, ſi ſciviſſet Papa veritatem, nullatenus ita ſcripſiſſet.

Poteſt tamen objici, quia in quolibet reſcripto ſemper ſubintelligitur, ſi preces veritate nitantur: & cùm cauſa impulſiva eſt falſa, preces non nituntur veritate. Sed contra, quia ſi illa conditio tam ſtrictè accipienda eſſet, ſequeretur, non valituras litteras, ſi in precibus aliqua merita enarrentur ad promptiùs flectendum animum concedentis, quæ tamen in rei veritate non exiſterent. Rurſus ſi quis in precibus offerret ſe ad varia obſequia, & in animo non haberet, ea præſtare, reſcriptum eſſet nullum; quia preces veritate non niterentur, quod tamen nemo concedit. Quamobrem ſenſus illius conditionis *ſi preces veritate nitantur* eſt iſte, nimirum ſi vera ſunt ea, quæ me movent, ac determinant ad concedendum reſcriptum; adeò ut ſi non enarrarentur in precibus, non haberem cauſam, quæ actu efficaciter me moveret ad concedendum reſcriptum, Ratio itidem ex eo deſumitur, quia ſub illa conditione non poſſunt niſi ea comprehendi, quibus Princeps alligat ſuam voluntatem; & cauſæ merè impulſivæ non alligat ſuam voluntatem: ſiquidem ea deficiente adhuc concederet reſcriptum, unde cauſa merè impulſiva non venit ſub illa conditione. 16

Sin verò petatur, quomodo cognoſci poſſit, quænam ſit cauſa finalis, & quæ merè impulſiva? Reſponderi ſolet, quòd ſi cauſa in precibus allata ſit unica, & indiviſibilis, ut eſt periculum incontinentiæ, quod ſolet adduci ad impetrandam diſpenſationem in voto caſtitatis: tunc cauſa hæc in precibus allata habet rationem cauſæ finalis: quia ſine cauſa hac in precibus expreſſa non cenſetur Princeps velle diſpenſare in voto caſtitatis, niſi fortaſſis diceret, ſe diſpenſare in tali voto motu proprio. Sin verò ſint plures cauſæ, ut periculum incontinentiæ, & ſimul neceſſitas propagandi familiam illuſtrem, tunc ex his duabus cauſis, illa habetur pro cauſa finali ſaltem partiali, quæ in prudenti virorum judicio præferretur alteri, ſi alterutra eſſet omittenda: illa enim tunc cenſetur ex natura ſua eſſe aptior ad fortiùs movendum Principem ad conceſſionem reſcripti. Sin verò cauſa ſit talis, ut in reſcriptis, & precibus ſoleat quandoque afferri pro cauſa unica, & adæquata, tunc altera cauſa adjuncta cenſenda eſt merè impulſiva, tametſi talis eſſet, quæ ſi ſola poneretur poſſet habere rationem cauſæ finalis. Si enim adſint duæ cauſæ æquè potentes, cenſetur tunc Princeps in favorem ſupplicantis illi ſoli ſuam voluntatem alligare, quæ potentior eſt ad movendum, & ſi ambæ ſint æquè potentes Princeps neutri alligat determinatè ſuam voluntatem, ſed tantùm indeterminatè: proinde ſi alterutra verificetur, ſufficit. Sin verò nec ex ſtylo Curiæ, nec ex aliis reſcriptorum formulis colligi poſſit, quænam ex duabis cauſis prævaleat, ſitque finalis, tunc ambæ ſimul conſtituunt unam cauſam finalem, eò quia non ſit major ratio de una, quàm de alia. 17

§. XI.

De Variis modis, seu causis, ob quas Rescripta fiunt suspecta de falsitate, vel sunt irrita.

1 NOn solùm per suppressionem veritatis in libello supplici rescripta fiunt subreptitia, & invalida, & per suggestionem falsitatis obreptitia; sed etiam pluribus aliis modis potest contingere, ut rescripta reddantur suspecta de falsitate, vel etiam fiant invalida. Primò dubitari potest, an ex falsa adjectione qualitatis rescriptum reddatur invalidum, vel suspectum de falsitate. Juvat observare, qualitates in rescriptis adjici solitas duplicis esse generis; aliæ enim adjiciuntur tantùm ad demonstrandum subjectum, seu personam, vel aliam rem. Aliæ, quibus rei alioquin de se indeterminatæ fit determinatio ad unum: qualitas primi generis esset, si homo qui nominatur Petrus, vocaretur Doctor decretalium, cùm sit tantùm Doctor legum: qualitas secundi generis esset, si Testator volens legare certam pecuniam Titio diceret: lego Titio totam illam pecuniam, quam habeo in tali meo scrinio. Si qualitas primi generis falsò adjiciatur tantùm per modum demonstrationis, seu declarationis illius rei, in quam fertur intentio Principis in rescripto, non vitiat rescriptum, nec irritat; si aliunde constet de re, quam Princeps volebat demonstrare, & de intentione dandi rescriptum etiam secluso errore: idque desumitur ex §. 29. *instit. de legat.* ubi dicitur: *si in nomine, cognomine, pronomine, agnomine Legatoris erraverit, si de persona constet, nihilominus valet Legatum.*

2 Posset tamen in contrarium objici textus in *c. significante. 34. h. t.* ubi Raphael litteras Apostolicas ad quosdam Judices impetravit contra Vitum super controversia de Bannis, & quibusdam aliis similibus, & in litteris scriptum erat de Vito Diœcesis Remensis. Vitus autem à Judicibus citatus opposuit, se vigore talis rescripti non posse conveniri, eò quia non esset de Diœcesi Remensi, sed de Leodiensi: quia verò Judices hanc exceptionem non admittentes procedebant in causa; Vitus ab illis appellavit ad sedem Apostolicam; & Gregorius IX. rescripsit ad Decanum, & Canonicum quendam ecclesiæ Leodiensis, ut si rem se ita habere cognoverint, irrita esse declarent, quæ à priorbus Judicibus acta fuerunt. Huic objectioni respondent aliqui cum Viviano in *d. c. significante*; ideo acta illa fuisse nulla, quia rescriptum non poterat extendi à Vito Leodiensi ad alium ejusdem nominis Remensem, & supponunt Vitum Leodiensem non fuisse illum hominem in individuo, contra quem Raphaeli competebat actio super bannis, & quibusdam aliis similibus, sed alium Vitum Remensem: quod si verum esset, utique solutio esset vera & plena. Quia verò Vitus Leodiensis non negavit, se illum esse, contra quem Raphael intenderat rescriptum obtinere, non videtur dicta solutio satisfacere. Respondendum igitur aliter est, rectè Gregorium IX. declarâsse irrita acta illa, & quidem ex duplici capite. Primò quia non fuit mens Pontificis in primo rescripto constituere Judices alterius Diœcesis, seu Remensis, si scivisset reum conventum esse Diœcesis Leodiensis. Stylus enim Curiæ est constituere Judices in illa Diœcesi, in qua debet reus conveniri. Secundò quia Judices constituti pro tali causa distabant ultra unam dietam à Diœcesi Raphaelis, & Viti, quæ distantia jure novo reddit rescriptum obreptitium.

Sin verò error sit circa qualitatem adjectam in vim determinationis, reddit tunc rescriptum irritum, ut quòd beneficium vacet per mortem beneficiarii; vel per resignationem, & est casus in *c. susceptum 6. h. t.* ubi habetur, quòd quando Papa mandat, ut quis providerat Titio de beneficio resignato, si vacet per obitum, non potest de illo providere, nisi Papa explicaverit de beneficio vacante quocunque modo. Rursus si duo impetrant unum beneficium, unus ut vacans per resignationem, & alter per mortem; primus præfertur, quia beneficium vacavit per cessionem; Sin verò primus dicat vacare per mortem, quod est falsum; & alter per resignationem, quod est verum, in hoc casu rescriptum primi est obreptitium, & beneficium confertur secundo; in cujus rescripto vacatio per resignationem erat adjecta ad designandum, & determinandum, tale beneficium uni præ alio esse conferendum: ratio erat quia falsitas determinationis ostendit aliam esse mentem Principis. Ratio etiam est, quia beneficium duobus modis potest vacare, scilicet per resignationem, & per mortem; hæ autem vacationes sunt distinctæ; proinde quando Pontifex mandat, ut alicui provideatur de beneficio, quod vacat per renuntiationem; Pontifex restringit suum rescriptum ad solam vacationem per resignationem: unde si contingat beneficium vacare per obitum, ex vi talis rescripti non acquiritur ab illo, qui impetravit tale rescriptum, quia qualitas illa, seu modus vacandi est adjectus causâ taxationis, seu limitationis, cujus propterea error rescriptum vitiat; si nimirum qualitas illa desit in beneficio, quia in ea erratum est ob defectum voluntatis in concedente, ut notat Abbas in *c. significante 34. n. ult. h. t.* Aliter est dicendum, si constet de subjecto, seu beneficio, quod dicitur vacare per renuntiationem Titii, & vacet per renuntiationem Caji, dummodo beneficium sit illud, quod exprimitur in rescripto: ut etiam si exprimitur in rescripto, quod beneficium sit juris patronatûs cum revera sit liberæ collationis: quia tum error est tantùm in qualitate demonstrationis; proinde non irritat rescriptum: sic etiam remoto Caji errore Princeps illud rescriptum concessisset. 3

Si error sit circa substantiam rei, quæ conceditur, vel personæ, cui conceditur, seu circa substantiale objectum illius, etiam vitiatur rescri- 4

scriptum, ut etiam quælibet alia dispositio: exemplum habetur in *d. c. significante 34. h. t.* ubi Raphael litteras Apostolicas ad Judices quosdam impetravit contra Vitum super controversias de bannis, & quia in litteris scriptum erat de Vito diœcesis Remensis. Vitus à Judicibus citatus opposuit, se vigore ejus rescripti conveniri non posse, eò quia non sit de Diœcesi Remensi, sed Leodiensi. Quia verò Judices hanc exceptionem non admittentes processerunt: Vitus ab iisdem appellavit ad sedem Apostolicam, Et Gregorius IX. rescripsit Decano, & Canonico cuidam ecclesiæ Leodiensis, ut si res ita se habeat, declarent irrita, quæ à prioribus Judicibus acta fuerunt. Exemplum in rescripto justitiæ est, si quis impetravit rescriptum contra suum debitorem, & per errorem, vel etiam ignorantiam allegavit titulum mutui, cùm tamen esset debitor alio titulo, scilicet ex contractu venditionis, & emptionis: tunc enim irritum est rescriptum, vel irritari potest propter errorem circa substantiale objectum illius, quia quoad substantiam titulus mutui, qui falsò exprimitur in rescripto est longè diversus à titulo venditionis.

5 Rursus quòd error qualitatis adjectæ per modum restrictionis vitiet rescriptum, habetur etiam exemplum in *c. susceptum 6. h. t.* ubi cum Pontifex mandâsset Episcopo, ut à Titio Clerico accepta resignatione beneficii, quod possidebat, illud conferret Sempronio: quia Titius antequam resignaret, è vita discessit, Episcopus non potuit mandatum Apostolicum exequi, eò quia beneficium non per resignationem; sed per mortem vacaverit: quia ut diximus beneficium vacare per obitum, & vacare per renuntiationem sunt veluti diversæ species beneficiorum vacantium, consequenter quod de una affirmatur, non potest intelligi de altera; quia à diversis non fit illatio *l. sed si ante 17. ff. de accept. l. si maritus 10. C. de donat. inter. vir. & uxor.* & notat Guido *decis. Gratianopolit. 264. n. 3.*

6 Idque ampliatur. Primò ut procedat in aliis modis, sive speciebus vacationis, ut si mandetur alicui Clerico conferri beneficium vacans per assecutionem alterius incompatibilis; non potest tunc conferri beneficium vacans per contractum matrimonii, nisi adjecta sit rescripto clausula, vel quovis alio modo vacaverit, ut notat Ftancus in *d. c. susceptum 6. n. 8. h. t.* ubi etiam *n. 9.* addit, quòd si facta sit impetratio beneficii vacantis per mortem Petri defuncti decedentis eo loco, & tempore, vel alio quovis modo, non valet rescriptum, si beneficium non vacet per mortem Petri; sed alterius antecessoris: ratio est, quia illa adjecta clausula, *vel alio quovis modo* refertur ad id tantum, quod proximè anteceffit; quia in hac materia clausula est strictæ interpretationis. Secundò ampliatur ut non solùm valeat in rescriptis beneficialibus, quæ sunt strictæ interpretationis, & impleri debent in propria forma *l. diligenter 5. ff. mandati.* Verùm etiam procedit in omnibus rescriptis gratiæ, seu beneficiis Principis, quamvis mereantur laxè interpretari, ut notat idem Francus in *d. c. susceptum n. 6.* ubi adfert exemplum de eo, cui facta est facultas conferendi quinque beneficia vacantia in Diœcesi per mortem; ait enim, non posse hunc ex vi talis privilegii conferre beneficia vacantia per renuntiationem: ratio itidem est, quia nulla gratia, aut dispositio debet extendi ultra intentionem concedentis, aut disponentis, & mens concedentis conjicitur ex verbis, quæ ponuntur in rescripto, quod secundùm significationem debet explicari, qua ratione communiter dicunt Canonistæ privilegium non plus operari, quàm verba exprimant, ut habetur in *c. porro 7. de privil.* ubi Glossa addit, privilegium esse servandum in sua forma tantùm, & non ultra extendendum. Tertiò ampliatur, ut procedat tametsi gratia motu proprio Principis concessa sit: quia motus proprius licèt excludat subreptionem, non tamen ampliat gratiam, nec vim verborum. Quartò ampliatur ut locum habeat etiam in rescriptis Ordinariorum, quia est eadem ratio.

Quòd si in rescripto Papali mandetur alicui conferri præbenda non sacerdotalis, sed diaconalis, vel integra, aut certi valoris; non potest tunc eidem volenti, & consentienti conferri ex vi ejusdem rescripti præbenda sacerdotalis dimidia, vel minoris valoris: ratio est, quia in rescriptis verba sunt intelligenda ut sonant, & non est recedendum à proprietate, & comuni acceptione eorundem *l. non aliter 67. ff. de legat.* quia verba instituta sunt ad significandam intentionem, & mentem loquentis: unde si non constet de alia intentione concedentis, verborum ratio habenda est: secus tamen esset, si constaret de alia intentione concedentis, tunc enim ratio verborum non esset habenda, quòd vel maximè procedit in Principe, qui certæ verborum formæ non est adstrictus. 7

Imò hæc verborum extensio, quando constat de alia intentione Principis, uberior, & amplior esse debet in materia favorabili, quàm odiosa, ut rectè notat Suarez *lib. 8. de legib. c. 28. n. ult.* Secus quando non constat, aliam esse intentionem Principis, si in rescripto Papali mandetur alicui conferri Præbenda non sacerdotalis, non potest ex vi illius mandati ei conferri præbenda sacerdotalis, quamvis dimidia, imò etiam minoris valoris, quàm alia, quia tunc verba sunt intelligenda in propria significatione, & rescripta non debent extendi ad casus non expressos *c. cui 27. de præb. in 6.* Ratio itidem assignatur, quia qualitas illa sacerdotalis adjecta præbendæ ponitur causâ taxationis, seu restrictionis, per quam præbenda, quæ secundùm se est subjectum indeterminatum, & ad diversas veluti species indifferens, determinatur ad certam speciem beneficii, seu præbendæ, quæ propterea si careat tali qualitate ejus concessio corruit ob defectum voluntatis concedentis, seu mandantis; quia non potest extendi ad præbendam non affectam tali qualitate determinante. Id autem solùm procedit si in aliqua ecclesia sint plures præbendæ integræ, & dimidiæ majoris, & minoris valoris, ut dicitur in *d. c. cui 27. de prebend. in 6.* quia si omnes præbendæ in illa ecclesia essent dimi- 8

dimidiæ, vel minoris valoris, & Papa alicui rescriptum daret, in quo mandaret ei conferri præbendam vacantem, vel proximè vacaturam in illa ecclesia, quæ integra, & majoris valoris esset: tunc impetranti conferri deberet præbenda dimidia, vel etiam minoris valoris: ratio est, quia tunc qualitas, in qua erratum fuit, non causâ taxationis adjecta fuit, sed tantùm causâ demonstrationis.

9 Hinc patet discrimen inter qualitatem adjectam causâ taxationis, seu restrictionis; & per modum tantùm demonstrationis: quia si adjiciatur causâ taxationis rescriptum vitiatur, si qualitas deficiat: quia tunc error qualitatis adjectæ per modum restrictionis, seu determinationis redundat in personam, & substantiam rei, quæ per qualitatem illam determinatur, & restringitur, adeòque est error substantialis, qui vitiat rescriptum. Secus per errorem qualitatis adjectæ per modum demonstrationis non vitiatur rescriptum, dummodo constet de substantia rei; adeò ut etiam sine tali errore concessio, vel dispositio eodem modo facta fuisset: quia quando qualitas adjicitur tantùm demonstrationis causâ, tunc non restringitur gratia concessa: proinde quamvis desit qualitas illa, adhuc Princeps censetur habere voluntatem concedendi gratiam secundùm se; idque liquet in legatis, quæ propter adjectam falsam demonstrationem non vitiantur, dummodo de persona, cui legatur, & de re legata constet; ut si legetur Petro fundus Pauli, qui per errorem vocatur fundus Joannis *l. si quis 4. ff. de legat.* ratio est, quia nomina personarum, ac rerum inventa sunt ad exprimandum & significandum conceptum mentalem: unde si constet de mente, & intentione Principis, tametsi erretur in nomine, vel aliis signis, aut qualitatibus rei demonstrandæ causâ adjectis, nil obest concessioni, vel dispositioni. Similiter in rescriptis gratiæ, vel ad beneficia error in nomine proprio, vel in ejus patria, pro quo scribitur, non vitiat rescriptum, dummodo constet de persona, ut si is pro quo impetratum est rescriptum per errorem vocetur Petrus piscator, & ipse revera nominetur Petrus venator, vel etiam si diceretur Petrus natione Gallus, cum sit Italus; adhuc validum esset rescriptum, quia semper constaret de persona, cui conceditur gratia, quia error qualitatis adjectæ se tantùm habet per modum demonstrationis, proinde non vitiat rescriptum cum constet de substantia rei.

10 Excipitur tamen nisi error in nomine, vel alia qualitate adjecta causâ demonstrationis redundaret in personam: ut si beneficium petitum esset pro Petro Serra Genuæ, qui in rescripto per errorem vocaretur Petrus Spinula, quia si revera sint duo, qui ita vocentur, irritum est rescriptum impetratum pro Petro Serra, quia tunc error est circa personam, & quia hæc est substantialis, ita error vitiat rescriptum. Neque tale rescriptum potest benignè interpretari, ut mens Papæ dicatur esse, beneficium conferre illi pro quo petitur, dummodo dignus, & idoneus sit, eò quia errore sublato ei eodem modo beneficium contulisset, non alteri: siquidem cum rescripta beneficialia sint strictæ interpretationis non possunt extendi à casu, vel persona expressa, ad casum, vel personam specificè non expressam *c. sedes 15. h. t.* Cæterum cùm dicimus, errorē qualitatis adjectæ per modum demonstrationis non vitiare rescriptū, id limitatur, nisi sit causa finalis, ac principalis concessionis rescripti, quia tunc si error abfuisset; Princeps non concessisset rescriptum, vel saltē non tali modo, neq; in tali forma.

11 Rejicitur etiam rescriptum, si mandet aliquid contra jus commune, nulla facta mentione saltē implicita ejusdem juris communis, cui derogatur. quia tunc rescriptum est alienum ab intentione principis; vel inscio Principe censetur per fraudem extortum, vel quia Princeps quando concessit rescriptum illud, non erat memor juris communis: alioquin illud non concessisset. Idq; etiam procedit, quando rescriptum est contra communem stylum, seu praxin Romanæ Curiæ, tunc enim vel falsum præsumitur; vel saltem de falsitate suspectum est *c. rescripta 15. caus. 25. q. 2. l. fin. C. si contra jus* ibi: *Omnes Judices monemus, ut nullum rescriptum, quod generali juri, vel utilitati publicæ adversum esse videatur in disceptationem cujuslibet litigii patiantur proferri.* In jure canonico desumitur etiam ex *c. ex parte de capellis Monach.* ibi: *Cùm autem id* (scilicet quod continetur in rescripto) *obstet Lateranensi Concilio, de quo nulla mentio est in litteris antedictis, Fraternitati tuæ breviter respondemus, quòd hujusmodi litteras ab Apostolica sede non credimus emanâsse. Quòd si per occupationem forsitan emanaverint, nolumus per hoc derogare Concilio prædicto.* Ex quo liquet, tale rescriptum nullum sortiri valorem, eò quia censetur prodiisse præter intentionem Principis ob varias occupationes, tunc juris non recordantis. Non enim verisimile est, Principē cujus est jura tueri, voluisse jura tot vigiliis excogitata, & inventa, uno verbo, vel rescripto evertere *c. ecclesia 57. de elect.* Rescriptum contrariū juri communi, & stylo Curiæ esset, si Princeps in illo mandaret, ut Judex delegatus sine cognitione causæ procederet ut desumitur *ex c. ex parte 2. h. t.* ubi litteræ expeditæ, quòd aliquid fiat sine cognitione causæ censentur subreptitiæ.

12 Generatim rescriptum justitiæ, quod contrariū est juri comuni, & stylo Curiæ, ut est illud, quo injungitur Comissario; ut absque causæ cognitione procedat, de obreptione, & falsitate suspectum esse debet: quapropter Comissarius non debet tunc procedere secundùm formam talis rescripti: donec Princeps certior factus aliud rescribat, ut desumitur ex. *l. ult. C. de precib. Imperatori offerend.* Is verò, qui tali rescriptū contra jus comune, & stylum Curiæ impetravit, & attulit, tanquam suspectus de falsitate, & fraude unà cum tali rescripto ad Curiam Romanā remitti debet, ut notat Abbas in *d. c. ex parte 2. n. 4. h. t.* Idque procedit non solùm in rescriptis justitiæ, sed gratiæ, vel privilegii, quoties enim privilegium deviat à comuni stylo, vel à ratione naturali, non debet Comissarius illud exequi, sed expectare secundam jussionē, seu mandatum Principis. Rescriptū contra rationē, & jus comune, ac stylum Curiæ etiā esset istud, in quo Papa mandaret, aliquid fieri lite pendente contra transactionem.

Si

si omnia negotia tam præsentia, quàm futura committerentur per Rescriptum justitiæ uni certo Judici: hoc enim est contra consuetudinem, & Stylum Curiæ, ut habetur in *c. ad hac 10. h. t.* ibi: *Significatum est nobis, quosdam de Cancellaria nostra litteras accepisse, per quas eorum omnia negotia unius Judicis, vel plurium, quos sibi elegerint arbitrio committuntur.* Infra: *Nos igitur huic morbo volentes obviare remedio.*

13 Aliter tamen res se habet in Rescriptis gratiæ, quibus dantur conservatores. Id etiam procederet, si in Rescriptis Justitiæ daretur Judex incertus eligendus ad arbitrium supplicantis. Quamobrem si litteræ Principis contra Stylum Curiæ, aut contra naturalem æquitatem quidpiam continentes præsententur, habentur de falsitate suspectæ, proinde rejici debent. An verò Papa ex certa scientia possit tale Rescriptum comittere, scilicet cum potestate eligendi quemcunque Judicem. Respondent Canonistæ affirmative salvo tamen jure illũ recusandi: ratio est, quia illa particula ex certa scientia æquivalet in præsenti plenitudini potestatis. Princeps autem ex plenitudine potestatis potest operari contra jus commune, & positivum, ut etiam contra Stylum Curiæ, dummodo nil agat contra rationem, aut æquitatem naturalem, nec tollat jus naturalis defensionis, nec sine necessitate alteram partem aggravet.

14 Sunt etiam aliæ causæ, ob quas Rescriptum, vel redditur omnino invalidum, vel suspectum de falsitate, & rejici debet. Quarum prima est, si in Rescripto certus Judex non delegetur, sed arbitrio, & electioni impetrantis committatur. Quia tunc futurum est, ut eligat Judicem sibi propitium, & adversario suspectum. Duæ enim præ cæteris causæ assignantur, ob quas Rescriptum meritò suspectum de falsitate censetur. Prima enim est, si omnia negotia tam præsentia, quàm futura committantur uni quantumvis certo Iudici; tale enim Rescriptum est suspectum de falsitate, quia est contra communem stylum, & consuetudinem Curiæ: siquidem per illud nimium derogatur potestati Judicis ordinarii, ut habetur ex *d. c. ad hac 10. h. t.* unde licet omnia negotia præsentia possint committi uni Judici delegato, non ita omnia negotia præterita, & futura, ut notat Abbas *in d. c. n. 6.* Id autem procedit de Rescriptis justitiæ: quia per Rescriptum gratiæ possunt dari Judices delegati habentes potestatem super omnibus negotiis præsentibus, & futuris: & dicuntur Conservatores, qui dari solent Ordinibus Regularium, ut eos defendant ab omnibus injuriis, & impugnationibus manifestis adversariorum præsentibus, & futuris *c. 1. & ult. de offic. deleg. in 6.* Secunda causa est, si in Rescripto committatur Judex eligendus ad arbitrium impetrantis, quia tunc nimium gravaretur pars contraria, nisi Papa exprimat in tali Rescripto, quòd detur potestas parti adversæ recusandi talem Judicem: alioquin Rescriptum foret irrationabile, & nimis onerosum alteri parti.

15 Cæterum is, ad quem dirigitur Rescriptum Papæ, debet illud exequi, nisi rationabilem causam possit allegare, cur illud non exequatur: etenim si Princeps aliquid præcipiat in solidum, aut moribus Populi contrarium, vel quod rectæ rationi adversetur; vel publicè evertat utilitatè, vel scandalo sit populis; non decet tunc illud executioni mandari: sed comissarius tenetur expectare responsionem Principis, vel alterum mandatum, ut desumitur ex *c. si quando 5. h. t.* ubi Alexander III. rescribit ad Ravennatem Archiepiscopum, quòd si litteræ Papales ad illum dirigantur, quæ aliquid contineant contra æquitatem, vel adversetur rectæ rationi, non debeat turbari: sed negotii pro quo scribitur naturam, & qualitatem diligenter considerans, vel mandatum impleat, vel cur implere non possit, & causam rationabilem per litteras opponat; quia Pontifex, non intendit, quidquam concedere contra æquitatem, & rectam rationem. Ratio, cur talia Rescripta non sint executioni statim mandanda, est, quia plerumque potest contingere, ut Princeps ob falsas informationes non statuenda decernat, vel propter importunitatem petentium non concedenda concedat: vel ob multitudinem negotiorum non satis cognita rescribat *l. 1. c. de petit. bonor. sublat.* Suarez *lib. 4. de legib. c. 16. n. 7.* censet id etiam procedere in universalibus Pontificiis legibus: si enim lex pro tota Europa edita uni Provinciæ ob speciales causas videretur observatu difficillima, & à moribus hominum nimis discrepare, esset tunc expectandum, donec Pontifex informatus iterum rescriberet.

Quid verò dicendum sit, si Papa Clerico notoriè indigno mandaret beneficium conferri, an tunc Commissarius debeat Rescriptum exequi. 16
Respondent communiter Canonistæ cum distinctione præsertim Abbas *in d. c. si quando 5. n. 3. h. t.* Joannes Andreas *in c. significavit de offic. Ordin.* vel mens Pontificis est manifesta, adeo ut constet sine dubio, quòd velit, ut huic etiam indigno conferatur beneficium: vel mens Pontificis non plenè constat; in hoc secundo casu supersederi debet, donec Pontifex consultus iterum rescribat: in priori verò casu iterum est distinguendum, an super inhabilitate possit Pontifex dispensare, & tunc tenetur Commissarius exequi Mandatum Papæ, & desumitur *ex c. 2. de schismat.* vel Papa non potest dispensare, idque vel quia absolutè loquendo casus non sit dispensabilis, ut in furioso, & amente: vel examinatis circumstantiis; quia grave scandalum oriretur, nec sine peccato dispensatio non posset mandari executioni, & tunc non est parendum, quia quoties Princeps aliquid jubet contra conscientiam, vel quod licitè non potest impleri, non est ei parendum: huc pertinet, quod ex Sancto Augustino Sermon. 6. de verbis Domini refertur *in c. qui resistit 97. caus. 11. q. 3.* ait, enim Augustinus: *sed quid? si illud jubeat, quod non debeas facere? hic sanè contemne potestatem humanam, ut timeas divinam.*

Demum redditur Rescriptum de falsitate suspectum, immo etiam irritatur, si in illo error 17
cadat supra aliquid, quod sit de substantia Rescripti, quia tunc si error innotuisset Principi minimè

minimè Rescriptum concessisset. Sin verò quæratur, quænam in Rescriptis censenda sint de substantia, & quibus non observatis Rescriptum sit nullum? Respondetur, ea, quæ in Rescripto requisita, etiam de jure communi requiruntur, judicanda esse, vel non esse substantialia, prout sunt, vel non sunt de jure communi. Quædam enim ponuntur in Rescripto præcisè ad instructionem Delegati: & alia ad similitudinem, vel ob paritatem cum aliquo requisito in jure communi. Hæc enim, quia propriè non sunt de jure communi, quamvis requirantur de jure communi, non dicuntur requiri substantialiter: ut quòd matrimonio debeant denuntiationes præmitti: hinc si in Rescripto dispensetur circa denuntiationes præmittendas, & moneatur Parochus, ut præcipiat contrahentibus, ne consumment matrimonium ante factas denuntiationes, hæc monitio non requiritur, ut substantialis: proinde ea prætermissa valeret matrimonium, perinde ac valeret, si contra jus commune contraheretur non præmissis denuntiationibus. Quamobrem requisita de jure communi judicantur esse, vel non esse substantialia, prout sunt, vel non sunt de jure communi.

18 Denique redditur Rescriptum falsum, vel saltem suspectum de falsitate, si in illo aliquis ex Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, quos Papa solet vocare Venerabiles, appelletur filius: vel si aliquis ex Principibus, & Regibus, quos Papa filios nominat, frater vocetur, *c. quàm gravi 6. de crimine falsi.* Præsumitur etiam Rescriptum falsum, si sit contra utilitatem publicam, quemadmodum esset, si in Rescripto indulgeretur alicui ædificare in via publica in præjudicium transeuntium *l. ult. c. si contra jus*: vel si concedatur aliquid damnosum fisco *l. neque damnosa 3. c. de precibus Imperat. offer.* Vel si Rescriptum impetratum sit in præjudicium tertii *l. 2. c. eod.* vel contra privilegia ejusdem, nisi de illis fiat expressa mentio, eisque nominaliter derogetur *c. ordinem h. t.* adeò, ut non sufficiat clausula generalis, si privilegium insertum sit in corpore juris; tunc enim requiritur specifica derogatio privilegii secundum formam, quæ in illo requiritur: quia lex generalis non tollit specialem, si ob peculiarem rationem videri possit excepta: quia species derogat generi. Tum quia censetur Princeps jura omnia consequenter etiam privilegia corpori juris inserta nosse *c. 1. de constit. in 6.* proinde, si iis, quæ specificam derogationem exigunt, vellet derogare, utique in specie de iisdem mentionem faceret. Sed quæ non sunt in corpore juris inserta, censentur derogari per clausulam illam revocatoriam generalem *non obstantibus quibuscunque, qualitercunque conceptis privilegiis*, ut docent Felinus *in c. nonnulli n. 6. h. t.* Sylvester *v. privilegium q. 10. dict. 6.* Ratio est, quia Princeps nec à se ipso, neque ab Antecessore suo obligari potuit ad certam formam Rescripti servandam: multò minus ut datum Privilegium annullare non possit, si velit: & quòd velit sufficienter conjicitur ex generali clausula derogatoria.

Hinc, si Privilegium datum sit Regularibus 19 cum clausula, ut nulla contraria constitutione revocatum censeatur, nisi ejus mentio specialis fiat: adhuc esse censendum revocatum per clausulam derogatoriam generalem. *Non obstantibus quibuscunque, qualitercunque conceptis privilegiis*, docent plures cum Suarez *lib. 5. de legib. disp. 38. n. 1.* etenim plures Religiones præcipuè mendicantes habent hujusmodi clausulam derogatoriam constitutionum subsequentium, nisi de iisdem privilegiis mentio fiat: & nihilominus plura talia privilegia revocantur in Concilio Tridentino, in quo nulla de ipsis Religionibus fit mentio. Excipitur tamen, nisi Privilegium cum tali derogatoria clausula extet in corpore juris, quia tunc per generalem legem non censetur sublatum, nec derogatum, nisi specialis ejus mentio fiat.

Rursus notat Suarez *loc. cit.* per illam clausulam generalem *non obstante quocunque privilegio, &c.* non censeri sublata, nec derogata ea privilegia, quæ per modum contractûs conceduntur in remunerationem meritorum: censet enim hujusmodi Privilegia non nisi ex gravi causa pertinente ad bonum publicum posse legitimè revocari: ex quo infert, hujusmodi revocationem non comprehendi in clausula generali, sed requiri specificam expressam mentionem, *etiamsi per modum contractus concessa fuerint.* Est etiam Rescriptum falsum, si per illud impetretur, quod est contra transactionem *l. causas 16. c. de transact.* vel lite adhuc pendente nisi in casibus jure expressis *l. 1. & 2. c. ut lite pendente*: vel contra sententiam, quæ transit in rem judicatam, & à qua non fuit appellatum *l. ult. c. sent. rescind. non posse.* Vel etiam, si Rescriptum careat debita solemnitate *argum. l. si jubemus 39. c. testam.* Ut etiam si rescriptum sit impetratum contra prohibita *l. sicut 36. de paganis.*

§. XII.

De modo, quo per Rescriptum speciale derogatur generali.

Certum est, rescriptum speciale continens aliquid contra, vel præter jus commune derogare Rescripto generali, quamvis de illo nulla mentio fiat; si rescriptum generale nihil aliud concedat, quàm quod jure communi concessum est, & desumitur *ex c. sicut Romana 1. h. t.* ubi Alexander III. rescribit, speciale mandatum derogare generali, quamvis de illo nulla fiat mentio. Cum enim Titius à Sede Apostolica generaliter impetrâsset licentiam appellandi, & postea Pontifex causam, quæ inter Titium, & Cajum erat, Judicibus delegatis sublato appellationis remedio commisisset: sed Titius postea à sententia Judicum appellâsset: respondit Pontifex, appellationem illius admittendam non esse, quia speciale rescriptum de non admittenda appellatione in certa causa derogat generali rescripto, seu privilegio appellandi. Ex quo textu liquet, posse Pontificem 1

ut

ut ſupremum Judicem in rebus eccleſiaſticis delegare Judici cauſam etiam ſublato appellationis remedio, quod nonniſi ſupremo Principi, & Judici conceſſum eſt *l. 1. §. interdum ff. à quibus appellare non licet.* adeò, ut inferior ſupremo Principe, quamvis Legatus non poſſit, conceſſa alicui juris remedia auferre. Rurſus ex textu, *in d. c. ſicut Romana* etiam conſtat, Principem poſſe alicui per privilegium concedere, ut liberè ei liceat appellare. Verùm objicit contra hoc Gloſſa in *d. c. ſicut Romana V. ut liberè,* quia privilegia conceduntur, ut aliquid operentur, proinde, ut aliquid tribuant, quod jure communi non conceditur *l. 1. C. de theſaur. lib. 10.* Sed communi jure omnibus conceditur remedium appellationis maximè in cauſis Eccleſiaſticis ad Romanum Pontificem *c. ſuper eo 12. de appellat.* unde videtur fuiſſe inutile privilegium conceſſum à Sede Apoſtolica Titio, ut liberè poſſet appellare, quia tale Privilegium nil operatur, nec tribuit; cum appellationis remedium jam jure communi conceſſum fuerit.

2 Verùm ad objectionem reſpondet Innocentius *v. vel dic melius* cum Gloſſa *in d. c. ſicut Romana.* per tale privilegium nil de novo fuiſſe conceſſum, ſed communem appellandi facultatem omnibus competentem fuiſſe ſpeciali proviſione corroboratam, eò quia nonnunquam ob adverſariorum potentiam id expediat. Specialis ſiquidem cautio plus ſolet timeri, quam generalis *c. quamquam 6. d. 23.* Secundum hanc reſponſionem facilè intelligitur, quomodo per ſpeciale Mandatum derogetur generali. Mandatum ſiquidem, ſeu reſcriptum Principis contra jus commune ei derogat, etiam non factâ ipſius mentione, dummodo derogatio non ſit inſolita, ſeu contra Stylum Curiæ. Cum frequenter ſoleat Papa cauſam alicui ſpecialiter committere non adjecta clauſula derogatoria juris communis, cognoſcendam, & terminandam, remoto appellationis remedio: hinc, ſi ponamus per indultum illud Apoſtolicum nil Titio ſubſtantialiter conceſſum eſſe, niſi quod jure communi ei competebat, ſequitur huic indulto fuiſſe derogatum per ſpeciale ſubſequens reſcriptum.

3 Cum igitur poſſit Princeps per ſpeciale reſcriptum alicui conceſſum derogare juri communi; & aliquem ab eo eximere. Quando reſcriptum concedit, vel potius confirmat quod jure communi conceſſum eſt, tunc ſicut Princeps non præſumitur ignorare jus commune; ita nec Reſcriptum continens tale jus commune: proinde ſicut de jure communi nulla mentio neceſſariò fieri debet, ita neque de tali reſcripto: conſequenter per poſterius reſcriptum ſpeciale, & contrarium priori generali reſcripto, huic derogatur, etiã nulla ejus facta mentione: ratio eſt, quia cenſetur conceſſum in præjudicium illius ex certa ſcientia Principis.

4 Quinimò licèt reſcriptum generale concedat aliquid ultra jus commune, adhuc eidem derogatur per poſterius reſcriptum ſpeciale, tametſi de illo priori nulla ſiat mentio, & deſumitur ex *eod. cap. ſicut Romana 1. h. t.* juxta ſententiam Hoſtienſis *in ſum. tit. de Reſcript. n. 13.* quia mandatum ſpeciale derogat generali, quemadmodũ generi per ſpeciem derogatur juxta *regul. jur. 34. in 6.* Hinc in Exemplo hujus textus, quamvis per indultum, ſeu privilegium conceſſa ſit licentia Titio liberè appellandi, & jam de jure communi ei competeret remedium appellationis generaliter conceſſum, quia tamen per privilegium cõmune non eſt permiſſum appellare, niſi ſemel, vel in caſibus expreſſis in jure: per ſpeciale privilegium ei poſtea conceditur facultas appellandi in caſibus, quibus alioquin ſpectato jure communi appellare non liceret: nimirum, ut non tantùm bis in una cauſa, ſed etiam ſæpius, & non tantùm in ſcripto, ſed etiam abſque Scriptura à gravamine, aut ſententia interlocutoria poſſit appellare. Ratio eſt, quia quodlibet indultum, ſeu privilegium ita eſt intelligendum, ut aliquid ultra jus commune tribuat. Idque firmari poteſt ex *c. quamvis 38. de præbend. in 6.* ubi habetur, quòd ſi Papa alicui Epiſcopo generatim concedat facultatem, ut ſuo nomine conferat beneficia vacantia intra ſuam Diœceſin, quorum collatio ad Sedem Apoſtolicam devoluta eſt, & poſtea per ſpeciale Reſcriptum Papa unum ex talibus beneficiis alicui conferat, vel mandet conferri, antequam conferatur ab illo Epiſcopo, nulla facta mentione generalis facultatis prius conceſſæ Epiſcopo; ſpeciale Mandatum poſterius derogat priori generali: & poſterius ſpeciale eſt executioni mandandum: quia juxta Canones per ſpeciem derogatur generi, tametſi de genere nulla fiat mentio in reſcripto ſpeciali.

Videtur tamen in contrarium obſtare, quia 5
cùm Papa cenſeatur probabiliter ignorare ea, quæ ſunt facti, ſeu conſiſtunt in facto *c. 1. de conſtit. in 6.* ideò etiam privilegiis, quæ in corpore juris non continentur, per poſterius reſcriptum ſpeciale contrarium non videtur derogari, niſi de illis mentio fiat. quia ſpeciale reſcriptum, quod eſt contrarium priori generali videtur emanare ex ignorantia prioris. Sed contra, quia reſcriptum ſpeciale non eſt omnino contrarium priori generali, quia non tollit totaliter ejus effectum, ſed tantùm in partem minuit, ac limitat: ſiquidem Privilegium generale adhuc poteſt vim, & effectum habere in aliis occurrentibus caſibus. Præterea, quia Princeps quando alicui generatim concedit privilegium aliquod, ſemper ſupponitur ſibi reſervare poteſtatem eidem derogandi per ſpeciale Mandatum, & reſcriptum occurrente neceſſario aliquo caſu, vel aliqua ſpeciali neceſſitate id exigente, ut habetur *in c. dudum §. nos igitur de præbend. in 6.*

Hinc licèt ſupponatur Princeps ignorare pri- 6
vilegium prius generatim conceſſum, vel illius non recordari: adhuc tamen præſumitur eidem derogare per poſterius reſcriptum ſpeciale: & ratio eſt, quia illa præſuppoſita ignorantia non eſt cauſa poſterioris ſpecialis reſcripti: quia tametſi Principi innotuiſſet generale reſcriptũ; adhuc illi derogâſſet per poſterius ſpeciale. Id tamen limitatur, ut tantùm procedat ſi per generale reſcriptum, ſeu Privilegium non ſit alicui acquiſitum jus in re in qualibet ſpecie

contenta sub illo genere, sed solùm jus ad rem. Etenim, si alicui sit generalis facultas concessa conferendi beneficia in certo loco, & judicandi in certo genere causarum, & liberè appellandi etiam sine Scriptura, vel etiam alios actus publicos, ac legitimos exercendi: in his præsumitur Princeps sibi reservâsse liberam facultatem exercendi tales actus, & non voluisse omnino se hac potestate abdicare: proinde si in specie contra generalem hanc concessionem aliquid statuat, tunc hoc speciale statutum, seu Rescriptum derogat generali.

7 Quòd, si per prius privilegium generale jus in re sit alteri acquisitum, ut si Pontifex alicui jam concesserit jus percipiendi decimas alicujus parochiæ, & postea alteri concedat decimas alicujus prædij siti intra eandem parochiam: non præsumitur tunc Papa per posterius Rescriptum speciale voluisse derogare juri in re alteri jam acquisito per prius Rescriptum generale: proinde tunc posterius Rescriptum præsumitur processisse ex ignorantia prioris, nisi de illo expressa mentio facta sit, ut rectè notat Pirhing. *h. t. Sect. 6. n. 163.* quia, ut notat Abbas *in. d. c. sicut Romana 1. n. 12. h. t.* rescriptum Principis non debet ita intelligi, ut alteri inferatur præjudicium in jure jam acquisito, nisi id exprimatur *l. 2. §. si quis à Principe ff. ne quis in loco publico.* Neque obstat, quod in facto proprio non præsumatur ignorantia, vel oblivio, nisi tempus diuturnum intercesserit. Quia licèt id verum sit, potest nihilominus Pontifex, vel alius Princeps ob multitudinem, & varietatem agendorum oblivisci Rescripti antea à se concessi; adeò, ut Rescriptum posterius dimanet ex ignorantia, vel oblivione prioris, ut habetur *in c. ex parte 12. de offic. & potest. Jud. deleg.*

8 Rursus, quando Rescriptum generale dicitur derogari per speciale, quamvis de generali nulla mentio fiat, id tantùm procedit, quando speciale Rescriptum non est propriè, ac directè contrarium generali, ut notat Pirhing *loc. cit. n. 164.* alioquin, si posterius Rescriptum speciale repugnet directè priori generali; quia nimirum prius Rescriptum in suo effectu non est generale, sed potius speciale, tunc non procedit regula, qua per speciem dicitur derogari generi: sed potius subintrat alia regula; nimirum: si dispositio generalis in certa specie debeat verificari, tum dispositio posterior specialis ei non derogat: ratio est, quia tametsi prior dispositio quoad sonum verborum sit generalis, est tamen quoad eventum, seu effectum specialis, adeout utraque dispositio nonnisi in certa specie verificari possit, ut si Pontifex mandet conferri Petro beneficium primò vacaturum in tota Diœcesi; & postea mandet Paulo conferri beneficium primò vacaturum in certa speciali Ecclesia ejusdem Diœcesis; & primò vacet beneficium in hac speciali Ecclesia, tunc beneficium non Paulo, sed Petro primò impetranti debetur, nisi ex secundo Rescripto Pauli appareat, Papam voluisse derogare juri Petri, ut desumitur *ex c. ex parte de offic. deleg.* & assignatur etiam ratio, quia primum mandatum non fuit generale, sed speciale, quamvis incertum: siquidem non poterat verificari, nisi in uno beneficio vacaturo in hac, vel illa Ecclesia speciali: proinde secundum rescriptum speciale impetratum à Paulo non derogat ei concesso Petro. Hinc quando primum rescriptum est speciale; & secundum itidem speciale, tunc per hoc non derogatur primo, nisi de illo fiat expressa mentio, quia Princeps non censetur, velle concedere aliquid contra ea, quæ ignorat, vel non recordatur illa concessisse, & Princeps censetur ignorare, quæ sunt specialia, & consistunt in facto, Quòd si in secundo rescripto mentio fiat de primo, valet secundum speciale, & non primum *c. cæterum 3. h. t.*

Quod si quis à sede Apostolica litteras impetravit, quibus causa Judicibus sit delegata, & postea ejus adversarius alias litteras ab eadem Sede impetret, in quibus eadem causa aliis Judicibus committitur, tunc posterius rescriptum, si nulla in eo facta sit mentio prioris rescripti non obtinet firmitatem; adeò, ut Judices prioris rescripti non obstante posteriore possint procedere ad decisionem causæ. An verò posterius rescriptum sit ipso jure irritum; vel tantùm ope exceptionis, taliter, ut si nihil à parte excipere tur contra rescriptum, processus institutus à Judicibus posterius delegatis validus esset. Communior, & verior sententia est affirmativa, quia rescriptum justitiæ obtentum per obreptionem non antea est irritum, quàm per exceptionem elidatur. 9

Rursus, si qui priùs impetravit rescriptum, eidem tacitè, vel expressè renuntiet, procedi tunc potest juxta tenorem secundi rescripti, quod tacita veritate, seu nulla facta mentione prioris emanavit: quia quod ipso jure est validum non irritatur, donec ab adversario infringatur. Id tamen limitat Abbas *in d. c. cæterum 3. n. 6. h. t.* ubi ait, rescriptum justitiæ ipso jure esse irritum, si accessorium sit rescripto gratiæ obtentum per obreptionem: quia tunc ruente principali, cadit etiam accessorium, quia res fundata non potest existere sine fundamento, nec accidens sine subjecto, cui inhæreat. Vt si Petrus obreptitiè impetravit beneficium à Papa, & hic executorem deputavit Officialem Ecclesiæ Frisingensis, rescriptum, quamvis justitiæ ipso jure est irritum, proinde etiam irrita collatio facta ab Officiali. Quòd si in posteriore rescripto mentio fiat prioris, censetur tunc Papa à prioribus Judicibus causam avocare. 10

An verò tunc Judices priores permittente posteriore impetrante, si procedant secundùm rescriptum priùs datum, processus sit validus? Respondet Joannes Andreas in *d. c. cæterum n. 7. h. t.* considerandum esse, an mens Pontificis fuerit absolutè revocare priorem commissionem, & ait tunc non valere processum ob defectum jurisdictionis: sin verò revocatio facta sit in gratiam posterioris postulantis; tunc quia is potest suo favori, & juri renuntiare, ideò processus institutus per priores Judices juxta rescriptum priùs datum suum sortitur valorem. 11

Quòd si rescriptum ad Judices utriusque partis consensu impetratum fuerit, postea verò ab una 12

una parte, alterâ insciâ impetretur rescriptum ad alios Judices nulla facta mentione de priori rescripto communi consensu impetrato, tunc posterius rescriptum censetur obreptitium, & qui secundum impetravit damnandus est ad expensas ab adversario postea factas: quia Pontifex non solet Judices ex communi partium voluntate datos ad unius partis petitionem revocare, immo nec solet Judices dare, nisi ex partis utriusque consensu. Cæterum, si ambæ partes adsint, potest Pontifex Judicem delegare, quem pars una petierit, quia tunc alteri semper manet integrum, talem Judicem ex allata causa recusare: *c. causam 17. de offic. deleg.*

14 Cæterum etiam in Rescripto justitiæ, seu ad lites per rescriptum speciale derogatur generali, & desumitur *ex c. pastoralis 14. §. quoniam h. t.* ubi habetur, quòd si Judici sit à Papa generaliter facta delegatio absque personarum, aut causarum expressione, ut cognoscat de injuria in decimis Titio illata, & quibusdam aliis ipsi ab eodem proponendis: in hoc casu Judex delegatus acquirit quidem jurisdictionem, seu potestatem cognoscendi, velut in habitu; & in actu primo super articulis rerum, vel personarum non expressis; non ita in actu secundo potest talem jurisdictionem exercere antequam causæ, de quibus, & personæ contra quas agendum est, fuerint expressæ: ex quo textu liquet, posse rescriptum esse generale, & incertum respectu personarum, quæ sunt in judicio conveniendæ, non ita respectu Judicum: & ratio desumitur ex eo, quia majus præjudicium immineat, quoad Judices, quàm quoad personas conveniendas. Rursus ex eodem textu colligitur, non solùm Judicem Ordinarium, sed etiam delegatum exorto dubio, an ad ipsum pertineat judicare, cognoscere posse, an ad ipsum jurisdictio pertineat. Observandum tamen est, quòd si unicus tantùm sit Judex delegatus, ipse solus suborto dubio cognoscere debet, an ipsius sit jurisdictio. Alioquin, si Judices delegati sint plures, sive uno, sive diversis rescriptis delegati sint, convenire simul debent, & dubium discutere, & si non possunt simul concordare, debent arbitros eligere.

15 Quòd si Judex ordinarius, vel delegatus orto dubio de sua jurisdictione in certa causa, bona fide, ac probabiliter pronuntiet, se competentem esse, & à sententia hac interlocutoria non appelletur; processus, & sententia in causa principali suum tunc sortitur valorem, tametsi postea deprehendatur ab initio non fuisse Judicem competentem: quia talis præsumitur esse mens, ac voluntas committentis jurisdictionem, ut suborto dubio, an Judex in causa aliqua cognoscere possit, ad ipsum pertineat determinare, & secundùm id procedere. Id tamen verum non est, si jurisdictio Judicis fundata non sit, seu si ejus jurisdictio non possit per competentem pronuntiationem fundari: quia Judex in causa principali nunquam potest procedere, nisi certus sit de sua jurisdictione, sicut neque tutor potest administrare, nisi certus sit, se tutorem esse, *l. quaro 3. in fin. ff. de eo qui pro tutore.*

Dicitur verò jurisdictio Judicis non posse fundari. Primò, si nullitas se teneat ex parte rescripti, seu prætentæ commissionis, quia suppositia est, vel scriptum falsum; & licèt ex causa verisimili judex arbitretur, se habere jus cognoscendi; adhuc irritum est quidquid ab illo agitur, & id ob defectum commissionis, & acceptæ jurisdictionis. Hinc monet Felinus, esse observandum discrimen inter litteras falsas, & obreptitias, quia illæ nullam dant jurisdictionem, secus obreptitiæ dant jurisdictionem, tam super causa principali, quàm super dubio jurisdictionis, & sententia ex eis lata transit in rem judicatam.

Secundò dicitur jurisdictio Judicis non posse fundari, si commissio facta sit à superiore in causa non pertinente ad jurisdictionem, & potestatem illius *l. 2. c. si à non competente Judice*, quamvis in hoc casu, si dubium sit, an Judex delegatus cognoscere possit, an illi ex vi commissionis procedere liceat: si tamen cognoscendo, se Judicem esse, erret, eò quia superior non possit causam committere extra jurisdictionis limites existentem, tunc acta à Judice delegato sunt irrita: ut si Princeps sæcularis causam ecclesiasticam committat cognoscendam alteri, qui ob authoritatem committentis, & alias rationes pronuntiet se esse Judicem competentem; potest quidem, si bona fide procedat excusari à culpa, sed ejus acta sunt irrita, & nullius valoris ob defectum jurisdictionis, quia error hanc conferre non potest, si commissio non sit facta ab habente potestatem *l. Barbarius ff. de offic. prætor.* Hoc idem etiam procedit de Judice ordinario, quando causa ad ipsum defertur, de qua dubitatur, an sit fori sui sæcularis, an verò Ecclesiastici, & ipse pronuntiat non esse Ecclesiasticam, cùm revera sit, & postea cognoscat, talem causam revera fuisse ecclesiasticam: tunc ejus acta nullius sunt valoris, & sententia lata est irrita, utpote emanata à non Judice, cujus jurisdictio fundata non erat. 16

Quòd si Judici, sive ordinario, sive delegato volenti procedere objiciatur defectus incompetentiæ; tunc distinguendum est, utrum defectus sit ex rei natura, seu talis, quem lex, aut superior, cui Judex ille subjicitur supplere non possit: an verò defectus sit, quem superior possit supplere: in priori casu esset, si objiceretur, esse amentem; & non posset in dubio de hac exceptione cognoscere, quia jurisdictio ejus sicut non fundatur super principali; ita neque super accessorio, neque incidente. Rursus, si Judici sæculari volenti in causa procedere objiciatur, quòd causa sit ecclesiastica, proinde de illa cognoscere ad ipsum non pertinere: vel etiam, si citatus ad judicem sæcularem excipiat, se Clericum esse, stante hoc dubio de exceptione, Judex sæcularis non potest cognoscere saltem efficaciter ex defectu jurisdictionis. Sin verò defectus talis sit, quem lex, aut Superior possit supplere, tunc Judex in dubio potest cognoscere de sua jurisdictione, & eam asserendo, etiam super causa principali stabilire. 17

18 Verùm id limitatur, si qualitas fundans jurisdictionem Judicis Ordinarii, aut delegati sit extrinseca, vel accessoria, quia non potest cognoscere de causa, nisi existente tali qualitate: proinde tunc ante omnia saltem extrajudicialiter informare se debet circa eam qualitatem, si de ipsa dubitetur. Quòd si in partem affirmativam determinaverit, ejus jurisdictio censetur fundata etiam quoad causam principalem, tametsi revera qualitas non inesset, idque desumitur ex *c. 1. & ult. de offic. deleg. in 6.* ubi conservatoribus Judicibus committitur, ut de injuriis, ac violentiis manifestis cognoscant, & ad alia non extendant cognitionem judicialem: & tunc ipsis etiam conceditur, ut præparatoriè cognoscant, & informare se possint, an injuria manifesta sit, seu talis, ut ad suum examen judiciale pertineat *argum. c. 1. & c. præterea 5. de offic. deleg.* quia concedens principale supponitur etiam concedere accessoria, & præparatoria, sine quibus expedire non posset principale. Limitatur ulterius, si non agatur de nudo exercitio jurisdictionis, quia tunc potiùs censetur esse onus, quàm honor, aut commodum.

19 Præterea rescriptum speciale laxè sumpto vocabulo, non solùm derogat Rescripto priori generali, sed multo magis etiam posteriori, seu subsequenti, adeò, ut hoc non deroget rescripto speciali, seu Privilegio prius concesso, sed potius ab isto rescriptum generale subsequens limitetur, vel derogetur, nisi de speciali expressam faciat mentionem: ratio est, quia semper generi per speciem derogatur. Exemplum habetur *in c. si propter 10. h. t. in 6.* ubi Bonifacius VIII. cuidam Episcopo ex speciali gratia concessit, ut ad Solutionem debitorum suæ Ecclesiæ, omnium beneficiorum vacantium in sua Diœcesi primos fructus ad quinquennium percipere posset, non obstantibus quibuslibet consuetudinibus, Privilegiis, vel statutis, per quæ gratia ista impediri posset. Sed quia aliquorum beneficiorum fructus primi anni speciali consuetudine, privilegio, vel Statuto debebantur Ecclesiæ Cathedralis fabricæ, vel alteri usui, vel alicui personæ singulari: dubitatum fuit, quid de his fructibus faciendum esset, & respondit Pontifex, intentionem suam non esse, nova illa concessione specialibus antea factis primorum fructuum applicationibus præjudicium afferre, nisi id expressum fuerit: unde ratio desumitur ex eo, quia privilegium speciale derogat privilegio generali. Verùm hæc decretalis constitutio Bonifacii VIII. ita ab aliquibus explicatur, ut fructus primi anni ex vacantibus beneficiis debeantur Episcopo vi Papalis hujus concessionis: & fructus secundi anni fabricæ Ecclesiæ, vel alteri usui juxta specialem consuetudinem debeant dari. Alii verò respondent, fructus primi anni esse dandos Ecclesiæ fabricæ, vel alteri usui, & fructus secundi anni Episcopo ex nova speciali concessione Papæ. Verùm quia reservationes primorum fructuum sunt ex parte odiosæ, eò quia cedant in damnum beneficiorum, non debent amplè extendi, ut in prædicta constitutione sub nomine primorum fructuum, etiam fructus secundi anni comprehendantur.

§. XIII.

De obreptione, subreptione, aliisque vitiis Rescriptorum.

Quamvis obreptio, & subreptio plerumque confundantur, ac pro iisdem sumantur; propriè tamen distinguntur, adeò, ut obreptio tunc committatur, quando falsum exprimitur: & subreptio, quando reticetur, quod erat exprimendum *c. dilecta 22. h. t.* adeò, ut obreptio sit positiva, quatenus ponit, quod falsum est; subreptio verò negativa, quatenus tacet, & quasi negat, quod erat exprimendum. In narrationibus, quibus supplicatur Principi pro impetrandis rescriptis, omnis subreptio, & obreptio cavenda est. Cæterùm illi, qui subreptionem objicit, onus probationis incumbit: secus qui per obreptionem falsum narravit, tenetur probare, quòd loco veri obtrusit: quòd si utrolibet modo fuerit falsum, & libello insertum, concessio beneficii est ipso jure nulla *c. super his litteris. c. ad aures h. t.* quòd si obtigerit aliqua ignorantia, vel error, ut res præsumatur dubia, tunc proceditur cum distinctione, Si non obstante falsitate, quasi negotio probè cognito, præsumi adhuc possit verisimiliter, quòd Pontifex fuisset concessurus rescriptum; hoc præsumitur adhuc in suo valore, saltem in communi forma, ut judex delegatus definiat causam non secundùm formam rescripti, sed secundùm ordinem juris *c. super litteris 20. h. t.* Secus, si explicato negotio, ac detecta rei veritate præsumatur vero similius, quòd Pontifex non fuisset concessurus rescriptum, eò quia fuerit aliquid contra Canones postulatum, tunc rescriptum censetur nullius valoris, *d. c. super litteris 20. h. t.* 1

Si igitur dolosè, & scienter, qui Principi supplicavit pro concessione rescripti, falsum in sua narratione, seu libello allegaverit per obreptionẽ; vel tacuerit per subreptionem, rescriptum gratiæ, seu ad beneficium est ipso jure nullum *c. ad aures 8.* quia voluntas Principis in concedendis rescriptis gratiæ, non censetur absoluta, sed conditionata, habens pro fundamento conditionem, *si preces veritate nitantur.* hæc enim conditio semper censetur inesse rescriptis, & gratiis Principis *l. fin. C. de divers. rescriptis, & c. ex parte 1. de rescript.* adeò, ut si conditio non apponatur explicitè, adhuc intelligatur inesse Rescriptis Pontificiis *c. ex parte 2. c. olim 25. h. t.* licèt Rescripta Principis sæcularis de jure civili non valeant, nisi expressè hanc clausulam insertam habeant *d. l. fin. C. de divers. rescript.* 2

Rescripta autem ad lites per falsam suggestionem, aut suppressionem veritatis impetrata, vel etiam sine hujusmodi fraude, dummodo Summus Pontifex aliter veritate expressâ, & falsitate suppressâ non fuisset rescripturus, valent 3

lent quidem de ipso jure; sed ope exceptionis coram judice delegato rejiciuntur *c. super litteris.* ratio discriminis est, quia rescripta gratiæ sunt ambitiosa *c. quamvis de præbend. in 6.* non ita rescripta ad lites. Hinc contra rescripta gratiæ, quomodocúmque suspecta fuerint, datur cuilibet remedium exceptionis, adeò, ut possit adversarius se illis opponere *c. quamvis de præbend. in 6.*

4 Hinc ad illam quæstionem, an ob subreptionem vitientur rescripta ipso jure, respondent communiùs: Rescripta beneficialia, & quæcunque alia gratiosa esse ipso jure nulla, si subreptitiè, vel obreptitiè impetrata fuerint *c. ad audientiam 21. h. t. & Clement. 1. de præbend.* Rescripta verò ad lites communiter non censentur ipso jure invalida, possunt tamen ab adversario elidi: ipsi tamen incumbit onus probandi subreptionem *c. si autem 9. & c. plerumque 23. h. t.* cùm in casu Rescripti beneficialis, & gratiosi non adsit pars, quæ contra illud excipiat, debuit lex providere, ne diu detineatur beneficium legitimè obtentum ab illo, qui per subreptitiam narrationem supplicavit Principi, & obtinuit Rescriptum: secus est de rescriptis subreptitiis ad lites, quia contra hæc potest pars excipere.

5 Sin autem obreptio dolosa inserta narrationi fuerit causa, cur Princeps, cui per talem narrationem fuit supplicatum, concesserit rescriptum, sive supplicans in narratione tacuerit verum, sive expresserit falsum substantiale, & essentiale, totum rescriptum quo ad omnes partes est nullius valoris, saltem ope exceptionis, seu reclamante adversario, si rescriptum fuerit ad lites; adeò, ut judex non debeat ulterius procedere, donec adversarius probaverit subreptionem, vel qui falsum narravit, evicerit id, quod loco veri obtrusit. Unde judex non potest de causa principali, nec secundùm formam Juris communis cognoscere; tametsi Princeps, si dolus non intervenisset, fuisset rescriptum concessurus, saltem secundùm terminos Juris communis, ut habetur *in c. super litteris 20. h. t.* quia fraus suo non debet patrocinari Authori.

6 Probabile censent plures, Rescriptum quodcunque, sive ad lites concessum, sive sit solius gratiæ, non censeri subreptitium, nec obreptitium, nisi suppressio veritatis, vel expressio falsitatis in ordine ad rem postulatam sit de causa finali, ac principali concessionis; non verò, si tantùm ordinetur ad causam impulsivam, nisi stilus Curiæ, vel ipsum jus aliter specialiter exigat, idque desumitur *ex c. dudum 19. §. non igitur de præbend. in 6.* quia rescribens tantùm præsumitur concedere rescriptum, ob finem, & causam principalem, expressam in narratione supplicantis; tametsi aliqua obreptio, vel subreptio contingat circa causam impulsivam. Quòd si illis objicias: voluntatem rescribentis esse conditionatam, & fundari in illa clausula conditionali, *si preces veritate nitantur.* Respondent: hanc clausulam esse intelligendam de veritate causæ motivæ, cujus veritas movet Principem ad rescribendum, & rem simpliciter concedendam: non verò de causa tantùm impulsiva, cujus veritas tantùm impellit ad facilè, vel difficulter concedendum, quod petitur.

Hinc, si subreptio dolosa non fuerit, sed tantùm ex simplicitate irrepserit, sive per expressionem falsi, sive per suppressionem veri; Rescriptum ad lites non irritatur absolutè, si illa taciturnitas, vel injuncta falsitas non fuerit causa concessionis absolutè *c. super litteris §. inter alios:* quod tamen limitatur, nisi causa concessionis hic, & nunc per simplicitatem non aperta, vel falsò expressa, aliud quoad substantiam rescriptum impetrâsset: quia non solùm attenditur, quid Princeps fuisset facturus, si nulla veri suppressio, aut falsi expressio accessisset, sed pensatur, quid egerit. Quòd, si suppressio veri, vel expressio falsi fuerit causa concessionis rescripti quoad substantiam alterius ab eo, quod impetratum fuit, si veritas fuisset expressa, & falsitas omissa; tunc vitiatur totum rescriptum, tametsi ex simplicitate irrepserit subreptio illa: invalidum est etiam illud rescriptum, in quo impetrando commissa fuit ex simplicitate subreptio, si fuerit à Principe impetratum contra sententiam jam olim ab eo latam, cujus nulla fiat in recenti rescripto mentio, quia tunc non censetur Princeps abrogâsse prius Rescriptum, ut liquet *ex d. c. super litteris*, & *ex c. cum olim 12. de sent. & re judic.* 7

Dubitari tamen potest, an vitiatâ una parte rescripti ob subreptionem, seu suppressionem veri, aut obreptionem, seu expressionem falsi, vitientur etiam cæteræ partes ejusdem Rescripti. Respondetur, quòd si partes rescripti, sive gratiæ, sive ad lites non fuerint inter se separabiles, & subreptio, vel obreptio contingat circa causam finalem totius Rescripti; tunc omni destituitur totum rescriptum valore, fitque nullum, sive subreptio, vel obreptio scienter, & per dolum; sive per simplicitatem, aut ignorantiam irrepserit: quia tunc voluntas rescribentis non censetur concurrisse ad concessionem Rescripti: siquidem voluntas rescribentis movetur à causa finali, & principali expressa in narratione supplicantis: qua propter, si hæc causa fuit falsa per obreptionem, vel fuerit talis per subreptionem, Princeps ab illa non movetur ad concedendum Rescriptum: quia rescribens censetur alligare suam concessionem causæ finali, ac principali expressæ in narratione. Quòd si subreptio contingat tantùm circa unam, vel alteram partem Rescripti, quæ non pertineat ad causam finalem, & principalem moventem voluntatem rescribentis; & reliquæ partes sint separabiles, & subreptio, vel obreptio contigerit per ignorantiam, & simplicitatem, tunc validum est Rescriptum circa cæteras partes, in quibus nulla subreptio irrepsit: quia utile per inutile non vitiatur, & qui per simplicitatem erravit, non meretur pœnam. 8

Hoc idem etiam extenditur ad rescriptum continens plures gratias, quarum una non dependet ab alia: tunc enim si subreptio do- 9

losè

lose irrepserit circa unam, hæc quidem invalidatur, & Rescriptum ex hac parte est nullum: suum tamen retinet valorem in aliis partibus, quibus alias continet gratias à Principe concessas, & inter se minimè connexas, quia circa ipsas, cùm nulla fuerit subreptio commissa, censetur voluntas rescribentis gratiosè influere. Tum quia licèt Rescriptum continens plures gratias inter se minimè connexas, sit materialiter duntaxat unum; virtualiter tamen censetur multiplex; qua propter vitiata una parte non censentur cæteræ tale vitium contraxisse, cùm simul non connectantur, & habeantur veluti distincta rescripta. *argu. c. si eo tempore 9. h. t. in 6.* Limitatur tamen, quia si pars, circa quam vitium non irrepsit, se habeat, ut quid accessorium ad partem alteram, circa quam dolus commissus est, tunc & ipsa irritatur, quia accessorium induit naturam sui principalis *c. constitutus 19. h. t.* Tum quia corruente principali cadit etiam accessorium, perinde ac sublato fundamento ruit domus *argu. regula 42. in 6.* Unde si pars principalis, & ratione cujus
10 conceditur rescriptum vitiata fuerit; tunc vitiatur etiam alia pars eidem accessoria: quia totum rescriptum est irritum.

Quòd si error contingat circa adjectam qualitatem, non irritatur Rescriptum, dummodo constet de rei substantia; quia tunc non tollitur influxus gratiosus Principis rescribentis, cùm ejus voluntas mota fuerit à rei substantia, seu causa finali, & principali, quâ non vitiatâ, tametsi dolosè vitietur qualitas adjecta, etiam per modum demonstrationis, non annullatur Rescriptum: ut si Petrus supplicans Principi pro gratioso Rescripto, se dicat, Ratisbonensem, & sit Augustanus, dummodo causa finalis, & principalis, ob quam supplicat principi vera sit, ob talem qualitatem adjectam vitiatum non irritatur Rescriptum. Secùs, si error esset circa causam finalem, & principalem concessionis: tunc Rescriptum nullum sortiretur valorem *c. significante 34. h. t.* ut etiam, si error irreperet circa qualitatem essentialem, quâ cognitâ Princeps non concederet Rescriptum, quia tunc censetur error redundare in substantiam
11 personæ, & error substantialis irritat rescriptũ.

Rescripta gratiæ, & justitiæ censentur etiam vitiari propter manifestum latinitatis errorem, quia cùm Rescriptum teratur plurium officialium manibus, ac plurium lustretur oculis, non videtur vero simile, eos manifestum latinitatis errorem omisisse incorrectum *c. ad audientiam, 11. h. t.* hoc idem ad Rescripta sæcularium Principum extendunt Panor. & Barbosa *in eod. c. in fin.*

12 Neque obesse videtur *l. quia habeat 54. ff. de manu miss. testament. l. si id nomine. & l. errore C. de testamentis.* ubi error scribentis non videtur præjudicare reliquæ dispositioni, quando constat de voluntate disponentis: siquidem hoc tantum est verum de testamentis, vel aliis instrumentis contractuum, quæ alicui tabellioni absque revisione cæterorum officialium scribenda concreduntur, in his enim facilè potest error irrepere; propterea error scribentis dicitur non præjudicare reliquæ dispositioni. Cæterum plures cum Glossa in *c. 12. & Rom. cons. 376. n. 12.* arbitrantur ex manifesto latinitatis errore oriri præsumptionem Juris, & de jure de falsificatione Rescripti, contra quam non admittitur probatio ob illa generalia verba inserta juri *fidem te nolumus habere.*

Nihilominus probabile est, quod censent a- 13
lii, ex manifesto errore latinitatis oriri tantùm præsumptionem juris; & illa verba *fidem te nolumus habere*, esse intelligenda quandiu aliunde non constat de veritate Rescripti: quia facilè potest in Curia Romana contingere, ut quod ab uno privato raptim scribitur, quamvis aliorum manus pertranseat: non ita tamen accuratè singula perlustrentur, nec omnia verba peculiari diligentia examinentur ob plures alias occupationes: & quia cæteri officiales supponunt litteras scriptas secundùm solitam formam. Tum quia, licèt latinitas in Rescripto parum habeat elegantiæ, & nonnunquam verba potiùs barbara in ipso contineantur, ut etiam sint defectus in litteris, vel syllabis; non propterea fides derogatur Rescripto, *c. indignum: dist. 38. c. ex parte, de fide instrument. l. qui habebat ff. de manumiss. testament.*

An, & quando deletio litterarum, vel ra- 14
sura earundem in Rescripto illud vitiet, vel saltem de falsitate suspectum reddat, videtur esse major difficultas: siquidem ex rasura, vel deletione litterarum, oritur falsitatis præsumptio *c. licèt ad regimen de crimine falsi c. cùm olim 12. in fin. de privileg. c. cùm venerabilis de relig. domib.* aliquot tamen adducuntur exceptiones, ut quæstioni plenius satisfiat. Primò, si Rescriptum fuerit clausum, & Sigillo munitum coram ordinario exhibitum, tunc rasura, vel deletio litterarum præsumitur facta in Cancellaria: quia qui Rescriptum impetravit, non supponitur illud aperuisse. Secundò, si deletio litterarum non sit in loco substantiali, seu in eo Rescripti articulo, à quo dependet potior vis quæstionis, tunc non censetur irritare Rescriptum, quia in ipso id, quod movit Principem ad rescribendum nullum contraxit vitium, unde cæteræ partes se potius habent per accidens *c. ex litteris 3. de fide instrumen.* Tertiò, si litterarum deletio, vel rasura pauculas tantùm litteras læserit, quæ non mutant ordinem, neque ordinarium sensum, non censetur rescriptum ob tale vitium suo privari valore. Quartò neq; irritatur ob rasuram, si ex antecedentibus, & consequentibus, vel aliis similibus instrumentis constet, quòd rasura non sit suspecta. Quintò si rescriptum reperiatur apud adversarium litis, tunc deletio litterarum dolo ejus censetur contigisse, etiamsi res fuerit dubia Bald. *l. 1. de fid. instrumentorum* Sextò si rasura facta fuerit per notam manum ipsius notarii, qui primum rescriptum scripsit, & ab eodem fuerit postea restitutum, adeò ut character sit prorsus

sus idem, tunc nec præjudicatur valori rescripti. Quia verò aliqui sciunt dexterè alienos characteres imitari, ideò Panormit. *in c. cùm venerabilis de relig. domib. n. 8.* censet, hanc cautelam esse adhibendam, ut Notarius in eadem charta attestetur rasuram, & scripturæ repositionem factam fuisse sua manu.

15 Censetur etiam irritum illud rescriptum, in quo praxis curiæ Romanæ non servatur *c. 2. & 5. h. t.* Siquidem moris est in Romana Curia, ut Apostolica sedes in suis litteris consuetudinem, & formam ordinariam teneat, sic in iisdem Patriarchæ, Episcopi, Archiepiscopi, *fratres* vocantur: cæteri verò Reges, & principes, ut etiam alii cujusvis ordinis *filii* dicuntur, & quando ad unam tantùm personam litteræ diriguntur; præfatæ litteræ non utuntur plurali numero, sed singulari; proinde si hæc, & alia similia non fuerint observata juxta consuetudinem Apostolicæ sedis, rescriptum censetur nullum, sive sit gratiæ, sive justitiæ *c. quàm gravi. 6. de crimine falsi* ubi summus Pontifex in fine monet, inspiciendas diligenter esse litteras Apostolicas, tam in Bulla, filo, charta, quàm in stylo & modo dictaminis à curia usurpato, ne falsæ pro veris admittantur. Solet etiam ut falsum rejici rescriptum ad lites concessum, si per illud omnia negotia illorum, qui rescriptum impetrârunt tam præsentia, quàm futura unius judicis, vel pluriū arbitrio comittantur *c. ad hoc 10. h. t.* quia ob nimiam generalitatem, & præjudicium ordinariorum judicum, & incertitudinem delegatorum, saltem suspectum de falsitate habetur rescriptum, nisi salvâ æquitate naturali Pontifex ex plenitudine potestatis, & ex certa scientia processerit in talibus etiam rescriptis concedendis.

16 Invalidum est etiam rescriptum Principis, quando adversatur publicæ, vel privatæ utilitati, *l. fin. C. si contra jus vel util. publ.* Oldr. *cons. 326. n. 2. vers. nec per rescripta.* idque à fortiori, si rescriptum fuit extortum contra jus divinum, vel publicum *l. 3. C. de SS. Largit.* Neque valet per quod minori conceditur administratio suorum bonorum Oldr. *cons. 326. n. 4. vers. nam. rescriptum.* Nec validum est rescriptum, per quod princeps mandat investitum à se de feudo, posse capere possessionem expulso quocunque legitimo detentore, tametsi objiciatur clausula de plenitudine potestatis, & certa scientia, Bald. *cons. 345. ad evidentiam præmittendum lib. 1. in princ.* imò nec valet rescriptum principis contra res transactas, & sopitas, nisi earundem meminerit. Bald. *d. cons. 345. n. 2. vers. item. & secundario lib. 1. & cum* ipso Antonius de Butrio. *cons. 27. col. 1. circa medium vers. qui autem supplicationis.* Nec valet rescriptum per quod quis privatur suis bonis absque citatione, & justificatione: siquidem hujusmodi rescripta non est moris, ut concedantur, quia sunt contra justitiam Principis, qui propterea præsumitur circumventus, & deceptus; qua propter debet executor supersedere, & expectare secundam jussionem Bald. *cons. 359. proponitur quod inter lib. 1.* Rursus primum rescriptum, quando revocatur per secundum est etiam invalidum, quia tunc Princeps illud privat tota virtute.

§. XIV.

Quinam impetrare possint Rescriptum, & qui non; de quibus & à quibus, & contra quos?

Principi potest quilibet supplicare, sive actor fuerit, sive reus, ac proinde impetrare rescriptum, nisi id specialiter prohibeatur *c. cæterum 3. c. ad hæc 10. h. t.* unde etiam filius familias potest supplicare principi pro impetrando rescripto. Neq; obstat quòd filius sit sub patris potestate, nec possit agere sine ejus consensu; quia licèt id verum sit, non tamen sequitur, non posse supplicare Principi pro rescripto, quia impetrare rescriptum non est agere. Quinimò etiam monachus licèt civiliter mortuus mundo, potest pro impetrando rescripto supplicare Principi, quia tametsi servis Dei non liceat instituere, ac frequentare lites, *c. 2. in f. de Postulat.* nihilominus rescriptum potest impetrare, quatenus potest illi convenire, & inservire, ut docet Rebuffus *tract. de rescript. n. 3.* impetrare verò non possunt rescriptum ii, quibus est prohibitum, quo pacto prohibetur hæreticis *l. 2. C. de sum. Trinit. lib. 1. C. de precib. imperat. offer.* nisi causarum atrocitas aliud extraordinariè concesserit: prohibetur etiam excommunicatis excommunicatione majori *c. dilectus 26. h. t.* 1

Hinc rescriptum ab excommunicato impetratum est ipso jure nullum *c. 1. de rescr. in 6.* unde etiam impetratum ab eo super alio, quam super articulo excommunicationis, vel appellationis est ipso jure nullius valoris, sicut & id, quod inde emanatum fuit. Ratio est, quia excommunicatio privat excommunicatum communione hominum, & inducit inhabilitatem ad beneficia, electionem, præsentationem, ut etiam ad agendum *c. 1. eod. in 6.* Oritur tamen difficultas, an id intelligendum sit non tantùm de rescriptis summi Pontificis, verùm etiam ordinariorum? plures cum Glossa & Navarra *lib. 5. cons. 44. n. 4.* probabile censent, nunquam id habuisse locum in rescriptis ordinariorum; vel saltem desiisse in illis locum habere per non usum, & per Clementinam *2. de offic. ordinar.* in qua habetur, quòd impetratio beneficii facta à Papa, vel ejus legato, absque mentione beneficii priùs obtenti, sit ipso jure subreptitia, & nulla: non ita collatio ab Ordinario facta. *argu. à simili.* tum quia non est eadem ratio de impetratione rescripti facta à Pontifice, & ab Ordinario, quia faciliùs subrepitur Papæ, & Principi pluribus negotiis occupato, quàm Ordinario paucioribus intento. Hinc Joan. Monachus non meminit nullitatis gratiæ, vel rescripti ab ordinario impetrati ob excommunicationem. 2

Idque ex eo firmari potest, quia juxta stylum curiæ solet litteris Apostolicis inseri clausula, per quam tollitur effectus excommunicationis, quinimò si non ponatur adhuc subintelligitur. Tum quia rescripta principum faciunt jus, etiam 3

etiam quoad alios, non ita rescripta ordinariorum ut docent communiter: has & alias rationes congerit Navarrus *loc. cit.* ut probet excommunicatum posse impetrare rescriptum ab ordinariis. Verùm contraria sententia est communior, & probabilior, si excomunicatus fuerit publicus, quia per excomunicationem contrahit inhabilitatem ad beneficia, & ubi non est capacitas, ibi non potest forma induci. Hac ratione laicus non potest pro se impetrare rescripta gratiæ pro beneficiis obtinendis, quia incapax est talium beneficiorum *c. ex litteris in 6. inf. de transact. c. 2. & ibi DD. inf. de instit.* adeò ut mandata vel nominationes ab eo impetratæ nullius sint valoris, ut ait Rebuffus *in tract. nominat. q. 9.* potest tamen laicus impetrare rescripta justitiæ, ut liquet ex *tit. inf. de offic. delegati. c. non nulli 28. §. fin. h. t.* Rebuffus *in prax. benef. tit. de differentia inter rescripta gratiæ, & justitiæ* Ostiens. *in summa h. t. §. quis impetrare.* Hinc nec potest quis rescripta ad lites impetrare sine speciali mandato; & qui illa impetrat, punitur tanquam Falsarius *c. ex parte Decani 23. d. c. nonnulli in fin. & ibidem* Glossa *h. t.* ubi asserit, tale rescriptum esse annullandum per exceptionem, alioquin non contradicente parte suum sortiretur valorem. In Gallia tamen absque mandato impetrari talia rescripta refert Rebuffus *in tract. concordat. in V. speciale 36.* ubi ait, consuetudinem invaluisse, ut impunè rescripta ad lites sine prævio speciali mandato impetrentur.

4 Secus rescriptum gratiosum potest absque prævio mandato impetrari *c. ex ore ubi* Abbas *inf. de iis, quæ fiunt à majore parte capituli* Gloss. *in c. non nulli §. sunt & alii:* Panormit. *in c. ad aures 8. post.* Gloss. *in fin. h. t.* ex praxi tamen, & stylo Curiæ Romanæ nullum requiri mandatum ad impetrandum rescriptum, sive gratiæ, sivè justitiæ, asserit Gonzal. *ad regul. 8. cancellariæ:* Gloss. *63. n. 16.* Cæterum ubicunque prohibetur quis impetrare rescriptum; si impetret nullius est valoris sive prohibeatur ratione personæ, ut contingit, in excomunicato; sive ob turpitudinem causæ finalis, ut in nuptiis ex rescripto petitis, sive quia res impetrata adversetur legi.

5 Rescripta etiam, quæ impetrantur adhuc pendente lite in præjudicium litis, & nulla facta mentione ejusdem nullius sunt roboris *C. ut lit. penden. & in in auth. in med. lit. non fieri sacras formas.* Idque sive sit pendentia litis in prima instantia, sive sit in secunda pendente appellatione, sive etiam lata sententia, à qua non sit appellatum; quia de re judicata debet mentio fieri *C. ut lit. pendent.* & maximè in rescripto gratiæ impetrato pendente lite, nulla facta mentione pendentiæ litis, ut probat Roman. *cons. 330. circa primum col. 2. in pri. ver. 2. quia.* quamvis litis pendentia indicetur ex parte actoris, & in sui præjudicium, & ex sola causa, aut commissione, vel in sola impetratione citationis: & ex parte rei ex scientia citationis, quia rescriptũ Principis adhuc pendente lite impetratum, & nulla facta mentione pendentiæ litis, sive sit super nullitate, & motu proprio, non debet præjudicare tertio, in jure sibi quæsito, ut tradunt Canonistæ *in c. causam, quæ ei secundò de test.* generatim rescriptum impetratum etiam super litibus, & causis pendentibus nullius est roboris, nec impedit, quin secundùm leges lites terminentur, ut tradit Bartol. *cons. 87. factum tale in fin. lib. 1.* Tum quia rescriptum, & statutum super negotiis non comprehendit negotia, quæ transactione fuerunt terminata *l. causas de transact.*.

6 Cæterùm rescriptum impetratum à summo Pontifice ab excommunicato nullius est valoris ex suppositione, quòd excomunicatio non innotuerit Pontifici, quatenus si eidem innotuisset supplicanti excomunicato illud non concessisset. Secus si Pontifex sit conscius excommanicationis, & nihilominus rescribat; si excommunicatio sit impedimentum juris humani, communior sententia est, rescriptum sortiri suum valorem: quia Pontifex, si admittat aliquem actum prohibitum jure ecclesiastico censetur cum eo dispensare, neque ad id requiritur cognitio causæ; quia hæc non desideratur ad valorem dispensationis, quæ tantùm dependet à voluntate dispensantis; unde si constet; Pontificem esse conscium excommunicationis, & nihilominus concedat rescriptum excommunicato, sufficienter constat de voluntate dispensantis: alioquin Pontifex potiùs luderet, rescribendo scienter in favorem supplicantis incapacis, & cui nihil prodesset rescriptum: non enim videtur esse juxta regulas prudentiæ, quòd superior, qui potest tollere impedimentum ad aliquem actum illud non tollat, si ad eundem actũ admittat aliquem; alioquin perinde esset ac illum non admittere. Hoc idem firmatur *per l. quidam 57. ff. de re judic.* ubi Princeps conferens minori magistratum censetur decrevisse, ut omnia gerat validè, ne concessio ei facta frustranea foret: ita etiam ne concessio rescripti inutilis esset excommunicato supplicanti, supponitur Pontifex conscius excommunicationis dispensâsse super impedimento excomunicationis, ut actus concessus suum sortiretur valorem.

7 Non tamen hæc Pontificis scientia, cùm sit facti est præsumenda, sed probanda ab eo, qui rescriptum impetravit, est enim fundamentum suæ intentionis, cujus probatio alleganti incumbit. Quamobrem ad valorem rescripti concessi excommunicato duo requiruntur, primò quòd Pontifex sit conscius excommunicationis: siquidem in hac scientia habetur fundamentum voluntatis dispensandi: secundò quòd impetrans rescriptum probet impedimentum innotuisse Pontifici rescribenti, ad quod sufficit, si quocunque modo constet, Pontificem conscium fuisse excommunicationis: quod tamen non probatur per clausulam insertam rescripto ex *certa scientia*, quia hæc non operatur quidquam quoad extrinseca, sed tantùm quoad expressa in narratione supplicantis: non enim præsumitur, quòd Pontifex præsciverit omnia delicta commissa à supplicante pro impetrando rescripto, consequenter non præsumitur præscivisse impedimentum excomunicationis. Quinimò clausula illa *ex certa scientia*, ad hoc tantùm conducit, ut censeatur Pontifex dispensare.

fare, ut ostendit Felin. *in c. cum interim 5. inf. de except* Neque favet impetranti rescriptum alia clausula, quæ solet apponi *motu proprio*; quia hæc tantùm significat neminem super re illa supplicâsse, proinde Pontificem motu proprio concessisse rescriptũ; unde hæ clausulæ non probant scientiam latentis delicti, & excommunicationis.

8 Impetrari potest rescriptum super rebus omnibus tam spiritualibus, quàm profanis *c. 2. & per tot. h. t.* tam corporalibus, quàm incorporalibus *c. querelam 24. inf. de elec. c. dispendio. h. t. in 6.* super ecclesiis, & beneficiis *c. 2. & aliis h. t.* ita tamen ut spiritualia in foro Ecclesiastico, temporalia verò in sæculari impetrentur. In casibus tamẽ, quibus judices sæculares de spiritualibus cognoscunt, ut in possessorio, rescripta etiam concedunt, ut notat Rebuffus *h. t. n. 66.*

9 Impetrantur rescripta à summo Pontifice; vel Principe habente potestatem jurisdictionalem, quia inferiores carentes jurisdictione satiùs dicuntur respondere, quàm rescribere, est enim rescribere actus jurisdictionis, quia rescripta Principum, tametsi dirigantur ad privatas personas supplicantes, habent nihilominus vim legis, ut liquet ex *c. 1. dist. 19. & ex c. S. Romana dist. 15. & ex l. 1. ff. de constit. princ.* sunt enim hæc rescripta ordinativa communitatis, & ut talia emanant à Principe, in quo propterea supponunt potestatem jurisdictionalem, & legislativam, quinimo proveniunt ex voluntate Principis tanquam à regula communi, quia cum habeant rationem legis, participant etiam conditiones ipsius: unde debeant provenire à voluntate Principis, ut à regula publica, hoc est ut habente potestatem legislativam.

10 Impetrantur rescripta tum contra laicos, tum contra Clericos, tam contra unum, quàm contra plures, etiam cum clausula, *& quidam alii, & res aliæ.* Non tamen censetur data facultas conveniendi majores, & digniores personas, quàm sint expressæ in libello; neque agendi super negotiis gravioribus, quàm fuerint expressa in rescripto; neque evocandi multitudinem *c. sedes 15. h. t.* quia ex vi præfatæ particulæ non trahuntur ad judicium ultra tres, vel quatuor personæ, ut definivit Innocentius *c. 2. eod. in 6.* idque ad evitandas fraudes, quæ facilè possent obtingere, quamobrem generalis clausula non operatur generaliter, quia per subsequentes restringitur ad ea, quæ tantùm sunt permissa, ut notat Felin. *ad d. c. sedes. 15. n. 3.* excluduntur etiam plures actiones contra aliquem, quia cum recursus deberet esse ad diversos judices, facilè possent fraudes oriri *c. 3. eod. in 6.*

§. XV.

De interpretatione Rescriptorum.

1 Rescriptorum interpretatio debet strictè fieri, si contrarientur juri comũni, ut ab eodem non multùm recedant; & in dubiis si de contraria voluntate rescribentis non constet, debet interpretatio rescripti ad justitiam accommodari juri communi, ne illi derogetur, tametsi à proprietate verborum non nihil recedendum esset; vel etiam adjecta clausula transponenda; ut colligitur ex *c. causam 18. h. t.* quia cùm hujusmodi rescripta præsumantur concessa juxta jus commune, non præsupponuntur quidquam decernere contra jus commune, nisi per expressam clausulam eidem derogetur; adeò ut, si error aliquis irrepserit amanuensi sit potiùs tribuendus, quàm quòd contra jus commune præsumatur à Principe rescriptum.

Rescripta justitiæ, seu ad lites cùm sint odiosa, præbeántque litium occasionem, strictioris sunt interpretationis, adeò ut non extendantur ad casus, aut personas non expressas, etiam quando in rescripto apponitur clausula; *quod vi illius aliæ etiam quædam personæ conveniri possint:* aut *quòd tam super his, quàm aliis quibusdam causis delegatus judex cognoscere possit.* Hinc ex vi hujus rescripti non possunt deduci in judicium causæ graviores, aut majores, nec personæ digniores illis, quæ exprimuntur, possunt conveniri: sed tantùm æquales, vel inferiores. Quamobrem appositæ clausulæ debent interpretari secundùm jus commune ut notat Abbas *in causa 18. n. 1. h. t.* idque vel maximè, si agatur de præjudicio tertii, vel derogetur juri communi; tunc enim stringuntur clausulæ, quantum verba patiuntur. 2

Quòd si clausulæ appositæ rescripto non derogent juri communi, sed tantùm sint in præjudicium ipsius rescribentis; sunt laxè interpretandæ *c. olim inf. de verb. signif. l. beneficium ff. de constit. princ.* si tamen ambitionem redoleant, sunt restringendæ *c. 4. de preb. in 6.* ubi si mandetur alicui provideri in aliqua Ecclesia civitatis, aut Diœcesis, sub clausula hac generali non comprehenditur Ecclesia cathedralis, licèt in ea tunc habeat beneficium. Neque mandatum de conferendo beneficium, quod vacat per resignationem, trahitur ad idem vacans per mortem, quia hæc sunt diversa, nec posito uno deducitur aliud *c. 6. eod. in 6.* nisi aliter constet de mente mandantis. 3

Generatim rescripta justitiæ cùm sint odiosa debent strictè interpretari, ut etiam alia rescripta Apostolica, quæ censentur odiosa: sic rescripta pro Visitatione Monasteriorum sunt stricti juris, & odiosa, ideóque debent restringi Fed. *de sen. conf. 149. n. 1. in fin. ver. Præterea hujusmodi rescripta*: idque etiam ampliat ad rescripta ad lites, quia per illa detrahitur jurisdictioni Ordinariorum, & juri communi, ut notat Bald. *conf. 334. in princ.* Rursus in dubiis mens Principis circa rescripta talis præsumitur, qualis de jure esse debet, Jas. *in l. justitia ff. de justit. & jur.* quia in dubio non censetur voluisse præjudicare juri quæsito per tertium *l. 1. §. merito.* Idque vel maximè verum est, quando rescriptum non habet clausulam *non obstante* Alex. *conf. 34. lib. 2.* 4

5 Neque rescriptum super causa temporali extenditur ad spiritualem, adeò ut rescriptum, in quo exprimitur laicus, non se extendat ad Clericum *c. sedes*, & c. *Rodul. de rescript.* quia rescriptum, vel Privilegium super certo subjecto concessum, non extenditur ad futura subjecta separata à subjectis de præterito *c. fin. de rescript.* quia rescriptum inter certas personas non extenditur ad alias, ne unus contra alterum possit uti rescripto, vel privilegio, ut notat Bald. *Cons. 365. ad evidentiam præmittendam. n. 4. ver. ego dico. lib. 5* ubi hoc idem dicit de privilegio concesso pluribus contra omnes, quia non habet locum contra se nec ipsos, quibus conceditur. Hinc rescriptum, quod certas tantùm exprimit personas, excludit alias. Roman. *Cons. 388. in casu proposito n. 4.* quapropter rescriptum, in quo committitur causa appellationis à sententia lata per Joannem judicem, non valet, si lata fuerit per alium judicem, quia error rescripti vitiat substantialia.

6 Rursus rescriptum impetratum contra certam personam non habet locum contra tertium possessorem, ut notat Anchar. *cons. 222. punct. subtiliter n. 5.* quia statutum, privilegium, rescriptum, & decretum, quantumcunque generale non præjudicat tertio non vocato, ut jus sibi quæsitum absorbeatur, ut notat Anchar. *d. cons. n. 6. usque in fin.* Quamobrem in rescriptis justitiæ, & ad lites, ut etiam in aliis odiosis servandus est strictè modus præscriptus, ne fiat extensio extra terminos, aut clausulas expressas in rescriptis *c. per prudentiam inf. de Offic. judic. deleg.* Idque vel maximè observandum est, si agatur de præjudicio tertii, quia tunc subintelligitur conditio, sine juris alterius præjudicio *c. 8. eod. in 6.* ubi Imperator ait, non esse moris in cujusquam injuriâ tribuere beneficium *l. 4. C. de emancipat. liber.* generatim rescripta interpretantur, secùndùm jus comune, licèt quantùm ad verba videantur ab illo discrepare *c. causam de rescript.* Rursus rescriptum Principis semper interpretatur, ne juri alterius deroget Rom. *cons. 334. n. 4. ver. tertiò probatur.* item ne jus tertii lædatur *c. super eo, de offic. deleg.* & idem dicendum est de rescripto, mandatò, & dispensatione legati, quia debent reduci, quantum fieri potest ad jus commune, ne alteri fiat præjudicium, quia cum damno tertii non censetur Princeps rescribere. Et in dubio rescriptum Principis debet ita interpretari, ut non tollat rem judicatam, nec jus quæsitum tertio, nisi hoc expresè disponat Jas. *in l. justitia ff. de justit. & jur. & in l. causas, & lites. C. de transact.* imò rescriptum tollens rem judicatam est ipso jure nullum *l. fin. C. sent. rescin. non poss.* quapropter attendi non debet, si de re judicata mentio non fuerit facta.

7 Quòd si Princeps habuerit notitiam rei judicatæ, tunc rescriptum sortitur suum valorem, alioquin nihil operaretur, ut notat Bald. *c. 2. n. 3. de offic. delegat.* unde quando constat de mente Principis, quòd voluerit tollere rem judicatam, rescriptum impetratum est validum, quia ubi apparet de mente principis, non est quærenda alia probatio Jas. *cons. 100. in causa n. 66.* quia mens principis in rescriptis est potiùs attendenda, quàm verba, adeò ut rescripta sint potiùs interpretanda juxta mentem rescribentis, quando constat de ipsa, quàm secundùm sensum verborum *Dec. in l. non omnis n. 4. ff. si cert. pet.* censetur autem constare de mente Principis, quando Princeps fuit informatus de re judicata; vel per supplicationem partis, vel per informationem habitam à judice, cui commisit informationem in precibus contentorum, quia tunc censetur, quòd voluit derogare rei judicatæ, & juri quæsito. Dec. *in l. res judicata. n. 35. ff. de reg. jur.*

Rescriptum non patitur callidam, nec ma- 8
lignam secundùm corticem interpretationem, sed debet intelligi secundùm regulas juris communis, ne reddatur elusorium, tametsi verba videantur aliter sonare, Anchar. *cons. 153. punct. talis n. 8.* neque patitur cavillationes, & subtilitates formalitatum, Lap. *alleg. 89. factum super quo n. 17.* Hinc rescriptum Principis, vel magistratûs superioris, demandans executionem alicujus negotii ad instantiam partis, tametsi nil aliud exprimatur, subintelligitur servato ordine juris, ut etiam clausula: si preces veritate nitantur. *l. univers. C. de divers. rescript.* Rursus quando committitur executio, censetur etiam commissa cognitio *l. etsi non cognitio C. si contra jus vel util. public.* quapropter debet dari libellus, ac debent ordines judiciarii servari.

Quamobrem, ne contingat lædi jus tertii 9
ex rescripto per importunitatem, vel pravam insinuationem extorto, antequam executioni detur, audiendus est is, cujus posset interesse, si contra executionem aliquid justum velit objicere: quapropter pertinet ad judicem, cui committitur rescriptum priùs diligenter perpendere, an preces veritate nitantur, hæc enim clausula ad valorem rescripti exprimitur *l. fin. C. de divers. rescript.* & licèt in jure canonico non sit necesè ut exprimatur, semper tamen subintelligitur *c. 2. in fin. h. t.* Rursus debet judex advertere ad vitia, quæ solent subesse rescriptis, vel per obreptionem, seu allegationem falsi, vel per subreptionem, seu suppressionem veri.

Rescripta gratiæ sunt etiam strictæ inter- 10
pretationis, adeò ut non se extendant à persona expressa in aliam non expressam, neque à casu expresso, ad alium non expressum; nisi apparuerit de intentione rescribentis, quod conjicitur ex adjecta clausula expressiva extensionis: quia beneficia censentur secum trahere ambitionem *c. quamvis 4. de præb. in 6.* unde rescriptum impetratum à Principe pro beneficio obtinendo, censetur sapere ambitionem, propterea censetur rescriptum odiosum, ac restringendum *c. susceptum 6. h. t. in 6. Clement. ult. eod.*

§. XVI.

§. XVI.

De Causulis, & particulis, quæ ponuntur in Rescriptis.

1 Ad legitimam interpretationem, & explicationem, plurimum refert vim scire clausularum, quæ iisdem communiter adjiciuntur, vel quæ licèt expresse non inserantur rescriptis, tacitè tamen subintelliguntur. Prima igitur ex his clausulis est illa vulgata, *si preces veritate nitantur*, hoc est si supplicans vera narraverit: & si res ita sunt sicut in supplicatione, & petitione referuntur. Hæc clausula de jure canonico solet ordinariè apponi, quòd si non exprimatur semper subintelligitur in quovis rescripto concesso ad petitionem supplicantis, ut desumitur ex *c. ex parte 2. h. t.* ubi cum Clericus nomine Guilelmus litteras impetrâsset ab Alexandro III. ad Episcopum Conventiensem, ut si ipsi constaret Franciscum beneficiarium de perjurio convictum esse, vel beneficio in perpetuum renuntiâsse, excluso Francisco, beneficium conferret Guilelmo. Franciscus autem ab hac sententia appellâsset ad Pontificem, & à Romana Sede litteras ad Archiepiscopum Cantuariensem reportâsset, quibus mandatur Guilelmo, ut præbendam absolutè sine causæ cognitione restituat Francisco. Idque cùm innotuisset Alexandro III. rescribit ad præfatum Archiepiscopum, ut non credat, se ita scripsisse ad Episcopum Conventiensem cùm secundùm stylum Curiæ addi, vel si non addatur, intelligi debeat conditio, *si preces veritate nitantur*. Quamobrem injungit Archiepiscopo Cantuariensi, ut si in litteris scriptum esse reperiat, Franciscum absolutè, & sine cognitione causæ esse restituendum nulla insuper in litteris mentione facta prioris rescripti à Guilelmo impetrati ad Episcopum Conventiensem, priùs latam ejusdem Episcopi sententiam confirmet, & Franciscum ad sedem Apostolicam cum litteris ab eadem impetratis compellat accedere. Ex hoc textu claret, in quovis rescripto dato ad instantiam, seu petitionem partis semper intelligi clausulam, si preces veritate nitantur, seu si vera sunt, quæ in supplicatione, & petitione referuntur, ubi notat Rebuffus *in prax. benefic. p. 1. tit. de rescript. justit. & gratiæ.* secundùm forum canonicum clausulam ordinariam apponi solitam esse, si preces veritate nitantur, quòd si expressè non apponatur, semper tacitè subintelligitur: excipit tamen nisi jus, vel stylus Curiæ, qui pro lege habetur expressionem alicujus clausulæ tanquam necessariam postulet, quia tunc expressio clausulæ cùm pertineat ad formam rescripti est necessariò exprimenda, perinde ac ipsa forma, sine qua rescriptum non potest subsistere, adeò ut regula illa, quâ dicitur tacitum expresso æquiparari; seu taciti, & expressi eandem esse vim; limitari debeat nisi expressio requiratur tanquam forma rei, ut patet in expressione verborum in conficiendis sacramentis.

2 Ratio autem, cur de jure canonico cuilibet rescripto semper adjiciatur clausula, *si preces veritate nitantur*, quæ si non exprimatur; subintelligi debet, ea est, quia sicut in juramentis, & pactis quædam conditiones semper subintelliguntur, tametsi non exprimantur, cujusmodi sunt istæ, *si vixero: si superior non contradixerit: si res mutationem non subjerit: si rerum status idem permanserit.* Et alia id genus, quæ ipso jure tacitè censentur pactis inesse: ita in rescriptis hæ conditiones subintelliguntur, semperque censentur appositæ ex mente concedentis, vel mandantis; tametsi non exprimantur: siquidem, quæ in facto consistunt, & specialia sunt, probabiliter Princeps ignorat, proinde non præsumitur habere notitiam de facto comprehenso in tali rescripto: nisi secundùm narrationem in supplicatione descriptam: quo fit, ut Princeps, nonnisi juxta narrata in supplicatione suum concedat rescriptum: proinde si, quæ narrantur, vera non sunt, non intendit Princeps, rescriptum valere: quia tantùm concedit, quæ narrantur in supplicatione, & illi proinde innotescunt: non verò alia, quæ reticentur, & ejus subterfugiunt notitiam: voluntas enim concedendi aliquid non fertur in incognitum, cùm nil volitum, quin præcognitum.

3 Cæterùm si adversarius, contra quem rescriptum fuit impetratum, neget, vera esse, quæ in eo continentur, tunc onus probandi incumbit impetranti: qui propterea debet ea omnia probare, quæ pertinent ad fundandam intentionem suam, & sine quibus Princeps non annuisset petitioni, nec rescriptum concessisset, ut notat Felinus in *d. c. ex parte 2. n. 27. h. t.* ubi addit, hoc etiam procedere in beneficialibus. Hinc si Titius petat à Pontifice sibi assignari pensionem ex beneficio Caji, utpote redditibus abundante: si Cajus possidens beneficium neget ejus redditus esse abundantes, tunc onus id probandi incumbit petenti, seu volenti impetrare talem pensionem.

4 Quæri solet, an præfata clausula *si preces veritate nitantur*, sit ita necessariò adjicienda rescriptis, ut requiratur essentialiter; adeò ut sit de substantia rescripti, quod propterea sine tali clausula, vel expressè adjecta, vel tacitè subintellecta, esset irritum? Respondetur cum communi sententia Canonistarum, talem clausulam non esse conditionem essentialiter requisitam ad rescriptum justitiæ, adeò ut rescriptum ad justitiam censendum non sit ipso jure irritum, tametsi in eo narrara vera non sint: ratio, quam assignant Canonistæ præsertim Felinus, *in c. ex parte 2. n. 6. h. t.* est quia hæc clausula non adjicitur rescripto ad fundandam, seu inchoandam jurisdictionem Judicis, cui causa demandatur, sed ad ejus instructionem, ut sciat quomodo secundùm justitiam debeat procedere. Id tamen limitat Felinus, nisi tale rescriptum non solùm Judicem instruat, verùm etiam ad causæ cognitionem disponat; immo, & causam definiat, ac decidat, quia tum tanquam subreptitiè impetratum ipso jure est irritum, quia tametsi Pontifex possit de plenitudine potestatis causam definire;

& definitionem, ac executionem illius etiam alteri committere sine cognitione causæ: non tamen id facilè, & ordinariè facere solet, proinde non præsumitur ita rescripsisse.

6 Cæterum alia est ratio de rescriptis gratiæ præsertim de dispensationibus, quia rescripta gratiæ, si per ob- vel subreptionem impetrata sint, & narrata, ex quibus Princeps movetur ad concedendam gratiam, veritate non nitantur, ipso jure ita sunt irrita, ut Executor secundùm illa operari non possit *l. 2. c. si contra jus*. Rescripta igitur justitiæ per ob- vel subreptionem emanantia, si non causam præparent, & Judicem instruant; sed causam definiant, ac terminent, ipso jure sunt irrita etiam sine ope exceptionis: non ita si rescripta justitiæ per ob- vel subreptionem emanantia tantùm causam præparent, & Judicem instruant, tunc enim suum sortiuntur valorem. Rescripta verò gratiæ quomodocunque se habeant, si in ipsis preces non nitantur veritate, irrita sunt. Cæterum hæc clausula *si preces veritate nitantur* semper subintelligitur in quovis Principis rescripto, aut mandato etiam pœnali, & sine clausula justificatoria & ut vocant promanante: adeò ut Reus per rescriptum damnatus, quamvis citatus tantùm fit ad videndum se incidisse in pœnam banni, semper tamen possit excipere de ob- vel subreptione, ac proinde per oppositionem falsitatis vim rescripti, seu mandati elidere, & pœnam evadere: siquidem defensio contra falsitatem, & mendacium jure naturæ est cuilibet permissa, proinde à Principe per rescriptum tolli non potest: & tunc mendax impetrator meretur pœnam, ut notat Andreas Gaillus *lib. 1. obser. 15*.

7 Juvat observare, quòd si hæc clausula *si preces veritate nitantur* adjiciatur in fine rescripti interdum tantùm refertur ad id, quòd proximè antecedit, non verò ad omnia antecedentia secundùm qualitatem negotii, seu prout exigit subjecta materia. Idque desumitur ex *c. olim 15. h.t.* ubi cùm Pancratius Clericus possideret parochiam de Salice, quam Rudolphus de Clivo sibi per intermediam personam legitimè collatam contenderet. Lis delata fuit ad Innocentium III. à quo tribus Abbatibus delegata fuit: qui partes semel, iterum, & tertiò citantes, cùm Pancratius nec per se, nec per Procuratorem accedere vellet, eum ob contumaciam percusserunt excommunicatione, sequestrantes etiam fructus parochiæ. Verùm Pancratius postea pollicitus obedientiam Judicibus, impetravit absolutionem à censura. Quia verò in litteris absolutionis abraso eo, quod expressum erat de loco, & die, in quo jubebatur se Judici præsentare; ipse scripsit, fructus sequestratos debere sibi restitui: quod delictum coram duobus Abbatibus, cùm tertius abesset, confessus fuit: hinc Innocentius III. quibusdā aliis dat in mandatis, ut si res ita se habet, imponat perpetuum silentium Pancratio super petenda parochia, quam propterea Rudolpho cum sequestratis fructibus assignent. Cum verò Judices dubitâssent, an illa clausula *si ita est* referretur ad id tantùm, quod proximè antecedebat, seu ad rasuram litterarum: an verò ad omnia antecedentia; iterum rescripsit Innocentius adjectam clausulam referendam esse ad omnia antecedentia, quia quamvis sufficiat, crimen falsi de Pancratio esse ostensum, ut eidem perpetuum silentium super petenda parochia imponatur; non tamen ea Rudolpho assignari potuisset, nisi de jure ipsi competere ostensum fuisset. Ex hoc textu liquet, in causa beneficiaria posse fructus beneficii sequestrari, si reus sit contumax: quia actor jure suo nondum ostenso, mitti non debet in possessionem ob periculum, ne vitium incurrat intrusionis, ut notat Abbas *in d. c. olim. 15. n. 5. h.t.* Rursus Clericus litigans de beneficio si convincatur, falsâsse litteras super ea lite, excidit jûre suo, & perpetuum illi silentium injungitur. Quòd si agatur criminaliter Clericus convictus de crimine falsi est in perpetuum privandus beneficiis, & detrudendus in monasteriū ad agendam pœnitentiam *c. si Episcopus 7. dist. 50.* Rursus si Clericus falset litteras Papales, contrahit excommunicationem; immo etiam degradatur, & traditur Curiæ sæculari puniendus *c. ad falsariorum 7. de crim. fals.* Cæterum illa clausula *si ita est* quæ in rescripto Innocentii III. in *d. c. olim 15. h. t.* refertur ad omnia antecedentia, nonnunquam secundùm subjectam materiam ad id tantùm refertur, quod antecessit, ut notat Felin. *in d. c. 15. n. 10. h.t.*

Alia clausula quæ solet adjici in rescriptis tum justitiæ, tum gratiæ est *salvo jure alterius*: hoc est dumodo non sit in præjudicium tertii, quia Princeps non censetur velle derogare juri alterius; sed semper præsumitur velle cuique jus suum salvum, & illæsum servare, nisi aliud exprimat *c. Pastoralis 19. de privi.* Hinc non solet Pontifex ita beneficium uni concedere, ut jus alterius lædatur saltem enormiter, quia modicum præjudicium non solet æstimari *c. ad aures 8. juxta* Glossam *V. intentionis h. t.* ut notat Pirhing *lib. 1. sect. 2. n. 39. h. t.* hinc *in can. denique 14. q. 5.* & *can. Apostolicæ 9. §. quia tamen de donat.* habetur melius esse neutrum juvare, quàm alteri damnum inferre, juxta illud Apostoli *2. ad Corinth. 8. Non enim volumus ut aliis fiat remissio, vobis autem tribulatio.* 8

Tertia clausula, quæ in omnibus rescriptis datis ad beneficia semper subintelligitur, est: *si is, cui datur dignus sit ad beneficium ecclesiasticum obtinendum*, semper enim præsupponitur idoneitas, quia Pontifex non intendit conferre beneficium ecclesiasticum incapaci. Hæc autem clausula non efficit, concessionem gratiæ conditionalem: nec illam suspendit, quia tacitè ipso jure semper inest, & se habet potiùs per modum instructionis. Sunt etiam plures aliæ clausulæ, quæ rescriptis sive justitiæ, sive gratiæ solent inseri, ut est illa: *si duo, vel tres nequiverint in causa procedere, alter, vel plures reliqui nihilominus exequantur*, hæc tamen clausula intelligitur de impotentia juris, quia non solùm censetur impossibile, quod naturaliter fieri non potest, sed etiam quod nonnisi difficillimè, ut etiam, quod non honestè. Sin verò aliquis nolit interesse cum possit non excusatur ab obedientia: & aliorum jurisdictio firmatur, ut sine illo procedere possint. Cæterùm si quis sit impeditus debet per nuntium ad alios Conjudices destinatum 9

notif.

notificare iisdem impedimentum: alioquin processus ab ipsis institutus non esset validus. Sunt etiam aliæ clausulæ speciales, de quibus fusè agit Barbosa, & Pirhing. *lib. 5. tit. 3. sect. 2.§.3.*

9 Præter clausulas generales, & particulares considerantur etiam in rescriptis particulæ, sive copulativè, ut est particula, *Et*, sive disjunctivè, ut est *Vel*: subinde enim particula *Et* quamvis ex sua natura sit copulativa, & jungat, quod sequitur cum præcedente, nonnunquam tamen in rescriptis, tam justitiæ, quàm gratiæ, & præsertim in rescriptis dispensationum ponitur pro disjunctiva, & æquivalet particulæ *Vel. l. sæpe 53. ff. de V. S.* & tunc sufficit si ex pluribus membris propositis unum verificetur, ac probetur; idque ex subjecta materia, & intentione concedentis colligitur: exemplum habetur in *c. ex parte 2. h. t.* ubi Pontifex mandat, ut si probatum fuerit beneficiarium perjurium commisisse, & beneficio renuntiasse, eo inde amoto beneficiū alteri conferatur: satis enim erat, si de alterutro sive de perjurio, sive de renuntiatione constitisset, ad eum amovendum, nisi Papa expressè mandâsset, ut utrumque probaretur. Rursus particulæ disjunctivæ cujusmodi sunt *Vel*, sive *aut*, & aliæ similes, si ponantur in dispositione, seu mandato aliquo, vel rescripto non dant electionem, sed denotant qualis ordo scripturæ servandus sit, & id etiam ex subjecta materia vel modo loquendi colligitur: etenim si Testator leget alicui prædium, & mandet, ut illud relinquat liberis, vel propinquis suis, non præsumitur ipsi Legatario optio data eligendi; sed tantùm ut deficientibus liberis legatum conferatur consanguineis, aut affinibus *l. cum pater 77. §. à te peto* & ibi Glossa *V. eodem. ff. de legatis.*

10 Solent rescripta fieri aliquando etiam sub certa forma, quæ de jure non inest, & tunc forma illa servanda est, quia censetur esse substantialis, dummodo ex aliis conjecturis oppositum sufficienter non deprehendatur, ut quando ex subjecta materia, vel modo loquendi, vel ex aliis circumstantiis, aut Curiæ consuetudine sufficienter conjici potest, non fuisse mentem delegantis per adjecta verba præscribere novam formam substantialem sine qua actus esset irritus; sed tantùm quandam monitionem, & instructionem circa modum procedendi in tali negotio. Quòd si in rescriptis præscribatur certa forma cum clausula *non aliter*, *nec alio modo*; si secus fiat irritum sit, & inane: tunc forma illa est omnino servanda, quia propter adjectam clausulam conjicitur esse substantialis, & ea non servata actus suum non sortitur valorem: videatur Barbosa in *tract. de clausulis usu frequent.*

§. XVII.

De derogatione, revocatione, & extinctione Rescriptorum.

1 Dubitari solet, an rescriptum speciale deroget generali? & respondetur, quòd si rescriptum generale nihil aliud concedat, quàm quòd juri communi est concessum, tunc rescriptum particulare continens aliquid contra jus commune, vel præter illud derogat generali, licèt in hoc nulla fiat mentio de particulari, ut liquet *ex c. 1. h. t.* quia Princeps ob potestatem jurisdictionalem potest derogare legi communi justis de causis: ergo per rescriptum speciale potest derogari juri communi: cùm enim Princeps præsumatur sufficientem habere notitiam juris communis, & non obstante hac notitia concedit rescriptum speciale, contra, vel præter jus commune, censetur per hoc speciale rescriptum derogare generali, ac juri communi: generatim mandatum speciale derogat generali priori, quantùm ad ea, quæ in speciali specialiter, & contraria contentis in generali præcedenti exprimuntur: & in generali nulla fit de iisdem mentio; & id quamvis rescriptum speciale nullam faciat mentionem de priori generali *c. pastoralis 3. §. quoniam eod. T.*

Hoc idem valet, tametsi rescriptum speciale fuerit priùs impetratum, quia per speciem derogatur generi *c. generi de reg. jur. in 6.* idque præsertim si generalis dispositio, quæ sequitur, non referatur ad specialem præcedentem, ut liquet ex *l. sanctio legum de pænis* quinimò speciale rescriptum derogat generali, tametsi per hoc concedatur aliquid ultra jus commune, & per speciale rescriptum posterius nulla illius mentio fiat *c. dudum 14. §. nos igitur de præb. in 6.* quia quando Princeps concedit alicui privilegium, censetur sibi servare potestatem, si necessitas vel utilitas exigat derogandi generali illi concessioni per rescriptum speciale; vel limitandi quod priùs concesserat per rescriptum generale: non enim manus Principis per concessionem illam generalem dicuntur ligari. Hoc tamen intelligitur si per generale rescriptum non sit alicui quoad omnem speciem contentam, jam acquisitum jus in re: quia Princeps non censetur hoc præjudicium illi adferre, nisi expressè suam declaret intentionem juxta regulas Cancellariæ. 2

Rursus si speciale rescriptum posterius non sit directè oppositum alteri priori in terminis generali, in effectu tamen speciali, tunc posterius speciale non derogat priori generali, nisi specialis illius mentio fiat *c. ex parte 12. de offic. deleg.* quia tunc Princeps vel Pontifex non censetur meminisse prioris rescripti. 3

Rescriptum justitiæ, ab adversario secundò impetratum si in ipso mentio non fiat de priori, nec de notabilioribus ejusdem clausulis nullum sortitur valorem, estque irritum *c. cæterum h. t.* sed ex probabiliore sententia id verum est ope exceptionis; etsi primus impetrans contra exceperit: si enim primum impetrans suo rescripto uti neglexerit per annum, secundum valet contra primum, licèt de illo nullam faciat mentionem *c. si autem.* & *c. plerumq; h. t.* hoc autem minimè contingeret, si secundum rescriptum ipso jure esset nullum, quia juxta vulgatam regulam, quod ab initio non valet tractu temporis convalescere non potest *c. non firmatur. de R. J. in 6.* 4

Quòd

5 Quòd si contingat, impetrari plura rescripta gratiæ super eadem re, tunc ordo in illis servandus est, & prior impetrans censetur potior, adeò ut secundum rescriptum impetratum ab adversario contra id, quod prius alter obtinuit, si nullam faciat mentionem de priori rescripto censeatur nullum, & subreptitiè obtentum *c. constitutus 19. h. t. C. cùm olim de sent. & re judic.* quia princeps rescribens non censetur derogare juri, aut privilegio alterius jam prius quæsito, nisi id in specie exprimat, vel prior gratia sit generalis, & secunda particularis, quia tunc generi per speciem derogatur *c. 1. h. t.* Cæterùm si rescripta sint paria, & super eadem re, quod prius conceditur prævalet posteriori *c. tibi 12. eod. in 6.* quia prioritas temporis hoc præstat, ut jus priùs acquisitũ sit fortius. Hinc etiam facta collatio posterior non valet in prioris detrimentum; non ita tamẽ si ipse Pontifex motu proprio contulit beneficium juxta *text. in c. cum cui 7. de præbend. in 6.* quia prior licèt nondum receptus fuerit in dignitatem ecclesiasticam, habet jam jus acquisitum, & id etiam valet si tantùm gratiam impetraverit ad vacaturam dignitatis.

6 Idque tripliciter potest contingere: primò, si posterior præsentaverit suas litteras, prius tamen sit illi collata præbenda vacans, quia tunc in pari causa prioritas data præstat, ut præferatur is, si concurrat, cui prior gratia facta est, ita in *d. c. eum, cui in principio.* Secundò si per executoris dati insinuationem, & inhibitionem, ne cui alii præbenda conferatur, acquisitum sit jus priori, quia tunc non potest ipsi auferri. *d. c. 12. vers. idem quoque.* Tertiò si gratia prior contingat decretum irritans quod contra contingerit attentari; tunc ante receptionem, & præsentationem prioris præbenda nihilominus erit adfecta, & posteriori cum effectu non conferetur, ut notat Zoësius *tit. 3 de rescript.* ubi addit: hæc ita procedere, si priori nullus possit imputari defectus, ut quia alteri tacitè, vel expressè primo vacantem præbendam conferri permiserit, vel vacantem neglexerit intra terminum non acceptando, quia tunc excidit jure suo *d. c. 12. in fin.* & non tantùm quoad istam præbendam verùm etiam quo ad totam gratiam, eò quia censeatur extincta potestas executoris *c. si Clericus 11. de præb. in 6.* quæ tantùm ad primum vacans beneficium erat restricta Gloss. *in d. c. 11. v. extincta.*

7 Cessat tamen efficacia prioritatis in ordine ad posterius rescriptum, si Pontifex ex certa scientia, quod prius mandaverat, revocavit: siquidem potest gratiam jam collatam revocare, & ejus impedire effectum, posteriorem priori præferendo; tametsi jus quæsitum non avocet; debet tamen fieri mentio prioris rescripti alioqui hoc prævaleret posteriori *c. 3. h. t.* Rursus si prior obtinuerit rescriptum gratiæ tantùm conditionatè; & posterior absolutè præfertur hic priori *c. si pro te. 13. h. t. in 6.* quia conditionatum non existit, donec purificetur conditio; absolutum verò statim existit, proinde est fortius conditionato, Hinc non obstat, quòd conditio existens, seu cùm purificatur, retrotrahatur ad tempus, quo facta est concessio *argum. potior. §. videamus ff. qui pot. in pignore hab.* quia priusquam purificetur conditio, qui accepit gratiam absolutè, jam acquisivit jus ad illam.

Quòd si plura rescripta de eodem beneficio, 8 sub eodem tempore, ac tenore fuerint impetrata imò, & successivè unum post aliud, quamvis in uno non fiat mentio de altero sortiuntur omnia suum valorem, quia cùm contineant eandem formam, eundẽmque tenorem, non pugnant inter se, & in effectu habentur tanquam unum ac idem rescriptum; tametsi materialiter duo sint *argu. c. in nostra 32. h. t.* unde in tali casu secundum rescriptum habetur tanquam impetratum in majorem confirmationem primi, quòd si ambo rescripta essent pro Diœcesis beneficiis, tunc probabilius est, posterius nullius esse valoris, si in ipso nulla fiat prioris mentio, idque ne aperiatur via fraudibus.

Sin autem duo, concurrentes ad idem be- 9 neficium in certa Ecclesia impetrent à Pontifice rescripta; præferendus est in collatione præbendæ, qui prius rescriptum impetravit, licèt alius prius præsentaverit, imò & prius in canonicum fuerit receptus, nisi præbenda etiam illi collata esset, priusquàm alius, qui rescriptum impetravit, & litteras suas legitimè præsentaverit. *c. tibi 12. h. t. in 6.* quia præventio juris in una parte non inducit præventionem in altera.

Si Pontifex mandaverit conferri benefici- 10 um in hac Ecclesia à capitulo ejusdem, & duo concurrant ad idem beneficium, quorum alter à Sede Apostolica litteras beneficiales obtineat, & alter à capitulo eodem prorsus tempore, tunc præferendus est, qui rescriptum impetravit à sede Apostolica, quamvis alius prius suas litteras præsentaverit capitulo, idq; ob prærogativam rescribentis: sicut enim Pontifex præfertur capilulo, ita rescriptum emanatum à Pontifice præfertur rescripto concesso per capitulum *c. si sede 21. de præbend. in 6.*

Rescripta sicut conceduntur à rescribente, 11 ita possunt ab eodem abrogari, ac revocari, quia dependent ab ejus voluntate, non tamen possunt ab alio inferiore abrogari, quia abrogatio rescripti est actus habentis potestatem jurisdictionalem, consequenter non potest haberi nisi ab hac potestate. Quòd si essent duo Principes potentes rescribere, & unus subordinaretur alteri, tunc rescripta subordinati possent abrogari ab alio superiore, quia hic censetur habere sub propria dispositione jurisdictionem inferioris, quia habet illam sibi subordinatam consequenter potest abrogare rescripta ipsius quia causa subordinata potest impediri à subordinante. Solet etiam summus Pontifex concessas gratias, & mandata revocare, quæ propter ambitiosam potentiam, importunitatem; sive in perpetuum, sive ad tempus concessa fuerunt, & *c. ex parte 33. h. t.* Pontifex revocat litteras à procuratore revocato ad lites impetratas, quæ (saltem à persona extranea) impetrari non possunt absque speciali mandato domini.

12 An verò Rescripta extinguantur, & cessent per mortem concedentis, videtur esse aliqua difficultas: certum est, Rescripta gratiæ à Principe concessa cum clausula usque ad beneplacitum illius, *vel dum placuerit concedenti* exspirare per mortem, tam naturalem, quàm civilem concedentis absque alia expressa revocatione, ut liquet *ex c. gratiosè h. t. in 6.* quòd si concedens Rescriptum dixerit, *donec revocavero*, tunc non extinguitur Rescriptum, per mortem concedentis: est enim discrimen, quia in priori casu, ut exspiret Rescriptum concedentis, tantùm requiritur, quòd exspiret voluntas ejusdem, seu non perseveret ampliùs ejus beneplacitum, quòd contingit, quando naturaliter, vel civiliter; seu per depositionem ab officio concedens moritur: secus quando concedens dicit, *donec revocavero*, ut exspiret Rescriptum, requiritur actus positivus, quo revocetur tale Rescriptum: & quia mors concedentis non est hujusmodi actus positivus, ita per ejus mortem, sive naturalem, sive civilem non cessat tale Rescriptum. Præterea neque extinguuntur per mortem concedentis illa gratiæ Rescripta, quæ continent clausulam usque *ad beneplacitum Sedis Apostolicæ*, vel. *usque ad Pontificis concedentis*, & *Sedis Apostolicæ placitum*. Quia in utroque casu semper manet Sedes Apostolica, etiam post mortem Pontificis, quia dignitas Pontificia cum sit annexa Sedi Apostolicæ non exspirat cum persona Pontificis.

§. XVIII.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones.

1 QUæritur primò: Quænam sint in Rescriptis necessariò exprimenda? Respondetur, ea esse exprimenda, quæ à jure præscribuntur exprimi, si nomine juris intelligamus non solùm Jus scriptum, sed etiam stylum Curiæ, & consuetudinem, quæ habet vim legis. Hinc, qui in eadem materia duo impetrat rescripta, in quorum primo fiat restrictio, & in secundo ampliatio cum præjudicio tertii, tunc in secundo, & in ejus petitione debet necessariò fieri mentio de primo *c. penult. de præscript.* quia per primum Privilegium, & ejus restrictionem fuit roboratum Jus commune, proinde primum rescriptum acquirit vim Privilegii, quasi indirectè concessi, ut colligitur *ex d. c. penult. de præscript.* Privilegio autem non derogatur per alud contrarium Privilegium, nisi de illo expressa mentio fiat. Secundò, si Cajus, sive solus, sive cum communi consensu impetravit à Papa rescriptum delegans causam aliquibus Judicibus: & postea Titius petat ab eodem rescriptum delegans eandem causam aliis Judicibus, debet necessariò prioris rescripti à Cajo impetrati mentionem facere: alioquin secundum Rescriptum ope exceptionis elidi potest, manente primo in suo robore, ut rescripsit Alexander III. *in c. Cæterum 3. h. t.* quòd si primum rescriptum ex negligentia Caji non fuerit intra annum præsentatum Judicibus, amittit primum rescriptum suam vim, & secundum est validum. Sin verò sine culpa Cajus non præsentavit suum rescriptum, competit tunc exceptio contra secundum rescriptum *c. si autem h. t.* Tertiò, habens beneficium licèt modicum; vel vicariam perpetuam, si velit impetrare rescriptum ad aliud beneficium, debet necessariò mentionem facere Vicariæ perpetuæ, alioquin impetratum rescriptum ad aliud beneficium esset irritum *c. postulasti h. t.* Quartò, est etiam in petitione alterius rescripti mentio facienda de beneficio præcedente, cui est renuntiatum: alioquin secundum rescriptum ipso jure est irritum, & rescindendum quidquid ejus prætextu actum est *c. ad audientiam h. t.* Quintò, habens jus ad rem, & non in re in ordine ad aliquod beneficium, si velit impetrare rescriptum ad aliud beneficium alterius Ecclesiæ; debet in petitione, & rescripto fieri mentio de jure ad rem in ordine ad beneficium *c. in nostra h. t.* Sextò, si Statutum, vel consuetudo alicujus Ecclesiæ resistat collationi alicujus beneficii, debet etiam illius consuetudinis, vel Statuti mentio fieri saltem in genere: quòd si Statutum juratum esset, etiam ipsius juramenti mentio fieri debet *c. constitutus h. t.* Septimò, in petitione pro impetratione beneficii exprimi etiam debet, quòd supplicans sit Clericus *c. cum adeò h. t.* quia licet in supplicante pro beneficio ecclesiastico de jure communi supponatur clericatus, cum laicus sit incapax beneficii ecclesiastici. Nihilominus ex stylo Curiæ exprimi debet Clericatus, & si omittatur habetur pro subreptitio. Octavò, in impetratione rescripti mandantis restitutionem contra Judicem, à quo fuit quis spoliatus suo beneficio exprimi debet causa spoliationis *c. dilectus h. t.* quia præsumptio stat pro Judice.

Quæritur secundò, an rescriptum genericè sumptum rectè dividatur in rescriptum secundùm legem, præter legem, & contra legem? respondetur affirmativè: ratio est, quia Princeps subinde concedit aliquid contra communes regulas juris, ut fit in dispensationibus, & Privilegiis, & tale rescriptum dicitur contra legem. Vel concedit rescriptum circa ea, quæ jure decisa non sunt; & cum tale rescriptum nec fit contra jus, nec secundùm jus; ideò dicitur *præter jus, seu legem*, cujusmodi sunt litteræ beneficiales, & illa rescripta, quibus supplicanti conceditur aliquid gratiosè ex mera Principis liberalitate, quod nec est secundùm jus, nec contra jus, & hoc rescriptum præter legem dicitur etiam beneficium Principis. Vel Princeps rescribit, quod pertinet ad juris observantiam; ut cùm Princeps rescribit respondendo de jure ipsum consulentibus: vel delegat Judices, qui inter partes litigantes justitiam administrent, & lites dirimant, & hoc rescriptum dicitur secundùm leges, & propria nomenclatione dicitur rescriptum. 2

Videtur tamen contra hanc tripartitam rescriptorum divisionem obstare, quia rescriptum 3 quod

quod adversatur juri, nullius est valoris, nec habet formam rescripti; proinde non potest accenseri speciebus Rescriptorum. Quòd Rescriptum contra jus sit irritum, liquet ex *l. rescripta C. de precibus Imperat. offeren.* & habetur in *can. Rescripta 25. q. 5.* ubi dicitur: *Rescripta contra Jus elicita, ab omnibus Judicibus refutari præcipimus: nisi fortè aliquid sit, quod alteri non obsit, & petenti prosit, vel crimen supplicantibus indulgeat.* Sed contra, quia hæc & alia similia jura procedunt tantùm regulariter, quando aliunde non apparet de contraria voluntate Principis, quia stante dubio, an Princeps voluerit tale rescriptum concedere contra jus commune, præsumitur ob negotiorum multitudinem fuisse circumventus, & ipsum rescriptum per importunitatem extortum: proinde tunc reputatur tanquam irritum juxta præcitata jura, ut notat Fagnanus in *c. causam, quæ n. 5. h. t.* Sin verò constet ex certa scientia de voluntate Principis, tunc rescriptum valet contra jus, & speciali nomine dicitur potius privilegium, quàm rescriptum: cùm sit Princeps supra jus, potest nonnunquam ex justa causa dispensare in jure, & concedere aliquid contra jus, in quo sensu dicitur rescriptum valere, tametsi sit contra legem.

4 Quæritur tertiò, an excommunicatus majore excommunicatione, si rescriptum impetret, sit ipso jure irritum? Respondetur affirmativè, & desumitur *ex c. ipso jure 1. h. t. in 6.* ubi Gregorius IX. declarat, rescriptum ab excommunicato impetratum, & processum ex eodem rescripto institutum irritari ipso jure: ratio est, quia excommunicatio reddit hominem inhabilem ad impetrandum rescriptum, quod propterea ob inhabilitatem subjecti nullum acquirit valorem, & ipso jure est statim irritum: idque ampliatur, ut locum habeat in omni impetrato rescripto, sive justitiæ etiam in causa spoliationis, vel alterius possessorii interdicti, ut notat Francus *in d. c. 1. n. 11. h. t. in 6.* sive sit rescriptum gratiæ, aut privilegii, ut docet Suarez *de censur disp. 13. sect. 1. n. 12.* post Glossam. Tum quia Rescripta gratiæ faciliùs corruunt, & irritantur, quàm rescripta justitiæ, seu ad lites. Id tamen limitatur, quando excommunicatus super causa suæ excommunicationis, dicit eam à Judice suo fuisse inflictam injustè; ac invalidam esse contendat: potest non obstante excommunicatione impetrare rescriptum à Papa ad Judicem delegatum; idque ne illi desit remedium naturalis defensionis, ut notat Glossa magna *in d. c. ipso jure 1. h. t. in 6.* quia tametsi prohibeatur agere ob certam causam inhabilitatis, vel impedimenti, non tamen prohibetur agere negando inhabilitatem, & si velit probare, se non esse legitimè excommunicatum: rursus, si excommunicatus à sententia Judicis appellavit super articulo appellationis potest rescriptum à Sede Apostolica impetrare, quia non prohibetur excommunicatus, saltem ut reus stare in judicio *c. intelleximus 2. de judic.* ut se defendat, sed prohibetur tantùm esse actor: hinc ut reus, si à Judice injustitiam patiatur potest appellare, quia tunc propriè non agit, ut actor; sed tantùm se defendit, ut reus: & quia hæc defensio est de jure naturæ nemini denegatur. Tum quia semel, quòd alicui conceditur stare in judicio, etiam censeri debent concessa, quæ ad jus suum obtinendum necessaria sunt *argum. c. præterea 5. de offic. deleg.*

Cæterum processus Judicis delegati factus vigore rescripti, quod ipso jure est irritum, est itidem nullius valoris, quia delegatus ex vi ejus rescripti non acquirit jurisdictionem; saltem quoad processum in causa principali, & ubi deest fundamentum jurisdictionis, nil potest judicialiter agi. Potest tamen tunc delegatus ex vi sui Rescripti, si habeat sufficiens fundamentum cognoscere, num revera sit destitutus jurisdictione, vel illâ potiatur? proinde potest cognoscere, an impetrans Rescriptum verè fuit excommunicatus, nec ne: quia cum in hoc casu non desit jurisdictio in delegante, & hæc in dubium non revocetur: ideo habet etiam delegatus, qui vices delegantis gerit, potestatem cognoscendi de illo, quod ab eodem emanat. Scilicet, an Rescriptum delegationis validum sit, nec ne? 5

Quæritur quartò, an excommunicatus, si agat in judicio, & per oppositam exceptionem adversarii, vel à Judice non repellatur; Sententia, & omnia acta suum sortiantur valorem? Respondetur affirmativè, & desumitur ex *d. c. ipso jure 1. h. t. in 6. §. fin.* ubi dicitur, quòd sententia, quæ præcessit suum sortiatur valorem, ac si ille tempore Sententiæ non fuisset excommunicatus. Id enim verum est, si excommunicatus agat coram Judice Ordinario, qui non accipit jurisdictionem novam per aliquod Rescriptum; sed ejus jurisdictio jam antea fundata erat, ideóque ejus processus tenet, nisi de excommunicatione actoris excipiatur. Judex autem delegatus, cùm acquirat novam jurisdictionem per Rescriptum impetrantis talem Judicem, ejus jurisdictio sumit initium ex persona actoris, seu impetrantis: proinde tam Rescriptum impetratum ab excommunicato, quàm processus judicii ab eo pendens non valent: quia sint à principio vitioso, ut notat Glossa in *d. c. ipso jure v. processus h. t. in 6.* Hinc, si actor tempore impetrati Rescripti non fuit excommunicatus; sed primùm post ejus impetrationem, quia Rescriptum in sua origine fuit validum; etiam processus ab eo institutus coram Judice delegato non est ipso jure irritus. 6

Potest etiam responderi, rescriptum justitiæ, in quo causa aliqua delegatur laxè loquendo esse gratiam, seu beneficium Papæ concessum ipsi excommunicato: omnis autem gratia, seu beneficium Papæ concessum excommunicato juxta stylum Curiæ est invalidum non defectu Papæ delegantis, sed in odium excommunicationis. Actor autem, quando litigat coram Judice, prosequitur jus suum, proinde nisi illi opponatur exceptio excommunicationis acta valent. Quòd verò rescriptum impetratum ab excommunicato sit invalidum, ampliatur, ut non solùm omne rescriptum Justitiæ, seu ad lites, sive in judicio petitor 7

petitorio, sive possessorio, etiam in causa spoliationis, vel alterius interdicti possessorii; sed etiam omne rescriptum gratiæ, vel privilegii, vel ad dispensationem; vel ad ecclesiastica beneficia impetratum ab excommunicato irritum sit: quia est regula universalis, ut nullæ litteræ impetratæ ab excommunicato valeant præter eas, quæ excipiuntur in jure: atqui exceptio firmat regulam in omnibus aliis casibus non exceptis. ut notat Glossa *in d.c. ipso jure 1. v. alio h. t. in 6.* Immo procedit non solùm, si excommunicatus sit notorius, & impetret rescriptum; sed etiam, si sit occultus, quamvis alias non sit vitandus: ratio est, quia Jus Canonicum indefinitè reddit irritum rescriptum impetratum ab excommunicato: proinde irritatio rescripti sine sufficienti fundamento restringitur ad excommunicatum notorium: quia cùm id in odium excommunicationis sit statutum, comprehendit omnem excommunicatum, etiam occultum, ut notat Navarrus *lib. 5. Consil. 44. n. 8. de sent. excommun.* hæcque est ratio, cur etiam in rescriptis Papalibus præmitti solet absolutio ad cautelam ab excommunicatione, sive hæc notoria sit, sive occulta: quia tametsi excommunicatio non sit alias notoria, constituit tamen inhabilem personam, quam afficit, ut liquet in electione excommunicati etiam occulti. Excipitur tamen, nisi excommunicatus occultus ex vi talis rescripti aliqua ageret ratione publici officii: tunc acta valida essent, quia in hoc casu ob publicam, & probabilem ignorantiam, proinde ob bonum commune jus supplet defectum occultum *argum. l. barbarius 3. ff. de offic. Prætor.*

8 Quæritur quintò, an rescriptum impetratum ab excommunicato sit ipso jure irritum, non solùm in foro externo, sed etiam in foro interno conscientiæ, & ante omnem sententiam condemnatoriam, & declaratoriam Judicis? Respondetur, esse irritum in utroque foro externo, & interno conscientiæ ipso jure ante sententiam Judicis, adeò, ut excommunicatus etiam occultus, nequeat illo in conscientia uti: ratio est, quia leges non inferentes meram pœnam, sed habentes effectum privativum, & secum trahentes executionem, ac irritantes simpliciter actum aliquem, statim suum sortiuntur effectum, ac obligant, ut notat Navarrus *lib. 5. consil. 44. n. 7. de Sent. excommun.* Quinimò excommunicatus non solùm est inhabilis ad impetrandum rescriptum per se, sed etiam per suum Procuratorem, vel alium etiam non excommunicatum *c. fin. de procurator.* quia eo ipso, quòd procurator, vel alius impetrat rescriptum nomine excommunicati; principalis, qui rescriptum impetrat, est ipse excommunicatus, qui cùm sit incapax talis impetrationis rescriptum est irritum.

9 Quòd si rescriptum impetretur simul pro duobus, quorum unus sit excommunicatus, & alter non sit excommunicatus, tum si rescriptum sit in causa individua, quæ non possit dividi, nec separari ex parte utriusque est irritum: sin verò sit in causa dividua, seu separabili, tunc si rescriptum impetratum sit à non excommunicato simul cum excommunicato ignoranter tamen, quia nescivit illum esse excommunicatum, valet rescriptum solùm ex parte non excommunicati: Sin verò simul cum excommunicato sciente, invalidum est ex parte utriusque. Neque obstat *regul. jur. 37. in 6. quod utile per inutile non vitietur*, quia id verum est, si utile ab inutili separari possit, & rescriptum impetratum sit in causa dividua: secus est, si sit in causa individua, & utile non possit separari ab inutili, quia sicut malum ex quolibet defectu, ita etiam inutile ex qualibet ratione inutili.

Quæritur sextò, an si excommunicatus appellaverit à sententia Judicis, possit super causa, seu articulo appellationis impetrare rescriptum? respondetur affirmativè, quia tunc cùm licitum sit reo se defendere, est etiam eidem licitum, ea omnia adhibere media; quæ ad id sunt necessaria: & in hoc casu impetrare rescriptum super articulo appellationis est medium necessarium ad se defendendum, seu ad reparandam injuriam ipsi factam à Judice. Hinc si excommunicatus non audiatur super suis exceptionibus, aut super articulis causæ pendentis coram Judice ordinario; potest impetrare rescriptum delegationis, quia cùm possit excommunicatus, ut reus conveniri, & stare in judicio *c. intelleximus 7. de judic.* ideò præsumuntur etiam concessa alia, quæ ad jus suum obtinendum necessaria sunt: siquidem talis impetratio rescripti censetur potiùs esse defensio, quàm impugnatio: quod tamen intelligitur de impetratione rescripti super excommunicatione, & appellatione propria, non ita super excommunicatione, & appellatione alterius, quinimo excommunicatus etiam post interpositam legitimam appellationem potest rescriptum impetrare pendente causa appellationis, tametsi interim non possit, ut actor illo uti. A fortiori etiam excommunicatus sub conditione, pendente conditione potest validè rescriptum impetrare, & id etiã procedit de eo, qui solùm minorem excommunicationem incurrit, quia nomine excommunicationis simpliciter, & absolutè venit excommunicatio tantùm major, ut notat Barbosa *in d. c. ipso jure 1. n. 25. & sequent. h. t. in 6.* 10

Quæritur septimò, an rescriptum, quod excommunicatus impetrat à Prælato ecclesiastico inferiore Papâ, sit ipso jure irritum? Respondetur, tale rescriptum esse validum, tametsi impetrans tempore impetrationis fuerit excommunicatus, quia sub nomine rescripti simpliciter, & absolutè prolati, tantùm intelligitur rescriptum supremi Principis non habentis superiorem: atqui tales non sunt Prælati Ecclesiastici inferiores Papâ, isti enim in Ecclesiastica hierarchia habent superiorem, scilicet Summum Pontificem, proinde rescripta ab ipsis impetrata ab excommunicato non sunt irrita. Præterea id firmari potest ex consuetudine Curiæ Romanæ: moris enim est, ut in omnibus rescriptis, seu Litteris Apostolicis præmittatur absolutio ad cautelam ab omnibus censuris in ordine ad consequendum effectum eorum, & ut 11

ut impetratio rescripti, quæ aliàs irrita esset, suum sortiatur valorem: atqui hæc absolutio non solet præmitti in rescriptis, quæ excommunicati, vel aliis censuris ligati impetrant ab Episcopis, & aliis Ordinariis, idque argumento est, rescriptum, quod excommunicatus impetrat ab Episcopo, vel alio ordinario Papâ inferiore non esse ipso jure irritum.

Præterea rescriptum supremi Principis facit jus etiam quoad alios, qui minimè in Rescriptis nominantur, saltem in similibus casibus; non ita rescriptum emanatum ab alio Prælato inferiore. Hinc patet discrimen inter impetrationem Rescripti factam à Papa, & impetrationem factam ab inferiore Prælato Papâ. Ratio etiam reddi potest, quia ob suspicionem ob- vel subreptionis faciliùs irritantur rescripta Papæ, utpote plurimis intenti negotiis, quàm rescripta Episcopi, vel Archiepiscopi minus occupati, & qui tot non detinetur negotiis, ut notat Navarrus *consil. 44. n. 4.*

13 Quæritur octavò, an si executio rescripti spectet ad Episcopum, & interim contingat vacare Sedem, tum executio pertineat ad successorem? Respondetur, executionem talis rescripti tunc pertinere ad Capitulum, cui propterea incumbit conferre beneficium, pro quo Pontifex scripsit, tametsi collatio talis beneficii aliàs ad solum Episcopum pertineret *argum. capituli primi de instit. in 6.* ubi habetur: Sede vacante posse Capitulum instituere præsentatos à Patronis, tametsi aliàs deberent institui ab Episcopo: ibi: *Etsi Capitulum Sede vacante beneficia, quæ ad collationem Episcopi pertinent, conferre non possit, præsentatos tamen à Patronis potest admittere, dummodo idonei sint, & instituere.* Ratio etiam petitur ex eo, quia hujusmodi beneficiorum collatio non est libera, sed necessaria, sicut quando vigore fundationis beneficium conferendum est certæ personæ, tunc enim quia collatio est etiam necessaria, potest fieri à Capitulo sede vacante. Quòd si sede vacante impetratum esset rescriptum ad Capitulum, & priusquam hoc præsentaretur Capitulo, electus & confirmatus esset Episcopus, executio rescripti tunc spectaret ad Episcopum; tametsi rescriptum fuerit directum ad Capitulum: quia id fuit factum, eò quia Sedes tunc vacabat. Cæterum quia Sede non vacante executio talis rescripti pertinet ad Episcopum, non ad Capitulum, & eo ipso, quòd Episcopus est electus, & confirmatus, Sedes Cathedralis non amplius vacat, sequitur, quòd ex intentione Pontificis executio devolvatur ad Episcopum, ut notat Fagnanus *in c. eam te, 7. h. t.*

14 Quæritur nonò, an Rescriptum Justitiæ, seu ad lites, si impetretur nomine alterius sine speciali ejus mandato valeat? Respondetur negativè, & desumitur *ex c. nonnulli 28. h. t.* ratio est, quia cùm rescripta ad lites sint odiosa, & viam sternant ad lites, possintque cedere in alterius præjudicium potiùs restringi debent, quàm ampliari. Quinimò, qui tale rescriptum impetravit, tanquam falsarius puniri potest, dico tanquam falsarius, quia verè, & propriè non est falsarius, eò quia litteras non falsaverit, sed quia perinde ac falsarius puniri debet, tametsi pœna arbitraria, & mitiore, ut notat Abbas *in d. c. nonnulli §. sunt & alii n. 7. h. t.* Hinc rescripta ad lites impetrata pro alio absque ejus speciali mandato, sunt ipso jure irrita, tametsi reus nil contra illa excipiat, idque ob defectum mandati, quia cùm quisque sit inhabilis ad impetrandum rescriptum ad lites pro alio nisi habeat speciale mandatum à Domino, non est capax ad impetrandum tale rescriptum, quod propterea, si impetret; impetratio est irrita, quia non potest haberi actus sine potentia agendi: & sine speciali mandato non habetur potentia impetrandi rescriptum ad lites pro alio, proinde talis impetratio nullius est valoris *l. licèt 56. ff. de judic. & 24. C. de procurat.* hinc si Titius sine speciali mandato Cajo impetret rescriptum ad lites pro ipso Cajo, & hic velit postea ratificare impetratum rescriptum, adhuc ratificatio est nulla: ratio est, quia tametsi possit quis ratum habere, quod suo nomine est gestum *c. 2. de pact.* & ratihabitio jurisfictione retrotrahatur, & mandato æquiparetur ex *regul. jur. 10 in 6.* hæc tamen procedunt, quando actus non est irritus, nisi ob defectum illius, cujus nomine gestus est, quia cùm consensus ipsius requiratur in favorem ejusdem, is potest postea suppleri, ut fit in contractibus.

15 Secus, quando actus est ipso jure irritus propter bonum publicum, & ob defectum publicæ jurisdictionis, tunc non ratificatur, nec suum acquirit valorem per consensum illius sine cujus mandato fuerat rescriptum impetratum, quia jurisdictio hæc publica est conditio, quæ intrinsecè pertinet ad solemnitatem judicii; proinde effectus illius non potest postea suppleri: & tunc subintrat *regula juris 29. in ff. quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere.* Pari pacto, quando quis ipso jure est inhabilis, redditus ad impetrandum rescriptum ad lites pro alio, si ad id non habeat speciale mandatum à Principali; rescriptum nullum sortitur valorem: idque statutum est ob bonum publicum ad minuendas lites, proinde non potest is sine cujus Mandato fuit concessum rescriptum postea illud per ratificationem confirmare. Ab hac tamen regula excipiuntur illæ personæ, quæ pro aliis solent in judicio agere ob amicitiam, vel propinquitatem, dummodo caveant, spondeántque principalem ratum habiturum, quod actum fuerit *l. sed hæ personæ 35. in princ. ff. de procur,* hæ siquidem personæ possunt pro sibi conjunctis rescripta impetrare, etiam sine speciali mandato, ut desumitur *ex d. c. ex parte h. t.* Hinc liberi possunt pro parentibus talia rescripta impetrare, ut etiam parentes pro liberis, & etiam fratres affines, liberti, imò etiam aliæ personæ, quæ tamen ita sint benè affectæ circa alias, pro quibus impetrant rescripta, ut Judex possit cognoscere nullam inde committi fraudem. Immò hodie ex consuetudine, & Stylo Romanæ Curiæ possunt rescripta ad lites etiam ab extraneis personis nomine alieno impetrari sine speciali Mandato, nec exceptio defectus Mandati admittitur, ut notat Navarrus *lib. 1. consil. 4. n. 9. h. t.*

Quæ-

16 Quæritur decimò, quinam abusus à jure reprobentur in rescriptis? Respondetur hujusmodi abusus esse plures, & recensentur in *c. 1. h. t.* Primò si quis nomine suo litteras impetrans, alteri postea, cui idem est nomen tradat. Secundò, si quis impetret litteras ad lites, quasi in antecessum, quando scilicet tempore impetrationis nondum existit controversia, sed postea primùm suboritur. Tertiò, si quis super una controversia plura impetret rescripta ad diversos Judices, vel etiam super diversis quidem causis, sed quæ possent coram eodem Judice commodiùs expediri, quod fieri solet ad defatigandum adversarium, & ad eum adigendum ad transigendum, vel ad cedendum jure suo, ut vexam illam redimat. Quartò, si quis animo reconveniendi suum adversarium impetret rescriptum ad diversos Judices ab iis, coram quibus jam conventus erat, cùm posset coram iisdem Judicibus eum reconvenire, idq; studio, ut quærat occasionem inducendi adversarium in contumaciam, si non compareat, & postea ut contumax censurâ excommunicationis affectus ab actione repellatur. Omnes hi abusus puniuntur non solùm nullitate processus, & ipsius rescripti quoad omnia commoda, sed etiam per condemnationem in expensas refundendas adversario. Si quas ex citatione facere debuit, idque desumitur ex *c. dispendia 3. h. t. in 6.* ubi dicitur, quòd si actor velit movere plures quæstiones personales non impetret litteras ad diversos Judices, sed ad eosdem; alioquin litteræ non valent, & ipse condemnatur ad expensas. Similiter reus, si contra actorem impetrat litteras de reconventione in eodem judicio, vel de conventione ad eosdem Iudices; impetrat sub eadem pœna, nisi eos, ut suspectos recuset.

17 Quæritur undecimò, quomodo in dubiis rescripta gratiæ, & ad beneficia ecclesiastica debent interpretari? Respondetur, in rescriptis Principum, quæ nulli inferunt præjudicium plenissimam esse interpretationem faciendam, si hujusmodi beneficia sint sæcularia: quia tunc beneficium est quædam gratia, quæ ex mera liberalitate concedentis fit sine præjudicio tertii præter jus commune: quinimò licèt beneficium tunc inferat præjudicium ipsi concedenti, adhuc ejus interpretatio debet esse plenissima *c. cùm dilecti 6. de donat. & c. olim 16. de V. S.* ubi dicitur, quòd beneficia Principum debeant largissimè interpretari: quia, si Princeps, qui beneficium concedit, voluisset, non tam laxam contra se fieri interpretationem, potuisset plures addere exceptiones, ut notat Pontifex *in c. quia circa 22. de privileg.* ibi: Cùm nihil exceperit, & potuerit excepisse, ac in beneficiis plenissima sit interpretatio adhibenda. Secus tamen contingit in rescriptis, quæ obtinentur super beneficiis ecclesiasticis, quia hæc præsumuntur olere ambitionem, proinde strictè interpretantur *c. quamvis 4. de præbend. in 6.* ibi: Quamvis plenissima sit aliàs in beneficiis interpretatio facienda: litteræ tamen super obtinendis beneficiis debent, cùm sint ambitiosæ restringi. Hinc in *c. quamvis 4. de præbend. in 6.* declarat Pontifex, quòd si cuipiam de beneficio obtinendo usque ad certam summam mandetur provideri; ei non in pensione, sed in beneficio ecclesiastico tantùm sit providendum. Præterea in *c. cui de non sacerdotali 27. h. t. in 6.* habetur, quòd si alicui per rescriptum Apostolicum mandetur conferri præbenda non sacerdotalis, vel integra, vel certi valoris; eidem etiam volenti, & consentienti non possit ex vi ejusdem mandati conferri præbenda sacerdotalis, vel præbenda dimidia, vel minoris valoris: quia rescripta hæc ad beneficia, cùm oleant ambitionem restringi debent, neque extenduntur ad casus non expressos.

18 Quæritur duodecimò, an rescriptum Justitiæ à Papa impetratum contra aliquem cum clausula generali, & indefinita, & *quosdam alios Clericos, vel laicos* extendatur ad hæredem, vel successorem? Respondetur, tale rescriptum non extendi ad hæredem, vel successorem impetrantis re adhuc integra, adeò, ut hæres, vel successor non possit vi talis rescripti conveniri, si qui conveniendus erat, decesserit ante litem contestatam, idque desumitur *ex c. significavit 36. h. t.* ubi cum Gaspar, & Bonifacius impetrâssent litteras à Pontifice contra Episcopum Tullensem, aliósque quosdam Clericos: & vigore harum litterarum Judices citaverint Comitissam Namutensem, & cum frater ejus, cui in comitatu successerat pecunias mutuas, accepisset à Gaspare, & Bonifacio, & Comitissæ Procurator exceptionem opposuisset, eo tempore, quo frater ejusdem Comitissæ tempore litterarum impetratarum adhuc viveret, & in judicium non vocatus fuerit; ipsam amplius non posse conveniri vigore talis rescripti: & quia Judices hanc noluerunt exceptionem admittere: Comitissa appellavit ad Sedem Apostolicam, & Gregorius IX. rescripsit Abbati Sancti Jacobi, quòd si res ita se habeat, declaret irrita omnia acta contra præfatam Comitissam. Ex quo textu liquet, ex vi rescripti, seu factæ delegationis per clausulam generalem, *& quosdam alios*, si conveniendus ante inchoatam litem decedat, non posse ejus hæredem conveniri. Ratio est, quia hæres adeundo hæreditatem non suscipit obligationes personales, quas defunctus ante mortem non contraxerat: sed frater hujus Comitissæ ante mortem ex Papali rescripto nullam susceperat obligationem, quia in Papali rescripto non fuit nominatus, sed tantum fuit dictum ex vi clausulæ generalis, *& quosdam alios*, proinde Comitissa ratione aditæ hæreditatis, seu ut hæres sui fratris conveniri non poterat vigore ejusdem rescripti: quia per clausulam illam generalem, *& quosdam alios* datur optio impetranti, quósnam velit convenire, & quia nondum voluntatem suam declaraverit, cum litem non moverit personæ particulari, seu Comiti, nullam is ex tali rescripto obligationem contraxit: *argum. c. pastoralis, 14. §. quoniam h. t.* Quòd si defunctus fuisset nominatim expressus in rescripto Papali, quia tunc cùm rescriptum fuisset impetratum in particulari

ticulari contra personam defuncti tempore, quo adhuc viveret, ejus obligatio transiret ad hæredem, quia hæres in bona defuncti succedit, & Jurisdictione censetur eadem cum defuncto persona, ut notat Glossa *in d. c. significavit. v. dum viveret.* Quòd si res non fuisset integra, quia defunctus antequam decederet, fuisset in judicium vocatus vigore rescripti ab adversario contra illum impetrati etiam sub clausula illa generali, *& quosdam alios*, tunc quia lis fuisset jam inchoata per citationem, extenderetur ad ejus hæredem, qui conveniri posset, ut notat Abbas in *d. c. significavit n. 6. h. t.*

19 Quæritur tertiodecimò, an Rescriptum ad lites simpliciter impetratum, cum Clausula, *Ex quibusdam causis*, extendatur ad causas subortas post impetrationem Rescripti: Respondetur negativè, & desumitur *ex c. quia nonnulli ult. h. t.* & *Clement. ult. eod. tit.* ratio est, quia Rescripta sunt stricti juris, ac interpretationis, proinde non debent extendi ad casus futuros, quorum eventus est incertus. Generatim omnis dispositio quantumvis generalis censetur tantùm fieri de rebus existentibus, proinde præsentibus, non verò de futuris, quæ nondum existunt, nisi id exprimatur in rescripto *argum. l. si scripsisset 46. ff. de legat. 2.* Præterea cùm rescriptum justitiæ sit dispositio, quæ datur ad observantiam juris, debet necessariò habere aliquod subjectum, cui innitatur; consequenter debet necessariò supponere rem, de qua fit dispositio, actu existere, ut notat Abbas in *d. c. quia nonnulli ult. n. 8. h. t.* Demum, quia in rescriptis justitiæ, seu ad lites, vel maximè attenditur tempus datæ, quia hujusmodi rescripta extenduntur ad eas lites, quæ eo tempore jam motæ erant: non verò ad alias, quæ essent postea oriturae. Generalis regula est, ut in simplici quantumvis generali dispositione, nisi aliud exprimatur sola præsentia; non verò, quæ nondum orta sunt comprehendi soleant *l. si ita scripsisset 47. ff. de legat. 2.* & notat Zasius *in l. si quis iniquum §. quod autem ff. quod quisque juris.*

20 Quæritur quartodecimò, an rescriptum Papæ de conferendo alicui beneficio vacaturo, si post datam fundetur in illa Ecclesia novum beneficium, debeatur hoc ei, qui rescriptum impetravit. Respondetur negativè, & desumitur *ex Clement. ult. h. t.* ubi expressè habetur, quòd gratia concessa pro beneficio primò vacaturo non extenditur ad beneficium, quod erigitur post datam, seu impetratum rescriptum. Titius enim impetraverat à Papa litteras ad beneficium proximè vacaturum in certa Ecclesia, quæ litteræ datæ fuerant Kalendis Januarii: & quia in eadem Ecclesia Calendis proximi succedentis mensis Februarii novum beneficium fuerat erectum, dubitatum fuit, an deberetur Titio ex vi impetrati rescripti, & fuit responsum negativè: quia tempore datæ, seu quo Superior concesserat rescriptum nondum existebat tale beneficium, proinde non poterat Rescriptum ad illud se extendere. Ratio ex eo petitur, quia in rescriptis debet attendi mens, seu intentio mandantis, seu concedentis, qui cùm non præsumatur cogitasse de beneficio, quod tempore rescripti nondum existebat, sequitur, non posse Rescriptum ex mente concedentis extendi ad beneficium, quod post datam rescripti erigitur.

Præterea, quia cum rescriptum ad beneficium primò vacaturum, sit odiosum non debet extendi ad casus non expressos: atqui in tali rescripto non est expressum beneficium post datam erectum, sed tantùm beneficium post datam vacaturum: aliud est beneficium vacare, & aliud de novo erigi; quod vacat, supponitur antea non vacâsse, proinde extitisse: secus beneficium, quod de novo erigitur, non supponitur extitisse, sed tantùm tunc incipere existere, cùm primùm fundatur: ergo rescriptum, in quo Superior mandat provideri de beneficio vacaturo, non extenditur ad beneficium, quod post datam rescripti de novo erigitur, quia concedens rescriptum voluit conferri beneficium vacaturum, quod non potest verificari de beneficio, quod recèns erigitur, quia hoc non potest dici propriè vacare: non enim nova beneficii erectio est vacatio beneficii, sed tantùm modus, quo beneficium de non esse transfertur ad esse. Hinc sicut rescripta ad lites non extenduntur ad lites, quæ postea exoriuntur; ita neque rescripta gratiæ, seu beneficialia extenduntur ac beneficia postea instituenda. Tum quia hæc extensio fieret in præjudicium Ecclesiæ: siquidem fundatores beneficiorum possent retrahi à novis beneficiis instituendis, si scirent ea debere statim conferri iis, qui rescriptum jam impetrârunt. Notat tamen Glossa hic id non procedere de beneficio tempore datæ suppresso, & deinde renovato. Quòd si dubium esset, quid esset prius, an datum rescriptum, vel nova erectio beneficii, ad quem tunc spectaret onus probandi? res videtur dubia, sed Glossa *in d. clement. 5. & ult. v. creatum* censet, onus probandi incumbere ei, qui rescriptum impetravit. 21

Quæritur quintodecimò, an si Princeps in suo rescripto mandet inquiri de duobus, vel pluribus sub disjunctione in ordine ad certum effectum, sufficiat unum ex illis tantùm verificari, ut Commissarius possit rescriptum exequi, tametsi alia sint falsa? respondetur, sufficere, si unum ex illis sub tali disjunctione verificari, & probari possit, idque desumitur *ex c. inter cæteras 4. h. t.* ubi Archiepiscopus Eboracensis consuluit Alexandrum III. quid agendum? si Pontifex mandaverit in rescripto de duobus inquiri alternativè ad certum effectum consequendum, & eorum unum deprehendatur falsum, & aliud verum: & respondit Pontifex, sufficere, si alterutrum allegatum compertum fiat. Ex quo textu liquet, quod quoties Princeps in ordine ad certum effectum, mandat de duobus alternativè inquiri, sufficiat alterum eorum Commissario ostendi, seu probari verum, Ratio ex eo petitur, quia ad veritatem propositi- 22

positionis alternativæ, seu disjunctivæ, non est necesse utramque partem verificari, sed sufficit, si alterutra vera sit: & per hoc distinguitur propositio alternativa, seu disjunctiva à copulativa, quia ad verificativum copulativæ debet utraque pars vera esse §. *penult. instit. de hered. instituend.* Secus ad verificativum propositionis disjunctivæ, satis est, si alterutra pars vera sit. Hac ratione etiam in contractibus, & promissionibus alternativis electio est debitoris, & sufficit, si alterutrum impleatur juxta *regul. jur. 10. in 6. In alternativis debitoris est electio, & sufficit alterutrum impleri.* Immo id extenditur *in c. penult. C. de condit. indeb.* Si quis debitor duarum rerum sub disjunctione, utramque per errorem solverit; ratus nimirum utramque copulativè, se promisisse, tunc enim optio illi competit repetendi, quam maluerit, perindè ac optionem habuit dandi, quam ex illis duabus illi magis placuisset.

23 In pœnis verò, sive à lege, sive ab homine sub disjunctione impositis inspiciendum est, ad quem verba alternativa diriguntur, si enim diriguntur ad Judicem, nimirum, ut hic puniat hac, vel illâ pœna, tunc optio illi datur eligendi ex illis pœnis, quam maluerit: sin verò verba alternativa diriguntur ad reum, nimirum, ut solvat centum florenos, vel per biennium exilium à patriâ subeat, tunc etiam optio datur reo eligendi, prout ipsi magis libuerit. Quòd si dubium sit, ad quem verba alternativa dirigantur, tunc præsumendum est, verba referri ad Judicem, quia ad ipsum pertinet pro varietate personarum, & circumstantiarum pœnam decernere: alioquin reus eligeret semper pœnam mitiorem *l. perspiciendum 11. l. aut facta 16. ff. de pœn.*

24 Quæritur sextodecimò, an quando sub-vel obreptio studiò, & dolosè contingit in una parte rescripti, cæteræ partes ejusdem Rescripti irritentur. Certum est, quòd si sub-vel obreptio contingat in una parte rescripti sine dolo, sed tantùm per solam ignorantiam, vel simplicitatem, non vitiatur tunc totum rescriptum, sed illa tantùm pars supra quam cadit dolus, & quam sine tali dolo Princeps non concessisset, ut notat Fagnanus *in c. super litteris n. 24. h. t.* & probari solet *ex c. si eo tempore 9. h. t. in 6.* & id procedit, quando subreptio non est dolosa, quia tunc valet *Regula 37. in 6. utile per inutile non vitiatur.* Unde difficultas est, quando sub-vel obreptio contingit per dolum, & malitiam. Plures censent vitiari tunc totum Rescriptum, quia de illis, qui per fraudem, vel malitiam supprimunt veritatem, vel exprimunt falsitatem expressè statuitur in *c. super litteris 20. h. t.* ut in suæ perversitatis pœnam nullum ex illis litteris commodum consequantur, & ut delegatus nullatenus de causa cognoscat. Secus, qui per simplicitatem, vel ignorantiam veritatem tacent, vel falsitatem exponunt, si veritas, vel falsitas talis sit, quæ si fuisset cognita, vel explicata Papæ, hic adhuc litteras dedisset in forma communi, tum mandat Pontifex, ut delegatus litterarum forma relicta procedat in causa secundùm ordinem juris: ex eo igitur, quòd Pontifex *in d. c. super litteris dicat*, ut nullum ex illis litteris commodum consequantur, volunt totum rescriptum esse irritum, quia illa dictio *nullum* negat totum. Idque firmant *ex c. Sedes Apostolica eod. tit.* ubi generaliter statuitur, ut *mendax precator carere debeat penitus impetratis*, ubi illa dictio *penitus*, quia præcisa est, nullam admittit limitationem *l. ambiguitatem C. de usufruct.*

Hinc Barbosa *dictione 249. n. 3.* vult, particulam *penitus* perinde esse, ac ex toto. Alii 25 verò respondent per sub-vel obreptionem dolosam solùm vitiari illam partem rescripti, supra quam dolus cadit, non ita alias partes, eò quia utile non debet per inutile vitiari *ex regul. Jur. 37. in 6.* idque firmant *ex d. c. si eo tempore h. t. in 6.* ubi rescriptum tacita veritate impetratum ex parte valet, & ex parte non valet: quòd si dicas, textum illum, tantùm loqui de sub-vel obreptione per ignorantiam, vel per simplicitatem comissa, respondent id nullo jure probari. Verùm ad conciliandas has oppositas sententias, putârim, respondendum esse cum distinctione: vel enim partes omnes comprehensæ in rescripto sunt individuæ, ut dividi non possint, nec separari, nec separatæ existere, & in hoc sensu vera est prima sententia, & textus pro eadem adducti: vel partes sunt dividuæ, quæ dividi, & separari possint, & separatæ existere, & tunc vera est secunda sententia, quia partes illæ separabiles, æquè possunt seorsim existere, & censentur potiùs plura rescripta concessa à Principe, licèt in unum simul congesta, quapropter vitiata una parte independente ab aliis, neque secum trahente alias necessariò, & essentialiter, sed tantùm per accidens, quatenus omnes simul congeruntur in eodem Rescripto materiali, non vitiantur aliæ partes, quia juxta *Regul. jur. 37. in 6. utile non debet per inutile vitiari*, idque firmari solet exemplo instrumenti alicujus Notarii includentis plura Capitula, in quorum uno reperitur falsitas; tum enim Canonistæ, & Juristæ solent distinguere, an illa Capitula sint inter se necessariò, & essentialiter connexa, & tunc dicunt, totum instrumentum vitiari, ac esse reprobandum: vel Capitula illa sunt separata, nec unum dependet ab alio, & tunc respondent, non reprobari, nisi illud capitulum, quod est falsum: ita docent Glossa *in can. si ad scripturas v. quid in eis dist. 9.* & ibi Archidiaconus *n. 3. citans* Goffredum, Joannem Monachum.

Quòd si dicas, Rescriptum esse tantùm unicum, respondetur id verum esse materialiter, non verò formaliter, & virtualiter, quia formaliter, vel virtualiter, tot sunt Rescripta, quot capitula in eadem comprehensa inter se independentia, & quæ possunt separari. Si 26 dicas, tunc Rescriptum totum vitiari in pœnam

nam perversitatis, & malitiæ. Respondetur id expressè non haberi in jure, & cùm simus in pœnalibus non debet extensio fieri ad casus non expressos: perversitas autem, & malitia sufficienter punitur per hoc, quòd irritetur pars illa supra quam cadit dolus, tunc enim non indulgetur malitiæ hominis.

27 Quæritur decimoseptimò, an sub-vel obreptio vitiet Rescriptum, si cadat tantùm supra causam impulsivam? Diximus in præcedentibus, causam rescripti aliam esse motivam, quæ etiam finalis, ac principalis dicitur, ut etiam primaria, qua non existente Princeps minimè Rescriptum concessisset, vel saltem non tam absolutè. Aliam esse causam impulsivam, seu secundariam, & minus principalem, & qua non existente Princeps adhuc rescriptum concessisset, sed non ita facilè: & hoc esse discrimen inter utramque causam rescripti, quòd motiva sit de substantia concessionis: impulsiva verò solùm juvat, ut faciliùs concedatur rescriptum: vel ut tradit Panormitanus in *c. post translationem n. 18. de renunt.* Causa motiva, seu finalis, ea dicitur, quæ ex toto, & funditus animum movet disponentis, qui sine tali causa minimè rescriptum concederet. Causa verò impulsiva, seu secundaria, quæ impellit statuentem, & qua cessante adhuc statuens fuisset staturus?

28 Respondetur, sub-vel obreptionem, seu taciturnitatem veri, vel expressionem falsi, si contingat circa solam causam impulsivam non vitiare Rescriptum, ut comuniter docent Canonistæ cum Glossa *in c. ex parte 14. v. falsa de convers. conjug.* Layman. *lib. 1. tract. 4. c. 22. n. 20.* Covarruvius *lib. 1. varior. resolut. c. 20. n. 5.* Pirhing. *sect. 4. §. 4. n. 103. h. t.* Quòd verò subreptio, seu taciturnitas veri, si contingat circa causam impulsivam non vitiet contractum, desumitur ex *c. dudum 14. §. nos igitur de prebend. in 6.* ubi valor cujusdam Rescripti beneficialis evincitur ex eo, quia Papa cognita rei veritate adhuc illud concessisset, ibi: *Considerantes quoque, quòd nos exposito nobis de potestate prædicta nihilominus litteras gratiosas daremus*, huc etiam pertinet textus in *c. ult. de filiis Presbyter. in 6.* ubi pro ostendenda invaliditate cujusdam rescripti tacito quodam defectu, proinde veluti per subreptionem obtenti, assignatur ratio: quia cognita veritate, si talis defectus fuisset in supplicatione expressus Sedes Apostolica verisimiliter non dispensâsset, hinc juvat argumentari à sensu contrario: ergo valet dispositio, seu Rescriptum, quòd Papa etiam cognita rei veritate adhuc concessisset, id autem contingit, quoties taciturnitas veri cadit super causam solùm impulsivam.

Quòd etiam per obreptionem, seu narrationem falsi circa causam impulsivam non vitietur Rescriptum, desumitur etiam ex *l. si mulier C. de jure dotium.* ubi defectus causæ impulsivæ non impedit jus agendi, & id docent communiter Canonistæ cum Abbate in *c. post translationem n. 17. de renunt.* Ratio etiam ex eo petitur, quia cessante sola causa impulsiva non cessat effectus, seu dispositio. Præterea quia sub-vel obreptio, quæ fit tantùm circa causam impulsivam, sive per taciturnitatem veri, vel narrationem falsi non tollit voluntarium ex parte Principis concedentis, idque liquet ex natura causæ impulsivæ, quia hâc etiam remotâ adhuc concederetur Rescriptum, licèt non tam facilè, nec ita expeditè, proinde etiam cessante causa impulsiva Rescriptum suum fortitur valorem, quia ad validitatem rescripti sufficit sola potestas, & voluntas ex parte Principis concedentis *c. cum super 23. de offic. Deleg.*

Videtur tamen in contrarium posse objici, quia in quolibet rescripto semper, vel expressè, 29 vel tacitè subintelligitur clausula, *si preces veritate nitantur.* Ex quo videtur sequi, sub-vel obreptionem etiam circa causam impulsivam vitiare rescriptum. Quod verò præfata clausula semper intelligatur, liquet *ex c. 2. h. t. c. Sedes Apostolica 15. eod. tit.* Quia fraus, & dolus alicui patrocinari non debent *c. super litteris 20. h. t.* ubi habetur, *quòd mendax precator carere debeat penitus impetratis.* Sed contra, quia hæc, & alia jura tantum procedunt, si sub-vel obreptio contingat in substantialibus, seu in illis, ex quibus dependet voluntas Principis concedentis Rescriptum, adeò, ut cognita rei veritate Princeps rescriptum non concessisset: idque habetur, quoties sub-vel obreptio contingit circa causam motivam primariam, & finalem: secus est, si sub-vel obreptio contingat circa causam tantùm impulsivam, quia tunc non tollitur voluntarium, & Princeps veritate cognita adhuc concessisset rescriptum, licèt non tam facilè, nec expeditè: quod verò facilè, vel difficulter cito, vel tardè concedat rescriptum, sunt tantum modi adjacentes substantiæ rescripti, unde cùm non tollant voluntarium in Principe, neque destruant substantiam rescripti, non videntur illud irritare. Neque obstat, quod etiam ipsa causa impulsiva moveat Principem ad concedendum rescriptum, quia inde non sequitur, causam impulsivam esse motivam, seu primariam, & finalem: ratio est, quia causa impulsiva non movet ad substantiam rescripti, sed tantùm ad citiùs, vel faciliùs, ac expeditiùs concedendum rescriptum, quod ceteroquin cognitâ omni modo rei veritate adhuc Princeps concessisset: unde hoc est discrimen inter utramque causam motivam, & impulsivam, quia illa movet ad simpliciter ponendum rescriptum; hæc verò ad citiùs tantùm, & facilius, seu expeditiùs ponendum rescriptum. Vnde sine causa impulsiva Princeps difficiliùs quidem concederet rescriptum, sed quia adhuc illud daret, sequitur, quòd causa impulsiva tantùm moveat circa modum dandi.

Quæ-

30 Quæritur decimooctavò, undenam cognoscatur, quòd Princeps adhuc cognita rei veritate rescriptum concessisset; proinde ob-vel subreptionem contingentem tantùm circa causam impulsivam non irritare rescriptum. Respondetur, multipliciter id posse cognosci, ut docent Canonistæ præsertim Abbas in *c. quia circa n. 6. de consang. & affin. & ex c. postulâsti h. t.* Primò si in rescriptis dispensationis exprimatur unica causa, hæc procul dubio censenda est motiva, & finalis, ut notat *Abbas loc. cit.* quia Princeps non solet sine omni causa rescriptum concedere, nec multò minus cùm aliquo dispensare: quo fit, ut si in rescripto unica tantùm allegetur causa, hæc censenda est motiva, & finalis, quia tunc valet vulgatum effatum illud, *Ratio est semper anima legis can. consuetudo dist. 1.* Quòd si in eodem rescripto plures allegentur causæ, ea tunc est censenda motiva, & principalis, sine qua Princeps non præsumitur concessisse rescriptum; quomodo autem id præsumatur; conjiciendum est ex stylo Curiæ Romanæ: quòd si de illo non constet, tunc relinquitur arbitrio viri prudentis considerato jure communi, & consuetudine, & pensatis aliis circumstantiis, ex quibus verisimiliter potest conjectari de voluntate concedentis, ut notat Menochius *de arbit. judic. lib. 2. cas. 201. n. 24. & sequent.* Felin. *in c. super litteris n. 8. h. t.* Abbas *in c. ex conquestione n. 4. de restit. spoliat.* & desumitur *ex l. nam ut ait 12. ff. de legib.* Quòd si utrinque concurrant plura motiva, & sedula discussione omnibus examinatis, adhuc dubitetur, an causa subreptitiè allegata sit motiva, seu finalis, tunc in dubio præsumitur probabiliùs, quòd tantùm sit impulsiva, ut notat Dynus in *reg. decet. n. 6. de regul. jur. in 6.* Ratio est, quia quantùm possumus, debemus salvare valorem actus ob præsumptionem juris: unde si post maturam discussionem omnium circumstantiarum adhuc remanet dubium, causa tunc præsumenda esse tantùm impulsiva, & rescripti propterea validum, idque habetur in *l. quoties de actionibus. ff. de rebus dubiis* ibi: *quoties ambigua oratio est, comodissimum est, id accipi, quò res, de qua agitur magis valeat, quàm pereat.*

Quæritur decimononò, an motus proprius
31 tollat vitium subreptionis in rescriptis gratiæ? Notandū est, tunc rescripta concedi motu proprio, quando iisdem inserta est clausula *motu proprio 23. de præbend. in 6.* ibi *motu quoque proprio tunc solùm gratia fieri censeatur, cum hoc expressè cautum fuerit in ea*: unde gratiam concedi motu proprio, nil aliud est, quàm Principem nullius precibus, sed sponte, & proprii animi motu inductum esse ad gratiam concedendam. Respondetur, motum proprium tollere in rescriptis vitium subreptionis ob taciturnitatem veritatis necessariò exprimendæ, adeout rescriptum subreptitium, in quo expressa non fuit veritas necessariò exprimenda validum sit, si in illo inseratur clausula motu proprio, *c. si motu 23.* ibi: *Non ob hoc gratiam hujusmodi, quæ de nostra mera liberalitate processit invalidam volumus reputari. c. de præbend. in 6. Clement. si Romanus. 4. eod. tit.* & ita docent generaliter Canonistæ, eò quia in *dict. clement. si Romanus 4. de præbend.* dicatur valida provisio de beneficio cuipiam facta à Papa motu proprio; etiam non facta mentione in petitione, & rescripto de beneficiis priùs per ipsum obtentis, quæcunque illa sint.

Hinc aliud est, Papam concedere beneficium, & gratiam alicui motu proprio; & aliud 32
gratiam concedere ad instantiam, seu petitionem alterius: quia si concedatur motu proprio, tametsi in petitione, & rescripto taceatur veritas, vel aliqua circumstantia necessariò exprimenda, rescriptum gratiæ non est subreptitium, sed suum sortitur valorem beneficio adjectæ clausulæ *motu proprio*, quia hæc clausula tollit vitium subreptionis: secus quando gratia conceditur à Papa ad instantiam, seu petitionem alterius, si in petitione taceatur veritas, quæ necessariò est exprimenda, tale rescriptum gratiæ est subreptitium, ac irritum ipso jure, sive pro se, sive pro alio gratia fuerit impetrata *c. si motu proprio 73. in fin.* Quòd si Papa adhuc in litteris asserat, se motu proprio gratiam illam concedere, tunc censetur eam motu proprio concessisse, tametsi constet, eandem gratiam fuisse ab impetrante priùs petitam: ratio est, quia hujusmodi petitio præcedens non repugnat motui proprio, quia adhuc Pontifex potest ex proprii animi motu, & sponte induci ad talē gratiam concedendam, non verò ob præviam illam petitionem, quæ tunc non consideratur: & perinde se habet, ac si non præcessisset respectu concessionis gratiæ, ut notat Glossa in *d. c. si motu 23.* & Menochius *de arbit. Jud. cas. 24. n. 8.* Idque ampliatur primò quamvis clausula *motu proprio* adjiciatur à Legato Sedis Apostolicæ, ut comuniter docent Canonistæ cum Glossa in *c. ult. V. mentio de offic. Legat. in 6.* hinc valet collatio secundi beneficii non obstante taciturnitate alterius jam possessi. Quòd si, hæc duo beneficia sint curata, tunc datur optio impetranti, ut quod maluerit, retineat *c. gratia 7. de rescript. in 6.* quia per talem clausulam Papa, vel ejus Legatus non censetur dispensare in pluralitate beneficiorum incompatibilium *c. non potest. 21. de præbend. in 6.* Ampliatur secundò, ut effectus motus proprii locum habeat non solùm in beneficialibus, verùm etiam in omnibus rescriptis, & concessionibus gratiosis; in iis enim purgat etiam taciturninitatem, ac tollit vitium subreptionis; utrinque enim gratia dependet à mera voluntate Principis, ut notat Rebuffus in *prax. benefic. tit. de mand. Apostol. §. motu proprio effect. 29.*

Quæritur vigesimò, an sicut motus proprius tollit subreptionē in rescriptis, ita etiam tollat 33
vitium obreptionis. Notandum est discrimen inter vitium subreptionis, & obreptionis; quia illud committitur, quando in petitione, & rescripto tacetur veritas aliqua, vel circumstantia, quæ necessariò erat exprimenda, tunc enim rescriptum dicitur subreptitium ipso jure, nisi vitium tollatur per clausulam *motus proprii.* Vitium verò obreptionis tunc contingit, quando in petitione, & rescripto narratur aliquid, quod falsum est, ut si in litteris dicatur benefi-

cium esse simplex, cùm revera sit curatum, ut etiam si falsus valor exprimatur; ex quo liquet, vitium subreptionis differre à vitio obreptionis, quia illud est quid negativum, & consistit in sola taciturnitate veritatis; & vitium obreptionis est positivum, & consistit in narratione falsi. His positis respondetur, clausulam *motus proprii* non tollere vitium obreptionis in rescriptis, adeò, ut motus proprius non prosit, si fiat cum expressione causæ falsæ, sive talis causa falsa fuerit antea per supplicantem allegata; sive motus proprius cum expressione causæ falsæ sit sponte à Principe concessus nemine alio petente, ita docent communiter Canonistæ Barbosa *clausul. 79. n. 23.* Menoch. *de arbit. judic. cas. 201. n. 83.* Abbas *in c. quia circa n. 7. de consang. & affin.* Felinus *in eod. c. n. 9.* Ratio discriminis, cur clausula motus proprii tollat vitium subreptionis, non verò vitium obreptionis in rescriptis est, quia quando tacetur veritas, non movetur ab illa Papa ad concedendam gratiam: neque sciri potest, an benè informatus de rei veritate negaret gratiam; proinde etiam posito vitio subreptionis, adhuc gratia non potest dici concessa contra ejus mentem, seu intentionem: immo, cùm talis gratia tum ex mera Principis liberalitate procedat, ut conjicitur ex clausula *motus proprii*, potiùs præsumi debet, quòd Princeps etiam veritate cognita adhuc gratiam concessisset. Secus in vitio obreptionis, quando falsa causa narratur, & exprimitur, si ob illam gratia concedatur, satis apparet, gratiam hanc concessam fuisse contra intentionem, & voluntatem Papæ, vel Principis; & præsumitur, quòd Princeps motus fuerit ad concedendam gratiam ob narrationem, & expressionem falsitatis, cùm gratia fuerit concessa ex errore, seu falsa narratione. Præterea, quia ut concessio gratiæ valida sit, debet præcedere consensus concedentis: atqui quando Princeps ob falsam narrationem movetur ad concedendam aliquam gratiã, tunc non præsumitur consentire in talem gratiam, quia errantis nullus est consensus *l. non idcirco 9. C. de Juris. & facti ignorantia.* Tum quia clausula *motus proprii* non operatur, nec firmat gratiam concessam contra voluntatem, seu intentionem concedentis.

33 Quæritur vigesimoprimò, an motus proprius firmet gratiam, quando tacetur inhabilitas personæ, pro qua scribitur, ut si provisus de beneficio patiatur defectum natalium, vel vitium corporis, vel sit bigamus, vel careat legitima ætate, vel aliàs sit irregularis? Respondetur, hujusmodi defectus non suppleri, nec tolli per clausulam *motus proprii*, ut docent cum Glossa in *clement. si Romanus v. validam, de præbend.* Felinus *loco cit.* Menochius *de arbit. judic. cas. 201. n. 81.* Notandum tamen est, hujusmodi vitia personæ non posse objici per viam subreptionis contra illum, cui gratia concessa est: siquidem persona supponitur nihil petiisse, consequenter non commisisse subreptionem; proinde supponitur, quòd motus proprius emanaverit à Principe sponte, & nemine petente: sed defectus præfati personales possunt objici per viam juris communis: ratio est quia in jure communi Papa ex vi talis clausulæ non intendit dispensare: nisi quid addatur, ex quo conjici possit eum dispensare, ac velle impedimentum tollere, ut notat Glossa *in d. c. si motu 23. V. ab hoc addit.* Ratio itidem reddi potest, quia motus proprius non ampliat, nec extendit concessionem gratiæ, seu non firmat gratiam contra concedentis intentionem, ut notat Menochus *de arbit. judic. cas. 201. n. 81.* in dubio autem intentio concedentis gratiã præsumitur conformis juri comũni; nisi in rescripto, vel statuto aliud significetur: quapropter nec per clausulam *motus proprii* tollitur subreptitio, si taceatur qualitas respiciens jus tertii, ut quòd beneficium sit juris patronatus, vel quod sit unitum ab Episcopo alteri beneficio, vel quod statutũ municipale loci illi repugnet: ratio est, quia motus proprius non aufert jus alteri quæsitum, ut notat Felinus in *c. ad aures 8. n. 8. h. t.* Princeps enim non censetur velle alicui tollere jus legitimè quæsitum per quamcunque concessionem, vel rescriptum, nisi id exprimat *l. 2. §. si quis à Principe ff. ne quid in loco publico. c. quamvis 8. h. t. in 6.* ubi cùm Titius à summo Pontifice gratiam obtinuisset de beneficio sibi conferendo in ecclesia cathedrali, & idem Pontifex, vel ejus successor gratiam revocaverit: & postea similem gratiam Cajo Clerico ad eandem ecclesiam contulerit: & rursus Titius Clericus gratiæ revocatæ restitutionem ab eadem Apostolica sede impetrâsset: & interim in eadem cathedrali beneficium vacâsset, dubitatum fuit, Titius ne, an Cajus in ejus assecutione esset præferendus? Respondit Bonifacius VIII. esse Cajum præferendum, quia talis restitutio si aliud non exprimatur, censetur fieri sine præjudicio tertii: ex quo textu infertur, Principem nunquam censeri alicui gratiam concedere cum alterius jactura absque diminutione sui juris, nisi id exprimat.

Quæritur vigesimosecundò, an error irrepens in rescriptis circa nomen, vel pronomen vitiet rescripta, vel alias dispositiones? Respondetur negativè, dummodo constet de subjecto, vel re; & ita docent communiter, imò habetur decisum in *l. si in nomine. C. de testament.* ibi: Si nomine, vel pronomine, seu cognomine, seu agnomine Testator erraverit; nec tamen de quo senserit incertum sit: error hujusmodi nihil officit veritati: ubi Glossa fin. id etiam extendit ad errorem nominis legatarii *§. si quis in nomine instit. de legat.* Imò etiam ad errorem in nomine rei legatæ, dummodo de ipsa cæteroquin non ambigatur *l. si sortidianum c. de legat.* ut etiam ad errorem in vocabulo circa rem petitam in judicio, si de corpore conveniat *l. idem Pomponius 5. §. cum in rem ff. de rei vendic.* ubi Bartolus hoc etiam extendit ad errorem in nomine Judicis, & desumitur etiam ex *l. si quis in fundi vocabulo ff. de legat. 1.* Hæc tamen procedunt, dummodo constet de subjecto, vel re: alioquin si per talem errorẽ dispositio redderetur incerta, eò quia plures tali nomine etiam vocentur, ac proinde non appareret, de quo fuerit intentio disponentis, tunc rescriptum non valet, quia stante hanc incertitudine non 34

non potest quis certò scire, quænam sit mens disponentis. Cæterum hæc procedunt etiam in rescriptis;adeò ut hæc non irritentur per errorem in nomine, vel cognomine commissum, dummodo constet de persona, vel re, ut notat Felinus in *c. significante n. 1. b.t.* Ratio itidem desumitur ex eo, quia rescriptum non conceditur propter nomẽ; sed propter personam supplicantis,& qualitates eidẽ intrinsecas: unde si constat de persona,vel re, preces in petitione veritatẽ nituntur; & rescriptum suum sortiturvalorẽ.

36 Quòd si dicas,errorem in nomine Diœcesis irritare rescriptum Papale *c. significante 34. b. t.* ubi ob errorem in nomine Diœcesis fuit cassatum rescriptum, quod fuerat obtentum contra Vitum Diœcesis Remensis, proinde etiam errorem in nomine, vel pronomine impetrantis irritare rescriptum. Contra, est quia ideo fuit cassatum rescriptum ob errorem in nomine Diœcesis, quia in tali casu non constabat de corpore personæ, contra quam impetratum erat rescriptum. Præterea tale rescriptum fuit declaratum irritum, quia Judices distabant ultra duas dietas, ut censent alii. Præterea, quia Vitus citatus *in d. c. significante* à Judicibus, excipiendo posuit, se vigore illarum litterarum, non posse conveniri, eò quia non sit Diœcesis Remensis, sed Leodiensis, de qua litteræ illæ nullam faciebant mentionem: & quia Judices, hanc exceptionem nolentes admittere in causa processerunt, & Vitus ab iisdem appellaverit ad sedem Apostolicam; Gregorius IX. mandavit Decano, & Canonico ecclesiæ Leodiensis, ut si rem ita se habere cognoverint, in irritum revocent omnia acta à prioribus Judicibus post appellationem: unde est dispar ratio de errore in nomine diœcesis in *d. c. significante*, quia error non fuit in solo nomine, sed etiam circa personam.

37 Quæritur vigesimotertiò, quomodo rescriptum impetratum ad absolvendum excommunicatum mandari debeat executioni? Respondetur, quòd si rescriptum, seu mandatum dirigatur excommunicatori, ut absolvat excommunicatum dicentem fuisse talem excommunicationem latam sine formâ Concilii; & simul scribatur aliis deputatis Judicibus, ut Episcopo non obediente,aliiJudices mandatumApostolicum exequantur;debent, an res ita sit, Judices deputati cognoscere, & non Episcopus; quia hic de facto suo certus esse debet, idque desumitur ex *c. ab excommunicato 41. b. t.* Hinc si excommunicatus ad excommunicatoris superiorem de injusta excommunicatione querelam deferat, superior debet eum remittere pro absolutione ad excommunicatorem, delegatis Judicibus, qui causâ cognitâ eum absolvant, si excommunicator nolit absolutionem illi impertiri. Excipitur tamen dummodo periculum non sit in mora;vel si excommunicatio notoriè injusta sit. Tum enim ipse superior statim absolvit, vel declarat, nunquam fuisse ligatum excommunicatione, si excommunicatio non solùm injusta, sed etiam invalida fuerat. Ratio verò, cur excommunicatus ab Episcopo ordinariè remittendus sit pro absolutione ad excommunicatorem, est; quia regulariter cujus est ligare, est etiam solvere: non tamen remittitur ad excommunicatorem,ut ipse cognoscat de justitia excommunicationis, quia in causa propria non potest esse Judex, & ignorantia facti proprii ordinariè non præsumitur: unde talis remissio tantùm fit ut solvatur, à quo fuerat ligatus: idq; ad servandum honorem excommunicatoris, quia honestius est, si quis corrigat factum proprium, quàm si in eo ab alio corrigatur ut innuitur in *d. c. ab excommunicato 41. V. deferatur b. t.*

38 Quòd si excommunicator recuset absolvere excommunicatum, cognitio causæ devolvitur ad Judices delegatos, qui non debent priùs excommunicatum absolvere, quàm absolutionem petierit,& juramentum præstiterit,vel dederit aliam cautionem de parendo mandatis ecclesiæ,si constiterit eum fuisse justè excommunicatum *c. ad hæc 12. de sent. excomm.* postea Judices delegati procedunt in cognitione causæ juxta formam præscriptam in Concilio Lateranensi ,& si constiterit, excommunicationem fuisse justam, debent eum remittere ad excommunicatorem, ut ejus mandato obediat in causa, ob quam fuit justè excommunicatus. Sin verò cognoverint fuisse injustè excommunicatum, puniendus tunc est Excommunicator & delegati cognoscunt de causa principali, ob quam fuit excommunicatus, præsertim si ab excommunicatione fuerit appellatum, ut notat Glossa finalis *in d. c. ab excommunicato 41. b. t.*

39 Quæritur vigesimoquartò, an rescripta justitiæ expirent per mortem concedentis? Respondetur,hujusmodi rescripta ad lites re adhuc integra expirare per mortem concedentis; non ita si res non sit ampliùs integra: tunc res non dicitur amplius integra, quando judicium est inchoatum per citationem, ita communiter Doctores, & habetur in *c. licèt undique 30. de offic. deleg.* & ex *c. relatum 19. c. gratum 20. de offic. deleg.* Quòd per mortem concedentis re integra expirent rescripta justitiæ,& jurisdictio delegata,adeò verum est, ut id etiam procedat, tametsi delegatus mortem ignoret delegantis:tunc enim non valet processus postea per ipsum formatus, ut notat Speculator *tit. de Judice delegato §. restat videre n. 5.* Ratio est, quia jurisdictio nondum efficaciter transit in delegatum ante illius usum *c. quamvis de offic. deleg. in 6.*& quamdiu non inchoatur judicium, jurisdictio non est efficax, quia non ponit actum secundum: unde effectualiter adhuc supponitur existere in delegante: & hæc ratio est, cur re adhuc integrâ rescripta justitiæ per mortem delegantis cessent in delegato. Quòd verò dicatur cessare etiamsi delegatus mortem delegantis ignoret, id intelligitur,quando error communis non concurrit: alioqnin secus esset dicendum, si cum omnibus passim talem mortem ignorantibus concurrat simul error communis, quia tunc ex tali communi errore processus inchoatus valet,quia error communis tribuit jus *l. Barbarius ff. de offic. prætor.* Imò rescriptum justitiæ, ut etiam jurisdictio delegata expirat re integra cessante officio delegantis per

per renuntiationem, depositionem, vel translationem, ut notat Bartolus in *in l. more majorum n. 16. ff. de jurisdict. omn. judic.* quia est eadem ratio de cessatione officii facta dictis modis, ac de morte naturali, quia officium æquè finitur per mortem naturalem, ac per renuntiationem, & translationem. Non tamen cessat per excommunicationem, vel suspensionem, quia per has censuras non extinguitur jurisdictio delegantis; sed tantùm donec absolvatur à vinculo excommunicationis, impeditur exercitium suæ jurisdictionis, ut notat Francus *in c. si gratiosè n. 12. de rescript. in 6.*

40 Quæritur vigesimoquintò, an rescripta gratiæ, seu ad beneficia etiam expirent per mortem concedentis? Respondetur, Doctores procedere cum distinctione: si enim sermo sit de gratia jam facta, censent hujusmodi rescripta esse perpetua; adeò ut nec ipsa gratia, nec potestas dictæ gratiæ concessa executoribus expiret per mortem concedentis etiam re integra, & desumitur ex *c. si super gratia 9. de offic. deleg. in 6.* Idque ne gratia alicui jam facta reddatur postea inutilis: vel si opus esset, iterum adire Papam pro executione gratiæ sibi jam factæ, id non differatur in longius tempus. Secus si rescripta contineant gratiam primùm faciendam in alterius tantùm favorem, tunc rescriptum continens hanc gratiam expirat per mortem concedentis re adhuc integra *c. si cui nulla §. fin. 35. de praebend. in 6.* Ratio discriminis inter gratiam factâ, & faciendam est, quia quando rescriptum continet gratiam factam; illi, cui talis gratia facta est, jam fuit jus acquisitum, quod proinde per solam mortem concedentis non ampliùs aufertur. Secus si rescriptum contineat gratiam primùm faciendam; nulli adhuc fuit jus quæsitum; proinde gratia primùm facienda unà cum rescripto expirat per mortem concedentis re adhuc integra, seu nondum inchoata, nec executioni mandata.

Quæritur vigesimosextò, an, si gratia concessa sit ad beneplacitum personæ concedentis, expiret per mortem ipsius concedentis? Respondetur, talem gratiam expirare non solùm per mortem naturalem concedentis, verùm etiam per mortem civilem ejusdem; adeò ut si deponatur ab officio, vel illi renuntiet, gratia expiret, quia radix, ac facultas concedendi gratiam, aut perseverandi in hac voluntate est ipsum officium; adeò ut verba illa *ad beneplacitum* intelligantur, quamdiu concedens permanens in officio voluerit, ut notat Francus in *c. si gratiosè n. 11. h. t.* unde finito officio præsumitur cessare voluntas concedendi gratiam, quæ non conceditur nisi dependenter ab officio, & ex vi illius: unde cessante officio extinguitur ipsa gratia. Non tamen cessat si qui habet officium excommunicetur, vel suspendatur ab officio, quia tunc non privatur officio, sed tantùm impeditur, ne illud valeat exercere. Rescriptum tamen gratiæ à Papa concessæ cum clausula usque *ad beneplacitum* Sedis Apostolicæ non cessat per mortem concedentis, quia sedes Apostolica semper manet, tametsi Papa moriatur: quia non ratione personæ, sed officii vel dignitatis, concedit gratiam; & dignitas transit ad successores. 41

TITULUS IV.

De Consuetudine.

Quia non solùm ex Constitutionibus, & Rescriptis jus coalescit; verùm etiam ex consuetudine, quæ dicitur lex non scripta; & tunc recipitur cùm lex deficit *can. consuetudo. dist. 1.* ideo cum summus Pontifex in præcedentibus egisset de Jure canonico scripto, ejúsque partibus, subjicit nunc titulum de jure canonico non scripto; quòd dari constat *ex can. ecclesiasticarum, can. Nolite, & aliis dist. 11. & dist. 12.* Dicitur jus non scriptum, non quòd scriptura repugnet consuetudini: adeout si hæc scribatur desinat esse consuetudo, ac incipiat esse lex scripta: potest enim consuetudo scribi ab eo, qui authoritate caret condendi leges, memoriæ, vel probationis causâ; qua ratione traditiones Ecclesiæ, quæ ab Apostolis non fuerunt scriptæ, invenimus scriptas in operibus SS. Patrum; ex quibus probamus, eas fuisse à Christo, & Apostolis institutas adversus Hæreticos: sed dicitur jus non scriptum, eò quia à Legislatore non fuerit conditum, sicut cæteræ leges, neque scriptum. Hinc Jus non scriptum consistit partim

in

in traditionibus sumpto nomine traditionis specialiter pro doctrina non scripta; & partim in consuetudine itidem specialiter sumpta, & de qua in præsenti Titulo agitur.

SUMMARIUM EXEGETICUM

Omnium Capitum, quæ in hoc Titulo continentur.

C. *CONSUETUDINES* 1. *h. t. GREGORIUS in Registro declarat, nullius valoris esse illas consuetudines, quæ cognoscuntur esse Ecclesiæ gravamini. Nota, id intelligi de consuetudine onerosa, quæ notabiliter aggravat ecclesiam: quia Pontifex non permittit, Ecclesias indebitè gravari, ac lædi.*

C. *EX LITTERIS* 2. *h. t. INNOCENTIUS III. rescribit, eam consuetudinem validam esse, per quam ecclesia, vel locus Religiosus acquirit dominium, & possessionem rei, sine legali solemnitate.*

C. *AD NOSTRAM* 3. *h.t. Idem Pont. declarat, consuetudinem, in qua populus, in causis Ecclesiasticis fert sententiam, non valere: Sed Episcopum auditis partibus debere sententiam ferre in suos subditos. Nota, sententiam latam à Judice non suo, nullius esse valoris; nisi fortassis in causa reconventionis* can. Accusatores §. cujus in agendo 3. q. 8.

C. *QUANTO* 4. *h.t. Idem Pont. Probibet, ne simplices sacerdotes ex prætensa consuetudine conferant illa sacramenta, quæ ad solum pertinent Episcopum, ut sunt sacramenta Ordinis; & Confirmationis: & ait tutiùs esse, illa omittere, si non adsit Episcopus, quia collatio non tenet.*

C. *CUM INTER* 5. *h.t. Idem Pont. rescribit, eam consuetudinem nullius esse valoris, quà læditur, ac disrumpitur nervus ecclesiasticæ disciplinæ. Hinc habens privilegium tempore interdicti dicendi in ecclesia divina officia, non potest ob consuatudinem pulsare campanas.*

C. *CUM OLIM* 6. *h. t. Idem Pont. mandat, quòd si ex licentia Pontificis erigatur aliqua dignitas in Episcopatu, sit erigenda sine præjudicio aliorum, & salvis rationabilibus, ac approbatis consuetudinibus ecclesiæ; & erecta dignitas eum habeat honorem, & officia, quæ similes habent in locis vicinis. Nota sine licentia Papæ non posse constitui, aut erigi novam dignitatem.*

C. *CUM VENERABILIS* 7. *h. t. Idem Pont. mandat, imposterum non esse servandam consuetudinem, quà unus Abbas de uno Monasterio immediatè Pontifici subjecto transibat ad aliud ejusdem subjectionis sine licentia Papæ, aut ejus Legati: quia consuetudo, quæ sacris adversatur canonibus est corruptela. Nota Abbatem, vel Clericum subjectum Episcopo non posse, sine ejus licentia renuntiare officio* can. Abbas 18. q. 2. cap. admonet de renunc.

C. *CUM DILECTUS* 8. *h. t. Idem Pont. statuit, ut ex consuetudine approbata, quæ est legum interpres, licèt videatur præjudicari juri communi, possit introduci, ut una Ecclesia teneatur eligere sibi Abbatem, vel Prælatum ex gremio alterius ecclesiæ. Rursus ut suspensus non possit eligi, neque eligere. Nota cum Glossa ex consuetudine interpretari legem, & statutum Episcopi: & hunc non posse statuere, ut una Ecclesia eligat Prælatum de gremio alterius invitis Clericis.*

C. *CUM CONSUETUDINIS* 9. *h. t. HONORIUS III. declarat, capitulum sine consensu Episcopi non posse mutare constitutiones, & consuetudines approbatas ab Ecclesia, nec novas inducere; & has si inducat, nullius esse valoris. Nota ex Panormitano, non esse opus Episcopi consensu super rebus exiguis pertinentibus ad capitulum.*

C. *EX PARTE* 10. *h. t. Idem Pont. declarat, non valere consuetudinem, ut vir, qui bona sua dissipavit, possit bona uxoris expendere. Neque posse uxorem adulteram dimissam prætendere partem ex bonis viri. Nota cum Glossa, virum non posse alienare fundum dotalem uxoris, etiamsi ipsa consentiat, dummodo non juraverit contravenire venditioni: quia tunc venditio tenet* c. cum contingat de jure jur.

C. *CUM TANTO* 11. *h. t. GREGORIUS IX. declarat, naturali juri nulla posse consuetudine derogari. Imò neque longævam consuetudinem, quamvis non vilis sit ejus authoritas, posse præjudicium inferre juri positivo; nisi fuerit rationabilis, ac legitimè præscripta. Nota, jus naturale esse immutabile, ideóque, non posse ullam consuetudinem contra illud prævalere* can. flagitia 37. q. 1.

IN SEXTO.

C. *CONSUETUDINEM* 1. *h. t. BONIFACIUS VIII. reprobat consuetudinem licèt immemorialem, imò, & juratam, ut canonici in eadem Ecclesia possint sine dispensatione Papæ licitè obtinere duos Personatus; vel duas dignitates, aut præposituras, seu administrationes, aut duo officia, vel eorum alterum cum reliquo simul, & Præbendam. Mandat enim ut nulli liceat imposterum, nisi unicum officium cum præbenda sine dispensatione Apostolica in eadem ecclesia obtinere. Nota, juramentum non debere esse vinculum iniquitatis. Rursus dignitatem dici, quæ habet administrationem, & jurisdictionem simul: Personatum, qui in Ecclesia habet praeminentiam non jurisdictionem: Officium quod habet administrationem rerum sine praeminentia, & jurisdictione.*

C. *NON PUTAMUS* 2. *h. t. Idem Pont. decernit, non valere consuetudinem, quâ appellatur ab officiali Episcopi ad Episcopum, eò quia sit idem tribunal: Appellatio enim fit ad superiorem. Nota cum Glossa, officiali foraneo licitum esse appellare ad Episcopum; quia Officialis foraneus est subdelegatus, à quo ad primum delegantem licita est appellatio.*

C. *NON EST* 3. *h. t. Idem Pontifex declarat, non esse reprobandam consuetudinem canonicè præscriptam; quòd Episcopus in inquirendis*

puniendis, & corrigendis subditorum excessibus consilium sui capituli non teneatur requirere. Nota, quòd Pontifex per hanc Decretalem videtur corrigere aliam Decretalem in cap. novit de his, quæ fiunt à Prælato sine consensu capituli.

C. CUM IN TUA 4. h. t. Idem Pont. decernit, quòd si fiat rescriptum à Papa, ut quis provideatur de Præbenda primò vacatura in tali ecclesia; & consuetudo in eadem inducta sit, ut antiquiores possint optare vacantes præbendas; hæc consuetudo valeat, sitque servanda intra viginti dies, & quæ remanet sit pro providendo. Nota, excipi quando vacat in curia; quia non valet tunc consuetudo. Rursus nota, mandata de providendo super beneficiis vacaturis sublata esse per Concil. Trident. sess. 24. de Reform. c. 19. *adeò ut hodie hujusmodi mandata non sint ampliùs in usu.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

C. SUPER GENTES UNIC. h. t. JOANNNES XXII. Decernit Sedis Apostolicæ Legatos ab omnibus cujuscunque præeminentiæ, conditionis, & status fuerint, debere admitti: neque eos prætextu cujusvis consuetudinis, impediri quominus regna, provincias, & terras quaslibet, ad quas ipsos destinari contigerit, ingrediantur liberè; & legationis Officium exerceant in iisdem. Fertque sententiam excommunicationis ipso facto incurrenda in eos, qui ausi fuerint eosdem Legatos, vel Nuntios impedire: interdicitque loca quælibet, quæ tamdiu vult subjacere interdicto; quamdiu contumacia duraverit. Unde tollit omnem consuetudinem impediendi Legatos, & Nuntios Apostolicos sub excommunicatione, & interdicto loci.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid sit consuetudo, & quomodo inducatur.

1 Expensis iis, quæ videbantur pertinere ad jus scriptum in corpore juris comprehensum, agit summus Pontifex in hoc titulo de eodem jure non scripto, quod dari liquet ex *can. Ecclesiasticarum. can. nolite, & aliis dist. 11. & 12. ferè per totum*, comprehendit autem Jus hoc canonicum non scriptum traditiones, quæ habentur in Ecclesia, quatenus nomen traditionis tantùm designat doctrinam non scriptam; & ipsas consuetudines, quæ habentur in ecclesia. Differt consuetudo à traditione, quia hæc originem suam ex institutione alicujus juris, quod hominibus à legitimo legislatore datum est, ore tenus, & per verba, vel per continuum usum facti conservata est. Secus consuetudo oritur ex frequentatione actuum similium. Tum quia consuetudo regulariter introducit, & constituit novum jus: traditio verò non ponit, sed supponit jus antiquum, & potiùs vices subit promulgationis: cujusmodi sunt plura circa jus divinum, & leges, quas ab Apostolis accepimus. Hinc scripsit D. Paulus 2. ad Thessalonicenses: *tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem nostrum, sive per litteras.* Unde errant, qui traditiones Ecclesiæ contemnunt, quia sine ipsis vix aliquid certi haberemus in Ecclesia, nec possemus evincere, sacra biblia esse sacram scripturam à Deo derivatam. Differt etiam consuetudo à præscriptione, quia hæc fit inter privatas, & particulares personas cum damno unius, & lucro alterius: consuetudo verò est usus, & observatio totius populi, vel communitatis cum æquali omnium damno, vel lucro: unde licèt consuetudo dicatur præscripta, propriè tamen distinguitur à præscriptione.

Consuetudo, ut distincta à traditione, & præscriptione solet variè definiri. Justinianus Imperator eam definit: esse diuturnos mores consensu, & usu populi comprobatos, & in suis institutionibus luculenter hanc explicat definitionem. Isidorus autem *v. consuetudo dist. 1.* definit: esse jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur ad supplendum legis defectum: & in hac definitione jus est genus definiti, & cùm dicitur moribus institutum, quod pro lege suscipitur ad supplendum defectum legis scriptæ, assignatur differentia: lex autem censetur deficere, non solùm quando non est lata, verùm etiam, quando est ambigua, vel inutiliter posita, vel cum ratione non nititur, vel bonum commune non promovet: hinc non obstat, homines consuetudine uti, etiam lege non deficiente absolutè, ut liquet ex *c. cum dilectus h. t.* ubi habetur, quòd detur consuetudo corrigens legem, vel eidem derogans, vel præter legem, vel ipsi conformis. 2

3 Definitur igitur consuetudo jus non scriptum tacitis utentium moribus, seu repetitis humanis actibus introductum, mediante consensu tacito, vel expresso *l. de quibus 32. ff. de leg. §. 2. non scripto instit. de jur. natur.* Hinc consuetudo dupliciter sumi potest; primò quasi causativè pro ipso usu, ex frequentatis actibus, & tunc dicitur consistere in facto, quatenus frequentati illi actus fuerunt positi: secundò formaliter pro ipso jure, quod ex hujusmodi diuturno usu, ac frequentatis moribus, seu humanis actibus oritur; & in hoc secundo sensu dicitur consuetudo vim legis inducere, & obligare. Licèt consuetudo sit jus non scriptum desumptum ex hominum moribus,

bus, seu humanis actibus; non tamen, repugnat consuetudini postquam est introducta in scripturam redigi: siquidem etiam jus feudale dicitur consuetudinarium; & libri feudorum comprehensi in corpore juris vocantur consuetudines feudales, etiam postquam fuerint introductæ, scriptæ, ac insertæ corpori juris. Sufficit igitur si jus introductum ex vi consuetudinis in primo sui initio non processerit ex lege ulla scripta, nec præcepto aliquo legislatoris, sed ex usu, ac moribus, seu humanis actibus originem traxerit. Quando verò consuetudo vocatur mos, tunc propriè sumitur causa pro effectu, quia mores, seu repetiti actus humani causant jus illud, quo consuetudo dicitur obligare, quo pacto vulgò dicuntur homines sequi morem patriæ, seu consuetudinem: in quo sensu sumitur *in can. mos. dist. 1.* cùm dicitur, quòd mos sit longa consuetudo, seu reiterata, & diuturna frequentia actuum humanorum.

4 Consuetudo generatim definita bipartitur in canonicam, & civilem; & utraque in eam quæ est præter, juxta, & contra legem, seu jus. Consuetudo præter legem dicitur, quæ constituit novum ius, ubi lex deficit *can. consuetudo dist. 1.* & habet eandem vim obligandi ad sui observationem, ac ipsa lex scripta *l. de quibus ff. de leg.* Consuetudo juxta legem nullum constituit jus novum, sed tantum interpretatur jus dubium, & ostendit, quomodo sit agendum, & hæc consuetudo dicitur optima legum interpres *in d. l. de quibus* quod si consuetudo secundùm legem non inveniat jus dubium, tunc legem præexistentem confirmat, magisque roborat; ut liquet ex *c. sopitæ 14. de censibus.* consuetudo contra legem abrogat præcedentem legem humanam hoc est civilem, vel canonicam: dumodo inolita consuetudo justa sit, & rationabilis *c. ult. h. t. d. l. de quib. ff. de legibus.* non tamen consuetudo ulla potest tollere legem naturalem, aut divinam, quia jus naturale est immutabile. *§. sed naturalia instit. de jur. natur. & c. sunt quidam 25. q. 1.* quapropter nulla consuetudo potest prævalere contra jus naturale *c. cum tanta de consuetudine.* Ratio itidem est, quia cùm jus naturale, sit ipsa recta ratio dictans de honestate; omnis consuetudo, quæ illi adversatur est irrationalis, hoc est contra ipsam rectam rationem. Quòd neque consuetudo ulla possit derogare juri Divino, ex eo est perspicuum, quia inferior nec dispensare potest in lege superioris, nec contra ipsam aliquid agere *c. inferior. dist. 21. & Clement. ne Romani de elec.* quia inferior subjicitur superiori, & si posset quidquam agere contra legem ipsius, non ei subjiceretur, sed potiùs sibi illum subjiceret: siquidem posse agere rationabiliter contra leges superioris, supponit essentialiter potestatem supra leges superioris; proinde eminentiorem potestatem supra easdem leges: atqui homo est longè inferior Deo, ergo non potest per ullam inolitam consuetudinem derogare legi divinæ.

5 Quia verò consuetudo oritur ex frequentatione morum, seu actuum humanorum, oritur difficultas, quænam esse debeat hæc frequentia actuum sufficiens ad consuetudinem introducendam. Communiter docent, requiri actus frequentatos; sed quot debeant hi esse, non conveniunt Authores: quorum plures censent in causis criminalibus sufficere duos actus *c. 25. q. ult, can. fin.* in causis verò civilibus desiderari quatuor, *extra, de caus. possess. c. cùm Ecclesia.* Alii volunt pro causis civilibus etiam duos sufficere, dumodo isti judiciarii sint, aut notorii, quia ex consuetudine actus judiciarii constituunt actionem solitam, & consuetam: hinc *Jas. l. de quib. ff. n. 51.* asserit: duos actus in causis civilibus, si notorii sint ac judiciarii, sufficere ad introducendam consuetudinem. Quinimò Sylvester autumat, in civilibus posse consuetudinem oriri ex uno tantùm actu, si hic fuerit diuturnus, ut si quis pontem semel supra viam publicam construxisset, illo postea diruto, ait, quòd absque alio consensu Principis posset illum in integrum restituere; tametsi construere pontes in viis publicis ad solum Principem pertineat. Sed aliud est introducere consuetudinem, & aliud constituere personam habilem ad aliquid, licèt hoc secundum forsan posset concedi in allato exemplo; non ita primum: quia consuetudo habet vim legis obligantis totam communitatem, & essentialiter oritur ex frequentatione plurium actuum, non quomodocunque, sed qui sint notorii, & manifesti; adeò ut de illis constet non tantùm Principi, ut ipse saltem connivendo præbeat consensum tacitum, sed etiam toti communitati ut per hanc manifestationem promulgetur consuetudo inducens vim legis.

Quamobrem communis sententia asserit, ad introducendam consuetudinem requiri semper plures actus humanos. Nam posset consuetudo inchoari ab aliquo actu insigni, quem cæteri postea imitentur, non tamen ille solus sufficit ad introducendam consuetudinem, sed necessarii sunt plures alii similes notorii, tum Principi, tum communitati, ut liquet *ex l. 1. & 2. C. quæ longa consuet.* idque desumitur ex ratione Ethymologica, vocatur enim consuetudo, eò quia in communi fit usu *can. consuetudo dist. 1.* Tum quia usus est actus repetitius interpolatè, ut ait Bart. *in l. de quib. ff. de legib.* ex quibus liquet, unicum actum tametsi insignem non sufficere ad introducendam consuetudinem, licèt fuerit notus Principi, & toti populo; nisi fortassis esset successivus, ac duraret per diuturnum tempus, intra quod consuetudo censetur introduci *text. signific. in c. cùm de benef. de praben. in 6.* cùm igitur certum sit apud omnes, ad introducendam consuetudinem requiri plures frequentatos actus notorios Principi, & populo, & in neutro jure civili, & canonico determinatum sit, quotnam debeant hujusmodi actus esse, ut consuetudinem introducant, concludendum est, id relinqui judicio prudentis judicis. 6

Licèt

7 Licèt ad consuetudinem invehendam nonnulli asserant, necessarios esse prævios aliquot saltem actus judiciales, quod videntur desumere *ex l. cùm de consuet. ff. de legib.* Putarim tamen, hos actus judiciales non prærequiri necessariò ad omnem consuetudinem introducendam, quia authoritas rerum judicatarum non inducit consuetudinem, sed inductam approbat; qua propter *l. 36. de legib.* dicitur: quòd consuetudo secernatur à rerum judicatarum authoritate, per particulam *aut*, quæ est nota disjunctionis. Tum quia causa consuetudinis non est actus judicialis, sed consensus Principis, & populi, qui etiam extra actus judiciales possunt tacitè, vel expressè assentiri moribus inductis. Quamobrem ad inducendam consuetudinem non semper requiruntur actus judiciales, sed sufficiunt actiones vulgares.

8 Hi tamen actus necessarii ad introducendam consuetudinem debent esse voluntarii, absque prævio errore, & ignorantia; hinc si per vim, aut gravem metum communitas aliquid præstaret Principi, etiam per longum tempus; non propterea induceretur consuetudo, ut declaravit Rota Romana *in Ciennensi Portionis die 13. Novembris 1613.* neque introducitur per errorem facti, vel juris, si enim populus ex aliqua deceptione censuerit se obligari, aut dari causam, quæ verè non datur, non censetur obligatus; quia Consuetudinis obligatio oritur ex libera eorum voluntate, qui se voluerunt obligare, & ibi non est libera voluntas se obligandi, ubi irrepit deceptio, seu error, quia hic impedit liberum consensum: ut si supponatur inducta consuetudo celebrandi festum alicujus sancti in pago aliquo, eò quia ejus corpus censeatur ibi sepultum: si hæc opinio fuerit adæquata causa celebrandi festum, & postea constet, illam fuisse deceptionem, & talis sancti corpus revera ibi non esse sepultum, sed alibi, tunc consuetudo celebrandi festum censetur cessare, quia cessat causa adæquata illius.

9 Contingit subinde, ut à majoribus relinquatur posteris consuetudo ad aliquid agendum, vel omittendum, & oritur dubium, an posteri consuetudinem à majoribus introductam observantes excusentur à culpa? & respondetur affirmativè, adeò ut nec teneantur investigare de illius justitia, sed possint illam præsumere, quia ut notat Bart. in *l. de quib. ff. de legib.* quod ab omnibus fit, rectè fieri præsumitur: quod tamen intelligi debet, si præcesserit totum tempus ad præscribendam consuetudinem necessarium: quòd si consuetudo fuerit immemorabilis præsumitur justa, & rationabilis, tametsi esset contra dispositionem præcedentis legis, quia ratione diuturni temporis præsumitur adesse justus titulus.

10 Dubitatur tamen, an ex actibus judicialibus, quibus partes non acquiescunt, introducatur consuetudo, respondetur negativè: ex decisione *Rota Romanæ 301. n. 3. p. 7. recens.* quia quando partes non acquiescunt actibus judicialibus sententia non sortitur executionem, sed reperit obstaculum pro suo effectu: consequenter non intervenit consensus, quo communitas mediante parte admittat actum, ut inductivum consuetudinis: requiritur ad consuetudinem inducendam consensus saltem tacitus populi, ut liquet *ex l. de quib. ff. de legib.* Cùm sit consuetudo jus quoddam moribus institutum *c. consuetudo dist. 1.* exigit necessariò consensum saltem tacitum: quia non potest quidquam moribus institui in communitate, nisi interveniat ejusdem consensus.

Hinc sententiæ invalidæ valent consuetudinem etiam inducere, dummodo partes acquieverint, tametsi sententia invalida non sit sententia, nec mereatur sententiæ nomen *l. 4. §. condemnatum ff. de re judic. & clement. pastoralis de sent. & re judic.* quia eò ipso quòd sententia est nulla, non habet formam sententiæ, proinde non est sententia, nec ut talis potest quidquam præstare, quod enim non est, nec potest agere: si igitur sententiæ nullæ, dummodo partes acquieverint, inducunt consuetudinem, id procul dubio habetur ratione solius acquiescentiæ; quâ sublatâ neque sententiæ legitimæ inducerent consuetudinem. 11

Si quæras, an per non usum possit consuetudo introduci? Respondetur negativè, quia cùm sit consuetudo communis actuum repetitio, & introducatur moribus utentium *c. consuetudo dist. 3.* non potest per non usum introduci. Tum quia consuetudo negativa non habet vim legis, si fit cùm exclusione consuetudinis positivæ: quia consuetudo ut habeat vim legis, debet positivo modo introduci, sicut positivè ponitur lex. 12

§. II.

Quinam possint consuetudinem introducere, & illâ obligari.

Certum est, consuetudinem posse introduci ab iis omnibus, quibus inest jurisdictio, & potestas condendi leges, quia sicut consuetudo imitatur legem, in eo, quod vim inducat obligandi; ideò, qui possunt leges condere, possunt & consuetudinem introducere: unde communitas accedente consensu tacito Principis potest consuetudinem inducere. Imò, non est necesse, quòd tota communitas exerceat illam actuum frequentiam, quæ prærequiritur ad consuetudinem inducendam, sed sufficit, si à majore parte communitatis tales actus ponantur. Quinimo, si consuetudo fuerit contra legem priorem, & minor pars seniorum prudentiorum, ac præcipuorum civium sciente Principe, aut superiore recipiat talem consuetudinem; nec princeps, cùm possit, illos non puniat, adeò, ut videatur tacitè assentiri, adhuc talis consuetudo indueret vim legis, quia tametsi numerus sit minor, quoad quantitatem, est 1

est tamen major quoad qualitatem,& cùm Princeps tacitè assentiatur, tenentur cæteri consuetudinem inductam servare, unde, si consuetudo hæc introducta fuerit in aliquo oppido,omnes oppidani tenentur illam servare, ut etiam si in aliqua civitate omnes cives, & si in aliquo Regno omnes ex tali regno.

2 An verò mulieres, & præsertim moniales possint consuetudinem introducere, videtur adesse aliqua difficultas; quia licèt mulieres sæculares non censeantur capaces ad inducendam consuetudinem; moniales tamen, quia constituunt specialem communitatem seorsim à quacunque alia, videtur, quòd possint consuetudinem introducere, quæ habeat vim obligandi.

3 Putàrim tamen dicendum,nullam consuetudinem, licèt temporis diuturnitate inolitam, ac firmatam intra claustra monialium inducere vim legis, ac obligare; siquidem carentes jurisdictione, ac potestate condendi leges, non possunt consuetudinem inducere, quæ habeat vim legis in ordine ad obligandum, ut docent Bart. *Consil. 136.* Tiraquel. *tractat. de primogenit. q. 16. n. 2.* Gregorius XV. *decisione 162.n.2.* atqui moniales, tametsi in communi viventes intra claustra, non tamen habent jurisdictionem, & potestatem condendi leges: ergo neque possunt consuetudinem introducere, quæ habeat vim legis. Idque ex eo firmatur, quia consuetudo ex se non habet vim obligandi, sed illam ab eo accipit, qui potest obligare; sed ille tantùm potest obligare, cui inest jurisdictio, & potestas legislativa: per hoc enim, quòd condat novas leges, imponit novas obligationes. Communitas autem mulierum non est ex illis communitatibus, quæ habent jurisdictionem, & facultatem condendi leges; sed communitas Monialium subjicitur superiori Ecclesiastico,vel Ordinario:& communitas mulierum sæcularium, secundùm suam naturam etiam subjicitur, exigens extrinsecùs, à quo regatur, & juxta Dei institutionem subjicitur viris: ergo ex eo, quòd communitas mulierum, sive religiosarum, sive sæcularium non habeat jurisdictionem, nec jus condendi leges,non potest consuetudinem inducere, quæ habeat vim legis, ut præ cæteris docent Bart. *in l. 1. ff. de legib.* Abbas *conf. 53. n. 1. p. 2.* & *in c. cùm tanto n. 8. de consuet.* Bald. *in l. fin. de legib.*

4 Quamobrem, si in electione Abbatissæ, aut quacunque alia electione moniales introduxerint actum præter illos, qui præscribuntur à SS. Canonibus, vel ab earundem regula approbata; nunquam talis actus, quamvis pluries fuerit repetitus potest rationem consuetudinis inducere, quæ habeat vim obligandi ob defectum jurisdictionis in communitate monialium.

5 Præterea, si aliquæ mulieres ita vitam instituerent, ut in communitate claustrali viverent, absque ulla regula approbata à superioribus, vel cùm regula imperfecta, quæ non præscriberet de omnibus: nil,quod supra regulam approbatam introdutitur, potest ullo tempore inducere rationem consuetudinis obligantis,eò quia quidquid illud sit, nunquam erit habiturum vim ab iis, qui possunt jurisdictionem communitatis exercere: siquidem omnis communitas religiosorum, sive virorum, sive fœminarum unicè dependet à Sede Apostolica, à qua per approbationem desumit esse religiosum. Hinc Abbatissæ licèt habeant potestatem præcipiendi monialibus in virtute obedientiæ, quæ sunt circa regulam, non possunt præcipere in eadem virtute, quæ sunt extra regulas: quia extra illas nulla consuetudo habet vim obligandi, nec rationem legis. Nec moniales, quæ profitentur secundùm regulam, se obligant per votum obedientiæ ad consuetudines extra regulas; quia se tantùm obligant ad ea, quæ habent rationem regulæ, & vim obligandi ex approbatione superiorum.

Neque urget, quòd moniales dicantur intra clausuram constituere communitatem: quia hæc est tantùm imperfecta, & materialis, ipsi enim deest vera forma communitatis, quæ est jurisdictio, & potestas legislativa: & cùm hæc formà non concurrat ad actus, quibus inter moniales inducitur consuetudo, nequit eidem communicare vim obligandi. Opposita sententia est tamen etiam probabilis, quia licèt verum sit, quòd mulieres regulariter nequeant introducere consuetudinem generalem obligantem omnes, etiam viros: mihi tamen videtur probabile, posse per mulieres introduci consuetudinem habentem vim eas obligandi: ut si in aliquo loco esset jam inolita consuetudo, quâ mulieres diebus singulis sabbathinis interessent sacro in honorem Beatæ Virginis, vel jejunarent feria sexta in memoriam dominicæ passionis. 6

Pueri, Ebrii, Amantes, & alii hujusmodi, sicut non sunt habiles ad præstandum consensum; ita neq; ad consuetudinem inducendam; neque major pars ex parte istorum est computanda, quia consuetudo habens vim legis non introducitur, nisi per frequentatos mores, seu actus humanos, supponentes voluntarium, ac liberum consensum, quo cùm careant pueri, amentes, & ebrii, non sunt capaces consuetudinis inducendæ, quæ induat vim legis. 7

Cæterum consuetudo inolita in aliquo loco obligat omnes subditos ejusdem loci: in hac enim parte consuetudo æquiparatur legi, quæ sicut obligat subditos, ita & consuetudo legitimè introducta: & sicut lex extra territorium, pro quo fertur non inducit ullam obligationem, ita neque consuetudo, quoad vim obligandi se extendit ultra ipsam, quæ propterea si fuerit universalis, & totius Ecclesiæ, obligabit indistinctè omnes Christianos: si solius regni, omnes tantùm ex illo regno, et sic cum proportione de cæteris communitatibus, & locis; habetur enim regula generalis, quâ consuetudo unius communitatis non dicitur alteram obligare; quia sicut una non habet jurisdictionem in alteram; ita nec potestatem imponendi alteri legem, aut illam obligandi per inolitam consuetudinem: hâc ratione consuetudo Episcopatûs Romani, ut est particularis Ecclesia, non obli- 8

obligat alias Ecclesias, ut rectè notat Panormit. *ad c. fin. de fer.*

Si opponas *c. super eo de cognatione spiritua-*
9 *li*, ubi cuidam Episcopo præcipitur, ut inquirat consuetudinem suæ Metropolitanæ Ecclesiæ, & aliarum circumjacentium, & ut diligenter eas imitetur: ex quo videtur deducendum, quòd consuetudo unius Diœcesis aliam obliget, præsertim, si fuerit consuetudo Ecclesiæ Metropolitanæ. Contra est, quia nulla est ratio, cur magis consuetudo unius Diœcesis debeat aliam obligare, quàm quòd propria statuta unius Ecclesiæ obligent aliam; & sicut statuta unius aliam non obligant, eò quia non sint propria illius; ita neque consuetudo, quæ invaluit in una Diœcesi, aliam obligat. Neque obstat præfatus textus *c. super eo.* quia ibi tantùm est sermo de consuetudine obligante totam Provinciam: & cum alicui speciali Diœcesi, quæ pertinent ad totam provinciam non innotuerint, eò quia à multo tempore non fuerit in tali Diœcesi consuetudo illa ad praxin deducta: vel quia aliquid eidem contrarium fieret: hinc voluit Pontifex, ut Episcopus illius particularis diœcesis alios finitimos, & maximè Metropolitanum inquireret, & consuetudinem vigentem in cæteris provinciæ partibus diligenter observaret.

10 Si quæratur, an consuetudo laicorum se extendat ad Clericos, quoad vim obligandi? respondetur, quòd si consuetudo fuerit in materia civili, quæ vim suam debet sortiri ex consensu Principis sæcularis, non se extendit quoad vim obligativam per se loquendo ad Clericos; quia sicut Princeps sæcularis etiam per expressam voluntatem nequit clericos obligare; multò minùs per tacitam: quinimo cautum est, ne clerici consentiant in aliquam subjectionem contra Ecclesiasticam libertatem. Sin verò consuetudo fuerit in materia mixta, pertineátque ad utramque politiam, civilem, & Ecclesiasticam, & per utriusque Status homines servetur, tunc licèt consuetudo laicorum non se extendat ad obligandos clericos; sunt tamen duæ consuetudines, ac duo jura, unum civile habens vim obligandi à consensu expresso, vel tacito Principis laici; & alterum Ecclesiasticum habens vim obligandi à consensu superioris Ecclesiastici, & hoc secundo jure obligantur Clerici. Sin autem materia sit spiritualis, ut jejunium, festivitas alicujus diei, & aliud id genus tendens ad bonum animæ, ac Dei cultum promovendum; tunc unica tantum est consuetudo, quæ simul obligat Clericos, & laicos, & vim suam obligatoriam desumit ex concessa potestate superioris Ecclesiastici, exercentis jurisdictionem in omnes Christi fideles. Quamobrem consuetudo laicorum non potest Clericos obligare, nisi accesserit consensus expressus, vel tacitus superioris Ecclesiastici.

An verò consuetudo obliget Principem, vel
11 senatum supremum, est eadem ratio, ac de legibus, vel statutis scriptis: siquidem consuetudo est vera lex, licèt non scripta; & ab eadem potestate, ac jurisdictione procedit, & solùm differt in modo, qui quoad substantiam non variat vim obligandi: unde quæ diximus de lege, applicanda sunt consuetudini.

§. III.

Quomodo consuetudo, ut obliget, debeat esse rationabilis, & qualis intentio in se obligantibus requiratur.

Consuetudo, ut vim legis induat, necesse est, sit justa, & rationabilis; siquidem *consuetudo præcedens, & ratio, quæ illam suasit custodienda est* ut rescripsit Imperator *l. 1. C. quæ sit longa consuet.* & textus sunt *in l. quod non ratione ff. de legib. c. ult. h. t. c. 2. eod. Tit. in 6.* Difficultas est, qualis debeat esse consuetudo, ut dicatur rationabilis, Abbas *in c. de consuet.* & Wesenbechius *in paratitlis de leg. n. 6. ver. materia circa quam*, & alii censent, hanc consuetudinis rationabilitatem esse desumendam à fine bono, vel malo, proinde esse relinquendam arbitrio prudentis judicis. 1

Communior sententia asserit, illam consuetudinem rationabilem non esse, quæ juri naturali, aut divino adversatur, ac discrimen inducit salutis *c. fin. de præscript.* adeò, ut nunquam censeatur consuetudo rationi dissonans, nisi juri divino, & naturali refragetur: eò enim ipso, quòd conscientiam laxat, & ad peccatum viam sternit, non potest vim legis induere, & in jure canonico reprobatur: habetur enim *in c. cum venerabilis 7. h. t. & c. 1. eod. in 6.* loquendo de consuetudine aperiente viam ad peccatum *nulla obstante consuetudine, quæ potiùs corruptela est dicenda:* vocant enim SS. Canones hujusmodi consuetudinem emollientem viam ad peccatum corruptelam. 2

Consuetudo tunc censenda est irrationabilis, quando continet aliquid dissonum honestati, ut liquet *ex c. decorem de vita. & honestate Clericorum:* Siquidem, quidquid honestum est, commensuratur regulis rectæ rationis, consequenter quidquid adversatur honestati, est contra regulas rectæ rationis, consequenter irrationabile. Hinc per consuetudinem irrationabilem non derogatur legi, quia talis consuetudo non prævalet contra legem *c. fin. de consuet.* ut notant Archidiac. *in c. postulâsti n. 2. de foro compet.* Natta *in c. cùm dilecto n. 27. & alii:* qua propter consuetudo irrationabilis, ut corruptela, est potiùs extirpanda, ut liquet *ex c. cùm venerabilis de consuet.* 3

Quamobrem illa est consuetudo rationabilis, quæ conformis est rectæ rationi, & regulis honestatis. Neque adversatur juri naturali, aut divino. Quòd si dicas: omnem consuetudinem contra legem introductam, esse irrationabilem, eò ipso, quòd lex debeat esse rationabilis: etenim si lex fuit justè, & rationabiliter lata, consuetudo, quæ eidem adversatur non potest non esse irrationabilis: hinc consequens est, ut quævis consuetudo contra legem introducta, videatur irrationabilis. Contra est, quia licèt verum sit, omnem legem debere esse rationabilem secundùm considerationes 4

nes, & circumstantias illius temporis, quo sancitur; & juxta mores illius specialis populi, ad cujus bonum dirigitur, non tamen debet esse rationabilis, secundum omnes considerationes, & circumstantias, quæ possunt in futurum obtingere, ut liquet ex *c. alma mater de excommun. in 6. & in extravagan. Joan. XXII. & in extravagan. 2. & 3. de verb. signif.* cùm igitur circumstantiæ varientur, potest lex, quæ antea suam præferebat utilitatem, illam exuere, & potest consuetudo contra illam prævalere, eò quia plus adferat utilitatis, & commodi: quia, ut ait Greg. Papa *in c. fin. h. t. licèt consuetudinis non sit vilis authoritas, non tamen valitura contra legem, nisi sit rationabilis*: unde, si consuetudo rationabilis non sit, nullam habere potest authoritatem, bene tamen, si fuerit rationabilis: est consuetudo irrationabilis, quando adversatur honestati, quòd potest dupliciter contingere.

6 Primò, si actus, quibus inducitur consuetudo sint contra rectæ rationis dictamen, postquam in consuetudinem jam abierunt, & in hoc sensu non dicitur consuetudo per se adversari honestati, sed esse causa actuum adversantium honestati. Secundò, dicitur consuetudo esse dissona honestati secundùm illos actus frequentatos, quibus inducitur, & hoc pacto dicitur irrationabilis, & corruptela. Cæterùm consuetudo contraria legi, ut sit rationabilis, debet esse consona honestati, & expediens bono communi. In dubio verò, an consuetudo contraria legi sit rationabilis, præsumenda est talis, quia in dubio consuetudinis jam introductæ est judicandum in favorem ejusdem: sin verò dubium sit, an consuetudo sit à lege prohibita, aut reprobata, tunc judicandum est in favorem legis, & consuetudo, ut irrationabilis est reprobanda, quia reprobatio consuetudinis facta à lege, est certa, & non potest à dubia honestate vinci.

7 Si consuetudo fuerit de re gravi, & observatu ardua, & nihilominùs à populo servetur, tunc censenda est introducta cum animo se obligandi, ut communiter docent authores. Non tamen est necessè, ut quævis consuetudo introducta cum animo se obligandi sit de re gravi, & observatu difficili, & quæ communiter servetur: siquidem dantur plures consuetudines, quæ vim legis obtinuerunt, tametsi non sint de re ardua, & observatu difficili, & quæ communiter non servantur, ut est consuetudo; quòd pater filio impuberi eligat sepulturam: hæc enim electio non est res gravis, nec ardua, nec ab omnibus servatur, & nihilominus habet vim legis, quatenus dat patri jus eligendi sepulturam filio impuberi: consuetudo itidem adhibendi minorem numerum testium, quàm septem, valida est, ut notat Bart. *in l. omnium C. de testament.* ratio est, quia in ordine ad solemnitatem actûs, attenditur consuetudo regionis *l. 1. in fin. ff. de ventre inspiciendo*, & nihilominùs hæc consuetudo habet etiam vim legis, quia æquiparatur statuto *l. omnis populi ff. de just. & jur.* & tamen hæc consuetudo, nec difficilis est, nec ab omnibus servatur.

An verò, quando viri timorati malè sentiunt de transgredientibus consuetudinem, signum sit quòd obliget, ac fuerit consuetudo introducta cum animo se obligandi: mihi videtur non semper esse signum talis obligationis, quia plerumque contingit, etiam viros timoratos malè sentire, & populum scandalizari etiam de illis, qui non servant consuetudines, licèt non obligent: quo pacto scandalum daret, qui ad pulsum meridianum, vel vespertinum æris campani nunquam recitaret salutationem Angelicam: qui ingrediens Ecclesias nunquam aqua lustrali se aspergeret: & nihilominus hæc, & alia id genus non obligant, cum fuerint introducta ex sola pietate, & devotione. Neque ratio scandali obstat, quia hoc potest oriri aliunde: sic viri timorati malè sentirent de illo, qui nunquam recitaret ad communem pulsum æris campani salutationem Angelicam, non quia putarent eum per talem omissionem peccare, non servando consuetudinem; sed quia inde inferrent animum malè dispositum erga cultum Virginis Matris. Quamobrem cùm scandalum possit aliunde oriri, quàm ex non observatione consuetudinis: ideò non est dicendum, quòd semper consuetudo introducta, cujus transgressio sit causa scandali, vim habeat obligandi.

Quinimò etiamsi materia consuetudinis multùm conferat ad utilitatem Reipublicæ, non semper censenda est introducta cum animo se obligandi: etenim plurimum adfert utilitatis Reipublicæ, si erigantur montes pietatis ad mutuandum pauperibus, non tamen ulla contrahitur obligatio erigendi, ac manutenendi hos montes: plura etiam fiunt vel ex mera liberalitate, vel magnificentia, quæ plurimum adferunt commodi Reipublicæ, & tamen nullam inducunt obligationem, licèt frequenter, & ex consuetudine fiant: quia obligatio est vinculum, quod ligat voluntatem; proinde debet oriri ab aliqua virtute ligandi: & quando voluntas merè liberè se movet, non se ligat, quia libertas potiùs vinculum solvit: neque voluntas, quæ liberè operatur, censetur ab aliquo ligata, alioquin non operaretur ex mera libertate. 8

Cæterùm consuetudo, ut vim legis induat, exigit introduci cum animo se obligandi, quia non potest vim legis habere, nisi conditiones participet legis; una autem ex conditionibus legis est, ut lata fuerit à legislatore ad obligandum populum; quapropter etiam consuetudo debet introduci cum animo se obligandi, ut hanc participet conditionem: non enim actus voluntatis plus operantur, quàm velint operari, *l. voluntaria C. de excus. tut. & l. fin. C. ne uxor pro marit.* Qualis autem esse debeat hic animus se obligandi, docent communiter, debere hunc animum esse communem, & ad ipsum fundandum sufficere tacitum consensum eorum, qui sunt de communitate; non quatenus sunt personæ privatæ, sed prout censentur membra ejusdem, eò quia ad ipsos pertineat promovere, ac conservare bonum publicum, quia, ut consuetudo induat vim legis, debent, qui illam introducunt, imitari legislatorem, ac respi- 9

respicere bonum communitatis, perinde, ac legislator illud promovet suis legibus: proinde, qui sunt de communitate, & in officiis constituti, ut introducant consuetudinem, debent tanquam membra communitatis habere animum se obligandi in ordine ad bonum commune promovendum, vel conservandum. Hæcque exigentia boni publici promovendi, vel conservandi, est, quæ movet omnes subditos ad tacitum consensum se obligandi in ordine ad talem consuetudinem: quia cuilibet ex Republica est à natura inditum, quod ad ipsum tanquam ad membrum communitatis pertinet, scilicet studere bono communi: proinde cùm primum populo offertur, quòd bonum communitatis hoc, vel illud exigat; oritur in eodem quoddam judicium rationis dictans hoc esse faciendum, quia ita exigit bonum commune.

10 Hinc animus se obligandi in consuetudine introducenda, non oritur omnino ex libertate, sicut animus se obligandi in voto; sed alligatur ipsi objecto, seu materiæ consuetudinis, in qua radicatur, quatenus hæc est talis, ut exigat à membris communitatis talem obligationem: quia sicut consensus debet esse à membris cummunitatis, ut talia sunt; ita etiam animus se obligandi debet esse à membris, ut talia sunt: & cùm membra non moveantur, nisi ut partes corporis, consequenter, nisi ex motione finis totius corporis; ita animus se obligandi, ut sit publicus, & membrorum totius communitatis debet causari à fine communitatis, seu bono ejusdem: hinc est, quòd materia consuetudinis debeat talis esse, ut bonum commune exigat, quòd membra ad ipsum se obligent, tanquam aliquod necessarium pro bono communi promovendo, vel conservando: hæc enim est etiam materia legis, cujus vim consuetudo induit: est enim consuetudo lex non scripta, consequenter exigit easdem conditiones, quæ legem concomitantur; & quia præ cæteris conditionibus lex exigit, ut sit circa materiam necessariam habita ratione boni publici, ut liquet ex *c. erit autem dist. 4.* ita consuetudo hanc eandem exigit materiam.

11 Quæri solet, an per non usum possit consuetudo introduci, quæ vim habeat legis? & respondetur: non posse per non usum directè inferri talem consuetudinem, quia hæc à solo usu introducitur, & eatenus induit vim legis, & acquirit robur legis, quatenus est in usu: indirectè tamen videtur per usum contrarium posse introduci consuetudo induens vim legis; siquidem potest non usus usum contrarium secum trahere, ut si præcipiat aliquid fieri: vel statuat præceptum affirmativum, contra quod prævaleat ejus non usus, tunc cessatio à tali opere, & non usus, dicitur esse quidam usus, quod tamen intelligendum est, quando cessat usus præcepti occurrentibus occasionibus, & materia agendi; quia tunc populus in aliis occupatur: Cæterum non usus, ut præcisè est non usus, & non æquivalet contrario usui, nec illum involvit, nunquam censetur sufficiens, ut legi deroget per introductam consuetudinem, quia hæc propriè est usus, & non potest consistere in non usu sumpto simpliciter, & præcisè.

§. IV.

An ad stabiliendam consuetudinem requiratur consensus Principis, & an expressus, vel tacitus.

Nulli dubium, quin extra statum popularem, ad firmandam consuetudinem, 1 requiratur consensus superioris: etenim cùm sit consuetudo lex, licèt non scripta, habeatque vim obligandi, firmari, & stabiliri non potest, nisi ab habente potestatem legis condendæ: difficultas est, an in singulis casibus particularibus requiratur etiam consensus Principis, seu ejus scientia, & tollerantia; vel sufficiat solus ille consensus generalis, qui in utroque jure in ipso titulo de consuetudine conceditur omnibus consuetudinibus generatim sumptis, dummodo istæ fuerint rationabiles.

Communior sententia asserit, nullum alium requiri consensum præter hunc generalem tra- 2
ditum in textibus *in c. fin. de consuetudine, & in l. de quib. ff. de legib.* in quibus dicitur: quòd consuetudo rationabilis, & legitimè præscripta, possit legi derogare. Hinc censent, non esse necesse, quòd princeps in quovis casu particulari semper ad stabiliendam consuetudinem suum præbeat consensum; sed sufficere consensum illum generalē tacitum per ipsum jus: eò quia jure scripto statutum sit, quòd quævis consuetudo, dummodo sit rationabilis, & legitimè præscripta induat vim legis. Hinc volunt, consuetudinem rationabilem, & præscriptam habere vim legis, tam civilis, quàm Ecclesiasticæ absque alio speciali consensu Pontificis, vel Principis: eò quia specialis hic consensus censendus sit inclusus in illo consensu generali, qui datur per ipsum jus, per quod Princeps censetur continuò loqui. Imò censent ad inducendam novam consuetudinem habentem vim abrogandi legem non desiderari consensum Pontificis, tametsi sit circa sacramentalia; eò quia jam Pontifex generaliter decreverit *c. fin. de consuet.* posse per quamlibet novam consuetudinem, legem statui, & abrogari: dicunt, hanc voluntatem supponere tacitam scientiam, & tolerantiam consuetudinis imposterum legitimè introducendæ.

Alii verò docent, non sufficere generalem illam voluntatem, quâ Princeps in *d. c. fin. de consuet. & in l. de quib. ff. de legib.* asserit con- 3
suetudinem rationabilem, & legitimè præscriptam posse legi derogare: quia si actibus populi inducitur consuetudo, penes quem est potestas condendi leges, jam est specialis consensus legis, & non generalis; & dicunt in *d. c. fin.* solùm tradi generalem doctrinam explicantem vim consuetudinis approbatæ à Principe; à quo sicut persæpe non omnis consuetudo probatur, sed aliæ probantur, &

& aliæ tantùm permittuntur, ideò dicunt, non posse ob universalem illam doctrinam præsumi in quavis consuetudine approbationem Principis: & quia consuetudo specialis, est tacita quædam lex, ideò requiritur specialis consensus Principis, circa illam specialem materiam, perinde ac requiritur ad leges aliquas in speciali materia ferendas. Hinc concludunt, non esse præsumendum, quòd in generali jure explicato *in c. fin.* voluerit Princeps tacitum suum consensum in quavis speciali consuetudine futura semper præsumi, cùm soleant Principes pluribus consuetudinibus, quæ à populo introducuntur, se opponere.

Quamobrem in hac secunda sententia ad quamlibet consuetudinem stabiliendam requi-
4 ritur consensus Principis saltem tacitus, situs in scientia, quâ Principi innotescat talis consuetudo, & illam toleret; adeò, ut debeat consuetudo, ut hoc pacto stabiliatur, esse publica, & manifesta: quia occultis actionibus, licèt pluries repetitis, non introducitur legitima consuetudo. Hinc consensus tacitus Principis non potest præsumi sine ejus scientia. Volunt etiam propugnatores hujus sententiæ, requiri consensum, & scientiam Principis supremi, qui possit leges condere, adeò, ut non sufficiat consensus rectorum, & magistratuum, nisi circa ea, quæ eorundem dispensationi sunt commissa, ut enim ait Lorca *disput. 29. de legib. n. 2.* persæpè contingit, magistratuum consensum argumentum esse permissionis, & approbationis supremi Principis; quia non præsumitur sine beneplacito Principis magistratum aliquod contra legem tolerare.

Mihi videtur procedendum cum distinctione, si enim loquamur de consuetudine stabilienda à populo abrogante legem civilem,
5 tunc nò requiritur alius specialis consensus Principis, sed sufficit ille generalis datus *in l. de quib. ff. de legib.* ubi Princeps ait, quòd consuetudo rationabilis, & legitimè præscripta possit legi derogare: cùm enim loquatur generaliter de consuetudine, comprehenditur quævis specialis consuetudo in futurum introducenda, dummodo rationabilis, ac legitimè præscripta sit: unde stante hoc generali consensu potest consuetudo etiam ignorante Principe introduci; præsertim cùm hæc duo tantùm requirantur, nimirum, ut consuetudo sit rationabilis, & præscripta, licèt nulla fiat mentio, nec de novo consensu, nec de scientia Principis. Tum quia præscriptio etiam procedit contra ignorantem.

Quòd si Princeps sciat actus, qui à populo
6 fiunt contra legem, & eos toleret, tunc minus temporis spatium ad consuetudinem introducendam requiritur. Quòd si dicas, consuetudinem non habere vim legis, nisi accedente consensu Principis. Respondetur id generatim esse verum; sed talem consensum, si non explicitè saltem virtualiter, & tacitè semper supponitur adesse, quatenus supponitur inclusus in generali illo consensu expresso in jure. Si dicas: non obstante tali consensu Principes plerúmque se opponere consuetudinibus adversantibus suis legibus. Respondetur, Principes tunc non se opponere illis consuetudinibus, de quibus loquuntur in jure: si enim consuetudo, quæ à populo inducitur, sit rationabilis, & legitimè præscripta, princeps se eidem non opponit. Et quæstio tantùm procedit de hac consuetudine.

Sin verò sermo sit de consuetudine abrogante legem Canonicam, censeo ad hanc consue- 7
tudinem stabiliendam requiri consensum Pontificis; hoc enim declaravit Sacra Rota in una Trevirensis Abbatiæ Sancti Maximini, die 24 Januarii 1625. fuit enim responsum: quod ad consuetudinem introducendam contra canones requiratur scientia, & expressus consensus Papæ, alioquin nunquam per consuetudinem contraria lex canonica abrogatur: Neque valet paritas de Principe sæculari, cujus specialis consensus non semper requiritur ad quamlibet consuetudinem abrogantem leges civiles stabiliendam; non enim est utrinque par ratio: quia Summus Pontifex non habet potestatem condendi leges canonicas, nec pascendi dominicum gregem à populo; sed immediatè à Deo, adeò, ut non sit populus, qui introducat consuetudinē contra Canones, sed sola authoritas Papæ permittentis talē consuetudinem, ut notat Abbas *in c. cum consuet. 10. n. 8. in fin. h. t.* Secus Princeps sæcularis à populo habuit potestatem condendi leges, & obligandi ad earundem observantiam *l. de quib. verb. nam cùm ipse ff. de legib.* proinde populus, sicut potestatem dedit Principi condendi leges; ita absque illius consensu explicito, & speciali potest consuetudinem introducere abrogantem legem jam conditam, cùm potestas condendi leges originativè sit in populo, & ab hoc derivetur in Principem. Præterea, quia lex civilis tendit ad bonum publicum, & ad utilitatem privatorum; proinde si populus vult sibi præjudicium inferre, Principes, qui ab eodem acceperunt potestatem leges condendi, censentur id non curare *d. l. de quib. verb. nam cùm ipse ff. de legib.* Jus verò Canonicum principaliter intendit bonum animæ, & hominem dirigere in Deum, & id resultat in bonum publicum Ecclesiasticum. Unde laici præsertim non possunt quidquam contra leges canonicas, & bonum Ecclesiasticum, quod est institutum à potestate spirituali. Cum Christus soli Petro suo in militante Ecclesia vicario, administrationem concrediderit rerum spiritualium, curámq; Dominici gregis, eiúsq; legitimis successoribus; ad solos pertinet Ecclesiasticos leges Canonicas condere, vel abrogare.

Ut autem consensus Papæ censeatur operari ad consuetudinem introducendam contra 8
Canones, requiritur ejus certa scientia, adeò, ut non sufficiat error: & rursus est necessaria intentio talem consuetudinem introducendi, quia sine animo se obligandi per consuetudinem, hæc non induit vim legis. Gloss. *in d. c. final. in ver. legitimè*, tum quia consensus Papæ est, qui consuetudinem inducit, proinde ad hunc effectum requiritur certa scientia, & voluntas introducendi consuetudinem, & non

 potest

potest voluntas hæc deduci nisi ex consensu expresso: siquidem plura per patientiam tolerantur, quæ deducta in judicio exigente justitia minimè essent toleranda, ut ait textus in *c. cùm jam dudum 18. in fin. de praeben.* plures tamen censent, ad stabiliendam consuetudinem abrogantem legem canonicam sufficere consensum tacitum summi Pontificis, eò quia sit verus consensus voluntarius, ac liber; præsupponit enim in Pontifice certam scientiam de consuetudine inducenda contra legem canonicam; & cùm ipsi non resistat, cùm commodè posset; censetur ejus voluntas consuetudinem approbare: est enim consensus tacitus permissio, quatenus Pontifex scit, quod agitur, & tamen non reprimit, sed fieri patitur. Verùm non censeo discedendum esse à declaratione sacræ Rotæ Romanæ asserentis, ad inducendam consuetudinem contra Canones requiri non solùm scientiam, sed etiam expressum consensum summi Pontificis.

9 Cæterum quoad consuetudinem abrogantem legem civilem, si Princeps eidem resistat, non sortitur suum effectum, neque induit vim legis, quòd si Princeps consultiùs censeat cedendum esse multitudini, tametsi contra legem injustè relevet ob pacem Reipublicæ, & ad vitanda majora incomoda, tunc consuetudo à populo inducta sortitur suũ effectum, & vim legis induit. Id etiam valet quando Princeps coactus, non potest reprimere populum, cui tacitè videatur assentiri, quia ut diximus potestas legislativa à populo in Principem derivatur. Rursus licèt Princeps ex negligentia non reprimat legis transgressores, quos commodè posset coërcere, adhuc consuetudo censetur legem vincere, quia Princeps censetur annuere consuetudini abroganti legem.

10 Cæterum consuetudo non solùm legem, sed etiam aliam antiquam consuetudinem potest abrogare; adeò, ut consuetudo particularis per novam particularem, ut etiam universalis, per universalem in eodem loco, & per eundem populum possit abrogari: imò universali etiam derogari per particularem alicujus loci pro eodem loco; & particulari derogari per universalem censent communiter cum Ostiensi *in summa eod. Tit. §. quæ cui præjudicet & omnes*: quia ita conferuntur inter se consuetudines sicut leges. Vnde sicut per unam legem derogatur alteri, ita etiam servatâ proportione per consuetudinem. Quando autem lex particularis derogat universali, id intelligendum est, commensurativè ad ea, quæ continentur in speciali. Hinc cùm dicitur *in §. penult. instit. de jure naturæ*, quæ à civitate fuerunt instituta persæpè mutari, vel tacito consensu populi, vel per aliam legem latam; sicut id verum est de his, quæ jure scripto sunt constituta, ita etiam imò à fortiori de jure non scripto valent, quia magis videtur posse mutari tacitus consensus per tacitum contrarium; quàm expressus per tacitum: ut autem una consuetudo aliam abroget, non solùm debet consuetudo recens introducta esse legitimè præscripta: sed etiam debet antiquæ contrariari, nam si consuetudines non fuerint contrariæ, reduci possunt ad concordiam, & tunc erunt ambæ observandæ.

Quantum verò temporis requiratur in Ecclesiasticis consuetudinibus, ut una aliam censeatur abrogare, & ut posterior revocet priorem, non una est omnium sententia. Panormit. & Felin. asserunt, sufficere indifferenter decennium: & addunt rationem, quia vel prior consuetudo, cui derogatur per posteriorem fuit contra jus, & tunc posterior est secundùm jus antiquum, quod per priorem consuetudinem fuerat revocatum, & sic ad illud faciliùs fit regressus: vel prior consuetudo fuit præter jus, & sic etiam posterior erit præter jus, & hoc pacto in posteriori consuetudine confirmanda sufficiunt decem anni. 10

Verùm hæc sententia videtur pati difficultatem, quia si prior consuetudo non fuit contra sed præter jus; sequitur, posteriorem esse simpliciter contra jus, & ideò postulare tempus canonicæ præscriptionis: siquidem prior consuetudo induxit jus, cui adversatur posterior, quæ non est conformis alicui juri, proinde si adversatur priori consuetudini, necessariò adversatur juri. Rursus, si prior consuetudo fuit universalis, & posterior particularis, id est etiam magis clarum, cùm consuetudo inducat jus commune: idem dicendum si prior fuerit particularis ejusdem loci, & juri communi non contraria. Siquidem consuetudo contra simile statutum esset contra jus, & exigeret tempus canonicæ præscriptionis: hoc idem dicendum est de consuetudine, est enim par ratio, ac de statuto. Sin verò prior consuetudo fuerit contra jus commune, quod non fuit omninò ablatum per aliam consuetudinem, eò quia non fuerit universalis, sed particularis, quæ illi derogavit, Suarez *lib. 7. c. 20.* tunc censet, probabile esse, posteriorem consuetudinem posse sufficienter præscribi per decennium, & addit rationem, quia non sit simpliciter contra jus: siquidem jus commune semper manet, & ad illud per hanc consuetudinem fit regressus. Secus si prior consuetudo fuerit universalis, & abrogavit jus universale præcedens, tunc necessariam esse præscriptionem canonicam quadraginta annorum censet idem Suarez, quia posterior consuetudo est omninò contra jus commune indroducta per priorem consuetudinem. Huic sententiæ adhærendum puto, quia sacra Rota Romana declaravit pluries ad abrogandam legem canonicam per novam consuetudinem requiri quadraginta annos, & in materia Ecclesiastica standum est potius declarationi sacræ Rotæ, quàm doctrinæ aliquorum doctorum præsertim quando declarationi Rotæ adhæret potior pars doctorum. 11

§. V.

Quantum temporis requiratur, ut consuetudo censeatur legitimè præscripta.

Consuetudo, ut vim legis induat, non solùm debet esse justa, & rationabilis, seu rationi consona, & honestati conformis, sed 1

sed etiam requiritur præscriptio; seu ut sit diuturna. Difficultas autem est, quanta debeat hæc diuturnitas esse, seu quantum temporis requiratur, ut consuetudo dici possit legitimè præscripta. Sunt, qui censent, ad præscribendam consuetudinem requiri tempus immemorabile, seu cujus nulla in hominibus exstet memoria, idque videntur desumere ex §. *ex non scripto instit. de jur. nat.* Alii communiùs volunt, consuetudinem absolutè censeri legitimè præscriptam ad abrogandam legem, vel novam constituendam, licèt non scriptam, si per decennium perseveraverit nullo opponente: ratio, quâ hæc sententia nititur, est; quia jura ad consuetudinem inducendam requirunt tantùm longum tempus simpliciter: atqui decennium ex jure est longum tempus, ut patet *ex l. ult. C. de præscript. long. temp.* §. *1. instit. usucap.*

2 Alii ex eo, quòd jura speciatim non indicent, quot requirantur anni ad longum tempus requisitum ad præscriptionem legitimæ consuetudinis, asserunt, hoc negotium esse relinquendum judicio prudentis, & docti viri, qui sedulò perspectis omnibus circumstantiis prudenter judicet, quando consuetudo tantum viguerit temporis, ut meritò censeatur rationabilis, & adesse tacitum Principis consensum nolentis ulterius obligare per suam legem præscriptam, cui consuetudo opponitur. Quòd si non constet, consuetudinem duràsse per tempus ad id sufficiens, expectandum est totum decennium, quia hoc tempus censetur longævum ex jure, & apud viros doctos, & prudentes: consequenter sufficiens ad legitimam consuetudinis præscriptionem, & ad abrogandam legem scriptam, cui nova consuetudo opponitur.

3 Quinimo decennium etiam sufficere, ut consuetudo legitimè præscribatur etiam contra legem Canonicam. Quòd si illis objicias: ad præscribendum contra bona Ecclesiastica ex jure Canonico requiri integrum spatium quadraginta annorum; id concedunt; sed negant, tam diuturnum tempus requiri ad consuetudinem præscribentem contra legem Canonicam: & assignant discrimen, quia præscriptio tollit jus, quod Ecclesia habebat ad bona Ecclesiastica, etsi hæc minimè consenserit; proinde voluit jus Canonicum in favorem Ecclesiasticorum integrum spatium quadraginta annorum ad præscribendum contra bona Ecclesiastica. Secus consuetudo tantum tollit obligationem legis scriptæ, quatenus fundatur non solùm in frequentatis actibus, sed etiam in consensu saltem tacito Principis, qui sufficienter dignoscitur per decennium. Præscriptio autem contra bona Ecclesiastica non fundatur in hoc consensu.

4 Mihi videtur procedendum cum distinctione: vel enim consuetudo, quæ introducitur est præter, vel contra legem civilem, & ad illam præscribendam videtur decennium sufficere, quia leges civiles ad præscriptionem hujus consuetudinis tantùm exigunt tempus longævum, & ex *d. l. ult. C. de præscript. long. temp.* §. *1. instit. de usucap.* decennium censetur longum tempus: vel consuetudo tendit ad abrogandam legem Canonicam, & tunc censerem necessarios quadraginta annos, ut consuetudo dicatur legitimè præscripta contra legem Canonicam, idque probatur ex *authent. quas actiones C. de SS. Eccles.* & ex Sacra Rota Romana, quæ declaravit, hoc spatium quadraginta annorum requiri, ut consuetudo dicatur legitimè præscripta contra legem Canonicam scriptam, ut liquet *in una Gerund. Administrationis die 13. Maji 1630. coram Eminentissimo Verospio.* Huic sententiæ adhærent clariores Canonistæ, nec ab illa recedendum puto, cùm sit conformis legibus Ecclesiasticis, & juxta declarationem Sacræ Rotæ Romanæ, quæ in materia Ecclesiastica est plurimi facienda.

Si quæras: an decennium sufficiat ad consuetudinem inducendam non solùm inter præsentes, verùm etiam inter absentes. Respondetur, sufficere, si consuetudo introducatur ad abrogandam legem civilem: siquidem in legibus civilibus decennium sufficit, tam ad introducendam, quàm abrogandam legem: neque jus civile in hoc ullam ponit distinctionem, sed tantùm requirit indefinitè tempus longum, quod in eodem jure reputatur esse decennium. Et cùm in jure civili non ponatur distinctio de tempore inter absentes, & præsentes, videtur decennium sufficere, etiam inter absentes, ut consuetudo dicatur legem abrogare; Tannerus *disputat. 5. q. 7. dubio 1. n. 6.* & alii censent, contra leges civiles scriptas inter præsentes, decennium sufficere; sed inter absentes asserunt esse necessarios viginti annos, quia præsentes possunt melius, & exactius observare mores, & actiones populi inducentis consuetudinem contra leges scriptas; non ita absentes. Verùm quia jus civile indefinitè loquitur, nec ponit distinctionem inter præsentes, & absentes, nec asserit plus temporis requiri, inter istos, quàm illos, sequitur decennium æquè sufficere inter præsentes, ac absentes: Sin autem consuetudo sit contra leges canonicas, tunc debet esse quadragenaria, quia tale tempus esse necessarium colligitur ex Jure canonico, & hoc idem declaravit Sacra Rota Romana. 5

Quòd si ipse Princeps fuerit absens, an tunc etiam decennium sufficiat, vel requiratur vicennium ad præscribendum contra illum, videtur esse aliqua difficultas: quia in ordine ad Principes, si sint præsentes, longum tempus censetur decennium; si absentes vicennium, ut colligitur ex *l. ult. C. de præscript. longis. temp.* unde si legislator abfuerit, videtur necessarium vicennium ad præscribendum contra ipsum, sive ad legem introducendam, sive ad abrogandam. Verùm communis sententia usu recepta est, quòd in ordine ad legem civilem inducendam, vel abrogandam per novam consuetudinem sufficiat decennium, quia hoc tempus videtur esse magis accommodatum communi bono, præsertim quoad legis inductio- 6

ductionem,&ut consuetudines rationabiles sufficienti usu probatæ, roborentur, vimque obligandi induant. Tum quia, si necessarium esset vicennium, id esset, ne aliquod præjudicium intra id tempus afferretur Principi: atqui inductio talis obligationis non præjudicat Principi, nec eidem ullum adfert incommodum: siquidem est ex ejus potestate applicata per jus commune: unde cùm Princeps non censeatur involuntarius, nec censetur eidem præjudicare.

7 Si quæras,an consuetudo hæc decennalis, vel quadragenaria deperdat suam efficaciam si interrumpatur per unum,vel alterum actum? respondetur affirmativè, quia ut consuetudo ante completum præscriptionis tempus non deperdat suam efficaciam in ordine ad inducendam obligationem, requiritur, ut non interrumpatur per ipsum populum exercentem actum contrarium, etiam unicum; neque per superiorem punientem transgressores legis, si enim altero ex his modis interrupta fuerit, deperdit totam suam vim, & debet iterum inchoari. Quòd si tempus requisitum ad præscribendam consuetudinem jam esset completum, tunc unus actus in contrarium non noceret, Abbas *c. fin. n. 19.* quamobrem unicus actus, quo interrumpitur consuetudo sive procedat à populo exercente actum contrarium consuetudini, sive à superiore puniente transgressores legis ante totum completum præscriptionis tempus, infringit totam consuetudinem non obstantibus mille actibus, qui starent pro illa.

8 Quantum verò temporis requiratur,ut in foro conscientiæ consuetudo dicatur legem abrogare non est una omnium sententia Sotus *de just. lib. 1. q. 7.* & alii censent: nullum tempus determinatum esse ad inducendam hanc consuetudinem, sed esse id remittendum arbitrio docti ac prudentis viri, qui pro negotii qualitate, vel actionum pluralitate sciat laxare, vel coërcere, tempus. Michael de Palatio asserit: in foro conscientiæ sufficere, si consuetudo, quæ introducitur, sit rationabilis: ait enim, agentem juxta hanc consuetudinem, etiam ab initio, & in primis actibus, quibus inchoatur consuetudo contra legem,esse tutum in conscientia, quia eo ipso quòd consuetudo est rationabilis, est consona rationi, & qui agit conformiter ad id, quod rationi est consonum, non peccat, Idq; ex eo firmat, quia si præscriptio observanda esset, fieri non posset, ut introduceretur consuetudo contra legem sine peccato, quia semper quando introducitur, & inchoatur consuetudo, non est præscriptio, quæ exigit longum tempus, proinde inchoantes consuetudines semper peccarent. Verùm huic sententiæ minimè adhærendum puto, quia adversatur communi asserenti: introducentes consuetudinem contra Legem peccare toto illo tempore, quo consuetudo non est introducta, neque elapsum tempus requisitum ad præscriptionem,quia non possunt excusari ab observantia legis, nisi ob consuetudinem legitimè præscriptam; unde si hæc nondum fuerit præscripta non habetur ratio, quæ excuset ab observantia legis, consequenter inchoantes consuetudinem censentur transgressores legis. Tum quia cum inchoatur consuetudo ante totum illud tempus, quod requiritur ad legitimã ejus præscriptionem, lex verè obligat, quia nundum consuetudo censetur abrogare legem, cùm id tantùm præstet, postquam est legitimè præscripta: atqui agere contra legem obligantem est procul dubio peccatum.

9 Quamobrem censerem procedendum cum distinctione: vel enim consuetudo est præter, vel contra legem civilem, & tunc requiritur, quòd totum decennium effluxerit, ut quis in foro conscientiæ possit contra ipsam agere: sin verò consuetudo sit contra legem canonicam, requiruntur quadraginta anni à sua prima inchoatione, & rursus quòd nunquã fuerit interrupta, ut notat Covarruvias *lib. 1. var. c. 17. n. 8. §. 4.* & alii asserentes: consuetudinem esse legitimè præscriptam, & sufficientem ad abrogandam legem civilem, si per decennium perseveret, quia jura ad inducendam consuetudinem requirunt longum tempus, quod jure censetur decennium; & contra legem canonicam tempus longævum est spatium quadraginta annorum.

10 Non tamen desunt, qui censeant, hoc tempus determinatum, ut consuetudo sit legitimè præscripta, tantùm procedere in foro externo, non ita in foro interno, & in conscientia, quia dicunt sufficere, si consuetudo ita invaluerit, ut viri probi & docti illam sequantur, tametsi in foro externo præsumeretur is delinquere, & peccare contra legem, qui ante præscriptam consuetudinem contra legem ageret; & in hoc ponunt discrimen inter forum internũ,& externum, quia ut quis agat contra forum externum sufficit, si operetur contra leges pro toto illo tempore,quo obligant: Secùs in foro interno, & in conscientia,dicunt, posse homines aliquid tanquam consuetudine firmatum observare, quando illis constat, quòd plerique viri boni, prudentes, & docti ita se gerunt, ut morem illum observent, tametsi nondum censeatur legitimè præscriptus, nec habeat numerum annorum, qui assignatur à jure. Verùm adhærendum est nostræ sententiæ, quæ tutior est.

11 Ex conniventia Principis, sive tacitæ ejus approbationis personalis,consuetudo etiam legitimè præscribitur,& plures censent,supposita Principis conniventiã non esse necessarium totum decennium ad legitimam consuetudinis præscriptionem, sed brevius tempus ad id sufficere, licèt non definiant, quantum debeat hoc tempus esse, neque à jure definiatur. Quia sufficiens signum tacitæ voluntatis Principis approbantis consuetudinem, juxta populi intentionem, cum consistat in factis, pendet ex diversis conjecturis, quæ, non sunt æquales in omnibus, adeò ut possit in aliquibus breviore tempore constare de Principis voluntate, quàm in aliis. Rursus in aliquibus occurrunt plures occasiones, quibus faciliùs deprehenditur consensus Principis,quàm in aliis hoc

hoc pacto asserunt, non posse omnes consuetudines uno eodem definito tempore stabiliri, cùm aliæ breviori, aliæ longiore tempore trahant consensum Principis. Verùm licèt Princeps faciliùs, ac promptiùs consentiat uni, quàm alteri consuetudini pro diversis occasionibus, & aliis circumstantiis occurrentibus, si tamen hic consensus Principis non fuerit expressus, adeò ut non certò constet de ipso, putârim standum esse juri statuenti tempus, quo consuetudo censetur vim legis inducere, & obligare, & consequenter abrogare antiquam legem, cui contrariatur: quia si consensus non fuerit expressus, sola conniventia non sufficit ut statim censeatur abrogata lex antiqua, quæ propterea obligat, & agentes contra ipsam inchoatâ consuetudine sunt transgressores ejusdem.

12 Dubitari solet, an consuetudo dici possit legitimè præscripta absque bona fide? affirmat de Lugo *de justitia disput 7. sec. 6. n. 96.* quia, si consuetudo sine bona fide est inchoata, non semper bona fide inchoatur consuetudo; unde licèt in præscriptione semper requiratur bona fides, non tamen semper necessaria est in consuetudine, nam licèt hæc mala fide inchoata fuerit, potest adversus legem elapso statuto tempore præscribere: in aliis autem præscriptionibus mala fides non sufficit, alioquin redundaret in damnum innocentum, quibus persæpe auferrentur res propriæ: secus cùm lex tota ordinetur ad bonum subditorum, expediens erat, ut quando jam per diuturnam experientiam constaret, legem non observari, censeatur etiam cessâsse ejus obligatio, alioquin illaquearentur conscientiæ.

§. VI.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones

1 QUæritur primò, an lex mixta possit fieri purè pœnalis; adeò ut cessante reatu conscientiæ maneat sola pœna fori externi? dicitur lex mixta, quæ non solùm obligat sub culpa, verùm etiam sub pœna aliqua temporali injuncta à legislatore. Respondetur affirmativè: quia potest hujusmodi consuetudo, accedentibus quibusdam circumstantiis, esse rationabilis, ut conducat ad bonum Reipublicæ, quòd luatur mulcta, vel quasi mulcta à transgressoribus legis, tametsi hæc non censeatur ampliùs ad culpã obligare: adeò ut quæ prius fuerat lex mixta, seu pœnalis copulativa; fiat ex inolita consuetudine legitimè præscripta, pœnalis disjunctiva, seu quæ obliget ad solam mulctam luendam à transgressoribus, non ita ad culpã civilem, seu extrinsecam: dico ad culpam extrinsecam, quia quando pœna supponit intrinsecè culpam, tunc non potest abrogari lex quoad obligationem directionis, nec quoad culpam, quin etiam abrogetur quoad pœnam, cujusmodi sunt leges canonicæ habentes adnexas Ecclesiasticas censuras: lex enim, quæ prohibet aliquid sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, non potest abrogari quoad culpam, quin simul abrogetur in ordine ad pœnam incurrendam, cùm hæc supponat intrinsecè culpam, & inobedientiam.

Cæterùm aliæ leges, quæ tantùm habent adnexam culpam extrinsecam, & civilem; & simul pœnam infligendam transgressoribus, possunt vi consuetudinis legitimè præscriptæ abrogari quoad culpam, non ita quoad pœnam, ut enim notat Suarez *lib. 7. de legib. c. 19.* sic fortâsse multæ leges civiles imponentes exactiones, vel prohibentes venari, ligna scindere, vel aliquid ex regno extrahere, licèt in principio directivæ fuerint, ac obligaverint sub culpa, potuerunt usu fieri merè pœnales, & quasi naturam mutare, quia non aliter sint observatæ. Potest hæc consuetudo ita inchoari, ut homines frequenter incipiant nõ plus tribuere legi, quàm quòd deprehensi in ejus transgressione luant pœnam ab eadem lege impositam; & id censeant expedire pro bono publico, & sufficere pro bono regimine communitatis: si hoc pacto continuetur consuetudo usque ad legitimum tempus præscriptionis, tametsi lex ante præscriptam consuetudinem fuerit mixta, & obligaverit ad culpam, & pœnam, datâ legitimè præscriptione consuetudinis mutat naturã, & obligat ad solam pœnam luendã. Tum quia Princeps, qui legem mixtam condiderat, advenientibus novis circumstantiis potest declarare, quòd lex obliget impòsterum ad solam pœnam, adeò ut lex, quæ fuerat pœnalis copulativa fiat pœnalis disjunctiva, eò quia mutatis circumstantiis, censeatur id magis expedire bono communi: ergo etiam consuetudo potest abrogare legem quoad culpam, manente obligatione quoad pœnam. 2

Quæritur secundò, an consuetudo possit etiam è converso abrogare pœnam annexam juri manente obligatione quoad culpam? respondetur, nil impedire, quin lex mixta, & pœnalis copulativa possit per consuetudinem legitimè præscriptam abrogari quoad pœnam, manente obligatione quoad culpam. Neque inde sequitur detrimentum Reipublicæ, eò quia delicta maneant impunita, quia abrogatio legis quoad pœnam non eo tendit, ut delicta maneant impunita, sed ut aliis mediis, ac pœnis magis congruis pro ratione temporis, & personarum puniantur, ac coërceantur delicta. Hinc licèt in *extravagan. 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis. & in clem. ambitiosæ eod. tit.* ac plerisque aliis Pontificiis decretis, variæ fuerint pœnæ injunctæ, quæ postea usu cessârunt, manente legis obligatione: sic per consuetudinem contrariam non incurritur pœna imposita *in extravag. 1. de Simonia* contra dantes, vel accipientes aliquid ob ingressum in aliquod monasterium: non tamen transgressores excusantur à peccato mortali. Olim filii Clericorum ipso jure in pœnam paternæ incontinentiæ nascebantur servi *c. cum multis dis. 15.* & nihilominus per dissuetudinem abrogata est pœna, manente obligatione quoad culpam, ut ibidem notat Glossa. Rursus in *extravag. de rebus Ecclesiæ non alienandis* variæ imponuntur pœnæ ipso facto, quæ in aliquibus locis per dissuetudinem cessârunt quo ad pœnam, non ita quo ad culpam. 3

4 Quæritur tertiò, an consuetudo possit abrogare legem prohibentem contrariam consuetudinem: Respondetur, quòd tametsi nequeat per consuetudinem abrogari lex, quæ reprobat consuetudinem contrariam, quamdiu manent eædē circumstantiæ; illis tamen mutatis, poterit etiam consuetudo legem mutare: ratio cur eisdem manentibus circumstantiis lex non abrogetur, est perspicua, quia tunc lex reprobat consuetudinem, & simul declarat, illam esse irrationabilem, & potiùs corruptelam, quæ nullam sortitur efficaciam ad legem abrogandam, vel inducendam. Sin verò circumstantiæ mutentur, tunc potest lex abrogari, quia non omnis consuetudo, quæ reprobatur, est contra jus naturæ, vel divinum, cùm subinde prohibeatur consuetudo ob indecentiam, vel incommodum Reipublicæ, eò quia subditi aliquando alligantur ad excedentes expensas, vigente consuetudine induendi vestes pretiosas, auro, & argento ornatas; quia verò progressu temporis possunt circumstentiæ variari; ideò consuetudo, quæ uno tempore erat irrationabilis potest alio tempore fieri rationabilis, nec amplius reprobari.

5 Quæritur quartò, an lex improbans consuetudinem per verba generalia, intelligenda sit de consuetudine etiam futura? respondetur, legem prohibentem consuetudinem per verba tantùm generalia, esse intelligendam de sola consuetudine præterita, & non se extendere ad futuram: ratio est, quia lex improbans consuetudinem, censetur odiosa, quæ propterea coarctanda est, non extendenda; non enim debet extendi ad consuetudinem futuram, cujus lex odiosa non meminit. Tum quia verbis illis generalibus legislator tantùm intendit tollere consuetudinem contrariam suæ legi, & consuetudo, quæ nondū est, cujusmodi est futura, non est legi contraria, proinde non censetur legislator de illa loqui.

6 Quæritur quintò, quomodo consuetudo dicatur habere vim interpretandi legem? respondetur: dupliciter posse consuetudinem legem interpretare; primò ut tantùm sit judex, vel quasi testis veri, & germani sensus legislatoris, qui colligi potest ex consuetudine servandi legem, veluti ex argumento moraliter certo, nisi aliunde de opposito constet; & hoc pacto docet Glossa *in c. nonnulli de rescript.* legem debere interpretari juxta consuetudinem loci, tametsi verba legis, sint minùs propriè exponenda. Secùndò potest lex per consuetudinem interpretari veluti per causam concurrentem ad introducendum, ac stabiliendū aliquem sensum legis, in ordine ad ejus observantiam, qui sensus fortassis minus congruit cum prima legislatoris mente: & in hoc sensu dicitur consuetudo legis interpres: quia non est necessaria major authoritas, neq; expressior legislatoris voluntas ad legē interpretandā, quàm vel ad novam inducendā; vel ad inductā abrogandam; & cum id possit consuetudo præstare, ideò vim habet legē interpretandi concurrente causā ad introducendum, ac stabiliendum sensum aliquem legis, qui erat dubius.

7 Quæritur sextò, an consuetudo jam legitimè præscripta possit lege abrogari? respondent communiter affirmativè: & desumitur ex *c. 1. de constit. & ex c. cum consuet. eod. tit.* id tamen est intelligendum, quando lex verbis expressis abrogat consuetudinem legitimè præscriptam, quæ sit eidem legi ex diametro contraria; quia si consuetudo potest cum lege compati, tametsi verba legis debeant intelligi in sensu strictiori, adhuc consuetudo servanda esset; ad vitandam juris correctionem, siquidem consuetudo legitimè præscripta, est jus quoddam, cùm vim induat obligandi.

Quæritur septimò, an per legem universalem censeatur abrogata consuetudo alicujus specialis loci? respondetur: per legem universalem non censeri abrogatam consuetudinem alicujus loci, nisi talis consuetudinis fiat specialis mentio: quia tametsi per legem generalem abrogetur consuetudo æquè generalis, quæ illi ex diametro adversatur, tametsi illius non fuerit facta ulla mentio; neque in lege fuerit clausula derogatoria: nihilominus id non procedit contra consuetudinem inolitam, & legitimè præscriptam in aliquo speciali loco, nisi fiat specialis mentio ejusdem consuetudinis, vel saltem in genere apponatur clausula derogatoria cujusq; consuetudinis, vel statuti in contrarium: ratio est, quia Principes in iure censentur ignorare statuta, & consuetudines Pagorum & oppidorum, proinde non censentur illis derogare, nisi earundem fiat specialis mentio. 8

Quæritur octavò, an consuetudo particularis sit attendenda, ubi universalis viget? respondetur: universalem non attendi, si particularis fuerit legitimè præscripta, qua ratione non attenditur consuetudo generalis totius Provinciæ, quando in loco particulari viget contraria consuetudo quia consuetudo universalis tantùm requiritur in subsidiū, si deficiat consuetudo particulis, ut colligitur ex *c. super eo. de cens. & notat.* Bart. *in l. 2. n. 41. C. quæ sit longa consuetudo*; & ita declaravit sacra Romana Rota in una Calaritana Decimarum die 9. Martii 1610. & super eadem assertione habentur plures aliæ ejusdem Rotæ decisiones. Quòd si consuetudo alicujus specialis loci non fuerit certa, tunc attendenda est consuetudo finitimorum locorum, ac vicinarum civitatum, quæ si fuerit rationabilis, juxta illam erit judicanda, ut colligitur: *ex c. cum eo. de cens. & c. cum olim de consuetudine.* ubi Panormitanus notat, hoc esse intelligendum de interpretatione non authentica, qualem faciunt doctores: quia consuetudo unius civitatis, vel Provinciæ non habet authoritatem inducendi, vel abrogandi consuetudinem inolitam in alia, tametsi in dubio possit assumi ad explicandam vim legis, vel consuetudinis alterius loci. 9

Quæritur nonò, an consuetudo eligendi per sortes sanctos tutelares licita sit? respondetur cùm distinctione, si hæc sortitio sanctorum tutelarium fiat tantùm inter personas religiosas, vel alias pias, ut ipsis sorte contingat aliquis sanctus, quem sibi assumant in tutelarem, eùmque colant, & sortitio ad eum finem tantùm fiat ut singuli sancti, qui uno mense occurrunt, colantur sejunctìm à quovis ex communitate religiosa, & ad evitanda jurgia, eò quia plures vellent sibi potius in tutelarem elige- 10

eligere unum, quàm alium, & sortitio ad eum finem dirigatur ut singulis sanctis, à singulis personis ex communitate exhibeatur debitus cultus, ne sint plures, qui eundem habeant sanctum tutelarem, cæteris omissis, nullam in hac sortitione video dissonantiam, cùm ad eum duntaxat dirigatur finem, ut singulis sanctis debitus exhibeatur cultus nullo prætermisso; id enim pertinet potiùs ad virtutem religionis, à qua induit honestatem.

11 Quòd si sortitio sanctorum tutelarium exerceatur, secundùm vulgarem sortientium existimationem, quatenus solent sortes mitti in urnam nominibus scriptæ aliquorum sanctorum, ut extrahatur ex acervo pro singulis sortientium sors una, & unusquisque accipiat in tutelarem eum sanctum, qui sibi sorte contigit, ac si Deus ipse eum sibi, & non alium designâsset in tutelarem: quasi esset Deus, qui vellet talem sanctum, & non alium ab uno potiùs coli, quàm ab alio; & censeatur hæc sortitio sacrosancta, ut derivata à Deo consulente, quod sibi commodius, & utilius est: tunc hæ sortes sanctorum non videntur approbari, eò quia neglectis mediis prudentialibus, instituuntur sortes absque ulla necessitate, quod non videtur carere culpa tentationis divinæ, ut notat D. Thomas *in art. de omnibus sortibus consultatoriis* hinc Gelasius Papa *dist. 15. can. SS. R. Eccles.* rejecit, & reprobavit quemdam librum, cui titulus erat *sortes Apostolorum* & in concilio Antissiodorensi *26. q. 5 can. aliquant.* damnantur sortes, quas vocant sanctorum in præfato sensu.

12 Quæritur decimò, per quid consuetudo distinguatur à stylo: juvat observare, quod sicut consuetudo est duplex, facti, & juris: ita servata proportione etiam stylus prout speciatim usurpatur à Jurisperitis: sicut enim consuetudo facti dicuntur illi frequentati actus, quibus consuetudo inducitur, & consuetudo juris, illa vis obligandi, quæ resultat ex illa actuum frequentia: ita stylus facti, est illa quasi formula artificialis procedendi in causis, & negotiis, ut notat Bart. *in l. de quib. ff. de legib.* stylus juris est, jus, quod ex tali formula, & modo præcedendi oritur; quo pacto stylus curiæ Romanæ dicitur jus facere; & hujusmodi stylus maximè in rescriptis Pontificiis attendendus est, ut dicitur in *c. quàm gravi. 6. inf. de crimine falsi.* his prænotatis: differt consuetudo à stylo, quia consuetudo oritur ex omnibus actibus, qui possunt à communitate frequentari: stylus verò, non nisi à scriptura, & formula scribendi, ut notant Decius *cons. 11. n. 12.* Marsil. *cons. 8. n. 27.* secundò, quia stylus versatur circa modum procedendi in judicio, & consuetudo circa definitionem, decisionem causarum, ut notat Alex. *cons. 56. n. 9. lib. 2.* Tertiò stylus est particularis, consuetudo verò generalis ut notat Felin. *in 2. n. 18. de rescript.* Quartò quia stylus tantùm introducitur ex actibus judiciariis: & consuetudo etiam ex actibus extrajudiciariis. Rursus juvat adnotare, quòd sicut alleganti consuetudinem incumbit onus eam probandi; ita allegans stylum alicujus curiæ tenetur eum probare etiam in individuo, ut ait Farinac. *2. p. decis. 486. n. 71.* probatur verò stylus curiæ ex assertione plurium Causidicorum, & Notariorum, & etiam ex inspectione aliorum processuum, ut notat Farinac. *1. p. decis. 393. n. 2.* Hactenus recensita de stylo, dici possunt de Ritu, qui videtur significare usum, & observantiam circa solemnitatem alicujus actus, vel jus non scriptum, ortum tamen ex tali observantia solemnitatis circa tales actus.

Quæritur undecimò, qualis consensus populi, vel Principis requiratur ad inducendam consuetudinem? Certum est, ad inducendum jus consuetudinis requiri consensum illius, qui potest legem condere *l. sed & ea 35. ff. de legib.* quia per hoc differt lex à consuetudine; quia ad illam condendam requiritur expressus consensus legislatoris; cùm ad inducendam consuetudinem sufficiat tacitus consensus, ut notat Abbas *c. ult. h. t. n. 17.* Hinc in habente potestatè condendi legem, vel statutum sufficit consensus tacitus, qui tunc præsumitur quando scit, & non contradicit, cum possit contradicere. Duplex autem est consensus Superioris, particularis unus, qui & personalis dicitur, quo Superior expressè consentit, vel antecedenter quatenus dat licentiam introducendi consuetudinem; vel concomitanter non contradicendo eidem; vel consequenter eam postea positivè approbando. Alius est consensus generalis, qui & legalis, seu juridicus dicitur, eò quia non immediatè à superiore, sed mediante ipso jure scripto à Principe, vel condito datur intelligi: eò enim ipso, quod jure communi canonico, vel civili statuitur, ut consuetudo habens certas conditiones sit valida, habeatque vim legis, censetur tunc superior, & conditor legis consentire in omnes particulares consuetudines legitimè introductas vi legis scriptæ, & eas etiam tacitè approbare. 13

14 Respondetur ad quæsitum, consuetudinem abrogatoriam legis canonicæ, vel civilis non exigere necessariò consensum personalem expressum, nec tacitum Principis, sed sufficere generalem, seu legalem, idque desumi ex *c. ult. h. t.* in quo duæ tantùm conditiones requiruntur ad consuetudinem abrogatoriam legis, quarum prima est, ut hujusmodi consuetudo verè sit rationabilis. Secunda ut sit legitimè præscripta: ex quo textu liquet, consensum personalem Principis de jure non requiri ad consuetudinem abrogatoriam legis inducendam: imò neque ex natura rei est necessarius talis consensus, quia voluntas Principis declarata per legem scriptam non est minus efficax, quàm si immediatè, & per se velit, & consentiat: proinde spectata natura rei sufficit consensus legalis per legem scriptam approbantem consuetudinem certis quibusdam conditionibus affectam manifestatus: alioquin si necessaria esset specialis scientia de hac consuetudine inducenda, ferè nunquam leges canonicæ per contrariam consuetudinem possent abrogari: quia Pontifex

tifex fatetur, à se ignorari speciales locorum consuetudines *c. 1. h. t.*

15 Ad inducendam verò consuetudinem constitutivam juris, quamvis valde probabile sit, non requiri scientiam, & particularem consensum Principis, sed sufficere etiam generalem, eò quia in *c. ult. h. t.* consuetudini rationabili legitimè præscriptæ expressè tantùm tribuatur potestas abrogandi legem; non verò constituendi legem non scriptam: quia tamē ejusdem potestatis est actus solvere, & ligare, ideo censent plures, non videri necessarium personalem consensum Principis, sed sufficere generalē. Nihilominus contraria sententia est probabilior, adeò ut ad inducendam consuetudinem constitutivā juris requiratur scientia, & personalis consensus saltem tacitus Principis. Ratio est, quia licèt sit ejusdē potestatis solvere, & ligare; & non minor requiratur potestas ad legem antiquam abrogandam, quàm ad novam inducendam: nihilominus non tam facilè conceditur populo non habenti potestatem legis ferendæ potestas introducendi novam consuetudinem, quæ vim obtineat legis, quàm per contrariam consuetudinem abrogandi legem: siquidem nova consuetudo constitutiva juris non potest introduci absque usurpatione jurisdictionis, quæ populo sæculari in causis præsertim ecclesiasticis non competit, cùm Christus hanc jurisdictionem solis Prælatis ecclesiasticis concesserit. Secus quando abrogatur lex per contrariam consuetudinem, seu per desuetudinem, seu non observantiam legis, tunc nulla exercetur jurisdictio: quia exercitium jurisdictionis est actus positivus, & non observantia legis dicit potius negationem actûs: ex quo patet discrimen inter consuetudinem abrogatoriam legis canonicæ, vel civilis, & consuetudinem constitutivam novi juris non scripti; tametsi solvere & ligare videantur pertinere ad eandem potestatem.

16 Hæc tamen procedunt, quando ad consuetudinem constitutivam novi juris concurrunt prærecensitæ conditiones; nimirum, ut sit rationabilis, & legitimè præscripta: alioquin ad consuetudinem sive abrogatoriam legis, sive constitutivam novi juris inducendam sine præscriptione requiritur specialis scientia, & immediatus consensus personalis potentis legem condere: adeò ut consensus debeat esse vel expressus, si res gravis sit, vel jus exigat consensum specialiter expressum; vel saltem tacitus ac interpretativus, si res sit levioris momenti: ratio est, quia si populus non habet potestatem condendi legem; est tunc necessarius consensus Principis, à quo consuetudo accipiat vim juris: quoties autem consuetudo non est legitimè præscripta, tunc non habetur consensus Principis ex vi alicujus legis: non enim lex sine præscriptione legitima approbat consuetudinem: hinc in *c. ult. h. t.* dicitur, quòd tametsi longævæ consuetudinis non sit vilis authoritas, non tamen est usque adeò valitura, ut vel juri positivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis, vel legitimè præscripta.

Quæritur duodecimò, quot, & quales 17
actus sint necessarii ad consuetudinem introducendam. Hon posse consuetudinem induci, nisi per frequentatos actus, liquet ex *l. 1. & 2. C. quæ sit longa consuetudo* & patet etiam ex definitione consuetudinis, quæ definitur esse jus moribus, seu frequentibus actibus, & usibus institutum: & liquet etiam ex ipsa nominis etymologia, dicitur enim consuetudo quasi communis usus; & usus est repetitus actus, quo fit, ut ad consuetudinem inducendam non sufficiat unicus actus, nisi sit actus successivus, qui habeat perpetuitatem, seu continuationem temporis, quia tunc ratione diuturnitatis, & continuationis æquivalet pluribus actibus, & dicitur virtualiter multiplex. Præscindendo igitur ab hac diuturna continuatione, quæritur, quótnam actus sint necessarii ad introducendam consuetudinem. Nonnulli Jurisconsulti, quos citat Suarez *lib. 10. de legib. c. 10.* censent, duos actus sufficere, id probant ex *l. nemo 3. C. de Episcop. audien. & ex c. ita nos 25. & ex c. 25. q. 2.* ubi geminata cædes vocatur usus, & consuetudo. Sed in citatis juribus non est sermo de consuetudine inducente, vel abrogante legem, sed tantùm præfata jura loquuntur de quadam assuefactione facti, non juris, quæ assuefactio tantùm sufficit ad gravius puniendum; non verò ad jus legale inducendum. Quamobrem cum jura non prædefiniant numerum actuum, qui necessarii sint ad inducendam hanc consuetudinem: id potius videtur relinquendum arbitrio judicis, ut vir prudens considerata qualitate actuum, & personarum elicientium tales actus conjiciat, an tot fuerint actus eliciti, ut ex iis prudenter præsumi possit communis tacita conventio populi, vel majoris illius partis, & eos actus ad notitiam pervenisse Principis, cujus tacitus consensus præsumatur, eò quia nunquam contradixerit: hinc ad inducendam consuetudinem aliquando plures, interdum pauciores actus sufficiunt.

Debent tamen hujusmodi actus inducen- 18
tes consuetudinem esse publici, & notorii ipso facto, adeò ut publicè fuerint facti, ac facilè in notitiam populi potuerint devenire: quia si non sint hoc modo publici non censentur apti ad inducendam publicam consuetudinem, non enim populus potest assentiri alicui facto, quod ignorat. Quamobrem actus ad inducendam consuetudinem ex communi consensu populi debent publicè fieri, ut tam ipsi, quàm consuetudo ipsa possint innotescere toti populo, vel saltem majori ejus parti, ac Principi. Non tamen est necesse, ut actus illi sint publici, & notorii notorietate juris; seu non est necesse, ut sint publicati in contradictorio judicio per sententiam judicis, qua parte contradicente judicatum sit consuetudinem esse inductam, ut docet Suarez *lib. 7. de legib. c. 11. n. 2. & sequent.* quia hujusmodi notitia juridica de hac actuum frequentia non est necessaria ex ratione naturali, quia solus usus ipso facto notorius, ac publicus aptus est ex natura sua, ut deveniat in notitiam

titiam totius communitatis, & Principis. Tum quia nunquam posset legitimè consuetudo introduci: si enim ante judicium consuetudo non haberet vim, non posset Judex in judicio declarare talem consuetudinem valuisse: Sin verò ante sententiam Judicis consuetudo habuit vim; jam non est ampliùs necessaria sententia Judicis, ut sit valida, cùm fuerit antecedenter, & independenter à sententia Judicis sortita suum valorem. Rursus neque notitia juridica requiritur ex jure scripto, & positivo, quia jus tantùm exigit, ut consuetudo sit præscripta, inveterata, ac diuturna, ut liquet ex *c. ult. h. t.*

19 Quæritur tertiodecimò, an actus introducentes consuetudinem debeant esse voluntarii. Respondetur affirmativè, quia per actus non inducitur consuetudo, nisi per eosdem significetur consensus, ac tacita conventio populi volentis introducere jus consuetudinis *l. sed & ea 35. ff. de legib.* tota enim vis consuetudinis constituitur in consensu populi, & tacita ejus conventione, & consensu Principis non contradicentis: siquidem à consensu populi incipit jus consuetudinis: actus autem humani non possunt manifestare consensum, nisi sint voluntarii, est enim consensus actus liberæ voluntatis præsupponens voluntarium, ubi enim non est ratio voluntarii, ibi nec esse potest ratio liberi, consequenter nec ratio consensus. Hinc per actus, qui fiunt ex errore, vel ignorantia legis non inducitur consuetudo, ut desumitur ex *c. ult. v. legitimè sit præscripta h. t.* & ratione id etiam evincitur, quia error, & ignorantia tollunt liberum consensum; voluntas enim non fertur nisi in præcognitum; proinde non potest ferri in id, quod ignoratur. Tum quia si consuetudo inducatur præter legem, & sit novi juris constitutiva, non potest, si procedat ex errore, vel ignorantia circa legem inducere obligationem, quia nemo intendit se obligare ad id, quod ignorat. Tum quia qui falsò, & ex errore putat se obligare ex vi legis latæ ad tales actus exercendos, tametsi millies frequentet tales actus, nunquam inducit novum jus ex defectu voluntatis, quæ non vult se obligare ad id, quod ignorat: hinc quamvis Religiosus per errorem falsò putet, se validè emisisse solemnem professionem, si tamen revera hæc fuit invalida, tametsi talis Religiosus ad longum tempus exerceat actus Religiosi professi, non tamen ejus professionem ratificat, nec hæc per hos actus fit valida: hinc errantis dicitur non esse voluntas, nec consensus, propterea non potest quis validum reddere, quod ignorat, esse invalidum. Vel consuetudo est abrogatoria legis, & hæc quia non potest abrogari, nisi populus sciat, legem esse latam, quamvis per longum tempus contra legem agat: quia tamen putat se agere juxta legem hæc non abrogatur, eò quia populus non habeat voluntatem agendi contra legem, quam per errorem putat à se servari.

20 Quòd si objiciatur textus in *l. 39. ff. de legib.* ubi dicitur, quod consuetudo per errorem inducta sit valida in sua materia. Respondetur ibi tantùm esse sermonem de consuetudine abrogatoria legis, quæ bona fide contra legem per tempus diuturnum præscribitur; proinde non debet ad alios casus similes extendi, quia juxta regulam generalem præscriptio non extenditur de casu ad casum: Ratio etiam potest assignari, quia cum in omni præscriptione, per quam jus acquiritur, soleat semper aliquis error præcedere, quo qui præscribit, putat, se jus habere ad hoc, vel illud agendum, quamvis illud non habeat, ideò in præfato textu dicitur id, quod non ratione, sed errore primum inceptum est, longo usu, seu consuetudine postea obtineatur. Cæterum cùm dicitur per actus ex errore, vel ignorantia elicitos non induci consuetudinem, id procedit de errore circa ea, quæ ad substantiam consuetudinis pertinent, quia, si error sit tantùm circa accidentalia, non tollit liberum consensum circa substantiam rei. Juvat tamen cum Juristis observare, quòd si error sit facti, adeò ut populus erret circa legem, quam putat esse latam, quæ revera nunquam fuit lata, vel è contra quia putet, non esse latam, cùm revera sit lata, non potest ex tali errore valida consuetudo induci, quia tunc error tollit voluntarium, sine quo non habetur consensus in ordine ad se obligandum: & cùm aliàs lex non obliget: ex nullo capite inducitur obligatio. Secus contingit, si error sit juris, quia tunc lex ipsa obligat, scit enim populus legem esse latam, & tantùm errat circa ejus obligationem, quia putat se ad illam non obligari, vel tametsi ignoret legem, adhuc ligatur lege, cui per actus contrarios, non potest derogari.

Quæritur quartodecimò, quæ sit consuetudo rationabilis sufficiens ad inducendum novum jus? Respondent communiter, consuetudinem tunc censeri rationabilē, si talis fit, ut si pro leg: fuisset statuta, justa censeretur, & obligaret, & quia lex debet esse honesta, & utilis reipublicæ, fit, ut consuetudo, ad hoc, ut sit rationabilis, debeat itidem esse honesta, & utilis Reipublicæ: est enim consuetudo lex tacita; idq; desumitur *ex c. consuetudo 5. §. porro dist. 1.* Magis verò speciatim ea consuetudo dicitur rationabilis, quæ non est contraria juri naturali, nec divino positivo, neque religioni; neque libertatē lædit Ecclesiæ, neque viam sternit ad peccatum, nec bono communi obest; adeò ut sit ex integra causa, honesta, utilis, & bona: hinc à contrario sensu ea consuetudo dicitur irrationabilis, quæ adversatur juri naturali, divino, positivo, religioni, & obest libertati Ecclesiæ, & aliam similem conditionem involvit. An verò hic & nunc aliqua consuetudo sit rationabilis conjiciendum est ex circumstantiis: cum non habeatur certa regula in particulari, propterea id relinquitur arbitrio prudentis Judicis. 21

Quæritur quintodecimò, quomodo consuetudo differat à præscriptione? Respondetur, plures esse differentias. Primò quia per præscriptionem acquiritur jus privatæ personæ, ut 22

etiam alicui collegio, si se habeat per modum unius, & obtineat jus dominii, vel alterius facultatis agendi, vel utendi. Per consuetudinem verò non magis acquiritur jus uni, quàm alteri; nec jus acquiritur uni soli privato, sed toti reipublicæ, & communitati, quia jus consuetudinis est legale, quod omnes obligat. Secundò quia præscriptio dat jus uni contra jus alterius: consuetudo verò dat jus contra legem, vel præter legem, vel etiam juxta legem. Tertiò quia præscriptio procedit etiam in rebus mobilibus corporalibus: consuetudo verò tantùm locum habet in incorporalibus ut in jurisdictionibus, electionibus, servitutibus, & aliis id genus. Quartò quia ad præscriptionem non est necessarius consensus illius, contra quē præscribitur; secus ad consuetudinem inductivam novi juris, vel abrogatoriam juris præexistentis requiritur consensus Principis, vel personalis, & expressus; vel legalis, & tacitus. Quintò quia ad præscriptionem præter bonam fidem persæpe requiritur etiam titulus saltem præsumptus; non ita ad consuetudinē etiam abrogatoriam juris, quia pro titulo sufficit tacitus populi, & Principis consensus. Sextò quia sive consuetudo sit præter legem, sive contra, sive abrogatoria ejusdem, per errorem, seu ignorantiam legis non introducitur, quia sine consensu nullus intendit se obligare; & errantis nullus est consensus: secus contingit in præscriptione, quæ cum titulo putativo, & probabili errore fieri potest.

23 Quæritur sextodecimò, quomodo differant inter se consuetudines? Respondetur, consuetudinem aliam esse facti, aliam juris; ita nil aliud est, quàm mos populi, seu actus in populo, vel majore parte ejusdem publicè frequentatus, ac notorius: consuetudo juris est ipsum jus jam constitutum per mores populi, ex quo liquet discrimen inter utramq; consuetudinem, quia consuetudo facti est veluti via ad consuetudinem juris constituendam, qua ratione ex facto dicitur jus oriri: unde consuetudo facti se habet per modum viæ ad consuetudinem juris, quæ se habet per modum termini. Rursus consuetudo inductiva novi juris differt à consuetudine abrogatoria juris, quia consuetudo constitutiva exigit potestatem legis condendæ, adeò ut si populus eâ careat, nequeat consuetudinem constitutivam juris introducere sine scientia, & tacito saltem consensu Principis habentis facultatem legis condendæ ut docet Suarez *lib. 7. de legib. c.17. n.7.* secus consuetudo abrogatoria legis, tum ecclesiasticæ, tum civilis potest obtineri etiam ignorante Principe legislatore, idque desumitur ex *c. cum tanto ult. h.t.* Ratio itidem est, quia ad consuetudinem abrogatoriam legis positivæ tantùm requiruntur duo, nimirum ut sit rationabilis, & præscripta: ad consuetudinem verò introductivam novi juris, ulterius requiritur potestas condendi legem: hæcque est ratio, cur faciliùs concedatur populo potestas abrogandi legem per contrariam consuetudinem, quàm novam introducendi: quia in constituenda consuetudine inductiva novi juris, requiritur potestas, & jurisdictio, quā populus saltem quoad causas ecclesiasticas caret: in abrogatione verò legis per desuetudinem non requiritur jurisdictio: quia per talem abrogationem tantùm abest, ut ponatur nova obligatio, ut potius antiqua solvatur: quod tamen non procedit directè & auctoritativè, quia populus non habet hoc jus solvendi legis obligationem: sed tantùm indirectè per viam præscriptionis, seu diuturnam possessionem in aliquo cum bona fide: siquidem ad excutiendos è conscientiis scrupulos videbatur expedire, ut si populus per tempus diuturnum esset in possessione cum bona fide alicujus juris; esset conservandus in eadem possessione beneficio admininiculantis usus. Rursus differt consuetudo inductiva novi juris à consuetudine abrogatoria antiqui juris, quia ad inducendum novum jus per consuetudinem, sufficit decennium, ut communiter docent: Secus ad abrogandum jus ecclesiasticum, & ad introducendam contrariam consuetudinem, sunt necessarii 40. anni. Id verò procedit de lege ecclesiastica abroganda per contrariam consuetudinem; non verò de civili, quia iura civilia inter præsentes tolluntur cum bona fide per contrarium usum spatio decennii *tit. C. de præscript. long. temp.* jura verò ecclesiastica per præscriptionem non tolluntur antè annos 40. *c. auditis 15. de præscript.* Rursus id procedit de lege recepta, & firmata: quia lex nondum recepta minori tempore per contrarium usum abrogari potest.

Quæritur decimoseptimò, an consuetudo 24
possit abrogare legem naturalem, vel divinam. Respondetur negativè, & desumitur ex *c. cum tantò ult. h. t.* ubi Gregorius IX. expressè rescribit, contra jus naturale nullam consuetudinem valere: & ratio ex eo itidem peti potest, quia jus naturæ est immutabile *can. flagitia 31. q. 1.* proinde si omnes homines contra illud agerent, hujusmodi consuetudo non posset prævalere. Tum quia quod lex præcipit, vel prohibet, est per se intrinsecè bonum, vel malum, proinde hominum usu, vel contraria consuetudine non potest abrogari: quia quod est malum est semper fugiendum: hinc in jure civili illæ consuetudines, quæ juri naturæ adversantur, dicuntur contra bonos mores: & consuetudo non potest abrogare jus divinum positivum, quia hoc est à Deo constitutum: & quod Deus præcipit ut servetur, debet necessariò ab hominibus servari: non enim inferior habet potestatem contra legem conditam à superiore, & potestas humana est semper inferior, proinde non potest abrogare legem Dei, cujus potestas est longè superior.

Quæritur decimooctavò, an per con- 25
trariam consuetudinem possit abrogari jus gentium? Illud dicitur jus gentium, quo omnes ferè gentes utuntur, cujusmodi sunt fœdera, induciæ, pax inita cum hostibus utrinque servanda; Legatorum immunitas non violanda, commercia cum exteris instituta, & alia id genus? Respondetur, jus gentium non posse abrogari per contrariam consuetudinem, ita communiter cum Bartolo in *l. omnes populi. n. 21. ff. de just. & jur.* Ratio est, quia quæ sunt ad hu-
ma-

manam societatem ineundam, & observandam necessaria, & utilia, utique promovent bonum commune, & sunt Reipublicæ commoda, ac propterea honesta; adeout eorum opposita sint eidem Reipublicæ nociva ac perniciosa: ergo per consuetudinem non potest abrogari jus gentium: alioquin inducerentur perniciosa, & noxia Reipublicæ. Tum quia quæ omnibus gentibus rectè instituis, & quæ operantur ex verò dictamine rationis visa sunt justa, & rationabilia, & propterea humanæ societati utilia, & necessaria, non possunt per contrariam consuetudinem abrogari, quia hæc induceret contrarium jus noxium bono communi, & humanæ societati: hinc consuetudo inducens fœdera non esse servanda, legatorum immunitatem esse violandam, & alia id genus, est prorsus iniqua, quæ propterea non habet vim abrogandi contrarium jus gentium.

25 Quæritur decimonono, an leges pœnales possint per contrariam consuetudinem abrogari? Respondetur affirmativè: & probari solet ex *c. cum multæ 3. c. 15. q. 8.* ubi Concilium Toletanum nonum filiis Clericorum injungit jure perpetuo, ut nascantur servi illius ecclesiæ, de cujus sacerdotis ignominia nati sunt, adeò ut filii Clericorum pœnam incurrant perpetuæ servitutis: atqui hujusmodi pœna per contrariam consuetudinem abrogata fuit etiam manente eadem culpa, ut notat Glossa *in c. deniq; 6. dis. 4. V. Consuetudine.* ubi asserit, consuetudinē nonnunquam excusare quidem à pœna temporali, sed non à gehennali: sic jure antiquo plures aliæ injungebantur pœnæ, quæ jure novo non sunt ampliùs in usu, eò quia per contrariam consuetudinem fuerint abrogatæ. Neq; obstat, quòd pœna semper injungatur propter culpam, quæ per nullam contrariam consuetudinem potest abrogari: proinde nec possit abrogari lex prohibens talem culpam, cui est annexa pœna: nam contra est, quia nil obstat, quin per consuetudinē possit derogari legi quoad pœnam, quin abrogetur lex, quoad obligationem ad culpam: quia sicut ab initio potuit lex sanciri cum sola obligatione ad culpam absque eo, quòd ulla injungeretur pœna; vel potuit recipi lex quoad prohibitionem culpæ, non quoad receptionem pœnæ: ita nil videtur obstare, quin per posteriorem legem scriptam, vel consuetudinem abrogari possit lex quoad pœnam, non verò quoad culpam, ut desumitur ex *l. derogatur 101. ff. de V. S.* ubi dicitur *derogatur legi cum pars detrahitur: & abrogatur, cùm prorsus tollitur*: atqui culpa, & pœna sunt veluti duæ partes, quæ per se non sunt necessariò connexæ & separari possunt, adeò ut possit pars una existere sine alia, proinde potest derogari eidem legi per contrariam consuetudinem quoad pœnam, quin eadem lex abrogetur quoad obligationem ad culpam.

26 Quòd si dicas, pœnam ipso facto latam per legem non posse non incurri ab eo, qui legem illam transgreditur: proinde non posse legem abrogari quoad pœnam, quin simul abrogetur quoad culpam. Respondetur, id non sequi tametsi quamdiu consuetudo non est præscripta contra pœnam lata sententiæ semper incurratur per quamlibet culpabilem transgressionem legis: nihilominus potest interdum contingere, ut pœna illa vel ab initio non acceptetur, vel quæ executioni mandabatur, postea non servetur, vel non mandetur executioni: adeò ut paulatim deperdat vim, ut tandem elapso tempore ad præscribendum necessario totaliter tollatur Principe sciente, & tolerante. Neque consuetudo abrogans pœnam legis manente obligatione quoad culpam dicenda esset irrationabilis, eò quia daret occasionem impunè peccandi. Quia ut rectè docet Suarez de *legib. lib. 5. c. 19.* per hanc consuetudinem tantùm fieret, ut pœna legis non statim incurratur ipso facto; non verò, quòd committens culpam, non possit aliâ pœna, & alio modo puniri à superiore ob transgressione legis: cùm enim pertineat ad superiorē non permittere impunè delinqui; talis consuetudo abrogans talem pœnam non daret ansam impunè peccandi, quia adhuc delictum alio modo punietur à Superiore.

Hinc potest etiam à contrario sensu abrogari obligatio legis quoad culpam manente eadem obligatione quoad pœnam, adeò ut lex, quæ erat mixta, transeat in solam pœnalem: quia sicut ab initio potuit lex ferri sub solo pœnali onere sine ulla obligatione ad culpam: ita per insolitam consuetudinem non repugnat posse reduci ad talem statum, ut obliget ad solam pœnam, non verò ad culpam: dantur etiam plures leges, quæ sunt purè pœnales obligantes earum Transgressores ad solam subeundam pœnam non verò ad culpam incurrendam: ex quo liquet, impositionem pœnæ, seu obligationem ad subeundam pœnam ob legis transgressionem esse separabilem ab obligatione ad culpam incurrendam. 27

Quòd si dicas, pœnam non infligi nisi ob præviam culpam, ne quis injustè puniatur. Respondetur id esse verum de pœna strictò modo sumpta pro malo, quod habet rationem vindictæ, hæc enim pœna est semper pedissequa, culpæ ad quam sequitur: & hac pœna non potest puniri, qui culpam non commisit, alioquin pœna foret injusta: secus est dicendum de pœna laxè sumpta pro aliquo onere, damno, vel incommodo, quod imponitur, & incurritur ob non servatum mandatum superioris: tunc enim superior ad imponendam hanc pœnam, sufficit, si habeat causam dignam; & tunc transgressio ejus mandati dicitur culpa quasi civilis, eò quia non parère tali mandato, sit politicè delinquere, tametsi talis transgressio Theologicè vacet culpâ. Tum quia dantur plures leges tantùm directivæ, quæ non obligant delinquentes ad culpam, seu peccatum theologicum, sed tantùm ad pœnam aliquam subeundam, & dicuntur leges purè pœnales. Cæterum dantur pœnæ, quæ intrinsecè & ex sua natura supponunt culpam, cujusmodi sunt censuræ ecclesiasticæ, & hujusmodi pœnæ non possunt infligi nisi præcesserit culpa. 28

Quæritur vigesimò, an leges versantes circa sacramentalia, quæ non pertinent ad substantiā sacramentorum possint abrogari per contrariam consuetudinem, si talia sacramentalia in sacris canonibus non reperiantur reprobata? Respondent communiter affirmativè, & colligitur ex *c. de trina 80. dist. 4. de consec.* ubi dicitur, quod Baptismus conferri possit per unam vel trinam immersionem Baptizandi in aquam pro cujusque ecclesiæ consuetudine, 29

eò

eò quia in una fide nil officiat Sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa. Rursus desumitur etiam ex *c. 2. de temp. Ordin.* ubi expressè dicitur, quòd tametsi consuetudo illa conferendi sacros Ordines extra quatuor tempora jejuniorum sit improbanda, adeòque si fieri possit tollenda omnino sit; dummodo tamen ejusmodi consuetudo antiqua per se Ecclesiæ non damnosa toleretur. Hinc per contrariam consuetudinem abrogata fuit lex, qua secundæ nuptiæ benedicebantur, ut notat Navarrus in *Manual. c. 22. n. 83. in fin.* Ratio desumitur ex generali regula, quia contra omnem legem positivam, & humanam potest consuetudo prævalere, si rationabilis sit, & legitimè præscripta. Tum quia consuetudo tantùm potest, quantum lex ipsa scripta: siquidem habet, & consuetudo vim legis: unde sicut una lex potest per aliam abrogari, ita etiam consuetudo, si rationabilis sit, & legitimè præscripta potest legem etiam Canonicam abrogare. Imò id procedit, quamvis lex sit irritans contractum, cujusmodi sunt leges ponentes impedimenta matrimonii, quia lex irritans etiam Canonica potest abrogari per aliam legem scriptam contrariam, ut liquet in lege antiqua, quæ irritavit matrimonia, usque ad septimum consanguinitatis gradum, quæ lex licèt Canonica, Jure novo sublata fuit per Concilium Tridentinum; & quia consuetudo, dummodo rationabilis sit, & legitimè præscripta vim habet legis, potest & ipsa hujusmodi legem irritantem abrogare, quia si lex scripta abrogans talem legem irritantem potest esse rationabilis, & justa, tali modo poterit etiam se habere consuetudo rationabilis, & legitimè præscripta, proinde nil obstat, quin possit legem irritantem abrogare.

Quæritur vigesimoprimò, an per consuetudi-
31 nem immemorialem abrogari possit lex habens insertam clausulam generalem derogatoriam: *non obstante qualibet consuetudine contraria?* Respondetur cum distinctione, vel enim lex derogatoria, seu revocatoria consuetudinis tantùm per clausulam generalem derogat consuetudini, adeo ut lex tantùm dicat *non obstante quacunque consuetudine contraria*, & tunc consuetudo immemorialis adhuc potest abrogare legem illam derogatoriam, seu revocatoriam consuetudinis, dummodo consuetudo sit subsequens, vel per modum revocationis interveniente scientia, & tolerantia, proinde etiam tacito consensu legislatoris, ut notat Covarruvias *lib. 3. var. resol. c. 13. n. 4.* ratio est, quia tunc lex habens insertam clausulam illam generalem derogatoriam ex vi ejusdem clausulæ solùm derogat consuetudini, vel præexistenti, vel de præsenti existenti; non verò futuræ, & nondum existenti, nisi quid aliud specialius exprimatur: quia consuetudo immemorialis habet majorem vim, quàm cæteræ consuetudines, proinde ad illam impediendam non sufficit generalis illa clausula, *non obstante qualibet consuetudine contraria*, quia per hanc clausulam tantùm derogatur consuetudini ordinariæ præexistenti, vel existenti de præsenti: unde, ut derogetur consuetudini immemoriali adhuc requiritur quid aliud. Vel lex derogatoria simpliciter, & expressè prohibet consuetudinem non solum præexistentem, sed etiam præsentem, & quæ posset esse futura, & immemorialis, & tunc lex derogat huic consuetudini etiam immemoriali, adeò, ut talis lex non possit abrogari per consuetudinem, sed per aliam legem contrariam, quæ potest sanciri ob mutationem circumstantiarum. Vel lex derogatoria prohibet tantùm consuetudinem præsentem, præteritam, & futuram cum Clausula *non obstante quacunque consuetudine contraria etiam in futurum*, & tunc non videtur lex derogare consuetudini immemoriali, quia non obstante consuetudine potest fieri, ut expediens sit introduci consuetudinem tali legi contrariam, & legislatorem mutare suam voluntatem: quia legislator per suam prohibitionem non privavit consuetudinem vi sua derogatoria, & quæ illi competit, si rationabilis, & legitimè præscripta sit: potest enim oriri nova aliqua causa à Legislatore non prævisa, & ob quam expediat inducere consuetudinem legi derogatoriæ contrariam. Neque obstat, quod lex deroget cuilibet futuræ consuetudini, quia id non est sufficiens signum, quòd consuetudo illa sit rationabilis, & quòd pro nullo eventu unquam possit admitti consuetudo contraria, sed tantùm inseri solet clausula illa ad majorem cautelam, ne Judices patiantur contrariã consuetudinẽ introduci.

Præterea, quia clausula derogatoria futuræ consuetudinis inserta legi non habet majorem 32
vim, quàm ipsa lex, cui inseritur, & cùm lex per consuetudinem rationabilem futuram, & legitimè præscriptam possit abrogari, potest etiam ipsa clausula derogatoria per eandem abrogari. Neque inde sequitur, talem clausulam derogatoriam omnino frustraneè inseri legi, quia adhuc habet suum proprium effectum, estque impedire, ne consuetudo via convenientiæ, tam facilè contra legem prævaleat, sed nonnisi post longissimum tempus, & legitimam præscriptionem omnino completam, & nonnisi oriatur nova causa, non prævisa à legislatore, ob quam expediat bono communi, ut inducatur hæc nova consuetudo, quæ deroget legi, cui fuit inserta clausula illa generalis derogatoria. Cæterum consuetudo legibus implicitè reprobata, ut irrationabilis, & contra bonos mores nequit ullo unquam tempore etiam immemoriali tribuere justum titulum ad præscribendũ contra legem: idque desumitur ex *c. consuetudinem 1. h. t. in 6.* ubi dicitur, quòd consuetudo etiam immemorialis, & jurata non valeat, si reprobetur à jure, quia quando jura reprobant simpliciter, & absolutè, ut irrationabilem consuetudinem, reddunt illã inefficacem ad inducendam præscriptionem contra legem. Si tamen consuetudo immemorialis cui lex resistit, nitatur aliquo præsumpto titulo, ut titulo dispensationis factæ, vel Apostolici privilegii concessi, tunc acquirit vires etiam contra legem derogatoriam beneficio præsumpti tituli, seu privilegii, ut notat Mascard. *de probat. conclus. 1371. n. 32.*

Quæritur vigesimo secundò, an per non u- 33
sum merè negativum possint leges abrogari. Differt non usus à consuetudine legi contraria, & desuetudine, quia usus merè negativus tunc contingit, quando nulla se offert occasio legis ser-

servandæ: Secus consuetudo contraria legi contingit, quando occurrente casu legis, seu occasione illius servandæ, nihilominus fit contra legem: desuetudo verò tunc habetur, quando accidit casus legis, sed omittitur ex sola negligentia. Respondetur, ad abrogandam legem non sufficere usum merè negativum, seu non usum simpliciter, & præcisè: ratio est, quia per usum merè negativum nunquam lex abrogatur, quamvis per 50. & plures annos non servetur, quia nunquam occurrit occasio servandæ legis: quando enim nullus exercetur actus, non potest induci ullum novum jus: tum quia mera negatio usûs non est quid positivum, proinde non potest prævalere contra legem positivam, quia quod existit, est fortius eo, quod non existit. Tum quia mera negatio usûs non est quid positivum; consequenter non potest ponere effectum, cùm nemo det, quod non habet: abrogatio autem legis existentis est quid positivum, quod propterea non potest esse effectus usûs merè negativi. Quamobrem ad abrogandam legem requiritur, ut occurrente saltem aliquoties occasione servandæ legis positivè exerceantur publicè actus eidem legi contrarii; vel saltem omittantur actus, qui directè præcipiuntur à lege, idque non ex sola negligentia, sed animo saltem interpretativo inducendi, quod est contrarium legi, & tunc habetur non usus legis non negativus, sed privativus, seu contrarius legi, quia tunc omissio actus non est pura omissio, sed nectitur cum actu positivo, seu animo saltem interpretativo inducendi, quod est legi contrarium, & talis animus manifestatur per signum aliquod extrinsecum sensibile.

34 Quæritur vigesimò tertiò, an per consuetudinem obtineri possit, ut Religiosi possint liberè testari in casibus, in quibus per privilegium Papæ dari potest facultas testandi. Respondent aliqui affirmativè, præsertim Navarrus *in comment. 2. de regul. n. 44.* Sanchez. *lib. 7. moral. c. 8. n. 62.* & alii, qui ea nituntur ratione, quia quidquid privilegio acquiri potest; hoc idem consuetudine saltem immemoriali possit obtineri *l. hoc jure 3. §. ductus aquæ ff. de aquâ quotid. & æstiva.* idque firmant, eò quia prohibitio testandi sit ex jure positivo humano, quæ propterea possit per contrariam consuetudinem abrogari. Communior tamen, & verior sententia, cui adhærendum est, asserit, per talem consuetudinem non posse Religiosum acquirere jus liberè testandi. Ratio videtur perspicua, quia Religiosi per nullam consuetudinem possunt introducere, quod eorum statui adversatur: & supposito voto emisso solemniter paupertatis, hæc consuetudo repugnat Religioni, ac solemni voto emisso, proinde non potest pro nullo eventu vim ullam acquirere contra votum paupertatis: immò videtur contradictionem involvere, ut Religiosus manens Religiosus possit ea licitè agere, quæ statui, & professioni religiosæ opponuntur *c. cum ad Monasterium 6. de statu Monach.* atqui disponere de bonis temporalibus pro arbitrio, sive in vita, sive mortis causâ absque licentia Superioris repugnat statui religioso, & voto solemni paupertatis: siquidem in hoc consistit proprietas rerum temporalium, posse de illis disponere pro suo arbitrio, & independenter à quovis alio: & Religiosi per votum emissum paupertatis abdicarunt à se hanc proprietatem, consequenter nunquam per consuetudinem possunt obtinere, ut possint liberè, & licitè testari etiam in casibus, in quibus privilegio Papali facultas testandi dari potest.

Cæterùm potest Superior concedere Religio- 35
so licentiam disponendi de bonis particulatim, imò etiam per generale indultum, aut legem. Hinc Religiosis habentibus administrationem beneficii ecclesiastici conceditur ab ipsa lege, ut de ejus fructibus perceptis pro sua sustentatione possint liberè disponere ad pias causas pro tempore suæ administrationis. Sin verò Summus Pontifex nec particulariter dispenset, nec per legem universalem concedat Religiosis, ut mortis causâ possint testari de bonis; quæ lex nullibi extat; nullo modo sunt Religiosi capaces licitè testandi. Hinc patet responsio ad fundamentum oppositæ sententiæ. Respondetur enim, allegatam regulam tantùm valere, quando subjectum est capax testandi, quæ capacitas non habetur, nisi per concessionem, seu licentiam datam à Summo Pontifice, quæ licentia nullibi reperitur data. Ad confirmationem respondetur, hanc prohibitionem, ne Religiosi possint testari, non oriri ex solo jure positivo, sed provenire ex jure naturali, & divino, contra quod consuetudo ab homine introducta non habet vim.

Quæritur vigesimo quartò, an valida sit con- 36
suetudo, per quam nervus Ecclesiasticæ disciplinæ infringitur? Respondetur negativè, idq; desumi ex *c. cum inter 5. h. t.* ubi Pontifex rescribit, consuetudinem, quâ rumpitur nervus Ecclesiasticæ disciplinæ, vel est contra statutum Ecclesiæ non valere, & subdit habentes privilegium tempore interdicti recitandi divina officia non posse propter consuetudinem pulsare campanas: & Glossa addit, id procedere, quamvis consuetudo esset longi temporis, & præscripta, quia ubicunque fit aliquid contra Ecclesiasticam disciplinam, non habet locum præscriptio. Est autem Ecclesiastica disciplina observantia bonorum morum, ordinisque Ecclesiastici Hierarchia; hæc autem observantia procul dubio violatur, ac læditur per consuetudinem non servandi generale interdictum, ut etiam per consuetudinem, quâ disrumpitur nervus Ecclesiasticæ disciplinæ: quia per hunc nervum fideles conservantur in suo officio, & retrahuntur à suis excessibus: sicut enim nervis corporeis membra humani corporis continentur, ut suâ ritè valeant munera obire: ita etiam per nervum Ecclesiasticæ disciplinæ fideles detinentur in suo officio, ut possint ritè, & rectè operari: unde consuetudo disrumpens hunc nervum est irrationabilis, & potius corruptela, proinde reprobanda, non approbanda. Neque obstat, quòd *in d. c. cum inter 5. h. t.* hæc consuetudo contra ner-

vum Ecclesiasticæ disciplinæ non dicatur irrita, sed irritanda. Nam ex hoc non sequitur, quòd antecedenter fuerit valida, quia in jure persæpe, quod in se est irritum, dicitur esse irritandum, non quòd antea non sit irritum, sed ut declaretur irritum: adeò ut illud irritandum significet esse declarandum irritum, & inane: quo pacto in *c. cum dilectus 8. h. t.* habetur; *electionem* (scilicet, quæ fuerat à suspensis celebrata) *justitia exigente cassavimus*, hoc est, cassam declaravimus, ut explicat ibidem Glossa: unde sicut verbum *cassavimus* idem est ac declaravimus cassam, ita verbum *irritavimus*, nonnunquam significat idem, ac declaravimus irritum.

38 Quæritur vigesimoquintò, an valida sit consuetudo introducta contra immunitatem ecclesiasticam? Respondetur, hujusmodi consuetudinem nullum sortiri valorem, nisi fortassis aliquo speciali privilegio summi Pontificis fulciatur, ut communiter docent Canonistæ præsertim Alexander Sperellus *decis. 37. fori ecclesiast. n. 41. & sequent.* ubi allegat Rotam *decis. 10. de consuet. in antiq.* & in Osc. canonicatus 1. decembris 1596. coram Penna. Barbosa in *collect. ad c. ecclesiam sanctæ Mariæ n. 18. & sequent. de constitut.* siquidem consuetudo contra immunitatem ecclesiasticam reprobatur in utroque jure, ut irrationabilis, & divino cultui, ac obsequio contumeliosa: etenim Jus Canonicum eam reprobat in *c. cùm inter 5. h. t.* & in *c. ad nostram 3. eod. tit.* ubi Pontifex rescribit, consuetudinem, in qua populus in causis Ecclesiasticis fert sententiam, non valere: & generaliter consuetudo noxia canonicis institutis nullius censetur valoris. Liquet etiam ex *c. cum terra 14. de elect.* ubi habetur: *Quia igitur hoc redundat in gravamen, & perniciem Ecclesiasticæ libertatis præscriptam consuetudinis pravitatem sancimus penitus abolendam.* Reprobatur etiam hujusmodi consuetudo in Bulla Romana Urbani VIII. cui initium est: *Romanus Pontifex* edita anno 1641. die 5. Junii, & extat in tomo 4. Bullar. Romani, & est constitutio 159. ejusdem Pontificis, & etiam in Bulla Cœnæ Domini, quæ singulis annis publicatur: in ipsa enim generaliter reprobantur omnia præjudicialia libertati, & immunitati Ecclesiasticæ, & cùm hæc Bulla singulis annis publicetur, non potest contra

39 ipsam consuetudo præscribi:

Quòd verò etiam à jure civili hujusmodi consuetudo reprobetur, liquet *ex authent. Cassa C. de sacrosanct. eccles.* Ratio itidem est, quia sicut leges, & statuta, quibus Ecclesiis, aut personis Ecclesiasticis per se, ac directè non modicum imponitur gravamen irritæ sunt *c. quæ in Ecclesiarum 7.* & *c. Ecclesia 10. de constitut.* Similiter consuetudines, quæ per se, ac directè introducuntur contra libertatem, & immunitatem Ecclesiasticam, & ut inferentes notabile gravamen Ecclesiis, vel statui Ecclesiastico sunt irritæ, & potius corruptelæ: Siquidem consuetudo est lex, seu Jus constitutum moribus hominum, & pro jure servari debet *l. de quibus 32.* atqui lex, ut introducat jus & obligationem, debet esse justa, & rationabilis, proinde non inferre notabile gravamen Ecclesiis, & statui Ecclesiastico: hinc etiam consuetudo, ut vim legis habeat, non debet esse contra Ecclesiasticam immunitatem, & libertatem, nec inferre notabile gravamen Ecclesiis, vel statui Ecclesiastico. Quamobrem si talis consuetudo sola sit, & nullo fulciatur privilegio, est potius corruptela, quàm consuetudo. Quòd si juvetur aliquo Pontificis speciali privilegio concesso ob justam causam, potest tunc consuetudo derogans ex parte immunitati Ecclesiasticæ suum sortiri valorem.

Hinc in Concilio Lugdunensi relato *in c. generali 13. de elect. in 6.* Gregorius X. Regibus Galliarum concessit Jus regaliæ, cujus beneficio Reges Galliæ titulo fundationis, vel ex antiqua consuetudine sibi vendicabant jus usurpandi reditus Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorúmq; locorum piorum provenientes tempore vacationis: & Pontifex simul imposuit pœnam excommunicationis latæ sententiæ contra extendentes, seu sibi usurpantes, vel de novo invadentes jus Regaliæ hactenus non obtentum. Præterea, si consuetudo ex justa causa per se directè, & principaliter inducatur ob bonum commune, tametsi secundariò, & indirectè aliquod gravamen inferat Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis; non propterea est statim censenda irrita, quia bonum commune, quod directè intenditur, potest prævalere gravamini, quod indirectè infertur Ecclesiis.

Hinc consuetudo etiam temporis immemorialis, quâ Principes sæculares propria authoritate imponunt personis Ecclesiasticis tributa, 40
aut vectigalia; vel collectas ab iisdem exigunt, reprobatur à Jure Canonico *c. cum tanto 11. & ult. h. t.* & *c. quamquam de censib. in 6.* & patet etiam ex allegata constitutione edita ab Urbano VIII. quæ incipit *Romanus Pontifex.* in qua reprobantur, & declarantur irritæ consuetudines præjudiciales Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis, earúmque juribus, ac bonis, imò notat Fagnanus in *c. 1. n. 60. h. t.* hujusmodi præjudiciales consuetudines, & præscriptiones esse irritas, tametsi sint temporis immemorialis, & cùm prætensa forma privilegii Apostolici, & assignat rationem: quia cum hujusmodi privilegia expediantur in scriptis, eo ipso probantur non esse concessa, si de eorum approbatione non constet ex registris Apostolicis, aut ex originalibus, vel transumptis exhibitis. Ratio itidem, cur consuetudo exigendi à personis Ecclesiasticis, vel Ecclesiis tributa, collectas, aut vectigalia nullius sit valoris, potest à priori assignari, quia imponere hujusmodi gravamina, & exigere hæc tributa, & collectas est procul dubio actus jurisdictionis, qui nonnisi in subditos potest exerceri: atqui Principes, & Magistratus sæculares nullam habent jurisdictionem in Ecclesias, & personas ecclesiasticas, consequenter non possunt eam exercere; proinde nec propria authoritate possunt tributa, & vectigalia imponere, nec collectas exigere: competit enim hæc jurisdictio soli Romano Pontifici. Quòd verò exigere vectigalia, & imponere tributa sit actus juris-

dictio-

dictionis ex eo liquet, quia exactio vectigalium, & impositio collectarum recensentur inter regalia, ut liquet *ex titulo 56. quæ sunt regalia l. 2. feudor.* hæc autem regalia nonnisi supremo Principi reservantur, & aliis inferioribus tantùm ex privilegio conceduntur ab Imperatore, vel alio supremo Principe: hinc Principes, & Magistratus sæculares non nisi ex privilegio Summi Pontificis possunt hujusmodi tributa, & vectigalia exigere ab Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis.

41 Rursus, quòd talia tributa imponantur, & exigantur virtute solius jurisdictionis, ex eo etiam evincitur, quia non imponuntur vi dominii proprietatis: siquidem tale dominium non est in Principe, sed in subditis possidentibus sua bona: sermo enim non est de bonis feudalibus, & emphyteuticis; sed de allodialibus, seu propriis, quæ pleno jure dominii proprietatis, & usufructus pertinent ad subditos, qui propterea possunt liberè de iisdem disponere: unde hujusmodi tributa imponuntur, & exiguntur tantùm vi solius jurisdictionis, quam Principes, & Magistratus sæculares secluso speciali privilegio Sedis Apostolicæ, non habent, nec possunt exercere in Ecclesias, & personas Ecclesiasticas: non enim laici sunt capaces Juris spiritualis *c. 2. de judic.* hinc ob hanc incapacitatem per solam consuetudinem etiam temporis immemorialis nullam jurisdictionem in Clericos, vel eorum bona possunt acquirere: Siquidem incapax possidendi, est etiam incapax præscribendi *c. causam 7. de præscript.* ubi habetur, quòd laici non possunt præscribere decimas, quia non possunt eas possidere, & sine possessione nulla potest præscriptio procedere *l. sine 25. ff. de usurpat. & usucap.* quo fit, ut sine possessione nulla possit consuetudo introduci, quia non potest legitimè præscribi. Tum quia contra jus divinum non potest præscribi, nec beneficio temporis immemorialis: & Ecclesiæ, ut etiam Ecclesiasticæ personæ, resque ipsarum sunt exemptæ de jure divino, ut liquet ex *c. quamquam 4. de censib. in 6.* & ex Concilio Tridentino *Sess. 25. c. 20. de refor.* ubi dicitur, quòd Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum immunitas Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus sint constitutæ: proinde tam personæ Ecclesiasticæ, quàm eorum bona immunia sunt ab exactionibus personarum sæcularium.

42 Quæritur vigesimo sexto, an valida sit consuetudo, ut Prælatus electus non teneatur confirmationem petere à Papa, vel ab alio Superiore Ecclesiastico? Respondetur, talem consuetudinem esse omnino invalidam, quia ad bonum regimen Ecclesiæ pertinet, ut inferiores Prælati à Superioribus dependeant, & ab iisdem jus, & authoritatem in sua institutione accipiant: unde cùm hæc consuetudo adversetur bono ordini, & regimini Ecclesiæ non est justa, nec rationabilis, proinde non potest introduci, nec præscribi validè: quia tametsi fluxus temporis immemorialis regulariter habeat vim privilegii *l. hoc jure 3. §. ductus aquæ ff. de aqua quotid. & æstiv.* id tamen non procedit, quando consuetudo à jure est reprobata, ut irrationabilis, & damnata, ut prava, ut notat Felin. *in c. cum ex officii 16. n. 13. de præscript.* Cùm enim consuetudo vim habeat legis, & habeatur pro lege *c. cum consuetudo 5. dist. 1.* debet necessariò esse justa, & rationabilis Neque obstat, si consuetudo sit immemorialis, quæ privilegio æquiparatur, quia æquiparatio inter privilegium, & consuetudinem immemorialem non habet locum, quando consuetudo est à jure reprobata, & damnata tanquam iniqua, & irrationabilis, cujusmodi est consuetudo, ut Prælatus electus non teneatur petere confirmationem à Superiore, est enim hæc consuetudo noxia Ecclesiæ, quia per ipsam omitteretur inquisitio in personam electi, quæ ante confirmationem fieri debet *c. cum nobis 19. §. is igitur de elect.*

Quæritur vigesimoseptimò, an valida sit consuetudo, ut non tantùm rei dominium, verùm etiam ejus possessio transferatur in alium sine ejus reali, & corporali apprehensione? Respondetur affirmativè, & desumitur ex *c. ex litteris 2. h. t.* ubi Innocentius III. rescribit, consuetudinem, per quam Ecclesia, vel locus Religiosus acquirit Dominium, & possessionem rei, sine solemnitate legali esse validam: ubi notat Glossa, in donatione facta locis Religiosis in ultima voluntate valere consuetudinem, tametsi non adhibeantur solemnitates testamenti. Ratio itidem est, quia licèt de Jure communi ordinariè non possit possessio rei de novo acquiri solo animo; sicut potest retineri solo animo, sed necesse sit, ut interveniat corporalis ejus apprehensio *l. 3. §. 1. ff. de acquir. possess.* nihilominus Jure civili statuitur, ut in quibusdam casibus possessio censeatur acquisita per solum actum apprehensionis fictæ, & qui ex juris dispositione sit signum realis traditionis, seu corporalis apprehensionis rei, qua ratione dicit Gloss. *in d. c. ex litteris 2. h. t.* possessionem transferri per alium actum, quàm per traditionē rei, scilicet per visum, per traditionem clavium, per instrumenta, per venditionem illius rei, quam apud se quis habet in deposito, vel mutuatam, unde per leges civiles, & Canonicas potest possessio rei acquiri, & transferri in alium sine vera, & corporali apprehensione, sed per tantùm fictam, quæ solùm dicitur abusiva, & ficta: tunc enim jus supplet veram, & corporalem apprehensionem. 43

Quæritur vigesimooctavò, cui incumbat onus probandi consuetudinem. Certum est, consuetudinem esse difficilis probationis, ut passim fatentur Doctores post Gloss. *fin. c. ult. h. t.* Siquidem ad ejus probationem necesse est, ut probetur omne id, quod requiritur ad consuetudinem introducendam, & hoc totum probare difficillimum est, ut notat Mascardus *de probat. conclus. 423. n. 19.* Tum quia est probanda in specie, immo etiam in individuo, quia ut notat Cardinalis de Luca *discurs. 53. de feud. n. 4.* Consuetudo non extenditur de casu ad casum. Respondetur igitur, onus probandi consuetudinem incumbere eam alleganti: Siquidem affirmanti aliquid incumbit onus hoc idem probandi *l. 2. ff. de probat.* Ratio itidem est, quia consuetudo consistit in facto *c. 1. de constit.* 44

constit. in 6. & quæ consistunt in facto non præsumuntur, sed debent probari, quia facta ex sua natura sunt incerta *l. in omnibus ff. de juris, & fact. ignor.* Hinc facta non præsumuntur, nisi probentur. Excipitur tamen consuetudo notoria, quæ cùm innotescat omnibus, non indiget probatione, sed sola simplici allegatione, ut notat Mascard. *de probat. conclus. 423. n. 27. & sequent.* Cæterum probatur consuetudo. Primò, quia per fluxum temporis redacta sit in scripturam, ut in consuetudinibus feudorum. Secundò, si fuit obtenta in judicio contradictorio *c. Abbate 25. de V. S.* Tertiò, ex eo, quia bis judicatum fuerit intra longum tempus juxta consuetudinem allegatam, & non contradictam, quia gemina sententia judicialis uniformiter lata in eodem causarum genere inducit consuetudinem, tametsi non probetur, fuisse sic lege constitutum *argum. l. diuturna ff. de legib.* Quartò probando, quòd ita à tempore antiquissimo fuerit inviolabiliter observatum; adeò ut non extet memoria de contrario facto *c. venerabilis 33. de præbend.* Quintò potest etiam probari per Testes duos, vel tres, ut notat Mascard. *de probat. conclus. 424. n. 6.* quia scriptum est: *in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum.*

TITULUS V.

De Postulatione Prælatorum.

IN superioribus Titulis actum est de Jure tum scripto, tum non scripto, ejúsque principiis, & partibus: & quia parum prodesset jura concedere, vel nosse, nisi ii instituerentur, qui ea jam condita tuerentur, curaréntq; observari *l. 2. ff. de orig. Juris. c. ubi periculum 3. §. Præterea de elect. in 6.* ideò in hoc Titulo agitur de assumptione Ministrorum Ecclesiæ, qui legum, & Canonum sunt Custodes. Prælati, qui, ut loquitur Synesius *epist. 66. auctoritatem habent successionis Apostolicæ* adsciscuntur hoc jure per electionem, vel postulationem, quæ species est quædam Electionis; hinc electus is plerumque dicitur, qui postulatus est *C. Valentinianus 63. dist. c. 11. de Renunc.* Postulantur autem, qui rectâ viâ non possunt eligi propter vitium aliquod, vel nexum, cui sunt adstricti: unde postulatio est ejus, qui communi jure eligi non potest, concors in Prælatum petitio. Prælati Ecclesiarum assumuntur alterutro ex tribus modis, postulatione, electione, & translatione, de quibus agitur in sequentibus Titulis, & priùs de postulatione.

SUMMARIUM EXEGETICUM

Omnium Capitum, quæ in hoc Titulo continentur.

C. *AD HÆC 1. h. t. INNOCENTIUS III. statuit, ut qui non servavit interdictum, sit indignus, ut pro eo postuletur, sitque propterea rejiciendus à postulatione. Rursus, ut sententia n. c. interdicti solemniter publicata omnes liget, nec quisquam præsumatur eam ignorare. Quod procedit, nisi probet ignorantiam.*

C. *GRATUM 2. h. t. Idem Pont. declarat, eos privari potestate postulandi, & eligendi, qui postulationem vitio personæ cassatam innovant. Reliquos verò licèt paucos, qui non consenserunt innovationi posse postulare, & eligere. Quòd si unus tantùm superesset, censent plures, jus eligendi remansurum apud ipsum solum.*

C. *BONÆ MEMORIÆ 3. h. t. Idem Pont. mandat, utilitatem communem præferri debere privatæ, & majorem minori. Rursus Cardinalem ex eo quòd utilis sit universali Ecclesiæ, non esse creandum Episcopum. Item postulationem factam à minore parte tertiâ non esse admittendam. Postulatio enim debet esse ita concors, ut fiat à duabus partibus, si concurrat cum Electione. Panorm.* hic n. 12.

C. *BONÆ MEMORIÆ. 4. h. t. Idem Pont. declarat, postulationem semel præsentatam superiori non posse ampliùs mutari à postulantibus. Quòd si contempti velint postea consentire, valet postulatio, si vitium non erat in persona postulata. Nota, qui non sunt de capitulo, ut possint eligere debent probare eorundem Jus eligendi: vel quòd sint in possessione.*

C. *POSTULATIONEM 5. h. t. Idem Pont. decernit, postulationem factam posse repelli à superiore, adeò ut per illam nulli jus acquiratur: debe-*

debere tamen superiorem admittere Procuratores, & illis auditis, quod justum est, agere.

C. *ETSI 6. h. t. HONORIUS III. decernit, non posse Episcopum eligi ad aliam dignitatem; sed posse postulari. Est enim Episcopus spirituali matrimonio suæ alligatus Ecclesiæ, proinde non potest eligi ad aliam; sed solùm postulari, ut Papa cum illo dispenset. Nota, quòd Canonici licèt sint uni Ecclesiæ addicti; quia tamen non sunt eidem matrimonialiter alligati, ut Episcopi, possunt eligi ad quamcunq; Ecclesiam. Idque procedit de Abbatibus etiam exemptis* c. si Abbatem de Elect. in 6.

IN SEXTO.

C. *PERPETUO UNIC. h. t. BONIFACIUS VIII. prohibet has sequentes formulas, ut sibi adversantes, & contrarias, ac imperfectas.* Eligo postulando; vel postulo eligendo: aut, eligo postulandum, vel postulo eligendum. Item, eligo in postulandum, vel postulo in eligendum. *Ut etiam hanc aliam formam:* Eligo, & postulo, prout potest melius de jure valere, *quia continet incertitudinem: quæ tamen admittitur, quando dubitatur, an quis eligi, vel potius postulari debeat: sed tenetur ita electus, aut postulatus, ne vagetur in incertum, quando consentit, viam electionis, vel postulationis eligere; & in parte semel electa permanere; adeo ut non possit unà electâ ad aliam ampliùs redire. Nota, quòd si dubitetur, an quis sit eligendus, vel postulandus potest tunc dici:* eligo, & postulo. *Non tamen hoc dubium intelligitur de ignorantia Juris, sed solùm de ignorantia facti; quando dubitatur, an quis u.c. habeat legitimam ætatem. Nota Electum, vel postulatum infra mensem post præsentationem sibi factam suæ electionis, vel postulationis teneri consensum exhibere.* c. quàm sit 6. de Elect. in 6.

IN EXTRAVAG. COMMUNIBUS.

C. *DISPENDIIS UNIC. h. t. JOANNES XXII. declarat, neminem posse postulari, si sit secularis ad Cathedralem: nec si sit Regularis ad quamcunque Ecclesiam ante annum vigesimum septimum; sub pœna, quòd ita scienter postulantes ea vice careant facultate postulandi, & eligendi, & per triennium sint suspensi ab omnibus beneficiis, quæ obtinent in illa Ecclesia, ad quam talem fecerunt postulationem. Rursus postulati, qui in Romana Curia suam postulationem fuerint prosequuti, si sint seculares sunt inhabiles ad omnia beneficia usque ad trigesimum quintum annum: sin verò sint Regulares, non solùm in perpetuum sunt inhabiles ad beneficia, sed etiam ad administrationes suorum ordinum.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid sit Postulatio Prælatorum, & quomodo introducta.

1 Promoveri possunt Ecclesiastici ad Prælaturas, Postulatione, Electione, & Translatione. Postulatio introducta est in subsidium electionis, ut nimirum, qui per Canones prohibetur eligi, saltè postulationis subsidio juvetur, eique via aperiatur, quâ possit promoveri, ut si de laico assumendo in Episcopum ageretur, vel de illegitimè nato, aut de alio, qui tempus præscriptum à Iure Canonico non attigisset, cùm hi eligi prohibeantur, postulationis indigent ope, quâ rogetur superior, ut velit impedimentum tollere, & ipsos promovere.

2 Est igitur postulatio, ut distinguitur ab electione, petitio gratiæ secundùm Goffrid. & definiri potest, concors, certa, & supplex alicujus capituli, vel aliorum petitio ad superiorem directa, ut persona postulata ad Prælaturam promoveatur, ad quam, ob aliquod impedimentum Canonicum, vel defectum Jure non potest eligi, cùm tamen Ecclesiæ, cui præfici postulatur utilis futura speretur. Dicitur postulatio concors, quia debet concorditer fieri, juxta *c. bone memoriæ 3. §. nos igitur. & c. ult. h. t.* adeò ut ab omnibus, vel saltem à majori parte capituli, seu Collegii postuletur, vel saltem à non minori, quàm tertia parte, eàque saniori *d. c. bone memoriæ §. nos igitur.* Quòd si postulatio concurrat cum electione, adeò, ut pars capituli postulet in Episcopum aliquem, & alia pars eligat alium, tunc necesse est, ut numerus postulantium sit duplò major numero eligentium, alioquin electio præfertur postulationi; ut colligitur ex *c. scriptum 40. inf. de elect.* Ratio est, quia cùm postulatio nitatur gratiâ, nec ullum Jus postulato tribuat ob impedimentum Canonicum, neq; superior teneatur postulationem admittere, ut liquet ex *c. postulationem 5. h. t.* & è contra electio nitatur jure, quod difficilius est expugnatu, ideò electio in concursu cum postulatione præfertur, quoties numerus postulantium non est duplò major numero eligentium.

Rursus debet postulatio esse certa, & clara, adeò ut vitetur omnis verborum confusio, & orationis ambiguitas, per quã incerta fieret electio, & postulatio: si enim Capitulum, vel Collegium aliquod hisce uteretur verbis, *eligimus postulando, vel postulamus eligendo*, quia inde non posset quis clarè, ac distinctè percipere utrum Capitulum postulaverit, vel 3

vel elegerit : ideo ob hanc incertitudinem nil egisse censeretur. Pari pacto rejicitur hæc alia conceptio, *eligo, & postulo, pro ut melius de jure videbitur*, quia non utrumque simul fieri potest, sed alterutrum, nisi fortassis habuerit quis justam, & rationabilem causam suæ dubitationis, quam possit reddere, eò quia non bene sibi innotuerit, utrum talis persona eligenda esset, vel postulanda. Quo pacto alterutram viam sic optatus eliget, vel postulationis, vel electionis, & consensum intra mensem post præsentationem sibi factam suæ electionis, vel postulationis debet præstare, ut colligitur ex *c. perpetuò unic. h. t. in 6.*

4 Dicitur ob aliquod impedimentum, non verò delictum, quia crimine notatus, nequit eligi, nec postulari *C. unic. eod. tit. in 6.* Rursus debet hoc impedimentum esse canonicum, adeò ut per superiorem tolli possit, & si postulatus sit minor ætate, debet is attigisse annum 27. *c. unic. h. t. in extravag.* Joan. XXII. Rursus cautum est, ne in hisce postulationibus dispensatio super canonicis impedimentis difficilis sit, ut notat Panormit. *ad cap. fin. circa finem h. t.*

5 Quinimò postulantes scienter indignum, privantur facultate postulandi; ut etiam eligendi qui indignum eligunt, & tunc facultas postulandi, vel eligendi transfertur ad alios, licèt numero pauciores *c. cùm in cunctis §. sanè c. 2. de postulat. Prælat. & in extravag. un. de postulat. Prælat.* ubi statuitur, ut qui 27. ætatis annum nondum ingressum ad Ecclesiam cathedralem postulaverint, vel professum Ordinis mendicantium; pro illa vice priventur jure postulandi, & eligendi, & à beneficiis, quæ in eadem Ecclesia possident per triennium sunt suspensi, Barb. *in c. cùm in cunctis de elect. §. Cler.* liquet igitur, postulationem esse supplicem quandam à collegio canonicorum apud superiorem petitionem, quâ suppliciter postulatur, ut aliqua persona certæ dignitati, vel certæ Ecclesiæ vacanti, præficiatur, quæ per impedimentum canonicum, quod non est animi, vel corporis vitium, eligi non potest. Ut autem postulatio sit legitima, tria requiruntur: primò potestas, seu licentia postulandi in illis, qui postulant: secundò ut postulatio ad illum dirigatur, qui possit illam admittere : tertiò ut fiat de illo, qui possit à superiore promoveri.

6 Hinc postulari non potest, ut præficiatur alicui Ecclesiæ vacanti laicus, *can.* Osius *dist. 6.* neque illegitimè natus *c. innotuit 20. inf. de elect.* nec minor ætate *c. cum in cunctis. c. cùm nobis 19. inf. eod. tit.* in minoribus constitutus, *c. præterea. inf. de qualitate ord.* neque Episcopus, aut Archiepiscopus unius Ecclesiæ potest postulari pro alia *c. ult. juncto. c. bonæ memoriæ 3. h. t.* quia Episcopus cum ecclesiæ suæ spirituali matrimonio sit alligatus *c. 2. & 3. ext. de translat. Epis.* ad alium Episcopatum, nec eligi, nec postulari debet *c. fin. ext. h. t.* neque postulari potest perjurus in judicio: neque inobediens, qui non paret sententiæ, & voluntati Prælatorum suorum *c. 1. de postulat. Prælat.* neque nondum professus in aliqua religione potest tacitè, vel expressè postulari in Prælatum regularem, *c. cùm causam 26. de elect.* nisi urgente necessitate & professionem emittere paratus esset *c. cùm monasterium, & c. offic. de elect.* neque Epilepticus, nisi fortassis liberatus esset per annum *c. cum inter 21. de elect. c. cõmuniter dist. 5.* neq; mutilatus *c. exposuisti de corpore vitiatis* neque Bigamus, & irregularis, quia tales censentur omnino inhabiles.

Postulatio ritè peracta tam à postulantibus, 7
quàm à postulato sũmo Pontifici, vel inferiori Prælato oblata, firmitatem induit; adeo ut à postulantibus nequeat ampliùs revocari: ante oblationem tamen nil obstat, quin revocetur, per quod differt ab electione, quia hæc publicato semel scrutinio non est ampliùs mutationi obnoxia, ne juri acquisito præjudicium inferatur *c. bonæ memoriæ 3. de postulat. Prælat.*

Hinc postulatio differt ab electione, quia il- 8
la est de personâ habili ad dignitatem, ad quam eligitur, postulatio autem de persona laborante aliquo impedimento, ac indigente dispensatione super eodem impedimento à superiore, ut possit promoveri. Rursus quia electus electionem canonicam simpliciter de se factam potest acceptare, & acquirit jus, ut à superiore confirmetur in dignitate, ad quam fuit legitimè electus : postulatus autem non nisi conditionatè, si dispensationem obtinuerit; potest in postulationem consentire, ut notat, Passerin. *in tract. de elect. c. 24. q. 8. n. 13. & q. 14. n. 50.* Tum quia admissio electionis legitimæ debetur ex justitia, & admissio postulationis est pura gratia, adeò, ut nulla fiat postulato injuria, si Pontifex non admittat postulationem: siquidem denegare gratiam ex arbitrio dependet superioris *c. 3. & penult. h. t.* quâ ratione in terminis juris electio dicitur confirmari, eò quia supponat jus acquisitum in electo, quod enim confirmatur supponit jus aliquod præexistens: Secus postulatio dicitur admitti, eò quia nullũ jus prævium supponat in postulato. Id tamen non semper est verum, quia sicut ob justam, & publicam causam dispensatio super irregularitate, & similibus videtur nonnunquam ex officio esse debita; ita etiam admissio postulationis, si hæc juxta formam juris peracta fuerit, & omnes de capitulo unanimes, & concordes postulaverint insignem aliquam personam, quæ plurimum Ecclesiæ sit profutura : licèt in hoc casu æquè postulantibus, ac postulato non tam propria actio contra denegantem admissionem, quàm imploratio officii apud judicem superiorem videatur competere, ut docet Glossa in *c. bonæ memoriæ 3. h. t.* Demum differt postulatio ab electione, quia in hac sufficit, si major pars Capitularium consentiat in electum *c. quia propter de elect.* postulatio verò, si concurrat cum electione ut paulò superiùs diximus, adeò ut ex capitularibus aliqui eligant, & alii postulent, exigit, ut numerus postulantium sit duplò major, quàm eligentium, ita ut duæ tertiæ capitularium stent pro postulato, alioquin electio etiam à minori parte capituli facta erit præferenda *c. scriptum 40. de elect.* & ibi Glossa, & Panor.

nor. *de elect.* Sin verò postulatio cum electione non concurrat, constans plurimorum opinio est, quam habent Goffred. Hostien. Abbas, sufficere, si major pars Collegii consensum præstiterit, ut colligitur *ex c. scriptum de elect.* quia quod à majori parte Collegii fit à toto Collegio concordi, & consentiente censetur factum, *c. 1. & ult. de iis, quæ fiunt à majori parte, & l. quod major ff. ad municipalem.* Quamobrem licèt verum sit, in gratia à Collegio concedenda omnes debere concordare, ita ut nec unus dissentiat: id tamen nihil obstat, quia id intelligendum est, quando Collegium gratiam faceret, non quando peteret, ut in postulatione, in qua petit, ut postulatus à superiore promoveatur.

9 Quærunt aliqui, an postulantes scienter indignum ipso facto jure priventur postulandi, & eligendi facultate? aliqui negant ob eam causam, quia hæc pœna iis tantùm irrogetur, qui eligunt scienter indignum, non verò qui postulant: & pœnæ cùm sint odiosæ, restringi debent, non laxari. Communior tamen sententia est, postulantes scienter indignum privari ipso facto jure postulandi, & eligendi, idque deducunt, *ex c. 1. & 2. de postulat. Prælat. & c. scriptum ad finem de elect.*

10 Quæri etiam solet, an postulatus possit jure repetere expensas ex consensu postulantium factas, si postulantes postea voluntate mutata, alium postulaverint? Respondetur negativè, quia sola postulatio nullum jus tribuit, quapropter postulatus debet sibi imputare, si expensas fecerit, & in pœnam ambitionis, deberet mulctam luere. An verò postulantes crimen simoniæ contrahant? Respondent communiter, posse contrahere, quia tametsi postulatio Jus nullum ad dignitatem Ecclesiasticam tribuat, viam tamen ad illam sternit: & quia omnis pactio, & conventio de dando, aut recipiendo emolumento temporali ratione postulationis simoniam redolet, cùm sit pactio in spiritualibus, in quibus omnis conventio de dando, vel recipiendo emolumenta temporalia ipso jùre prohibetur *C. duo de simonia.* ideò nulli dubium, quin postulantes aliquando crimen simoniæ possint incurrere.

11 Bipartitur Postulatio in solemnem, & non solemnem, illa est, quæ dirigitur ad eum, qui potest super impedimentis postulati dispensare, & postulationem admittere, quapropter licet confirmatio electionis de jure ad proximum superiorem pertineat, admissio tamen postulationis, etiam ipso jure plerumque ad solum summum Pontificem pertinet, quia ejusdem superioris est super impedimentis dispensare, cujus est Canones, & jura laxare, ac vinculum, quo postulatus obstringitur solvere, ut omni semoto impedimento possit promoveri *c. postulationem s. h. t.* & Gloss. *in c. indemnitatibus de elect. in 6.* Sed admissio postulationis, licèt regulariter spectet ad Summum Pontificem, potest etiam subinde ad inferiorem pertinere, si speciali privilegio, vel consuetudine munitus fuerit.

Postulatio [illegible] solemnis est, in qua non petitur dispensatio contra jus, nec relaxatio legis, sed tantùm facultas, & consensus superioris, ut privatus Religiosus possit in Episcopum postulari, vel in Prælatum alterius monasterii assumi, ad quod etiam requiritur licentia illius superioris, cui immediatè subjicitur: ac impetrata facultate, postulatio non tam est postulatio, quàm electio: nam SS. Canones omnibus regularibus concedunt, ut non tantùm ad alia monasteria, verùm etiam ad Episcopatus Ecclesiarum Cathedralium, licèt sæcularium eligi, vel assumi licitè possint, dummodo accessserit superioris consensus. 12

Non tamen censendum est, regulares indigere licentiâ suorum Prælatorum pro acceptando Episcopatu, quando ipsis confertur à Summo Pontifice. Neque obstat, privilegium Alexandri IV. concessum Ministro generali Ordinis Minorum, & est constitutio quarta hujus Pontificis: quia procedit Privilegium, quando contingit, regularem eligi, aut postulari ad Episcopatus. Proinde procedit de electionibus, & postulationibus, quæ fiunt ab inferioribus, quales olim consueverunt fieri à Capitulis Cathedralibus: siquidem postulatio fit ab inferiore ad superiorem, proinde intelligitur etiam de electione facta ab aliquibus inferioribus Papâ. Siquidem in præcitato Decreto verbum postulare subsequens ad verbum eligere, declarat de quânam electione Pontifex intelligat, scilicèt de illa, quæ fit ab iis, à quibus fit etiam postulatio, *l. utrum ff. de petit. hæred. & C. qui filiabus init. & l. si servum §. fin. ff. de legat. 1.* Præterea ex verbis subsequentibus dicti Privilegii, duo Summus Pontifex prohibet; primum est, quòd fratres minores non possint assentiri sine licentia suorum Prælatorum electioni, aut postulationi de se factæ in ordine ad Episcopatus. Secundum, quòd non possit quis absque tali licentiâ tametsi fuerit legatus Sedis Apostolicæ, dummodo non sit Cardinalis, eos assumere ad Episcopatus, vel alias dignitates extra Religionem. Cùm igitur assumi, & assentiri electioni, & postulationi sint correlativa, & prohibitio Pontificis dirigatur ad utrumque correlativum; non debet esse magis ampla in uno, quàm in alio, quia regula correlativorum est regula parium *l. Julio §. si procurator. ff. de act. empt.* Tum quia si Pontifex excipit Cardinalem legatum, à fortiori non intelligit sibi manus ligare. 13

Cæterùm postulatio ritè facta, Papæ, vel alteri inferiori superiori oblata firmitatem induit, adeò, ut non detur locus pœnitentiæ *c. bonæ memoriæ 23. ver. nec nocebat de el.* rursus postulatus, si ante admissam postulationem recipiat administrationem Ecclesiæ, ad quam fuit postulatus, privatur omni commodo, & jure postulationis Rom. *cons. 330. Coll. penult. n. 21. vers. quoad ultimum.* imò postulantes, qui talem postulatum admiserunt ante admissam postulationem privantur jure suo pro illa vice, & fit devolutio ad Papam, & Sedem Apostolicam Rom. *d. cons. 330. n. 21. & 22.* 14

§. II.

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selecta quaestiones.

1 Quæritur primò, an omnis ineligibilis ad Prælaturam possit postulari. Cùm illi tantùm possint solemniter postulari, qui ob impedimentum Canonicum eligi non possunt, adeò ut postulatio introducta sit in subsidium electionis, ideo dubium oritur, an omnis ineligibilis, seu inhabilis ad Prælaturam possit postulari? Respondetur negativè, sed requiri necessariò, ut sit ineligibilis, & inhabilis propter defectum dispensabilem, in quo possit, & soleat Superior dispensare: ratio est, quia inutilis, & omnino illicita esset postulatio, si is postularetur, qui non posset honestè, nec utiliter suum obire munus, ad quod per postulationem fuerat promotus, & desumitur ex *c. 1. §. nos igitur*, & ibi Glossa *in fin. h. t.* Inhabilitas verò, quæ potest, & solet dispensari est defectus Sacri Ordinis in magnis Principibus, ut etiam defectus natalium, si quis illegitimè natus sit *c. innotuit 20. de elect. atatis legit.* Talis defectus est etiam vinculum alterius Episcopatus *c. etiamsi 6. h. t.* Sunt etiam alii defectus dispensabiles, & qui non impediunt; quò minus postulatus cum utilitate, & honestate præfici possit, simúlque cum ædificatione fungi suo munere. Ut autem postulatus fiat habilis per dispensationem necesse est, ut hujusmodi defectus, seu inhabilitates manifestet Superiori: alioquin postulatio est irrita.

2 Sin verò inhabilitas talis sit, in qua dispensari non possit, vel non debeat, cujusmodi est morum infamia, ruditas, si quis omnino sit illitteratus, vel si sit crimine aliquo notatus, & in eo insordescat: tum qui talem defectum patitur, sicut non potest eligi, ita nec postulari, ut notat Hostiensis hic in summa. Idque etiam procedit, si defectus talis sit, ut in ipso non soleat dispensari *c. nisi cum pridem 10. §. persona verò de renuntiat.* Qui etiam interdictum loci scienter, vel temerè violavit, nec eligi potest, nec postulari, & desumitur ex *c. ad hac 1. b. t.* Ratio est, quia suspensionem contraxit, immo, & irregularitatem, ut notat Glossa *in d. c. ad hac v. personam*, & docet Suarez. *de censur. disp. 34. sect. 4. n. 14.* eo enim ipso, quòd quis est suspensus ab officio, & beneficio ob violatum interdictum locale, est etiam suspensus ab omni jurisdictione.

3 Quæritur secundò, an Episcopus possit eligi, vel debeat postulari ad alium Episcopatum? Respondetur Episcopum, & Archiepiscopum, ut etiam quemlibet alium Prælatum non posse eligi ad alium Episcopatum, vel Archiepiscopatum, sed debere postulari, quòd si eligeretur, & non postularetur, electio foret irrita, & non posset per superiorem confirmari, idque desumitur ex *c. unanimiter ult. b. t.* ubi cùm Canonici Calaritani in Archiepiscopum suæ Ecclesiæ unanimiter elegissent Episcopum Sutrinensem: hanc electionem, ut repugnantem sacris Canonibus Honorius III. declaravit irritam, ac nullius valoris, eò quia Episcopus non possit eligi: quia cùm sit Ecclesiæ suæ alligatus, non potest priùs alium Episcopatum acceptare, quàm per Apostolicæ Sedis Authoritatem, à priore Episcopatu solutus fuerit. Ex quo textu liquet, Episcopum ad alium Episcopatum, vel Archi-Episcopatum non posse eligi, sed tantùm postulari; adeò ut si postulandus eligatur, electio irrita sit. Hinc si Canonici velint ad Episcopatum, vel aliam Prælaturam promovere Episcopum, vel alium de jure inhabilem, non debent in libello supplici transmittendo Pontifici ponere verbum illud *eligimus*, vel *elegimus*, sed *postulamus*, vel *postulavimus*. Cùm igitur Episcopus spirituali matrimonio copulatus sit Ecclesiæ, ad quam primò fuerat assumptus, *c. sicut alterius 39. caus. 7. q. 1. c. 2. & ult. de translatione Episcop.* & ad indicandum hoc vinculum cum sua Ecclesia annulum in digitis gerat. *c. pen. juncta.* Glossa *v. annulus de vita, & honest. Cleric.* Sequitur, quòd sicut in matrimonio carnali, qui nupsit uni mulieri non potest ea vivente alteri nubere: ita nec Episcopus cum jam sit conjunctus uni Ecclesiæ, non potest desponsari alteri, nisi per legitimam Authoritatem Summi Pontificis à vinculo prioris Ecclesiæ solvatur, alioquin committeret adulterium spirituale. Postulari tamen potest Episcopus ad alium Episcopatum, quia postulantes in postulatum nunquam consentiunt tanquam in sponsum; sicut consentiunt eligentes; rursus nec postulatus consentit priùs in posteriorem Ecclesiam, ad quam postulatur, quàm à vinculo prioris Ecclesiæ solvatur à Summo Pontifice.

4 Quæritur tertiò, an Episcopus tantùm electus, vel etiam confirmatus, sed nondum consecratus debeat postulari, vel eligi, si promovendus sit ad alium Episcopatum? Respondetur, Episcopum tantùm electum, & nondum confirmatum, nec consecratum esse eligendum, non postulandum. Ratio est, quia tametsi ex vi electionis acceptatæ inchoaverit conjugium spirituale cum Ecclesia, ad quam fuit electus *c. cum inter 21. de elect.* attamē cùm possit renuntiare tali electioni de se factæ, antequam confirmetur à Papa *c. si electio 26 de elect. in 6.* fit, quòd si promovendus sit ad aliū Episcopatum, & renuntiaverit electioni prius de se factæ, non debeat ad alium Episcopatum postulari, sed eligi in *c. ult. n. 7.* Ratio est, quia per renuntiationem prioris electionis solutum est vinculum cum prima ecclesia, proinde nil videtur obstare, quo minus possit tunc eligi in Episcopum alterius ecclesiæ. Neque obstat, quòd conjugium spirituale cum prima ecclesia fuerit initiatum per ipsam electionem jam acceptatam *c. ult. de translat. Epis.* quia id licèt verum

verum sit, quia tamen hoc conjugium nondum est ratum; seu perfectè contractum, cùm fiat ratum per confirmationem, ideò potest solvi, & solutus contrahere conjugium spirituale cum alia ecclesia.

5 Hinc ad secundam partem quæsiti patet solutio, scilicet Episcopum confirmatum, & nondum consecratum non esse eligendum, sed postulandum ad alium Episcopatum, quia per confirmationem conjugium spirituale cum ecclesia ratificatur, & electus confirmatus non potest ampliùs eidem renuntiare sine licentia Papæ, quamvis conjugium spirituale per consecrationem nondum sit consumatum. Quinimò nec potest eligi, quamvis unanimiter suffragia omnium eligentium in ejus concurrerent favorem nemine discrepante, quia postulandus non potest simpliciter eligi, sive omnes electores concurrant, sive tantùm major pars, idque desumitur ex *c. etsi unanimiter ult. h. t.* ubi cum Canonici Calaritani in Archiepiscopum ecclesiæ suæ elegissent Episcopum Sutrinensem, Honorius III. eam electionem ut attentatam contra sacros canones declaravit irritam, ex ea præcisè ratione, quia Episcopus confirmatus, & consecratus non possit eligi, sed tantùm postulari ad alium Episcopatum, sive concurrant omnia suffragia, sive major pars eorundem, & Pontifex addit etiam rationem: quia cum Episcopus consecratus sit alligatus suæ ecclesiæ, non priùs alium Episcopatum acceptare potest, quàm per Apostolicæ sedis authoritatem solvatur à vinculo prioris Episcopatus. Ex quo textu liquet, electionem illius, qui juxta canones erat postulandus ipso jure esse irritam.

6 Quæritur quartò, an Episcopus consecratus, si postuletur ad aliam ecclesiam adigi possit ad illam acceptandam? Respondetur, quòd si necessitas id exigat, & magna utilitas ecclesiæ, possit etiam invitus compelli authoritate tamen Pontificia ad acceptandam aliam ecclesiam *c. scias 35. caus. 7. q. 1.* Ratio desumitur ex eo, quia, ecclesia universalis est unum corpus misticum, proinde qui semel Episcopalem dignitatem in hac ecclesia universali suscepit, non potest resistere Papæ, sed tenetur eidem parere, si ob bonum publicum velit illum transferre ad aliam particularem ecclesiam. Tum quia ex eo, quòd transferatur ad aliam ecclesiam non mutatur dignitas respectu ecclesiæ universalis, sed tantùm locus. Quamobrem Episcopus respectu Papæ perinde se habet, ac Monachus respectu sui Abbatis, & sicut Monachus non habet potestatem contradicendi suo superiori *c. non dicatis 11. c. 12. q. 1.* ita neque Episcopus potest contradicere mandatis Papæ, si id vergat in utilitatem ecclesiæ. Hodie tamen quando postulatur Episcopus ad alium Episcopatum solet simul impetrari à Sede Apostolica alia dispensatio, ut postulatus priorem etiam Episcopatum possit retinere, & in digniore residere. Cæterum si Episcopus postulatus nondum sit consecratus, non potest cogi ad suscipiendum alium Episcopatum, quia invitus nemo consecratur; debet tamen renuntiare Episcopatui, si nolit consecrari, petitâ tamen priùs licentiâ à Papa *c. 2. de translat. Episc.*

Quæritur quintò, an Episcopi Titulares eligi, vel postulari debeant, si promovendi sint ad alium Episcopatum. Episcopi Titulares dicuntur, qui creantur Episcopi alicujus ecclesiæ in partibus infidelium, in qua propterea non resident, nec jurisdictionem exercent, eò quia omnes commorantes in tali districtu modò sunt infideles. Creantur verò Episcopi Titulares, ut suffragari possint aliis Episcopis, eosque juvare in obeundis muneribus Episcopalibus, quo pacto solent etiam dari, ut Coadjutores Episcopis infirmis, senibus, vel simili alia ratione impeditis *can. pastoralis 7. q. 1.* ut notat Barbosa *de potest. Episc. c. 6. n. 17. & sequent.* Hinc licèt Episcopi Titulares non exerceant functiones Episcopales in proprio Episcopatu, possunt tamen eas exercere, ut suffragentur, vel sint auxilio aliis Episcopis iisdem petentibus, proinde habendi sunt in honore sicut cæteri Episcopi ob Characterem Episcopalem, quo insigniuntur. Hinc respondetur ad quæsitum, Episcopos Titulares non esse eligendos: sed tantùm postulandos ad alium Episcopatum: ratio est, quia Episcopi Titulares insigniuntur vero charactere Episcopali, quo constituuntur propriè, & formaliter Episcopi *argum. can. legimus §. ubicunque dist. 93. & can. Pastoralis 7. q. 1.* ut notat Barbosa *de potest. Episc. p. 1. tit. 1. c. 6. n. 15.* ergo sicut Episcopus consecratus non potest eligi, sed tantùm debet postulari, si promovendus sit ad alium Episcopatum; ita etiam Episcopus Titularis nonnisi per postulationem promoveri potest ad alium Episcopatum, etenim Episcopi Titulares consecrantur eodem prorsus ritu, quo cæteri Episcopi juxta Pontificale Romanum in *tit. de consecr. elect. in Episc.* Rursus inter hos Episcopos, & ecclesiam, ad quam consecrantur habetur verum conjugium spirituale; perinde ac inter Episcopum non Titularem, & propriam suam ecclesiam, in qua exercet suam jurisdictionem *c. inter corporalia de translat. Episc.*

Demum Episcopos Titulares esse postulandos, non eligendos, si promoveantur ad alium Episcopatum clarè desumitur ex stylo Curiæ Romanæ: siquidem solent à Romano Pontifice Episcopis Titularibus concedi Brevia eligibilitatis, si promovendi sint ad alium Episcopatum, ut nimirum beneficio Brevis eligibilitatis possint eligi ad alium Episcopatum, ad quem tantùm potuissent postulari. Præterea quia per accidens se habet, quòd Episcopi Titulares non possint residere in suis ecclesiis, & in illis exercere jurisdictionem Episcopalem: quia nimirum iniquitas temporum, & bellorum violentia effecit, ut hujusmodi Ecclesiæ, cum suis Diœcesibus occuparentur ab infidelibus: unde licèt nunc careant Clero, & subditis Christianis, adhuc tamen manent Ecclesiæ Cathedrales sicut antea, proinde Episcopi Titulares non carent suis sponsis, cum quibus conjugium contraxerunt spirituale, quapropter etiam Episcopi Titulares vocantur ad Concilium generale,

ut notat Barbosa *de offic. & potest. Episcopi.alleg.at.93. n. 1.* & habent perinde, ac Cæteri Episcopi votum decisivum, & ita fuit ad praxin deductum in Concilio Tridentino, à quo fuerunt cogniti pro veris, & absolutis Episcopis: nec in jure ulla fit distinctio quoad dignitatem Episcopalem inter Titulares non habentes Clerum, & alios Episcopos habentes populum Christianum: Ratio est, quia tametsi Titulares non habeant actu populum Christianum in habitu, vel actu; tamen possunt illum habere,& adire suas Ecclesias, ibique exercere jurisdictionem Episcopalem.

9 Quæritur sextò, an Cardinales Romanæ Ecclesiæ debeant eligi, vel postulari ad Episcopatum? Certum est, ex Cardinalibus alios esse Episcopos, alios simplices Sacerdotes, & alios tantum Diaconos. Respondetur, Cardinales non Episcopos, sed tantùm Presbyteros, vel Diaconos posse eligi in Episcopos, non verò postulari solemniter; quamvis debeant postulari non solemniter pro impetranda licentia Papali, ut possint è Curiam exire, ut notat Fagnanus *c. bonæ memoriæ n. 16. h. t.* idque desumitur *ex c. Ecclesia vestra 57. de elect.* ubi legitur, quòd Presbyter Cardinalis fuerat electus in Episcopum. Tum quia in Cardinalibus non Episcopis cessat ratio Conjugii spiritualis, ob quod Episcopi non possunt eligi, sed tantùm postulari ad alium Episcopatum: Cùm enim Presbyteri Cardinales non contraxerint conjugium spirituale cum ulla speciali Ecclesia, non ligantur vinculo, quo impediantur contrahere conjugium spirituale cum aliqua Ecclesia. Quòd verò Cardinalis non Episcopus postulandus sit non solemniter, liquet *ex d. c. Ecclesia 57. n. 15. de elect.*

10 Ratio etiam assignatur ab Innocentio in *c. ad hæc 1. n. 3. h. t.* Quia quoties assumendus in Episcopum non potest absque dispensatione Superioris acceptare Episcopatum, tum requiritur postulatio solemnis, sin verò possit quis acceptare sine dispensatione; tum electio potest locum habere, tametsi requiratur licentia Prælati, cui promovendus subjicitur: hinc si Monachus sit promovendus in Episcopum, is postulari quidem debet, non tamen postulatione solemni; sed tantùm, ut electus in sui electionem possit consentire, & licentiam impetret transeundi ad Prælaturam: atqui hoc idem contingit in Cardinale non Episcopo; hic enim nullibi in jure Canonico prohibetur, ne possit ad Episcopatum promoveri: sed tantùm prohibetur, ne Cardinalis ad Episcopatum assumatur sine prævia licentia & consensu Summi Pontificis, eò quia præsentia Cardinalis in urbe plerumque utilior sit non solùm Ecclesiæ Romanæ, verùm etiam Ecclesiæ universali, quàm si resideret in Ecclesia particulari, ut habetur in *c. bonæ 3. h. t.* Quamobrem Cardinalis non Episcopus nulla indiget dispensatione, ut possit promoveri ad Episcopatum, sed sufficit, si solam obtineat licentiam à Papa recedendi è Curia, proinde Cardinalis assumendus in Episcopum postulari non debet solemniter, sed tantùm non solemniter, ut obtineat licentiam recedendi à Curia.

In contrarium tamen videntur plura obstare. Primò, quia Cardinales etiam non Episcopi sunt majores Episcopis, quos præcedunt. Secundò, quia Cardinales non Episcopi exercent jurisdictionem, quasi Episcopalem in Ecclesiis sui Tituli, suntque majores Episcopis *argum. Extravag. si fratrum, Joann. XXII. ne sede vacant.* Sed Episcopi non possunt eligi ad alium Episcopatum, proinde nec Cardinales, qui propterea perinde, ac Episcopi postulari debent. Tertiò, quia indecens est, ut quis per electionem à majore dignitate ad minorem descendat, *argum. c. 1. de translat. Episc.* Episcopatus verò est inferior Cardinalatu, quia Cardinales in Ecclesia sunt in gradu eminentiori, & præcedunt Episcopos. Quartò, quia *in c. bonæ memoriæ 3. h. t.* Quidam Sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis fuit in Archiepiscopum postulatus. Quintò, quia Cardinales constituunt unum corpus cum Papa *argum. c. si quis cum militibus 6. q. 1.* immò in executione sacerdotalis officii sunt Coadjutores Papæ *c. per venerabilem §. sunt autem, qui filii sint legit.* Quâ ratione dicuntur Cardinales habere alas ligatas, ne exeant è Romana Curia, absque licentia Papæ *c. Ecclesia vestra 57. n. 15. de elect.* 11

12 Verùm hæc non obsunt. Ad primum respondetur cum Abbate *in c. Ecclesia n. 15. & sequent.* Quòd tametsi Cardinales sint majores Episcopis, ratione officii, eò quia constituant unum corpus cum Papa, sintque ejus Consiliarii, & Coadjutores in executione sacerdotalis officii, *c. per venerabilem 13. §. rationibus, qui filii sint legitimi.* Nihilominus Episcopi in ratione dignitatis Episcopalis sunt majores Cardinalibus non Episcopis: Siquidem non datur ordo major Episcopatu, adeò ut etiam ipse Papa sit Episcopus Ecclesiæ Catholicæ, & in sua ordinatione se Episcopum nominat, & differt ab aliis Episcopis, quia Papa est Episcopus universalis totius Catholicæ Ecclesiæ: & alii Episcopi non sunt universales, sed tantum particulares, unusquisque in propria Ecclesia cum jurisdictione limitata, & dependenter à Papa. Præterea quamvis dignitas Cardinalatûs esset simpliciter major illâ Episcopatu, id tamen non obesset, quin Cardinalis non Episcopus sit eligendus, non postulandus ad Episcopatum: Ratio est, quia causa, cur Episcopus consecratus, vel etiam confirmatus non possit eligi ad alium Episcopatum, non est dignitas in Episcopo major, vel minor, sed spirituale Vinculum Conjugii initi cum Ecclesia, cujus est Episcopus: qua ratione non possunt Electores Canonici ipsum promovere ad novum Episcopatum, nisi priùs solvatur à vinculo prioris spiritualis Conjugii: hæc autem ratio cessat in Cardinale non Episcopo, ut per se liquet. Cardinales igitur, ut notant Panormitanus in *cap. bonæ memoriæ n. 15. h. t.* & alii communiter sunt tantùm majores Episcopis quoad Officium, eò quia eorum munus sit inservire Statui Ecclesiæ universalis *c. bonæ memoriæ 3. h. t.* Secus quoad dignitatem ordinis Episcopalis, non sunt

sunt majores Episcopis, quia in ecclesia sui tituli habeant jurisdictionem quasi Episcopalem, non tamen inde sequitur, quòd propriè habeant totam jurisdictionem Episcoporum, cùm non sint Episcopi, nec contrahant fœdus spiritualis conjugii cum ecclesia proprii sui tituli: & quia ratio conjugii spiritualis est causa, cur Episcopi non possint eligi, sed debeant postulari; & hæc ratio cesset in Cardinalibus etiam habentibus in ecclesiis sui tituli jurisdictionem quasi Episcopalem, sequitur, Cardinales non Episcopos posse eligi ad Episcopatum. Hinc ad tertium patet solutio, quia Cardinalatus tantùm ratione officii est dignitas major illâ Episcopi; non verò quoad dignitatem Ordinis Episcopalis: cum in ecclesia non reperiatur ordo major Episcopatu, quapropter Episcopus *c. 1. §. per frontis de sacra unctione*, dicitur summus sacerdos, quatenus supra Episcopum in ratione Ordinis Episcopalis non datur ordo superior. Ad quartum desumtum ex *c. bonæ memoria 3. h. t.* responderi solet, verbum illud *postularunt* in textu illius capitis poni impropriè quoad Cardinalem, nimirum intelligendo verbum illud de postulatione minus solemni: quæ re ipsa est electio, & nonnisi laxè dicitur postulatio, qui enim postulatur non solemniter, ejus electio dicitur etiam postulatio simplex ut docet Abbas in *c. ecclesia 57. n. 15. de elect.* Quòd verò in *d. c.* dicitur de altero Episcopo, qui simul dicitur postulatus, quoad ipsum postulatio sumitur in sensu proprio.

13 Quæritur septimò, quomodo postulatio solemnis differat à postulatione non solemni? Respondetur, postulationem solemnem tunc dici, quando quis postulatur ab eo superiore, qui test in impedimento, seu defectu postulati dispensare: unde admittere postulationem ordinariè pertinet ad solum summum Pontificem, quia ipsi soli regulariter competit potestas dispensandi, & alteri inferiori ex privilegio, vel consuetudine inolita. Postulatio verò non solemnis seu simplex ea dicitur, in qua non petitur dispensatio contra jus, seu relaxatio legis, sed solùm licentia, seu consensus Superioris ad promotionem postulati, cui eidem subest, ut exemplificavi de Religioso, qui à Canonicis postulatur in Episcopum, vel de Monacho unius Monasterii postulato in Abbatem alterius Monasterii: neuter enim potest sine licentia proprii Prælati promoveri, proinde requiritur postulatio, quâ petatur, seu postuletur licentia transeundi, vel ad Prælaturam, seu Episcopatum, vel à proprio Monasterio ad regimen alterius. Hinc respondetur ad quæsitum: postulationem non solemnè differre à solemni. Primò quia in solemni postulatur directè sponsus, seu persona assumenda in Prælaturam: secus in non solemni petitur tantùm aliquid prævium, vel concomitans seu consensus illius, cui assumendus subest, vel etiam alterius, qui in tali sumptione habet interesse. Secundò quia postulatio solemnis semel admissa à superiore habet vim electionis, & confirmationis, proinde postulatus acquirit jus, ac si fuisset elect⁹, nec indiget confirmari: secus in non solemni licèt postulatio admittatur, adhuc postulatus debet eligi per secreta suffragia, & electus debet confirmari à superiore, seu Pontifice, ut notat Abbas in *c. ad hæc 1. n. 34. h. t.* Tertiò quia postulatio simplex non necessariò fit collegialiter, sed sufficit, si tollatur obstaculum, seu obtineatur consensus Superioris. Secus est de postulatione solemni, quia cùm sit canonica forma providendi ecclesiæ viduatæ suo Pastore, non debet aliter fieri, quàm ab Electoribus capitulariter congregatis, ut docet Passerinus *c. 24. de elect. q. 1. n. 4.*

Quæritur octavò, an Abbates, & alii Clerici inferiores Episcopis debeant eligi, vel postulari si promovendi sint ad aliam ecclesiam, seu dignitatem: Respondetur, Clericos omnes inferiores Episcopis non prohiberi in jure eligi, ut notat Passerinus *in d. c. 24. q. 12. n. 38.* ratio est, quia inter Abbates, & Clericos Episcopis inferiores, & eorum ecclesias conjunctio non est tanta, quanta inter Episcopum, & suam ecclesiam, nec eorum conjunctio cum suis ecclesiis, vel dignitatibus est conjugium spirituale, quia hoc initur tantùm inter Episcopum, & suam ecclesiam *can. sicut vir. & can. sicut alterius 7. q. 2. c. inter corporalia de translat. Episc.* unde cùm inter Clericos infra Episcopos, & eorum ecclesias non contrahatur propriè matrimonium spirituale; nil obstat, quin inferiores Clerici possint eligi ad ecclesiam Episcopalem: quia tunc non committitur bigamia spiritualis, cùm Clericus non sit sponsus duarum. Hinc sacri canones permittunt, ut Clerici Episcopis inferiores sive sæculares sint, sive regulares, possint assumi ad ecclesiam cathedralem ex licentia suorum superiorum: unde cùm nullum canonicum impedimentum habeant quo minus eligi possint, & nullo jure prohibeantur eligi; non indigent postulatione, ut promoveantur ad Episcopatum: quia postulatio tantùm subintrat in defectum electionis. 14

Tum quia postulatio supponit canonicum impedimentum in postulato, super quo requiritur necessariò dispensatio, & hoc impedimentum non reperitur in Clericis Episcopo inferioribus. Hinc Abbas eligi potest in Episcopum *tex. in c. si Abbatem 26. de elect. in 6.* quia licèt Abbas sit exemptus, seu imediatè subjiciatur sedi Apostolicæ, ex licentia Papæ potest ad aliam ecclesiam transire, imò hanc licentiam potest obtinere à Legato de latere *d. c. si Abbatem 26. de elect. in 6.* Sin verò Abbas non sit exemptus, tunc sufficit licentia proprii Episcopi, vel immediati Superioris *argum. c. si Religiosus eod. tit. in 6.* Quòd etiam Præpositi, & habentes dignitatem inferiorem possint & ipsi eligi, constat ex *c. cum inter 21. de elect.* quòd etiam Religiosi eligibiles sint, liquet ex *c. nullus 28. de elect. in 6.* Religiosi, tamen cùm non habeant proprium velle, & nolle, necessè est, petant, & obtineant licentiam à suo superiore, ut possint promoveri ad dignitates extra suum Monasterium. 15

Quæritur nonò, quænam sint differentiæ inter postulationem, & electionem? Respondetur differre: primò, quia electio cadit supra personam alioquin habilem ad dignitatem: Postulatio 16

ſandi : Siquidem admiſſio poſtulationis vim habet confirmationis, ut notatur in *c. fin. n. 10. h. t.* Quamobrem poſtulatio facta ad Epiſcopatum alium de uno Epiſcopo à ſolo Papa admittitur, quia ceſſio, & translatio Epiſcoporum enumeratur inter cauſas majores, quæ ſoli Papæ reſervantur. *c. quod translationem 4. de offic. legati. c. ut. debitus 59. in fin. de appellat.* Secus ad eccleſias vel dignitates inferiores Epiſcopatu poſtulatio & ejus admiſſio poteſt fieri ab epiſcopis, aliiſque prælatis eccleſiaſticis inferibus , quibus poteſtas competit confirmandi , dummodo diſpenſare poſſint in defectu , ob quem fit poſtulatio : ſiquidem carens poteſtate diſpenſandi, nequit poſtulationem admittere cùm hæc
24 ſupponat ſublatum impedimentum , conſequenter diſpenſationem.

Quæritur undecimò , an Superior poſſit non admittere poſtulationem ſibi præſentatam. Certum eſt, ſuperiorem non teneri ex obligatione juſtitiæ rigoroſæ admittere poſtulationem ſibi præſentatam, tametſi poſtulatus idoneus ſit, & unanimiter ab omnibus vel à duabus tertiis Capitularium poſtuletur : quia cùm per poſtulationem nullum jus acquiratur poſtulato, Superior non facit illi injuriam, ſi nolit eam admittere, quia ubi non eſt jus , non poteſt eſſe læſio juris : & ubi non eſt læſio juris, non habetur injuria propriè ſumpta, idque deſumitur ex *c. poſtulationem 5. h. t.* ubi habetur, quòd ſuperior poſſit expellere poſtulationem factam, eò quia per eam nullum jus alicui acquiritur. Quia ut habetur in *d. c.* Strigonienſe Capitulum Colocenſem Archiepiſcopum unanimiter poſtulavit, ſed cum aliqui ſe opponerent adducentes ſe fuiſſe contemptos , ſeu non vocatos. Reſpondit Innocentius III. quòd licèt per hujusmodi poſtulationem nullum jus ſit alicui acquiſitum, & ideò poſſet ſine alicujus præjudicio poſtulationem illam rejicere: nihilominus ex ſpeciali gratia, ait, ſe voluiſſe providere , ut utraque pars Capitularium diſcordantium per idoneos Procuratores ad omnia ſufficienter inſtructos coram Papa ſe repræſentet, & utraque præſente, quod juſtum fuerit , decernatur. Ex hoc textu liquet, poſtulationem etiam unanimiter factam , vel etiam à duabus partibus Capituli poſſe à Su-
25 periore rejici, eò quia per illam nullum jus ſit alicui acquiſitum , ut dicitur in textu.

Præterea cùm tota admiſſio poſtulationis nitatur gratiâ Superioris,non tenetur Superior hanc gratiam impertiri poſtulato , quia gratia denegatur citra injuriam alterius. Tum quia in poſtulatione ſemper habetur impedimentum, & quòd Superior diſpenſet ſuper illo eſt gratia , quam Superior non tenetur facere: non enim diſpenſatio Superioris ſuper impedimento procedit ex debito juſtitiæ propriè , ſed tantùm ex gratia , quam Superior non tenetur ex juſtitia alteri facere. Nihilominus ſi ex admiſſione poſtulationis magna utilitas oriretur in eccleſia, vel inde maximum damnum eidem impediretur , tunc teneretur Prælatus ex debito officii poſtulationem admittere, factam, vel unanimiter ab omnibus Capitularibus , vel à duabus tertiis: ratio eſt , quia Prælatus eccleſiaſticus tenetur ex officio publicum eccleſiæ bonum promovere , & non impedire. Hinc ſi Prælatus inferior habens poteſtatem diſpenſandi in defectu; poſtulationem legitimè factam ex juſta cauſa vel ex unanimi conſenſu omnium Capitularium,vel ex duabus tertiis eorundem nolit admittere; poſſunt poſtulantes implorare officium Superioris Prælati, ut compellat recuſantem admittere poſtulationem , ut notat Gloſſa in *c. bonæ memoriæ V. gratia 3. h. t.* Hinc ſi poſtulatio facta ſit unanimiter ab omnibus Capitularibus, vel à duabus eorum partibus , & alioquin perſona poſtulata ſit idonea ; & valdè utilis eccleſiæ , tunc poſtulatio ſine injuria poſtulantium , & eccleſiæ non poteſt rejici ; licèt admiſſio talis poſtulationis ſit gratia generalis, qualem ſcilicet Superior communiter ratione officii facere ſolet , ut cenſent aliqui. Verùm putârim id non procedere de injuria poſtulantium,& eccleſiæ propriè ſumpta , quia eo ipſo quòd admiſſio poſtulationis eſt gratia , ſive generalis , ſive ſpecialis , jam non eſt ex juſtitia: conſequenter ex non admiſſa poſtulatione non poteſt alicui propriè injuria inferri- 26

Quæritur duodecimò, quid juris ſi non duæ partes Capituli in poſtulationem alicujus non conſenſerunt , ſed tantùm major pars poſtulaverit unum, & minor alium elegerit ? Reſpondetur , quòd ſi tum utraque poſtulatio , & electio præſentetur ſuperiori, poſſit hic pro arbitrio conſideratis circumſtantiis, meritis & qualitalibus perſonarum, poſtulationem admittere , vel electionem confirmare ; vel etiam utramque rejicere: ratio eſt quia tunc neutri acquiritur jus ante conſenſum à confirmatore præſtitum. Non jus acquiritur electo , quia ut electio valida ſit debet fieri à majore parte Capituli : neque jus acquiritur poſtulato, quia huic per poſtulationem nullum acquiritur jus: unde tunc in arbitrio eſt Superioris , quem maluerit admittere, vel rejicere , & neutri fit injuria, quia uterque eſt excluſus ex defectu Canonicæ poſtulationis, & electionis. Quamvis regulariter poteſtas, Capituli nequeat reſidere in minore parte ejuſdem ; ſi tamen poſtulantes, qui duas tertias Capituli non conſtituunt unà cum electione facta à minore parte aliorum Capitularium præſentent poſtulationem ſuam Superiori , tum tacitè cenſentur conſentire, ut vel eorum poſtulatio admittatur , vel aliorum electio confirmetur, cum ſciant poſtulationem non factam concorditer ab omnibus, vel ſaltem à duabus partibus Capituli non admitti, niſi ex ſpeciali gratia, ut habetur in *c. penult. h. t,* ubi dicitur , quòd Superior poſſit repellere poſtulationem factam, & per eam nullum jus alicui acquiri. Cæterum ut electio præferatur poſtulationi factæ à minore parte Capitularium , quàm à duabus partibus, debet eſſe facta à majore parte, quàm ſit tertia *c. ſcriptum 40. de elect.* Pari

pacto postulatio facta à minore, quàm tertia parte Capituli non est à superiore admittenda.

27 Quæritur tertiodecimò, quænam sint pœnæ scienter postulantium indignum. Quæstio procedit tantùm de indignitate, seu inhabilitate indispensabili, in qua vel non potest, vel non solet dispensari, ut si quis sit prorsus illiteratus, criminosus, vel alio impedimento indispensabili detineatur? Respondetur scienter postulantes ad Prælaturam indignum propter vitium indispensabile pro ea vice ipso jure privari potestate postulandi, & eligendi. *c. gratum 2. h. t.* ubi Innocentius III. rescribit, innovantes postulationem vitio personæ cassatam esse privatos potestate postulandi, & eligendi. Id enim statutum est etiam de eligentibus scienter indignum *c. cum in cunctis 7. §. fin. de elect.* quæ constitutio Concilii Lateranensis sub Alexandro III. quamvis pœnalis sit, extenditur ab Innocentio III. in *c. 1. fin. h. t.* ad postulantes indignū, & declarat, eos ipso jure pro ea vice privatos potestate postulandi, & eligendi, perinde ac scienter eligentes indignum, adeò ut Pontifex non tam jus novum condiderit, quàm vetus fuerit interpretatus. Quamvis regulariter pœnæ utpote odiosæ debeant potius restringi, quàm extendi: nihilominus quia postulatio, & electio in jure æquiparantur, eò quia tendant ad eundem finem providendi ecclesiæ vacanti: ideo etiam in materia pœnali dispositum de electione censetur etiam dispositum de postulatione ob æquiparantiam, ut notat Glossa communiter recepta in *c. si postquam 33. V. provisione de elect. in 6.*

28 Rursus ex *d. c. gratum 2. h. t.* liquet, eos, qui postulationem personæ indignæ temerè factam, & à Superiore ob vitium personæ cassatam renovant, esse ipso jure etiam pro ea vice privatos facultate sibi concessa eligendi, & postulandi; quia tunc renovantes postulationem personæ indignæ cassatam à Superiore abutuntur potestate sibi data, & privilegio sibi concesso, proinde merentur talem potestatem amittere, & ea privari. Regulariter tamen qui privilegio sibi concesso abutitur non ipso facto eodem privatur, sed tantùm debet privari per sententiam Judicis, ut habetur in *c. ubi 7. dist. 24.* ubi solùm dicitur, quòd abutens privilegio mereatur illo privari. Illud autem verbum *meretur* non importat amissionem ipso jure, seu facto, sed tantùm amissionem incurrendam per sententiam Judicis.

29 Quæritur quartodecimò, quis sit effectus postulationis? Respondetur, effectum; præcipuum postulationis solemnis esse, quòd postquam ea admissa est à Superiore vim habeat electionis confirmatæ, adeò ut postulatus, si semel admissus sit à Superiore consequatur omne jus, perinde ac si fuisset electus ac confirmatus, & non indigeat alia confirmatione, vel electione. Effectus verò postulationis simplicis, seu non solemnis est, ut facta admissione, seu obtenta licentia Superioris, ita postulatus possit eligi, si antequam eligeretur, postulatus fuerit; vel possit electus confirmari, si post electionem postulatio facta, seu licentia à Superiore petita sit, ut notat Sylvester *V. postulatio q. 9.* Pirhing. *lib. 1. tit. 5. de postul. n. 3.* siquidem potest hujusmodi postulatio fieri, vel post electionem canonicè celebratam sub tamen conditione, quæ de jure inest, si Superior consenserit, quia præstito consensu purificatur electio, & electus acceptans electionem de se factam sibi acquirit jus, ut notat Sylvester *V. postulatio q. 3. dict. 4.* vel potest consensus peti à Superiore ante, ipsam electionem, non enim per hoc præjudicatur liberæ electioni, quia talis consensus prævius Superioris non operatur, ut aliquod jus conferatur postulato, sed tantùm facit, ut electus possit acceptare electionem, & eidem consentire, statim ac fit electus.

Quæritur quintodecimò, quænam sit Causa formalis, & finalis postulationis. 30
Respondetur, causam formalem esse eandem cum forma eligendi per scrutinium præscripta in *c. quia propter 42. de elect.* adeò ut forma servanda in electione ibi præscripta servanda sit etiam in postulatione: quia electio, & postulatio in jure æquiparantur quoad ea, quæ pertinent ad requisitas juris solemnitates, & cùm admissio postulationis pari modo se habeat, quo confirmatio electionis, ideò utrinque servanda est eadem forma: hinc quamvis Pontifex non servata forma, seu solemnitate Scrutinii ex plenitudine potestatis possit postulatum admittere, & confirmare; id tamen ordinariè non facit, quia vult servari formam Scrutinii. Causa finalis postulationis est etiam eadem cum illa electionis, nimirum provisio ecclesiæ viduatæ. Causa motiva est necessitas, & utilitas, si enim nullus fit idoneus ad Prælaturam è corpore ecclesiæ, ex necessitate aliunde postulatur.

Quæritur sextodecimò, an postulatio facta à majore parte capituli, si non concurrat electio 31
valeat, & possit admitti à superiore? Respondetur affirmativè, & deducitur ex *c. Bonæ memoriæ 3. §. Attendentes h. t.* ubi Innocentius III. rejicit postulationem factam à minore, quàm tertia parte capitularium; eò quia fedes Apostolica hujusmodi postulationes non soleat admittere: ergo à contrario sensu si postulatio sine concursu electionis facta fuerit à majore parte capitularium admitti potest, ut notat Abbas in *d. c. Bonæ memoria 3. n. 12. h. t.*

TITU-

TITULUS VI.

De Electione, & Electi potestate.

EGit Pontifex in præcedente titulo de Postulatione, quâ Clerici per viam gratiæ promoventur ad dignitatem ecclesiasticam: nunc pergit agere de Electione, quâ per viam juris promoventur ecclesiastici, & assumuntur ad dignitates: postulatio enim gratiæ; electio verò juri innititur. Jus autem electionis antiquum est in ecclesia, adeout Imperatores Leo, & Anthemius *in l. 30. si quemquam C. de Episc. & Cler.* constituerint, ut quoties ad gradum Episcopatûs quis promovendus sit, id fiat puris hominum mentibus, nudâ electionis conscientiâ. Verùm licèt in Germania etiamnum frequens sit usus electionis in Ecclesiis non solùm regularibus, verùm etiam secularibus; in aliis tamen regnis, & provinciis valde exiguus est, imò fermè nullus, quia Principes ex indulto Sumi Pontificis, tum ad Episcopatus, tum ad omnes primas dignitates ecclesiasticas nominant personas, quas Summo Pontifici confirmandas præsentant, vel instituendas. Subjicitur huic titulo etiam de Electi potestate; eò quia de eadem non videatur posse commodiori loco tractari. Extat hic titulus in sexto, septimo, Clementinis, & Extravagantibus tum Joannis XXII. tum Communibus.

SUMMARIUM EXEGETICUM

Omnium Capitum, quæ in hoc Titulo continentur.

C. *NULLUS 1. h. t. LUCIUS Papa statuit, ut Collegiata ubi sunt duo, vel tres, debeat provideri per electionem eorumdem; alioquin electus sit expellendus. Nota discrimen, duo enim constituunt congregationem ut in textu. Tres Collegium* l. Neratius ff. de verb. signif. *quamvis in uno retineatur Jus Collegii* l. sicut §. ult. ff. quod cujusque univers. *Decem Populum* can. unic. 3. quæst. 10. *Plures quàm decem vel quindecim turbam* l. Prætor. ait ff. vi bon. rapt. *quatuor, vel quinque porci, & decem oves constituunt gregem* l. oves ff. de Abigeis *Ad constituendam familiam tres ad minimum requiruntur* l. Detestatio ff. de V. S. *quòd verò duo faciant collegium id procedit de Jure Canonico; quia Jure civili requiruntur tres;* d. l. Neratius 5. *quia plures sunt Laici, quàm Clerici, ut notat Panormitanus hic n. 5.*

C. *OSIUS 2. h. t. Ex concilio Sardicensi statuitur, Episcopum non esse eligendum ad clamorē populi. Nota variè variis temporibus ex dispensatione, concessione, vel permissione Pontificum fuisse Episcopos electos post tempora Apostolorum, qui potestate à Christo accepta Episcopos designârunt, & elegerunt; & olim etiam populum una cum Clero in electione Episcoporum jus suffragii habuisse probat Barbosa* lib. 3. de Jure Ecclef. c. 8. n. 65. *posteà constitutum fuisse, ut solus Clerus eligeret, sed populus consentiret* c. Nôsse d. 63. *vide Barbosam usque ad* num. 34.

C. *POSTQUAM 3. h. t. GREGORIUS III. mandat, ut Superior antiquum confirmet electum, inquirat de vita, & moribus in loco ubi fuit immoratus. Nota quòd superior tenetur confirmare electum si idoneus sit. Solus autem Pontifex ex plenitudine potestatis ob publicam utilitatem potest rejicere legitimè electum, ut magis idoneum promoveat.*

C. *SIGNIFICASTI 4. h. t. Paschalis Papa declarat, Archiepiscopum electum antequam pallium à Papa accipiat, teneri priùs jurare fidelitatem, & obedientiam. Item Concilia non dare legem Romanæ Ecclesiæ; sed Papam dare robur, & authoritatem Conciliis. Item juramentum ob legitimas causas non esse in sacris scripturis prohibitum.*

C. *QUIA DILIGENTIA 5. h. t. ALEXANDER III. statuit, ut Electio Schismatici, qui schisma abjuravit, si à Schismatico nullum ordinem suscepit, & canonicè fuit electus, permittatur dispensativè confirmari. Nota schismaticum non posse eligi Episcopum, nisi schisma abjuraverit, eique cum juramento renunciaverit: idque procedere etiam in*

causa

causa Heresis c. quoties I. q. 7. *Item ordinatos à Schismaticis non posse eligi, & electos repelli ab exercitio Ordinum* c. 1. & 2. de Schismaticis. c. Arianos I. q. 1.

C. *LICET* 6. *h. t. In Concilio Lateranensi statuitur, ut Romanus Pontifex, non nisi à duabus partibus Cardinalium sit eligendus, quod si à paucioribus eligatur nullatenus assumatur: quòd si nomen Pontificis usurpaverit, tam ipse, quam qui eum reciperent, subjaceant excommunicationi, & totius sacri ordinis privatione mulctentur. Nota contra Papam electum à duabus partibus Cardinalium nullam posse exceptionem objici, nisi solùm de heresi.* Vide *Barbosam* lib. 1. Jur. Eccles. c. 1. à n. 30. ad finem.

C. *CUM IN CUNCTIS* 7. *h. t. In eodem Concilio Lateranensi statuitur, ut Episcopus non eligatur, nisi triginta ætatis annos exegerit, & legitimè natus, sitque vitâ, & scientiâ commendabilis. Item ut post ejus confirmationem, & definitum consecrationis tempus, beneficia, quæ habet, eo ipso vacent. Item ut nullus suscipiat Decanatum, Archidiaconatum, aut beneficium Parochiale, vel aliud curatum antequam annum attigerit ætatis 25. & nonnisi scientia, & moribus fuerit commendabilis. Item ut si electus admonitus non ordinetur tempore præfixo à sacris canonibus sit removendus à beneficio, nec possit appellare, & beneficia dentur aliis. Item ut eligentes contra formam hujus canonis priventur potestate eligendi pro illa vice, sintque suspensi per triennium à beneficio. Item ut Episcopus si secus fecerit amittat potestatem conferendi illa beneficia, & officia, & ordinentur per Capitulum, vel Metropolitanum; si capitulum non possit concordare. Nota quatuor requiri in promovendo in Episcopum 1. ætas triginta annorum, qui sint completi, & non sufficiant inchoati. 2. ut sit legitimè natus. 3. vita probata, & morum gravitas.* 4. *Scientia: hæcque ex Concilio Trident. sess.* 22. c. 2. de Reform. *Rursus ut vacent beneficia electi in Episcopum quatuor etiam requiruntur. 1. ut sit legitimè electus 2. ut sit confirmatus. 3. ut adeptus sit possessionem, & administrationem bonorum ecclesiasticorum. 4. ut sit consecratus, vel non sit in mora petendi consecrationem, quam tenetur petere intra tres menses post confirmationem* c. 2. dist. 75. §. 2. & can. 2.

C. *SI CAUSAM* 8. *h. t.* Ex eodem Concilio *declaratur, quòd compromittentes teneantur acceptare electum à compromissario, si electus sit idoneus. Nota arbitrium compromissarii si sit contra jus, vel formam datam non valere. Item si malè elegit, vel electus nolit consentire, non potest iterum eligere alium, quia jam suo est officio functus.*

C. *NOSTI* 9. *h. t. ALEXANDER III. statuit, ut Electus ante confirmationem non possit conferre beneficia, vel aliquid administrare: quòd si administraverit eo ipso repellitur* c. qualiter, & quando h. t. *nisi id fecerit in casu necessitatis, vel utilitatis ecclesiæ.*

C. *CONSIDERAVIMUS* 10. *h. t. Item Pont. declarat, electionem factam post appellationem, & primâ non cassatâ, & contra privilegia ecclesiæ, esse cassandam. Nota, electionem post appellationem extrajudicialem non esse ipso jure nullam, sed esse irritandam, si appellatio fuerit legitima, & interposita à parte: secus si fuerit interposita à Judice, vel extrajudicium; tunc enim gesta contra appellationem, licèt extrajudicialem, sunt nulla.* c. dilecti c. dilectis de Appellat.

C. *SUFFRAGANEIS* 11. *h. t. Idem Pont. declarat, metropolitanum electum, & confirmatum, antequam recipiat pallium posse mandare suffraganeis, ut consecrent Episcopum. Quia per confirmationem conceduntur ea, quæ sunt jurisdictionis.*

C. *SUPER EO* 12. *h. t. CLEMENS III. rescribit, quòd si electio alicujus non propter vitium personæ, sed ob modum electionis cassetur, non impediat, quo minus is ad regimen alterius ecclesiæ, imò etiam ejusdem possit promoveri, nisi fortassis aliquid intercesserit Simoniacæ pravitatis. Nota, electionem posse cassari ex duplici defectu, personæ scilicet, & formæ; ex defectu personæ si electus non sit legitimè natus, vel illi objiciatur crimen: defectu formæ, si in electione non fuit servata forma canonica; vel non fuerunt omnes vocati, qui erant vocandi: vel non consensit major pars: vel electores fuerunt aliqua censura irretiti. Electio cassata vitio personæ impedit aliam ipsius promotionem sive in eadem, sive in diversa ecclesia; quia vitium personæ illam sequitur.*

C. *CUM MONASTERIUM* 13. *h. t. COELESTINUS III. declarat, Religiosum alterius Monasterii posse eligi in Abbatem. Nota dummodo sit ejusdem ordinis: alioquin posset solùm postulari.*

C. *CUM TERRA* 14. *h. t. Idem Pont. rescribit, electionem debere esse omnino liberam, & contrariam consuetudinem non valere. Rursus Electores teneri in unum locum convenire, & invocatâ Spiritus sancti gratiâ personam nominare. Non tamen prohibetur, quin Patriarchæ, vel Regis pro tempore assensus requiratur, ubi moris est, sed tantùm mandatur, ut Electio liberè, & canonicè fiat; & non possit impediri à Laico. Nota, consuetudinem contra libertatem ecclesiasticam non valere.*

C. *TRANSMISSAM* 15. *h. t. Idem Pont. declarat, per confirmationem tradi potestatem jurisdictionis, non Ordinis: pertinent autem ad jurisdictionem, cujus sunt actus, judicare, investire, beneficia conferre. & alia id genus, quæ transeunt in Electum confirmatum, Qui propterea antequam consecretur potest præfatos actus exercere. Ad potestatem ordinis pertinet, Clericos confirmare, deponere; chrisma conficere, benedicere Virginea*

gines, & ecclesias, ac alteria consecrare; & alia hujusmodi, quæ non possunt exerceri nisi ab Episcopo consecrato.

C. *CUM INTER 16. h. t. INNOCENTIUS III. rescribit, suspensos non posse eligere, neque suspensum eligi. Item eum, qui renuntiavit electioni, non posse appellare ad impediendam electionem alterius, quia non sua interest. Nota renuntiantem juri spirituali, seu beneficio, teneri purè renuntiare, alioquin esset Simoniacus.*

C. *QUALITER 17. h. t. Item Pont. rescribit, electum administrantem ante confirmationem, vel non habentem sufficientem scientiam esse expellendum, & ejus electionem cassandam. Nota quòd ei non noceret, si ut simplex canonicus aliquid disponeret de rebus ecclesiæ, ut salvæ essent, & alioquin perirent.* l. pro hærede ff. de acquir. hæred. *Caterum ex hoc textu non potest Episcopus electus ante confirmationem exercere ea, quæ sunt jurisdictionis: quia si non sit idoneus non confirmatur, sed repellitur.*

C. *CUM INTER 18. h. t. Idem Pont. declarat, longè distantes, & scientes vacantiam Ecclesiæ non esse expectandos pro electione, eò quia longa mora noceat, etiamsi inter illos esset Decanus. Nota quòd si valdè distantes fuerint semel invitati ad electionem sunt expectandi secundùm terminum datum. Hac tamen in re servanda est consuetudo, quæ alicubi habet, ut omnes, qui in regno sunt, vocentur; quod dicitur esse de consuetudine ecclesiæ Gallicanæ. Item si aliqui sint legitimè impediti, electio potest prorogari ultra terminum.*

C. *CUM NOBIS 19. h. t. Idem Pont. rescribit, quod quando appellatur, non ut fiat electio, sed ut fiat canonicè; non ideo electionem ritè factam esse irritam. Secus si contra electionem fiat approbatio. Item si vocati ad electionem accedere nolint, & alienos se ab illa faciunt, nec possunt electioni facta contradicere. Item licet nihil contra electum objiciatur, officium tamen confirmatoris est, ut de persona electi inquirat. Quòd si non constet, electum habere sufficientem ætatem ad Episcopatum, Papa si Ecclesiæ utilitas id exigat, potest ecclesiæ illi dare Procuratorem in temporalibus; & tunc Pontifex dispensat in jure communi; quia dubius de ætate validè non potest eligi* c. 3. cum in cunctis h. t.

C. *INNOTUIT 20. h. t. Idem Pont. declarat, illegitimum postulari posse, non eligi in Episcopum; & electores, nisi probent ignoranter elegisse, incidere in canonem 7. Concilii Lateranensis III. ubi talis electio irritatur; & gravis pœna imponitur eligentibus. Papa tamen potest dispensare. Nota quòd licèt illegitimus, vel indignus ob defectum possit postulari; non tamen indignus ob crimen. Præterea ignorantia crassa, & supina eligentium non excusat, quia tenentur adhibere diligentiam, an electus sit ido-*

neus: & tunc quamvis non fuerit idoneus, excusantur; tenentur tamen probare suam ignorantiam; vel adhibitam diligentiam, vel per juramentum argumento c. unic. de serv. c. Pastoralis de Excess.

C. *CUM INTER 21. Idem Pont. rescribit, electores non posse compromittere in præjudicium electi, quamvis non sit de gremiò Ecclesiæ, dummodò electus electioni consenserit: & id procedere tametsi contra electum fuerit appellatum. dicatúrque, ipsum laborare morbo epileptico: quia si constiterit ipsum epilepsia non laborare, & nullum habere canonicum impedimentum, quicquid post electionem in ipsius præjudicium factum fuerit, irritum est, ac nullius valoris: & ipsa electio confirmanda est. Nota per consensum electi, & eligentis contrahi spirituale conjugium inter ecclesiam, & electum: adeo ut hoc conjugium consistat in solo consensu eligentium; & electi, perinde ac matrimonium carnale constat ex solo consensu inter virum, & uxorem* c. sufficit 27. q. 2. *Per confirmationem tale vinculum efficitur ratum; quatenus non potest electus ampliùs renuntiare sine consensu superioris* c. 2. de translat. Episc. *Per consecrationem verò hoc matrimonium dicitur consummari.* c. fin. eod.

C. *DUDUM 22. h. t. Idem Pont. declarat, quòd si major pars Capituli eligat unum; & minor alterum, si primus erat indignus ob aliquod canonicum impedimentum; idque notum erat tempore electionis electio est nulla; & electio facta à minore parte debet confirmari: sin verò primus non erat indignus remanet electus, & secundus cassatur. Notá quòd si major pars eligat scienter indignum, & minor dignum, potestas eligendi devolvitur ad minorem: quòd si major pars eligat ignoranter indignum, & probet ignorantiam non privatur jure eligendi. Rursus electus debet esse idoneus scientiâ, ætate, & ordine tempore electionis, aliàs electio est nulla. Neque sufficit si hæc requisita superveniant post electionem: quia* ex Regula juris in 6. *Quod nullum est à principio, tractu temporis non convalescit.*

C. *BONÆ MEMORIÆ 23. h. t. Idem Pont. rescribit; quòd qui ante admissionem postulationis admittunt postulatum, ut institutum, vel administratorem privantur potestate eligendi, & potestas devolvitur ad alios licèt pauciores, & si nullus sit de capitulo, ad Papam. Rursus quòd excessus notorius examinatione non indigeat, & pro his, quæ à Judice sunt acta, præsumitur, quòd omnia fuerint ritè celebrata. Item quòd negativa non possit directè probari. Nota discrimen inter postulationem, & electionem: quòd si postulatus ante postulationis admissionem administret temporalia, vel spiritualia vigore hujus textûs postulatio ipso jure est nulla; & postulatores ea vice privantur po-*

potestate eligendi, & postulandi; & potestas eligendi devolvitur ad reliquos canonicos licèt pauciores. Secus si electus ante confirmationem se ingerat administrationi, electores non privantur jure eligendi, neque electio est irrita, sed irritanda; & electus amisit jus ex electione acquisitum c. Avaritiæ h. t. in 6. Rursus si negativa sit facti pura, & simplex; ut si quis dicat, se nunquam fuisse citatum, non potest probari directè; & de hac negativa loquitur textus: & tunc onus probandi incumbit adversario. Quòd si huic negativæ adjiciatur aliqua determinatio loci, temporis, & consimilis; tunc indirectè probari potest c. ex tenore h. t. Rursus si negativa contineat implicitè affirmativam probari potest; ut si quis dicat se consensisse sed coactè; tunc debet probare coactionem. Negativa verò juris, ut si quis asserat, electionem non fuisse legitimè factam probari potest, ac debet: quia quisque præsumitur idoneus, nisi contrarium probetur.

C. QUERELAM 24. h. t. Idem Pont. declarat, sufficere electo probare; electores fuisse in quasi possessione tempore electionis; quamvis aliud non probet. Idem sententiam latam super possessione non præjudicare proprietati: & spoliatum esse restituendum ante quæstionem proprietatis. Nota, electionem in hoc textu sumi laxè pro præsentatione, quia populus dicitur in quasi possessione scilicet præsentandi, ut observat Parnorm. hìc n. 6.

C. CUM VINIONIENSIS 25. h. t. Idem Pontifex statuit, ut eligentes scienter indignum, vel illegitimum juxta concilium Lateranense per trienium careant ecclesiasticis beneficiis, ac priventur potestate eligendi pro illa vice: & hæc facultas tunc devolvitur ad illos, qui non deliquerunt. Nota, eos qui amiserunt potestatem eligendi pro illa vice, posse admitti ad electionem ab his, ad quos devoluta est potestas hæc eligendi. Rursus suspensi per triennium à beneficio, eò quia elegerint indignum excepta prima vice possunt aliis vicibus eligere, & negotia tam spiritualia, quàm temporalia exercere.

C. PER INQUISITIONEM 26. h. t. Idem Pont. mandat, eligentes indignum in Episcopum suspendi à beneficiis per triennium. Neque posse interim assumi ad dignitatem illius ecclesiæ. Nota, eum, qui electores solicitat pro sua electione reddere se indignum; quia probatur ambitiosus c. nonnulli dist. 93. Si tamen id præstet, ut possit prodesse proximo non est damnandus, dummodo adsit intentio sincera c. qui Episcopatum desiderat 8. q. 1.

C. CUM CAUSAM 27. h. t. Idem Pont. declarat, non professum non posse eligi ad regimen ecclesiæ regularis non obstante consuetudine: quia secundùm legem divinam non est arandum in asino, & bove, Deuter. 22. Nota cum hoc textu concordare jure novo Concilium Tridentinum sess. 25. de Regul. c. 22. ubi statuit; commendas tolli; & monasteriis, ac ecclesiis, quæ suos conventus habent, non nisi personas regulares ejusdem ordinis expressè professas posse præfici.

C. QUOD SICUT 28. h. t. Idem Pont. rescribit, per electionem factam de tribus, quæ potiùs erat nominatio, nihil juris acquisitum esse nominatis, & licitè procedi potuisse ad electionem Canonicam, non obstante appellatione principis; cui non simplex nominatio, sed solemnis electio præsentanda est. Item appellatione interpositâ ab eo, cujus non interest, vel sine causa factam non impedire electionem: ut nec etiam si qui sunt de corpore vocati nolint venire: secus si contemnantur, vel non vocentur, electio est nulla, nisi pro bono pacis deinde consentiant. Item Episcopum, antequam consecretur, & dum celebratur missa consecrationis, non posse ordines conferre, quia debet concelebrare principaliter celebranti. Item Archiepiscopum antequam sumat pallium non posse ea exercere, quæ sunt illius ordinis, ut ordinare, conferre chrisma, convocare concilium, dedicare Basilicas, consecrare Episcopos. Item solum Papam consecrari ante hymnum Angelicum, & deinde incipere missam. Cum alii inferiores Episcopi consecrentur inter Epistolam, & evangelium. Nota, nominationem non dare jus nominato: & ratione contemptus aliquorum posse electionem etiam post confirmationem electi cassari: id tamen procedit si contempti non comparuerint, neque contradixerint, quando emissum fuit edictum pro confirmatione. Sin verò nondum sit facta confirmatio, debent isti prosequi contemptum intra tempus datum ad eligendum, argum. c. 2. de concess. præbend.

C. AUDITIS 29. h. t. Idem Pont. rescribit, electionem factam à minori parte capituli esse ipso jure irritam; neque consolidari per subsequentem consensum. Nota ex textu colligi, talem electionem esse ipso jure irritam, quia non fuit facta cum consensu partis majoris; sed longè minoris: quia potestas capitularis non residet penes minorem partem; quæ propterea defectu potestatis non potest eligere.

C. IN CAUSIS 30. h. t. Idem Pontifex declarat, potestatem datam compromissariis ad eligendum Prælatum, re non integra, scilicet si jam inchoaverint tractatum, non posse revocari. Nota id procedere quando potestas non datur favore personarum: sed ut faciliùs provideatur ecclesiæ, per viam compromissi; adeo ut compromissarii sint nudi ministri, & Executores: tunc enim re non integra non potest data potestas revocari: sed solùm re integra. Unus tamen solus de capitulo re integra non potest revocare hanc datam potestatem, quia compromissarii sunt Procuratores totius capituli, non unius tantùm singularis: hinc hæc data potestas non potest revocari, nisi à majore parte argum. c. 1. de his quæ fiunt à major. part. capit.

C. CUM

C. *ECCLESIA 31. h. t. Idem Pontifex rescribit, de consuetudine, Electionem Canonicorum posse pertinere ad solum Capitulum. Nota, de jure pertinere ad Capitulum, & Episcopum simul. In Germania tamen Capitula Cathedralia, ut plurimum in mensibus alternis conferunt canonicatus : & sex alios menses Pontifex sibi reservat per concordata.*

C. *CUM DILECTUS 32. h. t. Idem Pont. declarat, compromittentes teneri acceptare electum à compromissariis : si secundùm formam compromissionis elegerint. Nota, sententiam interlocutoriam; si intra decem dies non appelletur, transire in definitivam.*

C. *CUM IN IURE 33. h. t. Idem Pont. statuit, quòd si ex septem Compromissariis tres elegerint unum ex septem; & alii tres unum ex gremio Capituli, recipiendus sit electus ex septem, si aliud canonicum impedimentum non obstet. Nota, electum non computari in numero eligentium, licèt non desint, qui contrarium sentiant.*

C. *VENERABILEM 34. h. t. Idem Pont. decernit, Electionem Imperatoris pertinere ad septem Principes Germanos; & ad Papam pertinere examinare, an dignus sit, eúmque consecrare, ac coronare, & in defectu supplere, & data paritate vocum gratificare, cui vult. Vide Layman.* in quæst. Canonicis de elect. c. 13.

C. *CORAM 35. h. t. Idem Pont. rescribit, absentes de Provincia non esse vocandos ad electionem; & electum à majori, & saniori parte esse confirmandum. Nota id procedere, quando provincia est perquàm ampla, & periculum sit in mora : secus si provincia non sit ita ampla, & electores sint valde vicini, tunc enim vocari debent. Verùm circa vocationem standum est consuetudini.*

C. *BONÆ MEMORIÆ 36. Idem Pont. statuit, ante sepulturam demortui, vel contempto saltem uno, non posse fieri electionem; & factam esse irritam. Non tamen potestatem eligendi devolvi ad illum unum. Nota, non posse validè procedi ad secundam electionem post primam celebratam, si illa sit valida; vel dubium sit de illius validitate : quia quamdiu prima electio non est notoriè nulla, periculum est, ne altera attentetur invalidè : unde expectari debet judicium superioris.*

C. *CUM AD NOSTRAM 37 Declarat Idem Pont. non Monachum non posse fieri simul Monachum, & Abbatem. Nota, eum qui fit Monachus cum promissione vel spe principali, ut eligatur in Abbatem esse simoniacum. Secùs si fiat Monachus cum spe tantùm secundaria habendi honores.*

C. *OFFICII TUI 38. h. t. Idem Pont. mandat, eum qui non est instructus in regula Monachali non posse eligi in Abbatem : quia non potest quis esse magister antequam fuerit discipulus. Concedit tamen, ut postquam fuerit in regula competenter instructus, si necessitas urgeat, & evidens utilitas monasterii id exigat, purgatione recepta possit in Abbatem assumi. Nota quòd in hoc textu, cum vir nobilis, cùm pri-*

mùm monachum induit, fuerit electus in Abbatem, præsumitur aliquid ambitionis, & promissionis; vel quid aliud minus legitimum intervenisse : proinde indicitur ei purgatio; quia ut habetur in c. in Scripturis, 8. q. 1. *Fugientibus, & non desiderantibus conferenda sunt dignitates.*

C. *ILLA QUOTIDIANA INSTANTIA 39. h. t. Idem Pont. rescribit, excommunicatum minori excommunicatione posse eligere; & electionem suum sortiri valorem. Nota, quòd licèt possit eligere, non tamen eligi* c. si celebrat de cler. excommun. min. *quia minor excommunicatio, quæ & simplex in hoc textu dicitur, non privat potestate eligendi activè; sed tantùm passivè.*

C. *SCRIPTUM 40. h. t. Idem Pont. statuit, quòd si concurrant simul postulatio, & electio, si postulatus sit idoneus, & numerus postulantium sit duplò major, quàm numerus eligentium, admittitur postulatio, rejectâ electione : Secùs si numerus postulantium non sit duplò major; tunc enim admittitur electus, si sit dignus. Idque etiam procedit, si scienter postularunt indignum rejicitur enim postulatio, & postulantes privantur pro ea vice potestate eligendi; seu postulandi; quòd si ignoranter postulârunt indignum, rejicitur postulatus, & electus. Nota, quòd si cum postulatione nulla concurrat electio, tunc non est necesse, ut postulatio facta sit à duabus partibus, sed sufficit à majore parte capituli; & tunc potest a superiore confirmari.*

C. *NE PRO DEFECTU 41. Idem Pont. statuit, ut ultra tres menses Cathedralis Ecclesia, vel Regularis non vacet. Intra quos (justo impedimento cessante) si electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant, eligendi potestate carent pro illa vice : & potestas eligendi deducitur ad proximum superiorem, qui intra alios tres menses cum Consilio Capituli, & aliorum prudentum debet providere de persona idonea Ecclesiæ ejusdem, in qua si non reperiatur digna; debet assumere aliam alterius Ecclesiæ, sub pœna canonicæ ultionis. Nota, Ecclesiam regularem, & cathedralem æquiparari quoad tempus eligendi; & negligentes eligere intra trimestre, ipso facto privari potestate eligendi ea vice; & teneri eligere dignum, qui sit de gremio illius Ecclesiæ, si adsit : quòd si superior stante digno illius Ecclesiæ eligeret in prælatum aliquem alterius Ecclesiæ, adhuc electio valeret : quia multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent.* cap. nuptiarum 27. q. 1. & c. si vir. 76. dist.

C. *QUIA PROPTER 42. h. t. Idem Pont. præscribit formam canonicam, scilicet ut cum electio fuerit celebranda, præsentibus omnibus, qui debent, & volunt, & possunt commodè interesse, assumantur tres de collegio fide digni, qui secretè, & sigillatim vota cunctorum exquirant, & in scriptis redacta, mox publicent, nullo appel-*

 latio-

lationis obstaculo interposito; ut is collatione habita eligatur, in quem omnes, vel major, vel sanior pars capituli consenserit, vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur vice omnium. Aliter electio facta non valet. Nisi fortassis communiter esset ab omnibus quasi per inspirationem sine vitio celebrata. Qui verò contrà has formas scrutinii, compromissi, & inspirationis eligere tentaverint, eligendi potestate ea vice privantur. Rursus mandat ut absentes, non constituat procuratores pro electione, nisi sint legitimè impediti; & si opus fuerit jurent se non posse venire; & si velint committere, committant alicui ex capitulo. Item prohibentur electiones clandestinæ, & statuitur, ut cum primùm electio fuerit celebrata solemniter publicetur. Nota hanc decretalem procedere non solùm de Episcopis, verùm etiam de cæteris omnibus aliis Prælatis etiam regularibus, & aliis habentibus jurisdictionem generalem in Ecclesiis collegiatis: quia hi omnes vocantur sponsi Ecclesiarum c. sicut 21. q. 1.

C. *QUISQUIS* 43. h. t. *Idem Pont. rescribit, ut consentiens electioni suæ per potestatis sæcularis abusum careat electionis commodo, fiatque ineligibilis. Et rursus qui hujusmodi electionem, quam ipso jure irritam esse Pontifex censet, audent celebrare; ab officiis, & beneficiis suspendantur, & per triennium eligendi potestate careant. Est enim contra libertatem Ecclesiasticam quòd sæculares intersint electioni Ecclesiasticorum, hinc consentientes tali electioni sunt ipso jure, & non per sententiam, inhabiles ad illam dignitatem; imò etiam ad alias: non tamen à beneficiis, & officiis suspenduntur ipso jure, sed tantùm per sententiam judicis. Hanc pœnam incurrunt Clerici, si requirant laicos, ut intersint electioni: est enim electio, cui intersunt, ipso jure irrita* c. Massana 56. h. t. *Secundò quando requirunt consensum Principis sæcularis, cujus arbitrio subjiciunt electionem. Tertiò quando eligunt adacti per vim, aut metum alicujus Principis sæcularis, quo casu electio est ipso jure irrita.*

C. *NIHIL EST* 44. h. t. *Idem Pont. sanxit, ut electionem ad regimen animarum, processum, & personam Confirmator examinet quoad scientiam, vitam, & ætatem: quòd si indignum per negligentiam confirmaverit privatur potestate confirmandi in sequenti electione, & suspenditur à perceptione fructuum proprii beneficii, donec promereatur indulgentiam. Quòd si per malitiam indignum confirmavit, mandat Pontifex graviùs inde puniri. Rursus declarat, ut Episcopus, si velint canonicam effugere ultionem, nonnisi dignos ad ordines promoveant. Rursus quando confirmatio Episcoporum pertinet immediatè ad Papam; mandat Pontifex, ut electi se præsentent personaliter Papæ, vel per idoneas personas, ut possit fieri diligens inquisitio. Quòd si electi fuerint valdè remoti, scilicet extra Italiam; fuerintque electi in concordia, tunc Pontifex eis dispensativè concedit; ut ob utilitates, & necessitates Ecclesiarum, bona earundem ante confirmationem administrent, dummodo ea non alienent, & munus consecrationis recipiant juxta consuetudinem. Hinc Prælati dicuntur regere animas, quapropter vocantur Reges* 12. q. 1. c. duo sunt, *& defectus scientiæ non solùm impedit promovendum; sed etiam ejicit jam promotum. Et licet variæ pœnæ statuantur à jure canonico contra promoventes indignos, & promotos, hic tamen imponitur pœna suspensionis.*

C. *UT PRÆTERITÆ* 45. h. t. *Honorius III. Capitulo Constantinopolitano rescribit, expensas necessarias pro electione Prælati factas à Capitulo esse solvendas de bonis Episcopatûs, dummodo Canonici non occupent bona decedentis, nec ea sibi usurpent. Ex quo textu sumitur generalis regula pro similibus expensis necessariis, pro electionibus quorumque Prælatorum, quia ut notat Glossa, ubi utrinque est eadem ratio, est etiam idem jus* L. precibus C. de inof. donat. *Dicuntur autem expensæ necessariæ, sine quibus non potest negotium expediri, vel sine illis, vel sine quibus res efficeretur deterior. Immo sufficit, si quis bona fide existimet, eas esse necessarias, licèt fortassis tales non sint* L. Præter. §. 2. ff. de bon. Author. judic. possid.

C. *CUM POST* 46. h. t. *Idem Pont. rescribit, ut quando processus est inordinatus, seu electio non fuit statim facta post publicationem consensuum, & post tractatum electionis, vel cùm primùm fuit requisitus consensus electi, qui priùs consensit, quam eligeretur, electio sit nullius valoris. Ut enim notat Glossa, electio, & consensus debent fieri ex incontinenti, antequam ad alia divertatur, & unico contextu totum fieri debet. Dicitur à legestis fieri incontinenti, seu momento, quod durante negotio fit, nondum à se mutuò digressis agentibus tale negotium* L. Reos. §. cum duos ff. de duobus reis. *Immo sufficit ad irritandam electionem, si consensus alicujus ante electionem fuerit requisitus; tametsi ipse non consenserit. Verùm de hoc valdè dubitant Canonistæ.*

C. *CONSTITUTIS* 47. h. t. *Idem Pont. declarat, quòd quando quis ex uno monasterio eligitur Abbas alterius Monasterii, non habet ampliùs suffragium, seu vocem in electione Abbatis primi monasterii, quamvis capitulum hoc ei concedat. Notat tamen Glossa, quòd si consuetudo in contrarium vigeret, benè posset vocem habere; dummodo tempore electionis esset in quasi possessione eligendi: & in hoc textu Abbates non potuerunt se fundare in possessione,*

ne, quia afferebant causam pertinentem ad petitorium, eámque insufficientem. Tum quia erant possessores malæ fidei contra jura, nec eam ullo justo titulo poterant colorare. Possessores malæ fidei nullum possunt ex sua possessione commodum trahere, ut notavit Panormitanus in c. Cumana 50. h. t.

C. *ECCLESIA VESTRA 48. h. t. Declarat Pontifex, electionem fieri debere à majore parte Capituli, & non à majore parte respectu aliarum minorum; adeò ut si Electores sint viginti, electio debeat fieri saltem ab undecim eorundem, nec sufficiat, si fiat à novem; licèt hæc sit major pars respectu aliarum minorum, ut si quatuor unum eligerent, & septem alium. Immo neque tenet electio, quamvis fiat solemnis deportatio. Ubi notat Glossa, publicationem, collationem, & electionem incontinenti esse de substantia electionis: alioquin electio nulla esset* c. quia propter h. t. *Rursus publicato scrutinio appellationem non habere ampliùs locum.*

C. *CUM IN MAGISTRUM 49. h. t. Gregorius IX. declarat, eum non posse eligi in Abbatem, qui non est professus, seu non fuerit per professionem Monachus, vel Canonicus Regularis: & mandat, ut procedatur ad ejus amotionem sublato appellationis remedio, & habetur etiam in Trident.* sess. 25. c. 22. de Regul.

C. *CUMANA ECCLESIA 50. h. t. Idem Pont. declarat, electionem, quæ non est facta à majori parte respectu totius Capituli, non valere. Rursus eos, qui non sunt de gremio Capituli, ut habeant in illo vocem, teneri probare, quòd vel de jure, vel de consuetudine legitimè præscripta illis competat eligere. Rursus statuit, ut collatio statim fiat post publicationem scrutinii: alioquin nullum sortitur valorem; Ex quo textu notat Glossa, Clericos, Capellanos, & Abbates de jure communi non debere se immiscere in electionem, eò quia hæc pertineat ad Capitulum; posse tamen ex consuetudine legitimè præscripta eligere. Rursus notat, personam electi non augere numerum eligentium, quia antequam quis eligatur oportet, ut in scrutinio major pars capituli consenserit: ideóque tum nondum sit electus, nec sciatur, in quem major pars consenserit, non potest augere numerum, nec debet computari in numerum eligentium.*

C. *SACRO-SANCTA 51. h. t. Idem Pont. rescribit Abbati Cluniacensi, non posse laicum quamvis Patronum, etiam de consensu Prælati, & Capituli habere jus eligendi in Ecclesia collegiata, nec posse ex pluribus nominatis à Capitulo, vel Prælato, quem voluerit eligere, sed electionem jam factam tantùm esse illi denunciandum, ut assentiatur. Ex hoc textu notat Glossa, non valere compositionem, quâ Laico conceditur jus spirituale, ad quod tenendum solus Papa illum potest habilitare.*

C. *CUM IN VETERI 52. h. t. Idem Pont. declarat, quòd si Papa mandet, ut fiat electio cum aliquorum consilio, teneantur eligentes eorum consilium requirere in tractatu electionis, & tempore congruo responsum etiam expectare, alioquin electio est nulla. Hinc Electores tenentur ante electionem, & collationem tractatum habere cum Consiliariis de electione, postea sive concordaverint, sive non in persona eligenda consiliarii; possint Electores eligere, & electio est valida: quòd si Papa juberet, ut non aliter eligerent nisi cum consilio, & assensu Consiliariorum, tunc electio nulla foret, nisi consiliarii consentirent; quia mandatum Pontificis debent Electores exequi eo modo, quo sonat; alioquin si electio sit contra formam mandati est irrita.*

C. *CONGREGATO 53. h. t. Idem Pont. rescribit Episcopo Sylvanectensi, quòd si in eodem scrutinio major pars elegit indignum, & minor pars dignum, valet electio minoris partis, quia major pars eò quia elegerit indignum privatur pro illa vice potestate eligendi, quæ propterea devolvitur ad mino-norem partem.*

C. *DUDUM 54. h. t. Idem Pont. declarat, quòd habens plura beneficia curata absque Pontificis dispensatione, vel plures personatus est ineligibilis, & electio circa ipsum facta irritanda. Rursus statuitur in Concilio Lateranensi, ut si habens beneficium curatum, aliud beneficium curatum recipiat, ipso jure sit privatus primo beneficio, & si præsumpserit utrumque retinere, debet utroque spoliari, quia retinens plura beneficia curata sine dispensatione, habetur ut fur, & decipit eorum animas, quarum curam sine ulla potestate gerit. Rursus ante Concilium Lateranense nemo permittebatur duas habere parochiales Ecclesias, nisi una ex altera penderet, & ex utraque una quodammodo fieret, vel saltem una esset intitulata, & altera commendata.*

C. *IN GENESI 55. h. t. Idem Pontifex declarat, quòd si major pars Capituli non convenit, & electio communiter non celebratur, vel non procedit collatio, electio sit nulla: ut etiam si non admittatur ad eligendum, qui erat in canonicatu, & possessione, habeátque stallum in choro, & locum in Capitulo. Ut etiam si non vocentur, qui de consuetudine illius Ecclesiæ erant vocandi. Ratio est, quàm adfert Glossa: quia electio debet esse communis non singularis, nec clandestina: & qui manet in quasi pacifica possessione eligendi tametsi revera eidem jus non competat, non est excludendus ab electione.*

C. *MASSANA 56. h. t. rescribit Idem Pontifex Capitulo Massano, electionem Episcopi factam per Laicos, & Canonicos, quam-*

vis ex consuetudine, nullius esse valoris: unde Pontifex perpetuo edicto prohibet, ne per laicos cum canonicis Pontificis electio præsumatur fieri, & declarat contrariam consuetudinem esse corruptelam.

C. *ECCLESIA VESTRA 57. h. t. rescribit idem Pont. Capitulo Catallanensi, ad confirmationem electionis non sufficere, si facta fuerit à majori parte capituli: nisi etiam facta fuerit à saniore, ac proinde non semper stari majori parti. Rursus qui non vult interesse electioni, declarat Pontifex, nil valere, si post factum scrutinium ipsius consensus accedat. Ubi notat Glossa; in electione non semper stari majori numero, sed considerandam etiam esse authoritatem eligentium, & Zelum eorundem. Cognoscitur autem authoritas ex dignitatibus, in quibus Electores sunt constituti, ut etiam ex scientia, ætate provecta, prudentia, & aliis similibus. Zelus verò cognoscitur, si Electores absque ullo carnali affectu respicientes solùm merita personæ, eligant aliquem omninò dignum; & contraria pars in eum collimet, qui nonnullos patitur defectus. Rursus qui noluit adesse electioni si eum pœniteat ante publicationem scrutinii, adhuc potest suum dare suffragium, non ita post publicationem scrutinii.*

C. *PUBLICATO 58. h. t. Idem Pontif. declarat, quòd publicato scrutinio non possint ampliùs Electores variare, sed faciendam esse collationem, & electionem celebrandam. Voluit Pontifex id statuere ad præcavendas varias fraudes, & moras electionum Ecclesiis damnosas. Hinc electio integratur ex scrutinio, ejus publicatione, collatione, & communi electione; adeò ut ex istis, una actio moralis, & Ecclesiastica conftetur, quæ scrutinio publicato non possit ampliùs disrumpi, sive per appellationem, sive per variationem. Juvat hic observare discrimen inter postulationem, & electionem, quòd in electione non admittitur variatio post publicationem scrutinii: secus in postulatione admittitur, si nondum sit superiori præsentata,* c. bonæ memoriæ 11. de postul. *Quòd si publicato scrutinio constaret, nominatum ipso jure esse ineligibilem, possent tunc Electores variare, & alium eligere, non ita si electio non esset ipso jure nulla, sed tantùm irritanda, ut si scrutinium publicatum fuisset contempto aliquo Electore, tunc enim debet sequi electio, quia fortassis superior erit dispensaturus, & qui contemptus fuerat, acquiescet.*

C. *SI ALICUIUS 59. h. t. Idem Pont. declarat, quòd semel cassata electione alicujus Prælati ob simoniam etiam electo ignorante, non possit Episcopus pro ea vice dispensare: sed tantùm in eo, qui liberè resignavit simplex beneficium, quòd simoniacè, sed ignoranter receperat: hinc electio simoniacè facta, etiam ignorante electo est nulla; & simoniacè electus non potest obtinere Prælaturam, tametsi legitimè sibi de novo conferatur: quia debet vitium simoniæ priùs purgare per mediam personam, ne si prior rursus eligatur, promotio sit vitiosa ex proximitate medii: siquidem quæ incontinenti fiunt judicantur inesse* L. lecta ff. si cert. pet.

C. *HIS QUIBUS 60. h. t. declarat idem Pont. His quibus interdicitur ut absque superioris licentia eligere non præsumant; tempus statutum à canone currere, ex quo in mora fuerint, licentiam hujusmodi postulandi, quia nemo debet jus suum negligere. unde si non possunt eligere, tenentur saltem licentiam petere: sicut qui ob justam causam non potest appellare, nisi hoc coram publicis personis fuerit protestatus, currit tempus appellationis. Per tempus autem à canone statutum intelligitur trimestre, vel semestre, quòd præfigitur electioni, seu provisioni Ecclesiarum, seu beneficiorum* cap. 3. de concess. præbend.

IN SEXTO.

C. *STATUIMUS 1. h. t. Innocentius IV. in Concelio Generali Lugdunensi declarat, quòd si electione, postulatione, vel provisione factâ impugnetur forma, vel persona, vel quid aliud objiciatur, & ad Pontificem contingat appellari, teneantur omnes, quorum interest per se, vel procuratores, ad sedem Apostolicam à die objectionis factæ intra mensem iter habere; alioquin si parte una veniente, altera per viginti dies expectata non venerit, mandat Pontifex, ut procedatur. Idque observatur in dignitatibus, personatibus, & canoniis. Qui verò plenè non probaverit, quod objecit condemnatur ad expensas: & qui deficit in probatione contra personam suspenditur à beneficiis per triennium, & si in illa se ingerat, perpetuò iisdem privatur: nisi manifestè calumniæ vitium purgaverit. Hinc notat Glossa, eum, qui objicit contra personam eligentium; si plenè non probaverit, non teneri his pœnis, sed teneri Romam ire; ut prosequatur suam appellationem: Si verò opposuit, sed non appellavit, non tenetur Romam ire, quia censetur cessisse juri suo, & admisisse electionem. Quòd si una pars Romanum iter non arripiat expectari debet per viginti dies, alioquin non valeret processus factus ante dictos dies, quia pars quæ nondum comparuit; adhuc non esset contumax: quinimò si neutra pars veniat intra id tempus, sed paulò post, adhuc poterit audiri, dummodò res sit integra.*

C. *IN ELECTIONIBUS 2. h. t. Idem Pont. in electione, postulatione, scrutinio prohibet vota conditionalia, ut si quis dicat: Eligo talem, si talis eum eligit: ut etiam vota alternativa, ut eligo Petrum, si Paulus eum elegerit: vel Joannem si Franciscus*

eum elegerit: ut etiam vota incerta, ut eligo quem Petrus elegerit: & Pontifex declarat, hæc vota esse nulla, & totam potestatem eligendi devolvi ad alios, qui simpliciter elegerunt.

C. UBI PERICULUM 3. h. t. GREGORIUS X. in Generali Concilio Lugdunensi agit de modo eligendi Pontificem, & confirmat constitutionem Alexandri III. & jubet, ut Cardinales præsentes in loco, ubi decessit Papa, teneantur expectare alios Cardinales per decem dies, quibus elapsis sive venerint, sive non, ingrediantur conclave in eodem palatio Papa demortui cum singulis famulis, nisi patens necessitas aliquorum admittat duos. Rursus præscribit, quomodo debeat conclave constitui, & Cardinales se gerere in electione Pontificis: & confirmat constitutionem hac super re Alexandri III. in Concilio Lateranensi c. 6. quæ refertur in c. licèt h. t. & plura alia salutaria addit. Verùm hæc decretalis per Hadrianum Papam suspensa postea fuit, & Joannes XI. eandem suspensionem nondum in scriptis redactam ratificavit, & de fratrum consilio, eam quoad omnem effectum suspendit. Sed à Cælestino fuit postea in statum pristinum redacta, ut etiam magis confirmata à Clemente V. in Clement. Ne Romani h. t. ut potest quis videre in præfatis decretalibus.

C. UT CIRCA 4. h. t. Idem Pontifex in eodem concilio statuit, ut appellantes contra electiones, vel provisiones, vel contra personas eligentium, vel electi teneantur exprimere in instrumento publico super appellatione confecto omnia, & singula, quæ objiciunt contra formam, vel personam, & simul jurare, quòd credant ea vera esse, & à se posse illa probari: alioquin objicientes non possunt, nec tempore appellationis interposito, nec postea, opponere aliqua in eodem instrumento non contento, nisi fortassis essent recens emersa: vel licet antiqua, verisimiliter tamen appareat, potuisse tempore appellationis ignorari, & tunc appellantes tenentur hanc ignorantiam per juramentum probare.

C. AVARITIÆ 5. h. t. Idem Pontifex sancit in eodem Concilio Lugdunensi, ut imposterum nullus electus ante confirmationem præsumat administrare in ecclesia, ad quam est electus, etiam ut Oeconomus, vel Procurator, vel sub alio quæsito colore in spiritualibus, vel temporalibus per se, vel per alium in totum, vel in partem. Quòd si secus fecerit, eo ipso privatur omni acquisito jure per electionem. Verùm excipiuntur electi, qui sunt constituti ultra Italiam: adeò ut hæc decretalis non intelligatur de electo ultra montes præsertim in Germania concorditer immediatè Papæ subjecto: ita enim electi ante confirmationem possunt administrare c. nihil 44. h. t.

C. QUAM SIT 6. h. t. Idem Pontifex statuit, ut Electores, quamprimùm possunt præsentent electionem electo, & petant ejus consensum: & electus teneatur illum infra mensem à dicta præsentatione præstare, alioquin privatur ipso facto jure ex electione acquisito. Excipitur tamen nisi fortassis electus esset subditus, nec posset consentire sine licentia Superioris; sed tunc quamprimùm potest, debet illam petere, & si infra tempus pro absentia superioris moderandum eam non petierit, electores debent alium eligere. Rursus electus tenetur infra tres menses à dato consensu confirmationem petere: alioquin si justo impedimento cessante omiserit confirmationem petere, amittit jus acquisitum per electionem. Verùm ut notat Glossa, quia tempus datum Electoribus ad præsentandam electionem electo non est statutum à canone, debet moderari arbitrio boni viri. Quinimò si electores negligant electionem præsentare, id non nocet electo, sed electores puniuntur. Præterea mensis datus electo ad consentiendum constat iisdem diebus, quot sunt in illo mense, in quo præsentatur electio.

C. PERPETUO 7. h. t. Idem Pontifex declarat, ut scienter in electionibus nominantes indignum ob suffragium in scrutinio præstitum, non priventur potestate eligendi, licèt contra conscientias suas agant, & divinam ultionem possint meritò formidare. Excipitur tamen nisi ex eorundem votis communis electio subsequatur, quia tunc censentur privati tali jure. Ex hoc textu claret, pœnam impositam ipso jure pro delicto non incurri nisi delictum habuerit suum effectum: hinc quia electio non fuit facta, eligentes indignum non fuerunt privati potestate eligendi, licèt peccaverint.

C. NULLI 8. h. t. Idem Pontifex mandat, ut nulli liceat post scrutinium, & electionem subsecutam, vel præstitum ab electo consensum, eum super electione impugnare, nisi ex causis postea emergentibus, vel quæ de novo innotescant, vel quæ verisimiliter ignorari potuerint, dummodo de hac ignorantia proprio juramento fidem faciat. Verùm licèt regulariter non possit quis impugnare, quòd semel approbavit, non tamen si nova causa, vel antiqua ignorantia occurrat; quia tunc non prohibetur quis contra proprium factum agere, tametsi præcesserit juramentum, quo fuerit firmatum: quia hoc juramentum non confirmavit factum, nisi conditionatè, si nova causa non intercesserit.

C. SI QUANDO 9. h. t. Idem Pontifex declarat, quòd quando pars major duplò eligit unum, & minor pars alterum, non possit minor opponere aliquid, quòd extenuet suffragia majoris, ut quòd minor pars sit majoris auctoritatis, vel Zeli; vel quòd electus à majori non sit dignior; benè tamen possit opponere aliquid, quod votum majoris partis omnino annullet. Dicitur votum extenuari, quando aliquid opponitur voto, quod illud non annullat, sed tantùm minoris reddit auctoritatis; secus annullare votum

tum idem est, ac id opponere, per quod votum reddatur nullum, ut si dicatur electus excommunicatus majori excommunicatione.

C. *QUAMVIS* 10. *h. t.* *Idem Pontifex rescribit, causas electionum Episcoporum, ac superiorum esse computandas inter majores spectantes ad sedem Apostolicam, sed debere fieri appellationem in scriptis, in quibus ponatur causa appellationis, quæ sit legitima, quia sine appellatione in scriptis non devolvuntur ad Sedem Apostolicam. Quòd si appellans antequam præsentetur appellatio Sedi Apostolicæ, renuntiet appellationi, tunc judex, à quo appellatum est, inquirit, an hujusmodi renunciatio fuerit ex pravitate, quòd si eam intercessisse repererit, debet terminum præfigere, in quo renuntians cum omnibus actis se præsentet Sedi Apostolicæ. Ex quo textu liquet, Appellationem sive judicialem, sive extrajudicialem esse faciendam in scriptis, nisi incontinenti appelletur, quia tunc viva voce potest appellatio fieri. Cæterum re integra solus appellans potest renunciare appellationi, non ita re non integra, nisi altera pars consentiat. Sin verò appellatio semel sit præsentata Papæ, tametsi utraque pars consentiat, non potest ab ea recedi* c. ad hæc de postul. *Demum renuntiatio tunc præsumitur facta ex pravitate, si processerit ex aliqua simoniaca datione, vel pactione, violentia, vel metu, de quo tenetur judex inquirere.*

C. *SI FORTE* 11. *h. t.* *Idem Pontifex statuit, ut, quando quis objicit contra electum vel postulatum ad aliquam dignitatem evidentem defectum scientiæ, vel personæ; aut alia impedimenta, priùs inquirendum sit de defectu personæ, vel scientiæ. quòd si hujusmodi defectus probentur, electus declarari debet inelligibilis: Sin verò non probentur, opponens condemnatur ad expensas, & punitur, nec ulterius admittitur ad probandas alias objectiones. Procedit tamen hic textus ut notat Glossa tantùm de eo, qui opponit contra electum ad aliquam dignitatem, non verò ad simplex beneficium. Rursus procedit de eo tantùm, qui opponit manifestum defectum scientiæ: siquidem qui opponeret defectum, sed non evidentem, & eum non probaret, posset adhuc admitti ad probandos alios defectus. Quia licèt quilibet præsumatur castus, sobrius, pacificus, non ita litteratus, nisi probetur per examen. In hoc igitur textu continetur pœna, quæ fertur ad coërcendam licentiam appellandi contra electiones, & calumniandi electos.*

C. *SCIANT* 12. *h. t.* *Idem Pontifex sancit, eos qui præsumpserint gravare personas ecclesiasticas, vel earum consanguineos, aut ecclesias, vel monasteria, aut bona earundem per se, vel per alios; ex eo, quòd noluerint eum eligere, pro quo rogabantur, incurrere ipso facto excommunicationem. Verùm quia hic textus est pœnalis non extenditur ad affines, sed solos comprehendit consanguineos. Neque extenditur ad eum, qui molestat patronum laicum, vel ejus bona; eò quia noluerit præsentare eum, pro quo rogabatur, quia textus loquitur de solis personis ecclesiasticis, & earum consanguineis, proinde qui patronum ecclesiasticum molestaret, hanc pœnam non incurreret. Possunt tamen Episcopi ab hac excommunicatione absolvere, quia non est Papæ reservata.*

C. *GENERALI* 13. *h.t. Idem Pontifex declarat, excommunicationi subjacere omnes, qui regalia, custodiam, advocationis seu defensionis titulum in ecclesiis, monasteriis, aliisque locis piis sibi de novo usurpantes, bona dictorum locorum vacantium occupant; ut etiam Clericos, & Monachos, & personas cæteras eorundem locorum, quæ hoc fieri procurant; declarat Pontifex, eidem pœnæ subjacere; & eos, qui talia facientibus se ut deberent, non opponunt, de proventibus suis pro eo tempore, quo sine debita contradictione id permiserunt, prohibet quicquam percipere. Rursus injungit, ut qui ex fundatione beneficiorum, vel antiqua consuetudine approbata sibi vendicant tale jus, non usurpent per se, nec per ministros, quæ pertinent ad redditus, seu fructus tempore vacationis, sed habeant eorum custodiam, ut in bono statu conserventur. Notandum est regalia, de quibus fit mentio in textu esse jura, quæ habet Rex, seu Princeps in aliquibus ecclesiis accipiendi fructus earundem tempore vacationis; adeò ut Rex habens regalia possit cædere sylvam caduam, si tempore vacationis sit tempus cædendi: alioquin non potest eam cædere.*

C. *LICET CANON* 14. *h.t.* *declarat idem Pontifex, nullum ad regimen parochialis ecclesiæ esse assumendum, nisi sit idoneus, moribus, scientia, & ætate; & provisionem de parochia factam non habenti viginti quinque annos esse nullam: Rursus provisum teneri personaliter residere, licet possit Ordinarius dispensare super residentia ad tempus, si subsit rationabilis causa. Demum decernit, infra annum à tempore commissi regiminis teneri provisum sacerdotio initiari, alioquin privatum esse ipsa ecclesia. Corrigit hic textus aliùm in* c. cum in cunctis h. t. *ubi dicitur, quòd promotus ad curam animarum, si debito tempore non initietur sacerdos, jubeatur removeri: in hoc verò textu non jubetur, sed privatur ipso facto. Verùm textus cùm sit pœnalis non extenditur quoad sacerdotium intra annum suscipiendum ad ecclesias parochiales collegiatas, sed restringitur ad solas non collegiatas. Rursus neque extenditur ad alias dignitates.*

C. *NEMO* 15. *h.t.* *Mandat idem Pontifex, ut nemò deinceps parochialem ecclesiam alicui non sacerdoti, nec legitimæ ætatis commendet: & habenti legitimam ætatem, & sacerdoti non commendetur ecclesia nisi, cum evidente ejusdem utilitate, & tantùm per semestre; & declarat*

clarat irritum quicquid in contrarium fiat. Sumitur commenda hic pro custodia, & administratione ecclesiæ, vel beneficii, & sicut ecclesia alia est curata, alia non; ita etiam commenda, quæ ex duplici causa potest rationabiliter fieri, primò ad utilitatem, vel necessitatem ecclesiæ comendatæ: secundò ad honestã sustentationem commendatarii: sed hæc ratio per hunc textum non procedit in ecclesiis curatis, sive parochialibus, quia has Pontifex prohibet commendari, nisi adsit evidens necessitas, aut utilitas ecclesiæ comendandæ, quia Prælati sunt propter ecclesias, & populum, non verò ecclesia, & populus propter Prælatum, qui propterea principaliter præfici debet ob utilitatẽ aut necessitatem ecclesiæ. Cæterum Episcopus potest comendare suas ecclesias etiam juris patronatus ad sex menses, non ultra. Papa verò in perpetuum. Præterea mortuo Comendatario non vocat ecclesia, & si quis eam impetraret, ut vacantem per obitum, gratia esset subreptitia, nisi in illa adderetur clausula, quocunq; alio modo vacet, quia commendatarius est tantùm administrator, & custos non Prælatus, nec facit fructus suos, quia non habet jus nisi gubernandi se, & ministros, ac proinde tenetur reliquos fructus in utilitatem ecclesiæ impendere. Rursus licèt ecclesia parochialis possit dari in titulum non sacerdoti, non ita in commendam.

C. CUPIENTES 16. h. t. Disponit in hac decretali NICOLAUS III. plura super consensu Electi, confirmatione ab eo petenda, tempore dato Electoribus ad præsentandam electionem Electo, & alia plura, quæ procedebant tam de electionibus, quàm postulationibus, excepto quod postulati non tenentur exhibere consensum, nec ministrare expensas. Verùm postquam Papa electionem Episcopatuum sibi reservavit, non videntur amplius in usu in partibus præsertim, ubi provisiones Episcoporum reservantur Sedi Apostolicæ. In Germania itidem hæc constitutio in electionibus tam Cathedralium, quàm Regularium, nec est in usu, nisi quoad tempus petendæ confirmationis, & ob hanc causam in concordatis Germaniæ à Nicolao V. allegatur præsens textus.

C. FUNDAMENTA 17. h. t. prohibet NICOLAUS III. ne ullus Imperator, Rex, Princeps, vel alius illustris vir, nec eorum filius, frater, vel nepos ad tempus, vel in perpetuum eligatur in Urbis Senatorem, capitaneum, Patritium, Rectorem, seu quocunque alio nomine vocetur ad urbis regimen absque speciali licentia Sedis Apostolicæ. Secus facientes, vel eligentes dantes auxilium, consilium, favorem, sunt excommunicati excommunicatione reservatâ Papæ, & privantur bonis feudalibus. Agitur etiam initio hujus capitis de baptismo Constantini, & de donatione Urbis factâ Sedi Apostolicæ, ut etiam de morte Petri, & Pauli Romæ, & quòd Deus elegerit Romam pro Sede Apostolica: quæ omnia speciatim concernunt ecclesiam Romanam.

C. QUAMQUAM 18. h. t. rescribit BONIFACIUS VIII. quòd si ecclesiâ Cathedrali vacante electio non fuerit intra tempus debitum facta, ea ad superiorem proximum devolvatur, si ob negligentiam id contigerit; licèt id non sit ad alium casum extendendum. Igitur si electores cathedralis ecclesiæ privati sint ipso jure potestate eligendi, eò quia scienter elegerint indignum: vel debeant privari per sententiam ob non servatam formam electionis traditam in c. quia propter desumpto ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. electio devolvitur ad Papam, & non ad superiorem immediatum. Id autem non procedit de inferioribus ecclesiis, vel quando canonici cathedralis fuerunt solùm negligentes in eligendo, tunc enim devolvitur potestas ad superiorem immediatum.

C. IS QUI 19. h. t. declarat idem Pont. appellantem de electione ad Sedem Apostolicam, si juret, quòd ea, quæ in appellatione sunt posita, de ipsis, quæ deberent sufficere esse vera credenda, & se posse probare, non esse audiendum, eò quia non juret secundùm constitutionem Gregorii X. scilicet omnia credere, & posse probare, sed indeterminatè, vel aliqua. Procedit etiam textus de postulatione.

C. QUI CONTRA 20. h. t. Mandat idem Pont. appellantem contra certam personam ante electionem, ne ab aliis eligatur, teneri servare constitutionem Gregorii X. in c. ut circa h. t. non minus ac si electione jam facta appellaret: alioquin incurrit pœnam ejusdem constitutionis. Non ita si contra incertam personam appelletur, hoc est, ne fiat electio nisi canonica.

C. SICUT 21. h. t. statuit idem Pont. ut si electio fiat per scrutinium, vel compromissum, unus nomine omnium dicat: ego eligo talem, licèt aliqui discrepent, aliquin electio non valet. Verùm hæc decretalis solùm habet locum in electione Episcoporum, & Prælatorum, ob quorum obitum dicuntur ecclesiæ viduatæ, non verò in canonicis, & beneficiis.

C. STATUTUM 22. h. t. declarat idem Pont. statuum GREGORII X. in c. licet canon. h. t. de promovendis ad sacerdotium intra annum, non extendi ad collegiatas ecclesias, quamvis parochiales, adeò ut quando parochialis est collegiata, non teneatur electus intra annum ordinari sacerdos. Verùm ut aliqua ecclesia sit collegiata non sufficit, si plures Clerici eidem inserviant; sed debent ibi esse plures per modum collegii; adeò ut sit Rector ut caput, & canonici, seu beneficiati, ut membra.

C. SI CUI 23. h. t. declarat idem Pont. quòd si commpromissario detur hæc forma, ut facto scrutinio suffragiorum, eum eligat, in quem plures consenserint respectu minorum partium, quamvis majorem totius capituli partem non attingant electio sit nulla, eò quia in ipsa non servetur forma Concilii Lateranensis, sub Innocentio III. c. 24. quæ habetur in c. quia propter. Notandum est cum Glossa, jus eligendi Prælatum posse alteri delegari.

C. QUORUNDAM 24. h. t. prohibet idem Pontifex Religiosis mendicantibus etiam de licentia suorum Superiorum assentiri in electionem, vel postulationem ad aliquam Praelaturam extra suum Ordinem in discordia à se facta. Imò prohibet etiam aliis Religiosis non

non mendicantibus praestare consensum electioni cuicunque de se facta à minori parte Capituli, vel collegii. Ex hoc textu à sensu contrario videtur inferri, posse mendicantes eligi, vel postulari, ad aliquam dignitatem extra suum Ordinem, si electio, postulatio, provisio fiat in concordia. Hodie tamen id est prohibitum per extravag. *Joan. XXII. cui initium* Calumniis *ut testatur. Francus n. 2. ubi allegat. Lappum.*

C. *UT QUIS 25. h. t. Idem Pontifex declarat, quòd si fiant plures electiones de uno, electus non possit ambas electiones prosequi, tametsi protestetur, se teneri alterâ esse contentum, eámque eligere, & si hæc suum non sortiatur effectum non possit habere regressum ad aliam.*

C. *SI ELECTIO 26. h. t. Sancit idem Pontifex quòd si electio suum non habuerit effectum eò quia electus non consenserit, vel renuntiaverit, vel fuerit mortuus, Electores habeant integrum tempus eligendi, ac si esset nova vacatio, dummodo nil fraudulenter egerint in præmissis. Verùm allegantes fraudem tenentur eam probare.*

C. *SI RELIGIOSUS 27. h. t. Idem Pontifex declarat, quòd si Religiosus electioni de se factæ ad Prælaturam extra suum Monasterium, vel suam ecclesiam sine licentia sui superioris consenserit, consensus non teneat, & electio sit nulla. Superior tamen sine consensu fratrum potest dare licentiam.*

C. *NULLUS RELIGIOSUS 28. h. t. prohibet idem Pontifex, ne Religiosus ad Prælaturam suæ, vel alterius religionis eligatur, nisi ante fuerit Ordinem regularem expressè professus; alioquin declarat, actum eo ipso esse irritum. Verùm ad dignitatem Episcopalem in ecclesia sæculari, vel regulari potest eligi etiam non professus.*

C. *CUM EXPEDIAT 29. h. t. Declarat idem Pontifex textum in.* c. cum dilectus, *in quo statuitur, posse licitè in electione compromitti, ut compromissarii secretè, & singillatim voluntatibus omnium requisitis eum eligant, in quem major, & sanior pars capituli consenserit, non esse correctum* per c. quia propter.

C. *CUM NON DECEAT 30. h. t. Declarat idem Pontifex, ut venientes ad Sedem Apostolicam juxta* c. cupientes *in causa electionum, tametsi absentes recipiant omnes fructus beneficiorum exceptis quotidianis distributionibus. Quia absentes pro utilitate ecclesiæ habentur ut præsentes, proinde faciunt suos fructus præbendarum. Et licèt de jure communi absentes non accipiant grossos præbendarum; consuetudo tamen vel statutum in contrarium valet.*

C. *AB EO QUI 31. h. t. Declarat idem Pont. objicientes notorium defectum in personam, vel scientiam electi non posse ab eo discedere, seu non posse objectionem revocare, quia si, quod opposuit, non est verum, excludi debet à prosecutione causæ, & puniri; perinde ac si in probatione omnium defecisset. Si quis enim opponat electo defectum scientiæ, & quidem evidentem, & postea simpliciter dicit, quòd patiatur defectum; & revocat, quod dixerit, defectum esse evidentem; id perinde est ac revocare qualitatem. Ut autem notat Glossa neutrum est licitum, hoc est nec factum revocare, nec qualitatem, quia non licet mutare consilium in alterius detrimentum.*

C. *EX EO QUOD 32. h. t. Declarat idem Pontifex quòd canonicus impubes ante quartum decimum annum, si non vocetur ad electionem Episcopi, non possit dici contemptus, nec possit electionem impugnare, eò quia non admittatur ad dandum suffragium. Rursus in ecclesiis Regularibus, seu monasteriis, qui tacitè, vel expressè non sunt professi non debent cum professis electionibus interesse, nec conversi laici cum Clericis. Jure novo canonici etiam puberes hodie non habent vocem in electionibus, nisi sint in sacris constituti. Cæterum si absentes non vocentur electio adhuc est valida; potest tamen cassari per absentes. Præterea ad electionem activam sufficit tacita professio; sed ad passivam requiritur expressa.*

C. *SI POSTQUAM 33. h. t. declarat idem Pontifex quòd in ecclesia Cathedrali, vel regulari, si quis canonicè appellet ab electione ad Papam, & Ordinarius confirmet electionem, si appellans non recedat ab appellatione, confirmatio sit nulla. Ut etiam si electus, qui Romam venerat, si sine licentia discedat antequam negotium absolvat, ejus electio est nulla.*

C. *CUM EX EO 34. h. t. Idem Pontifex sancit, ut Episcopi, & alii superiores ecclesiastici possint dispensare cum Electis ad parochias ut accepto subdiaconatûs Ordine infra annum per septennium studeant, quibus elapsis infra annum initientur sacerdotes, nisi legitimè impediantur, idque sub pœna privationis parochiæ. Injungit tamen Pontifex, ut eo tempore Episcopi provideant de Vicariis idoneis, quibus assignent provisiones ex fructibus ecclesiæ, quam administrant. Verùm ubi servatur Concilium Tridentinum de non admittendis ad parochias, nisi qui per concursum fuerint idonei judicati, præsens decretalis non est ampliùs in usu, quia non admittuntur ad parochias nisi, qui sua studia quantum opus est absolverunt.*

C. *COMMISSA 35. h. t. Declarat idem Pontifex neminem privari parochiali ecclesia ex eo, quia non sit Ordinatus, nisi totus annus elapsus fuerit: incipit autem annus post susceptam pacificam possessionē, vel si per ipsum stetit, eam non accepisse. Quòd si ex justo impedimento ordinari non possit, annus ei non currit; sin verò nullo obstante impedimento infra annum non est Ordinatus, privatur beneficio, & ecclesia vacat, nec potest provideri de eadem pro illa vice. Qui verò ad sacerdotium non intendens*

dens promoveri parochialem ecclesiam eo fine recepit, ut ejus fructus perciperet, tenetur eosdem restituere, & qui contulit ecclesiam non credens electum fore ordinandum, debet ecclesiam indemnem servare.

C. SI ABBATEM 36. h. t. *declarat idem Pont. quòd si Abbas exemptus, & Pontifici immediatè subjectus eligatur in Episcopum, non possit ei dare licentiam nisi Papa, vel ejus Legatus de latere, deserendi suum monasterium; adeò ut alii Legati non possint hanc licentiam deserendi proprium monasterium dare, quia non possunt confirmare electionem. Hæc est prærogativa Legati de latere, quâ carent alii Legati, qui non possunt confirmare electiones, quia legatus de latere majus omnibus, post Romanum Pontificem, in Provincia sibi decreta imperium habet. Imo sunt, qui censent, Legatum de latere posse etiam extra suam Provinciam hanc licentiam dare, dummodo ejus legatio non sit finita.*

C. SI COMPROMISSARIUS 37. h. t. *declarat idem Pont. quòd si compromissarii intra tempus statutum non eligant, electio devolvitur ad superiorē; si eligunt indignum, eligendi potestas devolvitur ad compromittentes, nisi & ipsi scientes ratam habuerint talem electionē. Rursus si electus nolit consentire potestas eligendi revertitur ad compromittentes. Cæterum si compromissarii eligunt indignum, & canonici scientes ratam habeant electionem, suspenduntur à beneficiis ecclesiasticis per triennium. Quòd si Compromissarius esset Episcopus hanc pœnam non incurreret, quia de jure Episcopus non est suspensus, nisi de ipso fiat expressa mentio. Pœna autem privationis fructuum intelligitur de electione Episcoporum, & aliorum Prælatorum non inferiorum. Immo intelligitur etiam de privatione fructuum beneficiorum, quæ habent in illa ecclesia, quam offendunt, non verò de fructibus aliorum beneficiorum. Ex hoc textu liquet, posse compromitti in unum, vel plures, qui si non eligant intra tres menses, potestas eligendi devolvitur ad proximum superiorem.*

C. PROCURATOR 38. h. t. *Idem Pontifex declarat, quòd Procurator ad appellandum contra electionem non reputetur naturaliter idoneus nisi omnia, ob quæ intendit appellare clarè, & distinctè in ejus procuratorio sint expressa; habeátque speciale mandatum jurandi corporaliter in eorum animas, quorum Procurator est institutus, quòd ipsi credant hæc omnia esse vera, & posse probari. Hinc quod statuitur de personis appellantium in* c. ut circa h. t. *hic ad majorem cautelam extenditur etiam ad Procuratores.*

C. SI CONFIRMATIONEM 39. h. t. *declarat idem Pontifex, quòd si confirmatio electionis propter omissam juris solemnitatem, vel ob defectum potestatis in confirmante sit irrita, adhuc electio maneat in suo robore, si aliàs fuerit canonica. Ratio est, quia principale non sequitur naturam accessorii, quamvis accessorium sequatur naturam principalis.*

C. QUIA SÆPE 40. h. t. *Decernit idem Pontifex, ut occupantes, dissipantes, & consummantes bona relicta ecclesiarum Cathedralium, Regularium, collegiatarum Sede vacante vel tempore vacationis collecta, suspendantur ab officiis, & beneficiis donec integrè restituerint non obstantibus consuetudinibus, & statutis etiam juratis, & à Sede Apostolica confirmatis. Hæc decretalis habet tantum locum in ecclesiis Cathedralibus, & Regularibus, ut etiam sæcularibus, collegiatis; non verò in aliis ecclesiis sæcularibus, vel Regularibus, non collegiatis, in quibus potest contrarium procedere per privilegium, vel consuetudinem. Rursus tollens statutum non tollit pacta, & privilegia nisi de his mentionem faciat.*

C. CONSTITUTIO 41. h. t. *Idem Pontifex declarat, decretalem* ut circa in c. 4. h. t. *quâ præscribitur forma servanda in appellatione ab opponentibus se electionibus, postulationibus, & provisionibus, habere locum quando appellatur extra judicium, non ita quando in judicio, quia in hoc vult Pontifex anteriora jura observari. Ratio potest assignari, quia magis habemus parata remedia in judicio, quàm extra judicium, proinde major in hoc casu adhibetur cautela circa appellationes, quæ fiunt extra judicium, quàm in judicio cum in hoc nō sit ita facile comittere fraudes, sicut extra judicium, si enim in judicio appelletur ab interlocutoria, sufficit exprimere gravamen: si à diffinitiva satis est, si quis dicat, se appellare ab iniqua sententia.*

C. IS CUI 42. h. t. *Declarat idem Pontifex, habentem plenam administrationem ecclesiæ Cathedralis à Sede Apostolica posse omnia, quæ sunt jurisdictionis excepta alienatione bonorum immobilium; non tamen posse ea, quæ sunt ordinis, nisi fuerit Episcopus: unde administrator, non potest consecrare: bene tamen concedere dimissorias. Notat tamen Glossa, hanc administrationem mortuo Papa non expirare.*

C. INDEMNITATIBUS 43. h. t. *Sancit idem Pontifex pro electionibus in Monasteriis Monialium faciendis, ut nulla monialis eligatur, nisi quintum decimum agat ætatis annum, sitque professa tacitè, vel expressè. Rursus ut non eligatur in Abbatissam, nisi quæ 30. annum compleverit, sitque expressè professa. Verùm hic textus corrigitur per Concilium Tridentinum* sess. 25. de regul. c. 15. *ubi prohibetur, ne in ulla religione tàm virorum, quàm mulierum professio fiat ante 16. annum expletum. Rursus ætas requisita ad eligendam Abbatissam, quæ hic definitur 30. annis completis, jure novo à Concilio Tridentino* c. 17. *extenditur ad annos 40. completos: & rursus quod electa saltem octo annis post professionem laudabiliter in monasterio vixerit. Quòd si Monialis cum hisce conditionibus non reperiatur, neque superior ex alio monasterio velit aliam evocare, tunc potest ex eodem monasterio juxta ætatem hic expressam*

Tricenaria eligi, quæ saltem quinque annis post professionem laudabiliter vixerit. Plura alia habentur in hoc c. indemnitatibus, *quæ hodie servantur, ut etiam alia juxta consuetudines rationabiles, & legitimè præscriptas.*

C. *PROVIDA 44. h. t. Idem Pontifex declarat, si quis in electione Episcopi, vel superiorum appellavit ad Papam, & deinde recessit ab appellatione simoniacè, sed procedit, confirmat, vel consecrat, omnia esse irrita, & ipsum Ordinarium esse suspensum per annum integrum à confirmatione, & consecratione Episcoporum. Ubi notat Glossa non per hoc vitiari electionem, sed petendam de novo esse confirmationem, nec debere iterum consecrari: si jam erat consecratus: quia quòd dicitur in textu, consecrationem esse nullam, id intelligitur, quoad executionem tantùm; quatenus consecratus suspenditur ab exercitio sui ordinis.*

C. *SI EO TEMPORE 45. h. t. Declarat idem Pontifex, quòd si eo tempore, quo provisio alicujus Ecclesiæ Cathedralis ex quavis causa Sedi Apostolicæ reservatur, ad electionem jam sit processum; reservationem tunc non afficere electionem, nec alia, quæ præcedunt: efficere tamen ut effectu careant ea, quæ sequuntur. Ubi notandum est, provisionem integram includere electionem, & confirmationem, qui propter licèt reservatio Papæ, quæ fit tempore electionis ignoratæ illam non impediat, reddit tamen irritam confirmationem, si ante illam reservatio innotuerit.*

C. *SI QUIS 46. h. t. Declarat idem Pontifex, quòd detentus legitimo impedimento, ne electioni commodè possit interesse, possit non solùm unum, sed etiam plures constituere Procuratores, dummodo singulis det in solidum potestatem; & quòd tunc melior sit conditio primi occupantis. Sin verò ambo simul petant admitti, is tantùm admittendus sit, quem major pars Capituli eligit: quòd si Capitulares non concordent, tunc eligendus sit is, qui primò in instrumento Procuratoris fuerit nominatus: sin verò nullus in solidum fuerit deputatus, nullus tunc admittitur: Sin verò unus sit simpliciter constitutus, & alium suo proprio nomine, alium Domini nomine in scrutinio nominet, nihil agit, & totum est irritum; nisi de certa persona eligenda habeat a Domino speciale mandatum. Rursus absens, si nullus de Capitulo vult esse ejus Procurator, & ipse non potest extraneum deputare sine consensu Capituli; non potest tunc exprimere per litteras suum votum, quia non esset secretum, nec scrutinium fieret per secreta suffragia contra formam præscriptam in jure canonico. Notandum est cum Glossa, legitimè impeditum teneri speciale mandatum dare Procuratori ad jurandum in animam suam, quòd revera sit taliter, vel taliter impeditus. Ex pluribus autem Procuratoribus in solidum constitutis is dicitur primò occupare, qui primò coram Capitulo comparet cum procuratorio, petitque admitti: Non possunt autem plures Procuratores simul audiri, quia possent vota sua dirigere ad diversos, in quo casu, qui Procuratores constituit plura haberet suffragia, quòd fieri non potest, cùm singuli Electores non habeant nisi unicum votum.*

C. *QUONIAM 47. h. t. Statuit idem Pontifex, ut electus, quando adsunt Competitores, vel opponentes non confirmetur, nisi fiant publicè edicta, quòd volentes opponere veniant peremptorio termino assignato, aliter confirmatio est nulla. Notandum est, duo requiri ad validam confirmationem; vocationem, & discussionem, quorum alterutro deficiente confirmatio est nulla, quia ubi aliqua copulativè requiruntur non sufficit alterum, sed necessarius est copulatorum concursus* c. cum illis §. fin. de præbend. l. si hæred. ff. de condit. *Hacque dispositio non solùm procedit in Prælaturis, & beneficiis curatis, sed etiam in simplicibus indigentibus confirmatione: vocandi enim sunt ii, quorum interest, & causa discutienda est.*

IN SEPTIMO.

C. *CUM TAM 1. h. t. JULIUS II. in Concilio Lateranensi declarat, electionem Pontificis maximi simoniaca nundinatione inductam irritam esse, & nullius potestatis; adeò ut sic electus debeat exauctorari ab omnibus dignitatibus & officiis cum suis adhærentibus, & complicibus Cardinalibus: eò quia tam divino, quam humano jure præcipuè in spiritualibus detestabiliter sit simoniæ labes prohibita, & longè magis in electione Romani Pontificis Vicarii JESU Christi Domini Nostri.*

C. *LICEAT 2. h. t. Declarat idem Pont. ut Pontifici simoniacè electo nemo teneatur obedire, liceátque omnibus ejus authoritati detrahere, & ut nova electione è Pontificio solio sit simoniacè electus deturbandus: & quòd Cardinales, qui eum simoniacè elegerunt a suis Ordinibus, etiam Cardinalatu, titulis, & honore, & quibuscunque Patriarchalibus, Archiepiscopalibus, Episcopalibus, aliisque Prælaturis, ac dignitatibus, & beneficiis absque alia declaratione sint privati; nisi ab illo penitus, & cum effectu discesserint.*

C. *MEDIATORES 3. h. t. Idem Pontifex statuit, ut Simoniacæ electionis conscii, mediatores, Proxenetæ, Trapezitæ tam Clerici, quam laici cujuscunque dignitatis, qualitatis, & ordinis fuerint, etiam Patriarchali, Archiepiscopali, vel alia sæculari mundana sive ecclesiastica dignitate præditi; etiam quorumcunque Regum, & Principum Oratores, vel Nuntii hujus simoniacæ electionis participes sint, omnibus suis ecclesiis, beneficiis, Prælaturis, & feudis, aliisque quibuscunque honoribus, & bonis eo ipso privati sint, & ad similia inhabiles, & tam activè, quàm passivè intestabiles, & eorum bona ipso facto instar Reorum criminis læsæ Majestatis fisco Apostolicæ Sedis appli-*

applicentur, & devolvantur. Et Cardinalibus conceditur plena potestas eligendi novum Pontificem.

C. *CUM PIÆ 4. h. t. LEO X. in Concilio Lateranensi decernit, ætatem, morum gravitatem, litterarum scientiam in personis promovendis ad Episcopatum, vel Abbatias, eò quia nil magis Dei Ecclesiæ officiat, quàm cum immeriti assumuntur Prælati ad regimen Ecclesiarum, unde vult, quòd Ecclesiis non præficiantur, nisi qui prævio examine deprehenduntur ætate provecti, morum candore, doctrina claritate, & vitæ probitate laudabiles.*

C. *PIUS 5. h. t. Sancit PIUS IV. & declarat, Electos ad Regularium dignitates, electionis authoritate non gaudere, nisi per Pontificiam confirmationem: idque ad removendos abusus, qui paulatim in Religiosos irrepserunt.*

IN CLEMENTINIS.

C. *CUM RATIONE 1. h. t. CLEMENS V. in Concilio Viennensi statuit, ut Religiosus non eligatur in Abbatem, vel Prælatum alterius Religionis, vel habitûs: & si contra fiat, electio sit nulla, & possit eligi in Prælatum Ecclesiæ sæcularis, vel regularis. Licet hæc dispositio loquatur in genere masculino proinde de hominibus, procedit etiam de fœminis, quia eadem inconvenientia, quæ habentur pro hominibus, locum etiam habent in fœminis; proinde Monialis unius Religionis non potest eligi in Abbatissam in monasterio alterius Religionis. Verùm licèt Religiosus unius Ordinis non possit eligi in Abbatem Monasterii alterius Ordinis, potest tamen ex justa causa postulari; postulatio enim, & electio sunt duo diversa, nec ab uno ad alterum fit illatio, nisi exprimatur.*

C. *NE ROMANI 2. h. t. Declaravit idem Pont. Cœtum Romanorum circa electionem Romani Pontificis nil posse innovare præter id, quod est in Bulla Gregorii X. & declarat irritum, si quid aliud attentetur. Rursus declarat, officium Camerarii, & Pœnitentiariorum durare post mortem Papæ; & si quis horum moriatur, posse Cardinales alios ad tempus subrogare. Rursus, ut eligendus sit Papa in districtu, ubi moritur, seu in diœcesi, & in particulari, ubi audientia causarum manebat, nisi fortassis Papa ante obitum de transferenda Curia ordinâsset. Rursus, si Cardinales exeant de Conclavi, nondum creato Papa, mandat, ut Executores constitutionis GREGORII X. eos compellant intrare, & sub pœna prosequi. Item, quòd Cardinales non possint expelli ab electione Papæ prætextu excommunicationis, suspensionis, & interdicti.*

C. *CAUSAM 3. h. t. Explicat idem Pont. causam electionis, postulationis, provisionis, per appellationem non intelligi devolutam ad Sedem Apostolicam, nisi in præsentia appellantis, aut Procuratoris ejusdem fuerit interposita; & infra mensem, vel post mensem, quàm citò commodè fieri poterit intimata: porrecto scilicet ipsis, vel perlecto illius authentico tenore, & copia, si petita fuerit: quòd si Appellatus, & Procurator non inveniantur; sufficit, si affigatur in domo, ubi consuevit habitare, vel si est remotus in Ecclesia Cathedrali civitatis, vel ubi est beneficium: & ut publicetur in Ecclesia, vel beneficio, & copia etiam detur appellato petenti. Quòd si propter potentiam, vel metum appellati non possit fieri intimatio; sufficit, si hæc publicetur solemniter in loco publico, & tunc intelligitur devoluta ad Papam, non aliter, nec intimatio vim habet.*

C. *CONSTITUTIONEM 4. h. t. declarat idem Pontifex, decretalem* ut circa c. 4. h. t. in 6. *non procedere, quando appellans jus suum, vel Ecclesiæ directè prosequitur; sed tunc tantùm, quando in formam, vel personas opponit defectus, vel crimina, quorum circumstantias debet speciatim exprimere: alioquin super illis non auditur, quamvis juret, se illas de novo cognovisse. Immo, neque in eadem causa super iisdem auditur alius, qui non appellat, nisi prosequatur proprium interesse, licèt possit assistere appellanti. Appellans autem, si non observet formam* in d. c. ut circa 4. h. t. in 6. *quamvis renunciet appellationi, non potest nec per viam querelæ prosequi objectum, aut alia, nisi in casibus exceptis. Rursus omissio dictæ formæ, quamvis repellat appellantes à probatione, non tamen infirmat probationem factam super his per confessionem adversarii.*

C. *IN PLERISQUE 5. h. t. Statuit idem Pontifex, ut sine speciali facultate Papæ nullus possit providere Ecclesiæ sibi subjectæ de pastore, si Clericis careat, & subditis Christianis. Rursus, ut nullus Religiosus licentietur à Superiore ad similem Episcopatum: quòd si licentiatus consenserit, seque in Episcopum permiserit consecrari, mandat Pontifex, ut non recipiatur in Episcopali honore, & in pœnam maneat subditus in sua religione; nec possit promoveri ad ullum gradum, vel dignitatem ejusdem Religionis: deinde nihil coarctat, vel limitat circa provisionem aliarum Ecclesiarum habentium clerum, & populum, sive Ecclesiæ Cathedrales sint, sive non. Huic decretali causam dederunt plures Episcopatus à Turcis occupati: Patriarchæ enim, & Archiepiscopi, quibus antehac hujusmodi Episcopatus subjiciebantur, consecrabant Episcopos, præsertim Religiosos ex mendicantibus, ex quo multi irrepserunt abusus; ad quos removendos Pontifex provisiones harum Ecclesiarum sibi reservavit, & instituti Episcopi in eisdem Ecclesiis dicuntur Titulares, eò quia præter Titulum ex Episcopatu nil accipiant, nec congruam sustentationem.*

C. *QUOD CIRCA 6. h. t. Idem Pont. declarat* c. quorundam 24. in 6. *estque constitutio Bonifacii VIII. quòd quando in illa constitutione dicitur, quòd electio facta de Religioso pro dignitate fit ab omnibus facienda; id explicat, ut intelligatur ab omnibus de facto, & non ex fictione juris. Statuerat Bonifacius* in d. c. quorundam, *quòd Religioso men-*

mendicanti ex electione quocunque modo facta in discordia ad Prælaturam extra suum ordinem nullum acquiratur jus: neque tali electioni possit Religiosus consentire, etiam cum licentia sui Superioris. Idem statuit de electione Religiosi non mendicantis, ad quamlibet Prælaturam, si fiat à minori parte, seu numero Collegii. Sed CLEMENS V. *in hoc Textu declarat, id esse intelligendum de discordia, & minoritate numeri, qui in facto consistit; & non in fictione juris: Scilicet, si non omnes re ipsa consentiant, aut non re ipsa sit minor numerus eligentium, & tunc ait, electionem non valere, quamvis secundum jurisfictionem possint dici omnes consensisse. Exemplum exhibet Glossa: si enim decem sint Electores, quorum octo concorditer eligant Religiosum mendicantem. & alii duo alium, sed sint excommunicati, quo casu carent voce in Capitulo; quia tunc illorum voces fictione juris censentur transfusæ in alios octo, qui propterea, si eligant fictione juris dicuntur omnes de capitulo eligere, tametsi revera non omnes eligant, sed tantùm octo, non vult Pontifex in hoc speciali casu jurisfictionem habère locum, sicut habet in aliis.*

C. *STATUTUM 7. h. t. Idem Pontifex explicat* c. quia sæpe 47. h. t. in 6. *seu constitutionem editam super bonis à Prælatis Cathedralium Regularium, & collegiatarum Ecclesiarum dimissis, vel obvenientibus tempore vacationis, & futuris successoribus fideliter reservandis, locum habere in omni emolumento, quod provenit ex jurisdictione, ac Sigillo Curiæ Ecclesiasticæ, vel sæcularis (si Episcopus jurisdictionem habeat temporalem) aut aliàs ad Prælatos pertineret: nec obstare consuetudinem contrariam: deductis tamen rationabilibus expensis. Verùm hæc constitutio non comprehendit personas singulares, ad quas ratione dignitatum, quas obtinent, iurisdictio cum aliquo emolumento, sede vacante ex consuetudine, vel privilegio, vel jure alio speciali devolvitur.*

C. *CUM CONCESSA 8. h. t. Declarat idem Pontifex concessionem licentiæ generalis datam Religioso à suo Superiore, ut possit consentire electioni, vel provisioni de se factæ non valere; eò quia Riligiosus, si habeat liberam facultatem admittendi quasvis Prælaturas, facilè potest vitio infici ambitionis.*

IN EXTRAVAGANTIBUS JOANNIS XXII.

C. *CUM AD ONUS 1. h. t. Declarat Pontifex, quòd electi, qui Romam venire, vel mittere tenentur, si personaliter se præsentârunt, & præstiterunt, quæ de jure præstanda erant; si deinde Sede vacante alibi morentur, nullum sit eis præjudicium. Dicitur Sede vacante, seu mortuo Papa: & decretalis intelligitur de provisis.*

C. *SUSCEPTI 2. h. t. statuit Pont. ut beneficio vacante, cujûs fructus debentur habenti annalia (seu Privilegium percipiendi fructus unius anni) vel alteri, debeant dividi inter talem privilegiatum. & beneficiatum.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

C. *INJUNCTÆ 1. h. t. BONIFACIUS VIII. statuit, ut Episcopi, & alii Prælati Superiores, ut etiam Abbates, Priores, & exercentes regimina monasteriorum, qui à Sede Apostolica promoventur, confirmantur, consecrantur, benedicuntur, non præsumant ire ad Ecclesias, & administrare bona Ecclesiastica sine litteris Apostolicis: & si secus præsumpserint, quidquid actum fuerit, interim est irritum; adeo ut non possint fructus percipere: quòd si Capitulares sine præfatis litteris ipsos recipiant, vel eis obediant suspenduntur à suis beneficiis: & declarat Pontifex id etiam procedere de Episcopis, & aliis Prælatis, qui non præstant consuetum juramentum fidelitatis, & obedientiæ. Ut etiam de his, qui accepto pallio sine litteris discedunt.*

C. *SI RELIGIOSUS 2. h. t. BENEDICTUS XI. declarat, quid si Religiosus electus ipse, vel Electores intra certum tempus non obtineant licentiam consentiendi, perdit jus, & Electores possunt alium eligere, eò quia electus sit ipso facto privatus omni jure, quod sibi ex tali electione conveniebat.*

C. *SANCTA 3. h. t. Idem Pont. sancit, in quatuor Patriarchalibus Ecclesiis, scilicet Constantinopolitana, Alexandrina, Antiochena, & Jerosolymitana, quamdiu sunt sub potestate infidelium, non posse procedi ad electionem inconsulto Papa, alioquin irrita sit electio. Hæc constitutio olim viguit, eò quia prædictæ Patriarchales Canonicos habuerint, & Clericos; hodie verò, quia præfatæ Ecclesiæ Patriarchales destitutæ sunt Canonicis, & Clericis, tota earum provisio ad solam Sedem Apostolicam pertinet, quæ creat Patriarchas Titulares harum Ecclesiarum.*

C. *EX DEBITO 4. h. t. Declarat Joannes XXII. beneficia apud Sedem Apostolicam vacantia esse reservata Papæ, ad quem propterea pertinet vacantibus Ecclesiis præficere Prælatos, à quibus regantur. Rursus declarat Pontifex, quæ & quorum beneficia dicantur apud Sedem Apostolicam vacare. Nomine autem beneficiorum non comprehenduntur pensiones, illæ enim liberè reverti debent iis, ad quos earum dispositio partinet, nisi vel Canonicum impedimentum obstiterit, vel aliter Papa disposuerit. Cæterum hæc decretalis intelligitur, sive Beneficia vacaverint per mortem, sive per depositionem, privationem, electionem cassationem, postulationem, repulsionem, renunciationem, provisionem, translationem, sive quocunque alio modo. Nomine beneficiorum comprehenduntur Sedes Episcopales, & superiores, monasteria, & regulares Ecclesiæ, Prioratus, officia, administrationes, dignitates, personatus, præbendæ, & alia Ecclesiastica beneficia, cum cura, vel sine cura in Romana Curia vacantia. Imò etiam Ecclesiæ, Monasteria, & beneficia Cardinalium, tametsi alibi moriantur, intelliguntur etiam apud curiam Romanam*

nam vacare. Procedit etiam in dignitatibus, seu beneficiis officialium Papæ, ut Vicecancellarii, Camerarii, Notariorum, Auditoris contradictorum, Correctorum, Scriptorum litterarum, ac Pœnitentiariorum, Abbreviatorum, Cappellanorum, commensalium, & similium, si decedant extra curiam in aliqua legatione, vel negotio Sedis Apostolicæ. De Materia Papalium Reservationum fuse tractat Nicolaus Garzia de beneficiis Ecclesiasticis part. 5. c. 2. *ipsum consule.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid sit Electio Canonica, & quid Capitulum, à quo procedit.

1 Lectio ex vi nominis, denotat delectum rei alicujus, vel personæ, ex duabus, vel pluribus. Pressius verò, ut ad nostrum attinet institutum, coarctatur ad delectum personæ ex pluribus, quatenus aliquis legitimè electus promovetur ad certam Ecclesiæ dignitatem, vel functionem. Et hoc pacto sumpta electio bipartitur in generalem, & specialem; illa tanquam genus complectitur plures veluti species, quibus personæ Ecclesiasticæ eliguntur, ac promoventur ad aliquam dignitatem, vel functionem; suntque hæ species postulatio, præsentatio, nominatio, collatio, electio, in quibus omnibus eligenda est persona idonea dignitati, ac beneficio.

2 Specialis, de qua in præsenti loquimur, definitur communiter *persona idoneæ ad Ecclesiam vacantem per suffragia Capitularium, vel eligentium Canonica vocatio.* Dicitur persona, esse eligenda idonea, quia per has particulas differt electio à postulatione, quæ, ut superius innuimus, est de persona Canonico impedimento laborante: adduntur particulæ per vota Capitularium, seu eligentium, quia per has differt electio à collatione, institutione, præsentatione, commenda, nominatione, & aliis modis, quibus beneficia Ecclesiastica acquiruntur. Rursus dicitur persona eligi ad aliquam dignitatem, quia in simplicibus beneficiis electio propriè sumpta non intervenit, sed duntaxat in Prælaturis, & dignitatibus Ecclesiasticis, & maximè quæ jurisdictionem aliquam in personas Ecclesiasticas adnexam habent: hæcque ratio, cur hujusmodi dignitates dicantur beneficia electiva, quia non pertinent ad alicujus dispositionem, cujusmodi sunt Pontificatus, Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, omnes Collegiatarum Ecclesiarum Præpositurae, nisi aliter ex fundationis consuetudine, vel præscriptione legitima, aut privilegio res se habeat: qui verò præficiendus est, debet esse gratus Clero ipsius Ecclesiæ, cùm ejus suffragiis eligatur.

3 Dicitur, electio fieri per suffragia Capitularium, quia jus eligendi est tantùm apud eos, qui sunt de Capitulo, vel Collegio: Est Capitulum, ut in præsenti sumitur Canonicorum Collegium, adeò, ut Canonici simul congregati ex vi juris constituant Capitulum, ut colligitur *ex cap. capitulum de rescript.* & quando contingit sedes Episcoporum, vel aliorum Antistitum vacare, vel per obitum ipsius Prælati, qui è vivis decessit, vel per resignationem, eò quia Antistes Prælatura, vel Episcopatu se abdicaverit, vel per alterius dignitatis assumptionem, eo quia Antistes unius Ecclesiæ sit translatus ad aliam; vel per privationem, eò quia ob crimen sit à sede sua, & Ecclesia dejectus; tunc illa Canonicorum congregatio dicitur constituere sede vacante, quasi parvum caput, eò quia minorem habeat potestatem, ut notat Glossa *in c. consequens de supplenda negligentia Prælat.*

Quot verò requirantur Electores ad constituendum Capitulum in Ordine ad eligendum Prælatum, videtur esse aliqua difficultas, quando duo tantùm sunt Electores, & unus de Collegio est eligendus, quia tunc electio Canonica nō videtur posse fieri. Hinc jus civile statuit ad constituendum Collegium, vel Capitulum tres ad minimum esse necessarias personas, *l. Neratius ff. de verb. signif.* nihilominus jus Canonicum prævalet civili, & ipsum in electione Canonica servari debet; & quia jus Canonicum asserit, Capitulum, seu Collegium in duabus tantùm personis posse subsistere, eò quia in duabus personis servetur vera pluralitas, ideò difficultas est, quomodo, si duo tantùm sint Electores, possit per ipsos fieri Canonica electio, si unus ex ipsis velit alterum eligere. Tunc videtur, quòd non possit servari forma electionis, quæ præscribitur *in c. quia propter de elect.* ubi requiritur, quòd major pars consentiat in aliquem; ut etiam in *c. Cumana eod. tit.* atqui si tantùm duo sint Electores, neuter potest majorem partem habere, cùm unus debeat necessariò alium eligere, non se ipsum. Tum quia ex Decreto Concilii Trident. *sess. 25. c. 6. de regul.* Suffragia, seu vota in electionibus debent esse secreta, adeò ut eligentium nomina non publicentur; & quando duo tantùm intersunt Electores, quorum unus debet alium eligere, tunc vota eligentium nequeunt secreta esse, cùm manifestum sit, quòd sibi invicem suffragentur. 4

Nihilominus posse à duobus tantùm Electoribus constituentibus Capitulum, vel Collegiū juxta jus Canonicum, nisi aliunde impediantur, fieri 5

fieri Canonicum electionem. Desumitur ex *c. 1. de elect.* ubi Abbas *n. 5. & 6.* Navar. *cons. 6. de elect. n. 2. Miranda Tom. 2. Manual. q. 23. a. 5. conclus. 21.* colligitur etiam ex *c. nullus de elect.* & huic sententiæ adhæret potior pars doctorum. Ratio est, quia tametsi duo tantùm sint Electores constituentes Capitulum, adhuc potest unus alterum Canonicè vocare ad id, ad quod eligitur præmisso prudenti, & discreto judicio de personæ eligibilitate.

6 Neque obstat, quòd electio debeat comprehendere majorem suffragiorum partem; siquidem ex his duobus posset unus cedere jure suo eligendi, & alter uti suo jure, tunc enim unus esset electus, quia in ipsum caderet suffragium, & alius, qui careret suffragio, non esset electus, & major pars esset penes illum, cui alter suffragaretur, & licèt illud suffragium non posset dici major pars, eò quia non sit alia minor: nihilominus potest dici, quòd totum suffragium faveat electo, qui propterea dici etiam potest electus à toto Collegio, quia licèt ad constituendum Collegium requirantur plures, potest tamen ad unum deveniri, & tunc residet in illo tota potestas Collegii, seu Capituli *l. sicut §. fin. ff. quòd cujusq. univers.* Glossa, & Panor. *c. nullus de elect.* Innocentius *c. quia propter. eod. tit.* ubi Glossa *verbo pauciores.* itidem Panormit. *c. gratum de postul. Prælat.* & demum Rota Romana *decisione 860. num. 7. & decis. 1050. n. 5. coram Seraphino.*

7 Rursus posset etiam Canonica electio alio hoc modo contingere, si nimirum unus ab alio palam eligatur, & electus suæ consentiat electioni, hoc enim pacto augetur numerus suffragiorum in favorem electi, & servatur, quod jus præscribit *c. quam 18. q. 1.* nimitum, quod electio debeat esse concors; qualis non esset, si tunc electus in alium consentiret, quàm in se ipsum. Rursus hæc electio est etiam à toto Collegio, nemine discrepante, quia juxta Jus Canonicum duo sufficiunt ad constituendum Collegium: quapropter electio ex quavis parte est Cenonica. Posse autem electum consentire suæ electioni, ac augere numerum suffragiorum, ex eo liquet, quia non posset notari vitio ambitionis, cùm ipse non supponatur incipere suam electionem, sed tantùm inceptam ab alio complere. Ut docent plures præsertim Bald. *c. cùm in jure n. 1. & 2. de elect.* Glossa ibidem *verbo consentiat.* Panor. *ibid. n. 1. & 2. & c. licèt num. 13. & c. Cumana, & c. per nostras num. 1. de jure patronat.*

8 Neque obstat *c. quia propter de elect.* ubi præscribitur, quòd electio non sit Canonica, nisi majorem partem suffragiorum comprehendat; siquidem utroq; modo, quo fieret electio, hæc esset à majori parte; siquidem semper esset à toto Collegio. Forma Scrutinii, quæ in *cit. c. quia propter.* præscribitur, non potest servari ob paucitatem Electorum: quia si electio debet fieri, necesse est, alter alteri suffragetur, quo pacto ex natura rei vota sunt publica: neque ob id electio desinit esse canonica; quia lex non obligat, quando non potest servari, *c. erit autem lex. dist. 4. & l. fin. ff. quæ sent. sine, & l. ita autem ff. de admitt. tut.*

Neq; electio facta modis prærequisitis adversatur Concilio Tridentino, statuente, quòd suffragia sint secreta, & eligentium nomina non publicentur; quia quando intersunt tantùm duo Electores concurrentes ad electionem, est impossibile, quòd suffragia possint esse secreta, quia tunc est manifestum, quòd Electores sibi invicem suffragentur. Hinc Sacra Congregatio supra Concilium Trident, ut refert Gallemart. *in collect. Declarat.* cùm interrogata fuisset, an cum tres tantùm intersunt vocales, quorum unus potest eligi in discretum, & per consequens necesse est, ut alter ex duobus remanentibus det alteri suum suffragium, & ita electio nequeat esse secreta, possit tunc fieri electio discreti, quæ non sit contra formam Decreti Concilii Trident. & Sacra Congregatio censuit, posse, si ita status religionis permiserit. 9

Cæterùm electio, ut sit Canonica, duo debet essentialiter includere, consensum liberum Electorum, & observationem formæ. Consensus, in eo consistit, quòd major pars consentiat electioni Bald. *cons. 338. n. 4. ver. & considero. lib. 1. & cons. 316. ponitur quòd electio per tot. lib. 3. circa fin. ver. cum igitur utraque pars.* ubi asserit, quòd saltem unum suffragium requiratur ultra dimidiam partem; alioquin, si contingant duæ electiones per suffragia paria, neutra valet. Rursus consensus debet esse majoris partis habentium jus eligendi, habito respectu ad totam Congregationem *c. Eccles. in 1. de elect.* imò Bald. *cons. 316. n. 2. vers. in contrarium.* Videtur censere, quòd non solùm debeat intervenire major pars, sed etiam sanior, adeò ut non sufficiat unus sine altero, *& lib. 3. n. 4. vers. ampliùs.* congerit, & allegat plura jura, quæ requirunt simul majorem, & saniorem partem. 10

Rursus consensus eligentium debet esse omnino liber, adeò, ut non valeat consuetudo contraria, nec proinde ullius sit roboris consuetudo, quòd eligentes teneantur eligere personam sibi nominatam à Principe, vel alio, quia tunc electio non esset libera *c. cùm terra de elect.* quinimo in tantùm debet consensus esse liber, ut non valeat compromissum, neque electio subsequens facta, quando in compromisso dicebatur, quod certam personam eligerent Compromissarii, quia electio debet esse omnino libera, Bald. *cons. 49. an valeat electio,* imò, neq; valet consuetudo, vel statutum, quòd Electores, vel Capitulares teneantur nominare duos, vel plures, ut superior Prælatus, quem maluerit, ex nominatis possit instituere Alex. *cons. 106. perspectis iis in princ. lib. 2.* 11

Forma electionis est etiam omnino servanda, adeò ut illa non servata nullius sit electio roboris Bald. *cons. 316. v. Ponitur, quod num. 2. vers. solutio dicendum lib. 3.* ubi loquitur de electione Rectoris Scholarium, quæ secundùm formam statuti debuit fieri per Schedulas, & si facta sit in voce sine Schedulis non valeat, & Latius *num. 4. ver. sed iis non obstantibus,* Præterea de ratione formæ substantialis, est, quòd electio fiat ab iis, 12

qui

qui sunt de Collegio, vel Capitulo, & non ab aliis extraneis. Rom. *cons. 332. n. 6. & sequent.* ubi asserit, quòd ad Electionem Abbatis majoris Monasterii, Monachi facti Priores in Monasteriis subjectis separata bona habentibus, non sunt vocandi, nec habent electionem. Imò non habentes vocem, nequeunt esse scrutatores electionis factæ per scrutinium secundùm communem, de qua idem Rom. *cons. 332. n. 11. & 12.* nisi tamen consuetudo fuerit in contrarium, quia in electionibus præsertim quoad scrutatores servanda est consuetudo. Bald. *cons. 316. n. 1. circa fin. v. non consuetudo. lib. 3.*

13 Præterea electio facienda est capitulariter omnibus præsentibus, adeò, ut absentes vocandi sint, & uno contempto electio potest dettectari, quia plus nocet contemptus unius, quàm multorum præsentium contradictio Oldr. *cons. 64. quodam Canonico*, quòd si in electione legitima non vocarentur quotquot habent jus eligendi, electio inde facta suum non sortiretur valorem Alex. *cons. 218. visis verbis in fin. n. 11. v. alius fuit defectus lib. 2.* Cæterùm electio competens pluribus, potest fieri per pauciores, si aliqui sint contumaces in eligendo, vel quia vocati non compareant, vel nolint electioni interesse; tunc enim electio potest fieri per alios Electores præsentes, in quos contumaces censentur transferre jus suum eligendi Bald. *cons. 338. ad evidentiam in princ. lib. 1.* id etiam procedit, quando aliqui sunt præsentes in loco, & nolunt eligere, quia censentur transferre jus eligendi in alios Electores. Bald. *d. cons. 338. n. 2. v. secundò promitto in 1.* Non tamen id est intelligendum, si absentes vocati apparuerint, & ex suborto dissidio, postea recesserint; tunc enim debent iterum vocari, & hæc secunda vocatio habetur pro peremptoria Bald. *d. cons. 338. n. 4. v. item licèt recedentes lib. 1. alleg. c. Ecclesia vestra 48. h. t.*

14 Si quæras, an electio facta à minori parte eligentium possit nonnunquam prævalere contra factam à majori parte? Certum est, electionem, ut valeat, debere fieri à majori parte, id enim servatur in omnibus universitatibus, Conciliis, Collegiis, Capitulis, in quibus electio facta à majori parte, dicitur facta à tota Universitate, non attentâ contradictione illius partis, ut de Concilio generali habetur text. *in c. 1. 70. dist.* ubi idem de Concilio Provinciali, & de aliis inferioribus Collegiis, & Universitatibus *c. fin. de iis, quæ fiunt à majori parte Capit.* in Jure civili hoc idem etiam servatur, & habetur in *l. quod major. ff. de municipal. & in l. nominationem C. de decur. lib. 10.* siquidem virtus Collegii consistit in toto Collegio, vel duabus partibus ejusdem Bart. *in l. nulli, & l. planè ff. quòd cujusque univers. nomine.* debet tamen major, & sanior pars Capituli semper interesse, quia ubi hæc duo non concurrunt, non dicitur electio, per fictionem juris facta à toto Capitulo, sed tunc partes potiùs se invicem impediunt, siquidem major non consequitur intentum, quia non est sanior; neque minor legitimè eligit, quia non est major. *d. c. Ecclesia vestra. 43. de elect.* quòd si duæ tertiæ concurrant, vel longè major pars, licèt non sit sanior, electio sortitur suum valorem: quia tunc non consideratur, quòd minor pars sit sanior *c. si quando de elect. in 6.* Siquidem suffragia duarum partium ex tribus non extenuantur ratione zeli, meriti, aut dignitatis, à parte minore: sed benè si agatur de incapacitate eligentium; vel quia fuerint excommunicati, vel alio Canonico impedimento irretiti, potest electio annullari.

Aliquando tamen minor pars constituit majorem non ratione numeri, sed zeli, meriti, & authoritatis *d. c. Ecclesia vestra. 43. de elect.* ubi electio minoris partis propter zelum, & meritum præfertur; quia, ut major pars prævaleat debet esse non solùm major, quæ per unum, vel alterum suffragium excedat minorem, sed etiam debet esse sanior; adeo, ut hæc duo copulativè requirantur, ut major pars prævaleat: unde si major pars quoad numerum impediatur per minorem saniorem, tunc neutra prævalet, quia in majori non concurrunt duo requisita, nec etiam in minori, quæ licèt sit sanior, non tamen est major: unde potest tantùm impedire, ne major numero suum assequatur finem, quo pacto una est alteri impedimento, & neutra prævalet, nisi quando major pars est pro duabus tertiis: quia tunc non solùm dicitur major, sed etiam sanior; neque in minori relatè ad majorem, à qua exceditur per duas tertias, habetur ratio sanioris respectu zeli, vel meriti, aut authoritatis, ut rectè declarat Abbas *in d. c. Ecclesia vestra. 43. n. 13. de elect.* ubi id dicit, esse commune, & allegat *c. si quando de elect. in 6.* 15

Sunt tamen aliqui casus expressi, in quibus potestas eligendi devolvitur ad minorem partem Collegii; sed hi casus sunt speciales, & expressi in jure, propterea extra illos regula non valet. Glossa *in c. bona il. 2. de elect.* Cæterùm in omnibus casibus, in quibus potestas Capituli devolvitur ad minorem partem, id semper intelligitur, ut coram judice, vel superiore declaretur, vel quatenus ipso jure fieret devolutio: cùm enim sit jus speciale, debet exprimi in dispositione, & explicari, quòd id fiat pro illa vice quoad illum actum tantùm, propter devolutionem factam ad eos. Alioquin stante dubio semper præsumitur pro majori parte, donec contrarium declaretur *c. cùm inter Canonicos*, ubi Glossa *de elect.* Tum quia nunquam fit devolutio potestatis Collegii de majori parte ad minorem, nisi priùs major pars elegerit indignum, vel quid aliud commiserit, per quod privetur suo jure: & rursus debet actus, per quem fit devolutio esse finitus, si enim minor pars illo actu non absoluto, nec finito, faceret actum ex devolutione, diceretur invalidè eum facere, ut desumitur *ex c. congregato, 53. de elect.* 16

§. II.

De Dispositionibus, & præparatoriis, loco, & tempore, quo electio est facienda.

1 ELectio Prælati nunquam est inchoanda, nisi postquam Ecclesia suo fuerit viduata pastore *c. bona memoria 36. h. t. can. obeuntibus. 25, dist. 63. can. Episcopo 3. in fin.* Siquidem justi possessoris beneficium non potest alteri conferri *c. 2. & 3. inf. de concess. praben. & c. 1. & 3. eod. tit. in 6.* & quamdiu Antistes, aut Prælatus vivit, est justus possessor sui beneficii, consequenter non potest inchoari electio antequam è vita decesserit: quinimo saltem ex quadam honestate, nec debet electio inchoari, nec tractari de illa, ante sepulturam Prælati defuncti, alioquin acta ante sepulturam, nisi aliud obstaret, censerentur nullius valoris, ut colligitur *ex d. c. bona memoria 36.*

2 Defuncto igitur, ac sepulto Prælato, Canonici, & qui sunt de Capitulo Ecclesiæ viduatæ, cui Prælatus quæritur, debent simul in Capitulum convenire, & diem electionis statuere, ac illam per litteras absentibus nuntiare: siquidem ad membra capituli pertinet jus disponendi de futura electione, & ad illam vocare absentes, & postea statutâ die electionem agere in loco peridoneo, qui locus plerumque est Capitulum, seu Aula, in qua solent Electores, pro electione facienda convenire *c. in causis 30. h. t.* vel Ecclesia *c. quod sicut 22. h. t.* vel Chorus Ecclesiæ *c. cum nobis 19. h. t.* vel alius honestus, & decens locus ex communi consensu, dummodo non sit clandestinus; siquidem Pontifex reprobat electiones clandestinas *C. quia propter 42. §. electiones h. t.* Sivè igitur electio fiat in Ecclesia, vel extra, debet semper fieri ab Electoribus, seu illis, qui jus habent eligendi, & quidem in uno loco simul congregatis, ut desumitur ex *c. cùm terra 14. h. t.* cùm enim sit Electio actus collegialis, exigit ab illis fieri, qui sunt de Collegio, & quidem de die, non verò nocte, ad plures fraudes præcavendas, juxta Glossam *in c. unicum, ut Eccles. benef.* debent itidem Electores statuere diem electionis faciendæ, ut omnibus innotescat. Et quamvis electio Episcopi juxta Canonicas sanctiones, esset facienda in Ecclesia Cathedrali, vel intra ejus ambitum, aut in Choro, vel in Capitulo, aut alio honesto Conclavi, juxta consuetudinem loci: si tamen non posset conveniri inter Canonicos de loco, eò quia alii istum, alii illum desiderarent locum, posset tunc per sortem eligi, ut omnibus satisfieret; quamvis electio nunquam per sortem fieri possit. Quamobrem debent in locum, vel consuetum, vel per sortem electum vocari omnes, quibus jus competit eligendi, sivè de Jure Communi, sive ex privilegio, aut pacto, sive ex præscriptione tribuente jus eligendi, secundùm Glossam, & alios in *c. Cumana 36. h. t.* & debent expectari; modò id non inferat magnum damnum Ecclesiæ, vel hæc periclitetur *c. quod sicut 28. h. t.*

Quòd si fuerit aliquis vocatus, ac legitimè citatus, & ob justum impedimentum non possit electioni interesse, super quo, si opus fuerit, debet juramento dictum firmare *c. quia propter 42. §. illud. h. t.* quamvis non possit per litteras suffragium suum mittere, eò quia non ante electionem, sed in ipsâ electione secretè, & sigillatim sint singulorum suffragia expromenda *c. si quis justo 46. §. absens eod. tit. in 6.* nihilominus per procuratorē ex Collegio assumptum potest suum conferre suffragium. Quòd si nullus è Collegio vellet esse procurator, tunc posset legitimo impedimento detentus permittente, non tamen reclamante, aut dissentiente Capitulo, constituere extraneum, ut colligitur ex *c. si quis justo. §. absens. h. t.* Necesse tamen est, quòd procurator constitutus à legitimè impedito sit initiatus ordinibus sacris, sitque saltem Subdiaconus, ut colligitur ex *Clement. ut ii, qui de ætate, & qualitate.* rursus ex ipsis Electoribus nemo invitus adigitur electioni interesse *c. quia propter. v. nolunt.* quia potest quis juri suo cedere citra injuriam alterius *l. si quis in conscribendo 29. C. de pact.* 3

Sin verò per errorem; aut inadvertentiam vocati fuerint in electionem non vocandi, adhuc electio sortitur suum valorem, hisce non spectatis *c. cùm inter 21. h. t.* Rursus non habens facultatem eligendi, præsentandi, aut nominandi, is non dicitur illam à se abdicare, si electio non sortiatur suum effectum: siquidem in dispositionibus, quæ præcedunt electionem, nunquam censetur consumpta facultas, quando effectus non sequitur. Grat. *discep. forens. c. 746. n. 13. & sequent. Tom. 4* 4

Tempus verò, quod attinet, intra quod novi Prælati est facienda electio in Ecclesiis Cathedralibus, sive Episcopalibus, ac regularibus, hoc est, collegiatis quibuscunque. Statutum est in *c. ne pro defectu. 41. h. t. can. postquam 11. dist. 50. & can. obeuntibus. dist. 63.* ut ultra tres menses à die cognitæ vacationis computandos, non differatur Episcoporum, aut Prælatorum regularium, quorum morte censentur tales Ecclesiæ viduatæ, electio. Unde dies non incipiunt computari à die vacationis, sed à die, qua Canonicis, & aliis de Collegio innotuit vacatio Ecclesiæ, *d. c. ne pro defectu. 41. h. t.* 5

Neque ad longius tempus potest electio protrahi, ne ex tali mora Ecclesia detrimentum patiatur. Non tamen jus eligendi exspirat, si ex aliquo legitimo impedimento, & non ex negligentia, Electores non egerint electionem, ut nec etiam Electus consentire voluit; vel juri suo postquam consensit ante confirmationem, renuntiavit. In hisce enim, & aliis similibus casibus debent Electores ad novam devenire electionem, & illis iterum conceditur trium mensium spatium, ut possint una convenire, & congregari, ut habetur in *c. si electio 26. h. t. in 6.* id tamen intelligitur, dummodo nihil in fraudem factum sit ab Electoribus.

Quòd si per negligentiam, aut culpabilem 6

moram

moram Capitulares intra præscriptum à jure tempus electionem non peregerint, privantur suo jure eligendi pro illa vice, & potestas eligendi ad superiorem devolvitur, à quo electio erat confirmanda *c. cum dilectus 12. de concess. præbend.* Et hic superior, si sit Summo Pontifice inferior, tenetur intra tres alios menses Prælatum eligere ex ipsa Ecclesia viduata, si in ea dignum repererit: alioquin potest ex alia Ecclesia dignum eligere *c. ne pro defectu 41. h. t.* Quòd si ex negligentia hujus superioris non contingat electio intra tres menses, devolvitur potestas eligendi ad alium superiorem, & sic gradatim usque ad Summum Pontificem, qui disponit, prout ipsi magis congruum visum fuerit *d. c. ne pro defectu. 41. h. t.*

8 Quando verò non omnes, quibus jus eligendi competit, sunt negligentes, licèt major pars Capituli negligat electionem, vel nolit eligere: tunc jus eligendi devolvitur ad minorem partem, quia tunc per jurisfictionem illa minor pars censetur totum Capitulum, Abbas in *c. congregato 53. n. 3. & 4. h. t.* Debent tamen Electores liberè eligere, nec quidquam exigere ab electo, ne incurratur Simonia irritans actum electionis, Decius in *c. cùm super 23. de off. fic. deleg. n. 41. & sec. ver. secundo modo.* Quinimò, si unus tantùm ex eligentibus Simoniam committeret, & alii scirent, eámq; permitterent, tota electio foret nulla Dec. in *d. c. cùm super.* Neque possunt eligentes exigere ab electo juramentum de servandis Statutis, quia hoc juramentum præstari debet in manibus superioris non in illis eligentium. Bald. *consil. 179.* Quòd si electus etiam promitteret dare aliquid etiam ex gratitudine consentientibus suæ electioni committeret Simoniam, ut asserit Abbas *c. cùm esset n. 5. de Simonia.*

9 Solemnitates accidentales, quæ præcedunt electionem quinque potissimùm sunt. *Prima*, est Celebratio Missæ de Spiritu S. in qua Electores communicant eodem die, quo fit Electio. *Secunda*, ut Hymnus de Spiritu S. *Veni Sancta Spiritus*, ab omnibus alta voce recitetur. *Tertia*, ut unus ex Capitularibus, vel alius, nomine totius Capituli protestetur, nolle se quemquam admittere ad electionem, nec suffragium illius valere, qui ad eligendum de jure inhabilis est. *Quarta* est absolutio, qua omnes de Capitulo absolvuntur ab excommunicatione, aliisque censuris in ordine ad effectum Canonicæ Electionis. *Quinta*, præmissio tractatus, in quo personæ aliquæ palam nominantur, ac proponuntur in Capitulo, ut idoneæ ad prælaturam, & dignæ, ut Ecclesiæ viduatæ præficiantur. Tametsi hæ solemnitates sint accidentales, ubi tamen harum consuetudo viget, servari debent, Mosconius *l. 1. p. 1. c. 8.* Lancelot, *l. 1. t. 6.*

10 Electione peractâ, tenentur Electores, quam primùm commodè possunt electionem præsentare ipsi electo, & ejus consensum petere, quem infra mensem à tempore præsentationis, aut notitiæ habitæ de sui electione computandum debet præstare, si velit electionem acceptare, vel non. *c. cupientes 16. h. t. in 6.* Quòd si absque justo impedimento diutiùs consensum distulerit, ipso facto privatur jure, quod illi ex electione competebat, ut colligitur: ex *c. quam sit. 6. h. t. in 6.* idque, ne per diuturnam moram, Ecclesia suo viduata pastore majus detrimentū patiatur. Quòd si electus non esset sui Juris, ut contingeret, si regularis eligeretur in Episcopum, aut Prælatum extraneæ Ecclesiæ, tunc ab ipsis Electoribus ea, qua fieri posset celeritate peti deberet licentia à superiori electi, ut is præficiatur Ecclesiæ viduatæ.

Cæterùm electio respectu eligentium impugnari potest, si facta fuerit à notoriis fornicatoribus, cùm isti sint ipso jure suspensi à jure eligendi, Oldr. *cons. 286. in princ.* Rursus electio facta à notoriè excommunicatis, vel notoriè laicis, non solùm potest impugnari ratione excommunicatorum, & laicorum, sed etiam respectu aliorum, qui non erant excommunicati; sed cùm excommunicatis, & laicis simul elegerunt. Oldr. *d. cons. 286. n. 5. v. quantùm ad quintum.* Quinimo electio est nulla, si facta fuerit ab excommunicatis, vel suspensis, tametsi non fuerint declarati, dummodo constet de excommunicatione, vel suspensione Fed. *de sen. cons. 5. in fin. ver. hinc. est.* Sin verò eligatur solus suspensus, licèt electio nulla sit, non tamen eligentes privantur jure eligendi, Abbas in *c. cùm inter n. 15. de elect.* Sin verò electus excommunicetur ante confirmationem, potest electio annullari, Abbas in *c. dilecti filii. n. 3. de except.* 11

Rursus cautum est, ne quis se ipsum eligat, alioquin electio nulla foret, tanquam ambitiosa Ab. *cons. 25.* & alii comuniter id etiam verum est, si electio fiat per compromissū: quando debent plures eligi, tunc nec possunt compromissarii se ipsos eligere. Cæterùm electionem impugnanti incumbit onus probandi, non fuisse legitimè peractam, & juxta Canones. 12

§. III.

Quinam prohibeantur eligere, & quibus jus eligendi competat.

Ure eligendi privantur in primis, qui censuris Ecclesiasticis sunt irretiti, cujusmodi sunt excommunicati, suspensi, & interdicti, quibus adduntur irregulares *c. un. sede vaca. c. cùm dilect. ver. quia nobis de consti. c. cùm inter 16. de elect.* juvat tamen annotare, quòd sola excommunicatio major privet jure eligendi, non ita minor, quæ tantùm privat voce passiva, & non activa *c. ult. de Cleric. excommunic.* nec illi resistit *c. illa 39. h. t.* ubi Innocentius III. ait: se ex plenitudine potestatis supplere defectum, si quis esset, ex eo quòd electio ab excommunicato minore excommunicatione peracta fuisset, quia ut communiter interpretantur Doctores cum Glossa *in eod. cap. in V. supplentes.* Hæc suppletio defectus non fuit simpliciter necessaria, sed superabundans, ad erradicandum omnem dubitationis scrupulum. 1

Tum etiam, quia tempore Innocentii III. non fuit id satis jure expressum, propterea Gregorius IX. *in d. c. ult.* apertiùs declaravit. Quòd si unus,
2 vel aliqui excommunicati fuerint cum aliis non excomũnicatis electo suffragati, si eorum excommunicatio non fuerit notoria, non videtur irritâsse aliorum suffragia: & hîc valet regula dicens: non vitiari utile per inutile: nisi certus eligentium numerus desideraretur ad electionem, & quotum omnium requireretur consensus; tunc enim excommunicatio unius annullaret electionem cæterorum, quatenus causa esset, quòd requisitus numerus deesset *cap. ad probandum 24. inf. de sent. & re judicata. & c. cùm super 23. inf. de offic. jud. deleg.* quia sicut dissensus unius ex illo numero irritam faceret electionem, eò quia non adesset sufficiens numerus consentientium; ita nullitas consensus detrahens requisito numero, reddit electionem nullam.

3 Suspensio à beneficio non impedit jus eligendi: siquidem eligere propriè non est effectus beneficii, sed actus officii, aut jurisdictionis. Secus suspensio ab officio, est impedimento electioni ponendæ, & obstat quo minus actus officii possit rectè exerceri, ut notat Glossa *in cap. cum Vintoniensis 25. v. admisserunt. & ibid.* Panor, *n. 10. h. t.* Interdictum, si fuerit locale, non videtur obstare electioni, quia versatur tantùm circa administrationem prohibitam quorundam Sacramentorum, & sepulturæ Ecclesiasticæ, circa quam non est necessaria electio. Secus interdictum personale impedit jus eligendi, quia suspendit totam personam *argu. c. cùm inter 16. h. t.* violans tamen interdictum locale in loco interdicto, & absque speciali privilegio celebrando, efficitur irregularis, & cadit à voce tam activa, quàm passiva *c. ille qui 18. §. is verò de sent. excom. in 6.* Hisce verò temporibus post Concilium Constantiense, & Extravag. Martini V. *Ad vitanda*, irretiti censuris Ecclesiasticis, nisi denuntiati, & notorii Clericorum percussores fuerint, videntur suum posse exercere munus, & ad electionem passivam admitti. Idq; videtur inductum ad succurrendum conscientiis timoratis, atque ad evitanda animarum pericula, quia cùm possimus cum excommunicato tolerato communicare in perceptione Sacramentorum, debent ejus acta esse valida, ut etiam electio efficax: alioquin frustra esset licitum cum tali communicare, si ejus acta non valerent.

4 Irregularis, tametsi ob inhabilitatem ad beneficia Ecclesiastica videatur destitutus jure eligendi: nihilominùs, si electio fiat ab irregulari, censetur esse valida, & profecta ab habente potestatem non impeditam, neque ligatam: quia licèt irregularitas reddat inhabilem ad beneficia, non tamen ipso jure privat potestate eligendi: non enim ex vi irregularitatis prohibetur quis eligere, proinde electio facta ab irregulari suum sortitur valorem. Dubitatur tamen de excommunicato denuntiato, sed ignorato à Capitularibus, an si concurrat ad electionem, eam irritet. & respondet Zœsius *h. t.* esse de illo idem statuendum, ac de occulto, quòd scilicèt electio, ejúsque acta suum sortiantur valorem; quia licèt sit denuntiatus, in loco tamen electionis, cum excommunicatio non sit notoria, habetur acsi non esset excommunicatus, proinde ejus acta censentur valida, ídque etiam juxta jus antiquum, quod non fuit immutatum; & quo tantùm excommunicatus notorius erat vitandus: Abbas *in cap. ad nostra n. 13. inf. de Jure jur.*

5 Juvat etiam hic adnotare, quòd Cardinalis excommunicatus, etiam denuntiatus, ac publicus, seu notorius aliis Cardinalibus non possit excludi à conclavi, nec impediri ab eligendo Pontifice per *Clement. 2. §. ceterum h. t.* qui textus solet adhiberi ad declarandum *c. licèt h. t.* in quo electus à duabus Cardinalium partibus sine exceptione dicitur legitimè electus. Ratio hujus specialitatis est, ad præcavenda pericula schismatis, ac vitanda alia incommoda, quæ possent inde oriri, si admitterentur exceptiones, ac dilationes post absolutam electionem. Idque etiam firmatur per constitutionem Gregorii XV. quæ incipit *Æterni Patris.*

6 Hæreticis nullum inest suffragii jus, siquidem ob hæresis crimen privantur omni jure, non tantùm circa bona patrimonialia, sed etiam Ecclesiastica; quapropter hæreticus caret facultate concurrendi ad electionem, & omni jure eligendi; si fuerit hæreticus notorius: Secus, si occultus, & toleretur; tunc est eadem ratio, ac de excommunicato occulto; & ejus suffragium suum sortitur valorem *arg. l. Barbarius de off. prat.* Hoc idem asseritur de Schismaticis, quando schisma est cum hæresi, tunc enim privantur omnì jure, ac beneficio, ut notat Rebuffus *tit. de modis amittendi beneficia nu. 29.* sunt etiam excommunicati de jure antiquo. Una enim ex pœnis, quæ Schismaticis infliguntur, est privatio Ecclesiasticæ jurisdictionis sitæ in facultate absolvendi, excommunicandi, eligendi, conferendi Ecclesiastica beneficia: quia cùm schismatici voluntariè se ab Ecclesia retrahant, & ab ipsius capite, par est, ut non fruantur fructu jurisdictionis, qui ab Ecclesia, ac ejus capite in Ecclesiæ membra derivatur. Ut autem hæc pœna incurratur juxta probabilem opinionem, requiritur, ut schismaticus fuerit nominatim denuntiatus talis, quia post Concilium Constantiense nullus est vitandus ex vi prohibitionis Ecclesiasticæ, nisi notorius sit percussor Clerici: aut nisi nominatim denuntiatus sit reus perpetrati delicti, cui est adjuncta communionis privatio. Incurrunt autem schismatici excommunicationem, ut patet ex Bulla Cœnæ Domini.

7 Contumaces etiam privantur Jure eligendi, & illorum Jus pro illa vice censetur transfusum in alios concurrentes ad electionem Bald. *cons. 338. ad Evidentiam in princ. lib. 1.* & idem est dicendum de iis, qui præsentes vo-

lunt

lunt eligere: Bald. *conf. 33. n. 2.* ut etiam de iis, qui absentes personaliter in loco electionis non comparent, si justo aliquo non detineantur impedimento: quia extante legitimo impedimento possunt Procuratorem constituere, qui regulariter debet esse unus ex Collegio, seu Capitulo, qui suffragetur loco absentis legitimo detenti impedimento; & petentibus reliquis Capitularibus debet juramento affirmare, quòd principalis personaliter non possit accedere *c. quia propter 42. §. illud autem h. t.* Possunt tamen Capitulares acceptare, si velint, procuratorem etiam ab absente non impedito, ut etiam alium extraneum Clericum, qui non sit membrum Capituli; quia hæc juris dispositio est in favorem Capitularium, qui non prohibentur eidem renuntiare. Panor. *in cap. quia propter 43. c. quisquis 45. c. si quis 46. h. t. in 6.*

8 Non tamen Procurator admissus à Capitularibus potest alium suo, & alium nomine principalis eligere; quia eadem conscientia, quâ suo nomine tenetur digniorem eligere; eadem etiam tenetur nomine principalis. Quòd si habuerit à principali speciale Mandatum eligendi certam personam, quæ procuratori non visa fuerit dignior; non tenetur eam eligere, neque suum judicium illi Principalis conformare *d. c. si quis justo 46. §. porro. & ibi Glossa in ver, nihil agit h. t. in 6.* Neque Principalis absens potest per litteras eum significare, cui suffragatur; neque suum mittere votum in scheda sigillo clausa: quamvis nullus sit è Capitularibus, qui officium velit procuratoris subire; & collegium nolit extraneum admittere; quia cùm hæc electio procedat per formam Scrutinii, debent suffragia dari Secretò, ac Sigillatim dari in ipso Scrutinio, & tempore actualis electionis à præsentibus; & litteræ missæ ab absente debent priùs publicè aperiri, ac cognosci, an sint propria manu scriptæ, & authenticæ. Tum quia suffragium in litteris expressum præveniret ipsum Scrutinium; & ex utroque capite electio vitiaretur *d. c. si quis §. absens.* Censet tamen Layman. *in quæst. can. de Prælat. Eccles. q. 43.* In electionibus regularium, in quibus forma Scrutinii non ita exactè servatur; sed schedulæ obsignatæ in unam urnam conjiciuntur, posse suffragium ita scriptum ab infirmo è suo cubiculo mitti ad Capitulum. Idque putârim probabile, si à Capitulo deputarentur duo Capitulares, qui urnam deferrent in cameram infirmi, ut hic propria manu suam schedam cum nomine electi injiceret.

Hoc tamen dignum est observatu, quòd à
9 Sacra Congregatione decisum fuerit, ut refert Garzias *de Benef. p. 5. cap. 4. nu. 200.* & ex illo Barbosa *ad Trid. Sess. 25. de Regul. cap. 6.* in electionibus Regularium per *d. c. 6. Concil. Trident.* (ubi sub pœna nullitatis statuitur, ut electiones fiant per secreta suffragia, quæ cum nominibus nunquam eligenti publicentur) non posse constitui procuratorem de Monasterio cum speciali Mandato eligendi certam personam nominandam à principali: sed tantùm cum generali Mandato de persona incerta, quæ ipsi procuratori visa fuerit digna. Rursus debent in Electionibus Regularium vocari omnes per signum omnibus sensibile, vel pulsum tintinnabuli; & si unus, vel alter non accesserit, possunt Capitulares sinere, eos vocari; & si nolint interesse, non sunt cogendi, quia potest quisque jure suo cedere: imò, si major pars nollet comparere, jus eligendi devolvitur ad residuos cum superiore, cui convenit congregare capitulum, licèt præsentes essent ita pauci, ut non excederent numerum binarium.

Imò, si unus tantùm superesset, jus eligen- 10
di esset apud ipsum: quemadmodum Collegii, aut Universitatis alicujus cætera Jura in uno etiam conservantur *arg. l. sicut in ff. quòd cujusvis univers.* Et hic unus, qui superesset posset aliquem idoneum ex suo Collegio, vel ex alio nominare, ac superiori præsentare ad impetrandam confirmationem Innoc. *in c. cum nobis h. t.* non tamen posset se ipsum eligere ob notam ambitionis, quam incurreret. Imò neque quando plures intersunt electioni, potest quis se ipsum eligere, sibique suffragari, quia electio esset ambitiosa, & nulla. Cum supponatur ignorare, an ab aliis eligatur, siquidem suffragia sunt secreta, se ipsum eligens remaneret exclusus, tanquam ambitiosus Abbas *cons. 25. quoniam de infrascriptis col. 3. ver. secundus modus lib. 2. & in cap. Gratum nu. 11.* Quinimò, si electio fiat per compromissum, ac debeant plures eligi, non possunt compromissarii se ipsos eligere. Quòd si in Scrutinio aperto eligeretur quis à majori parte, posset in electionem de se factam consentire per viam accessus; vel electionis: quia tunc cessat ambitio. Abbas *cons. 25. col. 2. ver. secundus modus nu. 2. lib. 2.* Idque procedit tametsi constitutio mandet electionem fieri per Scrutinium; quia si non supersint tot in Capitulo, ut possit Scrutinium secretum fieri, sufficit, si fiat apertum, & quamvis non fuerit forma servata, adhuc valet electio facta de uno ex duobus, & à se ipso, Abbas *d. cons. 25. n. 2. lib. 2.*

Arcentur etiam impuberes, & laici, siqui- 11
dem videretur absurdum, si ad tanti momenti res explicandas, ii vocarentur, quorum nullum est animi judicium, ut sunt impuberes. Et ad Sacra tractanda, ii, qui nondum illa attigerunt, cujusmodi sunt laici: quapropter sunt isti juris eligendi, sicut & aliorum jurium spiritualium regulariter incapaces, ut liquet *ex c. decernimus de jud.* quàpropter etiam ex conventione Capitularium non possunt admitti; & qui laicos, vel abusum sæcularis potestatis ad eligendum admitteret, utique vitiaret electionem, quæ suo frustraretur valore, & per triennium ab officio, & beneficio, proinde etiam à jure eligendi suspenderetur *c. quisquis 43. c. Massana 54. h. t.* hanc tamen suspensionem non esse la-

tæ, sed ferendæ sententiæ censet Joan. Andr. in *d.c. quisquis* 43. possunt tamen sæculares nomine Principis assistere, & coercere eos, qui electionem nitenter perturbare.

12 Non tamen ad id est necesse, quòd sint ipsi præsentes in loco scrutinii cùm actualiter fit electio, alioquin impediretur libertas in Electoribus in ordine ad aperienda animi sensa, plures enim non auderent quidquam opponere ob timorem sæcularium, sic læderetur libertas, & in sententia plurium electio foret invalida, & Fagnanus in *c. quisquis n.* 32. asserit: ita fuisse declaratum in sacra Congregatione, ne præsentia Principis sæcularis per se, vel per suos administros formidinem incuteret, & libertatem eligendi, forsan contra intentionē principis adimeret. Et etiam ne ex insolita consuetudine, & præscriptione temporis immemorialis, sæculares jus eligendi, cujus sunt incapaces, acquirerent sub prætextu, quòd semper interfuerint; licèt ob incapacitatem nequeant possessionem acquirere, sine qua non habetur præscriptio.

13 Quòd si per vim se intruserit sæcularis potestas, non propterea obstabit electioni, dummodo ipsi non suffragetur, & à capitularibus interponatur aliqua protestatio. Cæterùm ex privilegio summi Pontificis non videtur obstare, quo minus sæcularibus possit jus eligendi competere: non enim excedit potestatem summi Pontificis æquiparare laicos secundum quid Clericis, ac illos habilitare ad jura spiritualia, quia de facto habilitantur à Pontifice ad jus patronatûs, quod est, quid spirituale, nec potest sine nota Simoniæ divendi *c.16. de jur. patronat.* fortius tamen est jus eligendi, quàm præsentandi, cùm illud majus jus tribuat Electo, & plerumque sit circa Prælatos Ecclesiasticos, quorum authoritas in spiritualibus debet esse independens à sæcularibus.

14 Imò ex Religiosis carent jure eligendi, quotquot vocem activam non habent, cujusmodi sunt Novitii, tametsi quoad privilegium canonis, ac fori censeantur membra monasterii: hi enim non acquirunt vocem activam, nisi post emissam professionem, ut liquet: ex *c. ex eo.* 32. *§. in Ecclesiis b.t. in* 6. destituuntur itidem jure eligendi fratres, qui vocantur in religione conversi, qui ordinibus clericalibus non sunt initiati *d. c. ex eo* 32. ubi tamen Glossa in *V. cum Clericis* asserit: nisi in aliquo hospitali, vel ordine approbato à Pontifice essent soli laici conversi, cujusmodi sunt illi, qui in hospitalibus ministrant infirmis, & Italicè vocantur Buoni fratelli, iis enim non est denegandum jus eligendi sibi superiorem. Rursus neque Religiosi clerici eligere possunt, nisi ad minus sint sacro ordine subdiaconatûs initiati, ut habetur in *Clement.* 2. *de ætate, & qualitate, & in Trident. sess.* 22. *de refor. c.* 4. imò nec in Cathedrali, & Collegiata sæculari, vel regulari Ecclesia vocem activam habent, qui non sunt saltem subdiaconi, ut de electione præsertim Abbatum tradit Tamburinus *de jure Abbatum Tom.* 1. *disput.* 5. *q.* 8. *n.* 8. Verum tamen est, quòd ex insolita consuetudine legitimè præscripta alicujus loci, jus antiquum potest in aliquibus Monasteriis retineri; quia potior intentio Concilii fuit consulere Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis, ne carerent canonicis sacris ordinibus initiatis, & ne isti post receptos fructus plurium annorum clericatui renuntiarent.

Quamobrem de jure communi jus eligendi ad eos duntaxat coarctatur, qui initiati ordinibus sacris, & non irretiti ullo canonico impedimento vocem activam habent & sunt membra illius capituli, cui competit jus eligendi *c. ult.* 16. *q.* 6. *c.* 1. *h. t. c. cùm Ecclesia de caus. poss. & propriet.* qui non sunt membra talis Capituli, non nisi ex speciali jure vocari possunt ad electionem, cujusmodi sunt Procuratores, qui ex consensu Capitularium permittuntur accedere ad electionem, & vices gerere absentium. Rursus extranei, qui non sunt de gremio Capituli possunt jus eligendi acquirere ex privilegio Pontificis; hic enim ob plenissimam in omnes Ecclesias, & beneficia potestatem potest jus eligendi concedere, vel auferre, ut liquet ex regulis Cancellariæ. 15

Præterea possunt Electores ex communi consensu in aliquem extraneum Episcopum, vel alia dignitate Ecclesiasticâ insignitum compromittere, totúmque jus suum quoad electionem illi conferre pro illa vice, adeò ut ille solus loco totius Capituli eligat Prælatum in Ecclesia vacante, ut habetur in *c. si causam.* 8. *h.t.* Generatim tamen non possunt Capitulares pro semper hoc jus eligendi in alium transferre, & illud à se abdicare; quia jus electionis non solùm conceditur in favorem eligentium, sed etiam ipsius Ecclesiæ, cui utiliùs per electionem factam à membris Capituli consulitur, quàm per aliam provisionem. Tum quia cùm capitulares percipiant fructus ex beneficiis talis Ecclesiæ, par est, ut eidem inserviant, præsertim quando præficiendus est illi Prælatus. Possunt etiam Capitulares dummodo omnes consenserint extraneum Clericum ad Capitulum, & electionem admittere: idque præsertim, quando convenire non possunt, ut fiat canonica electio, nec una pars ullo pacto vult alteri cedere: tunc enim ex unanimi consensu potest admitti ad electionem Clericus extraneus. *c. scriptum* 40. *h.t.* 16

Potest etiam Patronus Ecclesiasticus in fundatione ecclesiæ collegiatæ sibi præservare jus eligendi; siquidē in fundationibus Ecclesiarum ob beneficium præstitum ecclesiæ, ex gratitudine in benefactores, honestæ conditiones admittuntur, ut alii alliciantur ad similia beneficia præstanda, ut liquet ex *c. præterea* 23. *de jur. patron. c.* 4. *de condit. appos.* consuetudine itidem, & præscriptione acquiritur jus eligendi *c. ecclesia de causa poss. & propriet.* ad hanc tamen præscriptionem debent quadraginta anni fluxisse, eò quia sit præscriptio contra canones. An verò ad hanc præscriptionem juris eligendi requiratur titulus? non videtur concordia omnium sententia: plures affirmant, eo innixi fundamento, quia præsumptio juris sit contra præscribentem, propterea requiratur necessariò, aut tempus immemoriale, aut titulus juxta *c.* 1. *de præscript.* 6. opposita tamen sententia est communior, & eam docet Panormit. *in c. Ecclesia* 48. *n.* 3. *h.t.* asserens: solum exer- 17

exercitium eligendi, continuatum per quadraginta annos sufficere absque alio titulo ad præscribendam consuetudinem. Tum quia in *eod. c. cùm Ecclesia.* præter tempus, & possessionem nullius Tituli sit mentio, licèt in eodem tam super petitorio, quàm possessorio, actum fuerit, & in petitorio regulariter necesse sit, ut ostendatur Titulus.

18 Præterea, quia in juribus incorporalibus nonnunquam scientia, & patientia adversarii sumitur, ut sufficiens Titulus *l. 3. ff. de usufruct. l. fin. ff. de servitut.* Interim qui ante completum præscriptionis tempus censentur in pacifica possessione juris eligendi, debent ad electionem admitti, quia pendente lite non debet quis privari commodo suæ possessionis *c. cum Ecclesia. c. 1. & 2. ut lite pendente.* Imò censet Glossa *in d. c. cùm Ecclesia v. trium Episcoporum.* posse juris eligendi possessionem acquiri per unicum tantùm actum, adeò, ut si ab illo ad secundum fluxerint anni quadraginta, ut, si per primam electionem Prælatus electus tanto tempore vixerit, ipsum jus censeatur præscriptum, nisi adversarius probaverit, illum primum actum fuisse vi, aut precariò exercitum.

19 Licèt Jus eligendi competat omnibus iis, qui sunt membra Capituli, & habent vocem activam; si tamen isti scienter indignum eligant, privantur pro illa vice eligendi Jure, quinimò si electio peracta fuerit in Cathedrali Ecclesia, privantur etiam beneficiis, quæ in eadem possident per triennium *c. cùm in cunctis 7. §. clerici h. t. c. si compromissarius 27. eod. tit. in 6.* id tamen intelligi debet, quòd pro sola illa vice intelligantur eligentes indignum, privati Jure eligendi: adeò, ut electio de indigno à majori parte Capituli celebrata fuerit, & publicata, & rursus publicæ electionis formatum decretum, quia tunc tantùm electio dicitur absoluta, ac finita, *c. perpetuò h. t. in 6.* Si enim major pars consenserit in indignum, jus eligendi transfertur in solam partem minorem, & si hi concordes fuerint, possunt suam electionem renovare, & publicare: vel per novum scrutinium in aliquem dignum convenire: idque est tutius: quia cùm prima electio ob consensum majoris partis in indignum fuerit invalida, debet fieri nova electio, quæ valida sit, ac propterea distincta à prima. Panor. in *c. congregato 53. h. t.* Quòd si contingeret, electum à minore parte non acceptare electionem in suum favorem factam, vel mori, vel occulto laborare Canonico impedimento, adeò, ut deveniendum esset ad novam electionem, tunc Capitulares, qui priùs indignum elegerant, non sunt ampliùs excludendi ab electione, quia fuerunt sufficienter privati, eò quia non interfuerint electioni factæ à minori parte: ex jure enim privantur tantùm pro illa vice, & in pœnalibus interpretatio restringitur. Glossa in *c. cùm Vintoniensis 25. h. t. & in c. si electio. V. integrum eod. tit. in 6.*

20 Quòd si omnes, de Capitulo in indignum scienter consentirent, tunc jus eligendi pro illa vice devolveretur ad superiorem *c. bonæ 23. h. t.* & Panor. in *d. c. cùm Vintoniensis n. 6. h. t.* Notat tamen Passerinus *in tractat. de elect. c. 29. n. 94. & seq.* quòd hæc pœna privationis juris eligendi, quæ incurritur ob indigni electionem tantùm habeat locum in electione ad Episcopatum. non ita ad dignitates inferiores præsertim Regularium, quia Religiosi eligentes indignum puniuntur alia pœna arbitraria *argu. c. si compromissarius 37. h. t. in 6.* Rursus asserit Passer. hanc pœnam eligentium indignum esse intelligendam de indigno, ex triplici tantùm capite, scilicèt ob defectum *natalium*, *scientiæ*, & *morum*, quòd si fuerit indignus ex alia causa, ut si sit Bigamus, Neophytus, vel irregularis absque delicto, ut si sit corpore vitiatus, tunc non incurrit hanc pœnam privationis.

§. IV.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones, quibus Electores videntur electionem vitiare.

1 HActenus de iis egimus, quibus inest jus eligendi; quia verò plures solent dispositiones præviæ ad electionem concurrere, de quibus dubitari potest, an vitient, vel irritent ipsam electionem, ideò operæ pretium duxi hic cursim, aliquot subjicere quæstiones.

2 Quæritur primò, an Electores possint licitè invicem pacisci, seu contractum inire circa electionem? siquidem omne pactum de electione Ecclesiastica inducit Simoniam. Pro solutione quæsiti, juvat perpendere, aliud esse pacisci de commodo electionis, & aliud, proponere mutuum commodum Electorum, si eligantur hæ, vel illæ personæ: ut si Petrus ostendat suam voluntatem eligendi Paulum, si hic postea sit electurus alium juxta votum Petri. Hi duo modi distinguuntur, quia ex primo inducitur obligatio, quam secum trahit natura pacti; secus posterior nullam inducit obligationem, sed tantùm ostendit inclinationem, quâ manifestatâ electores non obligantur, sed tantùm alliciuntur ad eligendos aliquos, ostensâ etiam spe commodi, quod inde sequitur: ita tamen, ut omnes Electores adhuc maneant totaliter liberi; & hoc secundo modo putârim electionem sortiri suum valorem, nisi vitiaretur ratione alicujus mali finis: quia ostendere propriam inclinationem, & commodum oriundum ex electione non est inire pactum, nec ullam obligationem.

3 Quamobrem difficultas est, an Electores possint de ipso commodo electionis pacisci, adeò, ut Petrus eligat in commodum Pauli, & hic in commodum Petri ex suppositione, quod utraque electio cadat in personas dignas: & in hoc sensu mihi videtur respondendum, non posse Electores pacisci de commodo electionis, quia eo ipso quòd pactum ineunt, obligationem inducunt; atqui obligatio destruit naturam electionis, quæ cum exigat fieri mediante suffragio secreto, debet Elector omninò

liberè

liberè, & non coactè suffragari: est enim de ratione electionis, ut sit libera; & posito prævio pacto suffragium non esset liberum, quia elector suffragaretur ex obligatione contractûs prævie initi, quia pactum de comodo electionis obligaret utrumque Electorem ad taliter suffragandum.

4 Quamobrem hoc pactum censendum est illicitum, eò quia adversetur electioni Canonicæ. Neque ullum facessit negotium, si dicas: pactum initum cadere super commodum electionis, & non super electionem, proinde hanc non vitiari, ratione talis pacti. Nam contra est, quia tametsi pactum dicatur cadere super ipsum commodum directè, nihilominùs adhuc indirectè cadit super ipsam electionem: siquidem tale commodum est essentialiter connexum cum ipsa electione, perindè ac effectus essentialiter nectitur cum sua causa, à quâ dependet. Tunc objectio valeret, si commodum electionis separari posset ab electione: sed quia conjungitur essentialiter cum electione, ut effectus cum sua causa, qui non potest haberi, nisi positâ causâ, seu electione, ideò paciscens explicitè de solo commodo, paciscitur implicitè de ipsa electione, quia paciscitur de commodo, quod sequitur tantùm ex ipsa electione: unde claret, tale pactum esse illicitum, eò quia saltem implicitè cadat super electionem.

5 Si urgeas: tale pactum non esse illicitum, eò quia non sit Simoniacum, siquidem non datur aliquid spirituale pro temporali, sed tantùm spirituale pro spirituali commutatur. Tum quia Jura tantùm prohibeant commutationem beneficiorû, & cum id sit quid pœnale non est extendendum ad alia. Quinimò *in c. ad quæstiones de rerum permut.* habetur: licitum esse commutare spirituale cum spirituali.

6 Contra est, quia si pactum cadat super substantiam electionis, est Simoniacum. Duo considerantur in electione; Substantia scilicèt ejusdem sita in ipsa vocatione personæ dignæ ad munus aliquod Ecclesiasticum; & commodum electionis, quod percipiunt Electores, si electio fiat in favorem hujus, vel alterius personæ; & hoc commodum licèt se habeat consecutivè ad substantiam electionis, est nihilominus quid essentialiter connexum cum electione: propterea cum semper cadat saltem implicitè super substantiam electionis; censendum est pactum Simoniacum: quia Simonia non solum dicit, quod spirituale commutetur cum temporali; Sed etiam (& est maximè notandum) quod spirituale subjiciatur humano contractui, in quo præcipuè fundatur ratio Simoniæ, quia subjicere spirituale humano contractui est maxima injuria, quæ fit rei spirituali, quia per hanc subjectionem invertitur debitus ordo rerum: quia sicut spiritualia sunt in ordine superiori, & elevant hominem ad participandum aliquo pacto in esse divino: ideò, si spiritualia humano subjiciantur contractui, invertitur hic ordo, & homo hoc pacto utens indebitè rebus spiritualibus avertitur à fine ultimo, quia ad ipsum non tendit juxta exigentiam rerum spiritualium, quapropter Christus Dominus Matth. 10. *vers. 8.* ait: *gratis accepistis, gratis date.* Per id enim prohibetur omnis contractus circa spiritualia, & *c. pactiones de pactis*, damnatur, ut illicitum omne pactum, & conventio. Hinc ad id, quod addebatur, tale pactum non esse Simoniacum, eò quia non detur temporale, pro spirituali. Respondetur, Simoniam non consistere tantùm in eo, quòd spirituale commutetur pro temporali, verùm etiam in eo, quòd spirituale subjiciatur humano contractui, quia hoc pacto homo disponit, de quo non habet dominium, & in re magni ponderis invertit rectum, ac debitum ordinem. Ad aliud, quod addebatur; Jura prohibere tantùm beneficiorum comutationem respondetur, Jura non tantùm prohibere hanc mutationem, verùm etiam omne pactum cadens super spiritualia, ut liquet ex *d. c. pactiones de pactis*. Tum quia *in c. non satis de Simonia* habentur plura, quæ non sunt beneficia, quæ tamen declarantur esse materia Simoniæ, si subjiciantur humano contractui, ut Capellania, & ingressus in Religionem. Ad textum desumptum ex *c. ad quæstiones de rerum permut.* Respondetur, Textum esse intelligendum de commutatione spiritualium, ratione applicationis, quâ huic, vel illi personæ, aut Ecclesiæ approprientur.

Quæritur secundò, an possit Canonicus in electione Episcopi convenire cum alio, quòd velit illum promovere ad tale officium, dummodo promittat suum suffragium in suum favorem. Casus est frequens per totam Germaniam, in qua Canonici Cathedralium eligunt per Secreta suffragia Episcopum. Contingit etiam passim casus iste servatâ proportione in Comitiis Religiosorum: dicit enim quis alteri Religioso, si tu me elegeris in Generalem, ego te eligam in Provincialem, vel Guardianum. Procedit quæstio, quòd eligendi sint digni: & pro solutione juvat observare, quòd aliud sit pacisci, & aliud declarare mentem suam: potest enim Canonicus tempore electionis dicere alteri, si me elegeris Episcopum, ego te promovebo ad præpositūram, vel aliud officium, non paciscendo, sed tantùm suam mentem aperiendo, & ostendendo suam gratitudinem, si alter sit illi suffragatus: non enim in hoc ullus intercedit contractus, quia unus tantùm manifestat alteri suam propensionem ad illum gratificandum sub conditione, si sit ei suffragatus. 6

Putârim igitur, electionem aliàs honestam per hanc simplicem declarationem non vitiari, quia electio non subjicitur humano contractui, quia unus tantùm aperit mentem suam, & alter remanet integrè sui Juris in ordine ad electionem; adeò, ut sit illi omnino liberum suffragari, vel non, promittenti præposituram, vel promotionem ad aliquod officium: non enim hoc pacto aperire suam mentem est inire pactum, sed ad summum allicere ad eligendum dignum, & declaratio operis honesti peragendi: ut docent Pasqualigus *decis. 226.* & Rodriquez *Tom. 3. qq. regul. q. 63. a. 4.* non enim est illic- 7

illicitum protestari suam gratitudinnem in ordine ad allicendos homines ad sibi præstandum aliquod beneficium: siquidem protestatio gratitudinis, & procurare beneficia, quæ licitè conferantur, nullo jure est prohibitum: quinimo procurare sibi bonum aliquod per medium honestum, cujusmodi est protestatio virtutis gratitudinis est cuilibet licitum de jure naturæ. Nec obest, quòd talis actus sit conditionatus, eò quia eligat sub conditione, si alius priùs eligat, vel declaret se electurum. Siquidem conditio illa non concurrit, ut objectum alicujus commutationis, sed potiùs, est quædam beneficii compensatio, & cùm sit de ratione gratitudinis præsupponere beneficium præstitum; ideò declaratio intentionis gratitudinis ostendendæ non potest fieri absolutè, sed tantùm conditionatè, si præcesserit beneficium suffragii in favorem promittentis gratitudinem.

9 Si dicas: saltem hanc promissionem, & ostensionem gratitudinis vitiare electionem ratione ambitionis, eò quia Canonicus ita promittens in ordine ad electionem non posset excusari à crimine ambitionis, proinde se constitueret indignum, & electio caderet in indignum, quæ propterea nullius esset valoris. Contra est, quia non esset ambitiosus, qui tali pacto suam aperiret mentem, nisi aliæ concurrerent circumstantiæ, quibus electio vitiaretur: est enim tantùm ambitio procurare electionem de se faciendam quomodocunque, nullo habito respectu ad merita, & sive dignus sit, sive non. Cæterùm ex suppositione, quòd ab aliis jam habeatur dignus, ut etiam ab eo, cui aperit suam mentem, & promittit gratitudinem, & velit tantùm illum allicere ad electionem ex protestatione gratitudinis; tantùm abest, quòd se gerat tanquam indignum, ut potius se ostendat magis dignum: ratio est perspicua, quia gratitudo est virtus constituens dignum virum gratum; ergo, si ante promissionem gratitudinis erat dignus factâ promissione gratitudinis sit dignior, quia se ostendit ornatum uberiori virtute.

Quæritur tertiò, an si aliqui ex Electoribus
10 sint parati eligere in Episcopum indignum, licitum sit iisdem offerre pecunias, ne illũ eligant? Censent plures, oblatas pecunias non excusare à Simonia, quia dare pecuniam ante electionem, & jus acquisitum ad removenda obstacula in ordine ad electionem est Simoniacum. Probant etiam *ex c. de hoc. c. sicut tuis c. Matthæus de Simonia*. Tum quia id perinde esset, ac mediante pecunia munire viam ad acquirendum aliquid spirituale, quod propterea compensaretur pecunia, quod est Simoniacum. Nihilominus opposita sententia est communior, quam docent Innocentius *in c. nemo extra de Simon.* Sotus *lib. 9. de just. & jur. q. 6. art. 1. dubio ult.* Lessius *lib. 2. de just. c. 35. dubio 9.* Pasqualigus *decis. 237. de elect.* Layman. *lib. 4. Theol. moral. tract. 10. c. ult. §. 2. n. 23.* Suarez. *Tom. 1. de religione lib. 4. de Simon. c. 50. n. 36.* Palaus *3. p. tract. 17. disput. 3. dubio 20. n. 8.* Bonac. *Tom. 1. disput. 1. de Simon. q. 6. punct. 5. n. 11.* Ratio, quâ plures ex prærecensitis Doctoribus nitũtur, & præsertim Pontius *lib. 5. de matrimon. c. 18. §. 6. n. 43.* est: quia exhibere pecunias ad impediendam electionem indigni, vel minus digni est minus malum, quàm si eligatur indignus. Quia in illo casu Elector peccat contra justitiam distributivam, & secum trahit obligationem resarciendi omnia damna: peccat contra charitatem, quam tenetur exercere in Ecclesiam, seu communitatem fidelium, cui electio esset valdè noxia: hâc ratione ductus Pontius ait: licitum esse offerre pecuniam ad impediendam electionem indigni, quia licitum est offerre materiam minoris peccati, ad præcavendum gravius. Verùm huic rationi nunquam potui acquiescere, quia nunquam licitum est concurrere ad peccatum, licèt minus: proinde nec est licitum offerre materiam minoris peccati, quia tunc ipsa oblatio pecuniæ supponitur esse peccatum licèt minus, quàm eligere indignum: & quia peccatum tametsi minus grave, nunquam est licitum; perspicuum est, nec esse licitam talem exhibitionem pecuniæ, si supponatur esse peccatum, licèt minus grave: quia nunquam sunt facienda mala, ut impediantur aliorum mala, licèt subinde possit malum aliquod minus grave permitti ad præcavenda mala graviora; sed permittere malum hoc pacto in Republica non est facere malum; sed tantùm permittere impunitum tale malum ad præcavenda pejora.

Exactiùs respondet Pasqualigus, *loco cit.* ta-
lem pecuniarum exhibitionem ad impediendam electionem indigni nón esse ab intrinseco sui peccaminosam, quin potiùs honestam, quia talis exhibitionis objectum est honestum, proinde, & ipsa exhibitio pecuniarum. Hauriunt enim actus suam ab objectis honestatem, vel turpitudinem. Quòd autem objectum pecuniæ oblatæ sit honestum; ex eo liquet, quia tale objectum non est pecuniâ compensare spirituale, nec per ipsam sibi sternere viam ad spiritualia: sed objectum talis oblationis est præcisè expellere ab Electoribus volentibus indignum eligere malam illam dispositionem, & ipsorum mentes benè mereri, ut recedentes à pravo illo sensu constituantur in debita rectitudine, & dispositione, ut decet quemlibet Electorem eam habere, ut sic dispositi procedant rectè in electione, & eligant, quem debent juxta Sacros Canones. Quamobrem cùm objectum talis oblationis pecuniarum sit bonum, ut etiam finis extrinsecus, nil superest, à quo censeatur talis oblatio vitiari. 11

Hinc deprehenditur non esse Simoniacum
hoc pacto ante electionem, & Jus acquisitum, 12
exhibere pecunias ad removenda obstacula, ne Electores contra SS. Canones eligant indignum. Neque citati textus *c. de hoc. c. sicut tuis. & c. Matth.* adversantur nostræ assertioni; siquidem in primo textu tantùm habetur, quòd convictus de Simonia sit puniendus pœnis ibi expressis. In secundo, quòd Electo non sit imputandum ad Simoniam, si eo prohibente, sit data pecunia. Et in tertio tantùm habetur, quòd electus Simoniam incurrat, si pecuniam exhibeat con-

contradicentibus, ne electioni de se factæ sint obstaculo, unde sumus in casu diverso. Neq; sequitur, quòd mediante pecuniâ muniatur via ad spirituale, quia hoc non intenditur. Cùm finis exhibentium pecunias sit tollere impedimentum obstans rectæ electioni.

13 Quæritur quartò, an si plures ex Electoribus parati sint eligere per pluralitatem suffragiorum indignum, vel minus dignum, liceat iisdem exhibere pecunias, ut eligant aliquem determinatè, qui sit dignus? Respondetur cùm Suarez. *Tom. 1. de religione lib. 4. de Simon. c. 50. n. 28.* Soto *lib. 9. de just. jur. q. 6. a. 1.* Bonacina *tom. 1. disput. 1. de Simon. q. 6. punct. 5.* & aliis, non esse licitum efferre pecuniam Electoribus, licèt paratis ad eligendum indignum, ut determinatè eligant hunc dignum; ratio est, quia quando determinatur persona, etiam determinatur electio ad talem specialem personam, quapropter directè exhiberetur pecunia pro ejus electione, quod perinde esset, ac compensare spirituale pretio pecuniarum, quod redolet Simoniam manifestam. Non enim potest intendi, quod aliquis determinatè ex pluribus eligatur, nisi intendatur electio ipsius determinatè: quapropter pecuniæ exhiberentur pro ipsa electione, quod nunquam est licitum. An verò si ex eligendis unus duntaxat dignus esset, liceret tunc offerre pecunias Electoribus paratis ad eligendum indignum, aut minus dignum, & cum conditione, quod juxta SS. Canones eligant dignum: Ratio dubitandi est, quia cùm supponatur unus tantùm esse dignus, electio videtur determinari ad ipsum tantùm: cùm exhibentes pecuniam excludant indignos, & minus dignos, implicitè videntur includere solum dignum. Respondet Sotus *lib. 9. de just. & jur. q. 6. a. 1. circa finem.* licitum esse pecunias exhibere non solùm pro impedienda electione indignorum, verùm etiam pro obtinenda electione illius, qui solus est determinatè dignus: & assignat rationem, quia quamvis non sit licitum spiritualia vendere, eò quia sit intrinsecè malum: redimere tamen non est ita malum, quin si extrema necessitas urserit, non possit cohonestari. Verùm hæc ratio videtur pati difficultatē, quia sive electio redimeretur, sivè de novo acquireretur pro persona digna, semper ipsa electio compensaretur pecuniâ numeratâ, quod est intrinsecè malum.

14 Quamobrem melius cum Valentia *Tom. 3. disput. 6. q. 16. quæstiunc. 4.* Layman. *lib. 4. Theol. moral. 4. tract. 10. c. ult. §. 2. n. 23.* Respondetur solùm licitum esse exhibere pecunias ad hunc præcisè finem, ne aliquis indignus eligatur, non autem cum intentione, ut determinatè eligatur ille solus, qui dignus censetur; quia hoc pacto non datur pecunia pro electione determinatæ personæ, sed ne indignus eligatur: unde per accidens tantùm sequitur, quòd ille determinatè dignus eligatur, eò quia ex pluribus ille solus verè sit dignus: in hoc sensu exhibitio pecuniarum habet objectum honestum cujusmodi est impedire malum eo meliori modo, quo potest, & illis mediis, quæ ex natura sua non sunt intrinsecè mala: & pecuniarum exhibitione sibi aliquos promereri ad hunc finem, ut se abstineant à malo, non est malum ex sua natura, sed honestum: proinde nil obstat, quin possit tale medium adhiberi ad impediendam electionem indigni.

Quæritur quintò, an si Electores subornentur vi, aut fraude, possit quis exhibitione pecuniarum, vel munerum redimere hanc vexationem. Non rarò contingit, cum agitur de aliqua electione, ut inducatur quis per vim, aut fraudem, ad diffamandum aliquem ex eligendis apud Electores, ne eligatur. Vel è contra, ut vi, vel fraude impediatur, ne Electores in Scrutinio deveniant in notitiam morum corruptorum, aut alicujus patrati criminis ab illo, qui aliàs esset eligendus, & ad hunc finem, ut in ipsum cadat electio potiùs, quàm in alium, in quem caderet, si pravi mores alterius essent noti Electoribus. Cùm homines subinde ducantur passione, non ratione, per vim, & fraudes nonnunquam nituntur, ut electio sortiatur juxta eorum vota. Suarez *Tom. 1. de relig. lib. 4. de Simon. c. 50. n. 2.* Layman, *lib. 4. Theol. moral. tract. 10. c. ult. §. 2. n. 22.* Sotus *lib. 9. de just. jur. q. 6. art. 1. ad 5.* & alii plures procedunt cum distinctione, & dicunt, quòd si subornans per vim, aut fraudem non sit unus ex Electoribus, tunc sit licitum redimere pecuniis hanc vexationem; quia tunc non datur pecunia ad obtinendum auxilium pro electione, sed duntaxat ad declinandum nocumentum, & ad redimendam injustam vexationem. Quòd si subornans sit unus ex Electoribus, qui possit electioni prodesse cooperando per se ad actum electionis, tunc dicunt non esse licitum exhibitione pecuniarum vexationem redimere, quia tunc censeretur pecunia illi offerri ut Electori, & ut prodesset, in ordine ad actum electionis. Idque perinde foret, ac pecunia emere electionem. 15

16 Non desunt tamen, qui censeant esse itidem licitam talem pecuniarum oblationem, tametsi subornans vi, aut fraude sit unus ex Electoribus, qui possit prodesse in ordine, ad actum electionis. Docent enim hanc Sententiam Sanchez *lib. 2. Consil. moral. cap. 3. dubio 30. n. 5. & 9.* Palaus *par. 3. tract. 17. disput. 3. de Simon. punct. 20. n. 4.* quia dicunt: non dari pecuniam illi Electori, qui potest prodesse, ad eum finem, ut prosit; sed tantùm ad præcisè redimendam ipsius injustam vexationem. Quia quilibet habet jus à natura sibi concessum ad defendendum se, & suum honorem, proinde ad redimendam vexationem sibi noxiam, & præsertim sibi detrahentem in re magni momenti, ut est detrahere alicui bonam famam, & honorem.

17 Quæritur sextò, an, si Electores precibus, vel muneribus subornentur, ne aliquis, qui aliàs dignus esset, eligatur, possit iste numeratis pecuniis, vel oblatis muneribus hanc vexationem redimere, Suarez *Tom. 1. de relig. lib. 4. de Simon. c. 50. n. 28.* Sanchez *lib. 2. consi. moral. c. 3. dubio 30. n. 5.* Diana *part. 5. tract. 14. resolut. 2. ver. sed affirmativam.* Pasqualigus *decis. 231. de elect.* Palaus *pag. 3. tract.*

tract. 17. disput. 3. punct. 20. n. 6. & alii plures censent posse pecuniarum largitione, vel munerum oblatione redimi vexationem, etiam quando vexans est unus ex Electoribus, ac potest prodesse in ordine ad actum electionis; & hæc sententia perquàm probabilis est, quia quando vexatio fit ab eo, qui non potest prodesse actui electionis habet meram rationem nocumenti; propterea, qui læditur potest jure suo naturali uti, quod habet ad se defendendum, & ad avertendum à se quodlibet malum; & medium quod adhibetur ad propriam defensionem non est malum, quia quod pretio obtinetur, non est quid spirituale, nec quid connexum per se cum eodem; nec quidquam consequens per se ad ipsum: siquidem remanent Electores in eo Statu, in quo essent, si talis subornatio non fieret. Quamobrem oblatio pecuniarum ad eum tantùm dirigitur finem, ut subornans deponat pravum animum subornandi in detrimentum tertii.

18 Quòd etiam id licitum sit, tametsi subornans sit unus ex Electoribus, qui possit electioni prodesse etiam claret, quia talis subornatio est contra munus Electoris, & adversatur bonæ electioni, ideò si exhibeatur ipsi pecunia ex hoc præcisè fine, ut desistat à subornatione, tunc non datur tanquam Electori, & ad hunc finem, ut prosit electioni; sed ut malè affecto: & sic est par ratio de illo, ac de alio, qui non potest prodesse, ut rectè notat Suarez *loco cit.* cùm igitur talis pecuniarum exhibitio non ordinetur ad acquirendum aliquod spirituale; sed tantùm ad avertendum nocumentum, non videtur esse, quid illicitum. Neque jura prohibentia Simoniam, prohibent, ne quis utatur jure proprio naturali ad sui defensionem.

19 Quæritur septimò, an exhibitione pecuniarum, vel munerum possit licitè obtineri, ut electio juridicè fiat, pro determinata aliqua persona? plerumque contingit non posse electionem sortiri ad votum alicujus per viam Scrutinii, nec per subornationem, nec alio modo, quàpropter movet quis omnem lapidem, ut electio juridicè non fiat, ad eum finem, ut possit postea illam impugnare, & obtinere ejus nullitatem, & interim beneficio temporis disponere Electores ad eligendum juxta proprium votum. Quæstio est, an tunc possit exhibitione pecuniarum, vel munerum procurari, ne electio impediatur, quin juridicè fiat? Sanchez *lib. 2. cons. moral. c. 3. dubio 30. n. 9.* Silvester. *verb. Simon. 13.* Pasqualigus *de elect. decis. 232.* & alii respondent affirmativè, quia per talem exhibitionem pecuniarum, vel munerum non obtinetur pretio ipsa electio, sed tantùm redimitur vexatio, quam Capitulum pateretur, si ex malitia alicujus malè affecti electio non fieret juridicè. Capitulum siquidem habet Jus ad juridicam electionem, & ad adhibenda media, ut hæc juridicè sortiatur, imò tenetur concurrere, & quantum fieri potest curare, ut juxta SS. Canones juridicè fiat. Proinde, si quis malitiâ, & dolo impedit, ne electio fiat juridicè, injuriam infert toti Collegio in re gravi, & illud privat jure, quod habet ad electionem juridicam; proinde licitum erit, hanc gravem redimere vexationem injustam, etiam pecuniarum exhibitione. Hæc sententia est valde probabilis, quando electio juridica cadit in personam non determinatam, ac illi adhærendum puto: quia tunc Capitulares exhibent pretium ad simpliciter impediendam injuriam gravem sibi inferendam, quod juris est naturæ. Imò Sanchez censet, esse itidem licitum pretio redimere vexationem, quando agitur de electione personæ determinatæ; quia adhuc toti Collegio irrogatur injuria, si electio juridicè non fiat, & electores habent jus præcavendi hanc injuriam sibi inferendam; & est quod principaliter ab iisdem intenditur; per accidens enim est, quod electio cadat in determinatam personam.

Quæritur octavò, an si Elector accipiat pecunias ab uno competitore, ut prosit actui electionis, possit, & alter competitor eidem exhibere pecunias ad eundem finem? Respondetur negativè, quia talis oblatio pecuniarum est Simonia; siquidem habet pro objecto ipsam electionem, quæ est quid spirituale; & ab utroque competitore datur pecunia, ut elector prosit actui electionis, ac suffragetur in favorem largitoris. Tum quia competitor non vexatur injustè; & elector potest esse antecedenter determinatus in favorem alterius absque ulla injustitia. Quòd si pecunia non exhibeatur in compensationem suffragii; sed tantùm ad sibi conciliandum animum Electoris, si fortassis esset à se aversus, absque ullo respectu ad actum electionis; tunc largitio pecuniarum non est Simonia ex objecto; sed actus liberalitatis; ac munificentiæ, quæ est specialis virtus; quapropter hic actus ex natura sua, & intrinsecis principiis est bonus, & tantùm potest vitiari ratione finis extrinseci, quatenus potest ordinari ad finem illicitum. 20

Quæritur nonò, an si Elector impugnet electionem jam factam à majore parte Capitulariũ, eò quia non fuerit canonica, possit eidem exhiberi pecunia, ut cesset ab impugnatione? Respondetur talem pecuniarum largitionem esse Simoniam, ut liquet ex *cap. Mattheus de Simonia:* quia licèt electio sit jam facta; contradictio tamẽ tendit ad illam annullandam; & ideo pretio impedire justam impugnationem, perinde est, ac sibi electionem de novo per pecuniam adjudicare, quod non caret Simoniâ. Quòd si electio sit canonicè facta, & impugnatio injusta, tunc electus habet jus se defendendi per media opportuna ad removendam injustam vexationem; quia quisq; habet jus ad se tuendum, ac manutenendum in statu sibi proprio, & conveniente contra omnem injustitiam; propterea licitum esse tunc contradicenti dare pecunias, ut cesset ab injusta vexatione docent Suarez *tom. 1. de Rel. lib. 4. de Simonia cap. 50. n. 8.* Pasqualigus *decis. 234. de Elect.* Palaus *part. 3. tract. 17. disp. 3. de Simonia punct. 20.* quæ sententia sua haud caret probabilitate; quia id non est pretio sibi de novo electionem adjudicare; cùm electio jam facta

cta supponatur Canonica, & legitima; & vexatio injusta, quæ propterea mediante pecunia avertitur, ne electus à proprio statu deturbetur: neque pecuniarum elargitio, quid aliud habet pro objecto, quàm redimere injustam vexationem; & exercitium illius Juris, quod quisque habet ad se defendendum. Idque etiam valet, quando electio indiget ulteriori confirmatione; quia non datur pecunia pro confirmatione; sed præcisè pro avertenda injusta vexatione contra Canonicam, & legitimam electionem: siquidem juxta communem regulam, licet pecuniis redimere injustam vexationem post jus acquisitum Glossa in cap. *quæsitum c. 1. quæst. 3. verb. Redemptione.* Et *in cap. Decimas 3. 16. quæst. 6.* Et *in cap. Dilectus de Simonia.* ubi Innocent. Panormitanus, & plerique alii consentiunt, & docet hanc sententiam Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 4. de Simonia cap. 50.* ex D. Thoma *2. 2. quæst. 100. art. 2. ad 5.*

22 Quæritur decimò, an electus canonicè possit etiam pretio radimere vexationem injustam, quâ eidem protrahitur confirmatio? Respondetur posse, si vexatio ab eo procedat, qui confirmationi non potest prodesse, eò quia ad ipsum non pertineat confirmare; quia quando confirmatio non spectat ad vexantem; dare pecuniam pro redimenda vexatione, est pura redemptio vexationis absque respectu ad confirmationem: & cum hæc redemptio pertineat ad propriam defensionem est justa: ita docent Suarez *tom. 1. de Rel. lib. 4. de Sim. cap. 50. nu. 8.* Pasqualigus *de Elect. Decis. 235.* Layman. *lib. 4. tract. 10. cap. ult. §. 2. nu. 22.* Quinimo etiam si vexatio procedat ab eo, ad quem pertinet confirmare, si fuerit injusta, adhuc probabile est, posse talem vexationem pecunia redimi; dummodo vexatio injusta sit; quia tunc pecunia non datur pro obtinenda confirmatione; sed simpliciter ad removendam injustam vexationem, & in ordine ad constituendum confirmatorem in debita æquitate, quam decet confirmatorem habere; hoc autem licitum est; quia est removere confirmatorem à malo, & injustitia, seu peccato. Unde cùm pretium non ordinetur ad obtinendam confirmationem; eò quia adhibeatur, ut medium ad removendam simpliciter vexationem injustam, non videtur esse quid illicitum; quia finis exhibitæ pecuniæ, est, ut confirmator deposita omni mala dispositione, ac injustitia constituatur in debita æquitate, in ordine ad agendum juxta regulas justitiæ. Et quamvis non exhiberentur pecuniæ, nisi adesset intentio confirmationis; non tamen exhibentur, ut pretium confirmationis, neque ex intentione obtinendi immediatè ipsam Confirmationem: sed tantùm ex intentione constituendi confirmatorem in debita æquitate, quâ operetur juxta regulas justitiæ; adeò, ut intentio confirmationis non moveat ad exhibendas pecunias, quod est bene notandum, sed ad constituendum Confirmatorem depositâ pravâ dispositione in debita æquitate, in quo non videtur includi quidquam illiciti.

Quæritur undecimò, an qui legitimè vexatur, nec ad prælaturam eligatur, possit pretio redimere vexationem ad removendum obicem suæ electioni? Respondetur, quòd si ea, quæ justè opponuntur ostendant inhabilitatem, aut indignitatem eligendi, & qui vexant, debent opponere, ut electio sortiatur juxta Canones, tunc certum est; non posse vexationem pretio redimi, nec ii, ad quos pertinet, possunt, quæ opponuntur reticere; alioquin permitterent indignum eligi, ac inhabilem, essentq; totius damni authores, quapropter, tametsi ipsis exhiberetur summum pretium, nullo modo possent tacere. Quamobrem, si aliquis ex Capitulo debeat ex officio opponere, quæ habet contra eligendum, non potest hæc vexatio ullo redimi pretio: Siquidem qui tenetur opponere ex officio, quæ habet contra eligendos, lethaliter peccat, si non opponat, quia in re gravi non satisfacit proprio muneri, & est causa illius damni, quod ex hujusmodi electione oritur: ideóq; ipsum inducere pretio, aut alio modo ad reticenda, quæ possunt electioni obesse, perinde est, ac inducere ad peccatum. Sin verò is, qui eligendo adversatur non sit de gremio Capituli, neque ad ipsum pertineat opponere contra eligendum; & aliàs, quæ posset opponere non ostenderent eligendum indignum, aut inhabilem ad officium, & beneficium, tunc posset eligendus pretio redimere hanc vexationem, vel alio modo impedire, ne vexatio procedat: quia eligendus potest sibimet consulere, & omni licito medio providere propriæ utilitati, bonóque nomini: unde exhibitione pecuniæ potest sibi reddere benevolum animum opponentis, ne ab ipso vexetur, nec producantur, quæ illi possent obesse.

Neq; obstat, eum, ad quem non pertinet opponere, nec de electione justè vexare, ea opponere, quæ electioni obesse possunt, non ex animo inordinato, aut adverso ipsi eligendo, sed ex puro zelo, ut electio sortiatur ad majorem utilitatem Ecclesiæ, cui præficiendus est Prælatus, adeò, ut talis oppositio non solùm vacet omni culpa, verùm etiam ex sancta intentione, & optimo fine procedat. Nam semel, quòd ex officio ad ipsum non pertinet opponere contra eligendum, & ex alio capite, quæ possent ab ipso opponi, non declararent eligendum inhabilem, nec indignũ, posset adhuc hujusmodi vexatio pretio redimi, quia potest eligendus; uti jure suo naturali, propulsando omne illud malum, quod potest eidem graviter obesse; præsertim, si procedat ab illo, cui non subjicitur, nec malum habet rationem justæ punitionis, ut in casu, quo eligendus vexaretur ab extraneo, cui ex officio non competeret opponere contra eligendum, tunc enim vexatio non induit rationem justæ punitionis; proinde illam redimere est propulsare malum per medium licitum. Neque pecuniam accipiens inducitur ad aliquod malum, quia talis pecunia non datur ipsi in ordine ad electionem activam, quia supponitur extraneus, & non concurrere ad electionem; unde pretium tantùm exhibetur, ut abstineat à vexatione, & ad hunc unicè finem, ut non noceat. Cum ad ipsum non pertineat eligendum vexare. 24

Quòd

25 Quòd si dicas: opponere alicui eligendo ex puro Zelo bonæ electionis esse actum bonum: id verum est, sed hujusmodi actus habet etiam annexum nocumentum alterius; & cum opponens non teneatur ex officio opponere, potest cessare ab oppositione, ex eo quia sit in nocumentum alterius, seu ne inferat damnum proximo, quod est bonum: quapropter per illud pretium, non acquiritur ab opponente aliquod malum, sed potiùs bonum, cujusmodi est non inferre damnum proximo, nec ei nocere, quando ad ipsum non pertinet, eidem quidquam opponere. Tum quia vexatio licèt sit ex se justa; & vera sint quæ opponuntur; potest nihilominus injustè exerceri, vel quia ab illo procedat, à quo non debet opponi; vel quia fiat ex malo animo, & non ex intentione bonæ electionis, quando vexatio tametsi justa, fit injustè, tunc potest pretio redimi non solùm citra simoniæ notam, verùm etiam secluso omni peccato, si tamen recta intentione fiat, hoc est, si ex eo præcisè exhibeatur pretium, ut adversarius deponat malum animum: siquidem ratione propriæ defensionis, quæ est de jure naturæ possumus à nobis propulsare omne malum, præsertim si inferatur injusto modo, tametsi malum sit de se justum. Si enim reus mereatur mortem, potest se defendere contra injustum aggressorem, qui modo injusto velit illum occidere, eò quia non sit Minister justitiæ, nec ad ipsum pertinet ex officio morti addictos occidere: quâ ratione potest etiam quisque vexationem justam propulsare cùm moderamine inculpatæ tutelæ, si injustè inferatur, quatenus ad ipsum non pertinet ita vexare, & ex malo animo potius, quàm ex Zelo vexet. Tum quia ita vexans ex malo animo peccat contra charitatem proximi, quâ tenemur diligere proximos sicut nos ipsos. Unde potest eligendus impedire hoc peccatum etiam mediante pretio: quia hoc datur ad vicendum malum animum opponentis; quamobrem cùm hujusmodi pretii exhibitio habeat objectum honestum, seu vincere malum animum, & impedire malum proximi; & medium, seu largitio pecuniæ, non sit ex se quid malum, sed indifferens; objecto, & fine bono induit honestatem.

26 Hinc si extraneus, cùm agitur de electione alicujus, vellet ipsum, diffamare apud Electores ex odio in ipsum ad eum finem, ut impediret ejus electionem, & ad id moveretur ex invidia, vel alia prava dispositione: tametsi opponenda vera essent, quia tamen procederent ex malo animo posset vexatio pretio redimi, si pecunia exhiberetur ad vincendum pravum animum adversarii, & propulsandum malum, quod inde posset ipsi contingere. Quinimò etiã extraneus si vellet opponere eligendo, quæ vera sunt, ad eum tantùm finem, ut impeditâ ejus electione, fiat electio pro amico, adhuc putarim, posse hanc vexationem pretio redimi, eò quia ex officio non tenetur extraneus opponere, nec se immiscere electioni; esset enim talis vexatio ex hoc capite injusta, tametsi justa essent opponenda, & vera: & rursus proveniret ex animo inordinato, quia eo ipso quòd amicus vult exclusionem unius, ut electio cadat in amicum, eâ præcisè ratione, quia est amicus, & non quia mereatur eligi, vult electionem inordinatam, quæ fiat non juxta merita eligendorum; sed juxta affectum proprium, quod perinde est ac fovere voluntatem inordinatam, & plus favere uni, quàm alteri, nullâ habitâ ratione ad merita: siquidem si posset contra amicum opponere, non opponeret, eò quia sit amicus, unde non moveretur ex Zelo electionis, sed ex affectu amicitiæ; & elargitio pretii, quia tenderet ad removendam hanc animi inordinationem ab extraneo vexante, specificaretur ab objecto honesto.

Quæritur duodecimò, an quando quis accipit pecuniam, ne quidquam opponat, quod possit electioni obesse, tunc ipsa electio sit simoniaca? certum est, quòd si vexans qui pecuniam accipit, sit extraneus, qui non concurrat ad electionem, non committit simoniam. Neque electio ex hoc capite redolet simoniam, ut docet Valentia *Tom. 3. disput. 6. q. 15. punct. 3.* ubi citat Paludanum, & Sotum, quia tunc elargitio pretii est pura redemptio vexationis; quapropter neque præsumptivè potest electio Simoniaca censeri, quia nulla adest præsumptio ex parte dantis, nec ex parte accipientis: Major difficultas est, quando vexans, & pecunias accipiens, est unus ex Electoribus, ad quem pertinet concurrere ad electionem, ac prodesse potest illi; à quo pretium accipit. Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 4. de Simon. c. 50. n. 14.* Pasqualig. *decis. 241. de elect.* Reginaldus *lib. 23. praxis fori pœnit. n. 228.* Bonacina *tom. 1. disp. 1. de Simon. q. 6. punct. 5.* docent, nec talem electionem ad quam concurrit, qui pecuniam accepit esse Simoniam, eò quia hæc non incurritur nisi vendatur aliquod spirituale, vel humano subjiciatur contractui, & in præfato casu, nil spirituale subjicitur venditioni, aut humano contractui: quia materia contractus est simpliciter ipsa vexatio, ut removenda à vexante; & cùm vexatio sit quid merè temporale, sequitur, pecuniam non dari pro aliquo spirituali. Neque officit quod, qui pecuniam accipit sit Elector, & possit electioni prodesse, quia contractus non est de electione facienda in favorem dantis pecuniam, sed de ipsa cessatione à vexatione: adeò ut vexans non cadat sub contractum quatenus potest prodesse, sed quatenus præcisè cessat à vexatione; siquidem adhuc est sui juris & prodesse, pote st vel non si velit, potest enim intuitu pecuniæ acceptæ cessare à vexatione, & interim in electione non suffragari ei, à quo accepit pecunias; cùm illas non acceperit ad eum finem, ut illi esset suffragaturus. 27

Verùm hæc sententia tametsi plurimum præseferat probabilitatis, non tamen generatim probabilis est, sed tunc tantùm, quando, quod pro redimenda vexatione traditur non est quid spirituale, neque habet annexum essentialiter quid spirituale; siquidem in utroque casu elargitio pretii ad redimendam vexationem non posset à Simonia excusari, quia daretur temporale, seu pretium pro spirituali, ut liquet *ex c. Euphemiam*, ubi tanquam Simoniaci puniun- 28

tur qui fuerunt ordinibus initiati ab Episcopo, eò quia destiterint ab accusatione ejusdem Episcopi. Quòd si ipsa vexatio spiritualis fuerit, ut si esset ob manutentionem juris spiritualis, adeò ut non posset ab illo cessari, nisi cederetur alicui juri spirituali tunc vexatio non posset pretio redimi sine aperta simonia, siquidem aliquid spirituale daretur pro temporali. Quamobrem communior sententia Canonistarum in *c. dilectus 1. de Simon.* asserit, electionem esse simoniacam, quando vexans qui pecunias accipit est unus ex Electoribus, vel alius, ad quem pertinet concurrere quoquo modo ad electionem, & potest prodesse; & hæc sententia vera est, si vexans pecunias accipit, non solùm ut cesset à vexatione, verùm etiam ut prosit elargienti in ordine ad electionem; quia licèt cessare à vexatione sit aliquid temporale; nihilominus tunc habet adnexum spirituale, quod est prodesse in ordine ad electionem.

29 Quæritur decimotertiò, an si Elector, qui potest electioni prodesse, moveatur ad vexandum ad eum finem, ut mediante vexatione pecunias accipiat ab alio concurrente ad electionem committat simoniam, & electio nullius sit valoris? respondetur non posse accipientem tali pacto pecunias excusari à simonia: quia tunc electio mediante vexatione non necessaria, & studiò posita ad accipiendas pecunias subjicitur contractui, ac pretio temporali: siquidem perinde est, ac per vexationem inducere eligendum ad electionem emendam numeratâ pecuniâ; quod simoniam apertam redolet, præsertim si vexans habeat intentionem inducendi eligendum ad dandas pecunias pro ipsa electione, quia tunc intentio esset directè simoniaca, & si hæc intentio innotesceret redimenti, neuter posset à Simonia excusari. Quòd si Elector moveretur ad vexandum eligendum ex eo præcisè, ut ab ipso acciperet pecunias sine ullo ordine ad electionem, imò intenderet ipsi non prodesse, sed suffragari alteri, à quo pecunias nõ accepit, adeò ut ex pura avaritia moveretur ad vexandum eligendum; licèt in tali casu posset excusari à simonia interna, eò quia non habeat intentionem vendendi ipsam electionem, sed tantùm ipsam præcisam vexationem, de qua sola paciscitur: nihilominus in foro externo præsumeretur simoniacus, & ut talis posset puniri, ut etiam electio annullari: & rursus quia injustè egit, etiam teneretur ad restitutionem, siquidem talis vexatio fuit omninò injusta, & injustè posita.

30 Quæritur decimoquartò, an si Petrus eligendus daret pecuniam Paulo Electori, ne illi exceptionem opponeret, quam jure posset opponere, sit simoniacus? Communior sententia est, talem pecuniarum elargitionem non excusari à simonia, eò quia hâc ratione sterneretur per pecuniam via securior ad beneficium Ecclesiasticum, & electionem spiritualem. Quia licèt ipsa vexatio simpliciter, & præcisè sumpta censeatur quid temporale; nihilominus habet annexam ipsam electionem spiritualem, & intuitu electionis datur pretium, quod non daretur, si non esset electio; quapropter dare pecuniam ne exceptio in electione opponatur, perinde est, ac per exhibitas pecunias viam sibi sternere ad electionem, quæ est quid spirituale.

Si dicas, talem oppositionem non trahere secum quidquam spirituale, consequenter non esse materiam simoniæ: siquidem si haberet annexum aliquod spirituale maximè esset ipsa electio; sed hæc non nectitur cum cessatione ab oppositione, quia adhuc Electores, sunt sui juris, & in potestate suffragandi, cui magis iisdem libuerit. Contra, licèt id verum, fit, nihilominus dans pecunias supponitur elargiri pretium, ne illi opponatur exceptio, quâ non positâ ponitur in ejus favorem electio; siquidem supponitur dari pecunia, ut electio contingat in suum favorem, quòd si certus esset de contrario, non curaret oppositionem exceptionis, nec illas daret pecunias, qua propter ex parte dantis talis elargitio pretii non excusatur à simonia, quia licèt feratur immediatè ad impediendã exceptionem, & vexationẽ, fertur tamẽ in illam, ut secum trahentem ipsam electionem, sine qua non daret pecunias: proinde si non immediatè, & directè; saltem indirectè datur temporale pro spirituali. 31

Quòd si contractus iniretur inter eligendum, & volentem opponere exceptionem, de danda pecunia, ne exceptio opponatur cum explicita declaratione, quòd potens opponere etiam post acceptam pecuniam sit sui juris, ac possit suffragari, cui magis libuerit; tunc cessatio vexationis ex se non traheret, nec esset connexa cum ipsa electione spirituali: verùm potens opponere exceptionẽ teneretur ex officio illam opponere, & non posset mediante pecuniâ acceptâ cessare ab exceptione opponenda, alioquin deesset sibi, & proprio officio: proinde peccaret, & dans pecunias concurreret ad hoc peccatum: sin verò potens opponere non teneatur ex officio, & aliàs exceptio non declaret inhabilem, nec indignum eligendum, tunc non video, cur non posset oblatas sibi pecunias accipere, dummodo liber sit ad suffragandũ cui magis libuerit. Tunc enim ex parte dantis nulla adesset deformitas, quia quilibet habet jus ad se conservandum indemnem, & cùm oppositio exceptionis sit ipsi perniciosa, & justa, eò quia sit ponenda ab eo, ad quem non pertinet ex officio; nil obest, quin hâc ratione possit exhibitâ pecuniâ illam impedire, quia redemptio hujus oppositionis non trahit secum quid spirituale, quòd sit eidem annexum, quia accipiens pecunias adhuc relinquitur in plena sua libertate, adeò ut non obstante acceptâ pecuniâ possit prodesse, ac suffragari, cui magis libuerit. 32

Neque hoc est sibi sternere viam mediante pecuniâ ad electionem: quia sibi aperire, ac præparare viam ad electionem est aliquid ponere, quod conducat ad ipsam positivè, & talis elargitio pretii non conducit positivè ad illam, sed tantùm removet obstaculum, quod fortassis posset ejus electioni obstare; & quia accipiens pecunias supponitur sui juris in ordine ad electionem, & quòd possit suffragari, cui magis libuerit, ideò elargitio pecuniæ non procedit ulterius præter remotionem obicis, proinde non sibi sternit viam ad electionem: siquidem via pro- 33

propriè est, quæ ducit ad terminum, ac est quædam incompleta illius assecutio, proinde præter remotionem obicis debet ponere quid aliud

34 Quòd si hæc remotio obicis diceretur præparatio quædam ad electionem, adhuc ut vestita præfatis circumstantiis, non esset materia Simoniæ, quando non secum trahit electionem: & in casu nostro illam non secum trahit, quia accipiens pecunias adhuc potest suffragari, cui magis libuerit, & potest non prodesse suo suffragio ei, à quo pecunias accepit, proinde quòd non ponat obicem ob acceptas pecunias, non trahitur electio. Et licèt hæc per non positionem obicis reddatur securior, non tamen exinde sequitur, quòd elargitio pecuniæ vestita prærecensitis circumstantiis sit simoniaca, quia illa securitas non est positiva, quia non est ponere aliquid positivum in ordine ad reddendam securam electionem, sed tantùm est negativa, sita in remotione obicis: & removere impedimentum præcisè, & simpliciter, ut supponimus, cùm non trahat secum aliquod spirituale, non est materia simoniæ.

35 Quæritur decimoquintò an si quis elargiatur pecunias alicui, ad eum finem, ut metum incutiat suo competitori, ut is desistat à concursu in ordine ad electionem, incurrat Simoniam? nulli dubium, quin inducens alium ad inferendam injustam violentiam, & incutiendum injustum metum lethaliter peccet, quia id est, contra justitiam, & impedit jus competitoris, quod habet ad concursum: difficultas tamen est, an stante tali metu incusso, si subsequatur electio, hæc dicenda sit simoniaca, & nulla; si in eum cadat, qui pecunias fuit elargitus pro metu incutiendo. Mihi videtur respondendum cum Barbosa. *p. 3. de offic. & potest. Episc. alleg. 60. n. 56.* talem electionem fore simoniacam, eò quia qui fuit pecunias elargitus ad metum incutiendum, non negativè, sed positivè sibi viam stravit ad ipsam electionem, siquidem mediante pecuniâ supponitur competitor ob incussum timorem adhæsisse suo competitori, ne molestias ab ipso pateretur. Tum quia electio est, quæ movet ad dandas pecunias pro metu incutiendo: & quia metus injustè incussus trahit secum electionem in favorem elargientis pecunias, ideò saltem indirectè, qui fuit pecunias elargitus ad incutiendum metum, eas dedit pro electione.

36 Quæritur decimosextò an licitum sit in electione, subornatione dissolvere adversarii subornationem: Respondetur cum Suarez *tom. 1. de relig. tract. 3. lib. 4. de Simon. c. 50. n. 27.* Quasqualig. *decis. 251. de elect.* & Aliis, id non esse licitum, eò quia per subornationem læditur Electorum libertas, officitur electioni canonicæ, quæ debet esse omnino libera. Quod lædatur libertas ex eo videtur perspicuum, quia subornatus tunc non eligit secundùm plenam suam libertatem; sed juxta mensuram subornationis, quapropter subornans ex se semper ponit causam malæ electionis, & nititur quantùm potest, ut electio sequatur ad votum ipsius, seu secundùm mensuram illius subornationis, quam ponit, quod est læsivum libertatis, ac malum, quod nunquam est licitum. Quòd si dicas, vim posse licitè vi propulsari, & monopolium alio monopolio discuti: consequenter etiam unam subornationem aliâ dissolvi. Contra est, quia ideò licitum est vim vi propulsare, quia vis, quâ altera propulsatur non est ex se ordinata ad malum, sed ad id, quod per se est honestum, & licitum: siquidem est de jure naturæ se defendere. At subornatio per se primò ordinatur ad malum: & tantùm abest, quòd ex ipsa sequatur aliquod bonum, ut potius irritetur electio, eò quia fiat contra SS. Canones.

Præterea ideò licitum est vim vi propulsare (quod tamen est intelligendum cum moderamine inculpatæ tutelæ) quia non suppetit aliud medium ad se defendendum: atqui subornatio potest elludi sine nova subornatione, nimirum si detegatur, ac manifestetur Electoribus, atque proponantur rationes justæ, ac debitæ electionis; quibus inducantur ad eligendum, quem juxta sacros canones tenentur eligere. Quod addebatur de monopolio est etiam discrimen, quia monopolium injuriam infert toti communitati & personis particularibus, quæ sunt membra ejusdem; & infert etiam moralem vim: proinde oritur licita defensio contra monopolium, & quia est medium oportunum monopolium alio monopolio invertere, hinc est quod ad sui defensionem censeatur licitum monopolium alio monopolio evertere. Si dicas: etiam in subornatione inferri quandam vim moralem Electori, proinde videri licitum alia vi morali, seu alia subornatione illam depellere. Contra est, quia id non esset vim vi propulsare, sed adhibere aliam vim in ordine ad effectum malum, seu ad malè, & perversè disponendos Electores in ordine ad electionem, eámque vitiandam contra sacros canones. 37

38 Quæritur decimoseptimò, an ad declinandam omnem in electione subornationem possit consuetudo induci, quâ nullus sit prævius tractatus adhibendus? Non desunt, qui cum Sigismundo à Bononia *p. 2. de elect. c. 1. dubio 55. n. 11.* censeant, posse hanc consuetudinem induci, tametsi videatur contra sacros canones, quia inducitur ex recta intentione, fine optimo, & ex causa urgente, quæ potest præsumi non prævisa à canone, scilicet, ne occasione tractatûs fiat subornatio: propterea stante præsumptione supponitur induci ex tacito consensu, ut asserit Panorm. *in Clement. §. etsi Principalis n. 6. de rescript.* Nihilominus respondendum est absolutè, talem consuetudinem adversari sacris Canonibus, & non posse induci, siquidem electio, quæ non procedit ex prævio tractatu habetur nulla, *ex c. in Genesi de elect.* & docet Glossa *c. cum in veteri verb. in tract. de elect.* & *c. in nomine domini ver. tractantes.* Est prævius tractatus

requi-

requisitus ad canonicam electionem, quia cùm hæc sit assumptio unius præ cæteris, eò quia præ illis sit eligendus, nequit talis assumptio exerceri absque prævio tractatu, quia sine ipso non potest Electoribus innotescere, quinam ex capitularibus concurrentibus sit cæteris præferendus: debent enim examinari qualitates, & cætera requisita, & quia electio fit collegialiter: debet etiam innotescere, quinam sit cæteris præferendus.

39 Neque fundamentum, quo nititur opposita sententia, videtur magni momenti, quia intentio non potest esse recta, nec finis bonus, quando quod intenditur sacris adversatur canonibus. Neque urget, quòd consuetudo dicatur induci ex causa urgente, quæ supponatur non prævisa à canone: quia canones debent potiùs supponi prævidisse, posse tractatum insici subornatione, & hâc de causa decrevisse pœnas contra subornantes. Imò neque tacitus consensus videretur sufficere ad valorem inductæ consuetudinis, quia tunc tantùm ex consensu tacito consuetudo sortitur suum valorem, quando aliàs potest subsistere: in casu autem nostro, cùm evertat substantiam electionis, nequit subsistere.

40 Quæritur decimooctavò, quomodo in electione prohibita sit suffragiorum procuratio. Certum est, Pontificias constitutiones prohibere hanc suffragiorum procurationem, ut liquet ex illa Clementis VIII. quæ incipit *nullus omninò.* in ipsa enim expressè prohibetur qualibet suffragiorum procuratio sive pro se, sive pro aliis, sive precibus promissis, & aliis modis; dubitatur igitur, an sit prohibita quævis suffragiorum procuratio, vel tantum illa, quæ ordinatur ad malum finem, & prodit ambitionem? & respondent plures, ut Naldus *in summa verb. relig. n. 42.* Rodriquez *tom. 2. qu. regul. q. 56. a. 1. ver. circa quas constitutiones* Pasqualig. *decis. 255.* & alii per Pontificias constitutiones tantùm prohiberi ambitiosam suffragiorum procurationem, quando hæc fit ad malum finem; & hæc sententia est valde probabilis, quia si capitulares essent propensi ad eligendum aliquem non profuturum Ecclesiæ: & è contra alii viri pii ex solo Zelo persuaderent, ut longè dignior eligeretur, qui esset Ecclesiæ profuturus, ac Dei servitium promoturus, & ad hunc finem procurarent suffragia ut electio fieret, sicut debet juxta sacros Canones, nil mali inde oriretur: & cùm hæc procuratio suffragiorum cedat in majus commodum Ecclesiæ, non censetur prohiberi per Pontificias constitutiones, quæ propterea tantum prohibent procurationem ambitiosam ad malum finem, ut sufficienter conjicitur ex procemialibus verbis *l. fin. ff. de hæred. instit.* ubi Bartol. *n. 6.* Imol. *num. 4.* Panorm. *c. adversus num. 2. de immunit. Eccles.* & alii docentes in præfatis constitutionibus finem à Pontificibus intentum, non esse alium, quàm providere, ne eligantur indigni, & ambitiosi, & ne minùs digni præferantur dignioribus, & cùm lex non se extendat ultra finem intentum à legislatore, qui est mensura obligationis *c. fin. de præbend. l. in aqua. ff. de acquir. rer. domin.* Perspicuum est, Pontificias constitutiones eos tantùm prohibere tractatus, qui adversantur tali fini intento.

Quæritur decimononò, an si aliquis ex Electoribus det alteri Electori propriam schedulam per ipsum mittendam in urnam, clausam tamen, violet secretum electionis, in qua præcipitur suffragia non publicari? respondet Pasqualig. *decis. 26.* electionem adhuc sortiri suum valorem. Quod mihi videtur valde probabile, quia cùm supponatur schedula clausa, & quòd non aperiatur à deferente in urnam, semper suffragium manet secretum: proinde talis electio ex hoc capite non vitiatur, cùm nulla interveniat publicatio: Concreditur enim fidei deferentis schedula clausa, adeò ut, ipsi non innotescat, cui suffragatur, qui illam tradit: & quamvis deferens schedulam possset illam aperire, non tamen licitè id præstaret, quia eo ipso, quòd illam accipit clausam, accipit ut sibi concreditam sub secreto, & eam accipiendo clausam, assentitur ipsi secreto, & tacitè se obligat ad fidem servandam. Quòd si, qui schedulam accepit, fidem non servet, sed ex curiositate illam aperiat, & legat nomen scriptum, si non publicet aliis tale suffragium, tunc adhuc videtur suum secretum servare: quia quod deferens schedulam illam aperuerit, ac inspexerit nomen illius, cui alter suffragatur, non tamen per hoc præcisè dicitur illud suffragium publicatum: quia publicare perinde est ac manifestare aliis, non verò sibi ipsi; adeò, ut in publicatione debeat intervenire communicatio, quâ quod publicatur ab uno, alteri communicetur, ex quo fit, quòd publicatio non sit ad se ipsum, sed ad alium, cui fit communicatio secreti. An verò peccet, qui schedulam propriæ fidei concreditam aperit. Respondetur, quòd si ex sola curiositate illam aperiat, & sine animo publicandi, possit excusari à peccato gravi, quia nulla inde fit injuria electioni, cùm suffragium remaneat secretum, & non publicatum: ex qua ratione neque censetur graviter peccare, qui propriam schedulam alteri concredidit clausam. Quia non præjudicavit secreto electionis, nec ulli fecit injuriam. 41

Quæritur vigesimò, an si unus ex Electoribus ante electionem dicat alteri, cui erit suffragaturus, & etiam post electionem, cui sit suffragatus violaverit Secretum suffragiorum. Certum est, suffragia, quibus fit electio debere Secreta esse, adeò, ut non sit licitum ulli ex Electoribus aperire alteri, cui velit suffragari, ut docet Garzias *p. 5. de benefic. c. 4. n. 197.* & est communis sententia, addit tamen, talem ele- 42

ctio

ctionem adhuc sortiri suum valorem, si unus alteri aperiat suum suffragium, eò quia possit Elector in tali publicatione simulare, & suffragium diversum demittere in urnam; adfert etiam declarationem Congregationis *Concil. circa c. 6. de regular. sess. 25.* Cùm enim interrogaretur, an electio facta cum publicatione talis suffragii valida esset? Respondit: quòd nec ante, nec post electionem licet ullo modo Electoribus publicare, cui fuerunt suffragati; & si Elector in publicatione sui suffragii simullet, aliud postea nomen in urnam dejiciens, non videtur publicâsse, cui sit suffragatus.

26 Putârim tamen, quòd etiam absque simulatione electio suum sortiatur valorem, si ante electionem unus dicat alteri, cui velit suffragari, vel etiam post electionem, cui sit suffragatus, dummodo in actu Scrutinii nulli ostenderit suam Schedulam, quia tunc nil adest contra formam præscriptam à Concilio Tridentino *Sess. 25. c. 6. de regul.* quia ibi tantùm præcipitur, quòd suffragia in ipso actu Scrutinii sint secreta, quia Concilium loquitur de suffragiis, quibus actus electionis exercetur. Unde si in actu Scrutinii suffragia sunt secreta, electio contingit juxta formam præscriptam à Tridentino. Tum quia licèt Elector ante electionem dicat uni, vel alteri, cui velit suffragari, per hoc non publicatur suffragium in ipso Scrutinio, sed extra Scrutinium; nec est publicatio certa, quia potest Elector in ipso actu Scrutinii alteri suffragari, adeò, ut Elector ante, & post Scrutinium tantùm dissimulet.

§. V.

De qualitatibus, requisitis in eligendis, deq; incapacibus vocis passivæ.

1 Cùm dignitates Ecclesiasticæ, ad quas eliguntur, ac promoventur Ecclesiastici diversæ sint: ideò diversæ etiam in ipsis eligendis, ac promovendis ad ipsas requiruntur qualitates. Qui promovetur ad Episcopatum *ex c. cùm in cunctis 7. & c. innotuit. 30. h. t.* debet ætate esse maturus, morum honestate, ac probitate conspicuus, litterarum scientiis insignitus, & legitimo matrimonio natus: & licèt Pontifex in illo Capitulo loquatur generatim de promovendis ad quævis officia Ecclesiastica; à fortiori hujusmodi qualitates requiruntur in Episcopo. Circa ætatem Pontifex in eodem Capitulo juxta Decretum Concilii Lateranensis prohibuit, ne ullus eligatur in Episcopum ante completum trigesimum ætatis annum. Quoad scientiam licèt Pontifex *in c. nobis 19. h. t.* dicat: desiderari quidem eminentem, nihilominus tolleratur mediocris, dummodo, ut ait Tridentinum *Sess. 22. c. 2. de refor. muneris sui necessitati possit satisfacere*: & licèt Concilium non exigat insignem, & eminentem doctrinam, vult tamen, ut promovendus ad Episcopatum, sit laurea doctoratûs in aliqua universitate donatus, aut Licentiatus in Sacra Theologia, aut jure Canonico; vel saltem publico alicujus Academiæ testimonio ostendatur idoneus ad alios docendos. Qualis verò esse debeat morum probitas in eo, qui promovendus est ad Episcopatum, tradit Apostolus *ad Timoth. c. 3. & ad Titum c. 1.* ait enim Apostolus ad Timoth. *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum; pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem; sed modestum; non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui benè præpositum.* & ad Titum ait: *Oportet, Episcopum sine crimine esse, sicut decet Dei dispensatorem: non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum; sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est fidelem sermonem: ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt redarguere.* Rursus, quòd promovendus ad Episcopatum debeat esse ex legitimo matrimonio natus, liquet ex *c. innotuit 30. h. t.* & licèt Pontifex fortassis cum illegitimè nato jam dispensâsset, ut ad alias inferiores dignitates Ecclesiasticas promoveretur: si adhuc esset promovendus ad Episcopatum requireretur alia dispensatio. Quamobrem in Episcopum nemo eligitur, aut promovetur, nisi qui sit legitimè natus, aut cum ipso fuerit à Pontifice dispensatum, & excesserit trigesimum ætatis suæ annum, sit probatæ vitæ, & scientiæ; & rursus requiritur, ut sit initiatus ordinibus sacris, & ad minimum constitutus in ordine subdiaconatus.

2 In iis, qui promoventur ad alias inferiores dignitates, requiruntur etiam qualitates tali statui convenientes, ut ætas matura, probitas morū, sufficiens scientia ad ritè exercendum suū officium; si beneficia habeant annexam curam animarum, nemo ad illa assumitur, nisi attigerit vigesimum quintum ætatis annum, & fuerit initiatus ordine sacro requisito ad exercitium talis beneficii, & officii; vel saltem sit intra annum illum suscepturus. Et ante hanc ætatem nemo est promovendus ad officium Parochiale: quòd si alicui cōferatur in minori ætate, collatio est nulla, ut colligitur *ex c. cùm in cunctis. §. inferiora*, & constat etiam *ex c. si eo tempore de rescript. in 6.* id tamen limitatur, nisi accessoriè Ecclesia Parochialis esset majori dignitati adnexa, tunc enim eadem ætas sufficit ad parochialem Ecclesiam, quæ requiritur ad beneficium Principale, cui Parochia accessoriè unitur: quia accessorium sequitur conditionem sui principalis. Unde eadem ætas, quæ requiritur ad principale beneficium, est necessaria ad Parochiam.

Quòd si alicui in commendam daretur Ecclesia parochialis, idque ad dies vitæ: quia tunc 3 talis commenda utpote perpetua æquiparatur beneficio, vim censetur habere, ac effectum tituli: licèt de Jure Canonico nulla habeatur ejus notitia; nihilominùs, quia consuetudine id censetur introductum, eædem requiruntur qualitates, cui concreditur beneficium, quæ requiruntur in beneficiato talis Ecclesiæ. Cæterùm, si ad tempus duntaxat Ecclesia in Commendam concredatur alicui, ut curam illius habeat, do-

nec idoneus rector instituatur: debet is, cui Ecclesia concreditur esse sacerdotio initiatus: & sicut perpetua commenda non confertur, nisi à Summo Pontifice: ita temporalis, quæ, ordinariè est ad sex menses de jure antiquo confertur ab Episcopo. Statuit tamen Tridentinum Concilium *sess. 24. c. 18. de refor.* non tam commendatarium temporalem, quàm vicarium esse instituendum, cui incumbat cura talis Ecclesiæ, eiq; ex redditibus ejusdem detur congrua portio.

4 Rursus in Decanum, & Archidiaconum, & ad cætera beneficia, quæ curam animarum habent annexam nemo assumitur, nisi qui vigesimum quintum ætatis annum attigerit, & scientia, probisque moribus commendetur. Assumptus autem, illum ordinem, quem Ministerium exigit, intra tempus à Sacris Canonibus præfixum suscipere tenetur. Ad cæteras autem dignitates, quibus nulla est annexa cura animarum sufficit, si assumendi sint Clerici, aliquin idonei, & vigesimum secundum ætatis annum attigerint.

5 Eligi non debet in Episcopum Neophytus, qui primùm ad Catholicam fidem conversus est, quia ut ait Apostolus ad *Timoth. 3. Oportet Episcopum non esse Neophytum, ne in superbiam elatus in judicium incidat diaboli.* Ratio itidem videtur hoc suadere, quia non convenit, fieri doctorem Christianæ disciplinæ, qui primum tantùm cæpit esse discipulus, & vix prima hausit Christianæ fidei rudimenta *argu. c. cum in Magistro h. t.* Quòd si petatur, quantum temporis requiratur, ut possit Episcopus eligi. Respondetur, id dependere ab arbitrio superioris consideratis personæ qualitatibus, meritis, & circumstantiis reliquis. Subinde sufficit exegisse biennium in fide Catholica. Neque eligitur Episcopus qui jam vinculo detinetur alterius Ecclesiæ: siquidem Episcopus unius Ecclesiæ, ut par est, eidem inserviat, non debet in Episcopum eligi alterius, quia, ut ait Apostolus *1. ad Timoth. 3. Oportet Episcopum esse unius uxoris virum.* Potest tamen Episcopus unius Ecclesiæ postulari in Episcopum alterius, impetratâ tamen priùs dispensatione à Summo Pontifice, & obtentâ absolutione à vinculo spirituali, quo priori Ecclesiæ suæ sponsæ adscriptus erat. Secus Abbates, & alii inferiores Prælati, quia non contrahunt vinculum spirituale, nec indissolubile conjugium, quod per consecrationem imprimentem Characterem ordinis Episcopalis propriè contrahitur, & consummatur, possunt de uno monasterio in aliud, ut de una Abbatia, & præpositura, ad aliam transire, si ab alio Monasterio quis eligatur Abbas: debet tamen electus licentiam transeundi petere ab Episcopo, nisi Monasterium fuerit exemptum: & Episcopus hanc licentiam sine gravi, & urgente causa, non potest denegare, Glossa communiter recepta *in c. si Abbatem h. t. in 6.*

6 Qui ad Episcopatum eligitur, non sufficit si minoribus sit ordinibus initiatus, sed ex Tridentino *sess. 23. de refor. c. 2.* debet in sacro saltem Subdiaconatûs ordine sex menses exegisse: quinimo juxta Bullam Gregorii XIV. quæ incipit: *Onus Apostolicæ servitutis*, docent plures, ob pluralem ordinum mentionem ibi factam; requiri, ut priùs constitutus fuerit sex mensibus in omnibus ordinibus, ut refert Barbosa *in Collect. ad d. c. Trident. n. 2.* idque intelligitur de illo, qui eligitur ad Episcopatum; quia si per dispensationem alicui concederentur in commendam annui redditus alicujus Episcopatûs, is non esset necesse, ut omnibus ordinibus esset initiatus. Qui verò eliguntur Abbates, vel promoventur ad alias dignitates regulares, ex vi juris non requiritur, ut sint majoribus initiati ordinibus, sed sufficit, si annum vigesimum quintum attigerint, & ut primo anno numerando à die adeptæ possessionis, vel quo potuit adipisci, suscipiat sacerdotium *c. 1. de ætate, & qualitate. c. cum in cunctis. §. inferiora h. t. c. licèt, 14. c. commissa. 30. eod. tit. in 6.* Nec hic annus necesse est, sit continuus, sed sufficit, si sit utilis, hoc est, qui non currat ex justo impedimento, quòd si cessante impedimento annus elapsus fuerit ipso jure inducitur privatio dignitatis: nec ita privatus assumi potest per novam electionem, ne constitutio juris elludatur. *d. c. commissa 30.* Sin verò electus post electionem tale contraheret impedimentum, ut per plures annos non posset suo fungi officio, an tunc esset dignitate privandus, dubitari solet.

Adhibitâ distinctione satisfit dubio: si impedimentum physicâ, vel morali certitudine censetur perpetuum, vel per plures annos absque certo fine duraturum, tunc privari posset electus *ex d. c. 1. de ætate, & qualitate.* Quòd si alius æquè idoneus non posset eidem suffici, posset per dispensationem admitti in Abbatem, tametsi non esset Sacerdos initiatus *c. tuam 19. h. t.* & in hoc casu dispensationem competere Episcopo, asserit Panormit. cum Ostiensi *in d. c. tuam in fin.* extra tamen casum necessitatis dispensari super hisce impedimentis pertinet ad Summum Pontificem. Sin autem impedimentum physicâ, vel morali certitudine fuit tantùm temporale, & duraturum etiam ultra annum, dummodo impedimentum non sit perseveraturum ad plures annos, tunc non est electus sua dignitate privandus *argu. d. c. commissa, & Clement. 2. de ætate, & qualitate.* 7

Glossa in *d. c. 1. de ætate, & qualitate.* aliam adhibet distinctionem, & asserit, quòd si post electionem aliquis propriâ culpâ contraxerit impedimentum; vel quia fortassis pugnando manum amiserit, vel sclopetum ejaculando disrupto sclopo digitos perdiderit, tunc privandus sit dignitate; non ita si impedimentum ei contigerit absque ulla sua culpâ, quia afflicto non est addenda afflictio. *argu. c. 1. de cler. ægrot.* hæc distinctio valet, si supponamus, promotum non solum esse electum, sed etiam confirmatum, & jus plenum in beneficio acquisivisse: quòd si promotus esset tantùm electus, & impedimentum Sacerdotii perpetuum foret, tametsi sine culpa contractum, satius esset eum privari dignitate: quia beneficium datur propter officium, & officium Prælati 8

lati non solùm consistit in administratione œconomica, verùm etiam in divinorum Officiorum dignâ celebratione. Quòd si impedimentum contractum esset tantum duraturum ad breve tempus, tunc non esset privandus dignitate, quia damnum, quod inde Ecclesiæ oritur non est notabile.

9 In Monasteriis Regularium ad Abbatias eligi non possunt, qui talem ordinem non fuerint professi, siquidem non debet in Magistrum assumi, qui priùs formam discipuli non induit: nec est aliis præficiendus, qui aliis subesse non novit, ut habetur *in c. cum in Magistrum 49. h. t.* Nec sufficit tacita professio, sed debet esse expressa *c. nullus 28.* & ibi Glossa *in v. expresse h. t. in 6. Tridentinum sess. 25. de Regular. c. 21.* Quòd si fortassis Ecclesia illa regularis esset simul Cathedralis, & electus in Abbatem, esset simul electus in Episcopum ejusdem Ecclesiæ, tunc posset etiam Novitius eligi *d. c. nullus in fin.* Dubitatur tamen, an si Abbatiæ non esset annexus Episcopatus, posset eligi in Abbatem extraneus laicus, qui tamen præmitteret professionem illius ordinis, adeò, ut simul emitteret professionem, & simul eligeretur in Abbatem? & respondetur, id neutiquam conveniens esse, etiam impetratâ dispensatione de anno probationis, quia censeretur potiùs amore dignitatis, quàm desiderio Religionis professionem emisisse: ut enim ait Pontifex *in c. ad nostram 37.* ut Abbas quis fiat, monachari priùs debet, seu egisse prius Monachum per aliquod notabile tempus post emissam professionem, *argu. d. c. cùm in Magistrum.* Cæterùm si electus sit profuturus Ecclesiæ, & Monasterio, & aliàs sit etiam insignis vir, morum probitate, & doctrina clarus, ex dispensatione superioris poterit eligi, licèt non ita pridem fuerit Religionem professus.

10 Quinimo licèt eligi non possint, qui non sunt ex gremio Ecclesiæ, vel Monasterii, de cujus Prælato eligendo agitur *c. nullus invitis 12. dist. 61.* Nihilominùs, quia id potiùs est in favorem Capitularium, & de decentia, ne ipsis invitis extraneus obtrudatur, ideò possunt, si velint Capitulares huic favori renuntiare, & extraneum eligere, *c. cùm nobis 19. c. cùm inter 21. h. t.* Quinimò consuetudine, & præscriptione potest introduci, ut una Ecclesia teneatur in Prælatum, extraneum, & de gremio alterius Ecclesiæ sibi eligere, *c. cùm dilectus de consuetudine. c. Abbate.* Imò censent plures cum Innocentio in *eod. c. cùm dilectus. n. 2.* posse Episcopum consentiente Capitulo statuere, ut Religiosi unius Monasterii teneantur eligere Abbatem de alio, eò quia id præscribi possit, & non sit contra, sed tantùm præter jus. Alii tamen cùm Glossa in *d. c. cùm dilectus.* & fortassis probabilius, id negant, quia Religiosi habent jus quæsitum juxta SS. Canones, ut de suo gremio possint sibi Prælatum eligere, unde sine legitima causa non debent hoc jure privari, nisi ab eo, qui est supra Canones, cujusmodi est Summus Pontifex. Tum quia *in d. c. 12. dist. 61.* generaliter statuitur, ne invitis Capitularibus Prælatus ex aliena Ecclesia obtrudatur, adeò ut si secus Episcopus fecerit, id sit non præter, sed contra Canones.

Sin verò Religiosi alicujus Monasterii unanimes convenirent ad eligendum extraneum in Abbatem ejusdem Monasterii, deberet eligendus ejusdem esse Ordinis, ac Religionis; non enim convenit, homines disparis professionis, ac distincti habitûs in eodem consociari Monasterio, ut habetur in *Clement. 1. h. t.* licèt possit Pontifex, qui supra Canones est præficere uni Monasterio Religiosum extraneum alterius Ordinis, vel etiam ipsum Monasterium in commendam dare alicui Clerico sæculari. 11

Circa Moniales eligendas in Abbatissas dubitatur, an Monialis bigama possit in Abbatissam eligi, si veram Bigamiam contraxerit, seu nupserit pluribus Maritis; sive tantùm interpretativam, seu quia nupserit viduo. Vel etiam similitudinariam, quatenus post emissam professionem nuptias attentaverit: & communis responsio est. Ratione Bigamiæ, sive realis, sive interpretativæ, aut similitudinariæ non prohiberi Moniales eligi in Abbatissas, quia in fœminas non cadit irregularitas, cùm hæc tantùm respiciat ordines Clericales, quorum Moniales minimè sunt capaces. An verò Monialis intra, vel extra matrimonium corrupta, vel etiam vidua Monogama possit in Abbatissam eligi, videtur esse major difficultas, plures id affirmant, eò quia in jure non habeatur expressa prohibitio, siquidem in *c. Juvenculas 20. q. 1.* tantùm prohibentur juvenes eligi in Abbatissas, non verò viduæ honestæ *arg. c. fin. q. 1.* Alii tamen communiùs asserunt: Monialem extra, vel intra matrimonium corruptam, & viduam Monogamam non esse eligendam, & præficiendam sacro Virginum cœtui, cum ob virginitatis honorem, & prærogativam virginitatis non deceat sacris Virginibus præfici corruptam. 12

Alii tamen, & rectiùs procedunt cum distinctione, si enim Monialis sit notoriè corrupta, vel saltem pro tali habeatur, tunc non est eligenda, nec præficienda Virginibus ob honorem, qui virginitati debetur, ne corrupta virginibus præsit. Sin verò sit occultè corrupta, & publicè credatur virgo, tunc potest Virginibus præfici, præsertim si citra periculum infamationis nequeat Abbatiam recusare: quia hoc impedimentum non est de jure divino: & vitæ probitas, morum Sanctitas, Judicium prudens, & aliæ virtutes possunt defectum supplere virginitatis; præsertim cùm in foro externo nullum adsit scandalum. Cæterùm circa Abbatissas constitutum est in Tridentino *Sess. 25. de Regul. c. 7.* ut nulla eligatur, quæ minor sit quadraginta annis, & non nisi per octo annos ab emissa professione in Monasterio laudabilem vitam egerit. Quòd si in alioquo Monasterio fortassis nulla esset Monialis hisce prædita qualitatibus, alia ejusdem Ordinis vocanda 13

vocanda esset ex licentia superioris. Concilium tamen Tridentinum *loco cit.* asserit, quòd si vocare Monialem ex alio Monasterio visum fuerit incommodum superiori, qui electioni præest, tunc potest ex eodem Monasterio eligi, quæ annum trigesimum excesserit, & quinque saltem annos in eodem Monasterio laudabiliter vixerit.

14 Privantur à Jure voce passiva, seu habilitate ad electionem, ad Prælaturas Ecclesiasticas omnes laici, qui primam tonsuram, aut ordines Clericales non habent. Et licèt in quibusdam Cathedralibus Germaniæ laici, & Acatholici Episcopatus alternatim cum Catholicis teneant, id tamen non procedit de jure, sed tantùm de facto, & per vim, ac intrusionem hæreticorum. Non tamen excedit potestatem Summi Pontificis, quam habet in omnia beneficia Ecclesiastica alicui Principi, vel nobili laico concedere annuos fructus Episcopatûs, vel Prælaturæ ad tempus vitæ. Verùm sæcularis fruens hisce fructibus non propterea esset Prælatus illius Ecclesiæ, cum non esset Clericus initiatus, nec in foro Ecclesiastico: non enim potest quis in aliquo foro præesse, qui non est in eodem foro. Hinc commendatarii, Episcopi, vel Abbates, qui sunt Principes, vel Magnates sæculares, saltem tonsuram Clericalem, aut ordines Minores debent accipere, alioquin non essent de foro Ecclesiastico.

15 Rursus neque possunt ad Prælaturas Ecclesiasticas eligi, qui Censuris Ecclesiasticis sunt irretiti, ut excommunicatione, sivè majore, sive minore *cap. 7. & ult. de Cler. excommun.* ut etiam suspensione, sivè ab officio *d. c. ult.* sivè à beneficio Glossa *in cap. cupientes §. cæterum in ver. beneficiis h. t. in 6.* Idque ne suspensio redderetur illusoria, si privatus officio, vel beneficio, illud posset de novo per electionem consequi. Interdictum personale etiam impedit, ne quis eligatur: quia per interdictum personale sunt interdicti similes suspensis ab officio. Censurati etiam censentur irregulares, proinde incapaces beneficii, siquidem beneficium datur propter officium, & cum Irregularis fit inhabilis ad officium, excluditur etiam à beneficio Covar. *in cap. alma Mater. ad 1. §. 7. num. 1.* Tum quia constitutio Concilii Constantiensis, & extravag. Martini V. *ad evitanda scandala* non vult censuratis aliquem favorem præstari, unde, si censurati habentur, ut irregulares, qui excluduntur ab officio, & beneficio. Etiam censurati eandem pœnam incurrunt.

16 Censuratis, & Irregularibus accensentur etiam infames, non solùm infamiâ juris, sed etiam facti, quia, ut ait Imperator *in l. 2. C. de dignitat. quos scelus, & vitæ turpitudo inquinat, & quos infamia ab honestorum cœtu segregat, dignitatis porta excludunt.* Justiniano per similia verba assentitur Pontifex *in c. inter dilectos de excess. Prælat. & in reg. 87. juris. in 6.* Neque eligendi sunt, qui natalium defectu notantur *c. cùm in cunctis juncto c. innotuit h. t.* & licèt natalium defectus, seu illegitimitas tollatur per ingressum religionis in ordine ad sacros Ordines suscipiendos. Non tamen ad Prælaturas, & dignitates *cap. 1. & ibid. DD. de filiis Presbyt.* Hinc quamvis Episcopus ad minores ordines, ac beneficium simplex possit cum illegitimo dispensare, non ita, ut promoveatur ad Ordines majores, & beneficia curata, ac dignitates: siquidem super iis tantùm Summus Pontifex dispensat *c. 1. h. tit. in 6. & d. c. innotuit.* Neque ad dignitates Ecclesiasticas citra Pontificis dispensationem possunt promoveri, qui sunt legitimati per Principis sæcularis rescriptum. Covar. *in tractat. de sponsal. & matrimonio pag. 2. cap. 8. §. 8.* cum Glossa *in c. 1. in v. divisio dist. 10. & in c. si officia dist. 59.*

Legitimati tamen per subsequens Matrimonium, quia æquiparantur legitimè natis *c. tanta.* possunt eligi ad dignitates Ecclesiasticas exceptâ Cardinalitiâ ex constitutione Sixti V. quæ incipit, *postquam &c.* Demum non possunt eligi ad beneficia Ecclesiastica, qui ex parentibus hæreticis nati sunt, ut etiam eorundem Receptatoribus, Defensoribus, & Fautoribus ex linea paterna, usque ad secundam generationem, & ex materna ad primam, nisi eorum parentes ante mortem pœnituerint, ac fidelium communione fuerint incorporati *cap. statutum de hæret. in 6.* Schismatici itidem non sunt capaces beneficii Ecclesiastici, & prohibentur eligi, licèt postquam ad Ecclesiæ unitatem redierint, electio dispensativè permittatur confirmari *in c. quia 5. h. t.* Ordinatus etiam à Schismatico denuntiato, cùm sit suspensus *c. 1. & 2. de schismat.* nec potest eligi. 17

§. VII.

De digniore eligendo præ minùs dignis.

Certum est ex voto Ecclesiæ, ac SS. Canonum statutis, eum esse ad Prælaturas Ecclesiæ eligendum, quem præ cæteris morum probitas, vitæ Sanctitas, & laus doctrinæ commendant, adeò, ut non nisi dignus præficiendus sit Ecclesiæ, & ex pluribus dignis, dignior præferatur; quatenus utilior censetur Ecclesiasticæ administrationi, aptiorque regimini in ordine ad salutem promovendam animarum, bonúmque Ecclesiæ firmiùs stabiliendum. Hæc Sententia vera est, eique omnino adhærendum. Verùm ad dignoscendum, quis ex pluribus dignis dignior sit, non videtur difficultate carere, unus enim excellet doctrinâ, sed moribus vitæ non respondet. Alius probitate morum est laudatissimus, sed exiguâ est doctrinâ instructus; Alius est vir prudens, sed mediocris litteraturæ, & vitæ probitate cæteris non antecellit, alius nobilitate est clarus, ac divitiis potens, 1

sed

sed doctrinâ pauper. Unde non nisi difficulter dignoscitur, quis præ cæteris sit dignior ex pluribus dignis; plerùmque siquidem minus doctus doctiori præfertur, & persæpe magis attenditur morum probitas, quàm eruditio, & scientia; ut inter Religiosos. In iis verò, qui præficiuntur Ecclesiis Cathedralibus, cujusmodi sunt Episcopi, qui curam habent annexam animarum, est necessaria æquè scientia, & doctrina, ut possint alios instruere, ac, morum probitas, ut sint aliis optimo exemplo: Cæterùm sola nobilitas, & potentia non facit aliquem sine noxa digniori præferri, qui morum probitate, & doctrina cæteris longè antecellit; nisi fortassis status Ecclesiæ exigat præsulem authoritate verendum, & potentiâ timendum ob finitimos Schismaticos, vel conterminos hæreticos, qui molestiis Ecclesiam afficiunt, & injuriis affligunt; tunc enim habitâ ratione ad bonum commune Ecclesiæ, nobilitas sanguinis, splendor generis, & authoritas personæ constituunt virum cæteris digniorem, ut præficiatur Ecclesiæ, tametsi ab aliis superetur in cultura virtutum, ac laude scientiarum.

2 Oritur tamen non parvi momenti controversia, an quando simpliciter concurrunt plures digni ad Prælaturam, & alius cæteris dignior, an tunc absque lethali noxa possit quis sciens eligere idoneum, & dignum prætermisso digniore, magisque idoneo. Communior opinio censet, electionem, qua dignus præfertur digniori non esse excusandam à culpa gravi, ita enim docet D. Thomas *2. 2. q. 63. a. 2. ad 3. & in quodlib. art. 6.* Gabriel. *in 4. dist. 15. q. 7. art. 5. dubio. 1.* Sotus *lib. 1. de just. q. 6. art. 2.* Cajetanus *2. 2. q. 63. art. 2. ad 3.* Ledesma *4. part. q. 18. dubio 7.* & plures Canonistæ, inter quos Archidiaconus, Abbas. Francus, Imol. apud Covarruviam. *p. 2. §. 7. n. 3.* Et hæc sententia juri canonico, & rationi naturali est magis consentanea, quia in *c. licet.* in ordinando sacerdote requiritur, ut qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior eligatur, & in *c. Metropolitano. dist. 63.* ex Leone Papa, ille præficiendus est Ecclesiæ, ac eligendus Episcopus, qui ex Presbyteris ejusdem Ecclesiæ judicatur esse optimus. Hoc idem repetitur in *authentica de monachis §. ordinationem coll. 1.* idque desumitur ex SS. scripturis, siquidem *1. Regum 9.* de Saule in Regem electo, adfertur causa, cur fuerit electus: quia non erat alius melior illo in Israel. Et Joan. 21. Petrus quando eligitur in christi vicarium, ac præficitur toti Ecclesiæ, non solùm interrogatur, an Christum deligeret; sed an plus, quàm cæteri Apostoli ipsum diligeret? nimirum, ut ex uberiori amore præ cæteris dignior ostenderetur. Rursus in concilio Basileensi habetur Pragmatica sanctio *sessione 11.* in decreto de electionibus confirmato à Martino V. ubi Electores jubentur jurejurando promittere Deo, & sanctæ illius Ecclesiæ, se semper esse electuros in Prælatum, quem noverint digniorem. In Synodo Tridentina *sess. 23. c. 1. de reformat.* etiam dicitur, quòd Electores peccent, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles judicaverint, præficiendos esse diligenter curaverint.

Ratio hoc idem suadet, quia qui prætermisso digniore eligit dignum, personarum habet rationem, non verò sui officii, & tunc non Ecclesiæ, sed personæ negotium agit, & præfert utilitatem personæ commodo Ecclesiæ. Tum quia Electorum fidei committitur, ut ex pluribus eum eligant, quem noverint Ecclesiæ utiliorem: nimirum, ut in eligendo fideles sint Administratores: atqui tales non sunt quando in electione præferunt dignum digniori, quia ex electione dignioris majus comodū accederet Ecclesiæ; unde cùm in re magni momenti, & cum Ecclesiæ detrimento non funguntur tunc Electores suo munere, non videntur à culpa excusari. 3

Nihilominus oppositam sententiam, nimirum talem electionem carere gravi noxâ censent plures cum Glossa *in c. constitutis. ver. magis utilem. de appellat. & c. licet ver. qui præstantior. q. 1. c. quoniam ver. qui majoribus de jur. patron. c. 2. de offic. pastoris. ver. sanctior.* ex quibus docet Glossa, sufficere in electionibus, si bonus eligatur: quia eo ipso, quòd aliquis est bonus, malus non est, & si non est malus, potest tunquam bonus, & idoneus eligi: idque firmat Glossa pluribus rationibus in *c. licet in primis*, quia major probitas unius aliis nocere non debet *c. necessè 3. q. 9. c. teneamus. 1. q. 1.* Præterea in *c. Monasterium 18. q. 6.* conceditur patrono, ut Monasterium, & Oratorium à se constructum commendare possit Presbytero, quem maluerit, per Episcopi consensum, dumodo malus non sit, unde conceditur, quòd bonus, seu dignus possit commendari omisso digniore. 4

Neque inde sequitur ait Glossa, electionem fore irritam, quia nullum intervenit canonicum impedimentum, quo impediatur, quo minùs suum sortiatur valorem: siquidem non adest obex in Electoribus, quia ipsi si bonum, ac idoneum eligant, funguntur suo munere, juxta sacros canones; neq; ex parte electi adest impedimentum, cùm is supponatur bonus, & idoneus, ut præficiatur ecclesiæ. Præterea eo ipso quòd electores bonum, & idoneum eligunt, benè agunt: atqui nemo benè agendo peccat: ergo tunc Electores eligentes bonum, & idoneum omisso digniore excusantur à peccato: alioquin doctor docendo peccaret, quia meliùs posset docere; vir piùs orando peccaret, quia posset meliùs orare; sacerdos recitando breviarum peccaret, quia posset attentiùs, & ferventiùs orare. Rursus quia dignior electus non peccat, si minùs diligentiæ impendat, minùsque laboris conferat in administratione Ecclesiæ, quàm alius, qui tantùm est dignus, & idoneus, licèt dignior majore posset diligentiam impendere: ergo neq; peccat, qui dignum eligit, quamvis posset digniorem eligere, quia non semper quis tenetur ad id, quod est melius. Demum quia in *c. cum nobis.* & *in c. cum inter Canonicos.* Jura præcipiunt electum confirmari, dummodo non sit canonico irretitus impedimento, licèt eminentis scientiæ non sit, hoc est licèt fuerint alii ex gre- 5

gremio ipso digniores: ergo si electio in favorem digni, omisso digniore, ex jure confirmatur; sequitur quòd fuerit licitè facta, & quod fit licitè, caret peccato, consequenter non videntur Electores peccare, si omisso digniore dignum eligant. Demum jura constituunt, ut unus ex gremio eligatur, tametsi extra collegium sint alii digniores *c. Ossius*, & *c. nullus d. 62.* & nihilominus possent Electores si vellent eligere digniorem, quem omittunt, quia tametsi conveniens sit, ut unus è gremio Collegii eligatur, si idoneus sit, ita ut non possit invitis canonicis extraneus obtrudi, cùm Ecclesiæ necessitatibus consultiùs provideatur, si eidem unus ex gremio præficiatur: nihilominus possunt canonici favori pro se introducto cedere, & omisso digno ex gremio eligere digniorem extra gremium, ut ait Pontifex in *c. cum nobis 19. h. t.* ergo eligere bonum, & idoneum omisso digniore, non videtur culpam gravem secum trahere. Tum quia non nisi difficulter plerúmque judicari posset, quis ex pluribus esset dignior, quia licèt is censeatur dignior, qui est doctior, & sanctior, ut habetur in *c. licèt*; nihilominus alius minus doctus, & sanctus potest esse Ecclesiæ, cui præficitur, utilior, & aptior.

6 Verùm licèt hæc sententia ante concilium Tridentinum ob allatas authoritates, & rationes fuerit probabilis: hodie post præfatum Concilium non videtur ampliùs probabilis, quia Concilium Tridentinum *sess. 24. de Reformatione cap. 1.* sic ait loquendo de Electoribus: *In primis meminerint, nihil se ad Dei gloriam, & populorum salutem utilius posse facere, quàm si bonos Pastores, & ecclesiæ gubernandæ idoneos promoveri studeant; eósque alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, nisi digniores præfici diligenter curaverint.* Adhærendum igitur est primæ sententiæ; & expungenda hæc secunda, quia expresse adversatur concilio Tridentino jubenti esse digniorem eligendum.

7 An verò electio digni, prætermisso digniore, sit tanquam valida confirmanda? respondetur, illam in utroque foro interna, & externo sortiri suum valorem, nec posse rescindi: ita enim docent communiter juris Pontificii periti apud Covarruviam in *reg. peccat. p. 2. §. 7. n. 3.* alioquin omnes electione, quæ contingerent, in maximo semper essent discrimine, & via aperiretur ad innumeras lites, & controversias, si electio esset irrita, eò quia sortita fuit in favorem digni tantùm, & non dignioris: cùm rarus sit, qui velit ingenio cedere, unus semper alio vellet esse doctior, sic electiones semper versarentur in periculo, ac præberent controversiis, ac litibus fomitem.

8 Præterea nonnunquam generis nobilitas, personæ Authoritas, & potentia constituunt virum digniorem, tametsi sit aliis minus sanctus, & doctus, ut docent plures canonistæ Alex. *p. 2. q. 19. n. 2. q. 2.* Gabriel *4. dist. 15. q. 7. art. 3. dubio 1. propos. 2.* quia ubi Ecclesia protectore indiget, qui eam ab hæreticis, schismaticis, & aliis christiani nominis hostibus defendat, & protegat; tunc Ecclesiæ utilior est præsulis potentia, & nobilitas, quàm doctrina. Præterea si doctior, & sanctior sit ignobilis, minùs doctus, minúsque sanctus, nobilis, & potens, non videtur hic esse minùs dignus, quamvis minor ipsi insit doctrina.

Quòd si minor collegii pars elegerit optimum: sed extra gremium, & major pars dignum, sed ex gremio Ecclesiæ, valeret hæc electio facta à majori parte, licèt in favorem tentùm digni, quia ut docet Glossa electio facta à majore parte est præferenda, quia quod fit à maiori parte Collegii, censetur factum à toto collegio *c. cùm in cunctis* de iis quæ fiunt à majori parte; hinc contra electionem factam à majori parte, tametsi in favorem digni omisso digniore non admittitur appellatio. Neque quærendum est de meritis personæ, quando major est numerus ex una parte, quàm ex altera *c. dudum de elect.* Quòd si major pars collegii eligat dignum, sed extraneum, & minor æquè dignum, imò digniorem, sed ex gremio Capituli; licèt nonnulli censeant electionem minoris partis, tunc esse præferendam: nihilominus Glossa docet oppositum, eò quia, quod fit à majore parte Collegii, factum censeatur à toto collegio *c. cum in cunctis* de iis quæ fiunt à majori parte Capituli. 8

Oritur tamen difficultas, an quando in electione servanda est justitia distributiva, possit eligi minùs dignus, relicto digniore, ad evitandam electionem indigni: Vasquez *opusc. de benefic. c. 2. §. 3. dubio. 3. ver. sed quæres.* respondet, licitum esse tunc eligere minùs dignum, & nititur hâc ratione, quia elector magis debet communitati, quàm privatæ personæ, proinde concurrente bono comunitatis cum bono privatæ personæ, illud huic est præferendum: hinc ad evitandam electionem indigni tenetur elector suffragari minus digno relicto digniore, ad impediendam electionem indigni. Verùm vix in hoc casu bonum communitatis secernitur à bono privatæ personæ, quia cùm privata persona, ut est Elector sit membrum communitatis, debet electio fieri in ordine ad utilitatem ipsius; & quia bonum partis, est etiam bonum totius, non videtur distinguendum hoc bonum privatæ personæ à bono communitatis. Præterea communitas exigit, ut servetur in electione justitia distributiva, quando servanda est, proinde exigit, ut dignior eligatur: quia sicut est malum communitati si indignus eligatur; ita confert utilitati ipsius, quòd electio cadat in favorem digni *c. nihil, & c. fin. de elect.* Hinc quoties in electione servanda est justitia distributiva; tenetur quisque eligere digniorem, quia id exigit non solùm jus personæ eligendæ, sed etiam jus communitatis: siquidem est contra bonum, & commodum ipsius, quòd eligatur minùs dignus. 9

Cæterùm simpliciter potest eligi minus dignus omisso digniore, quando per electionem digni, impeditur electio indigni, ut censent plures Valent. *tom. 3. disput. 5. q. 7. punct. 2. §. 3. v. quæritur.* Salon. *2. 2. q. 63. art. 2. controvers. 4.* Pasqualig. *decis. 256. de elect.* Rodriquez *p. 1. summa. c. 106. n. 7.* & alii plures, quia 10

quia obligatio eligendi digniorem est tantùm respectu illius dignioris, qui est eligibilis adeo ut qui non est eligibilis non cadat sub hanc obligationem, quia sicut tunc electio non extenditur ad ipsum, ita neque obligatio eligendi: atqui in hoc casu, quo major pars vult eligere indignum, dignior non est eligibilis, quia suffragium unius, non sufficit, ut eligatur: quamobrem stantibus hisce circumstantiis minus dignus censetur dignior, quia per ejus electionem impeditur electio indigni.

12 Quòd si dicas, quemlibet Electorem teneri quantum est in se eligere digniorem, ac procurare mediante tali electione bonum communitatis, proinde non posse præferre dignum digniori, Contra est: quia Elector tantùm tenetur procurare mediante electione bonum comunitatis, quantùm ipsi est possibile, & cum non sit tunc possibile ut electio sortiatur in favorem dignioris; solùm tenetur eligere digniorem ex iis, qui possunt hic, & nunc eligi, qualis est dignus, ex cujus electione impeditur electio

13 indigni.

Quinimò Turrianus *tom. 2. in 2. 2. de justit. & jur. disput. 22. dubio 2. n. 6.* Sotus *lib. 3. de justit. & jur. q. 6. art. 2.* & alii censent, teneri in conscientia Electorem tunc eligere minus dignum, si aliud medium non suppetat, ad impediendam electionem indigni, & nituntur ea ratione: quia strictiùs obligat justitia commutativa, quàm distributiva, & ratione justitiæ commutativæ tenetur Elector consulere commodo Ecclesiæ; proinde impedire electionem indigni, quæ resultaret in detrimentum ejusdem, & eligere dignum. Verùm hæc ratio patitur difficultatem, quia justitia commutativa non obligat ad solvendum debitum alterius, sed tantùm proprium, tametsi alii non solvant, quod debent communitati ratione justitiæ: non enim Elector plus debet, quàm præstare possit per suum suffragium: unde si ipse digniorem eligat, solvit communitati, quod debet; & quod electio dignioris non sortiatur, non stat per ipsum, sed per alios, qui nolunt proprium debitum communitati solvere. Tum quia Elector non tenetur ad electionem digni, aut dignioris in solidum, sed tantùm pro rata, seu quantùm electio depen-

14 det à se ipso, ac proprio suffragio.

Neque videtur dicendum, teneri Electorem eligere minus dignum, eò quia teneatur impedire, ne communitas in electione indigni patiatur detrimentum, quia ipse non tenetur impedire, ne communitas absolutè detrimentum patiatur, sed ne illud patiatur in defectu sui, eò quia ipse non solvat communitati quantum debet, licèt ex malitia aliorum electio

15 dignioris non sortiatur.

Exactiùs cum Pasqualigo *loco cit*, respondetur: Electorem in præfato casu ex charitate, & non ex justitia teneri eligere minus dignum omisso digniore, ne sequatur electio indigni, siquidem communitas tunc inducit rationem proximi, cùm bonum communitatis, sit bonum eorum, qui constituunt communitatem ut membra ejusdem: quapropter sicut ratione charitatis tenemur amare proximum sicut nos ipsos: ita etiam tenemur communitatem diligere sicut nos ipsos: & sicut si electio indigni nobis esset nocumento, ad declinandum hoc damnum eligeremus minus dignum, ad evitandam electionem indigni: ita etiam dicendum de damno communitatis, quod oriretur ex electione indigni. Neque ratione justitiæ distributivæ tenetur Elector in tali casu eligere digniorem: quia electio dignioris tunc non potest sortiri, cùm major pars in ipsum non consentiat, & præceptum non obligat, quando non potest adimpleri, vel adimpletio est causa majoris damni: est autem majus damnum communitati si eligatur indignus, quàm quòd eligatur dignus omisso digniore,

Quinimò etiam quando servanda est justitia 16
distributiva in electione, si quis certò sciat majorem eligentium partem nolle digniorem eligere, potest mediocri suffragari ad impediendam electionem minùs digni, quem aliàs major pars eligeret: ita enim docent plures præsertim Sotus *lib. 13 de justit. & jur. q. 6. art. 2.* Bannez *2. 2. q. 63. art. 2. dubio 3.* Pasqualigus *decis. 258. de elect.* siquidem justitia distributiva non obligat, nisi secundùm subjectam materiam & ad dandum cuilibet jus suum juxta merita, quando id præstari potest; non ita quando non potest id contingere: unde licèt aliquis sit cæteris omnibus dignior, si tamen à majori parte eligentium excluditur, non est de numero eligibilium, quia supposita tali exclusione electio non potest in ejus favorem sortiri: & quando non est aliquis eligibilis, non teneor eidem suffragari: unde tunc cùm non possim digniorem eligere, teneor suffragari mediocri ad impediendam electionem minus digni; quia tunc ex eligibilibus mediocris est dignior, & ego censeor suffragari digniori, licèt præstiterim juramentum de eligendo digniore ex gremio Capituli; quia tale juramentum intelligitur de digniore non simpliciter, sed de digniore eligibili, ut rectè notat Sotus *loc. cit.* cùm enim juramentum sit in ordine ad praxin debet intelligi de electione dignioris, prout ad praxim reduci potest: unde si ad impediendam electionem minùs digni suffragor mediocri, gero utiliter negotium communitatis, quia supposita exclusione dignioris eligitur à me, qui est cæteris dignior.

Quæritur, an is, ad quem pertinet jus 17.
conferendi beneficium, teneatur ipsum beneficium digniori conferre? & respondetur cum distinctione, vel qui beneficium confert duos, aut plures aliis digniores in promptu habet; vel non nisi unum dignum; quamvis alii alibi digniores possent inveniri? si primum nulli dubium, quin debeat digniorem cæteris præferre; si secundum, sufficit si beneficium conferat digno; tunc concurrenti, quia licèt alii sint digniores, non tamen commodè haberi possunt.

§. VII.

§. VII.

De ipsa forma electionis.

1 MOrtuo Ecclesiæ Antistite in iis locis, & Ecclesiis, ubi Capitulares Episcopum eligunt, non debent statim venire ad ipsam electionem, sed debent præmittere exequias defuncti Prælati, & alia præparatorià necessaria, ut electio ritè fiat, & de quibus in præcedentibus diximùs. Non enim ante tertium depositionis diem est electio instituenda ex *c. nullus. 7. dist. 19. c. bonæ memoriæ 26. V. electionem h. t.* licèt ex communiori opinione electio suum esset valorem sortitura, si ante sepulturam defuncti Antistitis ex justa causa institueretur: quia Pontifex *d. c. bonæ memoriæ.* pro causa irritante electionem, non attulit præproperam electionem ante sepulturam institutam tanquam causam principalem, ut liquet ex contextu, ubi asserit: causam principalem invalidæ electionis fuisse contemptum alicujus, qui interesse debuerat, & citatus non fuerit Glossa ibid. *in V. tractat.* & Barbosa *n. 2.*

2 Quòd verò ad expensas pertinet suppeditandas pro funere tam Prælati defuncti, quàm pro electione Successoris, ac Præparatoriis, debent hi sumptus præstari ex reditibus Ecclesiæ vacantis, & ad mensam Episcopalem spectantibus: debent tamen hi sumptus esse moderati, etiam pro famulis, & officialibus defuncti. Quòd si expensæ desumptæ ex mensa Episcopali non sufficiant; debet etiam Capitulum ex reditibus propriæ mensæ aliquid subsidii adferre; siquidem honorifica defuncti Prælati sepultura, non solùm cedit in honorem ipsius Ecclesiæ, sed etiam Capituli. Expensæ tamen necessariæ pro Successoris electione desumi debent ex redditibus Ecclesiæ vacantis, & non solùm quæ fiunt in nuntiis mittendis ad convocandos absentes Capitulares; in Notarios, jurisperitos, qui solent interesse, ut electio canonicè fiat: verùm etiam desumuntur ex ejusdem Ecclesiæ redditibus expensæ, quæ fieri debent ad petendam confirmationem *c. ut præterita. 45. h. t.* siquidem hæc omnia fiunt principaliter in bonum Ecclesiæ.

3 De jure communi, & ordinario sede vacante administratio Ecclesiæ pertinet ad Capitulum *c. is qui 11. & c. cùm olim 14. de majorit. & obed.* Nonnunquam tamen à capitulo constituitur aliquis, tum in spiritualibus, tum in temporalibus administrator, cui tamen non competit collatio beneficiorum, quia hæc pertinet ad solum Episcopum; nisi Pontifex det ipsi facultatem. *c. cui 42. h. t. in 6. juncta Glossa V. soli,* & ita dicendum de alienatione bonorum immobilium ejusdem Ecclesiæ. Cæterùm de redditibus, seu fructibus Ecclesiæ vacantis, nil possunt sibi usurpare Capitulares sub pœna suspensionis ab officio, & quibuscunque beneficiis, donec in integrum restituerint. *C. quia sæpe 40. h. t. in 6.* quia talia bona ad Prælatum pertinent, & capitulum debet illa gratis administrare; perinde ac tutor bona pupilli, unde vel sunt expendenda in utilitatem Ecclesiæ, vel futuro Successori debent per Administratorem reservari: imò in *Clement. statut. 7. h. t.* Ponti ex hanc constitutionē extendit ad omne emolumentum proveniens ex jurisdictione, & sigillo Curiæ Episcopalis, aut quovis alio Titulo; nisi certis dignitatibus sede vacante jurisdictio ex inolita consuetudine, vel præscriptione, aut privilegio, vel alio speciali jure conveniat, ut emolumenta etiam inde provenientia participare queant. Quamobrem Laici, qui regalia, jus advocatiæ, vel Custodiæ in bonis Ecclesiæ sibi de novo vendicant, & ex hoc Titulo bona Ecclesiæ vacantis sibi usurpare præsumunt, anathemate feriuntur *c. generali 13. h. t. in 6.* quam tamen excommunicationem non censentur incurrere, qui sub Titulo regaliorum, Custodiæ, vel Advocatiæ, ex fundatione tamen, vel ex antiqua, & præscripta, vel saltem immemoriali consuetudine sibi competente Ecclesias vacantes administrant in temporalibus; fructúsque earundem modicos tamen percipiunt.

Præmissis igitur omnibus præmittendis, quæ sunt de essentia electionis, die, quo electio fit, servari etiam debent aliquot accidentales solemnitates: siquidem debet celebrari missa de Spiritu Sancto, cui Capitulares intersint, & communicent. Alta voce debet ab omnibus recitari Hymnus: *Veni Sancte Spiritus*: Rursus in Capitulo, vel loco electionis faciendæ, unus nomine cæterorum protestatur nolle se quemquam admittere ad electionem, nec ejus suffragium valere, qui ad eligendum jus non habet. Deinde absolvuntur omnes Capitulares ab excommunicatione, & aliis censuris, quæ possunt impedire Canonicam electionem. Nonnunquam etiam præmittitur tractatus, & personæ aliquæ palam nominantur, ac proponuntur, ut cæteris digniores, magisque idoneæ, ut Ecclesiæ præficiantur. Quæ omnia ubi consuetudo viget, sunt servanda, ut monet Mosconius *lib. 1. p. 1. c. 8.* Rodericus *tom. 2. q. 54. art. 1.* Lancelot. *lib. 1. tit. 6.* 4

Forma eligendi Episcopum servanda est juxta normam traditam ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi editam, quam hîc subjicio. *Quia propter diversas electionum formas, quas quidam invenire conantur, & multa impedimenta proveniunt, & magna pericula imminent Ecclesiis viduatis. Statuimus, ut cùm electio fuerit celebranda, præsentibus omnibus, qui debent, & volunt, & possunt commodè interesse; assumantur tres de Collegio fide digni, qui secretè, & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicent in communi: ut is collatione habitâ eligatur, in quem omnes, vel major, & sanior pars Capituli consentit. Vel eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur, qui vicè omnium Ecclesia vidnata provideant de pastore. Aliter electio facta non valeat: nisi fortè communiter esset ab omnibus, quasi per inspirationem absq; vitio celebrata. Qui verò contra præscriptas formas eligere attentaverint, eligendi ea vice potestate priventur.* 5

Ex hâc Innocentii constitutione colligitur: triplex eligendi modus, juxta SS. Canones unus per Scrutinium, alter per Compromissum, 6

er-

& tertius per quasi in spirationem divinam. Alii addunt quartum, qui mixtus est ex compromisso, & Scrutinio; sed iste modus continetur in prioribus

ELECTIO PER SCRUTINIUM.

7 Ut electio juxta Canones fiat per Scrutinium, debent assumi tres de Collegio fide digni, qui Secreta sigillatim suffragia omnium Capitularium diligenter exquirant,& in scriptis traducta publicent in communi, nullo prorsus interjecto appellationis obstaculo, ut is habita collatione eligatur, in quem omnes, vel major,& sanior pars Capituli consenserit *c.42.de el.* Illa verò pars censenda est sanior, quæ morum probitate, doctrinæ laude; justitiæ exercitio prævalet. Consuetudo tamen in pluribus electionibus tam regularibus, quàm sæcularibus inolevit,ut Scrutatores non ex Capitulo,sed extra gremium deligantur,exacto juramento de fide, & Secreto servando *c. quia propter de elect.* Cucchus *lib.1. instit. tit. 6. §.sed nequid.* Mosconius *lib.1.p.1. c.5.*

8 Potest Scrutinium dupliciter fieri, voce, & scripto. Scrutatores enixim rogant singulos eligentes, ut juxta conscientiam proprium eum eligant, qui dignus sibi videtur. Et hæc suffragia Notarius excipit. Quando verò Scrutatores, sunt de gremio Capituli, postquam Capituli præses suum dedit suffragium, à se invicem suffragia exigunt, duo ab uno, idque ab initio antequam aliorum fuerint sententiæ auditæ, ne ex iisdem suam postea ipsi hauriant determinationem, ut notat Mosconius *de majest. Eccles. lib.1. p.1. c.3.* peracta Canonica electione coram omnibus de gremio Capituli est eadem publicanda, ut quilibet intelligat, quis, vel qui electi sunt, suppressis tamen eligentium suffragiis, præsertim, si scripto data fuerint: tunc enim satius statim comburuntur. Cæterùm ante publicationem est permissum Electoribus mutare, vel revocare, aut alteri dare proprium suffragium, quia nondum censetur electio totaliter completa, donec publicatio facta fuerit. Quòd si forma in *c. quia propter.* exhibita servetur; tunc quasi duplex fit electio, una in privato apud Scrutatores,& altera in publico, mediante ipsa publicatione, & acceptatione. Sin verò Scrutatores ex quacunque causa publicationem protraxerint, quilibet ex gremio Capituli, maximè, qui se electum esse confidit,contradicere, aut litem intendere potest, ut notat Cucchus *lib. 1. institut. tit. 7. pag. 70.* Roderic. *tom. 2. q. regul. q. 55. art. 14.*

9 Peracta in Capitulo Scrutinii publicatione, sequitur collatio à Scrutatoribus,vel ab aliis deputatis à Capitulo facienda, scilicèt numeri ad numerum; zeli, ad zelum; meriti, ad meritum. Fit numeri Collatio, ut constet, an aliquis fuerit electus à majori parte: zeli, ut appareat, quòd sanior pars elegerit; meriti, ut dignior, è pluribus quis sit, innotescat. Sed hoc de jure antiquo: nunc verò attenditur solius numeri excessus, & supponitur, quòd nullus ex eligentibus immemor fuerit suæ obligationis, ut voluerit indigno suffragari. His peractis, si nullus contradicat contra Electores, nec contra electum, nec contra formam electionis, à persona ad id deputata publica, ac solemnis fit promulgatio, hoc pacto. *Ego N. nomine meo, & eligentium, mihiq; consentientium invocatâ S. Spiritus gratiâ in Episcopum, vel Abbatem &c. eligo N. & electum pronuntio, & coram vobis publico, in nomine Patris &c.* Hæc tamen forma electionis non est jure præscripta, nisi pro iis tantùm Prælatis, quibus generalis, & ordinaria jurisdictio inest; cujusmodi sunt Episcopi, & Prælati Regulares, & Præpositi Ecclesiarum Collegiatarum exempti à jurisdictione Episcoporum, quia in Concilio Lateranensi *in c. quia propter.* Forma electionis præscribitur, duntaxat pro Ecclesiis viduatis. Ecclesia autem non dicitur viduata, nisi quæ suum pastorem, & sponsum amiserit: & sponsus Ecclesiæ primo loco est Episcopus, deinde Prælati Episcopo minores. Cæterum in aliis electionibus sufficit, si major pars eligentium consenserit in electum juxta inolitam consuetudinem.

An verò hæc forma Scrutinii servanda etiam sit in postulatione Prælati? Respondetur: ex *c. quia propter de elect.* esse adhibendam in postulatione non solemni, quando Abbas, vel alius Religiosus postulatur ad Episcopatum, aut aliam Prælaturam, quia tunc postulatio æquiparatur electioni. Unde etiam in solemni hoc idem à fortiori agendum erit, tùm ex solemni postulatione ad Prælaturam postulato via sternatur. 10

ELECTIO PER COMPROMISSUM.

Tunc contingit electio per compromissum, quando à Capitularibus datur certis personis facultas eligendi Prælatum, qui præficiendus sit Ecclesiæ viduatæ. Imò possunt Capitulares etiam compromittere in personas incertas, ut unum, vel plures designent, per quos constituantur compromissarii. Ut autem compromissum fiat, debent omnes, & singuli de Capitulo assentiri in compromissarios, quia unus tantùm de Capitulo, si se opponat, impedit, ne compromissum fiat *c.si compromissarius de elect. in 6.* Mosconius *lib.1.p.1. c.2.* Sunt autem compromissarii deligendi ex Clero, quia non decet laicos se immiscere rebus Ecclesiasticis. Neque repugnat quòd compromissarius sit tantùm unus constitutus, qui nomine totius Capituli eligat Prælatum dignum, & idoneum, qui præficiatur Ecclesiæ viduatæ. Et tunc Compromissarius solet esse Episcopus, qui primò eligit, deinde Capitulo proponit, postea, si nil obstet, à se electum, & Capitulo propositum, confirmat Gloss. & Innocentius *in c. cum inter 21. de elect.* Solent Compromissarii eligi numero impari, tametsi id non semper sit necessarium *c. contingit de arbitris.* 11

Fit autem compromissio dupliciter, absolutè, vel limitatè: in compromissione absoluta tota eligendi potestas transfertur in compromissarios, ut isti quemcunque judicaverint magis dignum, & idoneum, eligant ad Prælaturam. In compromissione autem limitata coarctatur facultas ad certas tantùm personas. Non tamen admittitur hæc forma compromissi, ut is 12

censeatur electus, in quem major compromissariorum numerus comparativè ad alias partes consenserit: ut si ex septem compromissariis duo consentiant in Paulum, alii verò in Joannem, non potest formari Decretum electionis de Joanne; quia electio per compromissum est facienda nomine totius Capituli, adeò ut Bonifacius VIII. *in c. sicut 21. de elect. in 6.* in electione per compromissum, velit promulgationem fieri ab uno aliquo, nomine communi, & collectivè hoc pacto: *ego N. nomine meo & aliorum mihi consentientium eligo Joannem &c.* & quod dicitur de electione, servandum itidem est in postulatione, quæ compromissariis potest etiam committi, ut censet Layman. *lib. 4. tractat. 2. c. 12.* quòd si Sacri Canones non obstent per aliquam specialem prohibitionem possunt etiam Compromissarii unum ex ipsis eligere, cùm ipsi per compromissum non priventur jure suo, nisi specialiter Capitulares id prohibeant: alioquin ex officio suo non debet quis damnum pati. Rursus ut constat ex *c. cùm in jure 33. de elect.* ex septem Compromissariis electus per tria suffragia habito proprio declaratur legitimè electus ad Decanatum additâ tamen Clausulâ, dummodo Jus Canonicum non obstet; & habetur exemplum in Joannis XXIII. qui se ipsum elegit cum Cardinales in ipsum solum compromisissent. Id tamen facti, non juris est, ut notat Mosconius *p. 1. c. 2.* & laxè probat Roderic. *tom. 2. q. 54. art. 9.*

13 Cæterùm, si aliquis compromissarius sit electus à suis Collegis, potest suum addere suffragium, & electionem de se factam corroborare, & confirmare *argu. Planè juncta Glos. v. potest ff. quod cujusq. univers.* quia sic electus non censetur principaliter se ipsum eligere, sed aliis eligentibus assentiri, ac approbare eorum voluntatem. Neque redarguendus est ambitionis notâ, quia non censetur ambitiosus, qui aliorum de se vero, ac benigno judicio subscribit: quamobrem si tres duntaxat essent Compromissarii, & unus Petrum eligeret, posset Petrus sibimet suffragari, quo pacto per duo suffragia censeretur electus, quòd si compromissarii essent duo tantùm, & unus alterum eligeret, posset etiam is pari pacto sibi suffragari. Quòd si unus tantùm sit compromissarius, cui tota potestas eligendi sit data, ordinariè se ipsum is non potest eligere, quia præsumitur, proprio amore ductus: licèt non videretur rationi dissonum, si se aliis offerret, ac proponeret acceptandum; in quo casu, posset quidem esse causa suæ electionis; non tamen ipse propriè loquendo se eligeret: & plures censent ita factum fuisse à Joanne XXIII. qui dicitur se ipsum elegisse in Pontificem: siquidem licuit ex compromissi forma se proponere Cardinalibus, & quia isti consenserunt, & acceptârunt, ideò electio habita fuit pro firma & rata, ut notat Mosconius *lib. 1. p. 1. c. 8.* Rodriquez *tom. 2. q. 55. art. 12.* Barbosa *in c. si Petrus 8. q. 1.*

14 Cæterum semel factum, & approbatum communi consensu compromissum ordinariè non potest ampliùs revocari, nisi Præparatoria tantùm fuissent præmissa. Neque revocatur si in gratiam compromissariorum à Capitularibus sit illis data eligendi facultas, quia tunc instar gratuiti muneris, vel donationis est hæc facultas, quæ propterea revocari non solet, nisi urgente gravi necessitate. Exspirat tamen hæc facultas compromissariis data, primò per se, quando effluxit tempus, quod præfixum erat, secundò post peractam electionem; quamvis invalidam; & tertiò, si non fuerit aliqua conditio servata. Quando verò potestas eligendi datur compromissariis appositâ conditione, ut ii in consilium adhibeant certas personas, tunc tenentur compromissarii maturè admonere consiliarios, ut tempus respondendi concedant, & ut non existiment, quòd debeant necessariò eorum sequi consilium, eo quia contingere possit, quòd licèt bonum, non tamen hic, & nunc sit commodum pro Ecclesia; id tamen intelligitur de consultore, qui non sit in officio, vel administratione Ecclesiæ.

Quòd si compromissarii intra præfixum tempus à jure eligere prætermiserint per culpabilè negligentiam; tunc devolvitur potestas eligendi non ad Capitulares, qui compromissarios elegerunt, sed ad proximum superiorem illius Capituli: sin autem intra tempus à jure præfixum compromissarii eligant quidem, sed indignum sive scienter, sive ignoranter id contigerit, potestas eligendi devolvitur ad compromittentes: ut etiam, si electus per compromissarios detrectaret in electionem sui consentire, ut liquet ex *c. si compromissarius 37. h. t. in 6.* Siquidem error compromissariorum, vel eorundem malitia non debet compromittentibus nocere, sed tantùm ipsa negligentia: eò quia compromittentes non urserint compromissarios, ut intra præfixum tempus eligerent præficiendum Ecclesiæ: unde quia compromittentes redarguuntur & ipsi negligentiâ; devolutio tunc fit juxta communia jura. 15

ELECTIO PER VIAM SPIRITUS SANCTI.

16 Tametsi electio per inspirationem, seu viam Spiritûs Sancti sit nostris temporibus rara, & ferè nunquam contingat: nihilominùs describitur, tunc contingere hanc per viam Spiritûs Sancti electionem, quando Electores ingressi locum ad peragendam electionem statutum, priùs invocato Spiritûs Sancti subsidio, statim omnes unanimes absque ullo prævio tractatu, & sine mora in unam personam consentiunt, adeò, ut quasi divina revelatione absque ullo hominis ministerio talem videantur Electores personam eligere, ut legimus in historiis contigisse in Electione ad Summum Pontificatum Fabiani Papæ; & ad Episcopatum Myræ Lyciæ Metropolis, Nicolai. Quòd si ex Capitularibus unus tantùm contradiceret, talis electio non censeretur facta per viam Spiritûs Sancti, qui præsumitur author unionis, non dissensionis. Solent etiam duæ electionis formæ per inspirationem judicari; una, quæ verè fit per inspirationem, qualis fuit electio Nicolai Myræ, Ambrosii Mediolani

ni, & Severini Ravennæ: alter non per veram inspirationem, sed instar veræ; ut quando non constat, à DEO procedere, sed tantùm præsumitur esse à DEO, eò quia nullo procedente tractatu Electores in unum aliquem consentiant, adeò, ut statim unus post alium absque intervallo eidem semper suffragetur, ut notat Oldric. *cons.* 155. Abbas *in c. quia propter de elect.* Barbosa *in d. c. n.* 31.

17 Cæterùm de essentia cujusvis electionis est, ut sit libera, ac fiat libero modo ab eligentibus, alioquin non esset Canonica, consequenter nec valida. Hinc nullâ consuetudine, aut præscriptione potest introduci, ut fiat dependenter à solo arbitrio alicujus tertii, cui eligentes teneantur necessariò assentiri *c. cum terra* 14. *h. t.* Quia est de natura electionis, ut dependeat à libertate eligentium, qui unum aliquem ex pluribus propositis liberè præoptent. Non tamen huic libertati obest, si peractâ electione, electus ante confirmationem debeat Principi sæculari intimari, vel Patrono Ecclesiæ; quia hujusmodi intimatio non fit, quasi ad valorem electionis requiratur consensus Principis sæcularis, si iste consenserit in electum; sed ad eum duntaxat finem dirigitur intimatio, ut certius ac securius habeatur Principis Patrocinium, à quo possit defensio electi sperari.

18 Qui enim injusto gravamine vexant electum, vel ipsos eligentes, quos minis adigunt eligere certam personam, quam si non elegerint spolientur Electores rebus suis, vel impediantur, quæ sibi de jure debentur, vel aliter vexentur etiam in consanguineis usque ad quartum gradum, aut mandent taliter vexari, ipso facto anathemate percutiuntur, ut habetur in *c. sciant cuncti* 12. *h.t. in* 6. *juncta Glossa V. alios, & V. Consanguineus.* & hanc excommunicationem juris Pontificii periti ad eos etiam extendunt, qui Clericos, & personas Ecclesiasticas injustè vexant, eò quia non præsentent, postulent, aut confirment eum, à quo fuerunt rogati: quia licèt textus tantùm expressè loquatur de adigentibus injustè eligentes: nihilominus omnimoda rationis identitas hanc constitutionem, ut favorabilem Ecclesiasticæ libertati extendit ad vexantes prædictis modis eligentes.

§. VIII.

De consensu, confirmatione, & consecratione Electi.

1 Peractâ electione incumbit eligentibus, ut quàm primum commodè fieri potest electio præsentetur Electo, & ejus consensus desuper requiratur, quem hic infra mensem computandum à tempore præsentationis, aut notitiæ habitæ de sui electione debet præstare *c. cupientes* 16. *h. t. in* 6. sitque sui juris, si eam velit, vel nolit acceptare; adeò ut si diutiùs absque legitimo impedimento consensum distulerit ipso facto privatus sit jure quæsito, quod eidem ex electione competabat, ut statuitur *in c. cùm fit.* 6. *h.t. in* 6. idque, ne per diuturnam moram, & vacationem, Ecclesia detrimentum patiatur: & etiam ut ipsi electo commodum tempus concedatur, maturiùs examinandi onus sibi injunctum, an velit illud acceptare. Quòd si electus non sit sui juris, ut si Regularis eligeretur, vel postularetur in Episcopum, vel Prælatum extraneæ ecclesiæ, tenerentur electores à superiore electi ea majori celeritate, quâ fieri posset, licentiã petere, & obtinere: & quia cuilibet electo integer mensis deliberatorius conceditur; hoc tempus tunc primùm currere incipit, quando electores à superiore electi debitam impetrârunt licentiam. Quòd si electus occulto aliquo sit irretitus impedimento, ut si sit irregularis, vel illegitimus, ordinariè non potest dignitatem acceptare, nisi priùs super occulto impedimento dispensationem impetraverit, ut liquet ex *c. innotuit* 20. *h.t.* ubi ponitur casus de quodã occulto impedimento irretito, ac illegitimè electo: & respondet Pontifex, quòd sponte ac humiliter suum maluerit confiteri reatum; ac impetrare dispensationem, quàm læsa conscientia thronum conscendere pastorale. Cùm enim sacri canones constituentes impedimenta electionis sint justi, in foro externo suum sortiuntur valorem, ut etiam in foro interno; & quamvis subinde sint pœnales; adhuc pœna ipso jure illata, quæ aliam exteriorẽ non exigit executionem, cujusmodi est censura, inhabilitas, irregularitas, etiam in conscientia obligat.

2 Neque obstat, si dicas, regulariter nullum teneri ad sui infamationem & jacturam honoris, in communi hominum æstimatione habiti faciendam, ut ait Glossa *in c.* 2. *de censessis.* Respondetur, id non obesse, quia electus, si timeat infamiam, potest facile, & commodè eam evitare, recusando dignitatem, & non assentiendo electioni de se factæ, absque expressione occulti impedimenti. Quòd si contigerit casus, in quo, vel ob instantem metum, vel propter publicam Ecclesiæ utilitatem non posset Elector commodè, nec sine gravi damno dissentire electioni de se factæ; tunc excusaretur à culpa, si dissimulato impedimento dignitatem acceptaret; & clam impetraret dispensationem, & convalidaret Titulum, ut ait Innocentius in *d. c. innotuit, n.* 1. quia leges humanæ non censentur constituere impedimentum, nec obligare in casu, quo electus grave teneretur detrimentum subire.

3 Quia verò beneficium Ecclesiasticum non datur invito, adeò, ut quilibet, sive sæcularis, sive Religiosus sit sui juris in ordine ad illud acceptandum, vel recusandum, ita potest quilibet electioni de se factæ non annuere, & oblatam dignitatem recusare, adeò, ut nec vir Religiosus adigi possit à suo superiore ad assentiendum, quia jure suo, quod in Monasterio per emissam professionem quæsitum habet, non est privandus; nisi fortassis Charitas proximi obligaret ad acceptandam electionem, eò quia non sit alius æquè idoneus, cum Christus dixerit Petro: *Petre, si diligis me, pasce oves meas.*

Cæterùm, qui tantùm est electus, & annuit
4 electioni de se factæ nondum habet jus in re, sed tantùm ad rem, proinde indiget confirmatione, cujus beneficio plenum jus illi tribuitur. Hinc si electus è vita decedat ante impetratam confirmationem, beneficium non vacat per illius, sed per obitum sui prædecessoris, qui possedit talem dignitatem. Rursus nec potest sibi usurpare administrationem *c. nosti. c. qualiter de elect.* & si secus faceret jus per electionem acquisitum deperderet *c. avaritia eod. tit. in 6*, privaretur etiam perceptione fructuum, & acta irritarentur *extravag. 1. de elect.* Nihilominus per dispensationem *in c. nihil. de elect.* permittitur, ut Prælati à Summo Pontifice confirmandi, in remotioribus Provinciis possint ante confirmationem exercere administrationem, tam in spiritualibus, quàm temporalibus, hâc tamen conditione, ut ex bonis Ecclesiæ nihil alienent, ut notat Layman. *quæst. Canon. pag. 99.*

5 Moris tamen est in Romana Curia, ut post propositionem promovendi, in Consistorio firmetur Breve, ac mittatur pro capienda possessione ante Bullarum expeditionem: & acceptâ semel possessione, sive virtute *Brevis*, sive vigore *Bullarum* plena administratio competat confirmato, quamvis nondum fuit consecratus; adeò, ut statim administrare, & exercere ea omnia possit, quæ ad potestatem pertinent jurisdictionis, ut est judicare, excommunicare, juramenta à Vasallis recipere, beneficia conferre, ac instituere, & alia id genus, ut liquet ex *c. transmissam de elect. juncta Glossa v. de talibus.* Rursus potest etiam concedere indulgentias, tametsi nondum fuerit sacerdotio initiatus, quia concedere indulgentias se habet consecutivè ad jurisdictionem, non ad ordinem.

6 Juvat observare, quòd beneficia electi non censeantur vacare, nisi post confirmationem, & consecrationem, vel saltem post bimestre, quod est tempus, à jure definitum, ut colligitur *ex c. cùm in cunctis.* Rursus, si quis Episcopum nondum confirmatum percuteret, non censeretur incurrere duodecimam excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini. Immò, neque si quis eum percuteret post confirmationem, si nondum esset consecratus, ut notat Glossa *in Clement. dignum de celebrat. miss.* qui etiam occideret Episcopum solùm electum ex Mosconio *pag. 158.* mitiori pœna plectendus esset, quàm si consecratum occideret. Glossa *in c. Tua nos.* ubi addit, neminem esse vocandum Episcopum, nisi post confirmationem, & consecrationem.

7 Tametsi quilibet Clericus pro Ecclesia, cujus est membrum possit opponere contra factam provisionem Antistitis per electionem, ut etiam contra ipsam electionem possit statim appellare ad superiorem, ut liquet ex *c. cùm inter 21. h. t.* Nihilominus Electores, qui electo fuerunt suffragati, post promulgatam electionem, non sunt ampliùs audiendi, si aliquid opponant contra electionem, quasi non fuerit canonicè facta, *c. nulli h. t. in 6.* quia, quod semel quis approbavit, reprobare non potest, agendo contra factum, ut habetur *ex regula 21. in 6.* nisi fortassis post peractam electionem justa, ac legitima causa insurgeret electionis recèns impugnandæ, vel quia ignorata priùs fuerit justa impugnationis causa, dummodo Electores impugnaturi Juramento probent, quòd tempore Electionis sibi talis causa non innotuerit. Neque qui semel renuntiavit electioni de se factæ, potest appellare ad impediendam novam alterius Prælati electionem *cap. cùm inter 16. h. t.* quia ad ipsum non pertinet electio novi Prælati. Si tamen justè, ac legitimè contra electionem faciendam appelletur simpliciter inhibendo, ne electio fiat, aut non fiat; non debet tunc ulterius in electione procedi, donec de appellatione judicium habeatur superioris; nisi fortassis appellatio fuerit manifestè frivola, & invalida: electio tamen cæteris paribus non obstante appellatione servat suum valorem, donec superior judicet, appellationem fuisse legitimam, ac pronuntiet contra electionem *c. consideravimus h. t.* ratio est, quia per appellationem, & inhibitionem non inducitur ulla suspensio, per quam Capitulares censeantur inhabiles ad eligendum.

Ut autem appellatio ad Sedem Apostolicam rectè procedat, debet fieri in scriptis, ac 8
inseri in ipsa appellatione causa rationabilis, ne dolosè, & cum detrimento Ecclesiarum moveantur controversiæ, & protrahantur lites. Secundò, tenentur partes apparere coram Summo Pontifice ad terminum præfixum, tametsi inferior judex, aut Prælatus eundem terminum præfixerit: quia inferior non debet se immiscere in causis ad Summum Pontificem delatis. Potest tamen qui appellavit, in causa appellationis renunciare appellationi factæ, ac ab illa recedere, priusquam Summo Pontifici fuerit præsentata; tunc tamen est diligenter inquirenda à judicibus inferioribus, ad quos causæ cognitio pertinuisset; si appellatio interposita non fuisset, & an in tali renuntiatione intervenerit Simonia, quia si talis intervenit, causa refertur ad Pontificem, ut liquet *ex c. quamvis 10. h. t. in 6.* Et qui hæc observare negligunt, statutâ pœnâ puniuntur juxta *c. provida 44. h. t. in 6.*

Præstito igitur ab electo consensu circa electionem de se factam tenetur electus con- 9
firmationem intra tres menses à die consensus numerandos petere à Summo Pontifice, ut moris est per totam Germaniam, ubi in Cathedralibus Ecclesiis servatur jus antiquum, quo Canonici eligunt Episcopum, qui post præstitum consensum suæ electioni confirmationem statim petit à Summo Pontifice: quòd si sine legitima causa electus intra tres menses negligeret confirmationem petere; tunc præsumitur tacitè re-

renuntiâsse electioni de se factæ, quæ propterea evanescit *c. quam sit 6. in fin.* & ibi Glossa *h. t.* Electi tamen in Cathedrali, vel regulari Ecclesia, & qui confirmationem à Sede apostolica debent impetrare, ii intra unum mensem à præstito consensu debent vel per se, vel per procuratorem de omnibus sufficienter instructum petere confirmationem *c. cupientes 16.* & *c. si postquam. 36. h. t. in 6.* Imò usus invaluit statim ut super electione facta conficiatur instrumentum publicum à Capitularibus, vel scrutatoribus subscriptum, & sigillo munitum, ut statim appareat de validitate electionis.

10 Petitur confirmatio à superiore de jure communi gradatim per modum appellationis à proximo superiore, adeò ut confirmatio Abbatis petenda sit ab Episcopo, vel à capitulo sede vacante, Episcopi ab Archiepisc. *c. mos antiquus. dist. 65. c. scriptum. c. cum dilect. h. t. c. cùm olim. 14. de majorit. & obed.* sed nostris temporibus per regulam tertiam Cancellariæ, & concordata Germaniæ quælibet Episcoporum confirmatio per totam Germaniam indistinctè est reservata soli summo Pontifici. An verò per hæc concordata censeatur abrogatum privilegium legatorum de latere, quod habetur in *c. si Abbatem 36. h. t. in 6.* ubi iisdem conceditur ut omnium Episcoporum, & exemptorum electiones confirment, cùm consuetudo, præscriptio, stylus, & usus curiæ Romanæ sint in oppositum, censendum est tale privilegium abrogatum, Et licèt ex privilegio, vel consuetudine electis Episcopis extra Italiam, qui confirmationem tenentur petere à Sede Apostolica, concedatur interim administratio in spiritualibus, & temporalibus conditionatè, ne quidquam de rebus Ecclesiasticis alienent, *c. nihil. 44.* non tamen hoc privilegium extenditur ad postulatos, quibus per postulationem ante superioris admissionem nullum acquiritur jus, ut notat Panormit. in *c. quanto de translat. Epis.* Imò dubitârim, an tale privilegium etiam vigeat in electis, siquidem per Germaniam electi Episcopi ab administratione abstinent, donec licentiam administrandi à Sede Apostolica obtinuerint, Et Passerinus *in tractione de elect. c. 33. n. 35.* asserit *per extrag. injuncta h. t. inter com.* hodie tale privilegium esse sublatum, & ait ex *d. c. nihil.* quòd electi sine licentia impetrata à Sede Apostolica ad Ecclesias, ad quas sunt promoti minimè accedere, vel administrationem accipere possunt, & idem Passer. *d. l.* ait id esse intelligendum etiam de remotissimis à Curia Romana Prælatis: Alii tamen contrarium censent, Panormit. in *d. c. nihil. n. 10.* docet, posse valere consuetudinem, ut electio sine alia confirmatione plenum jus tribuat. Sed tantùm loquitur de inferioribus beneficiis, non verò de majoribus Prælaturis, in quibus ob periculum Simoniæ potest faciliùs eligi indignus cum damno, & scandalo Ecclesiæ.

11 Ad confirmantem pertinet diligenter inquirere de persona electi, & ejus qualitatibus, ac moribus, & rursus processum electionis explorare, & an electio habuerit omnia requisita, fueritque canonicè facta. Quòd si major pars Capitularium contradiceret, se in electum minimè consensisse, & scrutatores contrarium assererent. Tunc scrutatoribus, si duo saltem ex illis juramento deposuerint pro electo, est præstanda fides, quia scrutatores sunt contestes & Capitulares, à quibus suffragia non nisi secretè exquiruntur, & unus, ignorat suffragium alterius, non censentur testes sufficientes, nec eorum centum regulariter faciunt plenam probationem, nec admittuntur, si è contrario probatio magis juridica per contestes haberi possit *c. cùm dilectus 32.* Et ibid Glossa *etsi tres V. probatio.* Panormit. *n. 12. h. t.* Innocentius ibid. *n. 7.* ubi notat, præfatos scrutatores non esse testes in causa propria, sed in facto coram se acto in causa aliena. Putat tamen Panormitanus *loc. cit.* in rigore non esse testes omni exceptione maiores, quia per contradictionem eligentium, ac suspicionem falsi, agitur de infamia scrutatorum, non verò si testis sit idoneus, ad quem ex testimonio redundat laus, & vituperium: testimonia tamen scrutatorum ob difficultatem probationum admittuntur. Quòd si Prælatus inferior indignum confirmaret ipso jure privatur potestate confirmandi proximum successorem, & à beneficio per sententiam suspenditur, ac mulctatur pœna graviori arbitrio superioris, si tamen ex malitia indignum confirmaverit *d. c. nihil 44.* & ibi Glossa *h. t.* & ipsa confirmatio cassatur, nulliùsque est roboris.

12 Est igitur confirmatio titulus canonicus, quo quis acquirit jus in beneficio. Electioni siquidem à collegio clericorum factæ, succedit confirmatio, quâ superior legitimè electum intra tempus à jure præscriptum confirmat, approbans electionem canonicè factam; & confirmatus ex vi confirmationis acquirit plenum jus in beneficio, ad quod fuit electus; adeò ut possit ea omnia, quæ sunt jurisdictionis *c. nostri de Elect. & cap. transmissam h. t.* siquidem per confirmationem perficitur, & consummatur conjugium spirituale inter prælatum electum, & ecclesiam, cui præficitur *cap. inter temporalia de translat.* unde Prælatus, qui per electionem de se factam tantùm inchoaverat spirituale conjugium beneficio confirmationis illud consummat; & adeptâ beneficii possessione, potest ea omnia, qua sunt jurisdictionis, non ita quæ sunt ordinis, nisi post consecrationem.

13 Quòd si eligentium suffragia in duas fuerint æquales partes partita ad superiorem pertinet, eum præferre, ac confirmare, quem majora merita commendant, ac dignior habetur *c. quoniam de jure patronatus,* & *c. si fortè dist. 63.* Sin autem vacante Eclesia eligentibus divisis unus fuerit electus, & alter postulatus; & suffragia fuerint paria, confirmandus est electus, tametsi postulatio superaret electionem uno vel altero suffragio; quòd si postulantium numerus sit duplò major numero eligentium, & postulatus sit verè idoneus, tunc postulatio est præferenda, & admittenda; rejectâ electione *c. scri-*

ptum de Election. Si postulantes non dolosè, sed ignoranter indignum postulaverint, licèt numerus postulantium fuerit duplò major, nec postulatio, neque electio habenda est rata: & si dolosè, & scienter indignum postulaverint, tunc electio est confirmanda, quia postulantes indignum scienter privantur ipso facto jure eligendi, & postulandi pro illa vice; & totum jus eligendi devolvitur ad eligentes dignum; unde electus est confirmandus. Pertinet tamen ad superiorem explorare de qualitatibus electi antequam confirmetur *c. nihil est de elect.* Idque etiam, quando postulantes nil objiciunt contra electum *c. cum nobis & cap. venerabilem de elect.* pertinet enim ad officium superioris sedulò examinare qualitates electi, priusquam confirmetur; alioquin punitur si confirmet, quem non debet, præsertim non integræ vitæ, non legitimæ ætatis, non sufficientis litteraturæ; suspenditur enim à perceptione sui beneficii tandiu, quandiu Antistiti suo superiori visum fuerit; quòd si per malitiam, & sciens confirmaverit indignum graviùs punitur *c. nihil est de elect.* & confirmatus excluditur à beneficio, dejicitúrque ab illa promotione, quia confirmatio nullius est valoris *c. ult. de elect. in 6.*

14 Olim jure communi metropolitanus confirmabat Episcopos electos suæ provinciæ, & servato Hierarchico ordine, Prælatus superior inferiorem *c. 4. in consil. Nicæn.* Primas Metropolitanum; Primatem unus ex quatuor Patriarchis præcipuis; & Patriarcham Romanus Pontifex, aut ejus Apostolicus Legatus à latere, ut constat ex Epistola Leonis I. ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem, & alterâ itidem ad Achatium. Electio Romani Pontificis nulla indiget confirmatione, cum in terris superiorem non habeat, cujus authoritate valeat confirmari. Olim Abbates Regulares universim eligebantur à Monachis conventûs, cui erat Abbas præficiendus, qui mos etiam nunc viget per totam Germaniam; & Abbates electi confirmabantur ab Episcopo, cui monasteria illa subjiciebantur. Ex indulto tamen ac privilegio Sedis Apostolicæ plures Abbates sicut exempti confirmantur à Summo Pontifice; ut etiam Abbates sæculares si sint exempti confirmantur à Papa, vel ejus Legato à latere, si adsit in illa provincia: si non sunt exempti confirmantur ab Episcopo, Panormit. *in c. 1. de suppl. neglig. Prælat.*

15 Nunc verò quia jus eligendi Episcopos est canonicis cathedraliũ ademptum, adeò ut per totam Italiam nullus à Canonicis eligatur Episcopus; & à Regibus, vel Principibus per Galliam, & Hispaniam Episcopi nominentur, designentur, præsententur, ac offerantur sũmo Pontifici, qui etiã eligit fere omnes Episcopos Italiæ paucis exceptis; ideò electio in illis regionibus ut etiam confirmatio abiit in disuetudinẽ; & tantùm in Germania adhuc viget antiquus mos, quo in Cathedralibus Canonici eligunt Episcopũ præficiendum tali Ecclesiæ; & statim post electionẽ procurant, ut confirmetur à Summo Pontifice, ut habetur *in cap. quàm sit 6. de elect. in 6.* & fuit statutum in Concilio Lugdunensi, ut Electores quamprimùm commodè possunt, dent operam, ut habeant consensum electi, cui intra octiduum debent denunciare electionem, alioquin, ut negligentes excluduntur à prosecutione, & per triennium suspenduntur à beneficiis Ecclesiæ *c. cupientes §. cæterum de elect. in 6.* Et consensus ab electo infra mensem computandum à die habitæ notitiæ de electione, præstari debet, alioquin amittit jus ex tali electione sibi acquisitum; & Electores possunt ad aliam electionem procedere *c. cupientes.*

16 Confirmationem consecratio sequitur, quâ spirituale conjugium inter electum, & confirmatum, & ecclesiã consummatur, cùm ante consecrationem fuerit tantùm ratum, non consummatum; & confirmatus habuerit tantùm potestatem jurisdictionis, vi cujus potest aliquot exercere actus jurisdictionis, cùjusmodi sunt causas audire, cognoscere, delegare, judices constituere, absolvere, punire, anathemate pertinaces percuture, absolvere ab excommunicatione non reservata Pontifici, & alia hujusmodi, quæ pertinent ad potestatem jurisdictionis; & ad quæ exercenda tantùm requiritur jus in re, seu jus administrationis, quod beneficio confirmationis obtinetur. Per consecrationem, quâ conjugium spirituale antea ratum, consummatur, potestas acquiritur Ordinis, sita in eo, quòd Episcopus consecratus possit conferre Sacramentum confirmationis, Chrisma conficere, sacrare Oleum infirmorum, creare Clericos, & Sacerdotes, consecrare Virgines, ut etiam Templa, Sacella, Altaria, vestes, vasa Ecclesiæ inservientia, Clericos etiam è gradu dejicere, ut liquet *ex cap. Quamvis dist. 68.* & communiter docent Juris Canonici interpretes *in c. inter corporalia de translat.*

17 Electus igitur, & confirmatus ad Ecclesiam Cathedralem, seu Episcopatum necesse est intra tres menses consecretur numerandos à die confirmationis: quòd si intra id temporis negligat consecrationem suscipere, tenetur ad restitutionem fructuum; & si intra sex menses, adhuc non consecretur ipso jure privatur dignitate, nisi justo aliquo, & rationabili impedimento excusetur, ut statuit *Trident. sess. 23. de Reform. cap. 2.* Episcopus de Jure communi consecratur ab Archiepiscopo, vel ab alio, cui Archiepiscopus commiserit. Archiepiscopus ab omnibus suis suffraganeis *c. si Archiepiscopus 6. & c. seqq. de temp. Ordin.* Hodie tamen abrogato jure antiquo, tam confirmatio, quàm Consecratio Episcoporum soli Summo Pontifici est reservata, quæ in partibus solet delegari. Fit tamen ante consecrationem diligens inquisitio, & examen super persona consecranda, à qua exiguntur articulatæ promissiones de bona administratione, ac personali officii executione.

18 Consecratio Episcopi de jure antiquo fiebat à metropolitano, & comprovincialibus Episcopis, à quibus saltem per literas petebatur assensus *c. Episcopi ex Concilio Niceno.* Ex Aniceto *dist. 64.* ab Apostolis. Nunc de jure communi constitutum est, ut à tribus Episcopis consecretur

cap.

cap. porrò dist. 66. ex Anacleto. Quippe S. Jacobus Apostolus cognomento Iustus, ordinatus fuit à Petro, Joanne, & altero Jacobo; qui in re formam consecrandi Episcopos statuerunt, à Posteris, suisque successoribus servandam. Si dicas; Apostolos singulos per civitates Episcopos consecrâsse, & D. Paulum plerisq; in locis creasse Episcopos. Id verū est; & propterea quòd Episcopus debeat consecrari à tribus Episcopis non est de jure Divino, sed Ecclesiastico: proinde ante hoc jus in Ecclesia institutum potuit quisq; Apostolorum per se Episcopos ordinare. Fit autem consecratio die dominico, quando in choro cantatur hora tertia *cap. ult. dist. 17. & cap. 1. in Princip. dist. 7.* à tribus Episcopis de jure communi, adeò ut à minori numero peracta non videatur suum sortiri valorē *c. Archiepiscopus dist. 66. Barb. de Offic. & potest. Episcop. p. 5. tit. 1. c. 5.* quia tamen hic ternarius Episcoporum numerus non est de jure divino, cum non fuerit à Christo institutus, sed ab Apostolis determinatus, ideò est tantùm de jure Ecclesiastico, proinde ex causa potest Pontifex dispensare, ut consecratio fiat cum minori numero Episcoporum; imò & cum uno tantùm, assistentibus duobus Abbatibus, vel aliis in ecclesiastica dignitate constitutis. Si hæc consecratio extra Romanam curiam peragatur, ordinariè fit in illa cathedrali, cui consecrandus præficitur, si commodè fieri potest, vel saltem in eadem Provincia Trident. *sess. 23. c. 2.*

37 Præcedunt consecrationem Scrutinium, & preces ex *c. ordin. Episc. dist. 75.* Scrutinium in eo capite vocatur examen, quia debet is examinari, qui ordinatur Episcopus *dist. 23.* duo Episcopi supra caput illius, qui consecratur librum tenent Evangelii *c. Episc. dist. 23. & c. Ordinationes Episcoporum dist. 75.* manus imponunt, & unus illorum super eumdem infundit benedictionem *c. Episcopus dist. 23.* cæteri adstantes ejus caput suis tangunt manibus, quod sacro chrismate inungunt *cap. de sacra unctione.* His peractis Episcopus consecratus Ecclesiæ Romanæ, ejusque Pontificibus fidelem se esse jurejurando promittit, juxta formulam in *c. ego de jurejurand. & cap. significasti de Electione.* Censent Glossa Hugo, & alii in *c. Episcopus dist. 23.* hos tres Episcopos simul consecrare, & nullum per se solum; sicut cum tres homines junctis viribus aliquod pondus simul trahunt: sed communior, & verior sententia est, quòd unus tantùm consecret, & alii duo adjuvent consecrantem.

Hinc tamen oritur dubium, an si Episcopus
38 propria sua authoritate alium consecraret, talis consecratio haberetur rata, quamvis consecrans peccaret. Respondet Paludanus in libro de potestate Papæ, illum esse consecratum Episcopum, ac suscepisse potestatem ordinis, licèt ejus usu & potestate jurisdictionis sit privatus; quia ad substantiam, & essentiam consecrationis non pertinet, ut fit à tribus Episcopis, vel duobus; sed tantùm ut fit ab Episcopo consecratus, & cum hic consecret potestate ordinis, quæ ab eo nunquam deletur, neque potest deleri; ideò talis consecratio esset valida, quamvis non licita: & etiam si Episopus ita consecratus ordinaret clericum ipse peccaret, sed validè ordinaret, non licitè. Glossa tamen, & alii putant, talem consecrationem non sortituram suum valorem.

An verò summus Pontifex possit facultatem concedere, ut simplex sacerdos Episcopum consecret, Paludanus libro de Potestate Papæ respondet affirmativè, non tamen authoritativè, & potestate ordinaria, sed tantùm delegata, & demandata à summo Christi Vicario: huic sententiæ videtur Capreolus adhærere. Sed oppositum mihi videtur verum, quia Apostolus ad Hebræos *c. 7.* scribit, majorem à minori non benedici; & Episcopus jure divino est major simplici sacerdote, proinde non potest ab hoc consecrari: neque potest summus Pontifex delegare hanc facultatem consecrandi Episcopum simplici sacerdoti; quia Episcopus jure divino est superior presbytero; & habet potestatem ordinis, quâ ratione nec Diaconus potest consecrare presbyterum. An verò unus sacerdos potestate delegata, sibique demandata à Summo Pontifice possit ordinare diaconum sacerdotem affirmat Glossa *in c. manus de consecrat. dist. 5. & cap. pervenit dist. 95.* ubi docet, potestate delegata à Sumo Pontifice, posse quemlibet illud sacramentū alteri conferre, quod in se habet, adeo ut Presbyter Presbyterum, Diaconus Diaconū; subdiaconus subdiaconum possit ordinare, & Clericus minoribus initiatus alium in eodem ordine; & hanc sententiam Innocentius, & alii videntur approbare in *c. quanto de consuetudine.* Sed D. Thomas *in 4. dist. 25. quæst. 1. art. ad tertium* docet, summum Pontificem ob plenitudinem potestatis posse committere non Episcopo pertinentia ad Episcopalem dignitatem, dummodo illa non habeant immediatam relationem ad corpus Christi verum; unde in sententia D. Thomæ simplex sacerdos potestate sibi à Sumo Pontifice delegata potest sacramentum Confirmationis conferre, ut etiam ordines minores, & alia id genus, quæ imediatè non referuntur ad corpus Christi verum; non verò conferre ordines sacros, cum hi habeant immediatam relationem ad corpus Christi, supra quod Papa non habet majorem potestatem, quàm simplex sacerdos, ut ait D. Thomas *loc. cit.* 39

Cæterùm in consecratione Episcopi non est de essentia, ut Episcopi teneant codicem Evangelii super caput illius, qui consecratur, ut docent communiter juris Pontificii periti, asserentes id esse tantùm præceptum juris canonici Glossa *in cap. Episcopus dist. 23.* Neque est de essentia, ut consecratio fiat die dominica, hora tertia, & re divina facta; quia hæc omnia sunt tantùm ex præcepto juris canonici, ut habetur *in cap. ordinationes Episcoporum dist. 75. & c. quod sicut super eo de electione.* 40

Ex vi consecrationis confertur potestas ordinis, estque de jure divino, & per hanc potestatem Episcopus consecratus conficit Chrisma, consecrat oleum infirmorum, confert sacramentum Confirmationis, Clericos creat, sacerdotes, Episcopos consecrat, quæ omnia illi conveniunt ex Christi institutione, & authori- 41

ritate, proinde sunt de jure divino. Reliqua se tenentia ex eadem potestate ordinis, cujusmodi sunt consecrare altaria, ecclesias, vestes, calices, moniales; pertinent tantùm de jure canonico ad Episcopum, quatenus ecclesia hæc munia solis Episcopis reservavit. Oritur tamen dubium quando Pontifex possit delegare simplici sacerdoti potestatem conferendi sacramentum Confirmationis, & ordines minores, si hæc de jure divino sint annexa potestati ordinis Episcopalis? Respondetur de jure divino factum esse, ut Episcopus sit illorum minister ordinarius, & ratione characteris episcopalis; hoc tamen non obstat, quò minus possit simplex sacerdos esse minister delegatus ex mandato summi Pontificis illorum, quæ licèt pertineant de jure divino ad potestatem ordinis Episcopalis, non tamen dicunt immediatam relationem ad verum Christi corpus, cujusmodi sunt conferre ordines minores, & sacramentum Confirmationis. Neque per hanc potestatem delegatam summus Pontifex mutat jus divinum, vel Christi institutionem, nec facit ut simplex sacerdos sit eorum ordinarius minister; tunc enim Christi institutio mutaretur: sed tantùm facit ut Presbyter sit minister delegatus, quod Christus non prohibuit. Non tamen inde sequitur, quòd Diaconus potestate itidem delegata possit consecrare hostiam: est enim dispar ratio, quia Diaconus non habet characterem Presbyteri: Secus in Presbytero est idem character ac in Episcopo, licèt non eadem potestas ordinaria. Tum quia ex traditione, & usu Ecclesiæ liquet, posse simplicem sacerdotem potestate sibi à summo Pontifice delegata aliqua, quæ sunt in Episcopo de potestate ordinis.

42 Quid verò dicendum sit de illo, qui cum nondum sacerdos sit, consecratur Episcopus, an is potestatem suscipiat Episcopalem? non conveniunt cum Juris Pontificii peritis Theologi; illi siquidem docent, ordinem sacerdotalem requiri in Episcopo ex præcepto juris canonici; non verò juris divini; proinde si subdiaconus consecraretur Episcopus, potestatem ordinis validè susciperet, quamvis non licitè, essetque verus Episcopus; ita censent Hostiens. Andreas, Abbas, Geminianus, & alii Canonistæ fundati partim *in c. de Clerico per saltum promoto*, partim in *c. ex litteris de excessu Prælator.* Ex eo itidem inferunt, quia si quis ante Diaconatum consecraretur sacerdos esset verus Presbyter, ac potestatem consequeretur sacerdotalem: ergo etiam si Diaconus consecraretur Episcopus, verè fieret Episcopus; quia ordines Ecclesiastici sunt inter se distincti; & tantùm de præcepto juris canonici ordo superior exigit immediatè inferiorem; unde cùm id non sit de jure divino, non sacerdos consecratus Episcopus

43 verè esset Episcopus.

Probabilior tamen est sententia Theologorum docentium, Diaconum consecratum Episcopum non fore Episcopum, neque suscepturum potestatem Ordinis, & consecrationem suum non sortituram effectum, ita docent Scotus, Richardus, Paludanus, Sotus, imò & Glossa in *c. 1. de clerico per saltum promoto*, & *c. sollicitudo dist. 54* quia Episcopus est sacerdos, non utcunque, sed perfectus; & character Episcopalis est idem character sacerdotalis, sed magis extensus, ac amplior, & perfectior; at qui non potest quidquam intra aliquem ordinem perfici, quin præsupponatur in eodem ordine existens, alioquin non perficeretur in illo. Nec ullum facessit negotium, quod potestas ordinis in Episcopo distinguatur à sacerdotio, quod esse potest absque potestate Episcopalis ordinis, quia licèt id verum sit; distinguuntur tamen ut plus & minus intra eundem ordinem: ut in numeris licèt ternarius possit esse sine senario; non ita senarius sine ternario; quia numerus senarius exigit necessariò ternarium, ex quo coalescit: calidum ut duo potest existere sine calido ut quatuor; non ita calidum ut quatuor sine duobus gradibus caloris, quos essentialiter includit: ita cùm ordo episcopalis & sacerdotalis differant sicut perfectum, & minus perfectum, quod locum non habet in cæteris ordinibus; nequit ordo Episcopalis existere sine sacerdotali, quamvis hic esse possit sine illo.

Dubitari tamen solet, an potestas Ordinis possit à Summo Pontifice Episcopo adimi; ita ut irritum sit, ac inane, si hac potestate Ordinis à Summo Pontifice abrogata Sacramenta Ordinis, & Confirmationis ministret. Plures Juris Pontificii interpretes asserunt, posse summum Pontificem hanc Ordinis potestatem adimere, adeò ut non valeat is Sacramenta Ordinis, & Confirmationis validè conferre; ita censent Abbas, Innocentius, & alii *in c. quanto de consuetud.* Verùm huic sententiæ minimè adhærendum est, quia potestas Ordinis Episcopis adimi non potest; quia datur per consecrationem, & est Juris divini; perinde ac non potest character semel impressus ampliùs deleri; neque Pontifex habet jus in ea, quæ sunt Juris divini, in ordine ad illa abroganda, licèt possit ab exercitio suspendere: Sicut neque potest simplici sacerdoti adimere potestatem consecrandi, & conficiendi corpus Christi. Potestas Ordinis in Episcopo includit aliqua, quæ sunt de Jure divino, ut conficere Chrisma, conferre Sacramenta Ordinis, & Confirmationis; & alia, quæ tantùm sunt de Jure Ecclesiastico, & Canonico, ut consecrare Ecclesias, Altaria, Calices, vestes, virgines, quæ ab Ecclesia reservantur Episcopis; hæc ultima potest Summus Pontifex illis adimere; non priora, quæ de jure divino sunt annexa potestati Ordinis in Episcopo. Potest solùm Summus Pontifex prohibere Episcopis, ne illa Sacramenta ministrent, & exerceant, ac interdicere eorum usum; sed si tunc Episcopi sacramentum aliquod, quamvis peccent, conferant, ratum tamen, ac firmum est Sacramentum. 44

§. IX.

§. IX.

Proponuntur, ac diluuntur aliquot selectæ quæstiones.

1 QUæritur primò, an si legitimè Electus impediatur, quo minus à superiore confirmationem consequatur, possit pretio redimere injustam vexationem. In hoc dubio procedendum est cum distinctione. Vel enim qui injustè vexat, potest electioni prodesse, & tunc censent plures, non esse licitum, eam pretio redimere; quia tunc exhibitio pecuniæ non solùm tenderet ad removendam vexationem; verùm etiam ad viam sternendam ad ipsam confirmationem; quia ad hunc finem electus pecunias exhibet, ut remoto obice confirmetur; quod est pecuniâ viam sibi ad confirmationem parare. Vel qui injustè vexat non potest prodesse, quia ad ipsum non pertineat confirmare electum, & tunc licitum est electo pecuniâ redimere injustam vexationem; ita docent Layman. *lib. 4. tract. 10. c. ult.* §. 2. *nu.* 22. Suarez. *tom. 1. de Relig. lib. 4. de Simonia cap. 50. nu. 8.* Sanchez *lib. 2. Consil. moral. cap. 3. dub. 30. nu. 10.* Quia si confirmatio non pertineat ad vexantem, tunc exhibere pecuniam pro impedienda vexatione, est tantùm redimere vexationem injustam, quæ cùm non sit quid spirituale, ejus pretium non redolet Simoniam; & rursus talis redemptio est justa, cùm spectet ad propriam defensionem: ergo tunc licitum est, injustam vexationem pretio redimere. Imò Pasqualigus *decis. 235. de Elect. num. 3.* docet: esse licitum pretio redimere vexationem injustam, etiam quando hæc ab eo procedit, qui potest prodesse confirmationi; quia tunc pecunia non datur pro obtinenda confirmatione, sed pro removenda injusta vexatione, & ad constituendum confirmatorem in debita æqualitate, quam debet habere; adeout talis actus habeat pro objecto honestum, seu debitam æqualitatem in confirmatore, & cum actus suam ab objecto hauriat speciem, nulli dubium, quin talis actus tendens ad ponendam in confirmatore debitam æqualitatem sit honestus.

2 Verùm licèt doctrina Pasqualigi procedat speculativè; non ita in praxi; quia in foro externo dans pecunias confirmatori, à quo postea confirmatur in dignitate, ad quam fuerat electus præsumitur exhibuisse pecunias pro obtinenda confirmatione, quia hâc non extante electus non dedisset pecunias confirmatori, etiamsi molestus esset, ac vexaret; unde in foro externo præsumitur dedisse pecunias ea intentione, ut obtineret confirmationem; speculativè tamen potest præscindi à confirmatione; & tantùm intendi remotio vexationis injustæ, & positio debitæ æqualitatis in confirmatore; adeout detur pretium non in ordine ad confirmationem per ipsum obtinendam; sed præcisè ut medium ad removendam injustam vexationem, & ponendam debitam æqualitatem in confirmatore, ut hic procedat sicut de jure debet.

Quæritur secundò, an electus possit licitè pretio redimere injustam vexationem, quâ impeditur à possessione beneficii, ad quod per electionem jus habet? Respondetur; quod si vexatio sit per molestiam illatam à persona privata, ad quam non pertinet admittere ad possessionem electum, ut si is detineatur violenter in aliquo loco, ne possit adire superiorem pro obtinenda possessione, omnes concedunt, posse tunc Electum pretio redimere talem vexationem, & exhibere pecunias ut illi permittatur libertas, & posse à tali loco exire, ac se conferre ad superiorem; quia tunc vexatio est impedimentum merè temporale, seu violenta detentio in tali loco. Sin autem vexatio sit ab ipso superiore, ad quem pertinet admittere ad actum possessorium, vel ab alio, qui vexet apud superiorem, ac impediat, ne electo conferatur possessio, si vexatio sit juris, non facti, ac tendat ad juridicè impediendam possessionem; tunc censent plures Juris Pontificii Interpretes cum Glossa in *c. decimas 16. quæst. 7.* non esse licitum pretio redimere talem vexationem. Moventur hâc ratione, quia possessio, vel est quid spirituale, cum per ipsam detur jus spirituale administrandi officium; vel est connexa cum re spirituali, seu administratione officii. Quoties autem duo sunt inter se ita connexa, ut unum trahat aliud necessariò, intendens unum, intendit etiam saltem implicitè aliud; & possessio nectitur essentialiter cum administratione officii, quæ est res spiritualis; unde dans pecunias pro possessione officii illius, dat saltem implicitè pro re spirituali. 3

Oppositam tamen sententiam, seu posse ab Electo redimi vexationem obstantem possessioni docent communius Theologi Ledesma *2. part. summ. tract. 12. conclus. 26.* & *23.* Vega *part. 2. summ. cap. 101. cas. 19.* Major *in 4. dist. 25. quæst. 5. ad 2.* Suarez *tom. de Relig. lib. 4. de Simonia cap. 50. num. 31.* Pasqualigus *decis. 243. de Elect.* Lessius *lib. 2. de justitia, & jure cap. 35. dub. 18.* Layman. *lib. 4. Theolog. Moral. tract. 10. cap. ult. num. 22.* Sanchez *lib. 2. opuscul. cap. 4. dub. 30. num. 11.* Hæc sententia est valdè probabilis, nititurque authoritate D. Thomæ 2.2. *quæst. 100. art. 2. ad 5.* ubi docet: acquisito jure licitum esse, vexationem redimere, ne illud impediatur. Ratio id etiam suadet, quia compensare pretio quod est tantùm temporale, ac pretio æstimabile, non est Simonia, præsertim si temporale non trahit secum spirituale, quod principaliori modo se habeat, ut contingit in beneficio, in quo jus spirituale est principalius, & nectitur cum temporali: atqui pretio redimere injustam vexationem, quâ elector impeditur à possessione beneficii, est quid me- 4

rè temporale, cui non nectitur spirituale: siquidem possessio est quid merè temporale importans tantùm factum corporale, quo res possidenda suo consignatur possessori: neque actus possessorius in spiritualibus secundùm se differt à possessione, quæ in civilibus acquiritur; est enim utrinque idem actus; & tota possessio habetur solùm ratione tituli, qui licèt sit spiritualis, non tamen vexatio est circa titulum, sed circa solam cessationem à vexatione versante circa possessionem; titulus enim, & jus acquiritur per electionem, proinde jus quod est spirituale supponitur jam plenè acquisitum per ipsam electionem. Quòd possessioni necsit annexum quidquam spirituale ex eo liquet, quia ipsa administratio officii, quæ spiritualis est, non est connexa possessioni, ut quid consequens ad ipsam; siquidem administratio per se consequitur ad titulum, & jus acquisitum per ipsam electionem, adeo ut possessio se tantùm habeat, ut conditio, sine qua jus acquisitum non exercetur in administratione officii; & hinc patet solutio ad fundamentum, quo nititur opposita sententia. Præterea ipsa vexatio, quæ pretio redimitur est quid distinctum à possessione, & electus posset eâ intentione dare pretium, ut adversarius cesset ab ipsa sola vexatione, quæ cum sit quid temporale, illa pretii solutio non esset Simonia; nec quid illicitum, quia electus utitur jure suo naturalis defensionis, si mediante pecunia propulsat vexationem, & non intendat subjicere contractui ipsam possessionem, si hæc esset spiritualis, sed tantùm tollere impedimentum; ut res restituatur in eo statu, in quo esset si vexatio non adesset, & electus nil impenderet pro possessione acquirenda. Hæc rectè procedunt speculativè; in praxi enim elector præsumeretur solvere pretium danti possessionem, & vexanti pro ipsa possessione acquirenda.

5 Quæritur tertiò, an si jus acquisitum ad possessionem per electionem sit dubium, licitum etiam sit pretio redimere vexationem contra possessionem? Respondetur, quòd si vexatio non sit contra jus dubium; sed contra ipsam possessionem, potest pretio redimi absque nota Simoniæ; quia possessio sola per se, & ut præcisa à jure, est quid purè temporale; & solvere pretium pro ipsa; est pecunias dare pro re temporali; Præterea non solveretur pretium pro ipsa possessione, sed pro redimenda vexatione, quæ itidem est quid temporale distinctum à possessione; & id ad propulsandam molestiam in propriam defensionem, quod consonum est juri naturæ. Neq; possessio trahit secum jus spirituale quod corroboret; quia possessio non ponit, sed supponit jus acquisitum, à quo dependet, perinde ac effectus à sua causa; & sicut effectus non dicitur corroborare suam causam; ita nec possessio jus acquisitum beneficio electionis. Quòd si vexatio sit contra ipsum jus; eò quia sit dubium: tunc censerem non esse licitum pretio vexationem redimere, quia hoc jus supponitur spirituale, ac imbecille quia dubium; & per solutionem pecuniæ corroboraretur, ac tolleretur dubietas infirmans jus, quod per inde est, ac solvere temporale pro re spirituali, seu pro corroborando jure dubio spirituali, quod non caret Simoniâ. Neque obstat, si dicas, in dubiis esse meliorem conditionem possidentis; proinde posse electum jus illud tanquam aliquod proprium sui ipsius defendere: Quia electus non est in certi; ac pleni juris possessione; sed tantùm incerti, ac dubii; proinde cùm non sit in possessione juris certi, per solutam pecuniam sibi compararet jus spirituale certum, & carens dubio, quod Simoniam redolet; etenim ante solutam pecuniam elector non erat in possessione juris certi, sed dubii; & per solutam pecuniam acquiris jus certum, quod antea non habebat; & quia hoc jus ut certum est aliquid spirituale, ideo daretur temporale pro spirituali, quod est formalis Simonia. 6

Quæritur quartò, an si electus vexetur in possessione acquisita virtute electionis, aut ab ipsa deturbetur, possit pretio vexationem redimere? Respondetur affirmativè cum Glossa *in cap. dilectus 1. de Simonia* Felino ibidem, & pluribus aliis Juris Canonici interpretibus. Quia semel quòd electus beneficio electionis acquisivit jus ad beneficium; & per confirmationem, & possessionem jus in beneficio; tota vexatio quæ est per deturbationem possessionis jam acquisitæ est vera violentia contra pacificam possessionem; neque vexatio tollit quidquam spirituale, quod pretio redimatur: quia vexans supponitur non habere facultatem, neque authoritatem auferendi aliquid spirituale; unde cum redemptio vexationis ordinaretur ad merum temporale, non redoleret Simoniam: quia cùm totum spirituale fuerit semper in vexato, nihil hic dedit in redimenda vexatione pro spirituali, quia nihil spirituale de novo acquirit, quod antea non habuerit; nec quidquam spirituale per vexationem amisit, quod postea pretio redimeret. Hinc etiam Theologi communiter cum D. Thoma 2.2. *quæst. 700. art. 1. ad 6.* docent, quòd acquisito pleno jure licitum sit vexationem redimere. 7

Quæritur quintò, an dignitas Episcopalis sit de jure divino? Si hæc dignitas sumatur, ut determinatè alligata huic, vel illi personæ, & loco, seu ecclesiæ est de jure ecclesiastico, & Pontificio, quia ad summum Pontificem pertinet eligere personas idoneas tanto muneri exercendo, & statuere loca, in quibus debeant Episcopi residere. Sin vero dignitas Episcopalis sumatur veluti genericè, & quoad suam institutionem est procul dubio de jure divino; adeout Episcopi sint de Jure divino instituti, estque communis sententia juris canonici Interpretum, & Theologorum; quia Christus, non Ecclesia instituit Episcopos

pos, qui in Apostolis Episcopos successores elegit, & creavit. Hinc summus Pontifex non potest in ecclesia omnes Episcopos, & ordinem Episcopalem delere ; unde Sotus *in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 4.* ait: cave ne subinde hinc elicias, Episcopos, & Presbyteros esse de jure positivo, sunt enim de jure divino : unde Papa facere nequit, ut nulli sint in ecclesia Episcopi, aut sacerdotes, quia illos Christus instituit; & quæ sunt de jure divino non possunt humana potestate immutari.

8 An verò præter dignitatem etiam potestas Episcopalis sit de jure divino? Respondetur, hanc potestatem bipartiri in potestatem ordinis, & jurisdictionis ; & illam continere plura quæ sunt de jure divino, ut conficere Chrisma ; & oleum pro ungendis infirmis, creare, & consecrare sacerdotes , ministrare sacramentum confirmationis, quæ omnia de jure divino sunt adnexa potestati ordinis Episcopalis ; alia tantùm de jure humano Pontificio eidem nectuntur potestati, ut consecrare ecclesias, altaria, calices, vestes inservientes altari, ac virgines : hæc enim ecclesia solis reservavit Episcopis. Hinc potestas ordinis quoad priora recensita non solùm est à Christo Domino instituta ; Sed etiam accipitur per consecrationem, quâ Episcopus consecratur ; adeout hæc potestas ordinis imediatè accipiatur à Christo, qui ut actor principalis illam confert per consecrationem , quâ Episcopus consecratur mediante Ecclesia, ut Christi Administra , adeout Christus sit principalis actor immediatus ac principalis : quia ecclesia non consecrat Episcopos, ut causa principalis, sed ut ministra, quæ non tollit immediationem principalis : Ecclesia sicut sacramenta non instituit, ita neque materiam, neque formam , neque ministros ordinarios eorundem , proinde neque potestatem ea conferendi, licèt ministerio ecclesiæ sacramentorum ministri ordinentur, ac consecrentur ; quia in hisce consecrandis Christus est semper principalis actor, & ecclesia Christi administra.

9 Quod verò ad potestatem jurisdictionis attinet, quamvis hæc sit spiritualis, sacra, ac divina, seu à Christo instituta ; nihilominus non est essentialiter annexa ipsi consecrationi, sicut potestas ordinis, & datur Episcopis à Romano Pontifice ut Christi Vicario, & S. Petri successore, adeout tota jurisdictio, quæ inest inferioribus Prælatis, vel Episcopis dimanet, ac dependeat à summo Pontifice. Hoc est discrimen inter jurisdictionem summi Pontificis, & aliorum ; quòd illa sit universalis in totam ecclesiam, & divini juris à Christo instituta , & immediatè accepta ; inferioribus verò Prælatis est à Romano Pontifice, ut Christi Vicario, & primo totius ecclesiæ catholicæ Pastore, ad quem pertinet omnis jurisdictio totius ecclesiæ catholicæ , consequenter etiam omnium ecclesiarum ; hinc summus Pontifex jurisdictionem quam habet communicat inferioribus prælatis, & Episcopis, qui propterea habent potestatem jurisdictionis dependenter à summo Pontifice , eam immediatè principaliter communicante. Hinc est quod nulla humana potestas possit abrogare , aut ex parte minuere , restringere , aut variare jurisdictionem summi Pontificis : Secus summus Pontifex potest tollere , minuere , variare jurisdictionem inferiorum Prælatorum.

Si dicas, Christum instituisse, ac creâsse Apostolos, & istos postea suos successores; postea Ecclesias suis viduatas Episcopis proprios elegisse pastores ; proinde Episcopos fuisse à Christo institutos, ac esse de jure divino. Respondetur , Christum instituisse, ac creâsse Apostolos, & Episcopos, quia ipse fuit author ecclesiæ ; & hanc facultatem dedisse S. Petro ut sui Vicario , qui propterea potestate ordinaria creat , ac instituit Episcopos, ut Christus instituit Apostolos Episcopos ; & licèt Apostoli instituerint Episcopos suos successores, & S. Paulus Titum , & Timotheum ; id præstiterunt potestate delegata sibi à Christo , non ordinaria : unde fuit speciale privilegium ipsis à Christo concessum ; & virtute hujus privilegii ; seu potestatis delegatæ, Apostoli instituerunt Episcopos suos successores ; & illud privilegium cum fuerit personale cum ipsis desiit ; at potestas ordinaria instituendi Episcopos est annexa dignitati Vicarii Christi, nec fuit privilegium personale , sed quod perpetuò in Ecclesia erat mansurum in Christi Vicario. Et quamvis jurisdictio in Episcopis dicatur esse ordinaria, fuit tamen ipsis delegata à summo Pontifice, à quo habetur , ac dependet. Præterea quævis potestas à Christo collata Apostolis fuit subordinata D. Petro ut capiti totius ecclesiæ. Unde jurisdictio à Romano Pontifice in Episcopos derivatur. 10

Neq; obstat quòd *Actor. 20.* Paulus loquens ad Episcopos , & Presbyteros Ephesinos , dicat : Attendite vobis , & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere ecclesiam Dei : quia Episcopi dicuntur constituti , & positi à Spiritu Sancto non simpliciter , & solitariè , sed per interpositam Romani Pontificis personam , à qua proximè accipiunt jurisdictionem ; & Episcopi, quos alloquebatur D. Paulus, erant quidem à Spiritu S. positi, non tamen immediatè, & proximè; sed per ipsos Apostolos, à quibus acceperunt jurisdictionem. Tum quia quod ecclesia facit hoc idem dicitur Spiritus S. facere, non proximè , sed per interpositam ecclesiam ; quæ in conciliis quando condit canones dicit : *visum est nobis, & Spiritui Sancto*, licèt non omnes canones dicantur esse de jure divino , nec esse proximè à Spiritu Sancto , sed tantùm mediante interpositione Ecclesiæ. Præterea etiam Spiritus Sanctus promittitur à Domino doctorus ecclesiam omnem veritatem , non tamen immediatè, & proximè, sed per interpositos ejusdem ecclesiæ doctores , & Antistites. 11

Si urgeas , inde sequi, potestatem ordinis , perinde ac potestatem jurisdictionis esse à Romano Pontifice , eò quia omnes Epi- 12

scopi nunc ordinentur, ac consecrentur ab ecclesia, & non proximè à Deo. Contra est quia ut docet D. Thomas 2. 2. *quaest. 39. art. 3.* potestas ordinis datur per ipsam consecrationem, cujus principalis Actor est Deus, & Ecclesia tantùm administra: at jurisdictio datur per simplicem hominis electionem sine ordinatione, & consecratione; adeout Episcopus antequam consacretur habeat jurisdictionem, non its potestatem ordinis, quam tantùm accipit ab ipsa consecratione, cui de jure divino essentialiter nectitur. Hinc potestas ordinis habetur proximè, & immediatè à DEO, quia quando datur Episcopo interponitur inter Deum, & Episcopum ipsa consecratio, ut quoddam instrumentum, quo DEUS confert potestatem ordinis. Episcopus consecrans tantùm interponitur ut minister, per quem tanquam DEI instrumentum ponitur consecratio, & simul cum ipsa confertur potestas ordinis, cujus DEUS est semper causa principalis proxima, & immediata, cujus Episcopus consecrans est tantùm minister; hinc potestas ordinis non potest minui, tolli, nec immutari. Secus quando Episcopus accipit potestatem jurisdictionis, inter DEUM, & Episcopum interponitur Romanus Pontifex, in quo est tota ecclesiastica jurisdictio, quæ aliis communicatur Episcopis; adeout Romanus Pontifex sit causa principalis secundæ hujus communicationis, quæ non fit per ordinationem; nec consecrationem ut DEI instrumentum; sed per interpositionem Romani Pontificis, qui immediatè accepit à DEO potestatem jurisdictionis, ut communicandam ex parte cum cæteris ecclesiæ ministris.

12 Si dicas, Apostolos, Episcopos elegisse, & postea Clerum, & populum sine Romano Pontifice Episcopos in propriis ecclesiis elegisse; proinde Episcopos non habere potestatem jurisdictionis à Pontifice Romano, sed illam acquirere unà cum dignitate Episcopali, eò quia officium Episcopi ex sua natura exigat jurisdictionem, quam exercuerunt Episcopi electi à Clero & populo. Contra est, quia illa Cleri & populi electio fiebat ex tacito, vel expresso consensu Romani Pontificis, qui electos Episcopos confirmabat, & tunc iisdem conferebat potestatem jurisdictionis; ac postea permittebat eos consecrari; & accipiebant potestatem ordinis adnexam consecrationi; Unde jurisdictio semper fuit communicata à Romano Pontifice cæteris inferioribus Prælatis; quibus propterea posset, si vellet, eam adimere, vel coercere; non ita potestatem ordinis quoad ea quæ sunt de jure divino. Neque potest facere Pontifex ut nulli sint Episcopi, quia mandatum habet à Christo, ut in partem suæ curæ Episcopos creet. Tum quia in Ecclesia est de jure Divino Hierarchia constans ex Episcopis, Presbyteris, & ministris, ut asserit Concil. Tridentinum *sess. 23. c. 6.*

Quæritur sextò quomodo in promotis ad Episcopatum vacent beneficia priùs obtenta ipso jure, ut collator possit liberè ea conferre? Respondetur: vacare hujusmodi beneficia post consecrationem, vel tempore consecrationis præfixo, & elapso *c. cum in cunctis 7. §. cùm verò, & ibi Glossa h. t.* de Stylo autem curiæ beneficia statim vacant tempore promotionis, seu translationis; si tamen Pontifex in promotione, vel translatione consistorialiter decernat beneficia statim tunc vacare; alioquin inhærendum est juri communi, & notat Garcias *de beneficiis part. 11. c. 6. num. 5. 7. 14* Sunt autem beneficia, quæ promoti per summum Pontificem ad Episcopatum tempore promotionis obtinent reservata, *in extravag. ad Regimen. de Præb.* innovata *in Regul. cancellariæ.* quòd si promoto esset dispensatum, quòd non teneretur consecrari intra annum, tunc beneficia non vacarent, tametsi dispensatio concessa esset ad instantiam partis, quia cum tunc non sit in mora, neque negligentia, non potest illi imputari. Garcias *loc. cit. num. 14.* & alii. 13

§. X.

De Electione summi Pontificis, Imperatoris, & Prælatorum Regularium.

Formam electionis summi Pontificis esse de jure Ecclesiastico liquet *ex cap. licet 6. h. t.* ac pluribus aliis summorum Pontificum constitutionibus, quibus optimo modo providerunt Ecclesiæ circa futuri Pontificis electionem, formam, & modum immutantes. Non enim Christus ullam specialem instituit formam servandam in electione summi Pontificis; Deus enim misit filium suum unigenitum JEsum Christum, ut fieret homo, ac redimeret humanum genus, fundaretque in terris militantem ecclesiam, cujus ipse foret caput. Christus sui in Ecclesia Vicarium instituit D. Petrum, & hic successorem sibi elegit Clementem de Monte Cœlio, qui præ modestia volvit Linum, deinde Cletum sibi præferri, adeout quarto loco post Petrum habuerit Pontificatum. 1

Bonifacius II. postea decrevit, ne Pontifex posset sibi successorem eligere, & Pontificem intra triduum esse eligendum post mortem prædecessoris. Visa fuit hæc prohibitio eligendi sibi successorem necessaria, & consona juri naturæ, ne grave damnum ex indignorum electione obtingeret ecclesiæ. Unde Pontifex potest tantùm designare, quem putaverit dignum, vel deliberare cum Cardinalibus de suo successore, salva semper, ac integrâ Cardinalium libertate: ut etiam pro bono Ecclesiæ statuere de modo, & forma electionis, prout plures Canones concedunt. 2

Post

Post constitutionem Bonifacii II. electio Pontificis facta fuit à Clero, & aliis ordinatis in urbe usque ad Sylvestrum Papam. Pontifices enim creabant Episcopos, Presbyteros, & Diaconos; alii minores Ordines fuerunt distincti per Cajum, qui fuit XXVII. Papa, sic continuatum fuit usque ad Sylvestrum, qui ordine fuit Papa XXXIII. cui Constantinus donavit urbem, Italiam, ac plures Provincias, ut tanquam Christi Vicarius regnaret in militante Ecclesia debito splendore, ac decore, ut est moris inter homines.

4 Quia verò Principes Laici se immiscebant electioni Summi Pontificis, non absque gravissimo Ecclesiæ damno, ob frequens Schisma, quo Ecclesia dilacerabatur scisso Templi velo, Adrianus II. decrevit, ne Laici imposterum se ingererent Pontificis electioni *73. dist. c. Adrianus II.* Fuit hæc constitutio edita anno reparatæ Salutis 869. Adrianus III. postea statuit ad Clerum Romanum pertinere Pontificis electionem non expectata posthac authoritate Imperatoris. Et quamvis ad præcavenda scandala moris esset, ut Legati Imperatoris interessent electioni Papæ *c. quia Sancta 63. dist.* Nec tamen hoc jus induceretur continuatum; absq; Principum Legatis plures fuerunt Pontificum electiones celebratæ *cap. cum Adrianus 63. dist.* Quinimo Henricus I. & Otho I. expresse huic juri renunciarunt, ut liquet *ex cap. Constitutio eadem dist.*

5 Quia Pontificis electio facta à Clero plura adhuc secum trahebat incommoda Nicolaus Papa II. sanxit anno Christi septuagesimo nono supra millesimum, electionem Papæ ad solos pertinere Cardinales, ut liquet *23. dist. c. in nomine Domini*. adeo ut electio Papæ pertineat ad Cardinales non solùm post mortem naturalem Pontificis; sed etiam in casu privationis, ac mortis civilis, etiam vigente, ac aperto Concilio generali: non enim hæc electio pertinet ad Concilium, sed ad solos Cardinales *79. dist. per totum*; ubi statuitur, quòd Papa eligatur à Cardinalibus; & in Concilio celebrato à Stephano Papa habetur, quòd Papa unanimi Sedis Apostolicæ consensu debeat eligi ex Cardinalibus *c. oportebat 79. dist.* & si alius non Cardinalis eligeretur violaretur textus Juris Canonici. Franc. *in cap. ubi periculum nu. 11. de elect. in 6.* Quòd si ex Collegio Cardinalium idoneus non reperiretur, posset eligi non Cardinalis, *cap. in nomine Domini 23. dist.* Vivente tamen Pontifice non potest quisquam eo in consulto tractatum instituere de successore, neque suffragia promittere, neque subscriptiones accommodare, aliàs privaretur dignitate, & communione *c. si quis Papa 79. dist.*

6 Quia igitur statutum est, ut electio fiat per solos Cardinales debet fieri per duas partes ex tribus Cardinales concordes, alioquin electio nulla foret *c. licet vitanda de elect.* Idque est speciale in electione Romani Pontificis, quia recursus ad superiorem non potest haberi, cum Pontifex non habeat in terris superiorem. Quòd si electio fieret à minore parte duarum partium ex tribus, cui accederent plures ex aliis partibus, & essent duæ tertiæ, electio valeret *d. c. licet, circa fin. vers. nisi major. concordia de elect.* adeo ut etiam ille, qui eligitur computetur inter facientes duas partes ex tribus, quia potest accedere aliis, & augere numerum, Decius *d. c. licet in ver. à duabus partibus de elect.* cui adhæret Innoc. *ibi. in princ.* quia electus computatur inter repræsentantes duas partes Capituli. Ideo in electione, quæ fit per majorem partem non potest quis accedere ad se ipsum, quia non potest se ipsum eligere; sed in electione Papæ, in qua requiruntur duæ partes ex tribus, potest accedere, quia computatur inter duas partes Dec. *in d. c. licet ver. 43. de elect.* in casu tamen necessitatis valeret electio facta à minori parte, quàm sint duæ ex tribus; ita Glossa *d. c. licet in ver. à duabus de elect.* Vel nisi Cardinales renunciarent huic constitutioni *d. c. licet* ut ibi *Glossa in ver. à duabus partibus de elect.* Quòd verò non possint renuntiare tenet Hostiens. *in d. c. licet col. 6. in princip. ver. nisi Cardinales.*

Possunt Cardinales statuere, ut electio Papæ facta à majore parte Cardinalium valeat Franc. Marc. *decis. 934. num. 10.* Et ita observari asserit Abbas *cons. 25. ver. Quoniam col. fin. n. 4. lib. 2.* Quia adigendi sunt concordare, si discordarent Gloss. *in d. c. licet in ver. Nullatenus.* & ait ita fuisse servatum in electione Honorii III. apud Perusium, & post mortem Gregorii IX. in electione Cælestini, & in electione Innocentii IV. Quocunque autem modo sufficit, si duæ partes ex tribus concordent, sive per scrutinium, sive per compromissum, sive per nominationem ad Papatum, Hostiens. *d. c. licet col. 2. ver. hac autem de elect.* Cæterùm ita duæ partes requiruntur in electione Papæ, ut si aliquis à minore parte eligatur, facta alia electione alterius à duabus partibus ex tribus, tam electus, quàm eligentes sint excommunicati, ut habetur *in d. c. licet de Elect.* Imò etiam, si electio fieret à minori numero, quàm essent duæ partes ex tribus, quia licèt alius non eligatur, nihilominus si electus à minori parte assentiatur electioni de se factæ est excommunicatus unà cum eligentibus. Sin autem electus à minori parte duarum partium non acceptet, neque se gerat, ut Pontifex, non incurrit pœna, neque eligentes; & accedentes, usque ad numerum sufficientem sanant electionem, Innocen. *d. c. licet de elect. in ver. si quis autem.* Sin autem electus à minori parte, quàm duabus ex tribus acceptasset, accessio aliorum in favorem electi illi non prodesset, & tam electus, quàm eligentes forent excommunicati Hostien. *d. c. licet col. 2. ver. quid.* 7

Ad formam igitur quod attinet, quæque in electione Summi Pontificis adhibenda est, servanda esset forma præscripta *in d. c. licet* ex Concilio Lateranensi, ubi statuitur, ut ille absque ulla exceptione ab universali Ecclesia Pontifex habeatur, cui duæ partes ex tribus Cardinalium fuerint suffragatæ; adeo ut in electione Summi Pontificis non sufficiat tantùm ma- 8

jor pars, ac sanior Cardinalium capitulariter congregatorum; sed requirantur ad validitatem electionis duæ tertiæ consentientes; quò magis matura fit electio Romani Pontificis ob majus damnum Ecclesiæ ex minus discreta ejus electione. Neque absentium, si decem diebus post obitum Pontificis expectati fuerunt, habenda est ratio. Neque locum habet collatio zeli ad zelum, meriti ad meritum. Possunt etiam Electores publicato Scrutinio sententiam mutare, si nemo duas tertias habeat, & accedere in favorem alterius ad numerum suffragiorum augendum; quod si suffragia creverint ad duas tertias ex tribus, is est legitimè electus, in quem conveniunt duæ tertiæ.

8 Neque electio potest impugnari per objectionem excommunicationis, vel alterius censuræ; quia *in Clement.* 2, §. *caterum h. t.* expressè statuitur, nullum Cardinalium sub prætextu ullius censuræ esse impediendum ab electione Summi Pontificis, ut Sacri Canones declarant ad præcavenda plurima incommoda, & ad celeriùs expediendam tanti momenti electionem. Hæc omnia licèt essent observanda: ad majorem tamen hujus electionis cautelam; alia statuerunt alii Pontifices, præsertim Gregorius XV. & Urbanus VIII. quæ nunc servari solent. Electio Pontificis semel facta, non indiget ulla confirmatione, quia Pontifex non habet in terris superiorem, à quo dependeat, ac debeat confirmari: hinc Innocentius III. *in c. novi 13. de judiciis*, ait: *Potestas nostra non est ex homine, sed ex DEO.*

9 Modus eligendi Summum Pontificem is est: Mortuo Papa exspectantur absentes Cardinales per decem dies, quibus expletis, qui adsunt ingrediuntur Conclave in Palatio, in quo Pontifex decessit *c. ubi periculum in princ.* §. *1. de elect. in 6.* ex Concilio Generali Lugdunensi. Idem statuit Pius IV. anno 1653. septimo Idus Octobris, ubi etiam decrevit per novem dies compleri exequias defuncti Papæ, & expensas funeris regulari, ne excedant decimum. Famulum unum quilibet Cardinalis secum ducit, & ex necessitate duos *d. c. ubi* §. *1. de elect. in 6.* Nunc verò ex Bulla Pii IV. quilibet Cardinalis secum ducit duos famulos, & ex causa infirmitatis etiam tres cum voto, & suffragio Cardinalium. Necessitas declaratur prout Podagra, vel alia infirmitas Glossa *d. c. ubi* §. *1. de elect. in 6.* Si Papa extra Romanam urbem mortalitatem exuerit, ibi fit Conclave, ubi mortuus est Papa in domo Episcopali, vel alia assignanda, nisi civitas interdicta, vel rebellis fuerit; tunc in viciniori omnia servantur *c. ubi periculum de elect. in 6.* Nisi Summus pontifex aliter disposuerit *Clement. Ne Romani de Elect.* §. *sani.*

10 Electio debet perfici intra tres dies, quibus elapsis, inter alios quinque, & unicum ipsis tantùm ferculum ministratur; & lapsis omnibus diebus octo, panis, vinum, & aqua tantùm *d. c. ubi* §. *1. v. Conclavi tamen de elect. in 6.* Excommunicati itidem admittuntur *d. Clement. Ne Romani* §. *penul. de Elect.* Infirmi permittuntur exire, & sanitati restituti iterum admittuntur, ut etiam illi, qui post dies decem venerint *c. ubi periculum* §. *1. ver. sanè, si aliquis de Electione in 6.* Quòd si omnes ægrotarent possent omnes exire, & sanitati restituti iterum conclave ingredi ad perficiendam electionem in eo statu, in quo erat *Clemen. Ne Romani de Elect.* Pactio, & conventio omnis prohibetur, & cassatur, quæ in electionem fieret Romani Pontificis *d. c. ubi* §. *cæterum.* ubi hortantur Cardinales, ut omni passione animi deposita studeant electioni salutari incumbere *c. ubi de El. in 6.* In electione Papæ, ut supra diximus, non sufficit major pars, sed duæ partes ex tribus debent concurrere; & non habetur ratio zeli ad zelum, nec meriti ad meritum, sed solus attenditur numerus duarum partium, ex tribus; quia quando duæ partes concurrunt ex tribus, cessat ratio zeli, & meriti, Tuschus *in ver. major, & sanior pars, quando dicatur, conclus.* 13. Quòd si omnes Cardinales mortui essent, pertineret electio Romani Pontificis, vel ad Concilium generale, si commodè posset convocari, vel ad Clerum Romanum, seu Canonicos Ecclesiæ Lateranensis, ubi S. Petrus suam Sedem habuit.

ELECTIO IMPERATORIS.

Materia hæc desumitur ex Bulla aurea Caroli IV. Imperatoris, quam Electores Germaniæ hodie observant. Quia verò in hac electione plura statuta sunt de Jure Canonico *c. venerabilem 34. h. t.* & aliis locis, ideo placet hic nonnulla attexere. Duplex est electio Imperatoris, ordinaria, & extraordinaria: illa fit, quando vacante Imperio per mortem, vel resignationem, aut depositionem Imperatoris, Electores ad Electionem Regis Romanorum legitimè accedunt. Extraordinaria, cùm extra ordinem vivente adhuc, & nonnunquam consentiente Imperatore Electores Imperii simul conveniunt, ac procedunt ad electionem Regis Romanorum futuri in Imperio successoris. 11

In electione Imperatoris considerantur antecedentia, Concomitantia, & subsequentia; quæ antecedunt, sunt designatio loci, & temporis convocationis, præstatio salvi conductûs. Locus, in quo Imperator hodie eligitur ob majus commodum solet esse Francofurtum ad Mœnum, ut liquet ex aurea Bulla *tit. 1.* §. *Præterea, & tit. 28.* §. *Invenimus.* Tempus in electionis processu est duplex, electionis instituendæ, seu designatio temporis, quo debeat electio institui, quod deciditur in aurea Bulla *tit. 4.* §. *cæterum.* & designatio temporis electionis finiendæ, intra quod electio finiri debet, & regulariter hoc tempus comprehendit tres menses continuos, ex aurea Bulla *tit. 1.* §. *Præterea 18.* Salvus conductus est publica, ac inviolabilis securitas à Statibus Imperii, Electoribus ad electionis actum proficiscentibus præstandum secundùm præscriptum aureæ Bullæ, ut mediante salvo conductu securi possint Electores venire ad locum electionis, & ad suos reverti *d.* §. *præterea.* 12

Convocantur Electores ab Archiepiscopo Moguntino, Erant olim Electores septem, tres Ecclesiastici, scilicèt Archiepiscopus Moguntinus, Trevirensis, & Coloniensis: & quatuor sæculares, nimirum Rex Bohemiæ, 13

miæ, Comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ,& Marchio-Brandenburgicus,quibus juxta instrumentum Pacis Monasteriensis, quintus accessit Maximilianus I. Dux Bavariæ, qui Friderico Palatino ejecto successit, & fuit confirmatus: quia verò Palatinus fuit iterum admissus, quinque sunt Electores sæculares, quibus Leopoldus I. Imperator addidit sextum, DucemHanoveriensem. Sunt enim Electores potentissimi Imperii Principes, qui soli veluti membra corporis CæsareæMajestatis potestatem habent eligendi, & non alius quispiam; licèt ante Carolum IV. etiam alii Principes Imperii propria exhibuerint suffragia in electione Imperatoris. Hi eligunt Imperatorem, quem ex Principibus Germaniæ noverint esse idoneum juxta tenorem Bullæ aureæ, in qua habetur: quod eligendus debeat esse masculus, natione Germanus, virtutibus animi, & corporis præditus, ætatis perfectæ, generis, & familiæ nobilis, ad minimum Princeps, vel Comes Imperii, potens, &generosus, ut cum laude possit imperare.

15 Electores convocati per Archiepiscopum Moguntinum, regulariter debent comparere in propria persona juxta Bullam auream *tit.20. §. quandocunque 6.* Cuilibet Electori non permittuntur, nisi ducenti equites,inter quos quinque tantum armati. Sin autem Electores legitimo impedimento detenti comparere in propria persona non possunt, debent mittere legatum idoneum instructum, qui vices gerat Electoris absentis juxta auream Bullam *d. t. 28. §. Quandocunque 6.* Quòd si Legatus substitutus venerit post inchoatam electionem, & nondum absolutam, admittendus est in eo statu, in quo electio reperitur tempore accessus, ex Bulla aurea *tit 2. §. postquam autem 4.* Quòd si nec Elector, nec ejus legatus venerit, nec se excusaverit, tunc pro illa vice amittit jus suffragandi *tit. 1. §. Princeps verò.*

16 Concomitantia electionem sunt celebratio Missæ de Spiritu Sancto, aut B. Virgine. Juramentum solemni ritu præstandum ab Electoribus de eligenda persona idonea, & cum omnibus requisitis, juxta Bullam auream; & hoc juramentum Serenissimi, ac Reverendissimi Electores ponunt super Altare, quibus peractis succedit actus Electionis, triginta dierum spatio absolvendus; nec hoc tempus interrumpitur, intra quod debet electio absolvi ex Bulla aurea *tit. 2. §. 2. & 3.* Suffragia, seu vota, sunt singulorū Serenissimorum Electorum Sententiæ, quibus ad Scrutinium propriam voluntatem declarant de persona certa in Imperatorem eligenda. Debent hujusmodi suffragia esse sincera, libera, non coacta, nec pretio empta, certa, absoluta, non conditionata, ut liquet ex *tit. 4. §. cæterum, 2. in fin.* colligit Serenissimorum Electorum suffragia Moguntinus Elector, idque tum publicè, tum secretò, eo ordine, qui præscribitur *tit. 3. §. primo quidem.* Suffragia à Moguntino collecta conferuntur, ac ponderantur, & major numerus, & sanior pars prævalet, & electio publicatur facta per majorē votorum partē, ac novus proclamaturImperator in Ecclesia, ubi electus Imperator, si sit præsens sistitur.

17 Electionem Imperatoris electi sequuntur plura. Primò obligatio, quâ per capitulationem ad certa quædam juramenta adstringitur, à qua recedere ipse nequit. Secundò, sequitur privilegiorum confirmatio, quia universis, & singulis Electoribus privilegia sine contradictione confirmare tenetur *tit. 2. §. & quia de antiqua.* Demum sequuntur Imperii Commissio, Coronatio, & alia minoris momenti, ac dissolvitur Congressus.

18 Electio extraordinaria Regis Romanorum, fit,quando vivente adhuc Imperatore Successor ei deligitur, qui olim Cæsar, nunc Rex Romanorum dicitur. Non tamen hæc electio suscipitur absque urgente causâ, ut esset ætas ingravescens Imperatoris, impotentia, & alia id genus: & hæc electio in cæteris perficitur, sicut ordinaria.

ELECTIO, ET BENEDICTIO ABBATUM, ET ABBATISSARUM.

19 Electio Abbatis eodem modo perficitur, ac illa cæterorum Prælatorum per secreta suffragia, ut in præcedentibus explicuimus. Benedictio Abbatum, quæ etiam nonnunquam, licèt minùs propriè,consecratio dicitur, ut in *c. alienationes 12. q. 2.* est, quâ Abbas electus solemni ritu benedicitur: impenditur hæc benedictio Abbatibus, eò quia in honore proximè accedant ad Episcopos, ac participent, etiam quædam de Episcopalibus insignibus, & officiis. Differt tamen benedictio Abbatis à consecratione Episcopi, quia per benedictionem nullus imprimitur Ordinis Character, sed est tantùm quædam deprecatoria manuum impositio *c. 1. dist.69. c. manus. 1. q. 1.* Rursus benedictioAbbatis non fit cum assistentia duorum Episcoporum, sed duorum Abbatum. Neque ad executionem officii Abbatialis est hæc benedictio substantialis, sed tantùm accidentalis; adeò ut si Episcopus ter humiliter rogatus benedictionem absque rationabili causâ dare detrectaret; vel si abesset, nec per multum temporis esset reversurus; posset Abbas ritè electus, & confirmatus, singula ad suum officium pertinentia exercere. *c. cùm contingat. c. 1. de suppl. neglig. Prælat.* Præterea non omnes Abbates benedicuntur, sed tantùm, ubi consuetudo inolevit, ut liquet *ex d.c. alienationes, & ex Clement. attendentes §. statuimus. de statu Monach.* Convenit tamen Benedictio Abbatis cum Episcopi consecratione, quia benedictio non debet reiterari, etiamsi Abbas de uno Monasterio transeat ad regimen alterius: est enim instar benedictionis nuptialis, quæ non repetitur in secundis nuptiis *c.1.& 2. de secund. nupt.* Rursus benedictio Abbatis non est, sicut consecratio Episcopi, necessariò facienda die Dominico, cùm id in jure non declaretur, quapropter potest etiam aliâ die rectè institui, ut asserit Glossa in *d. Clem. attendentes. in V. benedici.* Imò potest etiam impertiri hæc benedictio illis diebus, quibus ordines conferuntur. Quæ verò sint jura Abbatum, fusè explicat Tamburinus *de Jure Abbatum. Tom. 1. disput. 21. & sequent.*

Abba-

20 Abbatissas de Jure antiquo non eligebant Moniales, nisi duodecimum ætatis annum complevissent,& tacitè,vel expressè fuissent professæ Religionem,ut liquet ex *c. indemnitatibus 43 h. t. in 6.* Sed de jure novo ex Concilio Tridentino, sicut non admittuntur ad professionem ante decimum sextum ætatis annum completum, ita nec jus habent eligendi, nisi post id tempus; & licèt, ut jus activum eligendi habeant, sufficiat, si tacitè fuerint professæ, dumodo per annum continuum post susceptum habitum in probatione steterint: nihilominus, ut Monialis in Abbatissam eligatur, debet expressè professa esse, & de jure antiquo trigesimum ætatis annum exegisse, & de jure novo ex Tridentino quadragesimum: & octo annis post expressam professionem laudabiliter in eodem Monasterio vixisse. Quòd si nulla in Monasterio reperiretur Monialis hisce qualitatibus instructa; tunc potest alia ex alio Monasterio, sed ejusdem Ordinis assumi: & si id minimè videretur commodum Monasterio,potest una eligi, quæ trigesimum ætatis annum exegisset, ac quinque annis in eodem Monasterio laudabiliter vixisset ex Tridentino *Sess. 25. c. 8. de regularibus.* Debet tamen, quæ in Abbatissam eligitur esse virgo, legitimè nata, licèt quoad utramque qualitatem, si necessitas urgerit, possit superior dispensare; decet enim virgines per virginem gubernari; nec convenit dignitatis Ecclesiasticæ splendorem defectu natalium obscurari.

21 Eliguntur Abbatissæ eodem fermè modo,quo cæteri Prælati Regulares per Scrutinium, & secreta suffragia: viri tamen Religiosi excipientes Monialium suffragia non debent ex Tridentino claustra ingredi Monasterii; sed ante Cancellos ad januam, uti vocant, debent singularum Monialium vota audire, vel excipere, nisi ex consuetudine fuerit aliter introductum. Quòd si in electione dissentiant Moniales ea erit Abbatissa, in quam duæ partes ex tribus consenserint, nisi per examen postea faciendum reperiretur fortassis indigna. Quòd si neutra ex electis in discordia duas pro se partes habuerit; liberum est aliis Monialibus, quæ cum majori parte minimè consenserunt post publicatum scrutinium suam mutare sententiam, ac illi accedere, in quam major pars suffragiorum collimavit; dummodo id fiat statim absque ullo pacto, & interventu Simoniacæ pravitatis. Licèt publicato scrutinio hæc sententiarum mutatio, de jure viris non permittatur, nisi in electione Summi Pontificis; permittitur tamen in fæminis Monialibus, in quibus tanta non supponitur esse prudentia.

22 Abbatissæ, ubi solent benedici; intra annum computandum à die suæ confirmationis, debent munus benedictionis suscipere: alioquin nisi rationalis subsit causa à jure suo intelliguntur cecidisse, ut liquet ex *c. clement.* ubi verò moris non est, Abbatissas benedici, benedictione non indigent. Notat tamen Glossa in *d. c.* quòd ubi Abbatissæ de more benedicuntur justis de causis possunt excusari, si benedictionem non petant, ut ob morbum, vel quia superior, cujus est benedicere recusat, vel legitimè non potest; & addit rationem, quia Abbatissa nondum adepta est pacificam possessionem. Notat Miranda, non omnes Abbatissas posse, ac debere benedici, sed eas tantùm, quæ perpetuæ sunt.

Non tamen juxta communem sententiam Canonici Juris interpretum in *c. dilecta de majorit. & obedien.* Abbatissa est capax potestatis Ordinis, adeò, ut ipsa non possit aquam benedicere, nec subditos ex officio,& publicè; sed tantùm privatè:perinde, ac Mater suis solet filiabus benedictionem impertiri. A fortiori nec possunt Abbatissæ confessionem suarum subditarum audire: neque ullum circa ipsas exercere actum sacramentalem, neque prædicare, aut publicè docere, tametsi sancta sit, & docta. Privatim tamen in Capitulo, vel Claustro potest Moniales hortari ad virtutum studia, ac culturam Regularum: neque potest in Missa Evangelium legere, quamvis id possit in matutinis. Quoad jurisdictionem spiritualem communior Sententia cum D. Thoma docet: Abbatissas non esse capaces jurisdictionis ordinariæ, sed tantùm delegatæ, authoritate Romani Pontificis: Siquidem potestas jurisdictionis spiritualis, quamvis non sit immediatè potestas clavium, nec potestas ordinis: nihilominùs ordinatur ad illam, & ex illa oritur, & cum Mulieres non sint capaces potestatis Clavium, nec ordinis; ita neque potestatis jurisdictionis spiritualis. 23

Non desunt tamen, qui cum Panormitano velint, Abbatissas esse capaces jurisdictionis ordinariæ, & non solùm delegatæ: perinde ac sunt capaces jurisdictionis civilis, & possunt esse Reginæ, vel Ducissæ. Verùm videtur esse discrimen, quia jurisdictio civilis versatur circa regimen temporale, cujus fœmina est capax, & jurisdictio spiritualis ordinatur ad Sacramenta ministranda, vel saltem habet connexionem cum Ministris Sacramentorum: & cum fœminæ ministrare non possint Sacramenta excepto Baptismo in casu necessitatis, & matrimonio, ideò non videntur esse capaces jurisdictionis spiritualis. Neque obstat, si dicas; Abbatissam habere jus suspendendi Clericos suæ jurisdictioni subjectos,tam à beneficio,quàm officio; quia hæc suspensio propriè non est censura Ecclesiastica, sed simplex prohibitio,ex cujus violatione nulla contrahitur irregularitas, licèt improbabile non sit, posse fœminas de absoluta Summi Pontificis authoritate ferre censuras; quia posse Summum Pontificem hanc facultatem concedere, non adversatur Juri Divino; nec naturali: de jure tamen ordinario Ecclesia nunquam concessit mulieribus facultatem ligandi per censuras, Imò Abbatissæ, vel Priorissæ non possunt Monialibus sibi subditis injungere præceptum obedientiæ, sicut Prælati Religiosorum: adeò, ut Abbatissæ, & aliæ fæminæ præfectæ non plus habeant authoritatis, quàm Mater in suas filias, quæ nihil imperare potest, quo filiarum conscientiæ obligentur, nisi ratione rei, & materiæ imperatæ, quæ si gravis fuerit, gravem continet obligationem. Neque obstat, quòd Moniales votū obedientiæ emittant Abbatissæ quia 25

quia ut docent Miranda, Rodriquez, & Sanchez, emittunt votum obedientiæ, pro ut moris est obtemperare: ut si laico fiat, valet obedientia, licèt laicus nequeat præceptum spirituale injungere, quod obliget in conscientia.

25 Forma electionis Regularium Prælatorum tametsi eadem sit, quæ in præcedentibus explicata fuit; nunc tamen omnes electiones Regularium Prælatorum fiunt per modum Scrutinij, adeò, ut à singulis eligentibus suffragia dentur scripto, & in schedulis secretis, quem modum videtur approbâsse Concilium Tridentinum *Sess. 25. c. 6. Regul.* si electio fiat per Scrutinium. Necesse tamen est, ut electio Prælatorum Regularium de jure confirmetur à Summo Pontifice, vel ab ejus legato à latere existente in tali Provincia, si Prælati electi sint exempti, & immediatè subditi Sedi Apostolicæ, ut sunt plures Abbates Benedictini per Germaniam. Quòd si non sint exempti, eorum electio confirmanda est ab Episcopis, quibus proximè eorum Monasteria subjiciuntur; nisi ex peculiaribus Ordinis statutis, privilegiis, aut consuetudinibus aliter fieri debeat. Superiores, qui in Ordinibus mendicantium eliguntur, si eorum electio fuerit canonica, eo ipso censetur confirmata. Neq; generales mendicantium indigent alia confirmatione, quàm illâ Sumi Pontificis, qui censetur semper confirmare tales electiones legitimas, & Canonicas.

§. XI.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selecta quæstiones.

1 Quæritur primò, an qui eligitur in Prælatum Regularem necessariò debeat esse professus Ordinem illum, cui præficitur? Respondetur affirmativè, & desumitur ex *c. cùm in Magistratum 49. h. t.* ubi Gregorius IX. expressè declarat, eum, qui non est professus regulam Monasterii, non posse eligi in Abbatem illius: idque extenditur, ut non professus non possit eligi in Prælatum Regularem non obstante contraria consuetudine, quantumvis longæva, & diuturna, ut desumitur *ex c. cum causam 27. h. t.* ubi habetur, quòd non professus non possit eligi ad regimen Ecclesiæ Regularis non obstante consuetudine: & affertur etiam ratio, quia secundùm legem divinam non est arandum in asino, & bove, neque vestiendum veste ex lino, & lana contexta, ut habetur in *Deuter. 22.* hinc non valet consuetudo, ut non professus eligatur in Prælatum Regularem, talis enim electio est ipso jure irrita, non solùm jure novo *c. nullus 28. h. t. in 6.* sed etiam secundùm jus commune antiquum: proinde cùm in *d. c. nullus h. t.* dicitur, quòd sit irritanda, debet intelligi, quòd sit irrita declaranda, ut docet Hostiensis in *d. c. ver. irritatis.* Præterea consuetudo si sit contraria non potest habilem reddere personam prorsus inhabilem contra rationem naturalem: demum quia hæc consuetudo utpote damnosa Ecclesiæ non potest in eadem approbari, nec vires acquirere,

Cæterum, quamvis ad beneficia regularia habentia administrationem annexam, cujusmodi sunt Abbatiæ, & Prioratus non possint assumi, nisi Religiosi actù professi ejusdem Ordinis: nihilominus ad beneficia simplicia obtinenda, cujusmodi sunt præbendæ, & portiones Monachales non requiritur actualis professio: quinimò possunt hujusmodi beneficia conferri etiam Clericis sæcularibus, qui tamen habitum illius Ordinis tenentur suscipere, & professionem emittere, ut habetur *in c. cum causam 27. h. t.* Siquidem in priore parte dicitur, quòd electio Presbyteri sæcularis in Priorem Monasterii debeat declarari irrita: in posteriore verò parte dicitur de aliis Clericis, ut Regulam Sancti Augustini profiteantur, & servent, vel ipsam Ecclesiam, vel Monasterium omnino dimittant; idq; ampliatur, ut non professus ad regimen Ecclesiæ regularis assumi non possit per viam electionis, ut de Abbate dicitur *in c. cùm in Magistrum 49. h. t.* & de Priore in *d. c. cùm causam 27. h. t.* neque per viam cujusvis alterius provisionis *arg. c. cum de benefic. 5. de præbend. in 6.* ubi habetur, quod si mandetur provideri Clerico sæculari de aliquo Prioratu, non possit de Prioratu provideri, qui per Religiosos, moris est, ut gubernetur, quia ad talem Prioratum non potest assumi, nisi Religiosus, atque professus, ut notat Abbas *in d. c. cùm in Magistrum 49. not. 2. h. t.* ubi etiam addit, quòd si Conventus negligat eligere Prælatum, potestas providendi devolvitur ad Superiorem immediatum, ut definitur *in c. ne pro defectu 41. h. t.*

Quæritur secundò, an Clerici sæculares possint assumi ad prælaturas, & Prioratus Regulares per modum commendæ? Respondetur, quòd tametsi de jure comuni ad Prælaturas, Prioratus, & administrationes regulares nõ sint assumendi, nisi expresse professi: potest nihilominus Summus Pontifex ex plenitudine potestatis Prælaturas, Prioratus, Abbatias, & administrationes regulares concedere Clericis sæcularibus in commendam etiam perpetuam, & tunc tales Abbates, seu Prælati commendatarii possunt omnia exercere, & administrare, sicut alii intitulati Prælati, eò quia jus Prælaturæ obtineant, ut notat Rebuffus *in prax. benefic. tit. de reprobat. beneficior. vivent. imper.* Idque in Gallia præsertim est usitatum, ubi ferè principaliores Abbatiæ, & Prælaturæ Regularium conceduntur in commendam Clericis sæcularibus, ex quo liquet, posse Prælaturas, & alia beneficia Regularia commendari Clericis sæcularibus, tametsi conventus habeant, in quibus vigeat Regularis observantia, ut fusè ostendit Fagnanus in *c. cum ad nostram 37. h. t. n. 4.* Quòd si dicas, id adversari Juri Canonico imponenti, ut ad Prælaturas regulares eligantur digniores ex Monasterio, & non exteri. Contra est, quia Sacri Canones tantùm prohibent, ne beneficia regularia conferantur sæcularibus in titulum per viam electionis, vel collationis, aut alterius provisionis ordinariæ. Secus comendæ perpetuæ, quæ fiunt principaliter non in favorem Ecclesiæ, sed personæ, ut ex fructibus beneficii commoditùs sustententur, ad viam providendi extraordinariam

nariam pertinent, suntque collationes dispensatoriæ Papæ. Quòd si dicas, in Jure Canonico non haberi hujusmodi comendas. Id non obstat, quia tametsi tales comendæ de antiquo jure Canonico fuerint incognitæ: jure tamen novo fuerunt inductæ; & Concilium Tridentinum eas non reprobavit, sed potiùs admisit, ut notat Fagnanus *in d. c. cum ad nostram 37. n.8. h.t.*

4 Quæritur tertiò, quid sit nominatio ad beneficium, & quomodo differat ab electione, & postulatione? Respondetur, nominationem aliam esse solemnem, & aliam minus solemnem; illam esse per quam plures digniores nominantur, & proponuntur Superiori, ut unum ex illis admittat, cui dignetur beneficium conferre: minus solemnis est ea, quæ præcedit Scrutinium, & quæ fit in Collegio, quatenus in ipso proponuntur plures ex dignioribus, ut de ipsis fiat Scrutinium, & hæc nullum jus tribuit nominatis, quia est potiùs nominatio consultoria *arg. c. quod sicut h t.* quòd non tribuat jus ex eo claret, quia non obstante tali nominatione possunt Capitulares alium eligere: *can. quanto dist. 63.* alia nominatio minùs solemnis est, quæ fit in Scrutinio, & hæc exprimit consensum de præsenti, quia coincidit cum votatione privata singulorum eligentium, & publicato Scrutinio non potest ampliùs variari. Hinc nominatio solemnis differt ab electione, & postulatione. Primò, quia nominatio fit de pluribus, non ita electio, & postulatio *c. quòd sicut 28. h.t.* Secus, si plures eligantur talis electio est potiùs nominatio, ut etiam si unus tantùm nominetur, est potiùs postulatio, vel quasi postulatio *c. quòd sicut 28. h. t. argum. c. bonæ memoria 3. de postul. Prælat.* Secundò, quia nominatio fit alternativè non ita electio, & postulatio, ut notat Fagnanus *in c. bonæ memoria n.68. de postul. Prælat.* Electio autem, ut etiam postulatio fit de uno tantùm, cum nominatio fit de pluribus, ut ex illis hunc, vel illum Superior promoveat: tametsi primò nominatus censeatur cæteris dignior *argum. can. inter verba 11. q. 3.* desumitur enim argumentum ex ordine verborum, dummodo mens disponentis non sit certa de alio, quia tunc non curatur ordo verborum, ut notat Fagnanus in *d. c. bonæ memoria 3. n. 70. de postul. Prælat.* ex eo autem, quòd per nominationem detur optio Superiori promovendi unum ex pluribus nominatis, liquet, nominationem fieri alternativè. Tertiò differt nominatio ab electione, quia per electionem jam acceptatam acquiritur jus electo: non ita per nominationem, *c. quod sicut de elect.* ibi: *nihil juris acquisitum sit nominatis* hinc nominatio quamvis præsentata Superiori non dat jus; licet nominantes variare tunc ampliùs non possint; ne superiori illudant, in quo sensu notat Fagnanus *loc.cit.n.57.* dici posse ex nominatione jus acquiri nominato, quatenus post ejus præsentationem factam superiori, non possunt nominantes ampliùs resilire, nec ea pendente ad electionem alterius procedere.

Quæritur quartò, an jus eligendi Episcopos, vel Prælatos, possit laicis competere? Respon-
5 detur, non posse laicis concedi etiam per pactū, vel fundationē, vel quamcunq; donationem, ac potestatem jus eligendi Prælatos ecclesiasticos, idque liquet *in c. sacrosancta 51. h. t.* Ratio est, quia jus eligendi Prælatos Ecclesiasticos est spirituale, quod non potest laicis competere, ut habetur *in c. 2. de judic.* id enim cederet in damnum Ecclesiæ, & repugnaret ejus libertati, ut notat Glossa *in d. c. sacrosancta ver. juri contrarium*, quo fit, ut Prælati Papâ inferiores non possint tale jus concedere laicis *cap. nobis 25. de jure patron.* Siquidem inferiores Prælati Papâ non possunt Sacris Canonibus derogare. Neq; obstat Textus *in d.c. nobis 25. de jure patron.* ubi dicitur: quòd in Conventuali Ecclesia non electioni Prælati faciendæ, sed jam factæ honestiùs Patroni postulatur assensus, nisi aliter de sua jurisdictione obtineat, ut partes suas interponere debeat. Quia in tali Textu sermo non est de Patrono sæculari, sed de Ecclesiastico, ut explicat Glossa *ibid. ver. nisi aliter.* Præterea tametsi laicus non habeat jus eligendi, nec constituendi Prælatum Ecclesiasticum, potest tamen acquirere jus, ut ante electionem consilium Patroni laici requiratur: quia sicut Patronus potest nominare, ita etiam potest acquirere jus, ut consilium ab eodem petatur: quia id non officit libertati ecclesiasticæ, quia semper liberum est Ecclesiæ eligere, quem maluerit, unde salva semper manet libera facultas eligendi ipsis Clericis jure concessa, ut notat Innocentius *in c. quod sicut 28. n.1. h.t.*

Hinc laicus quamvis Patronus Ecclesiæ nunquam acquirit jus eligendi Prælatum in Ecclesia 6
collegiata, immo neque vi compositionis cum Prælato initæ etiam accedente consensu Capituli, imò, & interveniente authoritate Episcopi, quia Prælati inferiores Papâ non possunt habilitare laicum ad obtinendum jus spirituale. Quòd neque per consuetudinem temporis immemorialis possint laici acquirere jus eligendi Prælatum ecclesiasticum liquet *ex c. messana 56. h. t.* quia cùm jus eligendi ad Prælaturam Ecclesiasticam sit spirituale, illius laicus non est capax, non enim sæcularis est subjectum capax juris spiritualis eligendi ad Prælaturas spirituales sine Privilegii Titulo; adeò, ut hoc jus nullo tempore præscribi possit *argum. c. causam 7. de præscript.* Siquidem talis consuetudo esset contra libertatem Ecclesiasticam, cui repugnaret, proinde jure Canonico reprobatur, ut corruptela, quæ nulla temporis diuturnitate præscribi potest *c. ult. de consuetud.*

Limitatur tamen, nisi jus eligendi sit concessum laico ex speciali Papæ privilegio, 7
quia tunc sæcularis non eligit authoritate propria sæculari; sed Ecclesiastica, & Apostolica, scilicet ex commissione Summi Pontificis. Hinc electio promiscuè facta à Clericis, & laicis, si Clerici scienter, & voluntariè admiserunt laicos ad coeligendum, electio nullius est valoris, quia actus electionis est individuus, & Decretum electionis fit nomine omnium electorum, tanquam ab uno corpore: quapropter si aliqui sint inhabiles ad eligen-

eligendum, totum decretum est invalidum: ratio est, quia in individuis, & inseparabilibus utile vitiatur per admixtionem inutilis, ut docet Glossa communiter recepta *in regul. jur. 27. in 6.* Sin verò Clerici non consentiant in suffragia laicorum, & tantùm eos admittant, per ignorantiã, vel quia eos prohibere non possunt, vel ob aliquem gravem metum, tunc censent plures, probabile esse, talem electionem valere ex solis Clericorum suffragiis; rejectis votis laicorum, tanquam incapacium: eò quia jus universitatis residet tantùm penes solos habiles, quia tunc suffragia laicorum separantur ab illis Clericorum, & quando inutile separari potest ab utili, valet regula Juris: *utile per inutile non vitiatur.*

8 Quæritur quintò, quænam sint pœnæ Clericorum admittentium sæculares ad electionem? Respondetur, de hisce pœnis agi in *c. quisquis 43. h. t.* ubi Innocentius III. in Concilio Generali Lateranensi *c. 25.* Statuit, ut consentientes electioni Papæ per abusum potestatis sæcularis contra Canonicam libertatem fiant inhabiles ad illam, & ad alias dignitates; & ait electionẽ esse irritam: & præsumentes illam electionem celebrare privari ea vice potestate eligendi; & suspendi per triennium ab Officiis, & beneficiis: hinc si laici unus, vel plures se immisceant electioni, quomodocunque impediendo libertatem Clericorum in eligendo, & illorum ad quos propriè spectat electio, hæc nullius est valoris, & censetur facta per abusum, idque procedit, sive Princeps, sive alii privati sæculares admittantur ad electionem: tunc enim hujusmodi electio censetur esse abusus, quia electio tunc dicitur per abusum fieri, quando unus, vel plures laici eligunt cum Clericis *c. Messana 56. h. t.* à fortiori erit abusus, si Princeps, vel alius constitutus in publica potestate se immisceat tali electioni, quia tunc magis impeditur libertas electionis, ut notat Fagnanus in *d. c. quisquis 43. n. 28. h. t.* ubi etiam *n. 30.* addit, electionem tunc fieri per abusum sæcularis potestatis, si Princeps, vel alia potestas sæcularis intersit ipsi actui electionis in Ecclesia, vel Capitulo, tametsi simul non eligat cum Clericis: eò quia per talem simplicem assistentiam tollitur etiam libertas eligentium, quia hæc præsentia est illis formidabilis. Tum quia sub specioso prætextu protectionis facilè Principes sibi vendicarent jus interessendi electionibus Prælatorum. Tum quia ad protegendos Electores non est necessaria corporalis præsentia Principis in ipso actu, & loco electionis: sed sufficit, si extra talem locum coërceant volentes violentiam inferre ipsis Electoribus: & ita declaravit Congregatio Cardinalium habita die 5. April. 1646. habetur enim in declaratione, quòd electio facta à quodam Capitulo, cui interfuit Regius Minister fuerit nulla ob potestatis laicalis abusum.

9 Quæritur sextò, quænam sint pœnæ eligentium contra formam in Jure Canonico præscriptam? Respondetur, eos, qui non Canonicè elegerunt Episcopum, vel alium Prælatum simili jurisdictione præditum non servata forma præscripta à Sacris Canonibus pro ea vice privari potestate eligendi, non quidem ipso jure, sed per sententiam Superioris *c. quia propter 42. h. t.* ubi dicitur, quòd triplex sit forma Canonica eligendi, scilicet per Scrutinium, Compromissum, & Inspirationem, & aliter factam electionem non valere, & Electores privari ea vice potestate eligendi, scilicet per sententiam, non verò ipso jure, ut notat Glossa *ibid. communiter recepta ver. priventur.* cùm enim illud verbum *priventur* denotet futurum tempus, clarum argumentum est, hanc pœnam privationis non incurri ipso jure, & facto; sed tantùm per sententiam Judicis, idque desumitur etiam *ex c. Cumana 50. in fin. h. t.* ubi eligentes contra formam Concilii Generalis *in cap. Quia propter 42. h. t.* præscriptam; ea vice privantur per sententiam Judicis potestate eligendi: quia æquum est, ut quis puniatur in eo; in quo deliquit *cap. Inter 11. de excess. prælat.* Hinc notandum est, quòd, sicut Electores non privantur ipso jure potestate eligendi, sed tantùm sunt privandi, per sententiam Judicis: si ante latam sententiam eligerent juxta formam præscriptam in jure, electio subsisteret, quia eligentes nondum fuerunt privati jure eligendi.

Quæritur septimò, quasnam pœnas incurrant eligentes indignum? Respondetur eligentes scienter indignum, ut excommunicatum, vel habentem defectum in Ordinibus, scientia, ætate; natalibus ipso jure privari pro illa vice potestate eligendi; desumitur ex *cap. in cunctis 7. §. fin. h. t.* ibi: *Eligendi tunc potestate privatos se noverint.* Et constat ex pluribus aliis Textibus, præsertim ex *cap. Cùm Vintoniensis 25. c. scriptum est 40. h. t.* & præsertim ex *cap. quamquam 18. h. t. in 6.* Et hæc pœna incurritur tantùm ab iis, qui scienter eligunt indignum, non verò ab aliis, qui ignoranter, ut desumitur *ex d. c. cum Vintoniensis 25. h. t.* Verùm, qui elegit indignum, & asserit, se id ignoranter fecisse, onus probandi ignorantiam eidem incumbit *argum. c. innotuit 20. h. t.* ubi Pontifex eligentibus indignum solùm ex gratia remisit, ut non cogerentur probare ignorantiam. quam allegabant, ex quo infert Glossa *ibid. ver. ignorantiam.* hanc in facto alieno non præsumi, quando quis ex officio tenetur inquirere; ut sunt vocales, qui ex officio tenentur inquirere super qualitatibus eligendi, 10

Quòd si objicias *regul. 47. jur. in 6.* ibi præsumi ignorantiam, ubi scientia non probatur: respondetur, hanc regulam non procedere, quando quis ex officio tenetur indagare, inquirere, & scire: quia non potest esse Pastoris excusatio, si lupus oves comedat, & Pastor ignorat, seu allegat se ignorâsse *c. quamvis 10. de regul. Jur.* Ignorantia verò probari potest, si ostendatur, quòd electus communiter habitus fuerit pro legitimo, seu habili: vel quia tunc fungeretur publicis honoribus: vel quia proprium juramentum præcesserit, quod tamen solet limitari 11

tari dummodo, qui censetur legitimus non fuerit habitus pro illegitimo. Rursus, quamvis scienter eligentes indignum peccent, non tamen pœnam privationis eligendi pro una vice incurrunt, nisi etiam sequatur communis electio indigni, ut habetur *in cap. perpetuò 7. h. t. in 6.* ubi dicitur, quòd, qui in scrutinio eligit indignum, si electio non habeat effectum, licèt Elector peccet, non tamen privatur potestate eligendi, & concordat Tridentinum *Sess. 7. c. 34.* Ratio est, quia verba legis pœnalis debent intelligi cum effectu *c. relatum de cler. non resid.* Cæterum, si electio proxima ex eo non fuerit effectum consecuta, quia electus non acceptaverit electionem de se factam, vel mortuus fuerit; privati, & jam semel puniti recuperant jus eligendi, nec prohibentur ad sequentem electionem procedere, & desumitur ex *d. c. cum Vintoniensis 25. h. t.*

12 Quæritur octavò, an scienter eligentes indignum incurrant pœnam suspensionis à beneficiis? Respondetur, eligentes scienter indignum in Episcopum, vel in superiorem esse ipso jure suspensos à beneficiis ecclesiasticis per triennium, & desumitur *ex c. cum in cunctis 7. §. clerici h. t.* ibi: *Et ab Ecclesiasticis beneficiis triennio noverint se suspensos*, quæ verba important pœnam latæ sententiæ, sunt enim de præsenti non de futuro, & concordat etiam *d. c. cum Vintoniensis 25* & *c. per inquisitionem 26. h. t.* An verò durante hac suspensione possint suspensi promoveri ad dignitatem Ecclesiasticam? Respondetur negativè, & habetur in *d. c. per inquisitionem 26. h. t.* ubi Pontifex declarat, eligentes indignum in Episcopum, ut Simoniacum suspendi à beneficiis per triennium, nec posse interim assumi ad dignitatem illius Ecclesiæ. Hinc qui aliquem ad Prælaturam, in qua obtinenda Simoniam commisit, scienter eligit, est ipso jure suspensus per triennium à beneficiis, quæ in eadem Ecclesia obtinet, in pœnam, quia indignam personam elegit *c. si Compromissarius 37. h. t. in 6.* ubi dicitur, quòd si Compromissarii eligunt indignum, eligendi potestas revertitur ad compromittentes, nisi ipsi scientes habuerint talem electionem ratam: proinde eligentes scienter indignum durante illo triennio suspensionis non possunt eligi, vel promoveri ad dignitatem, vel beneficium Ecclesiasticum, non enim suspensus potest eligi ad beneficia, à quibus est suspensus.

13 Verùm hæc pœna restringitur solùm ad beneficia Ecclesiastica, quæ quis obtinet in Ecclesia specialiter offensa per electionem indigni: neque est novum, quòd aliquis sit suspensus à beneficio in una Ecclesia, & non in alia, id enim habetur *in c. cupientes §. cæterum eod. tit. in 6.* quia tametsi per electionem indigni offendatur Ecclesia universalis, quæ est una tantùm per totum Orbem diffusa *c. loquitur 24. q. 1.* specialiter tamen offenditur illa singularis Ecclesia, ad cujus regimen scienter eligitur indignus. Porrò hanc pœnam suspensionis à beneficiis incurrunt tantùm Clerici inferiores scienter eligentes indignum, quia Pontifex in *c. cum in cunctis §. Clerici h. t.* loquitur tantùm de Clericis, ibi: *Clerici sanè, si contra formam istam quemquam elegerint & eligendi tunc potestate privatos, & ab ecclesiasticis beneficiis triennio noverint se suspensos*, & quia pœnalia sunt restringenda ad solos casus expressos, sequitur, hanc constitutionem non comprehendere laicos, de quibus non fit mentio, cum pœnæ non sint ampliandæ de casibus expressis ad non expressos. Imò neque constitutio comprehendit Episcopos, quia de ipsis non fit expressa mentio, & Episcopi in materia suspensionis, & interdicti non comprehenduntur sub generali nomine Clericorum *c. quia pericu. losum 4. de Sent. excommun. in 6.* Immo, nec comprehendit Cardinales eligentes indignum Papam, quia nec ipsi in odiosis comprehenduntur nomine Clerici, ut notat Passerinus *de elect. c. 29. n. 85.* Canonici tamen Cathedralis, tametsi in odiosis non comprehendantur nomine Clerici *c. statutum 28. h. t. in 6.* nihilominus, quia ipsis de jure competit eligere Episcopum, incurrunt etiam ipsi pœnam suspensionis, si eligant indignum. Rursus pœna hæc triennalis suspensionis à beneficiis non procedit de electionibus inferiorum Prælatorum, aut Beneficiariorum, sed tantùm de electionibus Episcoporum, ut habetur *in c. si Compromissarius 37. §. hujusmodi h. t. in 6.* quia ex electione indigni in Episcopum magis læditur Ecclesia, quàm si ad inferius beneficium promoveatur indignus est: siquidem electio Episcopi est majoris momenti præ inferioribus electionibus.

Quæritur nonò, ad quem pertineat potestas eligendi, quando Capitulares elegerunt indignum? Respondetur, quòd si aliqui tantùm ex Capitularibus scienter elegerunt indignum, & ideo pro illa vice privati sint potestate eligendi, tunc illa electione perperam factâ præcisâ propter invaliditatem; potestas eligendi pertinet ad alios Capitulares, qui non consenserunt in electionem indigni: quia licèt sint numero pauciores, constituunt tamen totum Capitulum, proinde potestas Capitularis in ipsis perseverat, ut notat Abbas *in c. Vintoniensis 25 n. 2. h. t.* hinc, si ex duodecim Capitularibus septem scienter elegerunt indignum potestas capitularis, & jus eligendi remanet in solùm quinque, qui non elegerunt indignum: immò, si ex tribus Capitularibus duo eligerent indignum, jus Collegii remaneret in illo uno, qui nòn consensit in indignum, & desumitur *ex c. perpetuò 7. h. t. in 6.* qui tamen non posset se ipsum eligere. Quòd si omnes Capitulares scienter eligerent indignum, tunc quia omnes essent privati jure eligendi pro illa vice, potestas eligendi devolueretur ad Superiorem, quia tunc totum Capitulum deperdit potestatem eligendi. Quòd si esset Capitulum Cathedrale, vel Metropolitanum potestas tum eligendi devolvitur ad Papam: in aliis verò inferioribus Capitulis ad proximum Superiorem, ad quem pertinet electum confirmare *c. quamquam 10. h. t. in 6.* ubi Bonifacius VIII. declarat, quòd si Electores Cathedralis Ecclesiæ privati sint jure eligendi ob electionem scienter indigni, vel debeant privari per sententiam ob nõ servatam formam electionis præscriptam à Concilio; electio devolvitur ad Papam non ad superiorem imediatum: secus in inferioribus Ecclesiis, vel quando Canonici Cathedralis fuerunt solùm negligentes in eligendo, tunc enim potestas devol-

devolvitur ad superiorem immediatum, *c. ne pro defectu 41. h. t.*

15 Sin verò non omnes Capitulares in prima electione deliquerunt; & nihilominus reliqui innocentes, ad quos fuit devoluta potestas eligendi postea in altera sequenti electione delinquant, eligentes, & ipsi scienter indignum: tum jus eligendi non devolvitur ad priores, qui in prima electione deliquerunt, tametsi exclusi à secunda fuerint, sed ad superiorem ad quem pertinet electum pro ea vice confirmare, quia tunc res perinde se habet, ac si omnes simul deliquissent, & desumitur ex *c. bona 23. in fin.* juncta Glossa *V. ad nos h. t.* ubi dicitur, quòd sive separatim omnes Capitulares deliquerint, semper potestas eligendi transfertur ad superiorem, quia postquam reliqui Capitulares qui non erant privati eligendi potestate, eligunt postea scienter indignum, totum Capitulum deliquit, proinde omnes amittunt jus eligendi, quod transfertur ad superiorem.

16 Quæritur decimò, an Capitulares, ad quos ob delictũ aliorum Capitularium, qui eligerunt indignum devoluta est potestas eligendi pro ea vice, possint, si velint, privatos admittere ad novam Prælati electionem? Respondetur affirmativè, & desumitur ex *c. cùm Vintoniensis 25. h. t.* ubi Glossa communiter recepta ait, eum qui scienter indignum eligit, amittere potestatẽ eligendi, & hanc devolvi ad illos, qui non peccârunt. Eos tamen, qui amiserunt potestatem eligendi posse admitti ad electionem ab his, ad quos est devoluta facultas eligendi. Ratio desumitur ex eo, quia eligentes indignum non sunt suspensi ab officio, sed tantùm ab una proxima electione excluduntur: & sicut Capitulares possunt extraneos Clericos ad electionem admittere *c. scriptum 30. h. t. c. bona 4. de postul. Prælat.* ita possunt etiam tanquam extraneos admittere alios Capitulares, quia ex eo, quòd elegerint scienter indignum privati sunt pro illa vice jure eligendi: quia privatio hæc non cedit in favorem delinquentium, sed aliorum, qui non deliquerunt, & quisque potest cedere favori suo, Hinc semel quòd delinquentes admissi sunt à non delinquentibus cessat eorum privatio, & recuperant jus eligendi, adeò ut ad aliam electionem possint liberè vocari, immo & debeant; tametsi ad electionem, à qua erant exclusi in pœnam delicti, admissi fuerint. Ratio est, quia eligentes scienter indignum sunt privati potestate eligendi quantum ad alios, qui non deliquerunt, non verò quantum ad se, proinde si ab aliis Capitularibus admittantur possunt eligere. Tum quia licèt sint suspensi à beneficiis, non tamen ab officio, proinde quantum est ex ipsis non prohibentur eligere, quia electio non est actus beneficii, sed officii: Cæterum observandum est, quòd ut Capitulares possint extraneum Clericum admittere ad electionem, non sufficit consensus majoris partis Capituli præsentis, & legitimè congregati, sed requiritur, ut omnes & singuli Capitulares consentiant: adeò ut si unus solus non consentiat, impediat admissionem extranei, vel etiam illius, qui ob delictum fuit privatus jure eligendi, ut notat Abbas *d. c. cum Vintoniensis n. 3.* ratio, cur unus tantùm possit impedire admissionem extranei est, quia per hanc admissionem extranei derogatur juri singulorum eligentium: quia quo plures sunt, qui suffragantur, minus efficacia sunt singulorũ suffragia, hinc valet *regula juris 29. in 6. quod omnes tangit, ab omnib⁹ debet approbari*, Id tamẽ limitatur in iis, quæ ob necessitatem, vel utilitatem publicam ecclesiæ statuenda sunt, quia tunc sufficit consensus majoris partis capituli, vel collegii *c. 1. de his, quæ fiunt à majori parte.* Cæterum si Capitulares ob delictum privati jure eligendi, se electioni intrudant, possunt à non privatis etiam per vim coerceri, dummodo notorium sit, eos pro illa vice privatos esse jure eligendi: quia Capitulares, apud quos est jus eligendi utuntur jure suo, & vim vi repellere licitum est *c. significâsti 18. de homicid.* Sin verò notoriè non constet de pœna privationis, non possunt tunc non privati privatos per vim expellere, quia in causa non manifesta nemo potest sibi jus dicere contra adversarium: sed tunc petendum est à superiore, ut declaret per sententiam latam cum prævia cognitione causæ eos, qui in eligendo deliquerunt jure eligendi privatos esse pro illa vice, *argum. c. cum secundum 19. §. confiscationis de hæret. in 6.* ubi dicitur, quòd si aliqui sint ipso facto privati bonis suis ob hæresin, vel crimen læsæ Majestatis non propterea debent eorum bona occupari, antequam præcedat sententia declaratoria, quòd inciderint in pœnam juris.

Quæritur undecimò, quánam pœnâ puniantur eligentes Prælatum in ecclesia viduata, non servatâ formâ scrutinii? Respondetur, talem electionem ipso jure esse nullius valoris *c. quia propter 42. h. t.* Id tamen intelligitur de electionibus illorum Prælatorum, per quorum mortem censetur ecclesia viduata, & limitatur dummodo non habeatur speciale privilegium Apostolicum de tenenda alia forma electionis, aut de una, vel altera conditione scrutinii omittenda *argum. c. Abbate §. contra de V. S.* vel nisi per consuetudinem fuerit alicubi aliud legitimè introductum. *argum. c. ult. de consuet.* quia consuetudo, si fuerit legitimè præscripta inducit novum jus; immo limitatur etiam, quando electores sunt tantùm duo, vel tres, quia tunc non possunt servare formam scrutinii in *c. propter 42. h. t.* quia in illa assumi debent tres scrutatores de collegio, & cum ipsi constituant totum collegium, non supersunt alii tres, qui constituantur scrutatores: nec tunc potest mens dictæ decretalis in *c. quia propter* adaptari ad duos, vel tres solùm Electores, proinde cessat tunc obligatio servandi talem formam scrutinii, quoad scrutatores assumendos de collegio ut notat Innocentius *in d. c. quia propter. n. 5. h. t.* 17

Quòd si petatur, quid juris, quando mortuo Episcopo, ex cæteris Canonicis ecclesiæ cathedralis solùm tres, vel duo, vel unus tantùm eorum remansit. Respondetur, tunc jus Capituli remanere penes tantùm illum superstitem, ut notat Abbas *in c. gratum n. 9. de postul. Prælat.* & licèt ille unus non possit se ipsum eligere in Episcopum, eò quia censeretur ambitiosus, & hoc ipso repellendus *c. per nostras 16. de jure patron.* possit tamen eligere extraneum, 18

neum, quòd si nollet eligere, censeretur ipse electus à jure, sic posset à superiore confirmari, si dignus esset, & haberet omnia requisita, ut notat Passerinus *de elect. c. 11. n. 70.* Sin verò tantùm duo remaneant Capitulares possunt isti, si consentiant, vel eligere extraneum, vel compromittere limitatè ad aliquem, ut is alterutrum ex his duobus eligat: quia cùm neuter eorum possit se ipsum eligere; non potest inter ipsos dari concors electio, & majoribus suffragiis celebrata, nisi alter eorum renuntiet juri suo eligendi, tunc enim si alter eligeretur ab altero Concanonico censeretur ritè electus, ut notat Passerinus in *d. c. 18. de elect. n. 82.*

19 Quæritur duodecimò, an pro aliquo eventu, possit electus in Episcopum administrare in Episcopatu, ante impetratam confirmationem? Respondetur, id non prohiberi, si talis administratio fiat de consensu Superioris: solet enim nonnunquam Papa concedere Episcopis electis per speciale Breve, ut ante acceptatam confirmationem administrent. Notat tamen Fagnanus non sufficere licentiam administrandi petitam ante confirmationem, sed ulterius requiri, ut fuerit obtenta *argum. c. cum venerabilis*, & ibi Fagnanus *de consuetud. n. 7.* Rursus potest electus administrare ante confirmationem, si id habeat ex privilegio, ut notat idem Fagnanus *loc. cit. n. 11.* Cæterum si præscindamus à privilegio, & licentia obtenta à Papa, per consuetudinem non potest induci, ut electus administret antequam confirmetur, quia cùm hæc consuetudo reprobetur à jure, esset potius abusus, quàm usus. Præterea quòd dicitur de administrando Episcopatu post electionem, & ante confirmationem tantùm procedit de electis in partibus longè dissitis à Curia Romana, ut sunt electi in Germania à Capitulis Cathedralium: tales enim electi possunt immediatè administrare tam in temporalibus, quàm in spiritualibus, antequam confirmentur, dummodo fuerint electi in concordia, idque dispensatione fuit illis concessum expressè à jure in *c. nihil est 44. §. fin. h. t.* ob necessitates, & utilitates ecclesiarum cum hac tamen limitatione, ut de rebus ecclesiæ nihil penitus alienent. Neque obstat, quòd in textu dicatur *dispensativè*, & quævis dispensatio utpote læsiva juris sit restringenda: nam cum hæc dispensatio juris corpori juris inserta sit, & simul facta ecclesiis ob earum utilitatem, ideò non restringitur, sed potiùs ampliatur ex paritate rationis, & eadem æquitate, ut notat Barbosa *in d. c. nihil est 44. n. 5. h. t.* Illi verò dicuntur electi in concordia, non quia nemine prorsus discrepante electi sint, id enim rarissimè contingit, & citata decretalis parùm prodesset electis: sed dicuntur electi in concordia juxta præsens institutum, qui electi sunt, vel ab omnibus, vel saltem à majori parte Capituli, dummodo minor pars non habeat rationabilem causam contradicendi *argum. c. 1. de his, quæ fiunt à majore part. Capit.*

20 Dubitatur tamen, an hæc dispensativa concessio administrandi ante obtentâ confirmationem suum adhuc habeat vigorê, quia Bonifacius VIII. in *extravag. injunctæ de elect. inter Communes*, sub nullitate actûs, & aliis gravioribus pœnis prohibet, ne Episcopi, & alii Prælati, qui apud Sedem Apostolicam promoventur, aut confirmationem recipiunt; vel munus consecrationis, vel benedictionis, audeant bonorum Ecclesiasticorum administrationem accipere, donec exhibuerint litteras Apostolicas de sua promotione, & confirmatione: hinc Passerinus *de elect. c. 33. n. 35.* asserit: hodie ob *d. extravag.* nullum Episcopum, vel Prælatum, qui debet confirmationem petere à Papa, tametsi existat in remotissimis Indiarum partibus, posse administrare non exhibitis litteris Apostolicis electionem, confirmationem, & provisionem ejusdem continentibus: & hæc sententia mihi videtur probabilior, quia potest contingere, quòd Prælatus ob occultum aliquem defectum ante suam confirmationem deprehendatur inhabilis, seu inidoneus ad talem prælaturam, ac proinde sit repellendus: tunc enim si antea administrasset omnia ab ipso administrata forent cassanda, quia cessante principali cessant accessoria, quæ ex illo sequuntur.

Verùm hæc non procedunt, quando electus habet potestatem administrandi à Superiore. Cæterùm Pirhing. *h. t. n. 297.* censet, in in ecclesiis Germaniæ propter earum necessitates, & utilitates licentiam Capituli sufficere, ut Episcopus electus possit ritè administrare, quia hæc dispensativa juris concessio est ecclesiis favorabilis, & ad *extravag. injunctæ de elect.* respondet, ibi solùm prohiberi, ne quis asserens se à Papa esse promotum, vel confirmatum recipiatur à Capitulis, aut Conventibus, vel administret antequam exhibeat litteras Apostolicas super his confectas: quod verò prohiberi, quia electi extra Italiã in concordia possint dispensativè, & ex concessione juris communis administrare, antequam accipiant litteras approbantes, & confirmantes electionem: quia isti videntur administrare non asserta confirmatione Apostolica, sed ex concessione juris, ut etiam notat Winzerlus *tit. 5. de jurisdict. Episc.* 21

Quæritur tertiodecimò, quænam censenda sit major pars Capituli, ut electio suum sortiatur valorem? Respondetur, majorem partem Capituli eam dici, in qua numerus eligentium respectu totius Capituli præsentis est major, quia absentium canonicè citatorum non est ratio habenda, si noluerint, venire, vel ipsi se se alienos & valdè dissitos reddiderint, *c. cum. nobis 19. h. t.* unde non sufficit sola major pars suffragiorum comparativè ad alias minores partes; sed requiritur major pars respectu totius Capituli simul congregati, ac præsentis, adeò ut si sint viginti Vocales; undecim suffragia constituant majorem *c. Cumana 50. h. t. c. si cui 33. eod. tit. in 6.* quia ad majorem partem sufficit quicunque excessus ultra medietatem. Immo sufficit etiam excessus unius medii voti, adeo ut si vocales sint tredecim, septem suffragia constituant majorem partem. quia cùm jura loquantur indistinctè, valere scilicet electionem factam à majore parte Capituli, & nullibi dicant debere hunc excessum esse unius integri voti, seu suffragii 22

fragii sufficit qualiscunque excessus etiam unius medii suffragii, quia ubi jura non distinguunt, nec nos debemus distinguere, ut notat Cardinalis de Luca *tom. 1. discurs 1. de Paroch. n. 18.* Passerinus *c. 19. de elect. n. 18.* Abbas in *c. Cumana. n. 9. b. t.* Rursus in electionibus electio facta à minore parte Capituli non solùm est invalida, sed nec per consequentem consensum aliorum potest ratificari *c. auditis 29. b. t.* quia quod ab initio est irritum, non potest per tempus posterius convalescere.

23 An verò electio, ut valida sit, fieri debeat copulativè à majori, & saniore parte Capituli? communior sententia affirmat, & desumitur ex *c. quia propter 42.* ibi: *Ille, in quem major, & sanior pars Capituli consenserit sine ulla appellatione est electus.* siquidem generale est, quòd in universitatibus ecclesiasticis non valeat nisi quod gestum est à majori, & saniore parte Capituli, & quidem copulativè *c. 1. de his quæ fiunt à majore, & seniore parte Capituli*, quòd si electio fiat tantùm à saniore parte Capituli, non valet, nisi ea fuerit simul major copulativè *c. Cumana 50. b. t.* ubi dicitur, quòd si electio non sit à majore parte Capituli non valeat: unde illa electio tantùm est valida, quæ fit à majore parte, dummodo hæc non eligat scienter indignum, quia tunc cum ipsa pro illa vice esset privata jure eligendi, valida esset electio de digno facta à minori & saniori parte Capituli etiam in eodem scrutinio, ut habetur *in c. congregato 53. b. t.* ubi Pontifex declarat, quòd si in eodem scrutinio major pars eligat indignum, & minor dignum valeat electio minoris partis, quia major pars eligendi indignum privatur pro illa vice potestate eligendi, quæ devolvitur ad minorem.

24 Circa verò saniorem partem Capituli Canonistæ distinguunt, quia si numerus majoris partis multum excedat minorem, adeò ut si notabiliter major numerus prævaleat, licèt alia minor pars sit sanior, electio valet; dummodo electus sit idoneus, ut docet Layman. *c. si quando 9. b. t. in 6.* quia tunc cum alterutra harum electionum sit admittenda, & illa non possit admitti, quæ spectato numero tertiam totius Capituli partem non excedit, aut vix excedit, sequitur, alteram electionem numero notabiliter excedentem esse admittendam. Quòd si numerus unius partis non multum excedit, tunc iterum est distinguendum: quia vel authoritas eligentium, & meritum electi multum, & notabiliter excedunt, vel tantùm parùm, & in hoc posteriore casu admittitur etiam electio facta à majore parte Capituli, quia propter modicum excessum non est recedendum à regula canonica, juxta quam quæ fiunt à majore parte Capituli rata sunt *c. 1. de his quæ fiunt à majore parte Capituli*: quòd si authoritas eligentium in numero unius partis notabiliter excedit, tunc censet Layman ineam electionem esse confirmandam, eò quia pars sanior possit agere non ut sua electio admittatur, sed ut alterius partis electio declaretur irrita: siquidem in *c. propter b. t.* ad canonicam electionem requiritur ut electio sit copulativè major, & sanior pars Capituli.

Hinc si Capitulares sint viginti, & undecim eligant unum, & novem constituentes saniorem partem alium, tametsi electio sanioris partis non sit valida, eò quia non sit simul major, potest tamen opponere contra majorem partem, si merita minoris, & sanioris notabiliter excedant merita majorum; ut si undecim Capitulares essent omnes juniores, & eligerent etiam juvenem: & alii novem essent seniores, apud quos esset authoritas, Zelus, meritum, posset tunc hæc sanior pars licèt minor opponere contra electionem alterius. Cæterum si una pars major non notabiliter excedat numero alteram, quæ authoritate, Zelo, & meritis electi multùm excedit aliam, censet Layman in *d. c. si quando 9. b. t. in 6.* inchoandam esse novam electionem, cùm non devolvatur jus eligendi ad superiorem, eò quia non fuerit peccatum in forma, nec fuerit indignus electus, nec tempus trimestre elapsum.

Quæritur quartodecimò, quid juris, si electione debito tempore, & loco instituta, & post datum signum Capituli aliqui vocales non compareant, vel inde egrediantur, aut schedulam nullo signatam nomine mittant in urnam? 25
Respondetur, absentes esse monendos, ne ipsi possint objicere contemptum: præsentes verò si congruo tempore, & loco instituta electione, & dato signo non compareant, possunt vocari specialiùs, tametsi censeantur sufficienter vocati per pulsum æris campani, seu signum Capituli, & si nolint adesse, censendi sunt, ac si non essent de Capitulo, & tota eligendi potestas residet in aliis, qui adsunt, & desumitur ex *c. cum nobis 19. b. t.* ubi dicitur, quòd si congruo tempore, & loco instituta electione Prælati aliqui adesse nolint, qui jus habent eligendi, censendi sint quasi non essent in numero electorum, & tota eligendi capitularis potestas residet in aliis *c. quòd sicut 28. b. t.* Notanda est doctrina Glossæ *in element. quod circa 6. juxta fin. b. t.* ubi æquiparat tria genera Electorum. Primò eorum qui ad electionem venire non possunt, nec procuratorem mittere ob nimiam loci distantiam, & isti non est necessè vocentur. Secundò, eorum, qui cùm possent, adesse tamen nolunt. Tertiò eorum, qui expressè juri renuntiant electionis, & ait Glossa, hos omnes non esse computandos in numerum Capitularium, quia electio celebranda est præsentibus omnibus, qui debent, & volunt interesse; qui enim nolunt, possunt juri suo renuntiare, quia ordinariè nullus Capitularium compellitur, ut per se, vel per substitutum Procuratorem ad tractatum electionis veniat, nisi fortassis necessitas ecclesiæ id exigeret: vel nisi alicubi speciale statutum vigeret, vel consuetudo legitimè præscripta id postularet.

26 Rursus si inchoato jam electionis tractatu aliqui vocales egrediantur, & nolint ampliùs redire, possunt alii sine ipsis procedere, dummodo major pars Capituli non fuerit egressa, quia tunc solvitur Capitulum: cæterum qui recedunt præsertim sine causa, non sunt amplius expectandi, si nolint redire, si enim major pars remaneat, jus eligendi manet apud ipsam, quia: ibi

ibi dicitur esse Capitulum, ubi est major pars Vocalium, & desumitur ex *c. 1. de his quæ fiunt à majore parte Capituli*: idq; procedit, quamvis egredientes protestentur, & appellent, quia exeo, quòd recedant constituunt se à Capitulo, & jure eligendi alienos, ut desumitur ex *c. à nobis h. t.* Tum quia non venire, & non expectare finem in jure sunt paria *can. certum est 11. q. 3.* & *c. 1. de judic.* unde semel quòd egrediuntur, tametsi protestentur, & appellent, non amplius pertinent ad electionem, & possunt alii, qui remanent, dummodo constituant majorem partem Capituli validè procedere ad electionem, ut docent Pirhing *h. t. n. 135.* Cardinalis de Luca *discurs. 27. de Canonic. n. 9.* Passerinus *de elect. c. 11. q. 11. n. 101.* & habetur etiam in *decis. 313. recent. n. 13. p. 19.* Rotæ Romanæ. Imò id etiam procedit, si aliqui ex vocalibus non egredientes, sed remanentes in Capitulo nolint suffragari, seu sua vota in urnam mittere, & protestentur in contrarium, ut notat Barbosa *lib. 1. jur. ecclesʃ. univerʃ. c. 19. n. 224.* post Rotam in Cæsaraugustana electionis 29. Martii 1623. coram Coccino, Cardinalis de Luca *discurs. 53. de regul. n. 9.* Quòd verò ad schedulam vacuam attinet; si quis ex vocalibus schedulam nullo notatam nomine electi miserit in communem suffragiorum urnam, nulla illius ratio est habenda *c. cum. nobis 19. h. t.* & notat Glossa in *Clement. quòd circa 6. h. t.* Ratio est, quia per hoc, quòd nullum notaverit electi nomen in propria schedula, censetur renuntiâsse juri electionis, & perinde consideratur, ac si non esset de numero Vocalium, ut notat Navarrus *consil. 7. de elect. n. 1.*

28 Quæritur quintodecimò, an ad ecclesias parochiales promovendi sint digniores præ minùs dignis? Respectu beneficii ecclesiastici ille dicitur dignus, cui insunt omnes qualitates jure requisitæ ad ejus ministerium ritè obeundum: & è converso ille indignus, cui deest aliqua ex qualitatibus ad ministerium beneficiale de jure requisitis; & ille dicitur dignior, qui respectu aliorum majorem habet sufficientiam, & aptitudinē: hæc verò major sufficientia, & aptitudo non est simpliciter mensuranda ex majore doctrina, vel majore vitæ probitate, aut generis nobilitate; sed conjunctim ex omnibus animæ, & corporis dotibus, & capacitate ad regendum, adeò ut his omnibus pensatis censeatur cæteris utilior, si præficiatur alicui ecclesiæ, ut docet D. Thomas 2. 2. *q. 183. art. 3.* Rursus certum est, ad Prælaturas, & ad alia beneficia ecclesiastica non nisi dignos, & idoneos esse eligendos, ac promovendos, quia est contra rectam rationem assumere ad officium spirituale personam non idoneam: & beneficiū datur propter officium. Imò non solùm digni sunt eligendi, sed etiam digniores sunt illis præferendi, si adsint, ut statuitur in Concilio Tridentino *sess. 24. c. 1. de refor*, & quia non defuerunt Doctores, qui sensum Concilii sinistra interpretatione perverterint. Innocentius XI. in decreto die 2. Martii 1679. emanato inter alias hanc etiam propositionem, quæ est ordine 47. damnavit, propositio est ita: *Cùm dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint ad ecclesias promovent. Concilium vel primò videtur per hos digniores nō aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo; vel secundò locutione minùs propria ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos, vel tandem loquitur tertiò quando fit concursus.* Ratio cur sint eligendi digniores assignatur à Concilio Trident. *sess. 6. c. 1. de refor.* quia ecclesiarum regimen est onus Angelicis humeris formidandum, ex quo infert Concilium, eos esse eligendos, qui maximè digni fuerint.

Quæritur modò, an hæc doctrina etiam procedat de promovendis ad ecclesias parochiales. 29
Et respondetur affirmativè. Adeò ut promovens ad ecclesiam parochialem minus dignum omisso scienter digniore, non excusetur à peccato lethali: ratio est, quia Parochis perinde ac Episcopis incumbit regimen ecclesiarum, & animarum *c. cum non ignores 15. de præbend.* proinde asserens, posse ad munus parochiale eligi minùs dignum prætermisso scienter digniore incurrit damnationem per Innocentium XI. latam in propositione ordine 47. inter damnatas ab eodem, in qua Pontifex damnat docentes Concilium Tridentinum declarans eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint ad ecclesias promovent: esse Concilium intelligendum, ut per digniores digni sumantur, eò quia Concilium utatur comparativo, pro positivo: & etiā damnat asserentes, Concilium locutione minùs propria ponere dignioré, ut excludat indignos non verò dignos; vel Conciliū loqui in concursu: Hinc asserens posse assumi ad regendam ecclesiam parochialem dignum in comparatione dignioris seu minus dignum relicto digniore incurrit damnationem propositionis 47. ab Innocentio XI. damnatæ. Tum quia ratio Concilii in *d. sess. 24. c. 1.* est generalis de omnibus eligendis, vel promovendis ad beneficia curata, verba Concilii sunt: *Omnes & singuli meminerint, nihil se ad Dei gloriam, & populorum salutem utilius posse facere quàm si bonos Pastores, & ecclesiæ gubernatores idoneos promovere studeant, eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare; nisi quos digniores, & ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curaverint.* Hæc enim ratio æquè militat de promovendis ad Episcopatum, & ad parochiā: quia Parochi sunt etiam Pastores, & curam habent animarum, & regimen ecclesiæ: unde ob identitatem rationis decretum Concilii comprehendit non solùm Episcopos, sed etiam Parochos.

Quòd si dicas, Concilium Tridentinum *sess. 7. c. 3. de reform.* statuere, ut beneficia inferiora conferantur dignis, & idoneis. Respondetur, Concilium ibi loqui de dignis, & idoneis, quando non adsunt digniores, adeò ut collatio beneficii curati, ut valida sit, debeat fieri in personam dignam, & idoneam: aliàs si beneficium curatum conferatur indigno, vel inhabili est ipso jure irrita. Ex eo autem, quòd collatio 30

benefi-

beneficii curati facta digno, & idoneo sit licita, & valida, quando non adest dignior, non tamen est licita, si simul dignior; concurrat, & qui ab eligentibus, omnibus consideratis judicetur dignior, & ecclesiæ utilior, hæc enim scientia requiritur, ut collatio sit illicita, & conferens peccet mortaliter: alioquin cùm difficulter hæc major dignitas in promovendis cognoscatur, eò quia debeat mensurari ex omnibus qualitatibus, quibus insigniuntur eligendi: & plerumque qui scientiâ alteri præcellit, ab alio superatur in probitate vitæ, vel dexteritate agendorum, vel aliis qualitalibus: unde tenetur quisque eligere digniorem juxta propriam conscientiam: sublata enim scientia de digniore non incurritur peccatum lethale, si dignus, & idoneus eligatur, quia tunc elector nescit, alium esse digniorem. Præterea etiamsi cognosceret alium esse paulò digniorem, adeò ut excessus dignitatis esset modicus, & quasi dubitaret, quis sit dignior; tunc non peccaret lethaliter si eligeret, quem cognoscit, non habere illum modicum excessum dignitatis si tamen compensetur, ut docet Garciaz *p. 7. de benefic. c. 25. n. 2.*

31 Demum circa alia beneficia, quibus non est annexa cura animarum sufficit, si eligatur dignus, & idoneus, quia concilium Tridentinum *sess. 24. c. 1.* & propositio 47. Innocentii XI. tantùm damnant non promoventes digniores ad beneficia curata, non verò ad simplicia, de quibus nulla fit ibi mentio. Verùm D. Thomas *2.2.q.63.art.2.* censet, id etiam procedere de beneficiis simplicibus, quæ sententia mihi videtur magis consona justitiæ distributivæ, ut beneficia conferantur juxta merita, sive sint simplicia, sive curata. Cœterum si excessus dignitatis sit modicus in uno respectu alterius qui eligitur, vel promovetur; parvitas materiæ excusat à peccato mortali, perinde ac in aliis materiis, in quibus admittitur parvitas materiæ.

32 Quæritur sextodecimò, quid juris si de facto eligatur dignus prætermisso scienter digniore? Respondetur, tametsi electio indigni sit ipso jure irrita *c. dudum 22. de elect.* si tamen eligatur dignus, & idoneus prætermisso scienter digniore, electio suum fortitur valorem in utroque foro interno, & externo; quamvis quoad forum internum eligentes minus dignum lethaliter peccaverint: unde talis electio est quidem illicita, sed tamen valida, ut rescindi non possit, ut docet D. Thomas *2.2.q.62. art. 2. ad 3.* Garciaz *p. 7. de benefic. c. 16. n. 2.* ubi citat plures alios, & desumitur etiam ex *c. dilectus 32. h. t.* Ratio itidem est, quia si electio digni omisso scienter digniore posset impugnari in foro externo, ex eo tantùm capite, quia fuerit prætermissus dignior; in quavis fermè electione lites orirentur, cum ingenti ecclesiarum damno: siquidem in quavis quasi electione facilè posset objici, fuisse omissum digniorem, eò quia unus alium excedat doctrinâ, alius scientiâ, alius vitæ probitate, alius dexteritate in negotiis agendis pro majori utilitate ecclesiæ: quo pacto via sterneretur ad continuas lites. Quamobrem quamvis eligentes mortaliter peccent, si prætermittant scienter digniores eligere, & tantum eligant dignum, non tamen electio licèt illicita sit, est invalida: quia multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint obtinent roboris firmitatem *c. ad Apostolicam 16. de regul.* Præterea quia nullibi in jure canonico electio digni declaratur invalida, sed tantùm electio indigni statuitur ipso jure irrita: tantùm jura tum antiqua, tum nova in Concilio Tridentino declarant illicitam electionem digni, quando scienter prætermittitur dignior.

Videtur tamen in contrarium obstare constitutio Pii V. cui initium est. *In conferendis* emanata anno 1566. 13. Calendas Aprilis, in qua Pontifex expressè prohibet, ne Episcopus minùs habilem eligat ad ecclesiam parochialem posthabitis magis idoneis: & concedit rejectis, ut possint appellare ad Metropolitanum, & ecclesia parochialis, si constiterit de irrationabili judicio eligentis, conferatur magis idoneo: ex qua constitutione videtur sequi, electionem minus digni ad ecclesiam parochialem prætermisso scienter digniore non solùm esse illicitam, sed etiam invalidam: quia ecclesia parochialis potest tunc conferri magis idoneo, quod non contingeret, si prima electio fuisset valida. Verùm respondetur, id esse speciale in electione ad parochialem ecclesiam per concursum ob specialem dispositionem Pii V. in *d. constit.* Cæterum notat Passerinus *de elect. c. 30. n. 81.* id parum præseferre utilitatis, ut in foro externo electio minus digni cassetur: siquidem excessus dignitatis in ordine ad beneficia ecclesiastica non solùm dependet à majori scientia, & doctrina; verùm etiam ex prudentia, morum probitate, vitæ sanctimonia, solertia, Zelo animarum, dexteritate ad regendum, nobilitate, & aliis externis circumstantiis, quæ possunt movere, ut minus doctus sit præferendus doctiori. Tum quia nonnunquam in examine, qui sunt doctiores minus suis responsionibus satisfaciunt interrogationibus factis ab Examinatoribus, eò quia interrogentur super quæstionibus nō prævisis, vel quia Examinatores non clarè, & distinctè se explicant; & è contrario minùs doctus subinde examinatur super iis, quibus paulò ante studuit: unde ex illo examine difficulter potest conjici, quis sit doctior, si spectetur doctrina, quæ possidetur etiam circa alia ab iis, qui tunc examinantur. Demum si Episcopus semel promoverit unum ad ecclesiam parochialem, adeò vehemens est præsumptio pro eodem Episcopo, ut debeat clarè edoceri de dolo, & irrationabilitate ipsius in *decis. 537. p. 1. recent. Rotæ Romanæ.* 33

Quæritur decimoseptimò, quænam requirantur in eo, cui commendatur ecclesia parochialis? 34
Beneficium tunc dicitur commendari, quando datur alicui non ut illud possideat tanquā suum, sed habeat in commendam, seu custodiam, & administrationem: commendare enim alicui beneficium aliud non est, quàm illud deponere *l. 286. ff. de V.S.* commenda alia est perpetua, alia temporalis, illa dicitur quando ecclesia, vel beneficium alicui committitur in perpetuo, ut tamdiu illud regat, & ministret, quamdiu vixerit, & tunc commenda constituitur in utilitatem personæ

sonæ, cujus curæ, & administrationi beneficium committitur: proinde tunc commenda æquiparatur beneficio, ut notat Garciaz *p. 4. de benefic. c. 4. n. 43.* hæc verò commenda perpetua usu tantùm, & consuetudine videtur in ecclesiam inducta; quia in jure commu ni est incognita. Commenda temporalis est, quando alicui committitur beneficium ecclesiasticum, seu ejus administratio ad certum tempus, donec persona idonea instituatur, & tunc commenda instituitur in utilitatem ecclesiæ, ut notat Barbosa *lib. 3. jur. eccles. c. 9. n. 1. & seq.* Rursus id interest discriminis inter commendatarium temporalē, & perpetuum, quia temporalis cum tantùm sit custos, & Procurator, & non habeat jus in ecclesia, vel beneficio, sed tantùm sit administrator, non facit suos fructus beneficii sibi commendati: quia non habet jus eos percipiendi: sed tantum colligendi & providendi ministris de necessariis alimentis, adeò ut fructus, qui superfunt impendi debeant in utilitatē ecclesiæ. Secus Commendatarius perpetuus cùm sit titularis in ecclesia suæ curæ commissa, habet jus in beneficio, perinde ac Beneficiarius, proinde facit fructus suos, de quibus potest disponere, ut docet Pirhing. *h. t. n. 89.* Garciaz *p. 4. de benefic. c. 4. n. 20.* Hinc cōmendatarius perpetuus potest locare possessiones, seu bona, & fructus beneficii, eósq; vendere, ut notat Rebuffus in *prax. benefic. tit de commen. n. 60.*

35 Respondetur igitur ad quæsitum, in illo, cui commendatur temporaliter ecclesia parochialis requiri eas qualitates, quas jura exigunt in Parocho, imò etiam alias. Hinc sicut parochialis ecclesia non potest alicui conferri in titulum, nisi 25. ætatis annum attigerit, *c. licet 14. h. t. in 6.* ita neque commenda temporalis: immo licèt ecclesia parochialis dari possit in titulū non sacerdoti *d. c. licèt. h. t. in 6.* non tamen potest commendari in commendam temporalem, nisi ei, qui actū est sacerdos, donec idoneus Rector instituatur in ordine sacerdotali, ut notat Glossa in *d. c. licèt V. sacerdotio* ubi ait, id esse de novo statutum. Rursus sicut prohibetur Clericus habere duo beneficia curata simul in titulum absque dispensatione Papæ, ita etiam prohibetur habere duas parochias in commendam perpetuam, imò etiam in duo beneficia curata, unum in titulum & alterum in commendam perpetuam: ratio est, quia commenda perpetua æquivalet titulo beneficii. Non tamen prohibetur Clericus habere unam ecclesiam curatam in titulum, & alteram in commendam temporalem *c. dudum 54. h. t.* Verùm ad id requiritur evidens necessitas, vel utilitas ecclesiæ, quia cuilibet ecclesiæ debetur proprius Pastor, & Rector *c. cum non ignores 15. de præb.* quo fit, quòd ecclesia alia Parochialis non concedatur in commendam temporalem alteri habenti jam beneficium curatum, nisi per relaxationem juris cōmunis, quæ non fit nisi causa necessitatis, & utilitatis, quinimò utraq;, vel alterutra semper attenditur in dispensatione *arg. c. fine 52. caus. q. 2.*

36 Quæritur decimoctavò, qui possint beneficia curata dare in commendam? Respondetur, commendare in perpetuum posse solum Papam, si beneficium commendatum sit curatum, ut notat Barbosa *de offic. Episc. alleg. 59. n. 6.* & alii cōmuniter, adeò ut ordinarius, seu Episcopus non possit dare alicui in commendam perpetuam beneficium curatum; licèt possit dare ad certum tempus, & ordinariè non ultra sex menses: & licet Episcopus ordinariè non possit hoc tempus semestre prorogare, iterum cōmendando ad alios sex menses eandem ecclesiam parochialem, sive eidem, sive alteri: eò quia id fieret in fraudē legis: siquidē tali pacto posset semper in perpetuum post alios sex menses cōmendare alteri, sicq; in perpetuum, quod jura non permittunt: potest nihilominus hoc semestre prorogare, si necessitas ecclesiæ id exigat, ut quia intra sex menses idoneus Pastor haberi non possit, vel etiam quia Pastor ordinarius debeat longiore tempore abesse: in his enim casibus Episcopus potest post lapsum semestre ecclesiam commendare, quamdiu durat absentia Rectoris. Cæterùm ordinarii collatores Episcopo inferiores, habentes potestatem conferendi beneficia jure speciali, seu privilegio, vel consuetudine legitimè præscripta, non possunt beneficium dare in cōmendam etiam temporalem; quia ex vi privilegii, vel consuetudinis tantùm habent potestatē conferendi, non verò cōmendandi beneficia: aliud est conferre, & aliud commendare, ut notat Garciaz *p. 4. de benef. c. 4. n. 8.* Quinimò jure novo Concilii Trident. ecclesiæ Parochiales non possunt dari in cōmendam etiam ad tempus semestre, adeò ut si contingat, Parochum abesse, vel obiisse, & idoneum Rectorem non posse statim institui; debeat ecclesiæ parochiali dari idoneus Vicarius eique assignari congrua redituum portio, ut onera ecclesiæ sustineat, ut statuit Concilium Triden. *sess. 24. c. 18. de refor.* Hinc commendæ, quæ ad sex menses in ecclesiis curatis jure antiquo fieri poterant ab Ordinariis *c. nemo de elect. in 6.* Post Concilium Tridentinum non possunt Episcopi dare ecclesias parochiales in commendam temporalē, seu ad semestre. Sed debent iisdem assignare Vicarios juxta formam præscriptam in Concilio Tridentino *sess. 24. c. 18.*

Quæritur decimonono, an, & quomodo Capitulares possint cōmunicare extraneis jus eligendi? Respondetur, Capitulares, dummodo omnes simul consentiant, posse extraneos, qui non sunt de gremio Capituli admittere ad coeligendum. 37
Ratio est, quia cum possint Capitulares cedere juri suo in toto, possunt etiā in parte, & contingit, quando ad coeligendum admittunt extraneos, quia tunc suffragia Capitularium non habent tantam efficaciam, sed minuuntur juxta incrementum, & majorem numerū extraneorum coëligentium: etenim si Capitulares erant duodecim, septem eorundē suffragia sufficiebant ad validam electionem: sin autem fuerint accersiti ad coëligendum alii sex, non ampliùs sufficiunt, quia non constituunt majorem partem, proinde deperdunt efficaciam. Quòd verò possint cedere toti juri eligendi ex eo liquet, quia possunt totam potestatem eligendi in alios Compromissarios transferre, unde multò magis possunt admittere extraneos simul coeligentes, idq; desumitur ex *c. scriptum 40 h. t.* Quinimò Electores possunt ad eligendum constituere Prælatum, non solum unum, sed etiam plures Pro-

Procuratores loco sui, adeò ut Procuratores tot suffragia habeant, quot sunt Electores constituentes, & desumitur ex *d. c. scriptum* ubi habetur, quòd duo Procuratores tot habuerint suffragia, quot eo tempore erant Prælati ecclesiarum Conventualium, quorum nomine & loco suffragia habebant.

38 Quæritur vigesimò, an irretitus censurâ aliquâ ecclesiasticâ, vel etiam irregularis possit eligi ad Prælaturam ecclesiasticam? Respondetur, excommunicatos majore excommunicatione non eligi ad Prælaturam, vel beneficium ecclesiasticum, & ejus electionem esse ipso jure irritam *c. postulastis 7. in princ. de cler. excommun.* siquidem excommunicatus majore excommunicatione trahit secum incapacitatem ad omnia beneficia, & jura ecclesiastica, consequenter etiam inhabilitatem, ut eligatur ad Prælaturam ecclesiasticam: immo id etiam procedit, quamvis nominatim denuntiatus, aut vitandus non sit, quia per *Extravag. Constantiensem ad evitanda.* nullus ipsis excommunicatis fit directè favor, ut docet Suarez *disput. 13. de censur. sect. 1. n. 26.* quinimò etiam electio excommunicati minore excommunicatione est saltem irritanda, si scienter fuerit electus: quia cùm sit privatus sacramentis, seu eorum perceptione, non potest ad ea administranda eligi *c. ult.* & ibi Glossa *V. scienter de cler. excommun.* proinde neque potest eligi ad dignitatem, nec ad aliud beneficium etiam simplex, si tamen scienter, seu sciens se esse excommunicatum, & inhabilem, nihilominus electus sit: quia si ignoranter absolvendus est ab excommunicatione, & electio non potest irritari; quia in *c. ult.* dicitur *si scienter* sit electus, electio sit irrita; proindè si ignoranter, tunc valet electio, ut notat Sylvester *V. excommunicatio 4. n. 4.* Eligentes verò scienter ligatum minore excommunicatione privati sunt pro illa vice jure eligendi, eò quia inhabilem elegerint *argum. c. cùm in cunctis §. fin. c. scriptum 40. in fin. h. t.*

39 Rursus electio ligati majori excommunicatione est ipso jure nullius valoris; sive electus excommunicatus fuerit à jure, sive ab homine: excipitur tamen nisi à sententia excommunicationis appellaverit, & post interpositam legitimam appellationem fuerit electus *c. licèt 14. de sent. excommun. in 6.* quia per appellationem excommunicatio censetur suspensa *c. præterea 40. de appellat.* excipitur etiam si fuerit tantum excommunicatus post electionem, vel appellationem legitimè factam *c. 2. de sent. excommun. in 6.* excipitur tertiò, si excommunicatus ante electionem fuerit absolutus *c. proposuit 8. de cler. excommun.* Cæterum non solùm excommunicati, sed etiam suspensi sunt ineligibiles *c. cum dilectus 8. de consuetud.* idque sive suspensi sint à jure, sive ab homine *c. cùm dilectus 8.* & ibi Glossa *V. suspensus de consuet.*

40 Hinc suspensus ab officio non potest eligi in Prælatum, quia non potest quis promoveri, ad illud officium, cujus exercitium est ipsi prohibitum *c. ult. de Cler. excommun.* Rursus qui per suspensionem privatur perceptione fructuum beneficii, quod jam possidet, non potest durante suspensione eligi ad novum beneficium, ratione cujus iterum acquirat novum jus percipiendi fructus ecclesiasticos: alioquin quòd una via quis perdit, per aliam statim acquireret *c. ult. de cler. excommun.* id tamen non procedit si solùm sit quis suspensus limitatè, seu restrictione ad certam ecclesiam; quia tunc ratione suspensionis prohiberetur quidem promoveri ad beneficia in illa ecclesia; non verò in alia *c. cupientes §. cæterum V. in ipsa ecclesia h. t. in 6.* Neque personaliter interdicti possunt eligi ad Prælaturam, vel aliud beneficium ecclesiasticum *argum. c. cùm dilectus 8. de consuet.* ut cum communi sententia docet Sylvester *V. electio 1. q. 14.* Demum neque irregulares, sivè ex delicto, sive ex alio quocunque defectu possunt eligi ad Prælaturam, vel aliud beneficium ecclesiasticum *c. is qui 18. de sent. excommun. in 6.* quòd si irregularis eligatur, electio est ipso jure irrita *c. nisi 10. de renunt.* ratio est, quia beneficium datur propter officium *c. ult. de rescript. in 6.* & quia irregularis est inhabilis ad officium, fit etiam inhabilis ad beneficium *c. ult. de Cler. excommun.*

Quæritur vigesimoprimò, an semel ob defectum repulsus à Prælatura possit de novo ad eandem eligi, vel ad aliam? Respondetur cum distinctione: vel prima electio fuit cassata ob formam electionis, vel ob aliam quamcunque causam non concernentem personam electi, & tunc nil prohibet, quin possit ad eandem, vel aliam prælaturam iterum eligi; nisi fortassis præcesserit simonia: vel electio fuit irrita, & cassata ob vitium personæ, & tunc non potest iterum eligi ad eandem, nec ad aliam prælaturam; idque desumitur ex *c. super eo 12. h. t.* ubi cùm quæsitum à Papa Clemente III. fuisset, an alicui electione cassatâ, si is ad aliam postea ecclesiam eligatur, confirmatio sit illi danda? respondit Pontifex cum distinctione, si prior electio cassata fuit non vitio personæ, sed ob formam electionis non servatam, nil impedire, quo minus ad aliam, imò etiam ad eandem ecclesiam promoveatur, nisi simoniacæ pravitatis aliquid intercesserit. Vel igitur prima electio cassata fuit ob vitium animæ, vel ob vitium corporis personæ electæ: si ob vitium animi, tunc quamvis nullo claro juris textu expressum reperiatur, quo prohibeatur denuò eligi, præsertim si crimen fuerit emendatum, & vitium sublatum, eò quia cessante causa cessare debeat effectus: nihilominus quia electi repulsi ob tale crimen personæ graviter læsa fuit bona ejus existimatio, ideò ad Prælaturam non debet saltem facilè iterum assumi, sine dispensatione superioris, & præmissa cognitione, an persona revera sit in præsenti habilis ad Prælaturam. Sin verò ob vitium corporis fuit electio cassata, ut ob defectum ætatis, vel natalium, vel aliquem morbum, tunc vitio illo perfectè emendato, ac defectu sublato iterum potest eligi ad eandem, vel aliam Prælaturam; quia cessante causa debet ejus effectus cessare *c. cùm cessante 60. de appellat.* & desumi- 41

tur etiam ex *c. cum inter 21. h. t.* ubi cum oppositũ fuisset electo, ipsum ob morbũ epilepticum fuisse in alia præcedente electione repulsum: Pontifex non mandavit inquiri de hac repulsa, sed an tempore, quo promovendus erat, adhuc tali morbo laboraret. Sin verò constaret, aliquem per diuturnum tempus laborâsse morbo epileptico non deberet tunc facilè eligi, priusquam plenè esset sibi restitutus, ac liber à tali incommodo per testimonia medicorum; quia præsumptio stat contra illum.

42 Secus si quis esset repulsus ob morbum ex sua natura non diuturnum, tunc onus probandi, quòd adhuc in præsenti laboraret tali incommodo, incumberet objicienti morbum, ut notat Innocentius in *c. cum inter 21. n. 1. h. t.* & cùm illo Abbas ibid. *n. 7.* Repulsus igitur ob vitium animi, seu crimen ipsius personæ in praxi non est iterum eligendus, nisi Superioris dispensatio præmissâ cognitione de præsente habilitate personæ accesserit: quia negari non potest, per vitium animi, vel crimen commissum gravari existimationem personæ, quæ ideo non facilè per novam electionem promovenda est. Excipitur tamen nisi vitium fuerit totaliter sublatum, & superior dispensaverit, si quid dubii adhuc remanserit. Cæterum id habetur speciale, quòd in detestationem criminis simoniæ, si hoc vitium irrepserit in electione, aut promotione ad Prælaturam, vel aliud beneficium ecclesiasticum etiam ignorante electo, aut proviso, proinde sine ejus culpa, ineligibilis adhuc fiat, & incapax beneficii, nisi Papa cùm ipso dispenset *c. 1. caus. 1. q. 5. c. penult. h. t.* & *c. nobis 27. de Simon.*

43 Quæritur vigesimosecundò, an si unus, vel plures ex Electoribus non fuerint vocati rescindi debeat electio? Respondetur, quòd si unus, vel plures ex Electoribus vocandis fuerint contempti, seu non vocati, & pauciores quam duæ tertiæ, seu partes Capitularium ex iis, qui debent, volunt, & commodè possunt interesse ad eligendum conveniant, electio ab iisdem peracta est ipso jure irrita, non quidem ob contemptum eorum, qui non fuerunt vocati, sed ob defectum potestatis eligendi, quia jus capituli ad eligendum residet saltem in duabus tertiis Capituli, seu Capitularium, qui debent, volunt, & commode possunt interesse: unde quando Capitulares non sunt tot numerò, ut constituant duas tertias, non inest ipsis potestas capitularis ad eligendum, vel decernendum aliquid, ut docet Innocentius in *c. cum nobis 19. n. 6. h. t.* & alii Canonistæ communiter. Quòd si aliqui Capitulares legitimè vocati ad electionem congruo tempore instituto nolunt, vel non possunt illi interesse, non sunt computandi in numero duarum partium, sine quibus electio est ipso jure irrita, tunc enim potestas eligendi est penes alios Capitulares, qui volunt, & possunt interesse, ut notat Abbas in *c. quia propter 42. n. 5. h. t.* quia propter paucorum Capitularium absentiam, sive necessariam, sive voluntariam non sunt impedienda negotia totius collegii *l. nominationem 45. C. de Decurionibus lib. 10.* Quòd si duæ tertiæ Capitularium ad eligendum convenerint, illorum scilicet, qui volunt, & possunt commodè interesse, & à majore, & saniore parte præsentium eligatur persona idonea; tametsi tunc unus, vel etiam plures ex Electoribus vocandis non fuerint vocati, ac proinde fuerint contempti; nihilominus adhuc electio suum sortitur valorem, ut communiter docent Canonistæ cum Abbate in *c. cum inter 21. n. 6.* & *in c. in causis 30. n. 9. h. t.* quia duæ tertiæ Capitularium vices gerunt, & habent totius Capituli, ut notat Glossa in *l. nulli 3. V. duæ partes ff. quod cujus univers. nom.* & desumitur etiam ex *c. cum nobis 19. h. t.* non enim est necessè ad valorem electionis, ut omnes intersint, neç ut omnes præsentes consentiant, sed sufficit, si major pars *l. quod major 19, ff. ad municip.*

Nihilominus quamvis electio ob contemptum aliquorum vocandorum non sit ipso jure irrita, alioquin contempti non possent eam per subsequentem consensum confirmare, quod enim ab initio est irritum, tractu temporis non convalescit. Possunt tamen Capitulares contempti unus, vel plures contemptum prosequi, & petere, ut electio ipsis non vocatis Superioris authoritate rescindatur ob contemptum, & injuriam ipsis illatam, in eo, quòd sine legitima causa fuerant exclusi ab electione, ad quam habebant jus: idque desumitur *ex c. sicut 28. §. si autem h. t.* ubi habetur, quòd si contemptus à Capitularibus velit contemptum suum prosequi, ac petere, ut electio rescindatur, id possit. Dicitur autem contemptus, qui jus electionis habens cùm vocari potuerit, vocatus non fuit, vel non tempestivè, ut comodè posset interesse. Cæterum ob pacis bonum potest etiam consentire electioni, seu illam non oppugnare, sed ratam habere: ex quo liquet, electionem uno, vel pluribus contemptis peractam non esse irritam ipso jure, alioquin contempti non possent postea eam confirmare: quod enim ab initio est invalidum tractu temporis non convalescit: unde si contempti dissimulent, seu se non opponant, electio est jure valida. An verò si qui fuerat contemptus decedat, ejus successor in beneficio possit contra ejus electionem agere, respondet Glossa in *d. c. quod sicut. communiter recepta V. consentire vers. item pone* cum distinctione: vel enim jus suffragii convenit alicui ut Prælato talis ecclesiæ, seu non personæ, sed dignitati, & tum mortuo contempto si hic expressè, vel tacitè non remisit, ejus successor potest agere de contemptu, quia jura Prælati, seu dignitatis non adhærent personæ, sed dignitati, quæ non extinguitur, sed transit ad successorem *c. si gratiosè 5. de rescript. in 6.* Vel jus suffragii convenit alicui ut canonico, seu Capitulari, & tunc successor in beneficio non potest agere de contemptu, quia canonico mortuo, vel resignante ejus jura transeunt ad capitulum *c. relatum 12. de testam.* Quapropter Canonicus quà talis non dicitur habere successorem, si propriè loquamur.

44

An

45 An verò postquam contemptus, seu non vocatus expressè, vel tacitè remisit jus suum electionem oppugnandi, adhuc Judex ex officio possit electionem rescindere, negant communiter cum Panormitano *in c. in Genesi 55. cum Gloss. ibid. ver. nec præmiss. n. 10. h. t.* Quod tamen procedit, si agatur de favore non publico, sed privato, & is, cujus interest promittat, quòd si ageretur de favore publico posset Judex ex officio electionem rescindere, quia juri introducto in favorem publicum non potest aliquis privatus renuntiare. Cæterum contemptus, si velit, potest petere, ut electio rescindatur non obstante, quòd jam fuerit confirmata: ut notat Innocentius *in d. c. quod sicut 28. n. 4. h. t.* & ratio est, quia confirmatio innititur electioni, tanquã Canonicè, & legitimè peractæ: proinde, si electio ob aliquem defectum rescindenda est, rescinditur etiam ejus confirmatio *argum. c. qualiter 17. h. t.* Quòd si contempti per publicum edictum ante confirmationẽ moniti juxta *c. ult. h. t. in 6.* neglexerunt se opponere electioni factæ sine ipsis, censendi sunt tunc juri suo renuntiâsse, proinde non sunt amplius audiendi.

46 Quæritur vigesimo tertiò, quinam appellare, vel opponere possint contra electionem. Respondetur, quemlibet cujus interest, vel per se, vel per alium, seu per Procuratorem posse ex justa causa opponere electioni factæ, vel faciendæ, vel etiam contra illam appellare *l. 1. ff. de appellat.* unde quilibet Clericus, qui est membrum Ecclesiæ potest opponere, & appellare nomine Ecclesiæ, ne indignus Prælatus eligatur *c. cum inter 24. h. t.* alii verò quorum non interest appellare contra electionem non possunt, quia *in d. c. cum inter 16. h. t.* expressè dicitur, cùm nisi quorum interest, audiri non soleant appellantes. Rursus nec possunt opponere contra electionem ipsi Electores, qui suffragia electo dederunt: postquam electio promulgata est, tametsi velint objicere electo aliquod crimen, vel defectum, vel formam electionis non Canonicè factam, ut liquet *ex c. nulli 8. h. t. in 6.* & ratio est, quia nemo potest impugnare proprium factum, & reprobare, quod semel approbavit juxta *regulam jur. 21. in 6. quod semel placuit, amplius displicere non potest*, unde cùm Electores celebraverint, & approbaverint electionem ab ipsis factam, non possunt eam postea impugnare, ut notat Glossa in *d. c. nulli v. impugnare.* Id tamen limitatur nisi causa impugnationis de novo post electionem emergat, ut quia electus statim post electionem, & ante confirmationem se immiscuerit administrationi: ratio est, quia de futuris, quæ prævideri non possunt, non videtur verisimiliter cogitatum, ut notat Francus in *d. c. cum nulli. n. 2.* vel nisi quod objicitur electo ante electionem non innotuerit, sed tantùm postea: tunc enim, si vitium manifestetur, potest impugnari ab Electoribus post electionem, quia non apparere, & non esse, paria censentur *l. in lege fundi 77. §. de contrah. empt.* sed tum tenentur Electores juramento firmare, sibi tempore electionis non innotuisse defectum: siquidem ignorantia illius, quod dependet à propria conscientia debet per juramentum proprium probari, cùm non possit aliunde constare. Rursus nec potest quis impugnare electionem ipso absente celebratam, si eam postea ratam habuit, ut habetur *in d. c. nulli 8. h. t.* quia eligere, & electioni factæ consentire paria sunt, ut ibidem notat Glossa *ver. celebrata*, quod procedit in ordine ad approbationem voluntatis, non verò ad alios effectus, ut notat Glossa margin. *in d. c. nulli.* eligens enim auget numerum suffragiorum, non ita, qui electioni factæ consensit.

Cæterum licèt Electores non possint impugnare electionem in concordia factam, potest tamen Superior ex officio, si velit, inquirere de defectibus electi, quem si deprehendat indignum, potest etiam excludere. Quod verò ad appellationem attinet, qui renuntiavit electioni de se factæ, non potest appellare ad impediendam novam electionem alterius Prælati, ut habetur *in c. cùm inter 16. h. t.* ubi is, qui renuntiavit electioni, dicitur non posse appellare ad impediendam electionem alterius Prælati, quia per renuntiationem non habet amplius jus ad illam electionem, & nihil ipsius interest appellare. 47

Verùm licitum est appellare non solùm, si alicujus intersit, proprio nomine, sed etiam alieno, ut si alicujus procurator constitutus sit, vel alienum negotium gerat, & Dominus mox sit ratum illud habiturus. Rursus causâ necessitudinis sanguinis, & affectionis possunt parentes pro filiis appellare, si eorum causa deserta sit. Item Clericus in causa suæ Ecclesiæ, & Monachus sui Monasterii appellare, & se opponere potest, si quid non Canonicè agatur, vel actum fuerit, quia appellatio tunc Monachi, vel Clerici quodammodo interest, cùm sit membrum Ecclesiæ, vel Monasterii. 48

Cæterum Papa in causis maximè beneficialibus potest compellere partes contendentes ad compositionem causâ pacis constituendæ, & discordiæ amovendæ, ut docet Felinus *in c. 7. qua in Ecclesiarum n. 55. de constit.* siquidem in Ecclesiasticis beneficiis supremam administrationem, ac plenissimam dispositionem Summus Pontifex obtinet *c. 2. de præbend. in 6.* 49

Alii verò inferiores Judices possunt, immo persæpè etiam debent partes contendentes hortari ad compositionem pacificam *c. studendum 7. dist. 90.* Non verò eas invitas adigere, quia si nolint se componere tenentur potiùs jus dicere petentibus, ut notat Glossa recepta in *l. 1. §. & post ff. de nov. oper. nuntiat.* nisi tamen causa fuerit pluribus tricis obvoluta, & partes longissimo tempore, & ingenti sumptu jam litigaverint, ut asserit Abbas *in d. c. cum inter 16. n. 9. h. t.* In casu verò, quo compositio ex utraque parte perfecta est, neutra pars potest amplius appellare, quia utraque censetur renuntiâsse juri suo, & litem absolvisse per pacificam compositionem. Cæterum appellans in causa electionis Episcopi, vel Archiepiscopi, vel aliorum Superiorum, sive in judicio, sive extra, debet appellare in scriptis, & causa rationabilis inseri in ipsa appellatione, ne sine legitima causa lites excitentur, & protrahantur cum damno Ecclesia- 50

rum. Immo appellans in causa electionis potest ab appellatione recedere, eique renuntiare; antequam ea præsentata sit Superiori: non ita post præsentationem, quia tum res non est amplius integra, idque procedit in majoribus causis pertinentibus ad Ecclesiæ bonum, ut notat Francus *in c. quamvis 10. n. 8. b. t. in 6.* quinimò, si appellatio semel intimetur parti contrariæ, tenetur appellans eam prosequi, & non potest illi renuntiare sine consensu contrariæ partis *c. interposita 70. §. ille de appellat.*

51 Quæritur vigesimoquartò, quænam jure Canonico statuantur ad coercendas oppositiones, & moderandas appellationes in causis electionis, & provisionis beneficiorum: Respondetur de his agi in pluribus capitibus *b. t. in 6.* & præsertim in *c. Statuimus 1. b. t.* ubi Innocentius IV. in Concilio generali Lugdunensi decrevit, ut si quis in electione, provisione, seu postulatione alicujus dignitatis, personatus, aut Canonicatus aliquid objicerit, ac proinde fuerit ad Papam appellatum, tam appellans, & se defendens, quàm cæteri quorum interest infra mensem à die objectionis per se, vel per procuratores proficiscantur ad Sedem Apostolicam. Quòd si post adventum unius partis, altera pars intra viginti dies non compareat, procedendum sit in causa appellationis. Qui verò objecit contra formam electionis, & plenè non probavit, condemnatur ad expensas partis contrariæ: sin verò objecit contra personam electi, & plenè non probavit, per triennium suspenditur à beneficiis Ecclesiasticis; ad quæ si temerè in illo triennio se ingesserit, erit ipso jure perpetuò privatus absque ulla spe indulgentiæ, nisi fortassis constaret, quòd causa probabilis ipsum possit à calumnia excusare: ex quo textu liquet, opponentes contra personam eligentium, si plenè non probaverint, non teneantur his pœnis, sed ire Romam ad prosequendam suam appellationem. Secus, qui opposuit tantùm, sed non appellavit, non tenetur ire Romam, quia censetur cessisse juri suo; & electionem admisisse. Qui autem appellavit dolose, appellationem non prosequitur, qui solùm opposuit post appellationem prosequi potest *c. concertationi 8. de appell. in 6.*

Rursus in *c. si fortè 11. b. t. in 6.* Gregorius
52 X. in Concilio Lugdunensi statuit, ut quando quis opponit contra electum, vel postulatum ad aliquam dignitatem evidentem defectum scientiæ, vel personæ, & alia impedimenta, priùs inquiratur de defectu personæ, aut scientiæ, & si probentur tales defectus electus declaratur ineligibilis, sin verò non probentur objiciens condemnatur ad expensas, & punitur, & non admittitur ad alias objectiones probandas. Ubi nota, id intelligi tantùm de eo, qui opponit contra electum ad aliquam dignitatem; non verò ad simplex beneficium. Rursus procedit textus, de opponente evidentem, seu manifestum defectum scientiæ, seu personæ, quia opponens defectum non evidentem, non probat, licèt possit adhuc admitti ad alios defectus probandos. Præterea in *c. ut circa 4. b. t.* Gregorius X. in eodem Concilio Lugdunensi decrevit, ut appellantes contra electiones, postulationes, vel provisiones, vel contra personas eligentium, & electi, teneantur exprimere in publico instrumento, seu litteris super appellatione confectis omnia, & singula, quæ objiciunt contra formam, vel personam, & simul jurare, quòd credant illa esse vera, & se posse ea probare: alioquin opponentes non possunt, nec tempore appellationis interpositæ, nec postea objicere aliqua in hujusmodi litteris non contenta, nisi fortassis essent aliqua de novo emersa: vel quæ licèt antiqua, verisimiliter tamen constat, quòd tempore appellationis potuerint facilè ignorari, & tunc teneantur appellantes hanc ignorantiam per juramentum probare, quia ab initio tenebantur inquirere, & cognoscere, quæ velint objicere, an probare possint alioquin præsumuntur malitiosè opponere.

Quæritur vigesimo quintò, quid servandum 53
sit in publicatione Scrutinii, & electionis? Electio alia est privata, alia communis, seu Capitularis, illa est singulorum vocalium suffragatio, & per hanc singuli Electores secretè, & singillatim ferunt sua suffragia, ut habetur *in c. quia propter 42. b. t.* Hinc tot enumerantur electiones privatæ, quot sunt numerò suffragia eligentium, ut habetur *in c. In benefi. 55. b. t.* Electio Capitularis, seu communis est, quæ receptis singulorum Electorum suffragiis, & facta eorundem collatione, fit ab uno tantùm nomine totius Capituli, ut habetur in *d. c. quia propter 42. b. t.* ibi: *ut in collatione habita eligatur, in quem omnes, vel major, & sanior pars Capituli consentit.* unde post electiones privatas, & secretas singulorum Capitularium publicatur electio totius Capituli, quia integra electio moraliter dicitur unus actus totius Capituli, qui non censetur completus, donec unus nomine totius Capituli manifestet electum, seu eum, in quem major pars suffragiorum collimavit.

Hæc autem publicatio est duplex una Scru-
tinii, & est publicatio votorum in communi, 54
& alia electionis Capitularis, quâ publicatur electio communis. Publicatio Scrutinii fit, quando Scrutatores publicant numerum suffragiorum correspondere generatim numero Capitularium, qui de præsenti sunt in Capitulo nondum exprimendo personas. in quarum favorem sunt data, ita Passerinus de *elect. c. 19. n. 1. & 4.* Publicatio electionis Capitularis tunc contingit, quando promulgatur decretum Capitularis electionis, ut habetur *in d. c. quia propter 42. §. fin. b. t.* ibi: *Electiones quoque clandestinas reprobamus statuentes, ut quàm citò electio fuerit celebrata solemniter publicetur.* Fit autem hæc electio Capitularis, & ejus publicatio similibus verbis: *Ego N. nomine meo, & omnium mecum consentientium eligo NN. in Episcopum, & electum pronuntio*, vel si ipse non consensit in electum dicit: *Nomine omnium vestrum, qui in ipsum consensistis*, verùm si alicubi habeatur specialis formula hanc electionem publicandi, ex consuetudine præscripta, hæc servanda erit. Post tamen publicatum Scrutinium Electores non possunt ampliùs variare, sed tantùm priusquàm publicetur *c. pu-*

blic-

blicato 58. h. t. quia tunc collatio est facienda, & electio celebranda, & quia ibi dicitur, quòd publicato Scrutinio variare nequeunt Electores; infertur à sensu contrario, quòd antequam publicetur Scrutinium, possunt Electores variare, ut notat Fagnanus *in d. c. publicato 58. n. 52. h. t.* ubi etiam addit rationem, quia variatio post publicationem Scrutinii cederet in infamiam, & injuriam nominati, ex quo facta est ejus nominis publicatio: ne igitur talis confusio sequatur in nominato, Pontifex meritò decrevit, non posse ampliùs Electores variare post publicatum Scrutinium: immo id procedit tam de singulis in particulari, quàm de omnibus in communi, adeò ut neutro modo possint ampliùs variare, ut notat Fagnanus *in d. c. publicato n. 11.*

55 Verùm id procedit, quando ex suffragiis particularibus datis in Scrutinio potest fieri, & sequi communis electio, quia illa verba: *publicato Scrutinio*, significant actum perfectum, proinde accipienda sunt cum effectu, ut notat Fagnanus *in d. c. publicato n. 35.* quòd si publicato Scrutinio suffragia eligentium essent utrinque paria, & nullus esset electus: tunc præses tenetur publicare electionem non esse factam, & tunc possunt Vocales novum Scrutinium inchoare, vel etiam mutato priori suffragio illud variare, eò quia nulli adhuc sit jus quæsitum, & ex tali variatione nulli nominato irrogatur infamia, ut notat Fagnanus in *d. c. publicato n. 36.* Rursus, si nominatus in Scrutinio velit juri suo renuntiare, & electionem de se factam recusare, tunc Capitulares debent necessariò variare, alium eligendo, etiam post publicatum solemne Decretum electionis *c. cum inter Canonicos 21. h. t.* generatim quoties publicato Scrutinio apparet, neminem esse nominatum, vel nominatum esse ineligibilem, possunt Electores variare inchoando novum Scrutinium, & alium eligendo *c. perpetuo 7. h. t. in 6.* quia electio de inhabili ipso jure est irrita *c. cum in cunctis 7. h. t.* Quòd si Electores scienter persisterent in indigno, privarentur potestate eligendi pro illa vice.

56 Quæritur vigesimo sextò, an in electionibus, quæ fiunt in Ecclesiis viduatis, validus sit accessus minoris partis ad majorem, vel æqualis ad æqualem, quando antea neutra habuit vota sufficientia? Respondetur, talem accessum non valere, quia in Ecclesiis viduatis electio celebranda est juxta formam præscriptam *in c. quia propter 42. h. t.* Siquidem publicato semel Scrutinio non possunt ampliùs Electores variare, ut notant Passerinus *in c. 22. h. t. n. 9.* Abbas *in c. cum in jure 33. n. 6. h. t.* siquidem de substantia formæ præscriptæ *in c. quia propter*, est, ut suffragia dentur secretè, & singillatim in ipso Scrutinio, unde semel publicato Scrutinio consensus superveniens nil operatur *c. Ecclesia vestra 57. h. t.* juncta Glossa *ibid. v. valebat.* Unde tunc, vel debet inchoari novum Scrutinium, & toties iterari, donec sequatur communis electio: vel si Electores nolint concordare, & inutiliter iterentur Scrutinia, potest negotium electionis tunc terminari per formam compromissi: vel si neque velint hanc formam acceptare, tandem jus eligendi devolvitur ad superiorem, & Papam.

Quæritur vigesimo septimò, an in Electionibus, in quibus non est necessariò servanda forma præscripta, *in d. c. quia propter 42. h. t.* valeat accessus minoris partis ad majorem, vel æqualis ad æqualem, si antea neutra pars habuit sufficientia vota pro communi electione? Respondetur affirmativè, adeò, ut in electione alicujus in Canonicum etiam publicato Scrutinio possit pars minor accedere ad majorem, vel æqualis ad æqualem, ut docent communiter Canonistæ cum Glossa *in c. cum in jure 33. ver. consentiat. h. t.* Abbas *in c. publicato 58. n. 4. h. t.* Layman. *in c. quia propter 42. h. t.* Pirhing. *h. t. n. 176.* quia cùm ex suffragiis minoris, vel æqualis partis nullum sit jus nominato acquisitum, ideò forma præscripta *in c. quia propter* respectu talium electionum non obligat, & tunc sufficit, si Vocales collegialiter congregati aliquem habilem, & idoneum eligant: unde nil prohibet, quin pars minor, vel æqualis possit ad alteram accedere, ut fiat communis electio: quia quando in electionibus non est servanda forma præscripta *in c. quia propter*, non est necesse, ut Electores eligant per vota secreta, & singillatim præstita in Scrutinio, ut accidit in Ecclesiis viduatis. Id tamen limitatur, nisi priùs major pars eligentium consenserit in aliquem idoneum, tunc enim publicato Scrutinio non potest ampliùs variari, quia id cederet in præjudicium nominati. Neque obstat, quòd in *c. auditis 29. h. t.* irrita declaretur electio facta à minore parte Capituli, non obstante, quòd alii ex postfacto ad eam accesserint, eò quia non possit convalescere (ut ibi ait Pontifex) quod ab initio non valebat: quia ut rectè notat Layman. *in d. c. n. 2.* ideo talis electio non fuit valida, quia accessus aliorum suffragiorum contigit post jam publicatum decretum electionis. Nos verò asserimus, talem accessum valere post publicatum Scrutinium, & nondum manifestatum electionis decretum.

Quæritur vigesimo octavò, an electus ad eandem Ecclesiam duabus diversis electionibus possit utrámq; prosequi ad impetrandam confirmationem? Respondetur negativè, & desumitur ex *c. 25. h. t. in 6.* ubi declaratur: quòd si fiant plures electiones de uno ad eandem Ecclesiam, vel Prælaturam, electus non potest ambas electiones prosequi, quamvis protestetur, se altera tantùm contentum esse; sed tenetur unam eligere, quæ si non habeat effectum, non potest habere regressum ad aliam. Ratio itidem ex eo desumitur, quia confirmatio supponit electionem, ut proprium suum objectum, proinde eam unicam, & certam: siquidem electo nonnisi ex una electione jus acquiritur, unde si prima valuit, secunda est irrita, & vice versa, ut notat Glossa *in d. c. ut quis. ver. ex una.* Tum quia sicut in duplici causa non potest acquiri dominium, ita neque jus in Prælatura, vel beneficio, ut asserit Ancharanus *in d. c. ut quis 25. not. 1. h. t.* Tum quia non potest confirmatio vagari in incerto, quia est quoddam decretum exigens fieri super jure certo, quod enim est incer-

57 58

TITULUS VII.

De Translatione Episcopi.

CUm in duobus præcedentibus Titulis Pontifex egisset de postulatione, & electione, iisdem adnectit hunc de translatione Episcopi, eò quia sit tertius modus perveniendi ad Prælaturam Ecclesiasticam: siquidem postulatione admissa, vel electione confirmata, necesse est, ut is, qui de una Diœcesi ad aliam vocatur, transeundi licentiam obtineat. Hæc tamen translatio non fit, nisi justis de causis, quia olim Sacri Canones vix permittebant, ut qui semel cujuslibet Ecclesiæ esset constitutus Episcopus, posset recedere, & alterius Ecclesiæ ambire Episcopatum. Id enim prohibet nominatim Apostolorum Canon 14. ibi: *Episcopum, qui Parochiam suam dereliquerit, alteri insilire, nefas esto.* Prohibita itidem fuit hæc translatio à Concilio Antiocheno *Can. Episcopum 7. q. 1.* & à Sardicensi *c. 1.* Immo, qui despecta Sede sua, majoris dignitatis cupit fastigium adipisci, jubetur utraque sede carere, scilicet & propria, quam despexit, & illa, quam contra jus ambivit *can. si quis Episcopus 7. q. 1. can. penult. h. t.* Nihilominus admittitur hæc translatio, quando evidens ratio utilitatis alicujus eam suadet, probata causa apud Synodum Provinciæ, & interposito Episcoporum decreto *can. Episcopus de loco 7. q. 1.* Jure tamen novo requiritur authoritas Summi Pontificis, quo inconsulto non licet Episcopo ad aliam Diœcesin transire.

SUMMARIUM EXEGETICUM

Omnium Capitum, quæ in hoc Titulo continentur.

C. *CUM EX ILLO 1. h. t. Sancit INNOCENTIUS III. ut Patriarcha non possit transferre Archiepiscopum, ad Episcopatum sub pœna suspensionis ab Episcoporum confirmatione, unde solus Papa potest hanc translationem instituere: censetur enim una ex causa majoribus, quæ Pontifici reservantur, ut notat Glossa* in c. quoad translationem de offic. ordin. *Ex hoc textu liquet, Archiepiscopum posse suos suffraganeos confirmare. Immo non consecratum posse mandare suffraganeis suis, ut illum electum consecrent.*

C. *INTER CORPORALIA 2. h. t. Idem Pont. declarat; translationem, depositionē, cassationem ab Episcopatu spectare ad solum Papam potiùs de jure divino, quàm Canonico, & id etiam procedere de electo, & confirmato, quamvis non fuerit consecratus; adeò ut non possit dejici à sua Ecclesia per Metropolitanum, nisi in casu, quo post sex menses à die confirmationis ex sua negligentia non fuerit consecratus: & tunc quamvis dejici possit à Metropolitano, non tamen potest transferri ad aliam Ecclesiam: illud enim Archiepiscopis concessum est à Papa, non istud: & secus facientes suspenduntur à consecratione, & confirmatione Pontificum: Episcopi autem ab executione Pontificalium.*

C. *QUANTO 3. h. t. Idem Pontifex rescribit, solum Papam, qui vicem gerit Dei in terris posse authoritate divina transferre Episcopum ab una ad aliam Ecclesiam. Quòd si Episcopus authoritate propria se transferat, privatur utraque Ecclesia, ut etiam Canonici illum recipientes privantur pro illa vice jure eligendi.*

C. *LICET ult. h. t. Idem Pont. confirmati dem, quod supra; & solùm addit, quòd Episcopus, cui indulgetur, ut possit transire ad majorem dignitatem, non possit transire ad æqualem. Rursus quòd postulatio sit eadem diligentia examinanda, sicut electio; ubi notat Glossa, faciliùs dispensari cum aliquo, ut ad majorem dignitatem transeat, quàm ad æqualem, vel minorem, & addit etiam rationem, quia honores debent gradatim conferri.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quomodo Prælati transferantur de una ad aliam Eccleſiam.

1 ECcleſiis non ſolùm providetur per electionem, aut poſtulationem Prælatorum, verùm etiam per translationem illorum, qui ante fuerunt electi, vel poſtulati; unde poſtquam egimus de poſtulatione, & electione, ſupereſt agendum de translatione, quæ definitur: *De Sede in Sedem authoritate ſuperioris facta commutatio ex cauſa juſta, & legitima.* debet hæc translatio de una Sede ad aliam fieri authoritate ſuperioris, adeò ut in Epiſcopis transferendis requiratur conſenſus Summi Pontificis, à quo ſolvantur à vinculo ſpiritualis matrimonii, quo priori Eccleſiæ erant adſtricti: quinimo, ſi Confirmatio Epiſcopi pertinet ad Archiepiſcopum, non tamen hic poteſt Epiſcopum abſolvere à vinculo ſpiritualis Matrimonii, quo alligatur priori Eccleſiæ, ut liquet ex *c. 1. h. t.* imò neque legatus de latere, poteſt ab hoc vinculo abſolvere, quamvis in pluribus aliis poteſtate utatur Sedis Apoſtolicæ: quia abſolutio ab hoc vinculo ſpirituali Summo Pontifici reſervatur *c. 3. & 4. de offic. legat.* Idque non ſolùm procedit, quando Epiſcopus in priori Eccleſia eſt conſecratus, verùm etiam quando electus eſt, & confirmatus *c. inter corporalia 2. h. t.* Quòd ſi quis propria authoritate ad aliam transiret Eccleſiam eſſet utraque privandus. *c. quando h. t.* Quamobrem translatio Epiſcoporum de Sede ad Sedem, ſeu de uno Epiſcopatu ad alium non poteſt fieri, niſi per authoritatem Summi Pontificis, ut per translationem translati ſint abſoluti à Vinculo prioris Eccleſiæ, in qua nullum ampliùs habeant jus. Licèt Epiſcopus electus poſſit liberè renunciare juri ſuo *cap. in præſentia inf. de renunc.* nec à principio cogatur quis invitus acceptare Epiſcopatum *can. Geſta. can. ubi iſta diſt. 34.* nihilominus poſtquam confirmatus, & conſecratus eſt, non poteſt propria authoritate propriam deſerere Eccleſiam *cap. 2. 3. & ult. h. t.*

Ratio eſt, quia majores cauſæ, inter quas re-
2 cenſetur hæc translatio Epiſcopi, ut habet Gloſſa *in d. c. inter corporalia h. t.* referendæ ſunt ad Sedem Apoſtolicam. Præterea, quia inter Epiſcopum, & Eccleſiam per Electionem initiatur matrimonium ſpirituale, quod per confirmationem ratificatur, & per conſecrationem conſummatur *d. c. ult.* quapropter matrimonium hoc ſpirituale non poteſt ſolvi, niſi authoritate Summi Pontificis ex juſta, & legitima cauſa; ac urgente neceſſitate, veluti hoſtium metu *can. temporis, 7. q. 1.* vel evidenti aliqua utilitate, eò quia Epiſcopus in alia Eccleſia plus poſſit proficere; vel id ſuadente bono pacis, & concordiæ; adeò ut aliqua ſemper debeat cauſa intervenire, quo pacto Divus Petrus ex Eccleſia Antiochena ſe Romam transtulit, *can. mutationes, & can. Beatus Petrus, & Paulus 2. q. 1.* Roman. *conſ. 352. ver. quæritur primo. num. 17.* ut ubi caput ſuperſtitionis erat, illic fieret caput Sanctitatis, & Religionis, & ubi gentilium Princeps dominabatur, illic Princeps ſederet Eccleſiæ. Unde translatio Epiſcopi de una Sede ad aliam non adverſatur juri canonico veteri, nec novo, dummodo authoritate fiat Summi Pontificis, ad quem ſolùm pertinet dijudicare de utilitate, ac neceſſitate Eccleſiæ, & an translatio eam ſecum trahat utilitatem, quæ requiritur.

Oritur tamen difficultas, an Summus Pontifex hoc matrimonium ſpirituale initum per 3
electionem inter Epiſcopum, & Eccleſiam, & ratificatum per confirmationem, ac tandem conſummatum per conſecrationem, poſſit magis diſſolvere; quàm matrimonium carnale, ſi hoc fuerit conſummatum? cum Chriſtus inſtituerit matrimonium carnale conſummatum ad ſignificandam indiſſolubilem unionem Chriſti cum Eccleſia. ac proinde ratione ejus ſignificationis habeat totalem indiſſolubilitatem: & è contra Matrimonium ſpirituale, etiam per conſecrationem conſummatum, non habeat hanc ſignificationem; ut nec Matrimonium carnale, ratum, & nondum conſummatum, quod per ingreſſum Religionis diſſolvi poſſet, videtur dicendum, hoc eſſe magis diſſolubile. Reſpondetur, ſpirituale Matrimoniũ contractũ ab Epiſcopo cum ſua Eccleſia dici, fortius eſſe matrimonio carnali, non quoad omnimodam diſſolubilitatem, cùm variis modis diſſolvatur per translationem, depoſitionem, renuntiationẽ, & authoritatem Sumi Pontificis; ſed quoad aliquos tantùm reſpectus, quia per matrimonium ſpirituale ſolvi poteſt carnale; non verò è contra: Siquidem matrimonium carnale ratum, non conſumatum diſſolvitur per ingreſſum

gressum religionis etiam altero conjuge invito *c. ex publico inf. de convers. conjug.* Rursus post matrimonium carnale etiam consummatum possunt conjuges ex mutuo consensu Religionem ingredi, & in ea profiteri: non ita matrimonium spirituale dissolvitur per carnale: neque iis, qui semel professi sunt Religionem licitum est contrahere matrimonium carnale: cum igitur matrimonium carnale dissolvatur per spirituale; non ita hoc per illud, dicitur hac ratione matrimonium spirituale fortius, magisque indissolubile, quàm carnale. Dicitur etiam spirituale fortius vinculum quatenus operatur fortiùs, seu imprimit characterem, qui etiam post mortem perseverat; cùm matrimonium carnale per mortem alterius conjugis totaliter solvatur.

4 Sicuti igitur matrimonium carnale absque justa causa non dissolvitur; ita neque spirituale initum inter Episcopum, & Ecclesiam *c. sicut vir. 7. q. 1.* causæ autem hujus solutionis reducuntur ad duo capita: suntq; *utilitas* ex translatione, ut major fructus inde eveniat Ecclesiæ universali, vel particulari; & *necessitas* ex persecutione hostili, vel alia simili causa, quâ non possit Episcopus tutò in sua Ecclesia morari. Censent tamen plures juris Canonici interpretes, posse Summum Pontificem pro libitu transferre Episcopum de uno Episcopatu ad alium; quia licèt, ut quis fiat Episcopus requiratur ejus consensus, attamen postquam in Ecclesia universali consensit esse Episcopus, censetur consensisse, ut possit invitus transferri, quia Episcopus, quoad Papam perinde se habet, ac Monachus in ordine ad suum superiorem, ut ait Roman. *cons. 345. circa primum in princ.* Verùm regulariter Episcopus invitus non debet transferri, nisi id exigat ingens Ecclesiæ utilitas, vel necessitas; siquidem nemini jus suum acquisitum sine culpa, aut causa publica auferatur. Tum quia per consecrationem initur matrimonium spirituale inter Episcopum, & suam Ecclesiam, quod sine causa non potest dissolvi, & si aliter fiat, id adversatur Juri Canonico, & juri civili, ac naturali. Unde solùm ex justa, & probabili causa potest Papa transferre Episcopum invitum ex una Ecclesia ad aliam; ut si inde oriretur maxima utilitas publica, ac commodum, vel bonum pacis.

5 Sin verò translatio fiat in favorem translati, tunc requiritur ejus consensus, ne favor odium operetur. Cæterùm translatio Episcopi de Ecclesia ad Ecclesiam operatur, ut quoad primam Ecclesiam Episcopus translatus, civiliter dicatur mortuus, & ideo bona mobilia sua, etiam acquisita in prima Ecclesia, & quæ Ecclesiæ non destinavit, sibi retinet, ut etiam fructus perceptos Calder. *cons. 264. aliàs 2. de rebus Ecclesiasticis non alien.* Secus, si ipsa bona destinâsset Ecclesiæ, sunt illius, cui destinavit. Quòd si Papa promovit, ac transtulit Episcopum ad Archiepiscopatum eum absolvendo à vinculo Ecclesiæ Episcopalis, cui spiritualiter nupserat, ut promoveatur ad Ecclesiam Archiepiscopalem, si translatus consentit petendo pallium, prima Ecclesia vacat ipso jure, & potest conferri alteri, nec potest translatus invito proviso illam repetere, tametsi Ecclesiam ad quam fuit translatus, non posset consequi: quia sibi imputandum est, ex quo consensit, & potuit prævidere. Tum quia per translationem beneficia translati vacant, sicut per promotionem, Abbas *cons. 101. ver. videtur 1. per tot. lib. 2.* Beneficia enim translati vacant tunc cùm ipse ratam habet translationem, si hæc fiat sine justa causa: Sin autem fiat ex justa causa vacant statim: quia tunc potest invitus transferri, licèt ipse non haberet, ratam translationem, Roman. *cons. 345. circa primum n. 16. & 17. v. superest.*

Quòd verò translatio regulariter non dicatur facta de una Ecclesia ad aliam, de jure communi, nisi postquam translatus fuerit adeptus possessionem Ecclesiæ, ad quam transfertur, ut notat Glossa *in cap. si quis jam trans. latus 21. q. 2. cap. cùm in cunctis. §. cùm verò de elect.* Id est intelligendum non simpliciter, sed ex suppositione, quòd translatus consenserit translationi Episcopatus; quia tametsi non sit adeptus possessionem secundæ Ecclesiæ, vacat prima per ipsam translationem, & potest conferri alteri. Abbas *d. cons. 101. coll. penult. n. 6. ver. restat nunc. lib. 2.* Verùm licèt olim quæstio fuerit dubia de tempore, quo vacat prior Episcopatus, à quo quis transfertur, ut notat Barbosa *in collect. ad cap. 1. h.t. n. 5.* hodie tamen habetur declaratio Cardinalium, quòd prior Episcopatus vacet ab eo tempore, quo Episcopus ab ejus vinculo absolvitur in consistorio Sanctitatis suæ, etiam ante expeditionem litterarum Apostolicarum, vel adeptam possessionem secundæ Ecclesiæ: adeò, ut postquam Episcopo innotuerit hujus vinculi absolutio ex documento Secretarii Collegii Cardinalium, teneatur abstinere ab omni exercitio ordinariæ jurisdictionis: nisi forsan Summus Pontifex aliter disposuerit. 6

Quæri solet, quid operetur beneficium indultum, quo aliqui Episcopi, qui in aliis Ecclesiis sunt simul Canonici, impetrant à Summo Pontifice, ut si ad alium votentur Episcopatum eundem valeant assumere, vel ad illum transire retento priore: Respondent Juris canonici interpretes cum Innocentio *in c. ult. h.t.* quòd talis tunc sit tantùm postulandus, non eligendus; & quòd post tale indultum, adhuc Episcopus indigeat absolutione à vinculo Ecclesiæ: Tum quia examinare postulationem pertinet ad Sedem Apostolicam Joan. Honorius *h. t. n. 5.* regulariter tamen censentur melioris conditionis habentes tale indultum, quàm alii postulati: quia postulationem de se factam beneficio indulti Pontificii potest quis simpliciter acceptare; adeò, ut illi jus ad confirmationem quæratur: secus alii postulati absque præfato indulto ante superioris dispensationem, nullum jus habent; & sine injuria 7

juria possunt à Summo Pontifice rejici: quinimo si prius simpliciter in postulationem consenserint, hoc ipso, ut ambitiosi repelluntur, ut cum Hostiensi fatetur Fagnanus *in c. ult. de postulat. Prælat.*

3. Translatio Episcopi regulariter fit à minore ad majorem dignitatem, quia promotiones tales gradatim debent fieri ab inferioribus ad superiora, ut colligitur *ex cap. 1. h. t.* adeò ut cui conceditur facultas transeundi ad majorem dignitatem, nequeat vi illius transire ad minorem, aut parem, ut habetur *in cap. licèt 4. h. t.* Pontifex tamen dispensat, si utilitas Ecclesiæ id exigat, adeò ut translatio possit fieri dispensatione Pontificiâ ad pares, vel minores dignitates, quatenus persona potest esse magis sufficiens, & utilis, in minoribus, quàm majoribus dignitatibus: Nemini tamen licet propria authoritate à sua Ecclesia ad aliam transire, alioquin privatur utraque *cap. quanto 3. h. t.* Saltem post sententiam judicis condemnatoriam: vel si propria authoritate suam dimisit, aut alienam accepit, privatur saltem illa, quam taliter dimisit, vel accepit: ut in eo puniatur, in quo deliquit, ne ambitio careat suo effectu.

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selecta quæstiones.

1 Quæritur primò, an translationes Episcoporum ad alias Ecclesias sint jure Canonico odiosæ? Respondetur, esse odiosas, & jura vocare hujusmodi Episcoporū translationes perniciosas. Ratio est, quia per illas datur Clericis occasio avaritiæ, & ambitionis: siquidem ex ipsis non pauca oriuntur Ecclesiarum detrimenta: quia eo ipso, quòd Episcopi possunt ex una Ecclesia ad aliam transferri, facilè contingit, ut quasi alieni, & Mercenarii Pastores Ecclesias sibi concreditas gubernent, eò quia de transitu ad aliam Ecclesiam cogitantes parum curant de propria: hinc hujusmodi translationes non fiunt, nisi ex justa, & legitima causa, ut si Episcopi continuis bellis, crebrisque hostium incursionibus vexentur *c. tribus de consec. dist. 1.* vel ob intemperiem aëris *c. quorundam dist. 74* vel ob malitiam populi suum pastorem, & Episcopum odio prosequentis, & malè tractantis *c. ita vos 25. q. 2. c. sicut 7. q. 5.* Sunt etiam aliæ causæ, quæ tamen omnes reducuntur ad duas, scilicet ad necessitatem, & utilitatem Ecclesiæ *can. mutationes, & can. scias frater 7. q. 1.* ibi: *Mutationes Episcoporum, scitote communi utilitate, atque necessitate fieri licere, sed non propria cujusquam voluntate: alia enim est causa utilitatis, & necessitatis, alia causa avaritiæ, ac præsumptionis, aut propriæ voluntatis.* Causa utilitatis est, si majores ex tali translatione fructus universali, vel particulari Ecclesiæ obtingant, qua ratione D. Petrus, Princeps Apostolorum, à Sede Antiochena se transtulit ad Romanam, ut etiam, si indè sequatur bonum pacis. Causa necessitatis fiunt translationes ob persecutiones hostiles, odia civium, aëris intemperiem, & alia id genus, ratione quorum non possit Episcopus in propria Ecclesia tutò commorari *c. pastoralis 7. q. 1.*

Quæritur secundò, quinam sint effectus translationis Episcopi de una ad aliam Sedē? Respondetur, esse plures, quorum primus est dissolutio Conjugii spiritualis, quod est inter Episcopum translatum, & Priorem suam Ecclesiam *c. bonæ memoriæ 4. §. fin. de postul. prælat.* si enim translatio Episcopi sit canonicè facta dissolvit fœdus Conjugii spiritualis cum prima Ecclesia. Secundus, ut Episcopus semel translatus nihil juris retineat in priori sua Ecclesia, à qua transfertur in aliam *c. si quis jam translatus 21. q. 1.* Ratio est, quia jus in Ecclesia fundatur in beneficio ejusdem, & qui transfertur de una Ecclesia ad aliam amittit beneficium, seu Episcopatum primæ Ecclesiæ, à qua transfertur *can. in opibus §. ecce 7. q. 1.* proinde amittit etiam jus, quæ amissio est effectus translationis. Verùm id procedit, quando Episcopus transfertur de una ad aliam Ecclesiam ex causa utilitatis, non verò ex metu hostilitatis: quia si civitas Episcopalis vi armorum ab hostibus occuparetur, & Episcopus inde ejectus ad alium se transferret locū, cessante hostilitate, & captivitate deberet ad priorem Ecclesiam redire *can. in opibus §. ecce. 7.* Tertius, ut peracta Episcopi translatione statim vacet prior Ecclesia. Quartus, ut Episcopus ab una ad aliam Sedem translatus, contrahat novū spirituale Conjugium cum Ecclesia, ad quam transfertur *argum. can. sicut alterius 7. q. 1.*

Quæritur tertiò, quonam tempore censeatur vacare prima ecclesia, si ejus Episcopus transferatur ad aliam? Respondetur, quòd si hæc translatio fiat ad instantiam ipsius translati vacat Sedes ipso die, quo in Curia, seu Consistorio Papæ, qui transfertur absolvitur à vinculo prioris ecclesiæ, & authoritate Pontificia transfertur ad aliam, ut docet Panormit. *Consil. 101. n. 3. & 4. lib. 2.* & Rota Romana *decis. 474. n. 6. p. 1. recent.* ubi vocat erroneam opinionem asserentium; non induci vacationem Episcopatus nisi post obtentam possessionem secundi; & habetur etiam declaratio sacræ Congregationis emanata die 14. Decembr. 1624. estque hæc. *Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Episcoporum præposita approbante S. D. N. Censuit, ecclesiam à quo volens transfertur, seu quam dimittit Episcopus, vacare ab eo tempore, quo idem Episcopus ab illius vinculo absolvitur in Consistorio Sanctitatis suæ; etiam ante expeditionem litterarum Apostolicarum, vel adeptam possessionem secundæ ecclesiæ & postea quam hujusmodi absolutionis notitiam Episcopus habuerit etiam ex testimonio, seu documento Secretarii sacri Collegii, illicò teneri eum abstinere ab exercitio ordinariæ jurisdictionis, eamque transire in Capitulum tanquam sede vacante:* allegat hanc declarationem Reiffenstuel *h. t. n. 36.* siquidem ex eo ipso, quòd Episcopus consentit in suam translationem, & absolvitur à vinculo prioris conjugii spiritualis cum prima ecclesia, cessat primum conjugium, quod non potest solvi nisi

nisi à Sede à Apostolica, & eo ipso, quòd cessavit spirituale conjugium cum prima; amittit omne jus, quod in illa antea habuit, quia tunc est translatus ad aliam, & desinit esse Episcopus primæ, à qua transfertur, tametsi nondum possessionem obtineat secundæ, *can. si quis jam translatus 21. q. 2.* adeò ut quoad primam ecclesiam sit civiliter mortuus ex illa hora, qua transfertur ad aliam *can. in opibus §. ecce in quibus casibus 7. q. 1.* juncta Glossa ibid. *V. defuncto.* Præterea ut notat Reiffenstuel. *loc. cit. n. 38.* absolutio à vinculo prioris ecclesiæ facta per summum Pontificem tollit fœdus spiritualis conjugii inter Episcopum translatum, & suam primam ecclesiam: proinde ex tunc prima ecclesia manet viduata, & caret suo sponso, perinde ac contingit in matrimonio carnali nondum consummato: si enim sponsus post matrimonium carnale ratum, sed nondum consummatum transeat ad religionem approbatam, in qua solemniter profiteatur tria consueta vota, disrumpitur matrimonium carnale, & sponsa potest alteri nubere *c. ex parte convers. conjug.* ita à pari si Papa dissolvat primum conjugium spirituale, & transferat Episcopum ad aliam ecclesiam; per talem absolutionem perinde solvitur conjugium spirituale cum prima ecclesia, ac per professionem solemnem in religione approbata, solvitur conjugium carnale.

4 Quæritur quartò, an si Episcopus absens, & inscius transferatur authoritate Sedis Apostolicæ ab una ad aliam Sedem Episcopalem, statim vacet prima ecclesia? Respondetur cum communiori, primam ecclesiam tunc non vacare nisi post scientiam, & consensum à translato præstitum, idque regulariter, & nisi aliter exprimatur, ut notat Fagnanus in *c. quando n. 96. & sequent. h. t.* Ratio est: quia regulariter summus Pontifex non solet Episcopum absentem, & ignorantem aliter transferre, quam conditionatè si transferendus consentiat, vel expressè, vel tacitè acquiescendo translationi de se factæ: idque regulariter, & de via ordinaria: quia Pontifex de plenitudine potestatis ob utilitatem ecclesiæ, vel alia justa causa potest ita illum transferre de una ad aliam Sedem, ut prima statim vacet post talem translationem, etiam inscio, & absente translato, ut notat Abbas *consil. 101. n. 4.* Regulariter tamen, & nisi aliud exprimatur translatio absentis, & ignorantis semper censetur fieri conditionatè si ipse expressè, vel tacitè consenserit translationi de se factæ. Quòd si translatio fiat ob meritum, & in favorem personæ; tunc vacat Episcopatus à die acceptationis, ut notat Tuschus *litt. B. concl. 71. n. 14.*

5 Quæritur quintò, an Episcopus propria authoritate transiens ab uno Episcopatu ad alterum privetur priori ecclesia. Respondetur, non posse tunc posteriorem Episcopatum obtinere, eò quia ad solum summum Pontificem pertineat conferre, vel confirmare ecclesias: imò in pœnam, quòd propria authoritate, se transtulerit ad alium Episcopatum, privatur etiam priori Episcopatu: idque desumitur ex *c. quanto 3. h. t.* ubi dicitur, quòd potestas transferendi Episcopos, ita juri suo Christus reservavit, ut soli ejus Vicario D. Petro, & per hunc ejus successoribus speciali privilegio concesserit. Hinc Episcopus propria authoritate ab uno Episcopatu ad alterum se transferens utroque carere debet. Idque per sententiam condemnatoriam Judicis *c. si quis Episcopus 31.* ibi: *Carebit & proprio. causa 7. q. 1.* ex eo autem, quòd dicatur in futuro *carebit*, sequitur, non privari prima sede ipso jure, sed tantùm post sententiam condemnatoriam Judicis, proinde remanet Episcopus prioris ecclesiæ, & Clerici ejusdem tenentur perinde ac antea ei parere, donec per sententiam Judicis illâ privetur, ut notat Abbas *in d. c. quando n. 13.* & id procedit etiam quando de prima ecclesia sine licentia ad aliam itidem sine licentia transivit.

6 Quòd verò sit ipso jure privatus ecclesiâ, ad quam sine licentia, vel authoritate Sedis Apostolicæ se transtulit, ex eo liquet, quia talis translatio facta propria authoritate est nullius valoris; proinde non potest dare ullum jus, nec ponere ullum effectum: quod enim est irritum, perinde se habet, ac si non esset, & quod non est, non potest quidquam operari, quia operari sequitur ad esse. Cæterum hæc pœna privationis tunc vel maximè locum habet, si quis propria authoritate se transferat à minori ad majorem, & locupletiorem ecclesiam, quia tunc præsumitur se transtulisse cupiditate honoris, vel divitiarum. Quòd si Clerici inferiores Episcopis propria authoritate ad aliam ecclesiam se transferant, privantur communione, donec ad priorem redeant: quòd si interim in eorum locum alii substituantur; tamdiu vacare debent ab officio, vel beneficio, quod in priori ecclesia habebant, quamdiu substituti vixerint *c. eos sacerdotes 43. c. si quis Presbyter. 24. c. 7. q. 1.*

7 Quæritur sextò, à quo transferri possint Prælati Episcopis inferiores? Respondetur, hos esse transferendos authoritate sui proximi superioris, seu proprii Episcopi *c. Abbas 8. caus. 18. q. 2. c. si quis 3. c. sequent. dist. 71.* excipitur tamen nisi fuerint Prælati exempti, & Sedi Apostolicæ immediatè subjecti: quia tunc sine speciali licentia Papæ transferri non possunt, quia dependent immediatè ab ipso, & non habent alios inferiores superiores, à quibus transferri canonicè possint; ut notat Hostiensis *in summ. h. t. n. 4.* Sin verò ecclesia, à qua quis transfertur non sit subjecta jurisdictioni ejusdem superioris, cui subjecta est ecclesia, ad quam transfertur, requiritur tunc necessariò consensus superioris, vel Episcopi utriusque ecclesiæ *c. admonet. 4. de renunt.* Ratio verò, cur Prælati Episcopis inferiores sint transferendi à propriis Episcopis, est, quia inter hos Prælatos inferiores Episcopis, & suas ecclesias non contrahitur matrimonium spirituale, sicut inter Episcopum, & suam ecclesiam: hinc sacri canones non prohibent, eos transferri à suis ecclesiis accedente proximi superioris licentiâ: & hæc est ratio, cur Prælati inferiores Episcopis spectato jure communi, & secluso speciali consuetudine, & privilegio non deferant annulum

nulum ut notat Abbas *in c. ult. n. 5. h. t.* Cæterum si Prælati Episcopis inferiores collegium habeant, cui præsint, ut etiam generalem, & ordinariam jurisdictionem in subditos, laxè dicuntur, & ipsi sponsi suarum ecclesiarum, & per eorum mortem ecclesiæ dicuntur viduatæ *c. ne profectu 41. c. quia propter 42.* & ibi Glossa *V. ecclesiis viduatis.*

8 Quæritur septimò, an cui concessum est facultas transeundi ad majorem dignitatem, possit vi illius transire ad parem, vel minorem? Respondetur cum distinctione, si facultas concessa fundetur super habilitate personæ; tunc qui habilitatur ad majorem, censetur etiam habilitatus ad minorem, quia ob defectum personæ facilius dispensatur ad inferiorem, quàm superiorem dignitatem, ut etiam facilius ad minores ordines, quàm majores. Vel facultas transeundi ad majorem dignitatem, est simpliciter concessa absque eo, quod fundetur super habilitate personæ, & tunc ex vi illius non potest transire ad parem, nec minorem dignitatem: ratio est, quia indultum concessum contra jus commune debet strictè interpretari: proinde non est extendendum ad non expressa. Præterea quia causa concessionis fundatur in majore utilitate, quæ reperitur in translatione ad majorem dignitatem; quæ causa, est, ut faciliùs dispensetur in illa, quàm in translatione ad parem, vel minorem dignitatem, quia cum reperiatur minor utilitas, difficiliùs in illa dispensatur, ut desumitur, *ex c. cum ex illo 1. h. t.* Demum quia impetratio dispensationis, ut possit quis transire ad majorem, vel parem, sed ditiorem Prælaturam videtur ambitionem continere, proinde debet strictè interpretari, & non extendi ad ea, quæ non exprimuntur in indulto.

9 Quæritur octavò, an Episcopus Regularis translatus ad aliam ecclesiam possit secum deferre bona acquisita ex reditibus prioris ecclesiæ proprio, & peculiari titulo? Respondetur, duas esse sententias, primam negativam, quam docent Barb. *consil. 20. n. 11. vol. 3.* Bart. *de offic. & potest. Episc. p. 3. alleg. 114. n. 16.* Alciat. *respons. 1. n. 49. lib. 1.* Suarez. *tom. 4. de relig. lib. 3. de religios. mut. stat. c. 16. n. 24.* fundamentū, quo nititur hæc sententia est, quia bona acquisita ex fructibus ecclesiæ ex intrinseco titulo, sunt ejusdem ecclesiæ, adeò ut Episcopo tantùm concedatur usus, & administratio; proinde debent relinqui eidem ecclesiæ, eo ipso, quòd Episcopus transfertur ad aliam. Tum quia si quantitas pecuniæ esset notabilis posset eam secum deferre, & in suum usum consumere, quod cederet in magnum ecclesiæ præjudicium, quia Principis concessio non fit cum damno tertii in dubio. Secundam sententiam docent Calderinus *de reb. eccles. cons. 12.* Pavinus *de potest. Capit. p. 2. q. 8. n. 28.* Ubald. *p. 2. de success. ab intest. §. furta. n. 11.* & alii docentes, posse Episcopum translatum secum asportare omnia illa bona, quæ acquisivit ex fructibus: & nituntur, quia in morte Episcopi Camera Apostolica instituit spoliū, sibiq; vindicat omnia, quæ defunctus, dum viveret possidebat: ex quo inferunt, hæc bona non esse illius ecclesiæ particularis, cui præsidet Episcopus, sed personæ ecclesiasticæ: quæ sicut non subjicitur illi ecclesiæ particulari, sed tantùm universali; ita etiam bona ipsius ad ecclesiam spectant universalem. Tum quia fructus ecclesiæ non ordinantur ad augenda bona ipsius, sed ad sustentationem Episcopi, proinde quæ supersunt, subsunt liberæ administrationi ipsius. Hæc secunda sententia quamvis probabilis sit; prima tamen est tutior, eique adhærendum.

TITULUS VIII.

De Authoritate, & usu Pallii.

QUia facta translatione interdum contingit, ut qui fuerat Episcopus, fiat deinde Archiepiscopus, & gradatim ascendat ad honores; & non possit promotus ad Archiepiscopatum ea attingere, quæ sunt juris Metropolitani, antequam pallii insignia à summo Pontifice acceperit *c. 28. §. penult. de elect. can. 1. dist. 100.* siquidem per pallium conceditur plenitudo Pontificalis officii *c. 3. h. t. c. 23. infra de privileg.* ideo post translationem Episcopi rectè agit Pontifex de authoritate, & usu Pallii; quod præter consecrationem singulare est in Archiepiscopo, cui pallium veluti dignitatis suæ insigne communicatur à suo Patriarcha, vel à summo Pontifice: adeout sine pallio neque Archiepiscopi nomen sibi jure vendicet; nec ea, quæ ordinis sunt rectè exequatur.

SUM-

SUMMARIUM EXEGETICUM

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

CAP. CUM SUPER 1. h. t. CLEMENS III. rescribit, Archiepiscopum posse uti pallio intra quamlibet ecclesiam totius provinciæ sibi commissæ, non tamen extra ecclesiam; adeout in processionibus, quæ fiunt extra ecclesiam, nequeat illo uti.

C. AD HOC 2. h. t. Idem Pont. declarat, Archiepiscopum non posse alteri Archiepiscopo pallium commodare, eò quia pallium inseparabiliter adhæreat personæ, à qua non transit in aliam; debeátque propterea Archiepiscopus sepeliri cum suo proprio pallio. Notandum est, posse Archiepiscopum uti pallio extra provinciam de licentia illius, cujus est parochia: alioquin sine licentia non potest, quamvis privilegium habeat. Rursus licèt Archiepiscopus debeat sepeliri cum pallio, eò quia quæ personis inhærent cum personis extinguantur: prohibetur tamen sepeliri cum aliis ornamentis, præsertim cum annulo, ne cadavera Presbyterorum effodiantur, & ex avaritia spolientur ornamentis.

C. NISI SPECIALIS 3. h. t. INNOCENTIUS III. declarat, plenitudinem potestatis, & nomen Archiepiscopi sumi in ipsa susceptione pallii. Rursus Cardinalem legatum non posse dare licentiam Episcopis transeundi ad alias Ecclesias. Denique Papam debere tueri potiùs dignitatem Sedis Apostolicæ, quàm privatam alicujus personæ: quia dignitas Sedis Apostolicæ, cum sit omnium ecclesiasticarum maxima debet cæteris omnibus præferri.

C. AD HONOREM 4. h. t. Idem Pont. decernit, solum Romanum Pontificem uti pallio semper, & ubique, eo quia habeat plenitudinem potestatis. Alios verò inferiores Prælatos nonnisi in ecclesia, in qua exercent jurisdictionem, & certis duntaxat anni diebus, qui exprimuntur in privilegiis ejusdem ecclesiæ, & regulariter sunt, Nativitas JESU Christi, festum S. Joannis, S. Stephani, circumcisio Domini, Epiphania, dies Palmarum, Cœna Domini, Sabbathum sanctum, tres dies Paschatis, totidem Pentecostes, festum S. Joannis Baptistæ, & omnium sanctorum, dedicatio ecclesiæ, & ejusdem festivitates principales, dies ordinationis clericorum, vel consecrationis Episcopi, anniversarium consecrationis Archiepiscopi.

C. EX TUARUM 5. h. t. Idem Pontifex rescribit, consuetudinem non posse facere, ut Archiepiscopus extra suam Diœcesim utatur pallio, nisi de licentia Papæ, & de consensu Ordinariorum. Hinc pallium est beneficium partim personale, quia cum persona extinguitur, ac sepelitur; & partim locale, quia non transfertur cùm persona ad alium Episcopatum: unde si Archiepiscopus suo renuntiat Archiepiscopatui, & transit ad aliam ecclesiam tantùm Episcopalem amittit pallium.

C. CUM SIS 4. h. t. HONORIUS III. statuit, Archiepiscopum ubique in sua diœcesi solemniter celebrantem posse uti pallio.

C. QUIA NOS 7. h. t. Idem Pont. declarat, licitum esse Archiepiscopo celebrare sine Pallio, & sandaliis, exceptis diebus privilegiatis.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

C. MALITIIS UNIC. h. t. habetur, traditionem Pallii non impediri ob crimen, vel defectum objectum, nisi objiciens præstet juramentum de objecto, ad pœnam talionis intra bimestre probando.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

De Origine, & usu Pallii.

1 Est Pallium Archiepiscopalis potestatis, ac dignitatis insigne, & ornamentum, quod est desumptum ex corpore D. Petri, & à summo Pontifice datum Archiepiscopis, ad designandam plenitudinem pastoralis, & Archiepiscopalis officii. Dicitur hoc ornamentum, insigne Archiepiscopi desumptum ex corpore D. Petri *c. significasti. 4. de elect.* vel quia consecratum deferatur ad altare D. Petri in memoriam ejus corporis, & inde tradatur Archiepiscopis, aut eorum Procuratoribus; ut censent Glossa, Barbos. *in d. c. significâsti*, vel quia, & fortassis veriùs pars ecclesiasticæ potestatis, quæ dicitur de corpore D. Petri, seu de universali regimine Ecclesiæ Archiepiscopis conceditur, ut censet Ostiens. in *c. ad honorem. 4. h. t. n. 3.*

2 Datur Pallium Archiepiscopis, & ex speciali gratia, & privilegio nonnunquam etiam aliquibus Episcopis; nec potest concessio pallii impediri per criminis, aut defectûs objectionem, nisi objiciens intra bimestre exhibuerit probationes paratas *extravag. unicum h. t. inter com.* utuntur pallio in primis summus Pontifex cùm sit Archiepiscopus Romanus, seu Princeps, & Episcopus Episcoporum omnium, deinde Patriarchæ, & Archiepiscopi inferiores.

Est

Est autem Pallium vestis candida ex lana alba contexta habens circulũ, humeros constringens, & duas lineas ab anteriori & posteriori parte pendentes, quatuor crucis signis purpureis distinctas, quarum unam habet in pectore, alteram in humero sinistero; tertiam in dextero, quartam in scapulis: hinc ex sancto Isidoro pallium dicitur esse, quo ministrantiũ scapulæ conteguntur, ut dum ministrant expeditiùs discurrant, & dicitur pallium à pellibus, quia priùs indumenta pellicea, quasi pellea induebant homines. Sicut enim toga erat vestis Romanorum exterior, sic pallium Græcorum: & sicut togam Romani tunicæ imponebant; sic Græci sua pallia tunicis.

3 Origo Pallii antiquissima est: Rupertus *lib. 1. de divinis offic. c.27.* refert Maternum à sancto Petro Trevirim missum, illius Ecclesiæ hæreditatem pallii suis reliquisse successoribus: & sanctus Gregorius Magnus hujus pallii pluries meminit in epistolis *lib. 1. Epist. 30. & 39. lib. 6. epist. 23. lib. 7. epist. 126. lib. 4. epist. 54.* & in pluribus aliis: meminerunt etiam pallii Alcuinus, Rabanus, Rupertus, & alii antiquissimi. Peti autem solet pallium hoc pacto. Ego N. electus Ecclesiæ N. instanter, instantius, instantissimè peto mihi tradi, & assignari pallium, de corpore S. Petri sumptum, in quo est plenitudo officii Pontificialis. Formula verò, qua pallium Archiepiscopo confertur juxta Glossam *in c. honorem de authorit. & usu pallii:* hæc est. *Ad honorem Dei omnipotentis, & Beatæ Virginis, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, & Domini Papæ N. Papæ Ecclesiæ Romanæ, & Ecclesiæ N. tibi commissæ tradimus tibi N. pallium de corpore Beati Petri sumptum in plenitudinem Pontificialis dignitatis, ut eo utaris intra Ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis Ecclesiæ tuæ concessis à Romana ecclesia.* Sunt autem dies, quibus Archiepiscopi utuntur pallio, nativitas Domini, festivitas S. Joannis Evangelistæ, & S. Stephani Protomartyris, circumcisio domini, Epiphania, Dominica in Ramis Palmarum, feria quinta in Cœna Domini, Festivitas in sabbatho sancto, in tribus diebus Resurrectionis dominicæ, Pentecostes, solemnitas sancti Joannis Baptistæ; & omnium Apostolorum, & solemnitas in tribus festivitatibus Beatæ Mariæ Virginis, ut etiam in commemoratione omnium sanctorum, in dedicatione Ecclesiarum, & principalibus festivitatibus Ecclesiæ Archiepiscopalis, ut etiam in ordinationibus Clericorum, & in consecratione Episcoporum, & in die anniversario consecrationis ipsius Episcopi, qui utitur Pallio.

4 Per pallium igitur designatur plenitudo pastoralis, quà ratione conficitur ex ovina lana, ut designetur officium Archiepiscopi in pascendis ovibus; quia electus ad Archiepiscopatum, tametsi confirmatus fuerit, non tamen propriè Archiepiscopus dicitur, donec pallium acceperit. Debet electus Archiepiscopus intra tres menses à die consecrationis, vel confirmationis, vel collationis, si antea fuerat consecratus pallium petere, nisi justum obstiterit impedimentum *c. quoniam dist. 100.* & debet illud obnixè, totisque viribus petere *c. prisca ead. dist.* Et rursus debet jurejurando promittere se Romano Pontifici obediturum *c. optatum in ead. dist.* Rursus jurejurando promittit se fidem catholicam, & Romanæ Ecclesiæ unitatem, pacem, & concordiam servaturum *c. significâsti. de elect.* De jure antiquo ut liquet ex *c. antiqua de privilegiis* Archiepiscopi pallium petebant à quatuor Patriarchis, quibus subjiciebantur, scilicèt Constantinopolitano; Alexandrino, Antiocheno, & Jerosolimitano. Nunc verò non nisi beneficio, & authoritate Romani Pontificis pallium datur Archiepiscopis; qui ante susceptum pallium non possunt jure ea munera obire, & exequi, quæ sunt potestatis ordinis, vel jurisdictionis Archiepiscopalis; quia nondum censentur Archiepiscopi *d. c. nisi de author. & usu pallii.* Nec possunt convocare concilium, nec Basilicas, nec ordinare Clericos, nec Epicopos consecrare, ut liquet *ex c. quòd sicut. §. præterea, de elect.* quia ante susceptum pallium non habent plenam jurisdictionem, nec ordinis potestatem, quam cum pallio simul accipiunt: potest tamen Archiepiscopus ante suceptum pallium facultatem concedere Episcopis, ut suum suffraganeum consecrent, ut Clericos sacrent, aut dedicent Ecclesias, ac sacrent; quia licèt concedere hanc facultatem pertineat ad potestatem jurisdictionis, non tamen id recensetur inter ea, qnæ majora reputantur.

5 An Archiepiscopus si ea faceret, quæ sunt potestatis ordinis, ante pallium obtentum, rata essent, & firma? Respondetur cum distinctione si antea fuerat consecratus, peccat quidem contra canones, sed facta ab ipso subsisterent, ut si Clericos consecraret, chrisma conficeret, pueros confirmaret: quia hæc suam trahunt firmitatem à potestate ordinis: sin verò non fuerat antea consecratus & ordinatus, illa sunt omnino irrita, & inania, quia simplex Presbyter non potest præstare, quæ sunt potestatis pontificiæ. Et quamvis Archiepiscopus ante obtentum pallium abeundo munera Archiepiscopalis potestatis nullum ex vi juris contrahat pœnam; per sententiam tamen potest ab officio removeri, vel puniri alia mitiori pœna. Neque potest unus Archiepiscopus pallium ab alio mutuare, ut habetur in *c. 2. ad hoc de author. & usu pallii.* Ratio est, quia usus pallii est privilegium factum personæ, proinde non transit ad aliam personam: hac de causa jure constituitur ut Archiepiscopus sepeliatur suo indutus, palllio *d. c. de author. & usu pallii.* quòd si Archiepiscopus ad aliam sedem authoritate Pontificis transeat, secum etiam transfert pallium, quod in priori Ecclesia acceperat, & simul novum accipit, & cum utroque sepelitur, ut asserit Panormit. *in c. ad hoc de authorit. & usu pallii* non tamen potest Archiepiscopus extra propriam Ecclesiam uti pallio, ut habetur in *c. 1. de author. & usu pallii.* nomine tamen Ecclesiæ intelligun-

liguntur omnes Ecclesiæ suæ ditionis, & quæ ipsi subjiciuntur, adeò ut possit in omnibus hisce Ecclesiis intra missarum solemnia uti pallio; non ita extra Ecclesiam, ut in publicis supplicationibus, in confessu; in comitiis, & aliis id genus.

6 Solus Romanus Pontifex omni tempore, & ubique locorum utitur pallio ob plenissimam potestatem in universalem Ecclesiam Christianam, quæ est ejus Provincia, & cujus ipse est Episcopus universalis *can. cuncta per mundum. can. per principalem 9. q. 3.* Alii, qui utuntur pallio, non nisi in suis Ecclesiis, & certis per annum diebus eo utuntur, ad significandum, eos tantùm in partem sollicitudinis, in plenitudinem potestatis vocatos esse *c. ad honorem. 7. h. t.* Episcopi non utuntur pallio nisi ex singulari privilegio *c. cum in juventute inf. de præsumpt.* & idem privilegium traditur Episcopis Quinque Ecclesiensi, Ostiensi in Ostiis Tyberis fluvii, Papiensi, Lucensi, & Bambergensi.

7 Archiepiscopus quamvis authoritate, & dignitate præcedat Episcopos, ordinis tamen potestate est illis æqualis; major verò jurisdictione, quia habet sub se Episcopos comprovinciales, ut suffraganeos *c. 1. de for. compet. in 6.* hâc enim ratione præest urbi, quæ aliarum ejusdem Provinciæ est quasi Mater, & caput, & vulgò Metropolis dicitur; ut etiam ipse Archiepiscopus Metropolitanus vocatur *c. illis d. 80. c. 1. d. 99.* Tholos. *lib. 15. Syntag. c. 11.* Hinc prærogativa Archiepiscopi est, quòd crucem anteferre potest, etiam in locis exemptis, dummodo præsens non sit summus Pontifex, vel ejus legatus. Potest etiam ubique in Pontificalibus missam celebrare, tam publicè, quàm privatè, imò & procurare, ut coram se missa celebretur sine Pontificalibus *Clem. Archiepiscopo de privil.* Mosconius *pag. 232.* Barbos. *de potest. Episc. p. 1. tit. 4. n. 39.* & habet potestatem tanquam ordinarius in Episcopos suffraganeos sibi subjectos, & eorum Ecclesias; adeò ut eorum absentiam per annum integrum continuatum, si moniti non resideant, summo Pontifici debeat indicare. Rursus post octavam Paschæ, vel alio commodiori tempore debet synodum convocare, Ecclesiam visitare juxta concil. Trident. *sess. 24. c. 1.* Zerolla *p. 1. V. Archiepiscopus.*

8 Habet etiam Archiepiscopus ordinariam jurisdictionem in Episcopos sibi comprovinciales, seu subditos suffraganeos, quam exercet, primò, quando subditus deliquit in Diœcesi Archiepiscopi. Secundò si habeat ibi fixum domicilium, vel beneficium in sua Diœcesi. Tertiò quando causa subditorum suffraganeorũ defertur ad eum per appellationem. Quartò quando absolutus ab Archiepiscopo detrectat parere Episcopo. Quintò quando causa criminalis agitatur inter subditum Episcopi, & suum Clericum, ut etiam si Clericus habeat causam civilem contra Episcopum. Sextò si Episcopus in suo obeundo munere sit deses, & in suo officio negligens. Septimò quando evidens est, sententiam Episcopi esse injustam, quia tunc justè appellatur ad superiorem, seu Archiepiscopum. Octavò quando visitat Provinciam, quod præstat causâ priùs cognitâ, quo tempore etiam, & non alio potest absolvere quoscunque de subditis suorum suffraganeorum ex Trident. *sess. 24. c. 3.* Nonò pertinet ad Archiepiscopum cognoscere crimina Episcoporum suæ ditionis, quæ enumerantur à Glossa *in c. pastoralis, & in c. conquestus 9. q. 1.* crimen tamen hæresis est reservatum summo Pontifici ex Trident. *sess. 24. c. 5.* & licèt Archiepiscopus possit Episcopos suffraganeos ob patrata crimina debitis animadvertere pœnis; non tamen eos potest ab officio, & ministerio removere: siquidem id genus pœnæ, solus Romanus Pontifex injungit. Non potest Archiepiscopus in locis Episcoporũ suffraganeorum tribunal erigere, vel habere, nisi expresso eorundem consensu. Jure tamen Archiepiscopus cogit Provinciale concilium non consulto, imò etiam invito Primate, & in eo nominat, designat, & eligit testes idoneos, ac veluti syndicos, qui ad futurum concilium deferant, quæ emendanda, & corrigenda cognoverint: hinc abolet, & abrogat pravas consuetudines, licèt inolitas, & invectas in suffraganeorum Episcoporum Diœcesibus, quas dum visitat, habet jus deferendi ante se insignia Archiepiscopi, ut est signum crucis argenteæ: & etiam solemni ritu manu in crucis formam ducta populo bene precandi, ac benedicendi. Potest in locis suæ Provinciæ etiam exemptis rem divinam privatè, vel publicè facere, ut etiam concionari, si velit, ut habetur *in Clem. Archiepisc. de privil.*

An verò juxta Concilii Tridentini decretum possit Archiepiscopus, vel alius sacerdos de ipsius licentia suffraganeorum suorum subditos matrimonio copulare? dubitant aliqui: sed saltem ordinarè non posse id præstare, ex eo liquet: quia Archiepiscopus licèt dignitate, & authoritate præcedat Episcopos, non propterea habet potestatem ordinariam in singulas aliarum Diœcesium personas. Poterit tamen quando actù diœcesim visitat, vel cùm à suffraganeo Episcopo injustè denegatur assistentia petentibus matrimonium inire: quia tunc conveniens est, ut defectus inferioris suppleatur, per authoritatem alterius superioris. Pertinet etiam ad Archiepiscopum procurare, ut pro futuris clericis in suffraganeorum suorum Diœcesibus seminaria erigantur, ut Juvenes ritè instruantur: ut œconomi sede vacante in Ecclesiis suorum suffraganeorum instituantur, si id canonici intra octiduum à morte Episcopi præstare negligant. In Synodo Provinciali potest cum adjunctis minores causas criminales contra Episcopos cognoscere, ac decidere; reservatis majoribus Romani Pontificis ex Trid. *sess. 24. can. 5.* non tamē agit de visitatione cathedralium Ecclesiarum, & Diœcesiũ suorum suffraganeorũ nisi priùs causâ cognitâ, & probatâ in concilio Provinciali ex Trid. *sess. 24. c. 3.* in concilio provinciali causas, & quæstiones emergentes cũ suis comprovincialibus examinat, & nihil decernit in Ecclesia inusitatum inconsulto Romano Pontifice, 9

tifice, ex Concil. Trid. *d. sess. 24. c. 3.* In eodem judicatur de licentia non residendi à se, vel à suffraganeis data, concil. Trident *sess. 23. c. 1.* Est tamen in synodo Provinciali Episcopus, veluti Decanus in Capitulo; & illi quasi unus de concilio subest, adeo ut si necessitas urserit, possit etiam anathemate percuti. Ab ejus sententia datur etiam appellatio ad Conciliũ Provinciale. Intra provinciam sibi subjectã potest indulgentias elargiri, dumodo non excedat statutum concilii generalis. Tametsi non sit ordinarius judex totius Provinciæ, quoad subditos *c. pastoralis de offic. ordinar.* nec extra suam Diœcesim jurisdictionem contentiosam habeat; indulgentias tamen potest concedere, quia illæ censentur esse voluntariæ jurisdictionis Gloss in *c. nostro de pæn.*

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones.

1 QUæritur primò, à quo conferri, & peti possit, ac debeat, pallium Archiepiscopale? Respondetur esse petendum, & conferendum propria authoritate à summo Pontifice tantùm, & desumitur *ex c. significasti 4.* ibi: *Cum igitur à sede Apostolica vestræ insignia dignitatis exigitis, quæ à Beati Petri tantùm corpore sumuntur* Dicitur pallium à Beati Petri tantùm corpore assumi, eò quia vel pallium benedicitur, & consecratur à Papa super altare sancti Petri Romæ, ibique ponitur, & inde accipitur ab Archiepiscopis præsentibus, vel Procuratoribus eorumdem, prout habetur in *d. c. significasti 4. de elect.* ubi Pontifex rescribens Archiepiscopo Panormitano ait: quæ à Sede Apostolica vestræ insignia dignitatis exigitis, quæ à Beati Petri tantùm corpore assumuntur, ut paulò superius diximus: vel ad denotandam mysticam rationem, eò quia per pallium conferatur veluti particula Pontificiæ potestatis, quæ ex Christi concessione principaliter residet in D. Petro, ejusque legitimis successoribus, à quibus derivatur in alios inferiores: & licèt quatuor Patriarchæ principales: Constantinopolitanus, Antiochenus, Alexandrinus, & Jerosolimitanus, postquam à Romano Pontifice receperunt pallium præstito eidem fidelitatis, & obedientiæ juramento, licitè, & ipsi suis suffraganeis pallium largiantur, recipientes pro se professionem canonicam, seu obedientiam, & reverentiam; imò etiam pro Romana ecclesia sponsionem obedientiæ *c. antiqua 23. de privileg.* nihilominus præfati Patriarchæ non conferunt pallium authoritate propria, sed tantùm authoritate Papæ, seu ex ejus concessione, & privilegio iisdem à Sede Romana concesso: idque de jure antiquo, quia hodie moris est, ut solus Romanus Pontifex conferat pallium Archiepiscopis. Convenit autem jus pallii Archiepiscopalis imprimis Summo Pontifici, ut constat ex *c. ad honorem 4. h. t.* ubi dicitur, quòd solus Romanus Pontifex in omnibus missarum solemniis, ubique locorum pallium gerit; ad significandam plenitudinem ecclesiasticæ potestatis. Alii verò, quibus pallium concessum est, eo nec ubique, nec semper in missarum solemniis utuntur: sed in ecclesiis tantùm suis, & certis diebus: eò quia in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis vocati sunt. Hinc usus pallii secundùm canones debet tantùm esse intra missarum solemnia. Præter summum Pontificem jus pallii competit etiam omnibus Archiepiscopis, iisque superioribus Patriarchis, & Primatibus. Quibus Papa pallium mittit, si instanter illud petierint *c. 1. & 2. dist. 100.* præmissa priùs fidei catholicæ professione, & præstito juramento fidelitatis, & obedientiæ Sedi Apostolicæ *c. optatum 4. dist. 100.* immo ex speciali privilegio etiam confertur aliquibus Episcopis, Quinque-Ecclesiensi in Hungaria *c. cum in Juventute 15. in princ. de præsumpt.* Ostiensi in ostiis Tiberinis Decano collegii Cardinalium, qui Papam consecrat, Papiensi in Longobardia, Lucensi in Tuscia, Bambergensi in Germania.

Quæritur secundò, intra quod tempus petendum sit pallium, & qua forma tradi debeat? Respondetur, eum, cui jus pallii competit, teneri intra trimestre à die consecrationis; si antea non fuit consecratus; vel à die confirmationis, si ante fuit consecratus, cessante justo impedimento petere pallium; alioquin privari commissa sibi potestate *c. quoniam 1.* junctâ Glossâ *V. consecrationis c. optatum 4. in fin. dist. 100.* Quod verò ad formam attinet verborum, qua pallii traditio fieri solet. Respondetur talem formam referri à Glossa in *c. ad honorem 4. h. t.* estque hujusmodi: *Ad honorem DEI omnipotentis, & Beatæ Mariæ Virginis, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, & Domini Papæ N. & Ecclesiæ Romanæ, & Ecclesiæ talis tibi commissæ tradimus tibi pallium de corpore Beati Petri sumptum, in plenitudinem pontificalis dignitatis, ut eo utaris intra tuam Ecclesiam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ecclesiæ tuæ concessis à Romana Ecclesia.* Moris etiam est, ut unà cùm pallio transmisso nova quædam concedantur privilegia, vel saltem antiqua confirmentur. Notandum est, quòd in *extravag. Joannis XXII. unic. inter commun. h. t.* statuitur, ut deinceps traditio pallii illis fiat, qui ad regimen Metropolitanarum, vel aliarum ecclesiarum assumuntur, & per objectionem cujusvis criminis, aut defectûs non impediatur, nec retardetur (ne scilicet per falsas objectiones diu vacent eccle-

Ecclesiæ; & ut malitiis hominum obvietur) nisi objiciens præstito corporali juramento, se maliotiosè id non agere, sed objecta vera esse credere, promptam de objectis fidem faciat, seu intra bimestre temporis spatium à die collationis numerandum objecta legitimè probet, & nihilominus se ad pœnam talionis, seu extraordinariam arbitrio præsidentis obliget. Per hujusmodi tamen traditionem pallii non obstantibus objectionibus factam nullum vi accusationis, & denuntiationis, vel inquisitionis generatur præjudicium, ut dicitur in eadem *Extravag. Joan. XXII.* idque ne pallium nisi benemeritis, & dignis detur *c. prisca 2. dist. 100.*

3 Quæritur tertiò, an Archiepiscopus possit uti pallio extra suam Provinciam? Respondetur negativè, quia usus pallii nonnisi limitatè, & cum restrictione conceditur, scilicet in propria Provincia, & desumitur ex *c. tuarum 5. h. t.* ubi Archiepiscopus Compostellanus supplicavit Innocentio III. Pontifici, ut sibi concederetur facultas utendi pallio extra suam Provinciam; & attulit etiam causam, quia propter negotia suæ ecclesiæ deberet frequenter extra suam Provinciam commorari: & adduxit etiam, consuetudinem viguisse in Hispania, ut Archiepiscopi extra suas Provincias pallio indifferenter uterentur. Respondit Pontifex, talem consuetudinem fore potius dicendam corruptelam, & abusum, quàm usum: sed ex speciali gratia indulgere se Archiepiscopo Compostellano, ut si necessitate occurrente ordinationis Clericorum, vel Episcoporum consecrationis faciendæ; ad ecclesiam sibi subjectam non possit accedere; sed ad alienam cogatur se conferre, liceat pallio uti, dummodo is, ad quem ecclesia pertinet, id ei permittat. Ex hoc textu claret, non valere consuetudinem, ut Archiepiscopus sine privilegio speciali utatur pallio extra suam Provinciam: & ratio desumitur ex ipsa forma, qua traditur pallium, dicitur, enim *ut intra ecclesiam tuam eo utaris*, adeò ut concessio pallii expressis verbis limitetur ad provinciam: unde est contra primam propriam pallii institutionem uti pallio extra propriam Provinciam. Præterea ex eo, quòd Innocentius III. concedat Archiepiscopo Compostellano usum pallii extra suam Provinciam non simpliciter, sed cum addito; dummodo is, ad quem ecclesia pertinet, id permittat; claret privilegium non concedi cuipiam cum damno tertii, proinde, privilegium alicui concessum debere interpretari, ut aliis non inferat damnum.

4 Rursus privilegium concessum Archiepiscopo utendi pallio in aliena Provincia debet explicari conditionatè, si Prælatus ejusdem loci consensum præstet. Hinc si Archiepiscopus in aliena Diœcesi velit Clericos ordinare, debet in primis consensum habere illius Episcopi, ne alienam jurisdictionem sibi usurpet, nec falcem immittat in alienam messem. Quòd si pallio velit uti inter ordinandum, debet priùs licentiam obtinere à Metropolitano ejusdem provinciæ, quia cùm Metropolitanus pallium acceperit, ut privilegium personale pro tota provincia, seu omnibus ecclesiis suæ Provinciæ: si extraneus Archiepiscopus in tali ecclesia pallio utatur, sequitur id cedere in diminutionem juris facti Metropolitano. Posset tamen in contrarium objici, quia Proconsul si mittatur in Provinciam, utitur suis insignibus etiam extra Provinciam sibi commissam *l. 1. §. de offic. Proconsul.* tali pacto Legatus à latere Papæ utitur insignibus suæ legationis extra suam Provinciam sibi designatam: ex quo videtur inferri etiam Archiepiscopum posse pallio uti extra suam Provinciam. Sed contra negatur consequentia, ratio discriminis ex eo petitur, quia Proconsuli, & Legato à latere permittitur usus insignium extra Provinciam ratione Papæ, vel Principis, siquidem legatus à latere gerit vices Papæ, & Proconsul vices Principis: secus Archiepiscopus non mittitur à Papa, ut ejus nomine exerceat jurisdictionem intra, & extra Provinciam suam: sed tantùm confirmatur per Papam, ut exerceat jurisdictionem ordinariam: & hæc est ratio, cur tantùm intra limites suæ provinciæ possit uti pallio quia extra suam provinciam non utitur jurisdictione.

5 Quæritur quartò, an Archiepiscopus intra limites suæ provinciæ possit extra ecclesiam uti pallio? Respondetur negativè, & ratio desumitur ex forma traditionis pallii, habentur enim hæc verba: *Tradimus tibi pallium, ut eo intra ecclesiam tuam utaris*: ex quibus liquet, usum palli non concedi nisi intra ecclesiam: quod tamen est intelligendum ut liceat Archiepiscopo in omnibus suæ Provinciæ ecclesiis uti pallio, non verò extra ecclesiam: quia tametsi nomine ecclesiæ plerumque intelligatur Cathedralis: nihilominus in materia hac favorabili, & nemini præjudicante, & in privilegio quod Archiepiscopo conceditur, ut in ecclesia sua pallio utatur, comprehenduntur omnes ecclesiæ intra totam ejus Provinciam, & etiam locorum exemptorum, ut docet Stephanus Quaranta in *in sum Bullar. V. Archiepiscopus cap. 32. §. notandum*. Hinc si Archiepiscopus sub tentorio in castris, vel littore maris extra ecclesiam, vel in domo privata ob necessitatem missam celebrat, non potest uti pallio, ut notat Glossa marginal. *in c. cùm sit. 6. h. t.* Quid verò si celebret in altare portatili ob hominum multitudinem, quam ecclesia capere non potest, & altare construatur ad fores ecclesiæ? censent tunc aliqui probabile, posse licitè uti pallio, quia non solet haberi ratio eius quod per accidens in aliquo casu contingit. Tum quia altare præ foribus templi tunc substituitur ad satisfaciendum populo, loco altaris, quod est in ecclesia. Verùm quoad hoc putarim spectandam esse consuetudinem cujusvis ecclesiæ.

6 Quæritur quintò, an per consuetudinem obtineri possit, ut licitum sit uti pallio extra limites propriæ Provinciæ? Respondetur negativè, & desumitur ex *d. c. tuarum 5. h. t.* ubi Innocentius III. rescribit Archiepiscopo Compostellano asserenti, consuetudinem in Hispania esse, ut Archiepiscopi extra suas Provincias pallio utantur; hanc consuetudinem esse corruptelam: ex quo textu liquet, per consuetudinem

nem non posse obtineri, ut liceat Archiepiscopo uti pallio in aliena Provincia. Ratio itidem est, quia consuetudo, quæ est contra substantiam, seu formam substantialem rei, nullius est valoris *argum. c. 2. de consuet. in 6.* juxta Glossam margin. ibid. ubi dicitur, non valere consuetudinem quantocunque tempore servatam, quòd ob Officiali ad eundem Episcopum appelletur, quia illa consuetudo esset contra substantiam appellationis, quæ essentialiter est provocatio ab inferiore ad superiorem: sed concessio pallii in forma traditionis expressè limitatur ad ecclesias propriæ Provinciæ: ait enim Pontifex *tradimus tibi pallium, ut eo intra ecclesiam tuam utaris*, unde consuetudo utendi pallio extra propriam Provinciam est contra primam institutionem, & substantialem formam pallii traditi: proinde talis consuetudo pro nullo eventu potest esse valida, & semper est corruptela. Et tantùm ex speciali gratia, & privilegio Apostolico potest Archiepiscopo concedi, ut extra Provinciam suam possit pallio uti in consecratione suffraganeorum, vel ordinatione Clericorum, dummodo Ordinarius, ad quem ecclesia pertinet, & Archiepiscopus illius Provinciæ licentiam concedant.

7 Quæritur sextò, in quo propriè consistat plenitudo Archiepiscopalis officii ratione suscepti pallii? Respondetur in eo sitam esse, ut Archiepiscopus post susceptum pallium possit exercere omnes illos actus, qui sunt proprii dignitatis Archiepiscopalis tam Ordinis, quàm jurisdictionis: siquidem ante pallii receptionem, tametsi confirmatus, & consecratus sit, non potest exercere actus Ordinis, qui ab Archiepiscopo nonnisi inter missarum solemnia, vel saltem cum Archiepiscopalibus insignibus, & ornamentis peragi solent. Imò nec potest exercere actus jurisdictionis majoris, quos non ut simplex Episcopus, sed tantùm ut Archiepiscopus potest exercere, ut habetur in *c. ut sicut* 28. *§. præterea de elect.* Quòd si Archiepiscopus consecratus antequam pallium acciperat, exerceat, quæ ad potestatem ordinis Episcopalis pertinent, & Clericos consecret, baptizatos confirmet; hæc validè quidem peragit, sed non licitè: quia agit contra canones, & jura: proinde potest per sententiam Judicis puniri, vel removeri ab Officio.

8 Quæritur septimò, an privilegium pallii sit reale, vel tantùm personale: illud dicitur reale, quod non adhæret personæ, sed existit per se, & transit ad alios: personale verò, quod adhæret personæ, cum qua extinguitur. Respondetur, privilegium pallii esse personale; adeò ut Archiepiscopus non possit suum pallium alteri Archiepiscopo commodare, quia privilegium personale conceditur cum restrictione ad personam, & locum, seu ad ecclesias propriæ Provinciæ: idque desumitur ex *c. ad hoc* 2. *h. t.* ubi quæsitum fuerat à Clemente III. an Archiepiscopus alteri Archiepiscopo posset palliũ comodare; & respondit Pontifex negativè, quia pallium conceditur personæ ut ejus privilegium, proinde cùm eadem persona debet etiam sepeliri. Tum quia in *c. cum super* 1. *h. t.* cautum est, ne Archiepiscopus utatur pallio extra ecclesiam suæ Diœcesis: proinde frustra illi commodabitur pallium alienum. Ex quo liquet, usum pallii se habere instar privilegii personalis etiam cum restrictione ad locum. Posset tamen objici quia pallium debetur dignitati Archiepiscopali saltem ex gratia generali: ergo ejus privilegium est potius reale, quàm personale. Sed contra, quia aliud est jus pallii petendi, & aliud usus ipsius pallii: jus petendi pallium à Sede Apostolica juxta canones adhæret Archiepiscopali dignitati, proinde accensetur privilegiis realibus, & hoc jus transit ad Successores: Concessio pallii verò, & ejus usus sit personæ, & est privilegium personale, quod non potest alteri comunicari.

Quæritur octavò, an Archiepiscopus possit celebrare sine pallio, & Sandaliis? Respondetur affirmativè; & desumitur *ex c. quia* 7. *h. t.* Idque ex eo itidem evincitur; quia Archiepiscopus non potest uti pallio, nisi illis diebus, qui exprimuntur in Privilegio suæ concessionis *c. ad honorem* 4. *h. t.* adeout Sandaliis solùm utantur Episcopi, & Archiepiscopi quando pontificaliter celebrant *c. nonnulli §. compagis, & ibi Glossa dist.* 93. & quia Episcopi, & Archiepiscopi possunt quotidie celebrare; idque detur iisdem laudi; sequitur, non teneri semper cum pallio, & Sandaliis celebrare; alioquin vel non possent singulis diebus celebrare; sicque essent deterioris conditionis cæteris sacerdotibus; quibus concessum est diebus singulis celebrare: vel possent Archiepiscopi semper, & diebus singulis celebrare cum pallio, & Sandaliis, quod ipsis non permittitur; sed solùm diebus solemnioribus expressis in eorum privilegiis. Tum quia usus pallii restringitur ad provinciam, ad ecclesiam, ad missarum solemnia, ad certos dies: & tamen possunt Archiepiscopi extra suas provincias celebrare, proinde sine pallio, & Sandaliis. Cæterum pallia Romæ moris est, ut texantur à monialibus *à Turre Speculi* nuncupatis ex lana de agnis albis, qui ab iisdem monialibus enutriri consueverunt; & Dominica in Albis ducebantur ad circumeundum altare S. Petri. Vide Onuphrium Panvinum *in tractatu de Sacrarum vestium generibus.*

TITU-

TITULUS IX.

De Renunciatione.

Cùm in præcedentibus Titulis Pontifex explicâsset varios modos, quibus potissimùm dignitates Ecclesiasticæ acquiruntur, scilicet per electionem, postulationem, & translationem; agit in hoc Titulo de renunciatione, per quam dignitates acquisitæ tam ab iis, qui pallio utuntur, quàm ab aliis, interdum amittuntur: est siquidem renunciatio, quâ quilibet jus beneficii sui à se abalienat. Quòd si semel renunciatio beneficii admissa sit, non potest ampliùs is, qui renuntiavit beneficio, illud repetere *Can. quam periculosum 8. quæst. 1. c. 3. & 6. h. t.* nam remittentibus Jus suum ad id non datur regressus.

SUMMARIUM EXEGETICUM

Omnium Capitum, quæ in hoc Titulo continentur.

CAP. LITTERAS 1. h. t. ALEXANDER III. rescribit Episcopo Londonensi, quòd si Episcopus ob senectutem se cognoscit insufficientem ad Ecclesiæ regimen; non tamen conceditur ei facultas renunciandi suæ Ecclesiæ, eámque cedendi personæ incognitæ; si non obstante senio adhuc utilis sit suæ Ecclesiæ, nec in ipso vigor devotionis, ac fidei defecerit; eò quia satiùs sit adhuc Ecclesiam sub umbra sui nominis gubernari.

C. *CUM INTER 2. h. t. mandat Pontifex, ut qui renuntiavit beneficio, ac juravit, se ipsum non repetiturum; si tamen authoritate Papæ eligitur à majore parte, possit beneficium retinere, ac pacificè possidere non obstante juramento. Ratio est, quia tantùm juravit se non repetiturum beneficium, quod tunc ex jure possidebat; non verò se non recepturum beneficium, quod jure novo posset ipsi obtingere, si iterum eligeretur: non enim juramentum extenditur ad ea, de quibus non fuit cogitatum in juramento; vel quæ tunc non extabant: quâ ratione, nec rescripta extenduntur ad lites tempore impetrati rescripti non extantes* c. ult. de rescript. *nec transactio extenditur ad ea, de quibus non fuit dictum, vel cogitatum* l. si certa C. de transact. *Quamobrem juramentum non obstitit; quia non agebatur de beneficio jure antiquo repetendo, sed quod ex jure novo erat acquirendum. Jus enim semel amissum non renascitur. Tum quia Clericus ille juravit se non repetiturum beneficium, cui renunciaverat, & quidem eo jure, quo ipsum possidebat, non verò juravit, se non recepturum, si jure novo ad illud eligatur.*

C. *EX TRANSMISSA 3. h. t. rescribit idem Pont. Episcopo Verulano, eum, qui renunciavit suo beneficio, & juri saltem tacitè repetendi ea; quæ Ecclesia contulit, non posse illud repetere, posse tamen Canonicos eum recipere, non tanquam unum de Ecclesia, sed tanquam socium de novo. Ex quo textu eruitur generalis regula,* Qui absolutè renuntiat alicui beneficio, non potest illud ampliùs repetere: *quia actio semel extincta nunquam reviviscit.*

C. *ADMONET 4. h. t. Mandat idem Pont. Episcopo Tornacensi, ut sub districtione canonicæ ultionis omnino prohibeat; ne beneficiati Ecclesias suæ diœcesis spectantes ad suam ordinationem absque ejus consensu audeant intrare, aut detinere, vel dimittere. Ex quo textu liquet, Beneficiatum non posse renunciare beneficio, Episcopo suo inconsulto, & sine ejus licentia: id tamen non extenditur ad Ecclesias exemptas, vel alias ad ordinationem Episcopi non pertinentes: quia textus expressè loquitur de Ecclesiis spectantibus ad ordinationem talis Episcopi. Hinc si Clericus eligatur ad aliam Ecclesiam, tenetur licentiam petere à suo Episcopo: qui si malitiosè deneget talem licentiam, compelli potest per Superiorem; ut eam concedat, si justa causa subsit.*

C. *SUPER HOC 5. h. t. Rescribit CLEMENS III. quòd petenti beneficium, super quo fuit canonicè institutus, exceptio de spontanea abjuratione, etiam non assignata causa renunciationis sit permittenda; & testes recipiendi circa spontaneam renunciationem; & Judex potest inquirere circa causam renunciationis, quamvis non teneatur; quam si invenerit probabilem, silentium imponat, nisi actor replicet. Rursus declarat Pontifex, eum qui negat, se spontaneè renunciâsse, quamvis videatur negativam asserere, ac proinde non posse eam probare; involvere tamen affirmativam, ac proinde esse admittendum ad eam probandam. Hic Textus, qui videtur obscurus explicatur à Glossa hoc pacto. Cuidam repetenti beneficium,*

de quo antehac fuerat canonicè institutus, objiciebatur per modum exceptionis, quòd quàmvis ad illum aliquando pertinuerit, non tamen posset illud repetere, eò quia, dum pacificè illud possideret, sponte illud abjuraverat. Sed replicabat actor, se spontè id non fecisse: alter verò, qui in beneficio ei successerat, perseverabat affirmare: & uterque ad probandum se obtulit. Quæsivit igitur Episcopus. Primò, an exceptio spontaneæ abjurationis objecta, si nulla alia causa resignationis adducatur, sit admittenda? Secundò, an testes actoris asserentes ipsum non spontè renunciâsse, vel testes rei, qui affirmant, sint admittendi? Responditque Pontifex, non videri verisimile aliquem renunciâsse beneficio sua spontè, præsertim, si illud multis laboribus acquisivit; sed renunciationem præsupponere culpam gravem: testes tamen super spontanea renunciatione, quæ objicitur actori, esse recipiendos, ut etiam a judice inquirendam esse causam renunciationis, quam si probabilem invenerit, actori esse silentium imponendum, nisi replicando, contrarium probaverit; seu se spontè non renuntiâsse, sed tantùm per vim, aut metum. Ex quo liquet, renunciationem factam per vim non valere, bene tamen per metum; sed dari illi actionem prætoriam, quia coacta voluntas est voluntas.

C. *IN PRÆSENTIA 6. h.t. Declarat idem Pont. eum, qui spontè renunciavit electioni de se factæ non esse ampliùs audiendum super eadem electione. Concordat hic Textus cum* c. 3. ex transmissa: *quia actio semel extincta nunquam reviviscit. Notat tamen Glossa, Judicem non semper ex una probatione, sed ex variis, quæ fiunt in ejus præsentia teneri deliberare: & semper esse præsumendum pro sententia, si in contrarium aliud non constet.*

C. *SANE 7. h.t. Declarat Cœlestinus III. quòd licet, qui restituit instrumenta sui juris, renuntiet juri suo, quod sibi ex litteris competebat, possit nihilominus, quia est deceptus, implorare officium Judicis, si actio deficiat. Verùm in casu hujus textus Subdiaconus à Legato Papæ de ejusdem mandato institutus Canonicus Ecclesiæ Pictaviensis, & à reliquis Canonicis super hoc impeditus, quorundam suasu tradidit Capitulo Papales litteras, & ejus gratiæ se subjecit: quia verò non fuit receptus, & res ad Pontificem fuisset delata, mandat Papa, ut non obstante hac subjectione ipsum in fratrem, ac Canonicum admittant, quia restituendo litteras, non renunciavit facto Legati Sedis Apostolicæ, nec suæ institutioni: proinde fuit auditus. Tum quia Subdiaconus iste deceptus à Canonicis suas litteras eis tradidit, & canonicatum, in quo vi mandati Apostolici erat institutus, & quia eundem canonicatum sibi jure debitum petierit titulo gratiæ, ideo fuit deceptus: proinde rectè mandavit Pontifex, ut restitueretur.*

C. *QUOD IN DUBIIS 8. h.t. Rescribit INNOCENTIUS III. Archiepiscopo Nidrosiensi renuntiantem beneficium Ecclesiasticum in manu laici; illudque à laico iterum accipientem esse privandum beneficio, tametsi renuntiatio fuerit nulla. Quinimo in* c. quisquis. de elect. *statuitur pœna, ut laici excommunicentur, & Clericus careat commodo electionis, fiatq; ineligibilis. Quia verò præsens textus procedit de Clerico, qui beneficium, quod habebat, laico resignavit; rursusq; illud ab eodem accepit; ideò non solùm subit pœnas in* c. quisquis. *verùm etiam eodem beneficio sic recepto jubetur spoliari: tametsi resignatio, utpote facta non superiori fuerit irrita.*

C. *AD SUPPLICATIONEM 9. h. t. Idem Pont. rescribit Archiepiscopo Eboracensi, quòd Papa tunc soleat Episcopis concedere, ut renuncient Ecclesiis, quando adest periculum mortis, vel aëris intemperies, vel oriuntur dissidia, & inimicitiæ inextinguibiles. Non tamen quodvis periculum etiam mortis sufficit ad legitimam renuntiationem, quia bonus pastor tenetur animam suam ponere pro ovibus suis: unde Textus procedit de periculo mortis, quam si quis obiret, nihil ad salutem faceret animarum.*

C. *SI CUM 10. h. t. Idem Pont. rescribit Archiepiscopo Calaricano, causas, ob quas potest Episcopus petere licentiam renunciandi suo Episcopatui, & ait esse sex, conscientiam criminis, debilitatem corporis, defectum scientiæ, malitiam plebis, grave scandalum, irregularitatem personæ. Non tamen sufficit qualibet criminis conscientia, sed illius tantùm, ob quod etiam post peractam pœnitentiam executio officii impeditur. Rursus neque sufficit, quævis debilitas corporis, sed illa tantùm, quæ reddit Episcopum impotentem ad officium pastorale. Item defectus scientiæ talis esse debet, ut Episcopus nesciat Ecclesiam salubriter regere. Quia defectus scientiæ optimè suppleri potest per affectum charitatis. Item malitia plebis debet talis esse, ut subditi non solùm non obediant, sed etiam irrevocabiliter contradicant. Item scandalum debet esse grave, & quod aliter sedari non possit, nisi petendo cessionem. Demum neque ob quamlibet irregularitatem personæ dari debet renunciandi licentia; quia cum eo, qui laudabiliter suum implevit officium, injunctâ pœnitentiâ dispensatur: cæterum irregularitas orta ex bigamia sufficit ad petendam licentiam renunciandi Episcopatui, quia Apostolus ait:* Oportet Episcopum esse unius uxoris virum. *Rursus sufficiunt ad renunciandum beneficio angustiæ laboris, & incursus persecutionis.*

C. *POSTTRANSLATIONEM 11. h. t. Rescribit idem Pont. Episcopo Faventino tunc electo in Archiepiscopum Ravenatem; quòd si Episcopus fiat Monachus, non possit amplius Episcopus eligi, nisi ipse cesserit Episcopatui propter magnam persecutionem; vel ob invaletudinem corporis cum authoritate tamen Papæ, vel ob ignorantiam, sed dummodo in monasterio postea didicerit; in his enim casibus potest reassumi. ut etiam si propter simoniam parentum ipso inscio fiat Episcopus, mox Regularis potest reassumi ad alium Episcopatum. Concilium verò Constantinopolitanum, decernens*

Epi-

Episcopum Monachum factum, non posse reassumi ad Episcopatum, esse intelligendum, si Episcopus ob aliquod crimen ad vitam monasticam transierit. Notandum est cum Glossa, quòd licèt cum Simonia scienter contracta solus Papa dispensare possit; nihilominus cum Simonia commissa ignorante illo, cui acquisitum est beneficium, possunt Episcopi dispensare, post liberam talis beneficii resignationem: quinimò, si resignavit sponte, potest ad illud reassumi. Sin autem judicialiter ejus electio tanquam simoniaca fuerit reprobata, non possunt Episcopi pro illa vice dispensare c. si alicujus de elect.

C. QUIDAM 12. *h. t. Rescribit idem Pont. petentes licentiam renunciandi Episcopatui, si eam obtinuerint, esse adigendos ad cedendum. Recenset tamen Panormitanus hic plures casus, in quibus etiam post obtentam licentiam potest quis non renunciare Episcopatui.*

C. VENIENS 13. *h. t. Rescribit HONORIUS III. eum, qui habens litteras Apostolicas contra Capitulum, committit se gratiæ Capituli, vel adversarii; non dici renunciâsse juri suo, sibi competenti ex litteris; benè tamen, si renunciâsset litteris impetratis. Ubi notat Glossa, per litteras executorias acquiri tantùm jus, ut impetrans possit implorare officium executorium ad exequendas litteras Apostolicas.*

C. LECTÆ CORAM 14. *h. t. Declarat idem Pont. Prælatum, qui eximit subditos à sui obedientia, non intelligi renunciare Prælaturæ, nisi eam revera resignaverit. Etenim in hoc textu Abbas S. Petri Tullensis gravissimè decumbens Monachos suos ab obedientia, in qua sibi tenebantur, absolvit: vocato Episcopo, ut Abbatiam in ejus manibus resignaret; quod tamen meliori consilio usus, non fecit; hac super re consultus HONORIUS III. rescripsit, se ex tali facto non videre, hunc Abbatem suo resignâsse regimini. Quinimò, ut rectè notat Panormitanus hic n. 4. hæc Monachorum absolutio ab obedientia nullius fuit valoris: quia Religiosi ex vi voti tenentur obidire Prælato, nec iste potest illos solvere, quamdiu manet Prælatus, quapropter illa absolutio nil potuit operari.*

C. DILECTI FILII 15. *h. t.* GREGORIUS IX. *declarat, Abbatem exemptum, seu immediatè pertinentem ad Romanum Pontificem, non posse renunciare suæ Abbatiæ sine licentia Papæ: quòd si renunciaverit in manu alicujus Prælati, renuntiatio est nulla: quia ut notat Glossa hic, renunciatio debet fieri in manibus illius, ad quem pertinet confirmatio. Verùm, qui renunciavit in manu non sui Superioris, quamvis renunciatio non sit valida, adigitur tamen, qui ita renunciavit, cedere in manu sui proprii Prælati, quia tantùm Superior potest cessionem admittere.*

IN SEXTO.

C. QUONIAM 1. *h. t. Declarat Bonifacius VIII. posse Romanum Pontificem renunciare Pontificatui. Cùm enim Cælestinus V. ejus prædecessor voluerit hæsitationis materiam amputare, deliberatione habita cum Cardinalibus, de omnium concordi Consilio, authoritate Apostolica statuit, & decrevit; Romanum Pontificem posse liberè renunciare Pontificatui: quod statutum inter constitutiones alias ad perpetuam rei memoriam redigi voluit de fratrum consilio* BONIFACIUS VIII. *qui immediatè successit Cælestino. Difficultas erat, quia renunciatio fieri debeat in manibus Superioris, & super Papam non est Superior in Ecclesia militante. Sed ad id responsum fuit, esse resignationem faciendam in manu Superioris, quando hic adest, & regulam tantùm valere, quando extat Superior. Papa tamen, quia non habet Superiorem, licèt possit renunciare; non tamen in manu Superioris. Cæterum, si Papa renunciet Papatui, hic statim vacat, & Cardinales possunt alium eligere.*

C. SI TE 2. *h. t. Rescribit idem Pont. quòd si in fraudem expectantis authoritate Apostolica primam præbendam vacaturam; alius in Ecclesia renunciet tenui beneficio, eò quia credat brevi pinguius vacaturum, non teneatur expectans illud tenue resignatum recipere; sed possit expectare aliam præbendam pinguiorem, eamque petere, veluti sibi debitam. Quòd si hæc præbenda pinguior ei conferatur, qui renunciaverat tenui beneficio, eo ipso intelligitur fraus esse probata, & qui renunciaverat, utràque privatur præbendâ. Verùm hæc decretalis hodie non est ampliùs in usu; quia jure novo gratiæ, quæ dicuntur expectativæ sublatæ sunt per Concilium Tridentinum* Sess. 24. c. 19.

IN SEPTIMO.

C. PRÆSUMIMUS 1. *h. t.* INNOCENTIUS VIII. *declarat, legitimam beneficii resignationem excludentem omnem temporis, & personarum dolum, esse confirmandam certo dierum spatio ante obitum. Si enim resignantes intra mensem post resignationes ipsas morte præventi fuerint, non admittuntur resignationes, si tempore resignationum resignantes erant infirmi ea infirmitate, de qua decesserunt: unde beneficia nisi certo tempore ante mortem fuerint resignata, resignatio, quam mors mox sequitur, facta, tanquam fraudulenta non subsistit, & rejicitur. Hoc autem tempus in Regulis Cancellariæ est intra viginti dies.*

C. HUMANO 2. *h. t.* GREGORIUS XIII. *statuit, ut omnes, & quæcunque resignationes, etiam causâ permutationis, ac commendarum, & etiam litteris Apostolicis non confectis, & possessione non habita; nec non litis, & jurium quorumcunque cessiones, & retrocessiones, de quibuscunque beneficiis Ecclesiasticis intra sex menses, si beneficium fuerit citra montes, & intra novem, si ultra montes, à data concessionis gratiæ, non verò à die præstiti super eâ consensûs numerandos publicentur in cathedrali, vel in beneficii Ecclesia, vel Ecclesiis; si in pluribus illud sit, & cùm frequens populus* ad

ad missarum solemnia convenerit; adeò, ut clara, & intelligibili voce resignatio exprimatur, ut etiam beneficii qualitas, & invocatio; itidem nomina, & cognomina resignantis, & illius, in cujus favorem fit resignatio, pronuncientur. Quòd si Ecclesia beneficii sit ruralis, vel populo conventûque careat; eo casu, in parochiali, intra cujus parochiæ limites beneficium hoc consistit, & in Cathedrali Ecclesia fit publicatio resignationis.

C. *QUANTA 3. h. t. PIUS V. declarat, resignationes non esse admittendas, nisi ex legitimis causis, idque ob plura incommoda, quæ patiuntur Ecclesiæ ex talibus resignationibus. Causæ verò resignandi sunt, quæ recensentur* in c. nisi cum 10. h.t.

C. *SANCTISSIMUS 4. h. t. CLEMENS VII. decernit, consensum, qui præstari debet in beneficiorum resignationibus esse notandum in libris Cameræ Apostolicæ, & quidem quoad materias Franciæ intra tres menses, in aliis verò infra qindecim dies à die aǹotationis eorundem consensuum computandos: idque ad obviandum fraudibus, quæ in retardatione annotationis consensuum hujusmodi committebantur.*

C. *SANCTISSIMUS IN CHRISTO 5. h.t. PIUS IV. probibet omnes fraudulentas beneficiorum permutationes.*

IN CLEMENTINIS.

C. *CUM ILLUSIO UNIC. h. t. Declarat CLEMENS IV. in Concilio Viennensi, renuntiationem dignitatis, vel beneficii posse fieri per Procuratorem ad id constitutum: quòd si Procurator revocatur, antequam renunciet, si ipse Procurator, vel Superior, apud quem fit renunciatio, ignorat revocationem, declarat Pontifex, renunciationem tenere: non ita si aliquis horum sciebat, ut etiam si per ipsos, vel per alios fuit malitiosè impeditum, ne alter eorum renunciationem sciret.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Resignatio, & ex quibus causis.

RENunciatio generatim sumpta est quædam abdicatio proprii juris, seu rei renuntiatæ ab ipso renuntiante facta; & pressiùs dicitur esspontanea rei, vel Juris refutatio *l. destitisse §. de jud. l. filius ff. de Minor. l. postquam liti* C. *de pactis.* Unde renunciatio est quædam privatio, quæ supponit possessionem rei, & jus acquisitum, non enim juri nondum habito potest quis renuntiare: hinc renuntians usufructui censetur à se abdicâsse omne jus, quod habet in re, Specul. *Tit. de pact. §. 1. n.6.* Caccialup. *in tract. de transact. q. 3. in fin.* Renuntians liti, & causæ censetur etiam remittere omne jus, quod habet, reo, cui renuntiat *d. l. postquam liti cum ibi not. C. de pact.* Quamobrem explicatis modis, quibus potissimum Ecclesiasticæ dignitates acquiruntur, rectè sequitur agendum de renuntiatione, per quam dignitates acquisitæ amittuntur. Unum siquidem genus, quo beneficia vacant est, cùm quis beneficium, quod possidet, dimittit, seu ejurat; siquidem is dicitur beneficium ejurare, qui interposito jurejurando se beneficio abdicat, seu beneficium, quod antea possedit, deponit, ut loquitur Glossa *in Rubric. de renunc. in clement.* qui enim ita suum beneficium ejurat, ac deponit in jure Canonico dicitur beneficium resignare, vel beneficio renuntiare.

Hinc renuntiatio sumpta pressiùs juxta præsens institutum, definitur esse *dignitatis, seu beneficii, vel officii Ecclesiastici obtenti, seu juris, quod in eo quis habet, spontanea, & libera coram superiore facta dimissio, seu refutatio, vel depositio.* Dicitur spontanea dimissio, ut excludatur legitima privatio, nisi quòd ad servandum honorem, beneficio, vel dignitate privandus ex gratia superioris admittatur ad liberam resignationem. Dicitur libera, & non coacta, quia si renuntians adigeretur à non superiore ad resignandum beneficium, resignatio nullius esset valoris *c. super hoc 5. h. t.* debet resignatio fieri sine dolo, & metu, alioquin resignatio est nulla, & resignans restituendus est beneficio *c. 3. & 4. de iis, quæ vi, metúve.*

Duplex est beneficii renuntiatio, ut notat Rebuff. *p. 3. tit. de resig.* tacita, & expressa: illa est, quæ ipso jure censetur facta, absque ullis expressis verbis, sed sola ipsius juris constitutione, quæque per consequentiam actûs contrarii colligitur: ut si beneficiarius minoribus tantùm ordinibus initiatus uxorem duceret, aut religionem voto solemni profiteretur; tunc enim ipso jure, & absque expressis verbis censetur tacitè renuntiare beneficio; cùm hoc non sit compatibile cum matrimonio, vel statu religionis. Rursus acceptans secundum beneficium incompatibile cum primo, secutâ ejus pacificâ possessione, censetur 3

renun-

renuntiare primo *c. de multa 38. inf. de præbend.* ut etiam si Clericus beneficiatus fiat miles sæcularis, & pugnet in bello, censetur renuntiare beneficio *c. in audientia 25. inf. de sent. excomun.* Renuntiatio expressa fit, cum quis sponte suum beneficium expressis verbis coram Ordinario legitimè dimittit *c. 1. de renunt. in 6. & in Clement. eod. tit.*

4 Rursus Renuntiatio expressa alia est purè simplex, & hæc fit in manibus superioris absque ulla pactione, conditione, vel modo, omnémque excludit reservationem, quæ fit in favorem renuntiantis *c. tua nos inf. de Simon.* & admissâ hâc renunciatione potest ordinarius beneficium resignatum conferre, cui magis libuerit, ut docet Rebuff. *in pax. benef. tit. de resig. pura.* Alia est conditionalis, quæ fit sub aliqua conditione, vel modo, cujusmodi est renunciatio ex causa permutationis, vel quæ fit in favorem alicujus coram Summo Pontifice: ubi juvat animadvertere, quòd resignatio in favorem alterius non potest fieri coram Ordinario; siquidem jure Pontificio coram Ordinario prohibita est omnis pactio, & conditio in resignatione tanquam Simoniaca. *c. quam caus. 101. q. 2. c. cùm pridem, & c. ex parte inf. de offic. delegat.* ubi fusè Garzias de *benef. p. 11. c. 3. §. 2. n. 152.* Nihilominus potest resignans absque Simoniæ nota rogare Ordinarium, ut velit conferre beneficium dimissum uni potius, quàm alteri *d. c. tua nos de Simon.* peccaret tamen, si is, pro quo rogat non esset idoneus, ad ritè exercendum tale officium, vel beneficium *c. tuam inf. de ætat. & qualit. & ord. præfic.* Solet in renunciationibus conditionatis, multipliciter adhiberi conditio: etenim nonnunquam quis se abdicat beneficio, eâ conditione, ut beneficium conferatur uni potiùs, quàm alteri; & hæc resignatio dicitur fieri gratia, & favore alterius. Gloss. in *c. ex parte de offic. deleg.* Secundò, resignat quis suum beneficium adjectâ conditione, ut resignans sibi reservet fructus beneficii resignati ex toto, vel ex parte; & ad alterum jus, ac titulus beneficii tantùm transferatur *cap. non essent 25. de præb.* Rebuff. *in prax. in tit. de resig. in favorem n. 3.* vel etiam, si quis ex resignato beneficio reservat pensionem quot annis sibi solvendam. Tertiò, potest quis beneficium dimittere cum regressu, vel ingressu, vel accessu ad illud, scilicèt reservato sibi jure, ut possit iterum beneficium resignatum possidere. Rebuff. *in praxi tit. de resign. in favorem.* Quartò, est etiam renunciatio conditionalis, quæ fit causa permutationis, cùm resignans ita beneficium dimittit, ut alterius beneficium simile, vel dissimile sibi conferatur: & tunc habetur permutatio beneficiorum, quia unus mutat suum beneficium, cum beneficio alterius, & uterque suo se abdicat beneficio priori, non tamen absolutè & simpliciter; sed ut accipiat aliud.

5 Debent hujusmodi resignationes fieri coram superiore, quia sicut miles absque sui ducis permissu nequit castra, & militiam deserere *tit. de re militari.* Pari pacto constitutus in dignitate Ecclesiastica nequit eidem renunciare absque sui superioris consensu, ut liquet ex *c. admonet 4. h. t.* Siquidem inter dignitatem, & Prælatum vinculum contrahitur spirituale, quod propria authoritate non potest solvi; quemadmodum matrimonium semel ritè initum, non potest arbitrio conjugum dissolvi; proinde renunciatio clandestina, vel facta sine superiore, nullum sortitur valorem; & Superior non obstante tali renunciatione potest cogere renunciantem reverti ad suum beneficium *cap. 1. h. t.* licèt renuncians spontè renunciet, & se ipsum excludat ab officio, vel beneficio, si superior velit; cujus propterea consensus est omninò necessarius, in quavis renunciatione, sive tacita, sive expressa, ut communiter docent juris Pontificii periti. Imola *in c. ex ore 3. n. 20. inf. de iis, quæ fiunt à majore parte capituli.*

Cæterum Episcopatui non licèt renuntiare absque expresso Summi Pontificis consensu *cap. nisi cum pridem 19. h. t.* sicut nec aliis dignitatibus Episcopatu inferioribus, si eas obtinentes exempti sint á jurisdictione Episcoporum, vel Archiepiscoporum, & immediatè subjiciantur Summo Pontifici *cap. ult. h. c.* 6

Ad resignationem beneficii, vel officii requiritur aliqua causa, sine qua non admittitur beneficii dimissio, causæ verò, quibus potest quis beneficio renunciare, sex præsertim numerantur *in c. nisi cùm pridem de renuntiat.* & continentur his Versibus: 7

Debilis, ignarus, malè conscius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.

Sunt enim causæ, ob quas potest quis suo beneficio, vel officio renunciare, debilitas corporis, conscientia criminis, defectus scientiæ, malitia plebis, grave scandalum, & irregularitas Clerici. Renunciat quis beneficio, vel ob crimen quo inficitur, vel irretittur; vel ob imperitiam, & ignorantiam litterarum; vel ob infirmam corporis valetudinem; vel ob morbum, ut si leprâ laboret, vel cæcus, surdus, aut mutus evaserit, vel ob malitiam plebis, vel ob gravem aliorum offensionem, vel ob contractam irregularitatem, à qua non possit facilè liberari. Solet etiam nunc in Romana Curia admitti renunciatio beneficii ob capularem resignantis senectutem, & etiam ob aëris intempriem, vel ob potentiorem violentiam, & tyrannidem, ut etiam ob ingressum religionis futurum, & nuptias contrahendas. 8

Extra curiam Romanam justis de causis possunt etiam resignationes minorum beneficiorum fieri coram locorum Ordinariis, ut liquet ex constitutione Pii V. quæ incipit: *quanta Ecclesia Dei*; in qua certas causas enumerat, quibus potest quis coram Ordinario loci suo benificio renunciare. Prima causa, quæ habetur in illa constitutione est, si beneficiarius 9

fuerit senio confectus, adeò, ut illi non suppetant vires sufficientes ad suum obeundum munus, quod arbitrio prudentis judicis relinquitur. Secunda, si Clericus sit valetudinarius, adeò, ut nequeat sine detrimento salutis suo officio fungi, quod etiam judicio remittitur prudentis viri. Tertia, quando beneficiarius est corpore impeditus, ut si leprâ, paralysi, aut morbo comitiali, aut aliquo alio contagioso laboret. Quarta, si beneficiarius sit corpore vitiatus, & factus cœcus, claudus, surdus, mutus, aut membrum aliquod perdiderit, vel enormem contraxerit deformitatem. Quinta, si aliquo gravi crimine teneatur obstrictus, ut homicidii, Simoniæ, adulterii concubinatûs, perjurii, maledicti in Deum, vel Sanctos. Sexta, si beneficiarius sit Ecclesiasticis censuris irretitus. Septima, si nequeat Ecclesiæ, vel beneficio inservire, ut si Clericus fuerit publicè relegatus, aut arreptitius, vel irregularis, vel si turpiter, & scandalosè vivat. Octava, cùm quis duo obtinet beneficia, quorum alterum dimittere debeat, sive jure ipso, sive authoritate judicis. Nona, si fuerit ad secundum beneficium necessitate aliqua promotus. Decima, si religionem aliquam sit ingressurus. Undecima, si velit matrimonium contrahere. Duodecima, si adsit aliqua ex iis causis, ob quas Innocentius III. in *c. nisi cùm pridem de renunt.* constituit, posse Episcopum suam dimittere Ecclesiam, & sunt sex illæ causæ comprehensæ in præfatis duobus carminibus. Decima tertia, si beneficiarius ob capitales inimicitias non possit, vel non audeat in loco beneficii commorari. Ex his causis, licitum est Ordinariis locorum, beneficiorum minorum resignationes approbare, servatis tamen duabus conditionibus, quarum prima est, ut si Clericus renuntians beneficio sit Sacris initiatus Ordinibus, habeat, unde possit honestè vivere, alioquin non permittitur renunciare beneficio, nisi religionem aliquam sit ingressurus. Altera est, ut locorum Ordinarii, qui ex præfatis causis beneficiorum resignationes admittunt, non conferant dimissa beneficia suis, aut dimittentium consanguineis, affinibus, vel familiaribus.

10 Quòd si locorum Ordinarii dimissa beneficia contulerint suis, aut dimittentium consanguineis, affinibus, vel familiaribus, ex præcitatâ constitutione Pii V. suspenduntur à collatione, electione, institutione, præsentatione, & confirmatione, donec à Romano Pontifice obtinuerint remissionem. Hanc eandem pœnam suspensionis contrahunt ii, qui beneficia sic dimissa recipiunt; quapropter tenentur abstinere à quovis jure, & officio, quod eisdem competit ratione beneficiorum. Et Episcopi, seu Ordinarii locorum, qui beneficia dimissa contulerunt suis, vel dimittentium consanguineis, affinibus, vel familiaribus non possunt amplius conferre beneficia, nec eligere, præsentare, confirmare, aut instituere, & si secus fecerint, excommunicationem ipso facto incurrunt: quòd si Collegia, aut conventus Clericorum fuerint, in suspensionem à divinis incidunt, quæ est quædam interdicti species, & à tali excommunicatione, vel suspensione non possunt absolvi extra mortis articulum, nisi à solo Pontifice.

Dubitari tamen potest, an sit nulla resignatio 11
beneficii, quando resignans non habet aliunde, unde vivat, tametsi ordinatus non sit ad titulum ipsius. Certum est: quòd si resignans beneficium fuerit ordinatus ad ipsius titulum, resignatio nullius sit valoris, nisi fiat ex consensu superioris, simulque fiat mentio de ordinatione ad illius titulum, sic enim statuit Concil. Trident. *Sess. 21. cap. 2. de refor.* ut observant Gonzalez *ad regul. 8. Cancel.* Glossa *5. §. 10. n. 35.* Paris. *de resignat. lib. 2. q. 6. num. 36.* Garzias *de benef. part. 2. cap. 5. n. 192. & sequent.* ubi affert decisiones Rotæ, & declarationes sacræ Congregationis. Quamobrem difficultas tantùm est de resignatione, quando ad ejus titulum resignans non est ordinatus, & aliunde non habet, unde vivat. Tametsi Concilium Tridentinum super hoc dubio nil disponat, colligitur tamen ex dispositione Pii V. in sua constitutione *58. Tom. 2.* Bullarii, quæ incipit, *quanta Ecclesia Dei.* ubi sic disponit: *Sed nec horum ullus Sacro Ordini mancipatus, nisi religionem ingressurus, valeat ullo modo beneficium, vel officium Ecclesiasticum resignare, nisi aliunde ei sit, quo in vita possit commodè sustentari.* Et quamvis hæc dispositio procedat coram Ordinario; servari nihilominùs etiam ex Stylo in Romana Curia, observant Paris. *lib. 2. de resignat. q. 14. n. 3.* Garzias *p. 2. de benef. c. 5. n. 199.* Rota *in una lucana 5. decemb. 1586. coram Orano.* militat enim utrinque par ratio, sive resignatio fiat coram Ordinario loci, vel coram Papa; semper enim cum dedecore status Clericalis renuntians beneficio remanet absque necessariis alimentis; quod ne contingeret, studiò fuit adjecta clausula, dummodo resignans habeat, unde aliunde possit commodè vivere.

An verò hujusmodi resignatio suum sorti- 12
atur valorem, si resignans non habeat, unde possit aliundè sustentari, plures videntur dubitare. Sed absolute dicendum est, hujusmodi resignationem esse nullius valoris, ut declaravit Rota *decis. 539. num. 11. Tom. 2. part. 4. recent. & decis. 194. num. 10.* & in Mediolanensi *canonicatûs 17. Junii anno 1641. §. ulterius* coram Eminentissimo Panzirolo. Ratio est, quia facultas admittendi resignationes, non nisi sub conditione conceditur Ordinariis, dummodo resignans habeat, undè possit aliunde commodè sustentari: siquidem in constitutione Pii V. habentur expressè hæc verba: *nisi aliundè ei sit, quo in vita possit commodè sustentari.* Siquidem illa dictio *nisi* importat conditionem, ut liquet ex ipso contextu, & notant Roland. *cons. 49. n. 14. lib. 3.* Grassus *cons. 48. n. 6. lib. 1.* Rota *decis. 161. num. 7. part. 2. recent.* Quamobrem, cùm particula *nisi* sit conditionalis, inducit formam esse servandam purificata tali conditione, juxta *l. qui hæred. & C. Mævius ff. de condit. & demonstrat.* ut notant Menochius *cons. 60. num. 41.* Paris

cons.

conf. 97. n. 16. lib. 1. Rota *decif. 315. n. 3. in recent.* Quapropter non purificatâ conditione actus resignationis nullius est valoris ex defectu formæ non servatæ. *C. cùm hi §. si prater ff. de transact. & l. qui Romæ. §. flavius ff. de verb. obligat.* ut communiter notant Jurisperiti, cum Glossa in *c. cùm delicta* verbo *irritum de rescript.* Præterea est etiam resignatio irrita ex defectu potestatis in recipiente resignationem: siquidem ordinariè non conceditur illa facultas ex vi constitutionis Pii V. nisi sub conditione, quòd resignans habeat aliunde, ut possit commodè sustentari: & cessante conditione perinde se habet, ac si per dispositionem non esset facultas illa concessa, ut liquet *ex l. cedere diem ff. de verb. signif. & l. conditio init. ff. de contrahent. empt.* ut communiter docent juris Pontificii periti cum Rota coram Ludovisio *decis. 555. num. 3.*

13 Idque etiam procedit, quamvis resignatio fiat coram Summo Pontifice, quia eo ipso, quòd de Stylo Curiæ non admittitur resignatio, nisi cum clausula conditionata, *dummodo resignans habeat aliunde, ubi commodè possit sustentari*, si non purificetur hæc conditio, semper intelligitur resignatio nulla, ut asserunt Paris. *de resignat. q. 6. n. 41. lib. 2.* Rota *in una Lucana 5. Decemb. 1586.* coram Orano apud Garziam *par. 2. de benef. cap. 5. num. 201.* quinimò esset etiam irrita resignatio, quamvis resignans haberet patrimonium ad cujus Titulum esset ordinatus, si pro sustentatione congrua non sufficiat: sive ab initio, sive processu temporis factum fuerit tale patrimonium in sufficiens, ut declaravit Rota coram Eminentissimo Ottobono *decis. 194. num. 3. & sequent.* quia tunc non verificatur conditio, quòd resignans habeat aliunde, unde possit commodè sustentari. Hinc ob hanc nullitatem resignationis, si resignans privetur possessione beneficii, potest agere actione spolii, ut declaravit Rota *decis. 614. num. 2. pag. 4. recent.* quia per talem resignationem, non cadit à possessione beneficii, proinde deturbatio à possessione est spoliatio fundans actionem spolii.

14 Dubitari tamen potest, an Decretum Concilii Tridentini, quod habetur *Sess. 21. c. 2. de refor.* & irritat resignationem, quando resignans ordinatus ad titulum beneficii non habet aliundè, ubi possit congruè sustentari, valeat etiam, quando resignatio fit ex causâ permutationis cum alio beneficio. Siquidem intentio Concilii Tridentini fuit consulere decori Status Clericalis, quâ ratione statuit, ut ordinatus ad Titulum beneficii non possit illud resignare, nisi factâ expressâ mentione, quòd ad Titulum illius fuerit ordinatus, & decrevit resignationem non esse admittendam, nisi constiterit resignantem habere aliunde, unde possit sustentari. Idque statuit Concilium, ne Clerici in Sacris constituti cogantur mendicare, aut ex turpi quæstu vivere, non absque gravi ordinis clericalis dedecore. Unde dubitari potest, an hoc Decretum etiam irritet resignationem, quæ fit ex causâ permutationis cum alio beneficio.

Declaratio S. Congreg. Concilii Tridentini *decis. 441. num. 2.* apud Ludovisium est, quòd hæc dispositio Concilii Trident. etiam comprehendat illas resignationes, quæ fiunt ex causâ permutationis. Hinc Rota bis examinatâ causâ pronuntiavit, resignationem Canonicatûs, ad cujus titulum Canonicus fuerat ordinatus, fuisse nullam, eò quia in resignatione non fuerit expressum, resignantem fuisse ordinatum ad titulum talis canonicatûs, & sententia fuit executioni mandata. Ratio est, quia Concilium exigit expressam mentionem de ordinatione ad titulum beneficii, ut ordinarius dignoscere valeat, an supersit resignanti, unde possit commodè sustentari, alioquin non debet resignationem admittere: atqui hæc causa finalis, etiam se extendit ad resignationes, quæ fiunt ex causa permutationis, quia debet Ordinarius cognoscere, an beneficium, cum quo fit permutatio, sufficiens sit ad congruam resignantis sustentationem; & an sit adepturus pacificam illius possessionem; & alia id genus debent Ordinario innotescere, ne resignans contra Decretum Concilii Tridentini remaneat sine congrua sustentatione: proinde, si non exprimatur in resignatione, quòd resignans fuerit ordinatus ad titulum beneficii, cui renuntiat, nulla est resignatio, ut declaravit Rota *in d. decis. 441. n. 3.* 15

Quòd si renuntians beneficio ex causâ permutationis assequatur postea pacificam possessionem alterius beneficii, insufficientis tamen ad congruam vitæ sustentationem, adhuc censerem non obstante tali possessione resignationem esse irritam: quia semel, quòd ab initio resignatio est nulla defectu formæ non servatæ, nequit convalescere ex eo, quòd postea supervenit, si non inducat formam requisitam pro validitate *l. fin. init. ff. unde liberi.* ut notat Lappus *alleg. 1. n. 5.* Zabarel. *cons. 104. n. 4.* Tiraquel. *tract. cessante causa limit. 11. & sequent.* siquidem constitutum per aliquam formam nequit suam validitatem sortiri, nec substantiam enancisci, nisi per eamdem formam: & pacifica possessio beneficii tenuioris insufficientis ad congruam sustentationem non inducit talem formam: proinde nequit actum ex se invalidum constituere validum. Tum quia quamvis resignans non fuerit ordinatus ad titulum beneficii, adhuc ab Ordinario nequit resignatio admitti, juxta *constitutionem 58.* Pii V. nec de Stylo in curia admittitur, nisi remaneat resignanti, unde possit commodè sustentari: proinde nequit resignatio suum sortitur valorem, etiam ex causa permutationis, ex eo, quòd sequatur pacifica possessio beneficii insufficientis, quia semper obstat, quòd non fuerit servata forma in admissione resignationis: siquidem hæc non est admittenda, nisi ex vi formæ constet, quòd renuntians beneficio possit aliunde commodè vivere. Tum quia hujusmodi expres- 16

sio requiritur pro forma, consequenter nequit per æquipollens impleri, ut docent Gonzalez *ad reg. 8. cancell.* Glossa 5. §. 10. *num. 35.* Garzias *de benef. pag. 1. cap. 5. num. 193.* Rota *decis. 614. pag. 4. in novis. impress.*

17 Quæritur, cujusnam superioris authoritate, possit Clericus se beneficio abdicare? Respondet Glossa *in Clement. 1. de renunt.* non omnem, ad quem pertinet jus beneficii conferendi, habere authoritatem approbandi renunciationem, quâ quis suo beneficio cadit; sed hæc facultas tantùm est apud illum, qui potest non solùm beneficia conferre, verùm etiam illa adimere, seu qui potest clericos ad beneficia promovere, & à beneficiis amovere, ac dejicere, cujusmodi est Romanus Pontifex, & ejus legatus à latere *c. si Abbatem §. ult. de elect.* ut etiam Episcopus quoad minora beneficia *cap. cùm ex injuncto §. ult. de hæred. cap. nullus 16. q. 7.* Sede vacante etiam Capitulum Canonicorum, quia ut notat Panormit. in *cap. cùm olim. de majorit. & obedient.* quæ sunt jurisdictionis, non Ordinis, sede vacante transeunt ad Collegium Canonicorum: si tamen sint jurisdictionis necessariæ, non voluntariæ. Quamobrem Capitulum Canonicorum sede vacante licèt non possit conferre beneficia, quorum collatio pertinebat ad solum Episcopum, potest tamen approbare renunciationem, quâ quis suum dimittit beneficium: siquidem hæc resignatio supponitur fieri justis de causis, consequenter censetur esse necessitatis, non voluntatis, præstare consensum in renuntiatione beneficii.

§. II.

De Resignatione gratiâ alterius cum reservatione pensionis, vel etiam omnium fructuum, vel regressus, aut accessus, seu ingressus.

1 Renunciatio gratiâ alterius est, cùm quis renuntiat beneficio in favorem alicujus, & est duplex; simplex, & qualificata; illa est quâ quis simpliciter resignat beneficium in favorem alterius, absq; ulla reservatione: qualificata, quâ aliquid reservatur resignanti, ut regressus, fructus, aut medietas eorum, aut aliqua pensio; de utraque renuntiatione fusè agit Flaminius *de Resignat. Benefic. lib. 1. q. 1. & 2.*

2 Nonnunquam contingit, beneficiatum suo renuntiare beneficio, omnibus fructibus sibi reservatis, adeò ut ad resignatarium transferatur solus titulus, cum ipso jure, absque ullo fructu; quæ resignatio jure communi non potest fieri; vel quia jure communi beneficium non possit dividi *c. majoribus de præben.* vel quia beneficia absq; diminutione debeant conferri *c. ut beneficia sine diminut.* quando autem beneficium confertur cum separatione fructuū, procul dubio dividitur, quia uni competunt fructus, & alteri jus; quod Juri communi adversatur. Nihilominus, quia ea est Summi Pontificis authoritas, & potestas, ut statuere possit de beneficiis in omnibus, quæ non adversantur Juri divino, nec naturali; ideò non obstat, quò minus possit uni conferre beneficium Ecclesiasticum, reservatis ad tempus omnibus fructibus alteri beneficium dimittenti. Non tamen hujusmodi fructuum reservatio facilè admittitur, sed tantùm justis, ac urgentibus de causis: & ne, qui beneficio renuntiat, mendicare cogatur, sed ipsi supersit congrua vitæ sustentatio; & tunc fructus reservantur dimittenti beneficium loco pensionis, quæ solet in subsidiū vitæ dari. Quinimò ex *c. si tibi concess. de præben.* liquet, ad extinguenda debita, quibus Ecclesia ære alieno gravatur, concedi, ut possit Ordinarius ad certum tempus percipere fructus omnium beneficiorum in propria Diœcesi vacantium, ut debita solvantur.

Conceditur autem hujusmodi resignatio cum reservatione omnium fructuum, & facultate resignanti, ut eos possit propria authoritate percipere, hoc est capere per se ipsum, absq; cujusvis alterius consensu, perinde ac si beneficio nondum renuntiâsset; quia est beneficium licèt resignatum, adhuc eidem alligatum quoad fructus, circa quos habet jus independens à resignatario. Cùm verò resignatio fit cum reservatione omnium fructuum ad tempus, requiritur consensus resignatarii, sicut quando resignatio fit cum reservatione pensionis, alioquin gravaretur resignatarius, cui injungeretur onus sine ullo fructu, & teneretur labores subire absq; ullo emolumento, quod adversatur Apostolo dicenti, eum debere de Altare vivere, qui Altari inservit. Secus est, si resignatarius assentiatur; quia scienti, & volenti non fit injuria, perindè, ac nullâ afficitur injuriâ, qui se exhibet gratis inservire Ecclesiæ. 3

Nonnunquam resignatio beneficii, ita fit in gratiam alterius, ut resignans sibi reservet regressum ad illud. Potest enim Summus Pontifex concedere resignanti facultatem, quâ ex certis causis possit ad beneficium, cui renuntiavit, iterum reverti, & dicitur propriè regressus, qui in jure Canonico est jus revertendi ex certis causis ad dimissum beneficium: & solet triplici nomenclatione vocari, regressus, accessus, & ingressus. Conceditur renuntianti beneficio regressus, quando illi conceditur facultas revertendi propria authoritate ad dimissum beneficium, si resignatarius præmoriatur; tunc enim per mortem resignatarii, seu illius, cujus gratia beneficium dimiserat; iterum acquirit possessionem beneficii, sicut ante dimissionem, quia illud resignavit tantùm ad tempus, seu donec viveret resignatarius. Accessus ad beneficium tunc reservatur resignanti, quando alicui datur facultas accedendi ad beneficium, & capiendi ejus possessionem, quam antea non habuit, vel defectu sufficientis ætatis, vel ex impedimento alicujus criminis, vel vinculo Ecclesiasticæ censuræ; tunc enim datur facultas, ut cùm primùm sufficientem attigerit ætatem, vel fuerit crimine purgatus, vel absolutus à censuris, possit propria authoritate accedere ad beneficium, 4

ficium, & ejus possessionem capere: unde accessus est jus alicui concessum accedendi ad beneficium, cujus possessione ante caruerat, præpeditus impedimento aliquo canonico. Demum ingressus ad beneficium reservatur resignanti, quando quis dimittit beneficium, cujus titulum, & jus licèt obtinuerit, non tamen ejus possessionem, & tunc datur facultas resignanti, ut si resignatarius præmoriatur dimissum beneficium propria authoritate accipiat, & simul ejus possessionem adeat. Quamobrem discrimen inter accessum, regressum, & ingressum est: quia regressus exigit ut ad beneficium dimissum præpatuerit aditus, non ita hoc exigunt accessus, & ingressus. Differt verò accessus, ab ingressu, quia, accessus non exigit præcessisse aliquo pacto aditum ad beneficium, cùm potiùs supponat fuisse aditum occlusum ob aliquod canonicum impedimentum, quo resignans præpediebatur, ne ad possessionem sui beneficii posset accedere: ingressus verò supponit aditum aliquo pacto ad beneficium, scilicèt ad jus, & titulum, licèt non ad ejus possessionem, ut fusè ostendit Rebuff. in *praxi beneficiorum p. 3. tit. de regressibus.*

4 Hæ tamen resignationes beneficiorum cùm regressu, accessu, & ingressu ad eadem beneficia non fiunt, nisi authoritate summi Pontificis, quia coram ordinariis locorum non admittuntur resignationes nisi, puræ, & simplices; adeò ut ordinarii possint plenè disponere, de resignatis beneficiis independenter à resignantibus, & illa conferre dignioribus. Quinimò in jure canonico nullibi fit mentio hujus resignationis cum regressu, accessu, & ingressu, nisi ex aliqua parte in *c. si beneficia de prebend. in 6.* unde hæc resignatio cum præfata reservatione regressus, accessus, vel ingressus introducta potiùs fuit usu curiæ Romanæ ob plenam potestatem, quæ inest summo Pontifici super beneficiis Ecclesiasticis sine læsione juris divini, & naturalis. Quinimò Paulus IV. constitutionem edidit, cui initium est *ad Romani Pontificis*, quâ invalidat, & annullat regressus, & accessus Cardinalibus ad plures Ecclesias Cathedrales Metropolitanas, & decrevit, ut Cardinales non nisi ad unicam Ecclesiam possint habere regressum, & habentes plures ecclesias una retenta alias dimitterent: & concilium Tridentinum *sess. 25. c. 7. de refor.* eodem modo regressus abrogavit; eò quia in beneficiis Ecclesiasticis, regressus, qui hæreditariam redolent successionem, omnino odiosi sunt juri canonico, & adversantur decretis SS. Patrum.

Fuerunt hujusmodi regressus, accessus, &
5 ingressus ad beneficia Ecclesiastica abrogati; eò quia non fuerint introducti jure communi, sed tantùm inventi in commodum, & utilitatem resignantium: neque ex diuturna consuetudine fuerunt approbati, quapropter Rebuffus in *in praxi beneficiorum p. 3. tit. de regressibus ad finem* refert, à curia Parisiensi præfatos regressus, accessus, & ingressus fuisse damnatos: quos etiam Paulus IV. abrogavit, ut hæreditariæ successiones in beneficiis Ecclesiasticis omnino delerentur, ac eradicarentur regressus, qui redolent hujusmodi hæreditariam successionem. Ut etiam ne Ordinariorū in conferendis beneficiis libera facultas minueretur, & in collatione beneficiorum ratio haberetur ad magis idoneos, ac dignos: ut etiam omnis præcluderetur occasio optandi mortem proximi: & demum, ut ambitiosa cupiditas coërceretur in beneficiis obtinendis. Hæ fuerunt potiores rationes ait Mandosius *in praxi naturæ & gratiæ tit. regressus, & accessus*, quibus Pontifex abrogavit præfatos regressus, accessus, & ingressus.

Non tamen omnes regressus, accessus, & ingressus sunt abrogati, cum concedantur pen- 6
sionario, si tempore constituto eidem debita pensio non solvitur; id enim permittitur in curia Romana, ne, qui renuntiavit beneficio, destituatur congruâ sustentatione. Vigent etiam regressus, qui jure communi subsistunt, ut est regressus, de quo in *c. si beneficia de præbend. in 6.* habetur, quòd ad priora beneficia possint resignantes reverti.

An verò resignatio beneficii in gratiam alterius licita sit, dubitatur, quia de jure commu- 7
ni resignationes debent fieri absolutè, & simpliciter ad delendam omnem hæreditariæ successionis imaginem: siquidem cum quis suo renuntiat beneficio eâ conditione, ut detur Paulo, videtur in beneficio successorem constituere. Tum quia SS. Canones in collatione beneficiorum prohibent omnem pactionem, & conditionem: unde hujusmodi resignationes gratia, & favore alterius, cùm videantur adversari juri canonico, licitè videntur non posse fieri. Nihilominus usu, & consuetudine Romanæ Curiæ introductum est, ut hæ resignationes permittantur coram Romano Pontifice, qui ex plenitudine potestatis, potest dispensare in iis, quæ videntur Pontificiis constitutionibus contraria.

An verò hujusmodi resignationes beneficiorum alterius gratiâ redoleant simoniam canoni- 8
co jure damnatam; & num coram Ordinariis locorum possint licitè fieri, dubitari solet: Sed in constitutione Pii V. prohibetur, quo minus, quis coram Ordinario suum resignet beneficium gratiâ alterius; unde quæstio procedit, an id sit simoniacum ex vi juris communis. Communior sententia est, hujusmodi resignationem jure communi damnari, ut simoniacam. Glossa in *c. ex parte de offic. jud. deleg. & in c. cùm pridem de pact.* Abbas in *c. cùm universorum de rer. permutat.* Felinus *c. ad audientiam de rescript.* Rebuff. in *praxi beneficiorum p. 3. tit. de resignat. conditionata.* Ratio est, quia in spiritualibus omnis conditio redolet simoniam, si enim conditio adjiciatur, jam beneficium non datur gratis, nec accipitur: hinc jure communi prohibentur ordinarii locorum, ne similes resignationes admittant, ad delendam in beneficiis Ecclesiasticis omnem imaginem hæreditariæ successionis.

Quòd si resignatio gratia alterius ita fieret 9
coram ordinario, ut is rejectâ conditione, ut contraria juri canonico, beneficium postea ex se conferat ei, cujus gratia fuit resignatum; Re-

bussus censet, adhuc talem resignationem esse gratiâ alterius, proinde redolere simoniam; tunc enim ordinarius debet conferre beneficium digniori; quòd si ille esset dignior, cujus gratiâ resignans suo renuntiavit beneficio: tunc ordinarius posset se declarare, quòd nolit admittere resignationem adjectâ tali conditione contra SS. Canones, sed si ipse velit omnino absolutè resignare suum beneficium, tunc erit acceptaturus resignationem, ac collaturus beneficium digniori juxta SS. Canones; hac declaratione præmissâ putârim, posse Ordinarium conferre beneficium resignatum digniori, non quia resignans resignaverit ejus gratiâ; sed quia non sit alius dignior ipso, cui possit conferri tale beneficium.

10 Quòd si quis coram Ordinario absolutè resignaret beneficium, mente tamen optans, ut conferatur uni potius, quàm alteri, adhuc Panormit. Decius, & Alii censent in *c. ex parte de offic. jud. delig.* adesse mentalem simoniam, eò quia conditio sit in actu mentis, quamvis verbis exteriùs non exprimatur. Glossa tamen in *d. c. ex parte* negat, ullum esse crimen simoniæ, & huic sententiæ adhærent plures, quia optare, non est contrahere, nec vim ullam inferre.

11 An verò resignans beneficium possit pacisci, quòd resignatarius faciat omnes expensas etiam pro pensione sibi reservata, videntur aliqui dubitare; sed mihi videtur certum, hujusmodi pactum esse illicitum, quia in resignatione beneficii Ecclesiastici non possunt pacta intervenire, ut liquet *ex c. cùm pridem, & c. fin. de pact. & c. ex parte de offic. deleg. & c. tua nos de simonia* ut notant ferè communiter DD. Rebuff. in *praxi tit. de resignat.* Felinus *in c. ad audientiam 2. n. 3. de rescript.* Geminian. *in c. ordinarii §. conferendi n. 3. de offic. ordinarii in 6.* & alii, quia hujusmodi pacta tendunt ad simoniam de jure Ecclesiastico prohibitam. Quòd si in supplicatione resignationis exponeretur hujusmodi pactum summo Pontifici, & hic annueret supplicationi, tunc excluderetur omnis simonia, ut notant Navarr. *c. 23. manual. n. 108.* Rota coram Cassadoro *decis. 3. n. 3. de renunt.* Paris. *de resignat. lib. 14. q. 66. n. 12.* Ratio est, quia tale pactum duntaxat prohibetur de jure Ecclesiastico, & eo ipso quòd exponitur summo Pontifici, si hic annuat supplicationi, cui inseritur pactum cessat simonia, quia tunc saltem tacitè censetur Pontifex dispensare, ut notat Glossa in *c. cùm quidam de pact.* Rota in Hispalen. *benefic. 6. Martii 1592.* coram Melino. Hostiens *in c. 1. init. Ne prel. vices suas.*

12 Quinimò si beneficii resignatio admittatur, & hoc pactum non registretur, nec litteris inseratur, adhuc resignatio liberatur à simonia, quia sufficit, si Pontifex admiserit resignationem cum ipso pacto, quia de stylo Curiæ Romanæ non solent hujusmodi pacta registrari, ut notat Rota *decis. 380. n. 4. p. 4. recent.* quia quando Pontifex admittit resignationem, illam admittit cum suis partibus, quæ in ipsa includuntur, quapropter saltem tacitè assentitur tali pacto, alioquin rejecisset resignationem: unde quòd postea pactum non registretur, id non provenit, eò quia Pontifex nolit illud admittere, sed, ne tale pactum transeat in exemplum, ut notat Rota *loc. cit.* quæ etiam id extendit, in casu, quo pactum cancelletur, ut solet cassari, dummodo cancellatio fiat post signatam supplicationem, quia si fieret ante signationem, non posset præsumi consensus Pontificis, qui non consentit nisi expositis in supplicatione, & quando aliquid est oblitteratum ante signationem, non est expositum. Ut etiam si Pontifex juberet cassari pactum ante resignationem, apertè se declararet, quòd nolit assentiri tali pacto. Secus quando oblitteratur post resignationem nil obstat, quia jam Papa supponitur in ipsum consensisse; & cassatio tantùm ordinatur ad effectum, ne registretur, aut litteris inseratur, proinde non infert negationem consensûs, ut notat Rota *d. decis. 380. n. 5. p. 4. recent.*

Solet etiam resignatio beneficii fieri cum reservatione certæ pensionis, id enim saltem jure novo licitum est, sicut jure communi concessum est, ut ex justa causa possit imponi pensio solvenda, quot annis ex redditibus Ecclesiastici beneficii, ut liquet *ex c. ad audientiam 2. de rescr. c. quamvis de prebend. in 6. c. conquerente de clericis non residen.* Rursus præter jus antiquum, introductum etiam est, ut renuntians spontè beneficio, possit pensionem ex illius fructibus sibi reservare: adeò ut beneficium conferatur uni, & pensio solvatur alteri ex fructibus ejusdem beneficii; & cùm hujusmodi pensiones resignantibus concedi in vitæ subsidium, & ad congruam sustentationem ex justa causa permittantur: causæ permittendi reservationem pensionis ex resignato beneficio ad duo revocantur capita. Primò causâ sustentationis, ut renuntians beneficio habeat necessaria vitæ subsidia, & tunc dicitur concedi pensio causâ paupertatis, & alimentorum: Secundò ex causa onerosa permittitur pensio, quando conceditur alicui, eò quia licitè lite cesserit, & se in gratiam alterius abdicaverit beneficio, tunc enim pensio conceditur gratiâ concordiæ, & pacis. Præterea moris est, ut pensio etiam reservetur, quando unum beneficium permutatur cum alio: tunc siquidem si alteruter eorum pinguiores habuerit reditus, fit compensatio authoritate Romani Pontificis medianie reservata pensione, ut liquet *ex c. quæstiones de rer. permut.* Non tamen licitum est locorum Ordinariis beneficiorum resignationes admittere cum reservatione pensionis; quia Ordinarius non potest beneficio imponere pensionem, quia jure communi sunt beneficia conferenda sine diminutione. 13

Cæterùm ex concilio Trident. *sess. 24. c. 13. de reformat.* pensiones non possunt imponi in reditus Ecclesiarum Cathedralium; si summam non excedant mille ducatorum, ut nec etiam in Ecclesias parochiales, quarum reditus annui non excedunt centum ducatos. Sanxit enim concilium, ne hujusmodi Ecclesiæ cum tenui annuo proventu graventur pensionibus. In Lateranensi sub Leone X. statutum itidem fuit, ne mensæ Episcopales onerarentur pensionibus, nisi ex justa resignationis causa, vel alia, quæ in consistorio secreto coram Pontifice dijudicata 14

cata fuerit licita. Hinc Romanus Pontifex quoties imponit pensiones solvendas ex redditibus Ecclesiarum Cathedralium, quæ per obitum vacant, solet expressè derogare concilio Lateranensi.

35 An verò quando impositâ primâ pensione in beneficio resignato, instituitur in eodem etiam secunda ex eadem causa resignationis, debeat tunc fieri mentio primæ pensionis jam impositæ? Respondent communiter affirmativè cum Cassadoro *decis. 4. de pension.* Mandosio *in praxi de signatura gratiæ tit. pensiones*, quia non censetur Romanus Pontifex velle duplex onus eidem beneficio imponere *c. mandatum & c. litteris de rescript.* sicut testator, non creditur velle dupliciter hæredem gravare *l. Titio testamentum §. in vitam. deleg. 2. l. uxorem §. in testamento delegat. 3.* Tum quia si summus Pontifex sciret beneficium esse gravatum prima pensione, secundam non imponeret, vel difficiliùs assentiretur, proinde impetratio habetur subreptitia, quia aliquid reticetur, quod si innotesceret Romano Pontifici pensionem denegaret.

§. III.

Quinam possint beneficia resignare, & quomodo per Procuratorem.

1 Generatim quotquot beneficia Ecclesiastica possident, possunt se illis per resignationem abdicare, dummodo coram ordinario, ac legitimo superiore juxta præscriptum jurium beneficiis renuntient. Hinc qui Parochialem Ecclesiam adeptus intra annum non est sacerdotio initiatus, potest etiam ultimo anni die beneficio cedere, ut etiam eo tempore, quo intra annum nequit sacerdos fieri, ut communiùs notant juris Pontificii periti, Archidiaconus *in c. cùm ex eo de elect. in 6.* Oldrad. *cons. 203.* Cassador. *decis. 4. & 27.* Tum quia in *c. commissa de elect. in 6.* apertè dicitur, Ecclesiam parochialem non vacare nisi post elapsum annum: ex quo ritè inferri potest, ante elapsum annum Clericum adhuc possidere beneficium, ac posse eidem renuntiare, ut notat Geminian. *in eod. c. commissa.* ubi pœna in aliquem constituitur, si certum quid intra tantum temporis non præstiterit, & non contrahitur pœna, donec totum illud tempus effluxerit. Hinc quando alicui conceditur facultas intra annum appellandi, non potest contra ipsum agi, etiam extremo die, quo jam appellare non potest. Quamobrem cùm jura permittant, ut beneficium possideatur toto anno, poterit quis eidem renuntiare ultimo anni die, licèt non possit initiari sacerdos.

Licet etiam Clericis infirmis abdicare se be-
2 neficiis per legitimam resignationem, ut notat Abbas *in c. 1. & in c. lecta 14. de renuntiat.* Quia jura infirmis, ac versantibus in extremis, mortique proximis permittunt cæteros actus legitimos; siquidem potest infirmus transigere *l. sana mente C. de trans.* Rursus testamentum condere *l. senium ff. qui testamentum.* Præterea matrimonium contrahere. Summus pontifex etiam licèt morti proximus potest beneficia conferre, leges condere, Cardinales creare, facultates, & privilegia concedere. Verùm tamen est, quòd ex usu Romanæ Curiæ non admittuntur resignationes beneficiorum prodeuntes ab infirmis, nisi resignantes supervixerint adhuc viginti diebus post factam resignationem.

Regulares ex concil. Trident. *sess. 25. c. 16.* non possunt renuntiare nisi cum licentia Episco- 3
pi, vel ejus Vicarii intra duos menses proximos ante professionem emittendam, adeò ut renuntiatio aliter facta, & ante tale tempus, etiam cum juramento, & in favorem causæ piæ nullum sortiatur valorem. Decretum enim concilii etiam comprehendit resignationes beneficiorum, quia concilium loquitur generaliter quòd nulla renuntiatio, aut obligatio fiat sine consensu superiorum, & non nisi intra duos menses proximos ante professionem conscio Episcopo, vel ejus Vicario, qui non potest beneficium resignatum conferre, nisi post emissam professionem, ut declaravit sacra Congregatio Cardinalium.

Clericus autem, qui extra beneficium non habet undè sustentetur, si sit ordinibus sacris initiatus, nequit beneficio renuntiare, ex vi 4
Constitutionis Pii V. *quanta Ecclesia.* Secus si non fuerit sacris initiatus ordinibus potest beneficio renuntiare, & nuptias contrahere. Dubitari tamen solet, an Clericus, qui ante judicis sententiam ipso jure privatur beneficio, possit eidem renuntiare, & rata sit resignatio? & respondetur negativè: ratio est, quia tametsi fit eidem permissum possidere beneficium, donec per sententiam judicis declaretur crimen, quo beneficio cecidit. Jus tamen, & titulum beneficii amisit eo die, quo crimen perpetravit: & cum resignatio beneficii sit voluntaria dimissio juris quæsiti in beneficio; & hoc post patratum crimen non ampliùs possideatur, non potest eidem renuntiari. Quòd si Clericus ipso jure non esset beneficio privatus, sed tantum esset eodem privandus per sententiam judicis, tunc posset beneficio renuntiare ante judicis sententiam, quia obtinet jus in beneficio, donec per sententiam declaretur cadere beneficio, & jure.

In ætate minori adhuc constituti, quique in jure minorennes vocantur, & qui decimum 5
quartum ætatis annum excedunt, sed nondum vigesimum quintum agunt, & quibus solent curatores dari; & illi etiam, qui nondum decimum quartum ætatis annum attigerunt, quique solent esse sub Tutoribus, an possint beneficiis renuntiare? Docent communiter, minores viginti quinque annis, & qui decimum quartum excesserunt, posse beneficia resignare absque ullo Curatoris consensu, Glossa in *c. ex parte de restitut. spoliat.* & possunt etiam tum per se, tum per Procuratorem renuntiare beneficiis, sicut etiam absque ullo Curatoris assensu possunt beneficia sibi collata acceptare. Ratio est, quia in causis spiritualibus, & ecclesiasticis minores viginti quinq; annis dummodo decimum quartum expleverint, habentur pro majoribus *c. ult.*

c. ult. de judic. Illi verò, qui adhuc sunt sub Tutoribus, & qui nondum decimum quartum annum attigerunt, sine consensu Tutorum nequeunt actus legitimos facere, sicut neque contrahere.

6 Potest Clericus per Procuratorem se beneficio abdicare, ut docent communiter cum Rebuffo in 3. *p. de Procurat. ad resignationem constitutis. n. 1. & sequent.* & liquet ex Clement. *1. de renuntiat.* & tunc beneficium vacat, ubi procurator eidem renuntiat, ut notat Glossa *in Clement. 1. ut lite pendente* Archidiaconus *c. 2. de prabend. in 6.* Rebuffus *in 3. p. Tit. de Procurat. ad resignat. constit. n. 28.* Ratio est, quia in resignatione Procurator non præstat purum ministerium, sed agit personam Principalis. Tum quia jura permittunt, ut procuratores possint vices gerere in resignationibus principalium, nam ex *l. Labeo ff. de usucapionibus*, qui potest aliquid per se, potest etiam per alium, nisi lege prohibeatur. Hinc etiam infirmus tametsi morti proximus, dummodo sit mentis compos potest per procuratorem beneficio renuntiare, ut etiam Episcopi, & Cardinales. An verò possit Ecclesiasticus eligere laicum in Procuratorem suæ resignationis communior sententia negat, quia res spirituales, & negotia Ecclesiastica non debent tractari per laicos *c. determinus de judiciis, & c. olim de arbitris.* Sed alii probabiliter censent, illo posse præstare licitè per Procuratorem laicum, & huic sententiæ adhæret Glossa *in Clement. V. Procuratorem. de renunciat.* Ratio est, quia laicus tunc non agit personam propriam, sed ipsius resignantis, cum non suo, sed nomine alterius beneficio cedat: & hæc sententia mihi videtur valdè probabilis, quia non se immiscet negotiis Ecclesiasticis, ut sæcularis; sed ut agens personam Clerici, seu resignantis.

7 Monacus tamen, & quilibet alius religiosus, nequit ut Procurator jure constitui, per quem Clericus, suo renuntiat beneficio, ut notat Flam. *lib. 9. q. 4. de resignatione* idque colligitur ex *c. Monachi. 2. 16. q. 1.* quia Monachi egredientes è Monasterio prohibentur agere Ministeria Ecclesiastica, nisi ex imperio Abbatis. Id enim Canones vetuerunt, ne Monachi, & Religiosi à divinis avocarentur, & occasio iisdem daretur huc, illucque divagandi. Verùm posse Monachos Procuratores institui ex consensu superioris, docent alii cum Glossa *Clement. 1. de renuntiat.* Rebuffus, Zebarella, & Alii. Imò possunt plures constitui Procuratores, ut notat Glossa *in Clement. 1. in renunc.* & tunc vel datur singulis in solidum potestas, ut nomine principalis, quisque beneficio renuntiet, & sic quilibet per se talem potestatem accipit: vel datur omnibus simul per modum unius, & tunc non potest unus sine alio renunciare beneficio. Secus quando duo, vel plures simul in solidum constituuntur, sufficit, si unus post alium consentiat, ut notat Sarnen. *lib. 1. decis. 144.* apud Flaminium *lib. 9. q. 3. n. 27. de resig.* ut etiam Rota teste eodem Sarnens. *lib. 1. decis. 144.* Quinimò si unus ex præfatis Procuratoribus non in solidum constitutis consentiat, & postea moriatur, qui Procuratores elegit, potest etiam consentire in resignatione beneficii, non obstante obitu principalis resignantis: ita enim declaravit Rota, scilicet sufficere, Procuratorem post mortem domini consensisse.

Debet tamen Procurator constitui per scripturam publicè confectam, ut notat Rebuffus *in praxi beneficiorum p. 3. tit. de Procurat. ad resignat. n. 6.* adeò ut non sufficiat, si mandatum datum, & acceptum sit per litteras missas, non enim sufficit, si Titius scripserit Romam ad Cajum, ut suum agat Procuratorem, nec Cajus per has simplices litteras etiam post obitum Titii potest suum præbere consensum. Quamobrem ut juridicè constituatur Procurator à Rebuffo *loco cit. n. 8.* plures requiruntur conditiones. Primò debet operâ publici Notarii id esse in authenticum scriptum redactum, & obsignatum publico sigillo judicis Ordinarii, vel communitatis; & postea debet à dante mandatum recognosci; & ab ipso Notario subscribi. Rursus debet Procurator specialiter constitui; adeò ut expressè ei detur facultas, quâ nomine principalis possit beneficio renunciare. Hinc probabile est, non sufficere si quis fuit constitutus Procurator generalis cum indefinita potestate, ut notat Cardin. in *Clement. 1. de renunt. n. 7.* quia renuntiatio est quædam donatio, & habens amplissimam potestatem administrandi, non potest donare *l. contra jur. §. si filius. ff. de pact. & l. Procurator cui ff. de Procur.* An verò possit etiam aliquis Procuratorem constituere ad beneficium accipiendum, & dimittendum dubitant plures: sed Rebuffus *loc. cit.* respondet negativè: quia non potest quis Procuratorem constituere nisi ad resignandum beneficium. Tum quia nemo potest ex vi juris beneficium accipere, habens in animo illud dimittere, quia non datur illi beneficium, ut se illo abdicet. Qui verò degunt in Romana Curia nequeunt Procuratorem constituere, ad resignandum ibidem beneficium, quia cum sint præsentes, tenentur per se ipsos id præstare, ut enim notat Gigas *de pensionibus q. 11*, non est usu receptum, ut commorantes in Curia Romana per Procuratores renuntient beneficiis: & in regula Cancellariæ 40. edita à Sixto V. exigitur, ut existentes in Curia Romana per se ipsos personaliter renuntient beneficiis, tametsi fuerint Cardinales, qui cùm resignent beneficia, solent consensum præstare mediante Syngraphâ propriâ manu subscriptâ, & missâ ad Notarium Cancellariæ. Quinimo solent etiam Notarii adire ipsos Cardinales suscepturi eorum consensum, ut testatur Flam. *lib. 9. de renunt. q. 12.*

Procurator igitur ritè constitutus debet à 9 die accepti mandati ante sex menses, postquam semel est signata publicatio consensum præstare, adeò ut possit intra sex menses resignatio publicè denuntiari, juxta formulam sancitam à Gregorio XIII. in constitutione edita pro resignationibus publicandis. Quòd si supplicatio signata non fuerit, quia non porrecta, admitti solet mandatum etiam datum multo tempore antea, ut notat Cassadorus *decis. 1. n. 2. de renunt.*

nunt. quia tamdiu censetur voluntas perseverare, quousque ab eodem revocetur. Castrensis tamen *conf.* 12. putat lapsu quatriennii finiri mandatum. Communis tamen opinio, ut refert Flaminius *lib.* 9. *de resig. q.* 13. est, ut etiam elapso quatriennio possit consensus præstari.

10 Juvat animadvertere, quòd resignatio beneficii facta per Procuratorem trahitur ad diem, quo datum est mandatũ de resignando beneficio, proinde licèt renuntiatio fiat multo tempore post, per Procuratorẽ, & admittatur per superiorem, trahitur ad diem, quo principalis mandavit ad Procuratorem, ut resignaret beneficium. Hinc, si Petrus in Mense Januario constituit Paulum Procuratorem, & Petrus Martio beneficio renunciavit coram Ordinario loci, & Mense Majo vi mandati Paulus Procurator beneficium resignaverit, valet resignatio per Procuratorem facta, licèt posterior, quia retrotrahitur ad diem, quo Petrus dedit mandatum Paulo, vi cujus constituit suum Procuratorem, ut notat Flam. *lib.* 9. *resignat. q.* 15. *n.* 1. Cæterum Procurator, si sit constitutus ad resignandum beneficium coram Ordinario loci, debet illud absolutè, & simpliciter resignare, quia hoc pacto tantùm possunt coram Ordinariis beneficia dimitti, si enim resignatio coram Ordinario esset cum reservatione pensionis, vel in favorem, & gratiâ alterius nullius esset valoris, & redoleret simoniam. Sin verò Procurator debet resignare beneficium coram summo Pontifice certa conditione, & modo, debet conditio servari; quam si Procurator prætermitteret, resignatio nulla esset, quia Procurator non potest limites excedere sui mandati *l. diligenter* §. *mandati. c. cùm dilecti in fin. de rescript. c. cùm olim de offic. jud. delegat.* Neque valet resignatio facta per Procuratorem coram Ordinario, si ex mandato principalis debuerat coram summo Pontifice resignare, quia Procurator debet exequi in omnibus voluntatem principalis, cujus personam agit, ut notat Flaminius de *resignat. lib.* 9. *q.* 17. *n.* 136.

11 Mandatum tamen traditum ad beneficium resignandum finitur morte mandantis, ut notat Glossa communiter recepta in *Clement. I. Verb. quomodolibet de renunt.* & hoc liquet ex *Clement. ult. de Procurat.* ubi dicitur Procurator à Prælato legitimè constitutus per mortem constituentis censetur revocatus. Id etiam valet tametsi Procurator mortem ignoret mandantis; quia ut ait Bart. *conf.* 4. *l.* 49. *ex authent. de nuptiis.* §. *deinceps.* 2. *in summa ff. de sent. & re judic. l.* Neratius *ff. de reg. jur.* per mortem solvuntur omnes obligationes: debet tamen mors mandantis legitimè constare, quia nisi mandans probetur decessisse, non creditur mortuus juxta DD. probatur autem mors mandantis publicâ voce, & famâ, ut lugubri veste consanguineorum, & testimonio affirmantium, se morti, funeri, & sepulturæ defuncti mandantis interfuisse, ut ait Flaminius *de resignat. lib.* 9. *q.* 24. *n.* 3. Hinc mortuo resignante nequit Procurator supplicationem porrigere, quia beneficium censetur vacare per obitum. Cæterum Procurator constitutus ad resignandum beneficium potest à principali revocari, ut liquet ex *Clement. I. de renunt.* Idq; vel expressè, vel tacitè, nimirum si principalis alium constituat Procuratorem.

Non tamen revocari potest, postquam Procurator expressum consensum nomine principalis præstiterit in Cancellaria, vel Camera Apostolica, quia ut asserit Flaminius *de resignat. lib.* 9. *q.* 25. *n.* 4. resignatio absolvitur cum ipso consensu ritè præstito. Secus ante consensum expressè præstitum à Procuratore in in Cancellaria, vel Camera apostolica, potest principalis resignare per se ipsum, vel per alium Procuratorem, & revocatio prioris Procuratoris debet ostendi in Cancellaria, & Camera Apostolica, ut prior Procurator non possit consensum præstare. Nec necesse est ut id denuncietur ipsi Procuratiori, sed sufficit, si hæc renunciatio fiat coram Notariis Cancellariæ, & Cameræ Apostolicæ, quia sufficit, si renuntiatio innotescat superiori. Quòd si Procurator habens mandatum à principali de resignando beneficio litteras ab eodem accipiat, quibus illi injungatur, ne de resignatione quid aliud agat, nisi denuò admoneatur; tunc neque potest Procurator in negotio resignationis procedere, quia contra voluntatẽ principalis non potest quidquam agere, & quamvis per tales litteras non sit Procurator revocatus, censetur tamen finita prior voluntas beneficiarii: & quia Procurator non agit propriâ, sed voluntate beneficiarii, censetur revocata ejus voluntas. 12

§. IV.

De Promulgatione Resignationum, & de iis, quæ debent à Resignatario fieri.

Resignationes beneficiorum esse publicè denuntiandas statuerunt summi Pontifices in suis constitutionibus, ut Pius IV. in illa, quæ incipit *sanctissimus in Christo Pater*, quam ad verbum recitat Flaminius *de resignat. lib.* 11. *in præfatione.* & Gregorius XIII in sua constitutione, quæ incipit *humano vix judicio*, & est illa, quæ nunc observatur in Romana Curia. Valet enim hæc publica denuntiatio resignationum ad fraudes evertendas, ac plura incommoda præcavenda, ne si occultè fiant resignationes beneficiorum fictæ sint, & simulatæ, & resignantes post admissam resignationem ad dimissa revertantur beneficia, & fructus percipiant, fungantúrque in iisdem administratione: & etiam ut subditi sciant, cui debeant pastori obsequi: ad præcavenda hæc omnia incommoda, rectè sanxerunt Pontifices, ut beneficiorum resignationes publicè denuntientur. Intra quantum temporis sint hujusmodi resignationes promulgandæ, olim per regulas Cancellarjæ, & constitutiones Pii V. extra Curiam Romanam resignationes factæ coram Ordinariis infra 1

unum Mensem debuerunt publicè denuntiari, & factæ in Curia intra sex Menses, ut Resignatarius sufficiens habeat tempus, quo possit ad locum ab urbe dissitum proficisci,& in quo resignatio est promulganda. Nihilominus Gregorius XIII. in sua constitutione concessit resignantibus beneficia in Curia sex Menses, si beneficia resignata citra montes constiterint; novem verò Menses, si ultra montes. Hinc resignationes beneficiorum, quæ extra Curiam fiunt apud Ordinarios locorum debent publicè denuntiari intra Mensem, vel eas rejicere, & post mensem censentur vacare: Quòd si ordinarii post id temporis resignationem admisserint, privantur jure ea vice beneficia conferendi; & hoc decreto non solum comprehenduntur Episcopi, sed etiam alii inferiores Ordinarii. Sex Menses, qui conceduntur resignationibus factis in Curia ex constitutione Pii IV. quæ incipit *sanctissimus*, incipiunt computari à die datæ supplicationis, non verò à die præstiti consensûs: hoc idem etiam decrevit Pius V. & post ipsum Gregorius XIII. in suis constitutionibus. Flaminius tamen vult, id locum habere tantùm in resignationibus in quibus præstatur consensus dum vivit resignans, non verò in iis, in quibus post obitum resignantis juxta Alexandri VI. constitutionem datur consensus. Quòd si plures fuerint datæ supplicationes, sex menses adhuc sunt numerandi à die primæ supplicationis datæ, quia id expressè habetur in constitutione Gregorii XIII.

2 Quinimò si resignatio fuerit admissa ab uno Pontifice in gratiam Caii, & Pontifex moriatur intra tempus assignatum publicandæ resignationi, Cajus resignatarius non acquirit ob mortem Pontificis plus temporis ad resignationem promulgandam, quàm antea si Pontifex non fuisset mortuus; adeout resignatio debeat promulgari infra tempus faciendæ promulgationi destinatum, & à jure præscriptum, sive Apostolica sedes vacet, sive novus fuerit Pontifex electus; ita enim sancivit Pius IV. in præcitata sua constitutione; ubi declaravit, omnes beneficiorum resignationes esse publicandas infra tempus statutum, licèt ante mortem Pontificis plenarium suum nondum fuerint effectum sortitæ, adeout in Curia Romana sint semper publicè denunciandæ infra sex menses computandos à die datæ supplicationis. Idque ex Regula Cancellariæ, & constitutionibus Pii V. & Gregorii XIII. extenditur ad resignationes quorumcunque beneficiorum, etiam pertinentium ad Ecclesias, Monasteria, Prioratus tam virorum, quàm mulierum; & dignitates, officia, beneficia ecclesiastica, quorumcunque Ordinum, etiam militarium, & etiam ad beneficia, quæ sunt de jure patronatûs

3 Quamobrem omnium beneficiorum resignationes sunt publicè denuntiandæ, sive beneficia resignata simplicia fuerint, sive curata, etiam juris patronatûs, & electiva, sæcularia, regularia, perpetua, & temporalia, sive manualia (exceptis beneficiis consistorialibus, quæ in Romana Curia in Consistorio conferuntur, cujusmodi sunt Episcopatus, Archiepiscopatus &c. quia tunc cessat fraudis periculum; & cessante fine removentur media) sive hæ beneficiorum resignationes contigerint in Curia, vel extra Curiam debent omnes ex vi Gregorianæ constitutionis publicari à resignatariis cujuscunque sint couditionis, etiam si fuerint exempti, vel officiales Curiæ Romanæ; immo, & Cardinales, si in eorumdem favorem beneficia aliqua resignentur; & quidem intra sex menses si beneficium resignetur in curia Romana, & locus beneficii resignati sit citra montes, ut paulò superius innuimus; vel intra novem menses si ultra montes à die datæ supplicationis; & extra curiam coram ordinariis debent beneficiorum resignationes publicè denuntiari intra mensem; & resignata beneficia conferri resignatariis, sub pœna nulliter factæ resignationis, ac juris conferendi privationis à collatore incurrenda. Quinimo non solùm primus, sed etiam secundus Resignatarius tenetur intra præscriptum tempus resignationem publicè denunciare, ut si Paulus beneficium resignet in favorem Joannis; tenetur Joannes, qui est secundus Resignatarius resignationem in suum favorem factam à Paulo primo resignatario publicè denuntiare, quando Paulus gratiâ Joannis beneficium dimisit infra tempus promulgationi præfixum; etiamsi Paulus resignationem jam promulgaverit; quia ita sancivit Gregorius XIII. in sua constitutione præcitata: immo etiam impetrantes beneficia vacantia, eò quia eorum resignatio non fuerit præfixo tempore promulgata; idque ex vi ejusdem Gregorianæ constitutionis, ex qua etiam habetur, quòd si plures impetraverint idem beneficium vacans, ob non publicatam denunciationem, is præ cæteris obtinet beneficium, qui primus publicè denunciaverit suam impetrationem, & possessionem adeptus fuerit, aut petierit, & reliqua requisita adimpleverit; quamvis in data sit postremus, & possessio beneficii apprehensa, vel petita priùs fuerit ab alio, qui neglexit resignationem denunciare.

Constituti etiam in minore ætate, seu 4 qui nondum quartum decimum ætatis annum attigerunt beneficia sibi per resignationem collata tenentur promulgare, adeo ut nec ipsa ignorantia ipsis suffragetur. Sicut enim cum Pater filio beneficium Parochiale conferendum curavit, & filius per ignorantiam intra annum minimè promotus retinente Patre diplomota Pontificia in pœnam incidit, ac beneficium ad quod erat promovendus amittit: ita Patre apud se litteras Pontificias reservante etiam sine dolo ex ignorantia; & ob id filio intra tempus præfixum non pro-

promulgante resignationem; eo ipso beneficium vacat; nec filius potest uti beneficio restitutionis in integrum. Etiam resignatio facta causa permutationis est publicanda, quia Gregoriana constitutio generatim extenditur ad quascunque resignationes, etiam beneficiorum, quæ dantur non jure tituli, sed commendationis perpetuæ; quia hæc censentur æquivalere beneficiis, quæ conferuntur jure tituli.

5 Debet promulgatio resignationis fieri in ecclesia, ad quam pertinet beneficium, vel in ecclesiis si ad plures spectet, vel in cathedrali; idque locum habet in beneficio etiam rurali: quòd si ecclesia ruralis careat populo, debet promulgatio fieri in ecclesia Parochiali, vel in cathedrali, cui subjicitur. Resignatio beneficii Parochialis publicè denunciatur in eadem Parochiali ecclesia; ut etiam alterius beneficii habentis adnexam curam animarum; vel exigentis perpetuam beneficiarii præsentiam: sunt resignationes horum beneficiorum in propriis ecclesiis promulgandæ. Rursus beneficium resignatum debet promulgari cum frequens populus ad missarum solemnia convenit die festo, dum divina officia, vel divinum verbum annuntiatur populo. Præterea in promulgatione resignationis exhibendæ sunt litteræ Pontificiæ, quibus ipsa resignatio beneficii continetur, idque ex vi Gregorianæ constitutionis.

6 Resignatio autem ut ritè fiat aliquot exigit conditiones, quarum prima est, ut renuntians beneficio omninò liberè id præstet, adeò ut resignatio sit spontanea, libera, & non vi, aut ex gravi metu extorta, neque dolosè obtenta, alioquin non fortitur suum valorem, ut liquet *ex c. super hoc 5. h. t.* & ex *c. accepta. 3. de restit. spoliat.* Secunda ut sit pura, & ab omni simoniaca labe prorsus aliena *c. cùm pridem 4. & c. ult. de pact. c. ex parte. 12. juncta* Glossa *V. omninò de offic. jud. deleg.* siquidem resignatio redolens simoniam irrita est, ac nullius valoris, ut liquet ex *extravag. 2. per clem. de simonia inter commun.* nec illi suffragatur, si fuerit juramento firmata. Tertia si beneficium juris patronatûs resignetur, vel quod pertineat ad collationem alterius, tunc necessarius est ejus consensus; non tamen, ut Ordinarius, qui putat ob utilitatem, aut necessitatem Ecclesiæ admittendam esse resignationem, urgeat, ut eam admittat; sed quia per quandam convenientiam non approbatur resignatio beneficii Ecclesiastici absque censensu illius, ad quem aliquo pacto pertinet: & plures censent, etiam post admissam resignationem, si hæc illi significetur. Quarta est, ut resignatio beneficii fiat specificè, verbisque expressis, si resignatio sit expressa: quia in dubiis non præsumitur quis suum beneficium resignare: & æquè in curia Romana, quàm extra, ex stylo consueto debet in scriptis fieri (tametsi de jure communi id necessè non sit) ob meliorem renunciationis probationem, quatenus per scripta resignans supplicat superiori, ut velit suam admittere resignationem ob causas expressas in supplici libello. Quinta, ut præstetur consensus à resignante, vel personaliter, vel per Procuratorem in Cancellaria, vel Camera Apostolica, si resignatio fiat coram summo Pontifice.

7 Quod verò ad Resignatarium pertinet; is post supplicationem signatam, & à Domino Datario recognitam, ipsique restitutam debet procurare litteras Pontificias expediendas, licèt communis juris Pontificii interpretum sententia sit, ut per solam supplicationem à Pontifice signatam per verbum *fiat*, vel per verba *fiat ut petitur*, gratia perficiatur: quia usû in Romana Curia recepto, ut ait Flam. *de signat. lib. 10. q. 1. n. 1.* beneficiarius omne jus amittit, si absque litteris Pontificiis confectis, & expeditis possessionem capiat beneficii: quapropter cautum omninò est per regulam Cancellariæ, ne judices in causis sententiam pronuntient vigore supplicationum signatarum; sed tantùm ex vi litterarum, quæ consuetâ formulâ expediuntur, adeò ut in eadem regula Cancellariæ, gratia à Pontifice concessa, per verbum *fiat*, dicatur esse informis ante expeditionem litterarum Pontificiarum. Hinc Clericus, qui obtinuit beneficium à Romano Pontifice, si absq; litteris Pontificiis adeat possessionem beneficii, habetur pro intruso, neque illi quidquam prodest regula Cancellariæ de annali, vel triennali possessore, imò neque ad aliud beneficium obtinendum est ampliùs idoneus juxta constitutionem Julii III. quæ incipit *sanctissimus in Christo Pater.*

8 Possunt tamen litteræ Pontificiæ confici, & expediri mortuo Pontifice, qui signavit porrectam supplicationem, ut censent Geminianus *consf. 93. n. 13.* Castrens. *in regul. de public. resignat. q. 6. n. 6.* Alii verò volunt, & quidem juxta consuetum stylum, hujusmodi litteras expediri per succedentem Pontificem facta mentione concessæ gratiæ à suo prædecessore. Cæterùm Resignatarius debet procurare, ut conficiantur litteræ Pontificiæ intra id tempus, quod ad beneficiorum resignationes concedi solet.

9 Rursus in iisdem litteris debet Resignatarius, ea omnia exprimere, quæ si reticerentur, Pontifex vel gratiam non esset concessurus, vel saltem difficiliùs, ut liquet ex *c. dudum de elect. & c. super litteris, & c. postulasti de rescript.* unde exprimi debent omnia ea, quæ sunt à jure, vel ex usu recepto in Romana Curia; adeò ut exprimi debeat resignati beneficii conditio, seu qualitas, ut ponatur nomen illius sancti, cujus honori dicata est ecclesia, comprehendens tale beneficium Glossa *in c. quamvis de præbend. in 6.* Rursus debet exprimi si beneficium sit in Ecclesia Cathedrali, si eidem sit annexa cura animarum. Rota *decis. 1. n. 3. de offic. Archipresbyteri.* an requirat assiduam in Ecclesia præsentiam beneficiarii, an habeat dignitatem, & quænam illa sit? Felin. *in c. in nostra 13. de rescript.* Rursus si resignatarius sit Clericus sæcularis debet exprimere, an beneficium sit regulare; ut etiam sæculare, si resignatarius sit regularis. Rursus exprimitur si beneficium sit in aliqua Ecclesia hospitali, si sit affectum jure patronatûs, si sit electivum, si alteri annexum, ut notat Rota *decis. 3. de rer. permutat.* Quòd si duo beneficia fuerint

ita connexa, ut unum accedat alteri; tunc putant aliqui sufficere, si exprimatur principalius, ad quod minus principale sequitur. Rursus debet exprimi annuus reditus, seu proventus resignati beneficii, siquidem ut notat Flamin. *de resig. lib. 10. q. 2. n. 39.* Verus beneficiorum valor debet Pontifici innotescere, ut is sciat beneficii conferendi qualitatem habita ratione illius, cui confertur. Demùm debet resignatarius etiam exprimere, quòd sit Clericus, quia laico beneficium de jure communi non confertur; & si resignatarius mentiatur, se Clericum esse Romanum, cum re vera sit alterius Diœcesis, resignatio non sortitur suum valorem, si beneficium sit constitutum in aliqua urbis Ecclesia, ut notat Flaminius *loc. cit. de resignat. n. 66.* Debet itidem exprimere alia beneficia, quæ possidet, ut liquet ex *c. ad audientiam, & c. in nostra de rescript.* ut etiam pensiones, quas percipit ex aliis beneficiis. Ut etiam si aliquo detineatur canonico impedimento, ut si sit criminosus, infamis, spurius, aut aliquo gravi morbo infectus, quo sit à beneficio excludendus, ut esset morbus caducus, gallicus, epilepticus, ut etiam si sit intrusus, ut notat Abbas in *c. cùm jam dudum de præbend. & c. propterea ult. de jure patronat.* ut etiam si aliquis sit intrusus per unum integrum annum in resignato beneficio, ut habetur in *regula Cancellariæ de annal. possess.*

24 Præterea debet resignatarius adire possessionem sui beneficii, quia licèt ex sola canonica institutione, quâ Romanus Pontifex, vel loci Ordinarius beneficium contulit, jus in beneficio quæratur ipsi Clerico, ut liquet ex *c. ult. de præbend. in 6.* & est communis sententia apud Covarruviam *lib. 3. var. resolut. c. 16.* nihilominus hoc jus non censetur ratum, & firmum, donec beneficiarius fuerit possessionem sui beneficii adeptus. Quia ante possessionem captam jus quæsitum potest pluribus modis impediri, imò etiam amitti, ut notat Rebuffus *cons. 108. n. 19.* Potest tamen beneficiarius per procuratorem possessionem capere sui beneficii, ut notat Covar. *lib. 3. var. resolut. c. 16. n. 8.* ubi ait sufficere etiam ad id Procuratorem laicum. Verùm communior sententia est, debere resignatarium per se, vel per procuratorem Clericum loci Ordinarium adire, & ab eo petere, ut ipsum in beneficii possessionem mittendum curet. Cæterum licèt resignans è vivis excesserit antequam in gratiam resignatarii sint litteræ expeditæ; nihilominùs per consensum expressum in Cancellaria, & Camera Apostolica præstitum vacat beneficium per resignationem, non per obitum beneficiarii, ut asserit Flaminius *lib. 19. q. 6. n. 58.* adeo ut resignatarius utatur jure suo, si curet ut litteræ Pontificiæ expediantur, quarum authoritate fultus possit beneficii possessionem adire; quòd si Ordinarius beneficium alteri jam contulisset; eò quia putâsset, illud vacâsse morte beneficiarii, collatio est irrita.

25 Quòd si resignans decederet, priusquam resignatarius consensum præstaret in reservatione pensionis, tunc censeretur beneficium vacare per obitum. Requiritur enim, ut resignatio rata sit, & firma, resignatarii consensus, sine quo resignatio nullum ipsi jus tribuit, quapropter beneficium resignatum in Romana Curia priusquam resignatarius eidem assentiatur, vacare dicitur in eadem Curia. Qui verò per triennium non assentitur beneficio in sui favorem resignato ipso jure censetur privatus, ut notat Rebuffus *cons. 186. n. 2.* quia sine consensu resignatarii non absolvitur resignatio, & resignans suum amittit beneficium. Potest tamen resignatarius beneficium in sui gratiam resignatum habere acceptum per Procuratorem, ut notat Glossa *c. si tibi absenti in V. habueris de præbend.* Dummodo Procurator habuerit speciale mandatum, ut docet Covarruvias *lib. 3. var. resolut. c. 16. n. 4.* speciale autem mandatum censetur, si Procurator habuerit mandatum, ut accepta habeat beneficia Ecclesiastica; tametsi speciatim non fuerit tale beneficium expressum, ut notant Covar. *lib. 3. var. resolut. c. 16.* Imola. *in c. accedens. 24. de præbend.* Joan. Andr. Abbas. & alii.

§. V.

Quæ beneficia per Resignationem dimitti possint, & à quibus, & coram quibus?

Renuntiare propriis beneficiis ordinariè ii omnes possunt, qui beneficia Ecclesiastica possident, sive fuerint in minoribus Ordinibus constituti, sive in majoribus; dummodo annos pubertatis excesserint, ex justa causa, ac suppositione, quòd beneficia sint resignabilia; hoc enim pacto resignans pro proprio juri nemini est gravamini, potest enim quilibet habens jus quæsitum in aliqua re, tali juri renuntiare, si bono publico non præjudicet. Non tamen omnes resignationes æqua facilitate admittuntur, siquidem faciliùs admittitur resignatio beneficii simplicis, etiam canonicatûs, quàm resignatio parochiæ, vel alterius beneficii habentis adnexam curam animarum; hujusmodi enim resignationes stylo Romanæ Curiæ ordinariè non recipiuntur, nisi post elapsos saltem tres annos à possessione parochiæ; adeò ut parochus vix concedatur resignare, nisi per tres annos intervenerit Ecclesiæ. 1

Hinc post obtentam parochiam promotus, si sacerdos non fuerit, tenetur intra annum sacerdotio initiari, ut liquet ex *c. licet 14. de elect. in 6.* est tamen ei liberum, si nolit sacerdos fieri, renuntiare parochiæ etiam in favorem tertii. 2

Major difficultas est, an etiam Romanus Pontifex possit se abdicare Pontificatu; quia contrahitur per Pontificatum spirituale matrimonium, quale est inter Episcopum, & ecclesiam, quod non nisi Dei authoritate dissolvi potest *c. 4 sup. tit. 7. de translat. Episc.* adeo ut non possit Episcopus per se ipsum dissolvere matrimonium spirituale, quod contraxit cum 3

sua

sua Ecclesia, sed ad id requiratur authoritas superioris; atqui Pontifex nullum in terris habet superiorem, à quo possit matrimonium, quod cum Ecclesia Catholica contraxit, dissolvi. Neque licet inferiori solvere, quod Deus ligavit, neque auferre, quod Deus contulit. Plura similia argumenta congerit Joan. Andreas *in c. 1. eod. in 6.* Verùm post constitutionem Bonifacii VIII. *in c. 1. h. t. in 6.* non ampliùs dubitatur, quin possit Pontifex se Pontificatu abdicare, cùm expressè in illa constitutione sit decisum, posse Pontificem ex justa causa renunciare Pontificatui, adeò, ut non requiratur ad id consensus Cardinalium, nec approbatio ullius alterius, cùm Summus Pontifex in terris superiorē non habeat, ad quem pertineat talem resignationem admittere, & approbare. Ratio itidem, quòd possit Romanus Pontifex se Pontificatu abdicare, est assignatu facilis; quia si concessum est cæteris Episcopis inferioribus posse ex justis causis renuntiare Episcopatui; non videtur, cur id debeat Romano Pontifici denegari. Hinc Cœlestinus disciplinæ regularis amore, ac vitæ monasticæ, captus solitudine, Pontificatui renuntiavit, & plures alii, se papatu abdicarunt, ut refert Ludovicus Gomes. *ad reg. Cancellar. de infir. resignat. q. 1.*

4 Beneficia tamen litigiosa expresso jure prohibentur resignari, si lis alicui beneficiato mota fuerit, & pendente lite; quia sicut alienatio rei litigiosæ non potest fieri lite pendente, eò quia dubium sit dominium rei, ad quem pertineat, ut liquet ex *tot. tit. ff. & C. de litigiosis.* ita nec resignatio beneficii litigiosi fieri potest lite pendente ad cavendas fraudes, quæ facilè possent irrepere. Quòd si in gratiam collitigantis alter beneficio renuntiet, valida est resignatio, quia tunc fit ad litem extinguendam. Prohibetur etiam resignatio beneficii uniti, ad quam unio suum fortiatur effectum, ut liquet ex Trident. *Sess. 23. c. 18. de refor.* siquidem ad talem unionem jus acquisitum est, cui unio facta fuit, sive Collegio, sive Monasterio, ut per mortem beneficiati beneficium unitum transferatur in Monasterium, aut Collegium, cui graviter præjudicaretur, si licita foret beneficii uniti resignatio; nisi hæc foret omnino pura, & libera, aut in favorem illius, cui unitur beneficium. Subinde tamen hæc resignatio permittitur, quando scilicet expressè à Summo Pontifice per sufficientem clausulam derogatur tali unioni, & pro illa vice tantùm. Neque beneficia, quæ consistorialia vocantur dimitti possunt apud locorum Ordinarios, quia hæc sunt Romano Pontifici reservata, quapropter non potest Ordinarius loci eorum resignationes admittere, vel illa conferre, aut permutare.

5 An verò beneficium affectum jure patronatûs possit resignari sine patroni consensu, affirmare videtur Calder. *cons. 6. de renuntiat.* Sed communior Sententia est ad resignationem beneficii affecti jure patronatûs requiri consensum Patroni, quia ipsius interest, ne ipso neglecto aliquis in Ecclesia, vel beneficio instituatur: quia posset contingere, ut Clericus patrono infensus beneficium obtineret. Hinc beneficium absq; patroni consensu resignatum, & alteri collatum, si postea resignans obierit, vacare dicitur per obitum illius, quia beneficii jus non transit ad resignatarium. Quòd si quæras, an resignatio beneficii affecti jure patronatus facta inscio patrono suum sortiatur valorem. Respondent communiter Canonici juris interpretes esse quidem resignationem validam, sed rescindendam, si patronus contradixerit; quia supponitur resignatio facta sub conditione, quòd patronus eidem annuat. Unde requiritur consensus patroni, sive hic laicus fuerit, sive Clericus, ut asserit Lambertinus *lib. 3. q. 5. art. 1. n. 2.* non tamen necesse est, ut consensus patroni semper præcedat, sed sufficit, si accesserit, quia tunc resignatio convalescit. Quòd si patronus non assentiatur resignationi, neque eidem contradixerit, tempore præfixo à jure, amittit potestatem post tale tempus elapsum contradicendi; quia per tale longum silentium censetur ratam habuisse resignationem, ut notat Cardinal. *in Clement. 1. de supplex. Prælat. neglig.*

6 Rursus beneficium electivum salvo jure resignari non potest alterius gratia, iis inconsultis, quibus jus inest eligendi, ut docent communiter Canonistæ *in Clem. 1. de renuntiat.* siquidem eligere Clericos ad hæc beneficia, ad eos tantùm pertinet, quibus jus inest eligendi; verum tamen est, quòd resignatio non esset irrita, sed tantū rescindenda, si contradicerent ii, ad quos pertinet eligere: cæterum, si post resignationem electorum consensus accesserit, corroboratur resignatio, quæ rata habetur, ac firmatur etenim superveniens consensus confirmat acta *l. filio præterito ff. de injusto rapto. testamen.* Neque obstat, quòd talis resignatio insciis electoribus non sit licita; quia etiam actus alioquin malus vim, & robur accipit ex consensu accedente *l. cùm vir prædium ff. de usufructu.* An verò requiratur consensus omnium Electorum, respondetur cum distinctione: si enim beneficium ob solam alterius utilitatem resignetur, tunc requiritur consensus omnium Electorum; sin verò ob utilitatem alicujus Ecclesiæ, vel etiam ob urgentem necessitatem sufficit, si major pars consenserit.

7 Beneficium cujus titulo, & jure fuit quis ad Sacros Ordines promotus ex Concil. Trident. *Sess. 21. c. 11. de refor.* nequit resignari, nisi in libello supplicationis fiat expressa mentio, fuisse resignantem ad illius beneficii titulum promotum; & tunc non admittitur resignatio, nisi priùs constiterit habere aliunde resignantem, undè possit congruè vivere, ut decet Clericum; alioquin resignatio suum non sortitur valorem. An verò valeat resignatio facta coram Romano Pontifice, cum reservatione pensionis centum aureorum, cujus titulo fuerat Cajus Sacris initiatus Ordinibus, nulla facta mentione de ordinibus susceptis ratione illius beneficii. Respondet Navarrus, talem resignationem in foro conscientiæ ratam esse, ac suum sortiri valorem: ratio est, quia pensio centum aureorum sufficit pro congrua sustentatione Clerici renuntiantis tale beneficium. Ordinarius verò, si resignationem admitteret, & Clericus resignans non haberet

haberet aliunde, quo vitam honestam sustentaret, teneretur illum alere; ita enim declaravit Congregatio Cardinalium Concil. Trident. his verbis: Ordinarius, qui admisit resignationem factam ab aliquo Presbytero, nihil aliud habente, præter illud beneficium, unde commodè possit sustentari, tenetur eum alere, nec potest eidem beneficium resignatum restituere.

8 De beneficio exempto, an resignari possit alterius gratiâ dubitant aliqui, sed adhibitâ distinctione nulla superest difficultas. Tripliciter beneficium intelligitur exemptum. Primò, quia sit Romano Pontifici subjectum, & tale beneficium authoritate ipsius Pontificis potest resignari *c. authoritate de privil. in 6.* & colligitur ex *c. si Abbatem de elect. in 6.* Secundò intelligitur exemptum beneficium ab Episcopo, eò quia proximè subjiciatur Abbati, vel alteri Prælato; & si Prælatus obtinuerit jurisdictionem Pontificialem, aut Privilegium, potest talis beneficii resignationem admittere: cæterum seclusô privilegio, & jurisdictione pertinet ad Episcopum beneficii resignationem admittere. Tertiò intelligitur beneficium exemptum, eò quia Ecclesia, cui est annexum beneficium, sit extra jurisdictionem Episcopi, licèt populus subjiciatur Episcopo: & tunc ad Episcopum etiam pertinet approbare beneficii resignationem.

9 Beneficium etiam reservatum obnoxium est resignationi, adeò ut etiam coram Ordinario loci possit quis simpliciter tamen, & absolutè renuntiare beneficio reservato, idque de jure communi; quia reservatio beneficii non obstat, quo minùs possit coram Ordinario resignari, dummodo ipsius authoritate non conferatur, siquidem beneficium, ideo est reservatum, quia ad solum Romanum Pontificem pertinet, illud conferre. Cæterum, sicut Clericus potest ab Episcopo privari beneficio reservato ob patratum crimen; potest etiam authoritate Episcopi beneficium reservatum resignari, quamvis Episcopus nequeat alteri illud conferre; & si illud conferret, collatio esset nulla. Vel resignatur beneficium reservatum Summo Pontifici non absolutè simpliciter, sed gratiâ, & favore alterius, & tunc non potest coram Ordinario loci resignari, sed tantùm coram Summo Pontifice, quia Innocentius VIII. in sua constitutione, quæ incipit: *Sicut bonus Pastor* sancivit, ut imposterum beneficia reservata non nisi coram Summo Pontifice resignarentur causa permutatationis, vel gratiâ, & favore alterius, & revocavit omnes facultates, ac licentias obtentas à sede Apostolica in ordine ad tales resignationes.

10 Dantur etiam beneficia in commendam; & dicuntur commendata, & de his etiam est dubium, an possint resignari, sed quia dupliciter potest beneficium dari in commendam alicui, scilicet ad tempus, vel in perpetuum, ideo procedendum est cum distinctione: si enim beneficium commendatum sit ad tempus, tunc resignari non potest alterius gratiâ, quia is, cui commendatur ad tempus non habet jus, & titulum in beneficio, sed tantùm administrationem: unde beneficia data in commendam temporalem maximè ob utilitatem Ecclesiæ, donec eidem de Rectore idoneo provideatur, resignari non possunt, quia is, cui beneficium commendatur, non habet jus, nec titulum in beneficio; cui renuntiare possit; tametsi administrationem habeat, & fructus percipiat: sed hujusmodi beneficia purè, & simpliciter dimittenda sunt in manibus Ordinarii; quia dimissio propriè non est resignatio, sed tantùm administrationis depositio. Quòd si beneficium sit alicui in perpetuum commendatum potest simpliciter, & absolutè resignari coram loci Ordinario; non ita alterius gratiâ, & favore, quia tunc resignatio debet fieri coram Romano Pontifice ob rationes in præcedentibus allatas.

Dubitari etiam solet, an is possit etiam beneficium resignare, qui habet tantùm jus ad illud, & non in illo: habere jus ad beneficium, perinde est, ac habere jus ad rem, sicut etiam jus in beneficio est jus in re, & supponit possessionem captam, non ita jus ad rem; quo pacto electus nondum confirmatus, ut etiam nominatus à patrono, & oblatus Episcopo, sed nondum ab eo institutus dicitur habere jus ad beneficium, non verò in beneficio. Respondetur, habentem jus ad beneficium posse illud purè, & simpliciter resignare; non ita gratiâ, & favore alterius: ita enim communiter docent Juris Canonici interpretes, cum Innocentio in *c. quod in dubiis de renuntiat.* Ratio non est assignatu difficilis, quia potest quisque cedere jure suo, qualecunque illud sit; atqui habens jus ad beneficium habet jus ad rem, licèt non in re: ergo potest cedere jure suo, quod habet ad beneficium. Hinc, qui Litteras Pontificias ad beneficium aliquod impetravit, potest etiam absolutè, & simpliciter cedere illo jure, quod per tales litteras obtinuit. Rursus, qui beneficii possessionem nondum adierit, & plenum eidem ius competit eam adeundi, potest beneficium tuta conscientia resignare, quia is plenum jus habet in beneficio, quod fuit illi collatum. 11

Pensiones tamen Ecclesiasticæ prohibentur resignari, nisi purè, ac liberè illæ resignentur; vel saltem in favorem illius, qui gravabatur pensione, & à quo erat solvenda. Quòd si pensionarius hanc non exigat pensionem, censetur tacitè eidem renuntiare. Cæterum resignare sua beneficia non possunt criminosi, quia isti ipso jure suis privantur beneficiis. Nec intrusi; neque alii, qui nullum titulum Canonicum habent ad beneficium, sed solùm fortassis possessionem: hi cùm nullum censeantur jus habere in beneficio, nequeunt per resignationem cedere jure, quia illud non habent in beneficio, cui præsumunt renuntiare. Neque possunt prius beneficium resignare, qui ad secundum cum primo incompatibile promoventur, quia per legitimam adeptionem secundi, primum ipso jure vacat, juxta *c. de multa 28. de præbend. & Trident. sess. 7. c. 4. de reformat.* neque possunt resignare sua beneficia causa permutationis Clerici furiosi, aut mente capti, quia cùm non sint sui compotes, non sunt apti ad 12

ad beneficia sua resignanda, neque ad alios actus legitimos celebrandos, nisi fortassis lucida intervalla habuerint, & tunc temporis renuntient beneficio; quia tali tempore cessat causa, ob quam impediuntur resignare.

13 Clerici tamen gravi morbo laborantes suis possunt beneficiis renuntiare etiam in favorem alterius, quia isti utuntur pleno judicio rationis, ac iisdem permittuntur à jure alii actus legitimi. Ne tamen videantur, quasi per viam successionis hæreditariæ disponere de suis beneficiis, ideò ad præcavendas fraudes sancivit *regula 18. cancellariæ Apostolicæ*, desumpta ab Innocentio VIII. ex *c. 2. h. t. in 6.* validam non esse resignationem beneficii factâ ab infirmo Clerico, sive absolutè, & simpliciter, sive in favorem alterius; nisi post factam resignationem adhuc viginti dies computandos à die consensus præstandi per ipsum resignantem supervixerit infirmus resignans: & sicut hæc regula extenditur ad omnia beneficia, & dignitates tam in Curia, quàm extra Curiam Romanam etiam cum reservatione pensionis, aut fructuum, vel ex causa permutationis; ita etiam valet in casu, quo quis sanus resignavit, & postea ex aliquo superveniente accidente ante viginti dies post factam resignationem moriatur, non quidem morte civili, sed naturali. Rursus exigit hæc regula, ut resignans renuntiet beneficio per se, vel Procuratorem coram legitimo superiore. Sufficit tamen, si resignatio fuerit signata à resignante.

14 Coram autem quo superiore sint beneficia per resignationem dimittenda: certum est, Clericos beneficiatos pro suo tantùm arbitrio non posse dimittere beneficia, quæ canonicè obtinuerunt, & quorum collatio, confirmatio, & institutio fuit illis jam facta; sed ad hujusmodi beneficia dimittenda requiri authoritatem legitimi superioris, ut liquet ex *c. admonet 4. h. t.* ubi sub pœna excommunicationis prohibetur, ne similes resignationes fiant sine authoritate legitimi superioris, cui graviter præjudicaretur, si eodem neglecto fierent: & licèt nonnulli censeant, id non esse intelligendum de beneficiis litigiosis, quæ in favorem collitigantis cedere quis potest, ea innixi ratione, quia per talem resignationem nullum videatur superiori præjudicium fieri: nihilominus communior sententia est, omnia beneficia etiam litigiosa non posse aliter resignari, quàm coram legitimo superiore, eò quia prohibitio sit universalis, nec patiatur exceptionem; & plurimum intersit Ecclesiæ, quòd etiam hæ renuntiationes illi innotescant. Hinc Clericus criminosus, qui ipso facto ob patratum crimen suo excidit beneficio; si adhuc titulum coloratum, & putativum, ac possessionem beneficii retinet, adhuc tenetur coram legitimo superiore renuntiare, non verum jus, nec titulum in beneficio, cùm nullum ampliùs habeat; sed tantum titulum putativum, & ipsam possessionem: & ita dicendum de illo, qui per pacificam adeptionem assequitur secundum beneficium incompatibile cum primo; quia prius per adeptionem secundi ipso jure vacat, ut liquet ex *d. c. de multa, de præben.*

Non tamen hujusmodi superior, coram quo fit resignatio potest esse laicus, licèt patronus beneficii, neque princeps sæcularis, alioquin resignatio non sortiretur suum valorem, nec effectum, ut liquet ex *c. quod in dubiis 8. h. t.* ratio est perspicua, quia laicus in causa spirituali beneficiorum, non est legitimus superior. Quinimò, quamvis resignatio coram laico facta irrita sit, adhuc resignans est spoliandus suo beneficio, si iterum de manu superioris laici sit illud recepturus, idque in pœnam attentatæ renuntiationis faciendæ coram laico; quod tamen est ita intelligendum, ut resignatio, non fuerit vi, nec metûs causâ, nec ulla ratione coactè facta. Rursus, si resignatio fiat coram Clerico, qui tamen non sit legitimus superior in ordine ad resignationem admittendam irrita non est, & suum sortitur valorem, in præjudicium tamen resignantis, qui propterea beneficium taliter resignatum repetere non potest. Cæterum quoad Ecclesiam, ac legitimum superiorem invalida est, & pertinet ad superiorem disponere de tali beneficio, potestque renuntiantem, si velit, adigere ad retinendum beneficium resignatum, vel ad illud dimittendum. Glossa in *c. quod in dubiis ver. in manum laicam.* Plerique tamen censent probabile, resignantem beneficium, sive coram Clerico, non superiore, sive coram laico, adhuc posse pœnitere, suúmque retinere beneficium, dummodò à legitimo superiore nondum fuerit resignatio admissa, quia jura tantum asserunt, eum esse privandum suo beneficio, qui postquam resignavit in manibus laici, ab eodem iterum recipit. 15

Quamobrem superior admittens renunciationes beneficiorum, debet necessariò esse Ecclesiasticus, ut liquet ex *d. c. quod in dubiis*, & rursus debet esse talis superior, ut non solùm ipsi competat jus, seu potestas conferendi beneficia, ac instituendi beneficiatos; sed etiam eosdem destituendi; seu deponendi; siquidem admissio renuntiationis vim habet destitutionis: quapropter, si alicui tantùm ex speciali privilegio, aut præscripta consuetudine conveniret jus conferendi beneficia, non tamen ex hac tantùm ratione posset resignationes talium beneficiorum admittere: ratio est, quia destituere beneficiatos distinguitur ab eo, quod est instituere beneficiatos: idque, vel maximè verum est de beneficiis curatis, quorum institutio, & destitutio pertinet ad Episcopum. 16

Quia verò Summus Pontifex est verus, ac legitimus superior, habetque plenam jurisdictionem, ac potestatem in tota Ecclesia Catholica, ideo omnia beneficia, quæcunque illa sint, possunt quovis tempore resignari coram Pontifice, cui convenit plena potestas in beneficialibus, & quæ ab eo Ordinariis data est: ideo cumulativè istis cum Pontifice, non privativè convenit. Imò dantur pleraque beneficia exempta, & privilegiata, quæ non nisi in manibus Romani Pontificis resignari possunt, cujusmodi sunt Cardinalatus Patriarchatus, primatus, Archiepiscopatus, & Episcopatus, ut etiam beneficia majora in Cathedralibus post pontificiales, & principales dignitates in Collegiatis, & alia beneficia exem- 17

exempta, quæ soli Romano subjiciuntur Pontifici. Legati à latere possunt etiam admittere resignationes illorum beneficiorum, quæ possunt ipsi conferre, idque ob prærogativam honoris. Non ita Nuntiis Apostolicis, seu Legatis missis, hæc potestas admittendi resignationes competit, nisi ex speciali privilegio iisdem concedatur. Locorum tamen Ordinarii possunt admittere resignationes beneficiorum, quæ in sua existunt Diœcesi, eorúmque subjiciuntur jurisdictioni, nisi quid aliud in contrarium statuatur.

18 Absoluta enim, ac simplex beneficiorum resignatio fieri potest coram Ordinariis locorum, vel etiam aliis, qui præscripserunt jus admittendi resignationes, si beneficium subjiciatur Ordinario: non ita possunt coram Ordinariis resignari beneficia in favorem alterius: hujusmodi enim resignationes debent fieri coram Summo Pontifice: ratio est, quia resignatio facta in favorem alterius videtur habere speciem Simoniæ, quam Summus Pontifex dispensando tollit, ut asserit Tolosanus *c. 28. n. 8.* & is, qui ea conditione resignavit, ut beneficium conferatur uni potiùs, quàm alteri, videtur esse dominus beneficii *c. inter cætera 7. de praben.* Quamobrem omnia beneficia, quæ resignantur in favorem alterius, debent necessariò resignari in manibus Sumi Pontificis, & ratio id suadet; & stylus, ac usus Curiæ, & etiam inolita consuetudo docent, idque ad cavendum omne periculum, quod in tali conditionali resignatione facilè posset intervenire: & ne beneficium nondum vacans alteri conferatur, quod nemo, præter solum Summum Pontificem præstare potest.

19 Hinc licèt resignans possit supplicare Pontifici, ut certæ cuiduam personæ velit beneficium à se resignatum conferre; non tamen potest Pontificem adigere ad resignatum beneficium illi conferendum; potest enim Pontifex resignatum beneficium conferre, cui magis libuerit. Secus coram Ordinariis, cujusvis beneficii resignatio debet esse absoluta, & non conditionata, simplex, & pura, nullam admittens clausulam modi obligantis ad conferendum resignatum beneficium uni potiùs, quàm alteri: & licèt censeant aliqui posse Ordinarium admittere resignationem cum clausula obligante, dummodo hæc ab Ordinario rejiciatur, habeatúrque pro non adjecta: veriùs tamen censent communiùs juris pontificii interpretes, non posse id ab Ordinario fieri, & assignant rationem; quia actus sub aliqua conditione factus non potest secundùm aliquam partem admitti, & secundùm aliam non admitti, quod contingeret in dato casu: actus enim debet vel totus admitti; vel totus dimitti, ut, ne si dividatur, videatur immutatus *l. Aurelius §. idem quæritur ff. de libert. legat.*

20 Resignatio itidem beneficii sub conditione certæ pensionis reservandæ, sive hæc solvenda sit in numerata pecunia, sive fructibus, vel etiam cum reservatione ingressus, accessus, aut regressus, fieri non potest coram Ordinario, sed tantum coram Summo Pontifice, quia ipse solus ob plenissimam potestatem, quam habet circa beneficia Ecclesiastica, potest eorum redditus augere, vel minuere, pensiones imponere, regressum, ingressum, & accessum concedere.

§. VI.

De Resignatione, quæ metûs causâ, vi, dolo, aut fraude fieri solet, & quæ Simoniacam contrahit labem.

Certum est, Resignationem beneficii extortam, & factam per metum nullum sortiri valorem, ut notat Rebuffus *in praxi beneficiorum p. 3. tit. de resignat. facta dolo, vi, vel metu.* 1 Ratio est perspicua, quia resignatio est actus humanus, de cujus ratione est, ut sit voluntarius, & liber, proinde resignatio per metum extorta nulla est, Hostiens. *in summa tit. de renunt. §. qualiter, & cæteri & in c. 2. & 3. & c. ad audientiam de iis, quæ vi, metúsvè causa fiunt.* Idque verum est, sive metus incutiatur à laicis, sive à Clericis; sive inferatur à Cardinalibus, Episcopis, Vicariis, aliisque locorum Ordinariis, ad quos pertinet beneficia conferre, sive ab Imperatore, Rege, aut alio Principe Antonin. *in c. quod in dubiis n. 3. de rescript.* sive à parentibus, cognatis, amicis, sociis, & aliis quibuscunque *c. sciens de elect. in 6.* imò irrita est resignatio per incussum metum extorta, etiam si fuerit jurejurando firmata, seu jurejurando renuntians promiserit, se beneficium dimissurum, & dimissum non repetiturum, ut notant Juris Canonici interpretes in *c. ad audientiam, & in c. accepta de restit. spoliat.* Cæterum resignatio beneficii per incussum metum extorta, licet jurejurando firmata, sit jure irrita, necesse tamen est, ut, qui juravit à jurisjurandi religione solvatur à superiore, si beneficium resignatum repetat, alioquin juramentum præstitum esset impedimento, quo minùs posset resignatum beneficium repetere, quia, ut ait Innocentius in *d. c. ad audientiam.* jusjurandum servandum est, quoties absque animi interitu servari potest.

Qui metu etiam adigitur ad constituendum Procuratorem in ordine ad resignandum beneficium, quidquid agit irritum est, ac improbatur à jure, ut notat Abbas in *d. c. ad audientiam.* neque necesse est, ut Procurator revocetur; sed sufficit, si quod metu factum est, ut irritum rescindatur. 2 Hac ratione cedere liti ex metu incusso, non est jure cadere, quia talis cessio nulla est, ut declaravit Rota, teste Flaminio *de resignat. lib. 13. q. 1. n. 50.* metus tamen debet talis esse, ut cadat in constantem virum; non enim qualiscunque metus dissolvit, quæ facta sunt, sed tantùm ille, qui cadit in virum constantem *l. metum ff. quod metus causa, & l. pannici timoris ff. de regul. Jur. & c. ult. de appelat.* Rursus ex jure metus non censetur incussus, nisi probetur fuisse illatus, & onus probandi, metum fuisse illatum, ei incumbit, ad quem pertinet probare metum intercessisse, & qui in judicio asserit, beneficium fuisse ex incusso

cusso metu resignatum. Rursus major fides habenda est duobus testibus affirmantibus Cajum ex vi incussi metus beneficio renuntiâsse, quàm centum asserentibus Cajum suâ sponte resignâsse beneficium: ratio est, quia illi duo testes testificantur, quæ ipsi sensu percepe-runt, cujusmodi sunt minæ, tormenta, & alia id genus, quæ cadunt sub sensus: & alii centum testes tantùm testificantur de voluntate interna, quæ soli Deo innotescit. Cæterum metus conjicitur ex indiciis, circumstantiis, quæ judicis arbitrio relinquuntur *c. 1. de iis, quæ vi metusvè causâ fiunt.* Metus, ut dicatur justus, & cadere in virum constantem, debet conferri cum persona, cui fuit metus illatus: siquidem meticulosis hominibus, senibus, aliisque pusillis, minor metus sufficit, ut dicatur injustus, & cadere in virum constantem.

3 Quamvis plures Juris Pontificii interpretes censeant resignationem per metum extortam esse ipso jure irritam; nihilominus probabilior sententia est, non esse ipso jure inanem, & irritam, sed tantùm irritandam, ac rescindendam, ut notat Flaminius *lib. 13. de resignat. q. 2. n. 8.* & adhærent huic opinioni Glossa, Abbas, Calderinus, Butrius, Imola, & alii plures: ratio est, quia jura non dicunt ejusmodi resignationem per metum extortam esse inanem; sed tantùm esse dissolvendam; quod autem est dissolvendum, priùs erat ligatum. Neque obstat, quòd jura dicant, hanc resignationem extortam ex metu incusso nullius esse momenti, quia id est verum, ratione effectûs, quia cùm talis resignatio sit dissolvenda, nullum ponit effectum, quo possit resignatario prodesse, proinde in Ordine ad effectum dicitur esse nullius momenti, quia perinde se habet, ac si esset irrita. Est autem resignatio extorta per metum rescindenda implorato judicis officio, vel intentata actione facta metûs causa Calder. *conf. de renuntiat.*

4 Non tamen, qui per incussum metum resignavit beneficium, potest per se immediatè ad illud redire; sed tantùm officio judicis, ut notat Abbas *in c. si verò n. 1. de jur. jurand.* Non tamen ad id requiritur novi beneficii concessio, ut notat idem Abbas *loc. cit.* Sed sufficit, si per actionem, quòd metûs causa in pristinum jus restituatur, quo pacto per metum resignantibus dicitur dari regressus. Neque obstat, quòd jus extinctum non dicatur reviviscere, & per resignationem violenter factam jus extinguatur. Nam ad restituendum resignantem per metum in pristinum jus sufficit, si beneficium non fuerit alteri collatum, ut declaravit Rota *decis. 1. & 3. de rer. permutat.* & *decis. 1. de filiis Presbyt.* Rebuffus *tract. de pacificis possessoribus n. 179.* Hinc qui ex metu resignavit, non potest beneficium habere, neque ex eo fructus percipere, donec authoritate judicis restituatur in pristinum jus, ut ostendit Flam. *de resignat. lib. 13. q. 2. n. 29.* ratio est, quia per resignationem censetur, titulum amisisse, ut notat Innocentius *in c. quod in dubiis de renunt.*

5 Imò, neq; ex jure resignati per metum beneficii, potest resignans ad ordines promoveri, quia, ut notat Flaminius illi tantùm superest jus quo debeat in beneficium restitui; non verò jus, in beneficio, donec per officium judicis in illud restituatur: hac ratione, qui metu resignavit beneficium, licèt post resignationem per triennium in ejus possessione manserit, non gaudet privilegio regulæ de triennali possessore, ut asserit Rebuffus in *tract. pacific. possessor. n. 355.* Quòd si jure beneficium possederit per annum, & postea ex metu dimiserit, ac tandem in illud fuerit judicis officio restitutus, & per biennium ejus habuerit pacificam possessionem, potest illi prodesse privilegium regulæ de triennali possessore, ut notavit Rebuffus *loco cit. n. 328.* Ratio est, quia quando quis restituitur pristino juri in illud ex toto redit *l. quod si minor §. restitut. ff. de minoribus.* quia perinde se habet talis restitutio, ac si possessio non fuisset interrupta.

Resignatio beneficii ex dolo, & fraude facta etiam jure est damnata, ut communiter docent juris pontificii periti, etenim jura condemnant omnem fraudem, & dolum, quia tunc actus humanus non est planè voluntarius: si enim dolus, vel fraus innotesceret, resignatio non fieret, nemo enim vult decipi. Imò Glossa *c. suggestum ver. decipiat. 7. q. 1. &c. cùm dilectus de iis, quæ vi, metusvè causa fiunt.* asserit, resignationem beneficii, cui subest dolus, & fraus esse ipso jure irritam, & nullius valoris. Ad dignoscendum autem, quando aliquid factum est dolo, vel fraude, sufficiunt conjecturæ, etiam leviores, ut communiter docent Doctores cum Flaminio *de resignat. lib. 13. q. 4.* quia cum dolus sit actus internus, & consistat in animo, difficulter probari potest *l. dolum C. de dolo.* Conjecturæ autem, quibus resignatio beneficii probari solet fraudulenta, & deceptoria plures enumerantur, ut si cedat in utilitatem authoris doli, & fraudis: quia absque hac utilitate vix censeretur, quis dolosè, ac fraudulenter agere. Secundò, si is, qui beneficium deponit, multum impendit laboris, & expensæ, ut beneficium dimittat, ex cujus fructibus facilè, & commodè sustentabatur: tunc enim, cùm vix supponatur legitima causa dimittendi beneficium tanto labore, & impensis, rectè suspicio oritur, ne resignatio sit fraudulenta. Tertiò, si minæ præcesserint. Quartò, si clam beneficium dimittatur. Sunt aliæ conjecturæ, quas refert Flaminius *de resignat. lib. 13. q. 4. n. 16.* 6

Vis etiam, & violentia illata perinde, ac metus, fraus, ac dolus resignationem irritat, quia quæ fiunt violenter non censentur fieri voluntariè. Et hæc violentia solet etiam conjecturis, & indiciis probari; ut si testes asserant, se vidisse Titium violentiam armis intulisse, aut verbis trucioribus fuisse minatum; & tunc is, cui vis illata est potest in judicio agere actione spolii; eò quia fuit suo beneficio spoliatus: qui enim per vim illatam adigit alium ad resignandum beneficium, is dicitur alium spoliare suo beneficio; qui enim resignat propter vim sibi illatam coactè, & involuntariè resignat; & talis resignatio irrita 7

rita est, ut liquet *ex c. sollicitè de restit. spoliat.* quando autem quis beneficio renuntiat, eò quia ab Episcopo vexetur, is non dicitur beneficio spoliari. Cæterùm, resignatio beneficii facta ab eo, qui eodem fuit spoliatus, à jure damnatur, & spoliato datur restitutio in integrum; ut docent communiter *d. c. sollicitè de restitut. spoliat.* Secus, si resignatio post spoliationem fiat coram judice idoneo suum sortitur valorem, ut probat Flaminius *de resignat. lib. 13. q. 5. n. 22.* quia legitima authoritas judicis, excludit omnem suspicionem, violentiam, & metum. An etiam valeat resignatio per spoliatum facta, si certè constiterit absque ulla violentia illum suo beneficio renuntiasse, Abbas *in d. c. sollicitè.* putat, eam sortiri suum valorem; sed Flaminius *de resignat. lib. 13. q. 5. num. 32.* fatetur in Sacra Romana Rota fuisse semel contrarium decisum, eò quia talis resignatio censetur facta ob causam, quæ præcesserat.

8 Resignationes nonnunquam Simoniaca inficiuntur pravitate, & tunc suam deperdunt vim, ac nullius sunt momenti, est enim Simonia contra jus naturale, & divinum, & tunc committitur, quando quis suum beneficium spirituale resignat pro pecunia, vel alia temporali re, ex pacto vicissim accepto, prout colligitur *ex cap. cùm pridem 4. de pact.* est enim expressa venditio rei spiritualis pro temporali: quòd si res spiritualis pro resignatione beneficii ex pacto accipiatur, licèt non committatur Simonia de jure divino, benè tamen jure positivo, & Ecclesiastico: quia Canones prohibent, ut Simoniacas omnes pactiones *c. vel de pact.* Quinimò, quando beneficium simoniacè resignatum ei confertur, cujus gratiâ est Simonia in resignatione commissa; est talis collatio omnino invalida, ut etiam resignatio irrita, ut ait Glossa in *c. super hoc ver. pecunia de renuntiat.* & licèt olim talis resignatio non fuerit ipso jure irrita, eò quia Pontifex *in c. Presbyter 1. q. 1.* dicat, *privetur beneficio*, de jure tamen novo talis resignatio per Simoniam facta, est ipso jure irrita, ut claret in extravag. Martini V. in Concilio Constantiensi edita, quæ incipit, *multæ.* & extravag. Pauli II. quæ incipit *cum detestabile.* & ex constitutione Pii V. cujus initium est, *cùm primum*, ex quibus, & aliis Pontificum constitutionibus satis apertè constat, beneficium per Simoniam obtentum posse à quovis alio impetrari, eò quia ipso jure vacet.

9 Quæ verò beneficii resignatio censeatur Simoniacè facta communiter censent, omnem illam resignationem fieri Simoniacè, quæ non fit absolutè, & simpliciter, sed cum adjecta conditione, pacto, vel modo. Et licet aliqui dubitent, an sit Simoniaca resignatio facta coram Ordinario loci, gratiâ, & favore alterius, & non alio modo: nihilominus communior opinio cum Glossa *in c. ex parte 1. de offic. jud. delegat.* asserit, talem resignationem esse conditionalem, & Simoniacam, quia Canones, & jura prohibent omnem conditionem in beneficiorum collationibus, & hæc sententia vera est, quidquid in contrarium censeat Covarruvias *l. 1. var. resolut. c. 5. n. 4.* & cum ipso Sotus *lib. 9. de just. q. 7. art. 2. concl. 1.* & alii ea innixi ratione, quia tunc non datur, nec promittitur, neq; accipitur, quidquam pecuniâ æstimabile pro resignatione, quæ gratiâ alterius fit coram Ordinario: nam jura, & Canones prohibent omnes pactiones, & conditiones, quæ possunt adjici resignationibus, & resignationes cum pactis, & conditionibus factas rejiciunt, ut Simoniacas: & Ordinarii locorum non habent potestatem recipiendi hujusmodi resignationes conditionatas.

Cæterum, quia hæc conditio, seu resignatio conditionata cum pacto, tantùm condemnatur, ac prohibetur jure positivo Canonico; ideò, si hujusmodi resignationes conditionatæ fiant coram Summo Pontifice solent admitti, quia eò ipso, quòd Summus Pontifex admittit resignationem conditionatam in favorem alterius, dispensat in jure Canonico, ac tollit omnem speciem Simoniæ, ut rectè notat Tholosanus *c. 28. n. 8.* Hinc non est Simoniaca omnis illa conditionata resignatio, quæ in favorem alterius fit in manibus Romani Pontificis; ut nec est Simoniaca resignatio, quæ fit coram eodem, cum reservatione annuæ pensionis solvendæ ex fructibus resignati beneficii; quia Pontifex potest proventus beneficiorum augere, vel minuere, & pensiones imponere. Præterea, quia resignans beneficium coram Romano Pontifice non paciscitur cum illo, nec illum adigit ad acceptandam renuntiationem cum tali conditione; sed post factam renuntiationem supplicat Romano Pontifici pro pensione sibi reservanda: quòd si pactio aliqua intercederet inter resignantem, & resignatarium, ea non aliter posset intercedere, quàm sub conditione, si Papa velit approbare; & eò ipso, quòd Romanus Pontifex approbat; dispensat in jure positivo Canonico, & tollit omnem speciem Simoniæ Ecclesiasticæ: licèt nequeat Romanus Pontifex dispensare super Simonia Juris divini, adeo, ut non possit permittere, ut numeratâ pecuniâ vendantur res spirituales, vel alio pretio temporali: quando tamen non intervenit hoc pretium, est tantùm Simonia juris positivi Ecclesiastici, in quo potest Pontifex dispensare. 10

An verò sit Simoniaca resignatio facta ea conditione, ut resignatarius, vel alius, aliud resignet beneficium gratiâ ipsius resignantis, aut sui Nepotis, vel amici, vel alterius cujuslibet. Respondent communiter cum Innocentio, Joan. Andr. & Bonifacio *in Clement. 1. num. 43.* talem resignationem qualificatam tali conditione esse Simoniacam: imò à Simonia non excusatur resignans beneficium in favorem Pauli hac conditione, ut ab eodē moneatur de beneficio aliquo vacante. Nec excusatur à Simonia resignatio, quâ resignans beneficiū promittit se aliquid facturum, si resignatarius fit itidem pro resignante hoc, vel illud suscepturus officium: quia tunc interveniunt pactiones, & conditiones, quæ jure Canonico prohibentur. An verò etiam resignatio beneficii facta coram Ordinario cum conditione, quæ jure beneficio inest, contineat Simoniam: communiter respondent negativè, idq; clarè colligitur ex *cap. significâsti de elect.* ubi habetur, quòd conditio jure 12

anne-

annexa beneficio possit in pactum deduci: si enim Petrus suum resignet beneficium Paulo, ea conditione, ut Paulus resignatarius reside-at in tali Ecclesia, eò quia residentia jure insit beneficio, resignatio non est Simoniaca, quia hoc onus non imponitur à resignante, sed sequitur ipsum beneficium, cui essentialiter est annexum.

12 An verò possit quis renuntiare coram Ordinario alicui beneficio eo desiderio, ut Ordinarius resignatum beneficium conferat consanguineo, absque Simoniaca labe? affirmat Glossa *in c. ordinationes ver. pretium 1. q. 1. & c. ex parte 1. de offic. jud. delegat.* & hæc opinio est probabilis, quia in tali resignatione nulla ponitur conditio expressa, aut tacita, ut Ordinarius conferat consanguineo beneficium resignatum. Si dicas, intervenire Simoniam mente conceptam: respondetur, hanc non intervenire, si conditio non fit animo retenta, nec resignans ob talem conditionem in mente suum resignet beneficium: quia jura tantùm prohibent resignationes qualificatas pactis, & conditionibus; & in præfata resignatione nulla habetur pactio, nec conditio, realis, nec mentalis, nec expressa, nec tacita. Hinc, qui mandatum dedit, ut Procurator simpliciter, & absolutè resignet beneficium, si in mandato eam addiderit clausulam, ut Procurator post resignationem admissam enixim, & humiliter supplicet Ordinario, ut velit conferre beneficium uni potiùs, quàm alteri; nulla tunc intervenit Simonia, quia resignatio fuit absoluta, & simplex, absque ullo pacto, & conditione: & post resignationem Procurator nomine resignantis supplicat Ordinario, ut velit favere uni potiùs, quàm alteri; & cùm ob talem favorem possint alii rogare, nil impedit, quin & ipse resignans post resignationem factam, possit, & ipse Ordinario supplicare, ut velit resignatum beneficium alicui digno conferre: ita enim judicavit Rota-Romana, teste Cassadoro *decis. 2. de Simonia*. Neque obstant constitutiones Pii IV. & Pii V. quibus damnantur beneficiorum resignationes factæ ex confidentia, eò quia tunc interveniat Simonia confidentialis: nam præfati Pontifices tantùm condemnant in resignationibus beneficiorum illam confidentiam, quæ deducitur in pactum expressum, vel occultum, ut notat Navarrus *cons. 48. n. 3. de Simonia.*

13 Dubitari tamen solet, an renuntians litteris Pontificiis, quibus beneficium aliquod expectabat eo pacto, vel conditione, ut recipiat pensionem Ecclesiasticam, vel etiam pecuniam; inficiatur talis renuntiatio Simoniacæ pravitate? Licèt Glossa *in c. ad audientiam 2. de rescript.* censeat, talem resignationem non esse Simoniacam, eò quia Honorius III. in *d. c.* ad audientiam illam non damnet, ut Simoniacam; & ratio hoc idem videatur suadere eò, quia litteræ Pontificiæ non dent jus in beneficio, sed tantùm jus ad beneficium: nihilominus communis, & vera sententia est, hujusmodi resignationem infectam esse Simoniaca labe: quia licèt per litteras Pontificias non acquiratur jus in beneficio, acquiritur tamen jus ad beneficium spirituale; atqui hoc jus est etiam aliquid spirituale, vel annexum spirituali: ergo non potest quis renuntiare præfatis litteris eo pacto, vel conditione, ut recipiat pecuniam, vel pensionem Ecclesiasticā: non enim potest id negari; cùm, & ipsa Glossa concedat, per litteras Pontificias acquiri jus ad beneficium; sicut Clericus præsentatus à patrono; licèt non acquirat jus in beneficio, acquirit tamen jus ad beneficium, & ut instituatur in beneficio; & quia hoc jus ad beneficium, quod conferunt litteræ Pontificiæ est quid annexum cum ipso beneficio spirituali; certè renuntians talibus litteris, ut recipiat pecuniam dat aliquid spirituale pro temporali, quod redolet Simoniacam pravitatem. Imò etiam resignatio, quæ aliquod temporale commodum, vel spirituale continet, tantùm promissum, & nondum datum, Simoniaca labe inficitur, quia semper spirituale datur pro temporali.

Hinc, qui tale beneficium est assecutus, & promissionem nondum implevit, non tenetur stare promisso, alioquin compleret, ac perficeret crimen Simoniæ; cogitur tamen obtentum beneficium dimittere, ut notat Felinus in *c. tua nos. de Simonia*: quia per Simoniam licèt non realem, sed conventionalem beneficium obtinuit; & Simoniacus conventionalis licèt ipso jure non privetur beneficio, est tamen illo privandus per sententiam judicis: eadem ratione, qui accepit aliquod temporale ex promissione Simoniaca resignationis beneficii spiritualis, si nondum resignavit, tenetur restituere commodum temporale, quod accepit, & abstinere à tali resignatione, quæ foret Simoniaca. 14

An verò sit Simoniaca illa resignatio, quâ quis promittit resignanti tertiam partem fructuum beneficii resignati conferendam in alimenta consanguineorum: respondetur cum distinctione; si enim promissio est de alimentis dandis consanguineis illius, qui beneficium resignat, resignatio non excusatur à Simoniaca pravitate: sin autem promissio fit de dandis alimentis consanguineis resignatarii, eò quia indigeant, nulla intervenit Simonia, quia ad id resignatarius per se ipsum tenetur. 15

Si quæras, quot sint effectus resignationis? respondetur, effectus resignationis absolutæ, & simplicis, plures esse: præcipuus tamen est, quòd beneficium resignatum, si legitimè vacet, ut resignans taliter amittat omne jus in beneficio, etiam ad fructus, & omnem possessionem, ut non possit quidquam in beneficio resignato, postquam resignatio admissa fuit à legitimo superiore, ut liquet ex *c. 3. & 5. h. t. & c. 2. eod. tit. in 6.* idque, sive per se, sive per legitimum Procuratorem renuntiaverit beneficio. Secundò, si resignans nondum habuerit jus in re, sed tantùm ad rem, hoc jus etiam per resignationem amittitur, ut liquet ex *c. in præsentia 6. h. t.* quinimò, si enixim licentiam à superiore petierit renuntiandi suo beneficio; & postea hac impetrata licentia ipsum pœniteret, & nollet amplius resignare, posset cogi ad renuntiandum beneficio, si in libello supplicationis pro impetranda licentia inseruerit clausulam, quòd talis resig- 16

resignatio sit pro meliori bono animæ suæ, & pro commodo Ecclesiæ futuro, ut colligitur ex *c. quidam 12. h. t.* idque ne videatur superiori illusisse. Cæterum, qui etiam præmisso juramento resignavit suum beneficium, potest ad idem ex novo titulo redire; si iterum illi conferatur, vel ad illud iterum præsentetur, ut constat ex *c. cùm inter 2. h. t.* quia renuntiatio, & annexum juramentum sunt strictæ interpretationis, & futura non præsumuntur comprehendere: & rursus in quovis juramento salvum debet esse jus superioris *c. venientes 19. de jur. jurando.* nisi tamen ob crimen quis resignaverit Episcopatum, & onus subierit alicujus strictioris religionis, causâ pœnitentiæ agendæ: is enim, si de novo in Episcopum eligeretur, non posset ad eundē redire, ut liquet *ex c. post translationem 11. h. t.* Si tamē majori dignitati renuntiavit, potest inferius, & minus dignum beneficium admittere, ut liquet *ex c. ad supplicationem 9. h. t.* siquidem utilius est illi, habere minus beneficium, à quo sustentetur, quàm carere majori dignitate cum defectu sustentationis. Effectus renuntiationis conditionalis est impedire valorem resignationis, si conditio non impleatur, adeò, ut resignatio non sortiatur suum valorem, nec beneficium conditionatè resignatum vacet, antequam conditio, sub qua fit resignatio purificetur, & adimpleatur. Quamobrem nulla est resignatio facta in favorem alterius, tametsi admissa fuerit, si non eidem, in cujus favorem fuit beneficium resignatum; sed alteri fuerit beneficium collatum, idque defectu non purificatæ conditionis.

§. VII.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones.

1 Quæritur primò, quid sit renuntiatio tacita in ordine ad renuntiandum beneficiis Ecclesiasticis? Respondetur, eam esse, quæ ipso jure censetur fieri absq; verbis expressis, quatenus ex ipsius juris interpretatione, & ex actu directè contrario retentioni beneficii per consequentiam deducitur: etenim, qui id agit, quò posito ex ipsius Juris constitutione amittitur beneficium, seu non potest retinere, censetur eidem tacitè renuntiare, ut notat Rebuffus in *prax. benefic. de tacit. renunt.* hinc sequitur primò, quòd si Beneficiarius etiam minoribus duntaxat Ordinibus initiatus carnale matrimonium ineat, censeatur tacitè renuntiare beneficio Ecclesiastico *c. quod ad te de Cleric. conjug.* Secundò, si Canonicus, vel alius Beneficiarius sæcularis in religione approbata solemnem emittit professionem, etiam tacitè renuntiat Canonicatui, vel alteri beneficio *c. beneficium 4. de de Regul. in 6.* Tertiò, qui consequitur pacificam possessionem alterius beneficii incompatibilis cum priore, eo ipso censetur tacitè renuntiare primo *c. de multa 28. de præbend.* Quartò, si Clericus Diaconus post obtentam Parochiam intra annum non promoveatur ad sacerdotium tacitè censetur etiam renunciare beneficio curato, quod exigit sacerdotium suscipiendum saltem intra annum *c. licet 14. de elect. in 6.* Quintò, si quis lite mota super suo beneficio secundum suscipit incompatibile cum primo, censetur tacitè renuntiare primo, & liti, ut notat Glossa *in Clement. c. gratiæ 4. de rescript.* Sextò, si Beneficiarius patiatur ab alio per triennium suum beneficium possideri, quia videtur tunc illud habere pro derelicto juxta regulam Cancellariæ de triennali possessore, ut notat Rebuffus *in prax. benefic. tit. de tacita renuntiat.* Plura de hac tacita renuntiatione habet Barbosa *lib. 3. juris Eccles. c. 14. n. 38.* Differt autem tacita renuntiatio à privatione, quæ fit ipso jure; quia si beneficiarius protestetur, se per talem actum non intendere dimittere suum beneficium; talis protestatio id operatur, ut talis actus vim tacitæ renuntiationis non habeat. Secus, si quispiam à lege ipso facto privetur beneficio, tunc protestatio nihil prodest, & ea non obstante beneficium, quo quis privatus est ex juris dispositione potest alteri conferri: quia nemo per suam protestationem potest infringere vim legis, nec impedire, quin leges inducentes privationem in suis dispositionibus locum non habeant. Quamobrem tacita renuntiatio propriè est, quæ non exprimitur verbis, sed deducitur ex actu, seu facto ordinato ad renuntiandum beneficio, & talis renuntiatio tacita, seu præsumpta inducitur à jure.

Quæritur secundò, an qui semel tacitè, & 2 præsumptivè renuntiavit beneficio Ecclesiastico possit illud repetere? Respondetur negativè, & desumitur *ex c. transmissa 3. h. t.* ubi quidam Rubeus sæcularis Canonicus Ecclesiæ Sancti Nicolai cum gravi laboraret morbo, petiit in Monasterio Salvatoris habitum Monasticum, quem cùm induisset, ab infirmitate convaluit: rogavitque ex Ecclesia Sancti Nicolai ea sibi restitui, quæ obtulerat: & illis obtentis reversus est ad Monasterium, impleturus votum suum Monastici instituti; sed mutato consilio antequam professionem emitteret, petiit restitui in Ecclesiam Sancti Nicolai, cujus antea Canonicus fuerat. Consultus super hoc dubio Alexander III. respondit, Ecclesiam Sancti Nicolai solutam fuisse à Rubeo, propter tacitam ejus renuntiationem, quam fecit petendo, & recipiendo ea, quæ Ecclesiæ donaverat; proinde non posse Abbatem Sancti Nicolai, nec ejus socios adigi ad iterum recipiendum Rubeum in Canonicum. Ratio est, quia semel renuntians suo beneficio expressè, vel tacitè, amittit omne jus in beneficio, post acceptam à Superiore renuntiationem, & hoc adeo est verum, ut si de novo instituatur; ultimum locum tenere debeat, quia, ut notat Glossa *in d. c. ex transmissa* actio semel extincta nunquam reviviscit. Hinc eo ipso, quòd quis expressè, vel tacitè renuntiavit beneficio, & superior renuntiationem accepit, potest statim tale beneficium conferre alteri citra injuriam ei illatam, qui tacitè eidem renuntiavit. Hinc alia est ratio de privato ad tempus, seu suspenso: quia is si restituatur, recuperat jura sua, & locum *l. 2. ff. de Decur. lib. 1.*

Quæ-

3 Quæritur tertiò, quomodo inferenda sit tacita renuntiatio, quando jura, & canones non inducunt amissionem beneficii ex aliquo actu? Respondetur, tunc non esse facilè præsumendū, voluisse aliquem ex suo actu [illegible]tiare suo beneficio, si verbis id non exprimat, quamobrem tunc, ut notat Tholosanus in *instit. rei benefic. c. 28. n. 4.* diligenter inquirenda est voluntas ejus præsumpta, quia nemo facilè præsumitur renuntiare suis commodis *c. quia verisimile 10. de præsumpt.* Tum quia renuntiatio est remissio juris, & species quædam donationis: nemo autem facilè præsumitur donare *l. cùm indebito 25. ff. de probat.* Hinc si ex ipso facto constet, aliquem litteras provisionis beneficii tradidisse, sine tamen animo renuntiandi juri suo, quod habet in beneficio, sed tantùm ad redimendam vexationem, ex tali traditione litterarum non debet præsumi facta renuntiatio beneficii, idque desumitur ex *c. sane 7. h. t.* ubi Cælestinus III. Legato à latere mandavit, ut Henricum subdiaconum in ecclesia Pictaviensi curaret institui, quod præstitit Legatus, & obtemperans mandato Apostolico, Henricum in dicta ecclesia canonicum instituit. Verùm Canonici obstiterunt recusantes Henricum recipere, eò quia institutus contra Canonicos nihil proficeret, tandem consilio inductus aliquorum Canonicorum litteras suas Capitulo consignavit, cujus misericordiæ se subjecit. Verum quia non potuit à Capitulo hanc impetrare misericordiā, quam speraverat, imò dispendium ab eodem potius tulerit, & Capitulum allegaverit, Henricum per traditionem suarum litterarum, quas impetraverat à Sede Apostolica renuntiāsse juri suo, Cœlestinus III. nolens impefectum manere, quod ipse, & ejus Antecessores de Henrico in Canonicum instituendo decreverunt, mandat Capitulo, ut Henricum in fratrem, & Canonicum admittat, eò quia in traditione litterarum non habuerit animum renuntiandi beneficio, quia inductus fuit consilio quorundam ex canonicis, ut illo medio uteretur, ad hoc ut posset beneficium suum consequi; alioquin sine spe illud consequendi non tradidisset litteras Capitulo: neque per hoc, quòd se subjecerit misericordiæ Capituli, ac petierit gratiam illius tacitè renuntiavit juri suo, cùm ejus voluntas fuerit pervenire ad beneficium per tale medium, cùm Capitulum obstiterit litteris Apostolicis. Præterea licèt tacitè renuntiāsset, non tamen hæc renuntiatio valida fuisset, quia facta tantùm coram Capitulo, non coram superiore, seu Episcopo, ad quem solum pertinebat resignationem recipere: qua ratione etiam non fuisset à Cœlestino III. admissa renuntiatio, quia non canonicè facta. Præterea licèt Capitulum ex speciali jure, & privilegio potuisset resignationes canonicatuum recipere; æquum tamen erat, ut saltem per sententiam Judicis renuntiatio illa rescinderetur, utpote facta non omnino spontè, & liberè, sed ad redimendam vexationem Canonicorum, ut habetur in textu.

4 Quæritur quartò, an summus Pontifex possit renuntiare Pontificatui. Ratio dubitandi videtur esse, quia renuntiatio debet fieri in manibus superioris: & Papa in terris non potest habere superiorē, cùm sit Christi Vicarius, & caput totius ecclesiæ catholicæ: unde videtur dicendum non posse Papā renuntiare Pontificatui: Respondendum est, posse Pontificem liberè renuntiare Pontificatui: ita comuniter Canonistæ in *rubric. h. t.* quia cùm aliis Episcopis, & Prælatis ecclesiasticis propter quietem, & salutē animæ suæ, vel etiam utilitatem suarum ecclesiarum permissum sit, in quibusdam casibus renuntiare; multò magis id permissum esse debet Romano Pontifici ob utilitatem ecclesiæ, ut notat Joannes Andreas in *rubric. h. t. c. 1. n. 2.* Verùm ut Papa licitè renuntiet Papatui, requiritur justa causa, qualis esset, si se inhabilem, impotentem, ac insufficientem cognosceret ad tam grave munus obeundum, vel ex alia rationabili, & justa causa: alioquin si sine justa, & gravi causa se Pontificatu abdicaret, non excusaretur à peccato gravi, quia arctissimo vinculo sibi à Deo imposito est adstrictus universali ecclesiæ, tanquam suæ sponsæ, & quā propterea non debet dimittere: in dubio tamē præsumitur renuntiatio facta ex iusta causa. Præterea licèt sine justa causa licita non sit renuntiatio; est nihilominus valida, ut notat Parisius *lib. 7. q. 5. n. 4.* & desumitur ex *c. quoniam h. t.* ubi dicitur, quòd Romanus Pontifex possit liberè renuntiare Pontificatui, ut notat Barbosa *lib. 1. juris ecclef. c. 2. n. 213.* immo ut Papa renuntiet Papatui, sufficit simplex declaratio suæ voluntatis, qua exprimat se velle Pontificatui renuntiare: ratio est, quia cæteræ solemnitates requisitæ in resignationibus beneficiorum sunt de jure humano, quo Papa non adstringitur; proinde non est necessē, ut Papa renuntiet Papatui coram Cardinalibus, neque quòd isti acceptent resignationem, & consentiant eidem.

5 Hinc quando Papa renuntiat Papatui matrimonium spirituale inter se, & ecclesiam universalem contractum dissolvitur, non tamen potestate humana, quia nullus jure potest potestatem tollere nisi, qui eam contulit; & inferior, non potest auferre, quæ à Deo sunt collata: & quia solus Deus confert potestatem Pontificiam, ideo hæc non tollitur potestate humana, adeò ut Pontifex renuntiet Pontificatui potestate divina, quatenus est Christi Vicarius, cui à Deo concessa est potestas ea omnia exercendi, quæ ad rectum ecclesiæ regimen pertinent: unde renuntiationem factam à Papa solus Deus acceptat, & à Papa potestatem Pontificiam tollit, ne alioquin ecclesia maneat sine Pastore. Verùm quando Papa renuntiat Papatui non deperdit characterem Ordinis, cùm sit hic indelebilis: sed tantùm amittit potestatem supremæ jurisdictionis in universalem ecclesiam.

6 Ad rationem dubitandi. Respondetur, regulam, quā renuntiatio debeat fieri in manibus superioris solùm procedere in iis, qui superiorem habent; non verò locum habere in Principe supremo, qui superiorem nullum recognoscit: quapropter sufficit, si Papa liberè renuntiet Pontificatui, & simpliciter declaret suam voluntatem abdicandi se Pontificia dignitate, ut notatur in *d. c. 1. quoniam. h. t. in 6.* ubi Bonifacius

facius VIII. declarat, Romanum Pontificem posse Pontificatui renuntiare, præsertim si se cognoscat impotentem ad regimen universalis ecclesiæ.

7 Quæritur quintò, an Clericus beneficiarius possit absque consensu superioris propriâ authoritate resignare beneficium? Respondetur regulariter non posse propria authoritate resignare beneficium, quia ecclesiastica bebeneficia nonnisi in manibus Ordinarii, hoc est ex ipsius authoritate, & consensu resignari debent *can. si quis Presbyter 7. q. 1.* quapropter renuntiatio facta à Clerico beneficiario sine authoritate, & consensu Ordinarii nullius est valoris *can. non. oportet 7. q. 1.* quinimmo renuntians suo beneficio sine licentia Ordinarii potest adigi etiam per ecclesiasticas censuras ad illud reassumendum, ut habetur in *c. admonet 4. h. t.* ubi Alexander III. rescribit ad Episcopum Tornacensem, ut prohibeat Clericis suæ Diœcesis, ne ecclesias ad suam provisionem spectantes absque suo assensu accipere, detinere, aut dimittere præsumant: sin verò contra hanc prohibitionem egerint, in eos censuras ecclesiasticas inferat. Ex quo textu liquet, Clericum beneficiarium non posse suo arbitratu resignare beneficium, quod canonicè consecutus fuerat, sed teneri in manibus Ordinarii resignare: alioquin resignatio est nullius valoris, & resignans etiam per censuras ecclesiasticas potest compelli ad reassumendum beneficium resignatum. Ratio est, quia cùm ecclesia, seu beneficium sit beneficiato obligatum, adeò ut sine justa depositionis causâ, non possit eo privari, si eidem in titulum, proinde in perpetuum collatum fuerat: æquitas videtur exigere, ut similem obligationem contrahat beneficiatus, ne scilicet beneficium resignare possit sine authoritate, & consensu Prælati.

8 Hoc tamen limitatur in Clericis habentibus tantùm jus ad rem per electionem, postulationem, aut litteras Papales de promovendo: qui enim habent tantùm jus ad rem: seu beneficium possunt illud resignare simpliciter, & absolutè, non verò in favorem alterius, ut notat Parisius *lib. 2. q. 23. n. 2.* quia cuilibet regulariter concessum est cedere jure suo, seu renuntiare juri sibi competenti: non tamen potest quis renuntiare beneficio, ut detur alteri, quia nondum acquisivit jus in re, seu canonicum titulum: quamobrem Clerici electi, præsentati, nominati ad aliquod beneficium, vel habentes gratiam expectativam impetratam à Papa ad beneficium proximè vacaturum in aliqua ecclesia, & alii habentes tantùm jus ad rem, seu ad beneficia, possunt quidem renuntiare juri ad rem, non tamen ut illud transferant in alium; quia solùm dimittunt beneficium sibi conferendum, seu obtinendum, non verò collatum, seu obtentum: proinde non est necessè, ut renuntiatio fiat in manibus superioris, ut notat Glossa in *c. si electio 26. V. renunt. de elect. in 6.* Aliqui etiam limitant assertum in resignatione beneficii litigiosi, & dicunt, posse Clericum beneficiatum huic renuntiare absque superioris authoritate, & consensu, etiam post factam ejus collationem: quando lis est dubia, ut docent Antonius de Butrio *c. quod in dubiis n. 4. h. t.* Garcias de *benefic. p. 11. c. 3. n. 249.* & nituntur, quia tunc cessat præjudicium ecclesiæ, & superioris, cum nondum constet, litigantem habere, jus in [illegible] & exitus litis anceps adhuc, & incertus sit. P[illegible]a, quia renuntiatio, per quam receditur à lite est favorabilis, ac faciliùs admittenda. 9

Verùm contraria sententia mihi videtur probabilior, quam docent Pirhing. *h. t. n. 58.* Layman. in *c. admonet. 4. h. t. n. 2.* Abbas *in c. super eo n. 4. de transact.* Reiffenstuel *h. t. §. 1. n. 19.* siquidem hæc limitatio nullo jure ostendi potest, proinde valet regula, quòd resignatio beneficii sine authoritate superioris fieri non debeat. Tum quia persæpe interest, ut Episcopus, & Ordinarius cognoscat causam renuntiationis præsertim in beneficiis curatis, an expediat ecclesiæ, ut ejus beneficiarius renuntiet suo beneficio, nec ne? Rursus pertinet etiam ad Ordinarium cognoscere, an renuntiatio juris ecclesiastici facta sit spontè nullo cogente metu, & sine simoniaca labe: hinc has ob rationes videbatur expedire, ut renuntiatio beneficii firma non esset, priusquam ab Ordinario approbaretur, seu ratificaretur: & Reiffenstuel notat, hanc sententiam ut securiorem in praxi meritò observari. Cæterum renuntiationes canonicatuum, ac simplicium beneficiorum faciliùs admittuntur ab Ordinariis; dummodo beneficiato volenti manere in statu ecclesiastico congruè provisum sit, ut possit se honestè alere. Resignationes verò ecclesiarum parochialium spectata consuetudine Curiæ Romanæ, quam debent alii Ordinarii observare regulariter non recipiuntur; nisi parochus aliquot saltem annis tribus, vel quatuor ecclesiam possederit, eique inservierit, ut notat Garzias *p. 11. de benefic. c. 3. n. 44.* habenda tamen est ratio plebis, ut attendatur, quod illi utile est *arg. c. quidē 12. h. t.*

Quæritur sextò, an quando collatio beneficii pertinet ad Capitulum ecclesiæ Cathedralis, vel ad Præpositum, aut alium inferiorem Episcopo, debeat tunc resignatio beneficii fieri in manibus Episcopi? Respondetur, quòd quamvis jure speciali, & consuetudine legitimè præscripta jus conferendi beneficia pertineat ad inferiorem Episcopo, non propterea inde sequi, ad eundem spectare potestatem accipiendi resignationes, præterquam si jurisdictionem obtineat in beneficiatos, quos propterea possit etiam deponere: quam potestatem quasi Episcopalem habent quidam Prælati exempti: ita docent Petrus Gregorius Tholosanus *de re benefic. c. 31. n. 11.* Innocentius *in c. quod in dubiis* Abbas *ibid. n. 6.* Joannes Ananias ibid. *n. 19. h. t.* ratio desumitur ex eo, quia jura specialia præsertim contra facultates Episcopis communi jure concessas sunt strictæ interpretationis, & non debent extendi ad casum diversum: beneficia autem conferre, & Beneficiorum resignationes accipere sunt diversa jura, quæ frequenter non copulantur in una, eadémque persona, sed ad diversas pertinent, ut notat Tholosanus *loc. cit.* unde ex eo, quòd speciali jure collatio beneficii dicatur spectare ad Clericum inferiorem Episcopo, inde non sequitur, quòd ad eundem etiam pertineat accipere eorundem bene-

beneficiorum resignationis, quia potest uni competere jus conferendi, quin eidem conveniat jus accipiendi ejusdem beneficii resignationem. Cæterùm quia persæpe contingit, ut hæc duo jura etiam in inferioribus collatoribus copulentur, adeò ut sicut possunt beneficia conferre, ita eorundem resignationes accipere, inferior Episcopo potest hujusmodi renuntiationes accipere ut docent Hostiensis in *sum.h.t.* *§. cui sit renuntiatio.* Sylvester *V. renuntiatio q. 3.* & alii asserentes, beneficiorum resignationes esse tunc coram eo faciendas, à quo beneficia accepta fuerunt; non quòd ita secundùm canonum præscripta fieri necesse sit: sed quia consuetudo invaluit, ut ita fieret; seu ut iidem, ad quos jure Ordinario pertinet beneficia conferre, ad eosdem etiam spectet resignationes accipere. Id tamen procedit de beneficiis simplicibus, ut de canonicatibus, quos Capitulum independenter ab Episcopo confert, & consuevit etiam eorundem resignationes accipere: siquidem de beneficiis curatis, quorum provisio consequenter etiam destitutio, seu renuntiatio, & dimissio non debet fieri sine examine, & consensu Episcopi, alia est ratio; hæc enim beneficia non resignantur, nisi in manibus Episcopi ex ejus consensu.

11 Quæritur septimò, an Episcopi, & alii inferiores Clerici beneficiarii possint liberè suis renuntiare beneficiis causâ ingrediendi religionem approbatam? Respondetur Episcopos etiam spe melioris vitæ non posse suos Episcopatus dimittere, & ad religionem transire sine consensu summi Pontificis, idque desumitur ex *c. nisi cum pridem 10. h. t.* ubi Archiepiscopus Calaridanus instanter petiit ab Innocentio III. licentiam renuntiandi Archiepiscopatui, ut sepositis curis suæ ecclesiæ vitæ tranquilliori in solitudine vacare posset, cui tamen respondit Innocentius III. non debere se Jeremiâ sanctiorem existimare, qui tametsi ob humilitatem recusaverit prædicationis officium *Jeremiæ c. 1.* nihilominus jubente Deo suscepit tale munus, quòd etiam studiosè implevit: deinde concludit, quòd sicut vera humilitas hominem adigit, ut honores non quærat, sed prout ipsi concessum est, fugiat: ita etiam persuadet ut oblatos per obedientiam susferat, & se pertinaciter liberare non intendat. Ex quo textu liquet, non esse causam sufficientem dimittendi Epicopatum, ut possit quis melius vacare propriæ saluti in statu Monachali, ut docet D. Thomas *in 2. 2. q. 185. ad 1.* Ratio itidem ex eo petitur, quia cùm Episcopus per voluntariam susceptionem Episcopatûs obligaverit se suæ sponsæ, seu suæ ecclesiæ, cui spiritualiter nupsit, & ad subditorum salutem procurandam; meliùs est, ut in illo statu perseveret, quamdiu ecclesiæ, cui spiritualiter nupsit, utilis esse potest: alioquin cessante utilitate, si meliùs potest ecclesiæ provideri, & utiliùs populo; potest Episcopus ex consensu Pontificis transire ad statum Monachalem: alioquin ut docet Valentia *tom. 3. disput. 10. q. 3. p. 4.* irrita est professio emissa ab Episcopo in religione approbata ex nulla alia causa nisi ut privatis comodis vacet in religione. Verùm nisi hæc sententia præsupponat, Episcopum sine consensu Papæ emisisse talem professionem non videtur veritati consona: quia ex consensu summi Pontificis professio illa emissa ab Episcopo est valida: tametsi Pontifex non bene agat, si sine justa causa, & tantùm ut consulat commodo Episcopi, eidem concedat licentiam transeundi ad statum monachalem. Sententia igitur Valentiæ procedit in casu, quo Episcopus abdicato Episcopatu absque licentia Papæ religionem profiteatur, quia Deus non acceptat talem professionem, si ecclesia eidem repugnet. Quòd verò ad inferiores Beneficiarios attinet, quia isti non tam arcto vinculo spiritualis conjugii sunt alligantur ecclesiis, & beneficiis possunt liberè ad religionem approbatam transire, dummodo priùs petierint licentiam à suo Ordinario, quamvis eâ non obtentâ: quia jura dant hujusmodi Clericis beneficiariis hanc potestatem transeundi ad religionem, tametsi Episcopus neget *can. cum duo sunt 19. q. 2. c. licèt 10. de Regular.* Immo Innocentius *in d. c. licèt* docet, non teneri Clericum beneficiarium religionem ingressurum licentiam petere à suo Ordinario, quia Clericis datur libera facultas ingrediendi religionem in *d. can. duo sunt 19. q. 2.* ubi nulla fit mentio de licentia necessariò petenda ab Episcopo: & hæc necessitas petendi talem licentiâ nullibi in jure reperitur. Tum quia in *c. licet 18. de Regul.* ideo requiritur in Religiosis, ut petant licentiam à suis superioribus transeundi ad arctiorem religionem, quia isti in religione, in qua sunt, emiserunt votum obedientiæ: proinde tenentur licentiam petere à suis superioribus, ne bonum obedientiæ contemnere videantur, ut habetur in textu *c. licèt 18. de Regu.* Hæc autem ratio cessat in Clerico sæculari, qui non vovit obedientiam instar Religiosorum. Consultiùs tamen semper est, ut Clerici beneficiarii volentes ad religionem Regularium transire licentiam petant à suo Ordinario, cui similiter supplicent, ut pro tempore Novitiatûs concedat eis Vicarium pro administrando beneficio, quia ex Clandestino discessu ecclesia dimissa damnum pateretur, cui Ordinarius posset opportunè providere.

Quæritur octavò, an Clerici beneficiarii volentes religionem ingredi possint resignare sua beneficia in favorem alterius durante anno probationis? Respondetur, spectato jure communi antiquo posse sua beneficia resignare in favorem alterius durante anno Novitiatûs, ut communiter docent Canonistæ præsertim Parisius *lib. 3. q. 13. num. 6.* ratio desumitur ex eo, quia beneficium Clerici cupientis religionem regularem profiteri intra annum probationis, non est alicui conferendum, nisi ex illius consensu *c. beneficium 4.* & ibi Glossa *V. assensus de Regul. in 6.* proinde potest Novitius assentiri, ut suum beneficium alteri conferatur, proinde potest etiam eidem renuntiare, quia cum Novitius nondum emiserit votum obedientiæ adhuc habet proprium velle, & nolle, 12

& ejus

& ejus voluntas nondum est plenè subjecta Prælato, sine cujus consensu potest propterea eidem beneficio renuntiare. Jure tamen novo in Concilio Tridentino *sess. 25. c. 16. de Regularib.* statuitur, ut nulla resignatio, aut obligatio antea facta etiam cum juramento, & in favorem cujuscunque causæ piæ valeat, nisi cum licentia Episcopi, vel ejus Vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem: & non aliter renuntiatio sortitur suum effectum, nisi secuta professione: verba Concilii sunt: *Nulla quoque renuntiatio, aut obligatio antea facta etiam cum juramento, vel in favorem cujuscunque causæ pia valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii, fiat intra duos menses proximos ante professionem, & non aliàs intelligatur effectum suum sortiri nisi secuta professione: aliter verò facta etiamsi cum hujus favoris expressa renuntiatione etiam jurata, sit irrita, & nullius effectus*, & quia decretum Concilii loquitur generatim, non solùm comprehendit renuntiationem bonorum, sed etiam beneficiorum ecclesiasticorum. Idque ideo statutum est, ne temerè quis renuntiet, quamdiu in probatione versatur: & postea si fortassis non admittatur ad professionem, vel ipse nolit illam emittere, remaneat privatus beneficio, & statu religionis. Hinc neque Episcopus potest conferre beneficia resignata à Novitiis, nisi post emissam professionem, ex declaratione sacræ Congregationis Concilii.

13 Cæterum emissa semel professione etiam à Clericis curatis sine speciali licentia Papæ ipso facto inducitur tacita renuntiatio beneficiorum, quæ obtinuit, qui professionem emisit. Verùm decretum Concilii non habere locum in renuntiatione beneficiorum ecclesiasticorum docent Garcias *p. 11. de benefic. c. 9. n. 37.* Barbosa *de offic. Epis. alleg. 99. n. 19.* Riccius *p. 3. in prax. renuntiation. resol. 353.* & alii, qui nituntur ea ratione, quia à jure antiquo non est recedendum, nisi aliud jure novo sit expressum: & quia jure antiquo permissum est Novitio resignare beneficia intra annum probationis *c. beneficium 4. de regul. jur. in 6.* & in decreto Concilii Tridentini contrarium non exprimatur, & Concilium intelligatur de renuntiatione bonorum temporalium: ideo decretum non videtur loqui de renuntiatione beneficiorũ. Nihilominus adhærendum puto contrariæ sententiæ, ut communiori, & tutiori, quia Concilium loquitur generaliter, & absque ulla restrictione: unde ratio principalis dispositionis Concilii comprehendit etiam renuntiationes beneficiorum. Non tamen decretum comprehendit illas renuntiationes beneficiorum, quæ fiunt ante susceptionem habitûs religiosi, seu ante ingressum in Novitiatum, licèt fiant intuitu talis ingressus, ut docent Garcias *p. 11. de benefic. c. 9. n. 15.* ubi allegat plures declarationes sacræ Congregationis Concilii Tridentin. Barbosa *p. 3. de offic. & potest. Episc. allegat. 99. n. 19.* Parisius de *resig. benef. lib. 3. q. 13. n. 1.* Idque esse absolutè tenendum de quocunque renuntiatione, & donatione facta ante ingressum religionis, asserit Fagnanus in *c. statuimus n. 42. de Regularib.* Ratio horum omnium est, quia decretum Concilii Tridentini *sess. 25. c. 16. de Regul.* tantùm loquitur de Novitiis regularibus, & monialibus, ut liquet ex contextu, & rubrica: Novitius autem non est, neque dicitur, qui nondum re ipsa habitum suscepit regularem, ut ait idem Concilium *c. 15. de regul.* unde sicut de jure antiquo poterat quis renuntiare suo beneficio etiam intuitu ingressûs in religionem *c. beneficio de Regul. in 6.* ita etiam hodie; cum Concilium Tridentinum nil exprimat in contrarium, imò id sæpius fuisse à sacra Congregatione Concilii declaratum, testetur Fagnanus in *d. c. statuimus n. 47. de regul.*

14 Quæritur nonò, an Clerici criminosi, qui ob crimen, licèt non sint ipso jure privati suis beneficiis, sunt tamen per sententiam condemnatoriam Judicis privandi, possint ante latam sententiam condemnatoriam, & post patratum crimen resignare sua beneficia in favorem alterius? Respondetur cum communi sententia affirmativè, quia Clericus criminosus quamdiu possidet suum beneficium potest illud resignare in favorem tertii: & Clericus criminosus etiam post patratum crimen ante sententiam condemnatoriam Judicis, verè possidet suum beneficiũ, proinde potest illud resignare etiam in favorem tertii. Verum tamen est quòd hujusmodi renuntiatio potest postea per sententiam Judicis rescindi: ut notant Rebuffus in *prax. benefic. tit. de modis amittendi benefic. n. 51.* Garcias *de benefic. p. 11. c. 3. n. 64.* estque sententia communior, quæ ad praxim deducitur, ut notat Parisius *lib. 3. q. 16. n. 1.* quinimò *n. 17.* asserit, posse Clericum criminosum etiam post latam sententiam si ab ipsa appellavit renuntiare beneficio: quia appellatio suspendit jurisdictionem & sententiã Judicis à quo fuit appellatum, proinde appellatione pendente nil est innovandum, ut notat Rebuffus *in prax. benefic. tit. de mod. amitt. benefic. n. 52.* Quòd verò Clerici criminosi ante sententiam condemnatoriam non tantùm purè, & simpliciter possint sua beneficia resignare, verùm etiam in favorem alterius ex eo evincitur, quia regulariter est cuilibet concessum, ut possit proprium beneficium resignare etiam in favorem alterius, & hac potestate non est quis privatus ob patratum delictum ante sententiam condemnatoriam Judicis, quia ante hanc non est privatus ipso jure suo beneficio.

15 Quòd si dicas, per hanc resignationem fieri præjudicium Ordinario, qui non potest illud postea liberè conferre. Respondetur, id per accidens contingere, quia resignans utitur jure suo, ut notat Pirhing *h. t. n. 27.* debet tamen mentio fieri criminis, & accusationis, ut etiam inquisitionis institutæ contra criminosum, alioquin renuntiatio nullius foret valoris, ut notat Parisius *lib. 3. q. 16. n. 25.* qui etiam *n. 10.* addit, criminosum ante sententiam condemnatoriam pendente accusatione posse suum beneficium resignare etiam ex causa permutationis, id tamen limitat Garcias *p. 11. de benefic. c. 3. n. 69.* nisi obstet infamia orta ex accusatione apud probos, & graves viros, ne possit ad aliud bene-

beneficium promoveri, proinde nec permutare suum cum alio: limitatur etiam nisi ob delictum commissum jure esset inhabilis ad beneficia obtinenda: imò Parisius *loc. cit. q. 13. n. 43. & sequent.* addit, Clericos criminosos, antequam per sententiam Judicis priventur beneficiis, posse illa resignare, non solùm per se, sed etiam per Procuratores, quos possunt instituere ad resignandum, non solùm coram Papa, sed etiam Ordinario: id verò non procedit de renunciatione facta à criminoso in favorem alterius post inchoatum judicium, & receptos testes, & conclusionem causæ; adeò ut nil ampliùs supersit, nisi ut feratur sententia, quia tunc talis renuntiatio censetur esse dolosa: quidquid in contrarium dicat Garcia *loc. cit. c. 3. n. 89.*

16 Quæritur decimò, an qui renuntiavit suo beneficio, possit pœnitere, ac petere, ut sibi restituatur resignatum beneficium? Respondetur, non esse ampliùs locũ pœnitentiæ, si renuntiatio fuit absoluta, & à superiore admissa: quinimò, si resignans adhuc possideat beneficiũ, potest vel invitus compelli ad dimittendam possessionem beneficii, idque desumitur ex *c. quidam 12. h. t.* ubi habetur, quòd qui licentiam cedendi beneficio à superiore petierunt, ea obtenta compelluntur cedere; quia cùm in petitione causam cedendi habuerint, vel etiam proposuerint, scilicet ecclesiæ bonum, aut ipsorum salutem: tametsi postea, vel suasionibus aliorum quærentium, quæ sua sunt, vel propria levitate revocare velint, audiendi non sunt. Ex quo textu liquet, duas potissimùm esse causas renuntiationis, commodum scilicet ecclesiæ, cui quis ut par est, præesse non potest; vel salus propria renuntiantis, ut si velit religionem approbatam ingredi, vel in loco beneficii periculum patiatur animæ: alioquin semel facta, & admissa à superiore renuntiatione beneficii non datur ampliùs locus pœnitentiæ: idque ne Papa, vel alius superior illudatur, ut contingeret, si resignans post factam, & admissam renuntiationem posset liberè redire ad beneficium resignatum: hinc qui cedendi licentiam petivit, compellitur postea cedere. Posset tamen in contrarium obiici *l. 5. ff. de cessione bonor.* ibi Quem pœnitet bonis cessisse, potest defendendo se consequi, ne bona eius veneant. Sed contra, quia Canonistæ præsertim Innocentius, Ananias, Butrius in *c. quidam 12. h. t.* respondent, esse discrimen inter cessionem bonorum, & renuntiationem beneficii. Primò quia renuntiatio beneficii fit necessariò coram superiore, cui illuderetur, si daretur locus pœnitentiæ: secus cessio bonorum non fit necessariò coram superiore, imò potest etiam fieri extra judicium. Secundò quia beneficiatus non est absolutè Dominus beneficii; quia hoc ad ecclesiam pertinet *argum. c. 2. de donat.* Secus qui cedit propriis bonis est eorundem Dominus, & quia agitur de majore ejus præjudicio faciliùs ei succurritur. Tertiò quia ad bonorum cessionem plerumque ipsa necessitas compellit: ad renuntiandum verò beneficio, nemo solet adigi; proinde non debet dari locus pœnitentiæ. Tum quia, qui hæreditatem extranei repudiavit, per pœnitentiam nequit ampliùs resilire *l. 4. c. de repudiand. hæredit.* Notandum est, quòd juxta stylum Curiæ Romanæ requiritur consensus expressus renuntiandi ab ipso renuntiante, si præsens sit: vel si absens à procuratore ipsius præstitus in Cancellaria, & Camera Apostolica.

Cæterum qui renuntiavit beneficio potest ex novo titulo postea superveniente ad idem redire, ut si iterum ad illud eligatur, vel præsentetur *c. cum inter 2. h. t.* ubi statuitur, eum qui renuntiat beneficio etiam addito juramento illud non repetendi, si deinde authoritate Papæ eligatur à majore parte, posse beneficium retinere non obstante juramento, quia juramentum renuntiandi juri suo interpretari debet secundùm rei statum, & causam tunc subsistentem, non verò si alia nova causa superveniat *argum. c. veniens 16. c. quemadmodum 25. de jurejur.* quia cùm juramentum sit strictæ interpretationis *l. quidquid. ff. de V. O.* extendi non debet ad futura, quæ plerumque incognita sunt; quæ propterea non censentur comprehensa sub intentione jurantis. Qui verò semel renuntiavit beneficio, si iterum ad illud admittatur ultimum debet locum occupare, quia per præviam renuntiationem amisit omne jus in beneficio; consequenter etiam prærogativam præcedentiæ, ut notat Parisius *lib. 1. q. 14. n. 25.* post Rotam in una Paduana optionis coram Accorambono 29. Novemb. 1557. 17

Quæritur undecimò, an Clerici intrusi, & alii, qui ad secundum beneficium cum priore incompatibile promoti sunt, possint suis beneficiis resignare. Clerici intrusi dicuntur, qui non per canonicam electionem, sed per violentiam occupant officia, & beneficia ecclesiastica, ad quæ nullum habent canonicum titulum? Respondetur, clericos intrusos non posse renuntiare suis beneficiis. Ratio est, quia renuntiatio propriè est dimissio proprii beneficii, & supponit essentialiter possessionem beneficii in illo, qui eidem renuntiat, nemo enim potest dimittere, quod non habet: atqui intrusi ad beneficia ecclesiastica non possident beneficia; quia per intrusionem nullum acquirunt jus ad beneficia: consequenter non possunt eis renuntiare: immo id etiam procedit quamvis diu pacificè talia beneficia possederint, quia longa beneficii detentio non justificat titulum, aliàs ex se invalidum, proinde intrusi beneficio diuturnæ illius possessionis nullum jus acquirunt ad talia beneficia *c. dilecto 25. de præbend.* Quòd nec etiam promoti ad secundum beneficium incompatibile cum priore possint primo renuntiare ex eo claret, quia per adeptionem secundi beneficii ipso jure vacat primum *c. de multa 28. de præbend.* & statuitur in Concilio Tridentino *sess. 7. c. 4. de refor.* imò neque Clerici mente capti, & furiosi possunt beneficiis renuntiare, nec permutare, ut docent communiter Canonistæ apud Parisium *lib. 3. de resignat. benefic. q. 8. n. 1.* quia cùm careant judicio rationis, non possunt actus verè humanos exercere, proinde neque renuntiare, & si renuntient, renuntiatio est nulla, & si redierint ad sanitatem possunt repetere beneficia resignata in statu furoris, vel amentiæ. Sin verò ha- 18

habeant licida intervalla renuntiatio facta tali tempore est valida, quia tunc possunt exercere actus verè humanos, & cessat impedimentum furoris, & amentiæ.

19 Quæritur duodecimò, an renuntians beneficio in manibus Clerici non habentis potestatem admittendi renuntiationem possit pœnitere, & petere restitui in suo beneficio? Respondetur cum distinctione, si res adhuc integra sit, seu renuntiatio nondum fuit admissa à legitimo superiore, & antequam hic suam authoritatem imposuit, potest pœnitere, & renuntiationem revocare, quia hæc non est suum effectum omnino consecuta *argum. l. is qui 3. & l. quem pœnitet. ff. de cess. bonor.* Tum quia talis renuntiatio in manibus Clerici non habentis potestatem admittendi renuntiationem non est valida, nec privat renuntiantem suo beneficio, dummodo res adhuc sit integra, & antequam legitimus superior suam interposuit authoritatem, proinde potest pœnitere, & revocare renuntiationem: ut docet Tholosanus *in instit. rei benefic c. 31. n. 11.* sin verò renuntiatio facta sit coram laico, potest tunc renuntians à superiore privari beneficio, quamvis pœnitentia ductus renuntiationem postea revocaverit; idque in pœnam delicti, quia sine consensu superioris voluerit renuntiare *c. quod in dubiis 8. h. t.* ubi renuntiatio beneficii facta in manibus laici declaratur irrita, & renuntians est spoliandus beneficio; quod tamen procedit, si Clericus sponte renuntiavit beneficio in manibus laici, quia si ob metum resignavit, succurritur illi, ut possit beneficiū retinere *c. ad audientiā 4. de his quæ vi.* Rursus Clericus sponte renuntians in manibus laici non dicitur privatus suo beneficio ipso jure, sed ut sit privandus per sententiam Judicis, ut rectè notat Butrius in *d. c. quod in dubiis 8. n. 8. h. t.* ratio est, quia si ipso jure privatus esset beneficio, tunc videretur renuntiatio in manibus laici facta aliquem consecuta esse effectum, quod inconveniens reputari debet.

20 Quæritur tertio decimò, an beneficium reservatum Papæ possit resignari? Respondetur beneficium, cujus collatio ad solum Romanum Pontificem pertinet, posse quidem simpliciter dimitti etiam coram Ordinario loci, dummodo hic illud alteri non conferat: non tamen sine consensu Papæ posse alteri renuntiare, sive ex causâ permutationis sive in gratiam, & favorem tertii, idque non obstantibus quibuscunq; facultatibus, & licentiis resignandi talia beneficia, quia Innocentius IV. in sua constitutione *Sicut bonus Pastor*, has omnes licentias, & facultates revocavit, ratio etiam ex eo petitur: quia si talis resignatio causâ permutationis fieret coram Ordinario loci, & non coram Papa directè præjudicaret reservationi, quâ collatio talium beneficiorum pertinet ad solum Romanum Pontificem. Hinc beneficiū juris patronatûs, quamvis simpliciter possit dimitti in manibus superioris, non tamen ex causa permutationis, nec in favorem tertii potest resignari sine consensu Patroni *arg. can. Monasterium 16. q. 7.* eadem ratione beneficium electivum nequit in favorem alterius renuntiari inconsultis, & non consentientibus illis, qui jus habent eligendi, ut docet Glossa in *c. unic. de rer. permut. in 6.* ratio est, quia id pertinet ad interesse Patroni, & habentium jus eligendi, ne fortassis in beneficio aliquis instituatur ipsis infensus, ut notat Garcias *p. 11. de benefic. c. 4. n. 72.*

21 Cæterum renuntiatio causâ permutationis, vel in favorē tertii inconsultis Patronis, vel habentibus jus eligendi facta, non est ipso jure irrita, sed est irritanda ad eorundem contradictionem: quinimò si eorum consensus post resignationem supervenia hæc acquirit suum valorem. Notandum est; in Curia Romana non admitti indistinctè resignationes ecclesiarum parochialium, & aliorum beneficiorum requirentium personalem residentiam, quia juxta stylum Datariæ, qui incœpit tempore Gregorii XIV. vel motu proprio, vel vivæ vocis oraculo ad Datarium, ut censet Pyrrhus Corradus in *prax. benefic. lib. 5. c. 1. n. 24.* in supplicatione Pontifici porrectâ debet exprimi tempus, quo resignans tale curatum beneficium possedit, quia si fuerit breve, resignatio rejicitur, ut notat idem Corradus. 22

Quæritur quartodecimò, an renuntiatio, quam vocant triangularem, possit admitti ab Ordinariis Papā inferioribus? Respondetur negativè. Notandum est, renuntiationē triangularem beneficiorum eam esse, quæ fit inter Clericos beneficiarios, ut si Petrus renuntiet suo beneficio in favorem Pauli, & hic suo in favorem Joannis, & iste iterum suo in favorem Petri, quia potest contingere, ut beneficium Petri sit commodius Paulo, & benificium Pauli commodius Joanni ut etiam beneficiū Joannis commodius Petro. Hæ igitur renuntiationes tamquā simoniacæ prohibentur in jure canonico: proinde tantùm possunt fieri coram Papa, quia cùm non contineant nisi simoniam juris humani, potest hæc à Papa tolli.

Quæritur quintodecimò, quo jure renuntiatio beneficii facta in favorem alterius sit simoniaca? 23 Respondetur, quòd si renuntiatio fiat cū clausula *non aliter: nec aliàs*, seu sub conditione, ut beneficium resignatum conferatur Petro, & non aliter, nec alio modo, censeatur esse facta resignatio, tunc continet quidem simoniam, sed non contra jus divinum, & naturale, ut docent Suarez *l. 4. de simonia. c. 35. n. 7.* Covarruvias *l. 1. var. resol. c. 5. n. 5.* quia renuntians cum tali clausula non dat spirituale pro aliquo temporale: imò nec pro ulla alia re, sed omnino gratis resignat, licèt uni tantùm certæ personæ, quæ si aliàs digna sit, & magis possit ecclesiæ prodesse, talis resignatio per se est bona, præscindendo à jure positivo humano eam prohibente. Tum quia si talis renuntiatio esset prohibita jure divino, non posset à Papa admitti. Quamobrē est tantùm simoniaca jure ecclesiastico, si fiat corā Ordinario inferiore Papâ, quia renuntiationes absolutè, & simpliciter fieri debent sine omni pactione, vel conditione adjecta. Difficulter tamen ex sacris canonibus renuntiatio in alterius favorem facta potest continere simoniam prohibitam jure communi positivo: quia nulla intervenit pactio, quæ ad omnem simoniam etiam contra jus positivum requiritur, non enim initur pactio cum eo, in cujus gratiam fit resignatio, nec cum Episcopo, nec cum alio superiore admittente resignationem, quia renuntians tantùm petit ab eo, ut admittat suam renuntiationem.

Ti-

TITULUS X.

De Supplenda negligentia Prælatorum.

EXplicatis modis, quibus Prælati aſſumuntur ad dignitates eccleſiaſticas, quia perſæpe contingit, ut promoti in iisdem Prælaturis nonniſi perfunctoriè, ac negligenter ſe gerant: & iniquum eſt, quorundam negligentiam, vel moratoriam cunctationem damno eſſe cæteris: ideo ad hæc impedienda incommoda neceſſe eſt, ut quisque Prælatorum eccleſiaſticorum prout majori, & honoratiori loco conſtitutus eſt, ſuppleat, vel corrigat talem incuriam *c. 7. inf. de offic. jud. ordin.* adeò ut quod negligitur ſuppleatur & quòd amittitur, vel omittitur reſtauretur. Et quia non ſolùm per renunciationem beneficium amittitur, ſed etiam ob nimiam remiſſionem *c. inter corporalia de translat. Epiſcop.* ideo poſtquam Pontifex egiſſet de renunciatione ſubjicit hunc titulum, qui eſt de ſupplenda negligentia Prælatorum.

SUMMARIUM EXEGETICUM

Omnium Capitum, quæ in hoc Titulo continentur.

C. *STATUIMUS 1. h. t. ALEXANDER III. declarat, quòd ſi Diœceſanus tertiò admonitus nolit Abbates confirmatos benedicere, poſſint iſti ſuos Monachos benedicere & alia ſui officii exercere, donec Epiſcopus non recuſet eos benedicere. Idque conceſſit Pontifex, ut notat Gloſſa in odium Epiſcoporum negligentium, & ne ob hanc negligentiam monaſteria in ſpiritualibus patiantur detrimentum.*

C. *SICUT 2. h. t. declarat CLEMENS III. quòd Regulares habentes jus patronatûs in eccleſiis non poſſint eas in proprios uſus convertere, nec deputare Vicarios, aut illos pro libitu inſtituere, aut deponere; ſed debeant, niſi eccleſiæ exemptæ fuerint intra ſemeſtre aſſignatum à Concilio Lateranenſi præſentare Epiſcopo perſonas idoneas pro eccleſiis vacantibus, alioquin excluſâ appellatione debeat Epiſcopus providere de idoneo Rectore pro illa vice; adeò ut elapſo ſemeſtri aſſignato ad præſentandum Epiſcopus ſine ulla admonitione poſſit idoneum inſtituere.*

C. *LICET 3. h. t. INNOCENTIUS III. ſtatuit, quòd ſi Prælatus negligens ſit in ferendis beneficiis tranſacto ſemeſtri, quòd incipit à die notitiæ, & non vacationis, Superior debeat illa conferre; quòd ſi Prælatus non habeat ſuperiorem, collatio intelligitur devoluta ad Papam. Notandum, quòd cum ſemeſtre incipiat à die notitiæ, & non vacationis, non currit ignoranti.*

C. *LITTERAS 4. h. t. Declarat idem Pontifex, quòd ſi is, ad quem pertinet conferre beneficium illud conferat poſt tranſactum tempus Concilii Lateranenſis, ſeu ſemeſtre, collatio ſit nulla, niſi miſericorditer in perſona idonea toleretur. Quia collatio, quæ de ſe non tenet, de patientia ſuperioris ſuſtinetur, ut notat Gloſſa.*

C. *DILECTO 5. h. t. Idem Pont. reſcribit, quòd qui tenetur eligere, ſi infra ſex menſes, non eligit, electio devolvitur ad Superiorem nullo ſuffragante appellationis obſtaculo.*

IN SEXTO.

C. *ROMANA 1. h. t. Declarat INNOCENTIUS IV. quòd ſi Epiſcopus ob aliquam culpam fuerit excommunicatus, ejus jurisdictio non devolvitur ad Archiepiſcopum, ſed Epiſcopum eſſe puniendum aliâ pœnâ. Concordat textus cum* c. quia diverſitatem de conceſſ. præbend. *ubi dicitur, quòd Epiſcopo excommunicato Archiepiſcopus, vel capitulum non poſſit, conferre beneficia, ſed eorum collatio pertineat ad ſolum Epiſcopum; quia devolutio non fit ad Metropolitanum, niſi negligente Epiſcopo per ſex menſes: unde debet Metropolitanus expectare, donec Epiſcopus abſolutionem conſequatur, niſi eſſet negligens in petenda abſolutione, quia tunc ſemeſtre curreret à tempore negligentiæ.*

C. *GRANDI 2. h. t. Idem Pont. declarat, quòd ſi qui regit, eſt negligens, & remiſſus in gubernando, Superior debeat eidem dare idoneum Coadjutorem: cujus tamen officium, ut notat Gloſſa hic, expirat morte illius, cui adjutor datur, & tunc poteſtas pertinet ad Capitulum.*

C. *SI EPISCOPUS 3. h. t. Declarat BONIFACIUS VIII. quòd ſi Epiſcopus à Paganis, vel Schiſmaticis capiatur, non Archiepiſcopus, ſed Capitulum, perinde ac ſi ſedes per mortem vacaret miniſtrare debeat in ſpiritualibus, & temporalibus, donec Epiſcopus libertati reſtituta.*

vel conferendum, conceditur facultas purgandi negligentiam, ut notat Glossa *fin. in relat. c. licet.* Siquidem Canon latæ sententiæ, qualis est hic privationis, & devolutionis, habet in se executionem, ut omnia declarentur invalida, quæ contra talem Canonem acta fuerunt, licèt ex misericordia, nonnunquam toleretur negligentia.

4 Quamvis Collator ordinarius beneficiorum ob negligentiam privetur jure pro illa vice conferendi talia beneficia, & regulariter illud devolvatur ad immediatum superiorem: nihilominus, si ad Episcopum jure proprio collatio beneficii pertineat, & is in conferendo beneficio ultra tempus à jure concessum sit negligens; devolvitur ejusdem beneficii collatio ad Capitulum Cathedrale, tametsi hoc non sit superius Episcopo, sed inferius; idq; ob comunicationem inter Episcopum, & Capitulum, tanquam caput & membra ejusdem corporis, ut meritò defectus unius suppleatur per alterum, ut colligitur *ex d. c. 2. de concess. prabend.* idque tamen intelligitur, quando etiam ad Capitulum potest spectare collatio beneficii; adeò, ut hæc collatio pertineat conjunctim ad Episcopum, & Capitulum; tunc enim, si monitus Episcopus de tempore collationis faciendæ ipse negligat conferre beneficium, moramque inutilem trahat, negligentiam Episcopi supplet Capitulum: Quòd si etiam illud fuerit negligens in collatione ejusdem beneficii, devolutio fit ad imediatum superiorem, ut etiam, si Episcopus sit negligens circa beneficia jure devolutionis ad ejus collationem pertinentia; ut colligitur *ex c. 2. de concess. praben.*

5 Regulariter negligentia inferiorum Prælatorum suppletur per immediatos superiores, si enim inferiores Prælati, qui contra Episcopum præscripserunt, negligant justitiam administrare; potest Episcopus ejs præfigere terminum, quo elapso ipse procedat *c. irrefragabili §. excessus de for. comp.* Calder. *cons. 192. in princ. v. si Capitulum.* Imò àb inferiori Prælato ex præscriptione appellatur ad Episcopum, Calder. *d. cons. 192. in prin. v. appellatur tamen.* quinimò potest Episcopus perquirere, an institutiones inferiorum in beneficiis factæ sint Canonicæ, & si repererit eos deliquisse, potest annullare institutionem, non ita punire exemptos, Calder. *d. cons. 102. in fin. v. item habebuntur.* quia regulariter devolutio causata ob negligentiam devolvitur ad superiorem; non è contra *c. 1. de suppl. neglig. Prælat. in 6. & c. grandi eod. tit.* in favorem tamen cultus divini, ne Ecclesiæ diu vacent, etiam negligentia Papæ suppleri potest per inferiorem collatorem *c. præsenti de praben. in 6.* meliùs tamen ibi dicitur, quòd relaxetur reservatio elapso mense; non verò, quod suppleatur per modum negligentiæ. Generatim in collatione beneficiorum negligentia inferioris suppletur per imediatè superiorem. Hinc si inferior collator negligit conferre beneficium tempore à jure statuto, collatio devolvitur ad Episcopum *c. licet 3. de supplen. neglig. Prælat.* Si Episcopus negligat, devolvitur ad Metropolitanum *c. 2. de concess. praben.* Si Archiepiscopus negligit devolvitur ad Patriarcham, cui subjicitur, alioquin ad Romanum Pontificem *d. c. licet.* hoc idem etiam dicendum est, si agatur de devolutione jure patronatûs, eò quia patronus in tempore neglexerit præsentare.

6 Controversia tamen non modica est, an jurisdictio contentiosa Episcopi ob causam negligentiæ etiam citra appellationem devolvatur ad Archiepiscopum; adeo, ut omissis appellationibus, earumque solemnitatibus per viam simplicis querelæ, denegatæ, vel protractæ justitiæ is adiri possit. Barbosa de officio Episcopi *p. 3. alleg. 126. n. 6.* asserit, extra casus specialiter in jure expressos, jurisdictionem non devolvi ad Archiepiscopum prætextu cujuscunque negligentiæ citra viam appellationis; eò quia generaliter Archiepiscopus careat jurisdictione in subditos suffraganeorum, nisi eidem expresso jure concedatur, idque etiam liquet ex *c. 1. h. t. in 6.* Alii è contra apud eundem Barbosam *n. 10.* censent, universim ex negligentia Episcopi jurisdictionem ipso jure devolvi ad Archiepiscopum. Sed Gaillus *lib. 1. observat. 28.* exactiùs procedit cum distinctione, vel enim causa coram superiore judice cœpta est, & pendens: vel res adhuc est integra; si dicatur primum, censet, necessariam esse appellationem *argu. c. ex parte 67. de appellat.* ratio est, quià primâ instantiâ semel occupatâ per litis contestationem non fit transitus ad superiorem judicem, nisi per secundam instantiam, seu per appellationem. Sin autem res sit adhuc integra, & judex inferior, seu Episcopus debitè semel, & iterum requisitus justitiam denegaverit, generaliter devolvitur jurisdictio primæ instantiæ ad superiorem, ut etiam per viam simplicis querelæ possit quis ipsũ adire *text. in nov. 17. c. 3.* quia ubi prima instantia ab inferiore denegatur, necessario justitia petenda est à superiore. Hæc distinctio mihi videtur magis rationi consona. Juvat tamen observare discrimen inter denegatam, & protractam justitiam; quia postquam judex inferior verbis, aut factis apertè denegavit justitiam, statim devolvitur causa ad superius tribunal. Postquam verò acceptavit quidem causam, sed protraxit, ac neglexit absolvere, priùs decernuntur à superiore judice promotoriales, in quibus assignatur terminus, & certum tempus inferiori judici pro justitia administranda, & dilapso illo termino, primùm censetur jurisdictio devoluta, ut asserit Gaillus *d. l. n. 7.*

Sententia tamen communior asserit, ex negligentia Episcopi fieri devolutionem ad tribunal imediatè superius: ita censent Glossa in *d. c. 1. in v. culpis.* Hostiens. *in summa in tit. de offic. ordinar. post n. 7.* & alii; quia Rubrica hujus tituli est generalis, & quæ sub ea ponuntur exempla declarantia sunt, non restringentia. Tum quia lex de supplenda negligentia Prælatorum est, ut generatim consulatur utilitati Ecclesiarum, & bono prospiciatur subditorum, ne isti ex negligentia Episcopi detrimentum patiantur, unde negligentia Prælati inferioris supplenda est per immediatè superiorem. 7

8 Dubitare quis posset, an Monarchæ, vel Reges, & alii Principes sæculares supplere possint negligentiam, vel etiam injustitiam judicis Ecclesiastici. Respondetur absolutè negativè, quia negligentia Prælatorum est supplenda per superiores intra eundem ordinem: & quia Principes, & Reges sæculares non sunt superiores in ordine Ecclesiastico, ideo ad ipsos non pertinet supplere negligentiam Prælati, seu Judicis Ecclesiastici: quòd si recurratur ad ipsos, tenentur Principes sæculares remittere causam ad superiores Ecclesiasticos, cùm non sint ipsi capaces supplendi negligentiam Ecclesiasticorum, neque judicandi eorum causas. Tum quia si quæ jura antiqua reperiri possent contraria, jàm sunt omnino abrogata, ut notat Alex. *cons. 8. videtur coll. 2. V. quinimò lib. 1.* quem sequitur Chassan. *in consuet. Burg. fol. 50. pag. 2. v. unde 10.* & cæteris fusiùs Stephanus Auffrer. in *Clement. 1. de offic. Ordinar. n. 67. & sequent.* unde licèt Ecclesiasticus suppleat negligentiam sæcularis: non ita è contra sæcularis supplet negligentiam Ecclesiastici; quia Ecclesiasticus habet jurisdictionem sæcularem habitu, quam potest exercere, si sæcularis negligat: non è contra. Imò, si sæculares secus fecerint anathemate percutiuntur ex Decreto Concilii Toletani *c. inolita 11. q. 1.* & clariùs *in c. si diligenti de for. compet. & in c. noverit de sent. excommunic.* siquidem est de utroque jure Divino, & humano quòd sæcularis subjiciatur Ecclesiastico, & non sit ejus superior, ut habetur *in c. inferior. 21. dist.* ubi adfertur illud Isaiæ *c. 10. nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat cum ea; aut exaltabitur serra contra eum, à quo trahitur.* quasi Deus Principes sæculares instituerit, ut Ministros ad tuendam, & protegendam Ecclesiam, ac jurisdictionem Ecclesiasticam *c. Principes & c. administratores 23. q. 5.*

9 Hoc idem etiam probatur ex SS. Scripturis, etenim cum Saul Rex expectâsset Samuelem Summum Pontificem, ut sacrificaret, sicut conveniens erat, ac decebat Principem sæcularem expectare Ecclesiasticum; & ipse Pontifex horâ statuta non venisset; quia Saul Rex voluit ipse supplere hanc Pontificis negligentiam, ac Sacrificium offerre, audivit statim vocem eum increpantem, quòd stultè egisset; ac propterea Dominus eum repulit, spoliavit diademate, & extorrem ejecit è Regno, ut habetur *lib. 1. Reg. c. 13. n. 8. & sequent.* Idque firmatur *in lib. Num. c. 16.* ubi de Chore, Datan, & Abiron, primatibus fertur, quòd surrexerint contra Moysen, & Aaron cupientes temerario ausu, quæ sacerdotii sunt sibi usurpare, floccique facere, & quòd terra ipsa non passa tantum scelus aperto hiatu eos deglutiverit cum sociis. Hanc Dei punientis manum sacrilegos sæculares, qui rebus Ecclesiasticis se immiscere præsumpserunt, sensit etiam Ozias Rex Juda, qui licèt rectè semper se gesserit; superbiâ tamen elatus ausus fuit incensum Deo offerre in templo, reclamantibus Pontifice, & sacerdotibus, eò quia ad ipsum non pertineret sacro fungi munere, sed quia non obstantibus sacerdotum minis voluit in oblationem thuris perseverare, statim lepra percussus est, ut habetur *in lib. paralip. c. 26.* Rursus Ochozias Rex, quia volens manus opponere ad Eliam misit bis Principem quinquagenariũ cum militibus, ut eum caperet; sed bis flammeo cataclysmo depluit ignis de cœlo, & sacrilegos combusit, ut refertur *lib. 4. Regum c. 1.* Item Achab Rex, quia violenta manu præsumpsit, Micheam Prophetam detinere, eò quia mala pleraque Regi prænuntiaverit, miserè in illo bello per inflictum vulnus occubuit, Regnúmque ab ipso fuit avulsum *lib. Regum 3.* Præ cæteris terrorem incutit in hac materia, quod *lib. 1. Regum c. 15.* legitur: cùm enim Samuel Pontifex jussisset Saulo Regi, ut jussu Dei interficeret Amalech Regem, cunctumque populum, & animalia cruenta clade perderet; obsecutus Saul accessit, captivum habuit Regem, interfecit cæteros, sed vivum servavit Amalech, ut etiam animalia, quæ Deo offerret; cúmque Samuel Pontifex Saulum Regem reprehendisset, quòd jussum DEI non implevisset, contradixit Saul Rex subdens à se servatum fuisse DEI præceptum, eò quia pro holocaustis Domino optima quæque servaverit, ut DEI præceptum suppleret, simulque defectum Principis Ecclesiastici, quasi meliùs esset sacrificare, quàm obedire, cui tamen retorsit Samuel; melior est obedientia, quàm victima. & auscultare magis, quàm offerre adipem arietum, quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Pro eo ergo, quòd abjecisti sermonem Domini abjecit te Dominus, ne sis Rex: & fecit Samuel sibi adducere Agag Regem Amalech; & concidit eum in frustra Samuel coram Domino in Galgalis.

Ex his clarè deprehenditur, esse Principes 10
sæculares à Deo constitutos executores verbi Dei pronuntiati per Prælatos Ecclesiasticos, & quòd non pertineat ad ipsos supplere negligentiàs; vel defectus, aut injustitias Prælatorum Ecclesiasticorũ, nec sub prætextu Divini cultûs. Non enim Principes sæculares præsunt Ecclesiasticis, sed ipsis subjiciuntur, quibus propterea debent obtemperare. Hinc *lib. paralip. 2. c. 23.* Joada Pontifex, & sacerdos præcipit Centurionibus, & Principibus exercitûs Regis, ut Athalia Regina interficiatur cum sacerdotibus Baal, & ipsi obsequentes præcepto Pontificis statim interfecerunt Athaliam, & sacerdotem Baaliam: argumento omnibus id est, quòd sacerdotum jussionibus obtemperandum sit per Principes sæculares.

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones.

Quæritur primò, an Archiepiscopus suppleat impotentiam Episcopi, quando hic 1
est excommunicatus, vel ab hostibus captus, vel in amentiam lapsus, aut alio impedimento diu detentus? Respondetur negativè, quia nullibi in jure id reperitur expressum, idque

idque desumitur ex *c. Romana 1. h. t. in 6.* ubi cum Archiepiscopus Rhemensis suam visitaret Provinciam,&suffraganeos quosdamEpiscopos ob culpas suas excommunicaverit, & postea edictum curaverit per provinciā publicari, ut quādiu Episcopi sordescerent in excommunicatione, eorum subditi Diœcesani liberè adProvinciam Rhemensem pro terminandis suis controversiis accederent. Innocentius IV. id intelligens revocavit edictum, eò quia casus iste excommunicationis Episcoporum non reperiatur inter eos, quibus secundum jura Canonica Archiepiscopo in subditos Episcoporum suffraganeorum jurisdictio competit. Ex quo textu liquet, Archiepiscopum habere jurisdictionem in Episcopos suffraganeos, quatenus iis præcipere potest, quæ ad officium ipsorum pertinent, & ad id posse eos compellere etiam per censuras, ut notat Glossa *in c. de iis 13. dist. 12. v. adstring.* Verùm in subditos Suffraganeorum non posse exercere jurisdictionem, nisi in casibus jure expressis: quorum præcipuus est, si ab Episcopi Sententia ad Archiepiscopum appellatum sit *c. conquestus 8. caus. 9. q. 3.* Tum quia in materia, quæ prohibetur, quod non est concessum, censetur esse prohibitum, *c. inter corporalia de translat. Episcop.* Sed hic procedítur in materia, quæ prohibetur: siquidem juxta Sacros Canones Archiepiscopus non exercet jurisdictionem in subditos suffraganeorum *c. conquestus, & c. nullus primas 7. caus. 9. q. 3.* Tum quia nullibi reperitur in jure expressum, quòd si Episcopus excommunicatus sit ex eo, quòd ipse non possit jurisdictionem exercere, causæ omnes subditorum devolvantur ad Archiepiscopum. Tum quia ipsi daretur occasio excommunicandi faciliùs suos suffraganeos, ut eorum jurisdictio ad ipsum devolveretur, quod vergeret in injuriam Episcoporum, & incommodum subditorum.

2 Quæritur secundò, an si Episcopus sit ab infidelibus captus ejus vices debeant suppleri ab Archiepiscopo? Respondetur, Episcopo ab infidelibus capto, ejus potestatem non devolvi ad Archiepiscopum, qui propterea non potest vices capti Episcopi supplere: sed tunc pertinet ad Capitulum Cathedrale ejusdem Ecclesiæ administrare tam in spiritualibus, quàm temporalibus eam Ecclesiam, ac si vacaret, donec Episcopus libertati restitutus ad suam revertatur Ecclesiam: vel nisi Papa (qui super hoc est statim monendus per Capitulum, & consulendus) aliud statuerit, idque habetur in *c. si Episcopus 3. h. t. in 6.* ubi dicitur, quòd si Episcopus ab infidelibus, vel Schismaticis captus sit, non Archiepiscopus, sed Capitulum, perinde ac si per mortem vacet in spiritualibus, & temporalibus administrare debeat, donec libertati restituatur. Ratio etiam assignatur à Ioanne Monacho, Ancharano, & aliis, quia per captivitatem Episcopus servus effectus est, *argum. l. 5. ff. de captivis.* consequenter jura Episcopalia amisit, quæ tamen postliminio iterum recuperat, si libertati restituatur. Verùm hæc ratio patitur difficultatem, quia Christiani, & à fortiori Episcopi, si capiantur ab infidelibus, vel hæreticis in odium Catholicæ fidei non fiunt eorum servi, neque amittunt sua jura Ecclesiastica, vel civilia: quinimo Episcopi capti ab infidelibus, ex captivitate possunt per Epistolas suis subditis præcipere, & suam administrare Ecclesiam. Unde putârim cum nostro Stephano Quaranta in *sum. Bullar. v. Archiepiscopus n. 22.* Episcopum ab infidelibus captum, perinde se habere, ac Episcopum dissitum à suaDiœcesi, nullo in eadem constituto Vicario, ut si Episcopus in partes remotissimas abiret: tunc enim ad Capitulum pertinet pro interim Ecclesiam administrare, quia Capitulum jurisdictionem exercet in defectum Episcopi.

Quæritur tertiò, quid juris, si ob negligentiam privati jure eligendi, vel conferendi beneficia, nihilominus eligant, vel beneficia conferant? Respondetur, tunc electionem, vel collationem esse irritam: vel saltem per sententiam Iudicis posse declarari irritam. Censet tamen Pirhing. *h. t. n. 5.* probabile, quòd si interim nemo se opponat, possit electus, vel institutus tuta conscientia retinere beneficium sibi post tempus legitimum collatum, eò quia talis electio, vel collatio spectato jure naturali sit valida ante sententiam declaratoriam Judicis. Idque desumitur *ex cap. litteras 4. h. t.* ubi habetur, quòd privati jure eligendi, aut conferendi ob negligentiam, elapso trimestri, aut semestri nemine se opponente, possint nihilominus eligere, & beneficia conferre, & id possit tolerari: quia multa per patientiam tolerantur, quæ si deducta essent in judicium, exigente justitia non tolerarentur *c. jam dudum 18. de præbend.* dummodo sine Ecclesiæ, seu boni publici detrimento possit tolerari: alioquin posset Superior ex officio etiam nemine petente procedere. Verùm quod dicitur de collatione beneficii ab inferiore facta, quòd sit irrita, vel saltem possit declarari irrita, limitandum est; nisi Archiepiscopus, ad quem ab Episcopo potestas conferendi devoluta est, ipsi aliquot menses concedat ad conferendum, quia tunc Episcopus etiam post tempus semestre à Concilio Lateranensi præfixum potest beneficia conferre, non quidem jure proprio, cùm hoc sit privatus: sed jure devoluto ad Archiepiscopum, & ex illius authoritate, ac commissione, ut notat Pirhing. *h. t. n. 5.* cum Rebuffo in *prax. tit. de devolut. n. 30.*

Quæritur quartò, an Judex Ecclesiasticus possit supplere negligentiam Judicis sæcularis? Respondetur affirmativè, & est sententia communis, quam docent Glossa *fin. in c. qualiter, & quando 17.* & Abbas ibid. *n. 7. de judic.* Tuscus *litt. E. conclus. 240. n. 1.* Sperellus *decis. 126. fori eccles. n. 47.* Barbosa *c. licet ex suscepto n. 2. de for. compet.* & desumitur *ex c. tenore 11. de for. compet.* ubi negligentia Judicis sæcularis malitiose protrahens terminationem causæ feudalis suppletur per Judicem Ecclesiasticum. Ratio est, quia tametsi potestas Ecclesiastica sit distincta à potestate sæculari, seu politica, est nihilominus illâ sublimior, & tanto præstat sæculari, quanto spiritualia præstant corporalibus *c. solitæ de majorit. & obed.* Hinc Ecclesia saltem indirectè exercet jurisdictionem in Reges, & Princi-

3

4

Principes sæculares circa eorum bona temporalia, seu regna, & Principatus *c. per venerabilem, qui filii sint legitimi*, si enim Rex deficiens à fide catholica vellet suos subditos subvertere, posset Papa, ad quem pertinet pascere Dominicum gregem, & arcere lupos, eum privare regno, solvendo subditos ab obedientia. Non tamen potest laicus è converso supplere negligentiam Judicis Ecclesiastici, quia Clerici non possunt trahi ad forum sæculare *c. qualiter, & quando de Judiciis*, & notat Farinacius *p. 4. l. 1. consil. 68. n. 7. & 10.* ubi allegat decisionem Rotæ in una Oscen. Pœnitentiariæ 10. Aprilis 1595 coram Blanchetto: ratio etiam desumitur ex eo, quia Judex sæcularis nullam habet jurisdictionem in Clericos *c. Ecclesiæ Sanctæ Mariæ 10. de constit.* Imò laicus est incapax jurisdictionis exercendæ in Clericos *can. sacerdotibus 11. q. 1.* quia inferior non potest exercere jurisdictionem in Superiorem, & laicus est inferior Clerico *c. solitæ de major. & obed.*

5 Quæritur quintò, an in electionibus, & collationibus beneficiorum post elapsum tempus jure præfixum ad eligendum, vel conferendum concedatur licentia purgandi moram: Respondetur negativè, idque quamvis aliàs regulariter posset mora purgari: & desumitur ex *c. licet 3. h. t.* quia ipso jure devolutio facta est, seu pœna privationis ob negligentiam incurritur per sententiam jure latam: atqui quilibet canon, qui est latæ sententiæ habet in se executionem, ut notat Glossa in *c. licèt c. 15. V. executione de el. in 6.* adeò ut possit saltem Judex per sententiam declarare, omnia ipso jure irrita esse, quæ contra canonem latæ sententiæ facta sunt: si enim pœna ob negligentiam decreta sit latæ sententiæ in jure, non conceditur tunc licentia moram purgandi.

6 Quæritur sextò, an si Capitulum ecclesiæ Cathedralis negligat conferre intra tempus jure præfixum canonicatus, vel alia beneficia pertinentia ad suam collationem jus conferendi devolvatur ad Episcopum: & è contra si Episcopus negligat conferre beneficia, quæ ad suam tantùm provisionem pertinent, devolutio fiat immediatè ad Capitulum? Respondetur affirmativè, adeo ut Capitulum quamvis inferius suppleat negligentiam superioris, seu Episcopi, idque ex dispositione juris propter communionem, quæ est inter Episcopum, & Capitulum, tanquam Caput, & membra ejusdem corporis mystici: ratione hujus unionis negligentia unius suppletur per alterum: sin verò tam Episcopus, quàm Capitulum negligant conferre beneficia, tunc jus conferendi devolvitur ad Patriarcham, & sic gradatim superior negligentiam supplet inferioris.

7 Quæritur septimò, à quo suppleatur negligentia Episcopi, & Capituli simul, quando collatio beneficiorum conjunctim pertinet ad utrumque? Respondetur, quòd si intra semestre jure præscriptum tam Episcopus, quàm Capitulum neglexerint beneficia conferre, jus conferendi non devolvitur ab Episcopo ad Capitulū, nec vice versâ à Capitulo ad Episcopum, sed immediatè ad proximum superiorem, seu Archiepiscopum, & desumitur *ex c. dilecto, ult. h. t.* cùm enim in Ecclesia Salmantina electio Cantoris, quæ communiter ad Episcopum, & Capitulum ejusdem Ecclesiæ simul spectabat, intrà semestre tempus à die notæ vacationis facta non fuerit; & postea Decanus, & quidam alii Canonici Petrum elegerint, ad Sedem Apostolicam appellantes, ne contra eam quidquam attentaretur. Archiepiscopus Compostellanus intelligens jus electionis ad se devolutum esse, non obstante appellatione, Gregorium ad Cantoriam illam elegit: & tunc ambo electi Procuratores Romam miserunt, ubi causa commissa fuit Pancratio Sancti Marcelli Cardinali Presbytero, & judicatum fuit, electionem factam à Decano esse declarandam irritam, & illam Archiepiscopi confirmandam, si nullum obstet Canonicum impedimentum: ex quo textu liquet, collationem canonicatuum, & personatuum in Ecclesia, interdum pertinere conjunctim ad Episcopum, & Capitulum; interdum ad solum Episcopum, quamvis cum consilio Capituli spectato jure communi *c. 2. de concess. prabend.* & interdum ad solum Capitulum, & in his posterioribus duobus casibus devolutio ob negligentiam fit ab Episcopo ad capitulum, & vice versâ ab hoc ad illum. In primo autem casu devolutio fit ad Archiepiscopum. Capitulum tamen instante termino temporis semestris potest Episcopum monere, & eo negligente potest solum Capitulum sine Episcopo procedere, & vice versa Episcopus sine Capitulo.

8 Quæritur octavò, à quo suppleatur negligentia privatorum, quibus competit jus conferendi beneficia, si intra præfixum tempus non conferant? Respondetur, potestatem conferendi devolvi ad superiorem. Quòd si post elapsum tempus ad eligendum, vel conferendum jure præfixum adhuc eligant, vel conferant beneficia; tunc electio, collatio, aut institutio potest irrita declarari, ut desumitur ex *c. litteras 4. h. t.* quòd si talis electio, vel collatio per patientiam toleretur, & nemo se illi opponat, tunc electus est tutus in conscientia: siquidem multa per patientiam tolerantur, quæ si deducta fuissent in judicium exigente justitia non deberent tolerari *c. dudum 18. in fin. de prabend.* & tunc electio, vel collatio, quæ alias potuisset in judicio declarari irrita, convalescit; quia expressa tolerantia dat jus in beneficio; est enim quædam tacita approbatio, præsertim si fiat à Papa, quòd si aliquis postea sit in pacifica possessione non tam facilè potest illa privari.

Quæritur nonò, an Episcopus Diœcesanus possit supplere negligentiam Prælatorum Regularium non conferentium intra tempus semestre beneficia pertinentia ad suam dispositionem? Respondetur affirmativè, & desumitur *ex Clement. unic. h. t.* ubi declaratur, quòd si Regulares, qui possunt conferre beneficia intrà sex menses non conferant; Episcopus in non exemptis propria authoritate conferat: in exemptis Apostolica authoritate: ita tamen, ut conferat regularia beneficia Regularibus, & sæcularia sæcularibus, nec permittat ea incorporari suæ mensæ, nec augeri, nec imponi pensionem. 9

Hoc

Hæc autem constitutio intelligitur de beneficiis, quæ non sunt de mensa Prælatorum, sed de aliis habentibus suos Rectores. Ex hac decretali deducitur, Episcopum Diœcesanum posse etiam supplere negligentiam Prælatorum Regularium non conferentium intra tempus semestre beneficia spectantia ad suam dispositionem; quamvis Prælati exempti sint à jurisdictione Episcopi, quia tunc Episcopus non supplet talem negligentiam authoritate propria, sed authoritate Apostolica sibi delegata. Hæc tamen decretalis non habet locum in Clericis sæcularibus, prout inducit jus novum, & derogat privilegio exemptionis, quia in materia odiosa restringi debet non extendi.

10 Quæritur decimò, an negligentia Prælati suppleri possit per coadjutorem? Respondetur, interdum negligentiam Prælati suppleri per dationem Curatoris, seu Coadjutoris, & tunc contingit, quando Episcopus, vel alius Prælatus Ecclesiasticus non est omnino impeditus, nec inhabilis ad administrandam Ecclesiam, sed solùm ex parte, ut ob senium, vel infirmitatem, vel quia sit minus idoneus ad suum munus obeundum, tunc enim datur ei à superiore Coadjutor, seu Curator *c. unic. de Cler. agrot. in 6.* & tunc officium Curatoris, seu Coadjutoris expirat mortuo Episcopo, nisi ex speciali gratia alicui detur à Papa Coadjutor cum facultate succedendi. Rursus, si Episcopus negligat administrationem sui Episcopatus potest Papa ei dare Coadjutorem, seu Curatorem cum plena, & libera potestate administrandi, ut habetur *c. grandi 2. h. t. in 6.* ubi dicitur: si qui regit, est negligens, & remissus in gubernando Superior debet illi dare coadjutorem idoneum, ut fecit Papa Regi Portugallensi sine ipsius præjudicio, & filiorum. Ex quo textu liquet, quòd si Rex, vel alius Princeps Christianus administrationem sui regni negligat, & jura dissipet, debeat illi Coadjutor, seu Curator assignari à Superiore, si quem habeat: quòd si Regni Proceres sufficiens remedium adhibere non possunt, tunc ad Summum Pontificem pertinet Coadjutorem dare, ne causæ Ecclesiarum, & locorum piorum detrimentum patiantur.

TITULUS XI.

De temporibus Ordinationum, & qualitate Ordinandorum.

Quia in promotione Prælatorum, sive eligantur, sive postulentur; requiritur certus Ordo, adeò ut in Episcopum eligi non possit, nisi qui saltem sit Subdiaconus: & quia Ordines statis temporibus, diebúsque solemnibus conferuntur prævio Scrutinio; & in his servandis nonnunquam etiam negligentia committitur: ideo Pontifex, ne ulla hujus rei ignorantia prætendatur; cùm egisset in Superiori Titulo de supplenda negligentia Prælatorum: rectè in præsenti agit de temporibus, quibus conferri Ordines ab Episcopis debent. Quamvis Ordo sumatur dupliciter, primò pro quadam potestate spirituali conficiendi Sacramentum Eucharistiæ, vel ministrandi in ordine ad illud: Secundò, pro ipsa ordinatione, seu solemni ritu externo, quo hujusmodi potestas alicui confertur: hic Titulus procedit de Ordine sumpto in hoc secundo sensu.

SUMMARIUM EXEGETICUM

Omnium Capitum, quæ in hoc Titulo continentur.

CAP. SUBDIACONUS 1. h. t. ALEXANDER III. statuit, nullum posse conferre ordinem Subdiaconatûs diebus Dominicis præter Summum Pontificem; tametsi posset quis consecrare virgines, & conferre Ordines minores diebus Dominicis. Prohibet etiam conferri sacros Ordines in Sabbatho Pentecostes, & decernit, esse conferendos in sequenti hebdomada, ubi notat Glossa; teneri omnes hanc decretalem servare, eò quia quæ Romana Ecclesia servat, docétque alios observare; tenentur omnes ad illa servanda, & quæ in signum privilegii sibi tantùm servavit, nullus alius sine sua speciali licentia debet attentare.

C. *SANE 2. h. t. Idem Pont. declarat, consuetudinem conferendi Sacros Ordines in die dedicationis Ecclesiæ, vel Altaris extra quatuor tempora non valere: & nisi multitudo, & antiquissima consuetudo terræ esset; non excusarentur ordinantes, & ordinati suspenderentur. Ubi notat Glossa, multitudinem inducere dispensationem, juxta vulgatum illud effatum:* Ob populum multum crimen pertransit inultum. *Qui verò fue-*

runt causa delicti non permittuntur inulti, sed puniuntur c. Latores de Cler. excommun. minist. *Rursus licèt consuetudo excuset à pœna temporali, quæ ob scandalum imponi posset, non tamen à pœnâ æterna; quia consuetudo excusat tantùm in his, quæ contrariantur juri positivo, dummodo sit rationabilis, & præscripta; non ita excusat in his, quæ sunt contra jus naturale: quâ distinctione adhibita concordantur jura.*

C. *DE EO* 3. *h. t. Declarat idem Pontifex, licitum esse Episcopis promovere unum, vel duos ad minores Ordines diebus festis, vel Dominicis; non ita ad Sacros, nisi in quatuor temporibus, in Sabbatho Sancto, & Sabbatho ante Dominicam de passione. Immo, ut notat Glossa, Episcopus die Dominico non solùm duos, sed etiam plures alios potest ad Ordines minores promovere, dummodo non videatur fieri generalis Ordinatio. Immo, & conferre eidem Clerico omnes minores Ordines in eodem die Dominico, vel Festo secluso Scandalo.*

C. *EX TENORE* 4. *h. t. Idem Pont. statuit, Clericum, qui occultè commisit tale crimen, quod si esset manifestum, degradaretur à suscepto Ordine, peractâ parte pœnitentiæ, posse ministrare in suscepto: esse tamen admonendum, ne ad superiores Ordines ascendat; tametsi id ei non sit prohibendum; si velit promoveri, eò quia crimen sit occultum. Siquidem, ut notat Glossa, peccata occulta in foro externo, quamdiu manent occulta non puniuntur: & ait, hanc Decretalem procedere, non solùm de promovendis, sed etiam de promotis, licèt faciliùs impediatur promovendus. Circa verò crimen promoti quatuor consider antur. Primò qualitas criminis, an sit enorme, vel mediocre. Secundò, an sit occultum, vel manifestum. Tertiò, an innotuerit per evidentiam operis, vel sententiam Judicis, vel etiam per confessionem spontaneam in judicio. Quartò, an Clericus delinquens egerit veram pœnitentiam. Quia, si crimen sit enorme, & manifestum, deponitur, & nunquam restituitur etiam post peractam pœnitentiam: sin verò sit occultum, monendus est, ut abstineat, non tamen est cogendus, cum crimen sit occultum: Sin verò sit mediocre, & occultum; tunc peractâ parte pœnitentiæ promovetur: sin verò mediocre, & manifestum, vel quia sit convictus in iudicio, vel quia timore probationum sit confessus, deponitur: si demum sit publicum per evidentiam, vel spontaneam confessionem potest tunc cum illo misericorditer agi.*

C. *AD AURES* 5. *h. t. LUCIUS III. decernit, Regulares non esse ad Ordines promovendos sine voluntate sui superioris. Quia Prælato obediendum est in omnibus, quæ non sunt manifestè mala: quòd si dubia sint, adhuc obediens excusatur à peccato ob bonum obedientiæ.*

C. *SI ARCHIEPISCOPUS* 6. *h. t. Idem Pontifex decernit, Metropolitanum esse consecrandum ab omnibus suffraganeis in sua Cathedrali: Episcopum autem de consensu omnium à tribus eligendis à Metropolitano: licèt melius sit, consecretur ab ipso Metropolitano præsentibus omnibus suffraganeis.*

C. *NE EPISCOPI* 7. *h. t. Ex Concilio Arelatensi deciditur idem, quod in præcedenti capitulo; & tantùm additur, quòd si Episcopi respondentes per litteras dissentiant, debeat Metropolitanus cum maiori numero consentire.*

C. *CUM QUIDAM* 8. *h. t. Urbanus II. declarat, ordinatum extra tempora esse suspensum à susceptis ordinibus donec, Papa cum illo dispenset, & ordinantem esse puniendum canonica disciplina, hoc est suspendendum à collatione eorumdem ordinum iuxta* c. fanè 2. h. t.

C. *CUM SECUNDUM* 9. *h. t. Cælestinus III. prohibet, græcos à latinis, & Latinos à græcis ordinari, ne ritus diversi misceantur.*

C. *EX PARTE VESTRA* 10. *h. t. Innocentius III. declarat, Monachum, qui ex una Religione transit ad aliam, si in secunda sumit Ordines, & postea revertitur ad primam, posse administrare in susceptis Ordinibus. Quòd si Monachus relicto Monachatu non transeat ad arctius Monasterium, sed ad Seculum, & Ordines assumat, peccat, & non potest ministrare in suscepto ordine, nisi per Papam dispensetur.*

C. *QUOD TRANSLATIONEM* 11. *h. t. Idem Pontifex interdicit ab executione suscepti Ordinis Clericum latinum ordinatum ab Episcopo græco ritu græco sine licentia sui Ordinarii. Sin verò cum licentia Ordinarii, quamdiu talis mos ab Ecclesia toleratur, non est impediendus; sed Ordinarius culpandus. Hodie tamen hic mos non toleratur* c. quoniam de Offic. Ordin.

C. *CUM IN DISTRIBUENDIS* 17. *h. t. Idem Pont. decernit, Ordinatum à Papa non posse ab alio ad Superiores Ordines promoveri sine licentia Papæ.*

C. *LITTERAS* 13. *h. t. Declarat idem Pont. duos Sacros Ordines eodem die, vel etiam duobus diebus immediatè, continuato jejunio, non posse conferri: quia tunc duo dies ob continuatum jejunium ex fictione juris habentur pro uno: & ordinans suspenditur à collatione Ordinum collatorum: & Ordinatus ab exercitio Ordinis, donec Papa dispenset. Hinc notat Glossa, quòd si Episcopus die Sabbati non potuit Ordinationem perficere, possit sequenti die Dominico continuato tamen jejunio eam perficere; quia ex fictione juris habentur pro uno die. Notandum est, omnes Ordines die Sabbatho esse conferendos, præter Episcopatum, qui tantùm die Dominico confertur* c. 1. dist. 75. *& minores Ordines, qui possunt diebus Dominicis conferri.*

C. *VEL NON EST* 14. *h. t. HONORIUS III. statuit, ut qui ordinat puerum ante ætatem suspendatur à collatione omnium Ordinum, ut etiam ordinatus ab executione suscepti Ordinis, donec perveniat ad ætatem:*

quia,

quia, qui non est in ætate legitima, licet suscipiat Ordinem, non tamen executionem Ordinis, & interim ordinans tenetur ei providere de competenti beneficio.

C. *DILECTUS 15. h. t. Idem Pontifex declarat; Episcopum, qui eodem die plures Sacros Ordines eidem Clerico confert, etiam de Mandato Metropolitani, suspendendum esse à collatione Ordinum, donec Papa dispenset. Quia Metropolitanus nequit dispensare in iis, quæ pertinent ad generalem Statum Ecclesiæ; & preceptum manifestè injustum Prælati non est adimplendum* c. Julianus 11. q. 3.

C. *CONSULTATIONI 16. h. t. GREGORIUS IX. rescribit, cum his, qui ordinantur extra tempora, posse Episcopum dispensare injunctâ priùs competenti pænitentiâ. Quia licet suspendantur ab executione Ordinis, susceperunt tamen ipsum Ordinem; siquidem quocunque tempore Ordines conferantur, Character semper imprimitur; non enim tempus, sicut nec ætas est de essentia Ordinis: unde ordinati extra tempora tantùm suspenduntur ab executione Ordinum susceptorum, & ordinantes ab eorundem collatione, ut transgressores Canonis.*

C. *QUÆSITUM 17. h. t. Idem Pont. declarat, occultos criminosos, dummodo non sint homicidiarii, posse post pœnitentiam peractam in susceptis Ordinibus ministrare, & ante pœnitentiam esse monendos, ne in susceptis ministrent. Crimen tunc dicitur occultum, quando non est notorium per sententiam, vel per confessionem in judicio factam, vel per rei evidentiam. Homicida tamen, quamvis occultus etiam post peractam pœnitentiam non potest administrare.*

IN SEXTO.

C. *SÆPE 1. h. t. CLEMENS IV. prohibet, ne Episcopi Italiæ ordinent Ultramontanos, nisi de licentia Papæ, vel cum litteris dimissorialibus sui Ordinarii, in quibus exprimatur causa, cur nolint, vel nequeant eos ordinare. Quòd si secus fiat, ordinatus est suspensus, & non potest absolvi à suspensione, neque à Pœnitentiariis Papæ, sine speciali ejus licentia; & ordinans punitur pœnitentia condigna, idque habetur etiam in Tridentino* Sess. 23. c. 10. *Quòd si Episcopus Ultramontanus ordinet Clericum Italicum non procedit hæc Decretalis, quia cum sit pœnalis, est restringenda. Tum quia Ultramontanus in Italia potest faciliùs à Papa licentiam petere, quàm Italus ultra montes.*

C. *EOS QUI 2. h. t. GREGORIUS X. suspendit per annum à Collatione Ordinum Episcopum, qui scienter, vel affectatâ ignorantiâ præsumpsit ordinare alienum Clericum, absque licentia sui Ordinarii, & declarat, Ordinatum incidere in pœnas juris. Quòd si suspensio Episcopi sit manifesta, ejus subditi possunt eo anno ordinari à vicinis Episcopis. Notandum est cum Glossa, Episcopum, nisi probet ignorantiam, præsumi scire Clericum esse alienæ Diœcesis, quòd si Episcopus juret, se nescivisse; altera pars debet probare illum scivisse, saltem per conjecturas. Rursus Episcopus suspenditur à collatione omnium Ordinum; quia hic non limitatur; & ordinati sunt suspensi ipso jure, non tamen incurrunt irregularitatem.*

C. *CUM NULLUS. 3. h. t. BONIFACIUS VIII. declarat, Episcopum Originis, beneficii, vel Domicilii posse concedere dimissorias; non ita inferiores Prælatos, nisi habeant indultum à Sede Apostolica. Et Episcopo absente posse ejus Vicarium generalem in spiritualibus, & Sede vacante Capitulum, vel habentem administrationem spiritualium concedere has dimissorias.*

C. *NULLUS 4. h. t. Idem Pont. prohibet, ne Episcopus det infanti primam tonsuram, nisi Religionem ingrediatur, neque illiterato, nec alicui alterius Diœcesis sine licentia sui Superioris, nec conjugato, nisi velit Religionem ingredi, vel in Sacris promoveri. Et si secus fiat, Episcopus suspenditur per annum à collatione tonsuræ. Extenditur hæc decretalis etiam ad Abbates, & alios, qui possunt conferre primam tonsuram. Nomine tamen infantis intelligitur, qui nondum est septennis. Quòd si conferret contra hanc Decretalem etiam minores Ordines; esset per annum suspensus à collatione omnium illorum Ordinum.*

IN SEPTIMO.

C. *CUM NON DECEAT UNIC. h. t. PIUS V. ne Clerici cogantur cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere; prohibet juxta Concilium Tridentinum, ne ad Sacros Ordines promoveantur Clerici sine titulo beneficii, pensionis, aut Patrimonii, quamvis clerici aliàs moribus, scientia, & ætate essent idonei, nisi priùs legitimè constet, eos beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid sit Ordo, & quæ sint impedimenta ad ipsum suscipiendum de jure Divino, & Ecclesiastico.

1 QUia, ut Prælati, sive per electionem, aut postulationem promoveantur, necesse est, sint in Ordine Ecclesiastico constituti, neque possit Episcopus quis eligi, quin saltem sit Subdiaconatu initiatus, ideo rectè hic attexitur Titulus de Ordinibus, qui certis temporibus, & cum Scrutinio conferri debent, proindè de temporibus ordinationum, & qualitate Ordinandorum in præsenti titulo agitur,

2 Est Ordo, ratione cujus, in Ecclesia quidam quasi gradus officii, ac dignitatis confertur, Sacramentum, quo spiritualis potestas circa Eucharistiam in Missæ Sacrificio traditur. Est ordo verum Sacramentum, quia continet, quæ ad constituendum Sacramentum requiruntur: est enim signum externum sensibile, situm in manuum impositione, & effectivum gratiæ; quia Deus hanc promisit suscipientibus hoc Sacramentum. Traditur spiritualis potestas, quæ significatur per formam, quæ solet proferri illis verbis: accipe potestatem &c. & ita ab hac exteriorum verborum forma divina virtute prosluit Character Ordinis, veluti proxima activa potentia, per quam ordinatus ea exercet, quæ ad suum pertinent Ordinem: est autē hæc spiritualis potestas circa Eucharistiam in Missæ Sacrificio, quod est intelligendum mediatè, vel iṁediatè; siquidem potestas immediata est, quâ directè potest confici Eucharistia, & hæc confertur in Ordine Sacerdotali. Potestas mediata, ea intelligitur, ratione cujus exercetur aliquod ministerium, quod dirigitur, ac ordinatur ad Eucharistiam, tanquam ad finem, & hoc ministerium in singulis reperitur Ordinibus. Cæterùm hoc Sacramentum aptissimè vocatur Ordo: siquidem ex Augustino *lib. 19. de civit. c. 13.* est Ordo parium, & disparium rerum sua cuique loca tribuens dispositio: & cùm in Ecclesia militante sint varii Ministri, plùres gradus; & varia officia, ac munera inferioria, media, & superiora rectâ ratione collocata, fit, quòd Clericorum classis veluti terribilis castrorum acies ordinata, ordinis nomenclatione congruenter donetur.

3 Creditur Ordinis Sacramentum à Christo institutum in ultima Cœna, quando Apostolis suo refectis corpore, & sanguine dixit *Lucæ 22. hoc facite in meam commemorationem*: siquidem illis verbis contulit Apostolis authoritatem Sacerdotalem; illisque, ac eorum successoribus in Sacerdotio præceptum dedit consecrandi, ut liquet ex Trident. *sess. 22, c. 1.* Cæterum Christus per potestatem excellentiæ contulit Apostolis omnes Ordines simul, quatenus sub principali, quod est Sacerdotium, reliqui omnes comprehenduntur: omnes siquidem saltem incoactivè, ac dispositivè habent potestatem aliquam circa corpus Christi ministrandum, & inserviendum Sacerdoti.

4 Jure Divino fœminæ sunt incapaces suscipiendi Sacramentum Ordinis, ut patet ex perpetua in Ecclesia praxi, & traditione ab Apostolis ad nos usque derivata: siquidem Sacramentum Ordinis infert in Ecclesia potestatem dignitatis, & officii, à quibus fœminæ arcentur, cùm illæ ex Apostolo docere in Ecclesia non debeant, sed subesse. Imò, nec fœminæ sunt capaces primæ tonsuræ, quia hæc est dispositio ad ulteriores Ordines, & subjectum incapax formæ, est etiam incapax dispositionis ad formam. Quamvis apud Juris Pontificii peritos aliqua sit controversia de fœminis Diaconissis, non tamen censendum est, has fuisse constitutas in Ordine Diaconatûs, sed tantùm tali fuisse nomenclaturâ vocatas, quia conjuges fuerint Diaconorum; vel quia ad specialia Ecclesiarum quædam munera, quæ nullum expostulant Ordinem; peculiarem tamen curam, & munditiem exigebant, deputabantur: vel fortassis nomine Diaconissæ Abbatissa intelligebatur. Secundò, de jure divino sunt incapaces Sacramerti Ordinis omnes non baptizati Baptismo fluminis, ut patet ex *c. 1. 2. de Presbyt. non baptizat.* Ratio est perspicua, quia baptismus fluminis est janua, per quam quis ingreditur Ecclesiam, & fit capax Sacramentorum: unde non baptizati excluduntur ab Ecclesia, & incapaces sunt Ordinũ jure divino. Tertiò, irrita est, & nullius valoris illius Ordinatio, qui per vim absolutam positivè dissentiens, & contra reclamans ordinatur, ut patet ex *c. majores 3. §. item quæritur de baptismo.* Ratio est, quia Deus voluit Ministros suos esse voluntarios, non coactos; & licèt infantes, ac amentes validè possint ordinari; non ita positivè dissentiens, & reclamans: quia aliud est non assentiri merè negativè, quod fit in ordinatione infantis, & amentis: & aliud positivè dissentire. Sin verò metu gravi cadente in virum constantem extrinsecùs, & injustè incusso, ad Ordines suscipiendos quis cogeretur; is validè quidem ordinaretur, voto tamen continentiæ in susceptione Sacrorum Ordinum incluso, & onere recitandi breviarium non obligaretur, quia hæc onera ab Ecclesia imposita majorem exigunt libertatem, quàm quæ extorquetur à metu.

Jure

5 Jure Ecclesiastico prohibentur Ordines licitè suscipere. Primò, qui ætatem de jure requisitam ad specialem Ordinem suscipiendum, nondum attigerunt: quia ordinati debent morum maturitate præcellere; proinde non quælibet ætas, cuilibet Ordini accommodatur, ac convenit. Neque obstat, quòd antiqua jura diversimodè statuerint de ætate Ordinandorum, quia Concilium Trident. *Sess. 23. c. 12. de refor.* convenientem ætatem statuit, nimirum, ut nemo ad Subdiaconatum promoveatur ante vigesimum secundum ætatis annum, neque ad Diaconatum ante vigesimum tertium, nec ad Presbyteratum ante vigesimum quintum, quod intelligendum est de annis inchoatis. Cæterum in aliis ordinibus, quibus à Tridentino nulla præscribitur ætas, standum est jure antiquo; adeo ut ad quatuor minores Ordines sufficiat major infantia, seu septennium completum Glossa *fin. in clement. ult. de ætat. & qualitat. &c.* Ad Episcopatum requiritur annus trigesimus completus.

6 Secundò, prohibentur à jure Canonico ordinari illiterati, omni scientia vacui, vel saltem qui non sunt sufficienter ad Ordines ministrandos instructi, ut liquet ex *can. 1. dist. 36.* ubi habetur *litteris carens Sacris non potest esse aptus officiis*: & qui absque sufficienti scientia ordinatus est, suspenditur ab executione suscepti Ordinis, donec fuerit sufficienti scientia instructus. Quæ verò, & quanta scientia requiratur ad quemlibet Ordinem in speciali, id desumitur ex Tridentino; ad primam tonsuram accipiendam sufficit, si quis sciat fidei rudimenta; sciat legere, & scribere saltem lingua vernacula, quia Tridentinum *Sess. 23. c. 4.* eos excludit à tonsura, qui omninò legere nesciunt. Neque requiritur, ut sciant perfectè scribere, sed satis est, si Characteres quoquo modo figurent, ut notat Sellius *Select. can. c. 5. n. 6.* ex declaratione Congregationis Episcoporum, & Regularium, die 13. Octobris anno 1593. Ad minores quatuor Ordines promovendos vult idem Concilium *Sess. cit. can. 10.* saltem intelligere linguam latinam; quam callere debent, qui promoventur ad Subdiaconatum, & Diaconatum, qui etiam debent de iis esse instructi, quæ ad propria exercenda munia requiruntur, ut decrevit idem Concilium *loc. cit. can. 13.* ubi etiam decrevit, ut promovendi ad Ordinem Presbyteratûs, eâ sint scientia instructi, quæ ad populum docendum necessaria est, & sufficiens ad legitimam Sacramentorum administrationem.

7 Arcentur itidem ab Ordinibus suscipiendis, qui adulterii, perjurii, falsi testimonii, & alio gravi crimine sunt infecti, & si jam sint ordinibus initiati, suspenduntur ab Ordinis suscepti executione; dummodo crimen sit notorium, vel per evidentiam facti, quæ nulla possit tergiversatione elidi; vel per sententiam judicis; vel per propriam ipsius delinquentis confessionem in judicio factam, si enim crimen hoc pacto notorium est, ac publicum, ponit obicem ad Ordines suscipiendos, ut liquet ex *c. tenore 4. & ex c. ult. h. t.* ubi etiam dicitur, taliter criminosum, dummodo crimen sit occultum, non esse post peractam pœnitentiam arcendum ab Ordinum susceptione, si promoveri velit, ut nec etiam impediendus sit ministrare in susceptis Ordinibus, nisi fortassis crimen occultum, cujusmodi est homicidium, irregularitatem inducat *c. inquisitionis 21.* juncta Glossa *v. si homicidium de accusatione.* quia tunc ratione irregularitatis prohibetur ministrare. Generatim infecti crimine occulto non inducente irregularitatem non prohibentur, si ipsos pœnituerit, Ordines suscipere; quia Ecclesia delicta occulta non consuevit publicè vindicare.

8 Prohibentur itidem initiari Sacris Ordinibus omnes infames, sive juris, scilicet ob crimen, cui à jure est infamia annexa; sive infamia facti, scilicet ob delictum enorme perpetratum, & notorium, per quod ejus fama apud viros prudentes graviter denigratur: potest tamen hæc infamia facti per publicam, & constantem vitæ emendationem tolli; datur enim locus resipiscentiæ.

9 Sunt etiam incapaces Ordinum, Bigami, & colligitur ex illo Apostoli *1. ad Corinth. 3. & ad Titum 1.* ubi ait, Episcopum debere esse unius uxoris virum. Quod etiam intelligitur de sacerdote, Diacono, & Subdiacono. Habetur enim *in can. 17.* Apostolorum: *Si quis post baptisma secundis fuerit nuptiis copulatus, aut concubinam habuerit, non potest esse Episcopus, non Presbyter, aut Diaconus, aut prorsus ex numero eorum, qui ministerio sacro deserviunt.* Ratio est, quia Bigamia duplicem habet disconvenientiam cum Statu Clericali. Prima est, quia Clericus debet ad castitatem verbo, & exemplo alios trahere; & non potest id præstare, si ipse conjugia frequentet, ut ostendit D. Ambrosius *lib. 1. de officiis c. ult.* Secunda est, quia Clericus per Sacros Ordines desponsatur Ecclesiæ, per quam desponsationem, significatur conjunctio Divini Verbi, cum natura humana; & desponsatio Christi cum Ecclesia: & non potest Bigamus hanc conjunctionem, & desponsationem repræsentare, quia bigamia tollit unitatem unius cum una, & dividit carnem in plures uxores, quo pacto definitur bigamia ab Innocentio III. *c. debitum* de bigamis: *irregularitas subjectum impediens propter Sacramenti defectum ad ordines suscipiendos.*

10 Hinc liquet, bigamum esse incapacem Sacramenti Ordinis, quæ tamen incapacitas communiter, tum à Theologis, tum à Canonistis contra aliquos paucos dicitur esse tantùm de jure Ecclesiastico: & ex eo probant, quia si impedimentum bigamiæ esset de jure divino summus Pontifex non posset dispensare: atqui constat, summos Pontifices nonnunquam dispensâsse cum bigamis, ut promoverentur ad Ordines, ut enim refert Glossa *in can. Elector dist. 34.* Martinus I. dispensavit cum bigamo, ut fieret Subdiaconus: & Lucius Papa alium bigamum Episcopum Panormitanum creavit: in iis autem, quæ sunt de jure Divino non potest Pontifex dispensare: ergo evincitur, impedimentum bigamiæ ad Ordines sacros, esse

tantùm de jure Ecclesiastico. Neque obstat, quòd Apostolus *1. ad Timoth.* dicat: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum:* quia id tantùm probat, fuisse præceptum Apostoli, & quæ Apostolica authoritate sunt constituta, non obtinent vim divini juris, sed duntaxat humani Ecclesiastici; ut liquet ex Canonibus Apostolorum, qui solùm sunt de Jure Ecclesiastico, & Summus Pontifex potest in illis dispensare, ut patet ex *can. fin. dist. 8.*

§. II.

Quotuplex sit Ordo.

1 DE numero Ordinum disputant inter se Theologi, & Canonistæ, illi septem tantùm ponunt, scilicet quatuor minores, quorum primus est Ostiariatus, cujus est impedire, ne quis immundus, aut Ecclesiastica Censura irretitus ingrediatur Ecclesiam. Secundus Lectoratus, cujus munus est, legere Libros Ecclesiasticos, & Cathechumenos instruere. Tertius, Exorcistatus, cujus est, immundos spiritus à corporibus obsessis ejicere, & invocare divinum nomen, & auxilium, ad immundos spiritus ab hominibus obsessis expellendos. Quartus Acolitatus, cujus est luminaria præparare, vasa suggerere, ex quibus vinum funditur in usum Sacrificii.

2 Præter hos quatuor minores Ordines, sunt tres majores, Subdiaconatus, Diaconatus, & Sacerdotium, quorum officia, & munia recensentur in *Can. Cleros dist. 21. Can. 1. dist. 25.* & hi tres majores Ordines vocantur Sacri; non quòd etiam minores Ordines non sint Sacri; sed quia majores versantur proximè circa materiam Sacram, & habent annexum votum continentiæ, non ita Ordines minores.

3 Hi recensiti septem Ordines absque ulla controversia conceduntur ab omnibus, tum Juris Pontificii peritis, tum Theologis. Difficultas tantùm est de prima tonsura, & Episcopatu, & aliis dignitatibus Ecclesiasticis. Verùm, quod ad primam tonsuram attinet, sententia communior, & verior est, primam tonsuram propriè non esse Ordinem Ecclesiasticum, sed tantùm præviam dispositionem ad Ordines, ratione cujus tonsuratus constituitur capax Ordinum, Ecclesiasticæ Jurisdictionis, Privilegiorum, ac beneficiorum Ecclesiasticorum: siquidem cum per Ordines propriè dictos certa quædam conferatur potestas ad functiones speciales Ecclesiasticas exercendas, ut constat ex Tridentino: & per primam tonsuram nulla talis specialis potestas conferatur; sed tantùm tonsuratus fiat capax, licitè suscipiendi Ordines; sequitur, primam tonsuram propriè non esse ordinem. Neque obstat, quòd nonnunquam in jure Canonico tonsura Clericalis vocetur Ordo, quia tunc nomen Ordinis sumitur laxè, & dispositivè, non verò propriè, adeò, ut prima tonsura dicatur Ordo, eò quia sit dispositio ad Ordines licite suscipiendos, ac constituat homines capaces Ordinum Ecclesiasticorum.

Major controversia videtur esse de Episcopatu, an sit Ordo distinctus à Presbyteratu. 4
Sententia comunior inter Juris Pontificii peritos est, Episcopatum esse distinctum Ordinem à Sacerdotio. Theologi verò partim affirmant esse distinctum; & partim negant, qui affirmant nituntur, quia ubi est distincta materia, & distincta forma, ibi est distinctum Sacramentum; atqui Ordinatio Episcopi habet distinctam formam ab illa sacerdotali, & rursus distinctam materiam, quæ est, vel sacra unctio Capitis, ut aliqui censent, vel manuum impositio: unde Ordo Episcopatûs distingui debet ab Ordine Sacerdotii. Præterea, quia Episcopus in sui consecratione accipit veram, & realem potestatem indelebilem, ordinandi Ministros Ecclesiæ, & conferendi Sacramentum Confirmationis, quæ potestas non inest simplici Sacerdoti: atqui Character nihil aliud est, quàm potestas spiritualis, indelebilis, & animæ impressa: Ergo Ordo Episcopatûs est distinctus ab ordine Sacerdotii. Ex Theologis propugnant hanc Sententiam Scotus *in 4. dist. 24. art. 2.* Durandus *q. 6.* Petrus Sotus *lib. 4. de Sacrament. Ord.* Bellarminus *lib. de Sacrament. ord. c. 5.* Valentia *tom. 4. disput. 9. q. 1.* & alii plures.

Qui verò negant, Episcopatum esse Ordinem propriè loquendo distinctum à Sacerdotio, loquuntur de Ordine, per quem confertur peculiaris potestas ad conficiendum Christi Corpus, & sacrificandum: unde licèt per consecrationem Episcopi acquiratur potestas quædam indelebilis respectu quarundam Sacrarum actionum, quæ Sacerdoti simplici minimè conveniunt; quia tamen hæc potestas non est ad conficiendum Christi corpus; ideò non sufficit ad constituendum Episcopatum distinctum ordinem à Sacerdotio. Præterea, quia Character Episcopatûs, & Character Sacerdotalis propriè non dicuntur duo Characteres, sed unus tantum extensivè major, quatenus dicitur extendi, ac perfici in Episcopatu: adeò ut idem Character Sacerdotalis per consecrationem Episcopi extendatur in ordine ad potestatem consecrandi alios Sacerdotes, & ministrandi Sacramentum Confirmationis; non verò in ordine ad conficiendum Christi Corpus, quia eadem potestas, quæ inest Episcopo, est etiam in simplici Sacerdote, qui æque conficit Christi Corpus, ac Episcopus. Tum quia, si Episcopatus esset Ordo distinctus à Sacerdotio, essent octo Ordines, & non septem. Quamobrem Episcopatus non potest validè conferri alicui non Sacerdoti, vel infanti: quia cum non sit distinctus ab Ordine Sacerdotali, non potest ab eodem separari. Præterea, si Episcopatus esset distinctus à Sacerdotio, essent in Ecclesia plus, quàm septem Sacramenta. Tum quia Tridentinum *Sess. 23. c. 1. & 2.* recensens omnes Ordines reticuit Episcopatum, eò quia Patres Concilii in ea fuerunt sententia, ut Episcopatus non sit Ordo distinctus à Presbyteratu. Propugnant hanc sententiam D. Thomas *in supple. 3. p. q. 40. art. 5.* D. Bonaventura *in 4. dist. 24. q. 2. art. 3.* Alensis *4. p. q. 20. memb. 8. art. 1.* & alii plures.

Se-

6 Secus Canonistæ, qui considerant Ordines, quatenus in Ecclesia militante constituunt Hierarchiam, distinguunt primam tonsuram, & Episcopatum à cæteris Ordinibus, & dicunt, quòd sicut in Ecclesia triumphante sunt novem Ordines; ita etiam in militante, quæ triumphantem imitatur, & est ordinata, veluti ad ejus exemplar, debent novem Ordines esse. Rursus Canonistæ considerant Ordinem, quatenus per ipsum confertur potestas non solùm ordinata ad Sacrificium Divinum; verùm etiam ad conferenda quædam Sacramenta, qua ratione, quia Ordo Episcopatus elevatur supra Sacerdotium ad conferenda Sacramenta Ordinis, & Confirmationis, dicunt, Episcopatum in hoc sensu esse Ordinem distinctum à Presbyteratu.

7 Quamobrem tota controversia inter Theologos, & Canonistas facilè conciliatur, quia Theologi non negant per ordinem Episcopatûs conferri potestatem consecrandi Sacerdotes, & ministrandi Sacramentum confirmationis, ut etiam exercendi plura alia, quæ superant potestatem simplicis Sacerdotis; sed dicunt, non esse Ordinem distinctum à Sacerdotio in Ordine ad conficiendum Christi corpus. Desumunt enim Theologi distinctionem Ordinum, ex habitudine ad consecrationem, & confectionem Eucharistiæ; in qua consistit consumatio omnis Divini cultûs, & sub hac ratione, aut respectu meritò negant Episcopatum esse distinctum Ordinem à Sacerdotio; cum simplex sacerdos parem prorsus cum Episcopo habeat potestatem conficiendi Corpus CHRISTI, & consecrandi Eucharistiam, ut liquet *ex can. legimus 24. dist. 93.* sub eodem respectu negant, primam tonsuram esse Ordinem, eò quia non habeat unum certum Officium annexum, nec per illam detur ulla potestas alicujus ministerii Ecclesiastici, sed duntaxat aliqua præparatio ad Statum Ecclesiasticum, & Ordines suscipiendos, quapropter Clericalis tonsura dici etiam solet janua ad omnes Ordines.

8 Si petas, quomodo Sacramentum Ordinis sit unicum tantùm, si septem sunt Ordines; minores quatuor, & tres majores? Respondetur, esse tantùm unum Sacramentum, quia omnes Ordines ordinantur ad Eucharistiam conficiendam; sunt veluti gradus invicem connexi, quorum unus alteri subordinatur, & omnes simul integrant hoc Sacramentum Ordinis. Non tamen desunt, qui asserant, Ordines esse septem specificè distinctos, & Sacramentum Ordinis esse tantùm unum genericè; utrumque est probabile, & salva veritate res tota consistit in modo explicandi.

9 Quòd verò ad cæteras attinet Ecclesiasticas dignitates, certum est, Papatum non constituere Ordinem distinctum ab Episcopatu, nec imprimere distinctum characterem. Siquidem Ordo est Sacramentum constans ex materia, & forma, & Papatus non habet materiam, & formam peculiarem distinctam ab Episcopatu: Præterea, quia Papatus est propriè Episcopatus totius Ecclesiæ Catholicæ, adeò ut ejus jurisdictio extendatur ad omnes Ecclesias per totum Christianum Orbem: & jurisdictio inferiorum Episcoporum est limitata; & dependens à Summo Pontifice; non tamen inde sequitur, Papatum esse Ordinem distinctum ab Episcopatu: siquidem in potestate conficiendi Corpus Christi, consecrandi Episcopos, confirmandi, & ordinandi convenit cum Episcopis.

Quòd verò ad Cardinalatum attinet, certum est, non esse Ordinem Sacrum, nec imprimere Characterem; neque fuisse à Christo Domino institutum. Præterea, quia Cardinalatus non habet ullam Consecrationem, nec materiam, aut formam; proinde non est propriè Ordo, nisi considerentur Ordines, prout constituunt in Ecclesia militante Hierarchiam, quia pertinet etiam Cardinalatus ad Hierarchiam militantis Ecclesiæ, in hoc enim sensu potest Cardinalatus dici Ordo comprehendens consiliarios, & Electores Summi Pontificis. Cæterum propriè non est Ordo, quapropter SS. Patres, & Concilia, ac Summi Pontifices recensentes omnes Ordines Sacros de Cardinalatu nullam habuerunt mentionem. Est igitur Cardinalatus duntaxat in Ecclesia dignitas eminentissima à Pontificibus instituta, & inducta, ut in regimine Ecclesiæ sibi constitueret Assessores, & Consiliarios, eo pacto, quo Moyses septuaginta Seniores sibi adscivit. Hinc Cardinalatus non est de jure Divino, & potest à Papa extingui: proinde non est Sacramentum, cùm omnia Sacramenta sint de jure divino, quæ non possunt à Pontifice, extingui, nec immutari. 10

Cæterum Episcopi Jure Divino dignitate, & potestate sunt superiores Presbyteris, ut fuit 11
definitum in Concilio Constantiensi in Bulla Martini V. & in Tridentino *Sess. 23. c. 4.* quia ut argumentatur D. Thomas *in 3. p. q. 40. art. 4.* divina ministeria debent esse magis ordinata, quàm humana: atqui humanorum officiorum Ordo exigit, ut in quolibet officio unus cæteris præficiatur, qui sit Princeps illius officii, perinde ac præponitur militibus Dux, ac inferioribus artificibus Architectus, qui Princeps operis dicitur, ac fabrorum magister: ergo pari pacto Ordo Ecclesiasticæ Hierarchiæ exigit, ut Sacerdotibus præponatur aliquis, qui sit Princeps cæterorum Sacerdotum; & hic est Episcopus. Tum quia quævis potestas, quæ non potest exire in actum, nisi præsuppositis quibusdam Ordinationibus, dependet ab illa potestate, quæ illas Ordinationes facit: atqui Sacerdos non potest absolvere, nec ligare, nisi præsupposita Episcopi, vel Prælati jurisdictione, quâ sibi subdantur, qui ab eodem absolvuntur: ergo potestas sacerdotalis dependet ab Episcopali, ac est illi inferior: proinde liquet esse de jure Divino, quòd Episcopi sint Superiores Presbyteris dignitate, & potestate.

Si dicas, Apostolum asserere eosdem esse Episcopos, & Presbyteros 1. ad Timoth. 4. *noli negligere gratiam Dei, quæ est in te, quæ data est tibi, per impositionem manuum Presbyterii.* ubi Apostolus Episcopatum, ad quem assumptus fuit Timotheus, vocat Presbyterium, eò quia censuit, non esse Episcopatum distinctum à Presbyte- 12

byterio. Nam contra est, quia tempore Apostolorum illa nomina Episcopus, & Presbyter fuerunt communia omnibus Sacerdotibus, tam majoribus, qui nunc Episcopi vocantur, quàm minoribus, qui Presbyteri dicuntur, tametsi res ipsæ, potestates, & officia essent distincta: quapropter non debet mirum videri, si D. Paulus Episcopatum, ad quem fuit assumptus Timotheus vocaverit Presbyterium. Præterea SS. Patres per Presbyterium intelligunt Cœtum Seniorum, seu Episcoporum novis Episcopis manus imponentium, ut explicat Chrysostomus *homil. 1. in Epist. ad Philip.*

13 Tametsi Episcopatus sit dignitate, & potestate superior Presbyteris, non tamen inde sequitur, esse itidem distinctum Ordinem, quia distinctio Ordinis desumitur ab aptitudine, quam dicunt ad Eucharistiam, ad quam, ut ad finem ordinantur, ut patet in Sacerdotio, Diaconatu, Subdiaconatu, & quatuor minoribus: atqui Episcopatus non dicit aliam habitudinem ad Eucharistiam, præter eam, quam importat Sacerdotium; quia non magis potest Eucharistiam conficere Episcopus, quàm simplex Sacerdos. Neque obstat, Episcopum præter potestatem consecrandi Eucharistiam, in qua convenit cum simplici Sacerdote, habere etiam virtutem illam transfundendi in alios, & ad consecrandum, ac ordinandum Ministros Eucharistiæ; quia inde sequeretur, Episcopatum esse ordinem inferiorem, ac ignobiliorem Sacerdotio: siquidem habitudo indirecta ad Eucharistiam, seu potestas consecrandi illius ministros, est minùs perfecta, quam sit habitudo directa ad conficiendam Eucharistiam, quia hac potestate nihil datur præstantius in Ordine supernaturali: proindè, si per habitudinem illam indirectam ad Eucharistiam Episcopatus constitueretur in ratione specialis Ordinis distincti à Sacerdotio, sequeretur, esse Ordinem Sacerdotio inferiorem.

14 Si dicas, consecrationem Episcopi esse verum Sacramentum, proinde ex aliqua specie ex septem, & non posse ad aliam Sacramenti speciem pertinere, quàm ad Ordinem, consequenter Episcopatum revera esse Ordinem distinctum à Sacerdotio. Tum quia SS. Patres loquentes de consecratione Episcopi illam vocant Sacramentum, sic D. Leo Papa Ordinationem SS. Pauli, & Barnabæ, qua fuerunt consecrati Episcopi *act. 13.* vocat *Sacramentum benedictionis*, ut etiam Gregorius *lib. 4. in 1. Reg. c 5.* asserit, unctionem ejus, qui in culmine ponitur, id est Episcopatu, esse Sacramentum. Firmatur, quia si Ordinatio Episcopalis Sacramentum non esset, non possemus ex Scripturis probare ordinem esse Sacramentum: siquidem Catholici id probant ex illo Apostoli *1. ad Timoth. 4. noli negligere gratiam, quæ est in te &c. cum impositione manuum Presbyterii:* atqui tunc Timotheus fuit ordinatus Episcopus à D. Paulo, ut communiter docent: ergo si Episcopatus non esset Sacramentum, non possemus probare Ordinem esse Sacramentum. Firmatur secundò, quia consecratio Episcopalis causat gratiam, & est Signum sensibile, ut liquet ex illo Apostoli 2. *ad Timoth. 1. admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum eorum.* atqui impositio manuum est signum sensibile, ergo cum causet gratiam, sequitur, Episcopatum esse verum Sacramentum, quia ei convenit vera Sacramenti definitio.

Sed hæc minimè urgent, quia tametsi Episcopatus sit signum sensibile causativum gratiæ, ac propterea sit verum Sacramentum; non tamen est Sacramentum distinctum à Sacerdotio, nec ordo distinctus ab ordine Sacerdotali: neque Sancti Patres oppositum docuerunt, quia ipsi eatenùs consecrationem Episcopalem vocant Sacramentum, quia est complementum Sacramenti, seu Sacerdotii: nam etiam cæteri ordines inferiores Sacerdotio, ut Diaconatus, & Subdiaconatus sunt Sacramenta; & nihilominus non sunt distincta Sacramenta à Sacerdotio, quia ad ipsum ordinantur, ut ad finem, quatenus dicunt ordinem ad conficiendam Eucharistiam: unde ex omnibus ordinibus constituitur unicum Sacramentum, cujus Episcopatus est complementum. Ad primam confirmationem negatur sequela, quia, ut ex scripturis inferamus ordinem esse verum Sacramentum, satis est si Episcopatus sit complementum intrinsecum Sacramenti ordinis: Siquidem non est possibile, ordinem compleri in ratione Sacramenti per Episcopatum, nisi ordo sit verum Sacramentum. Ad secundam confirmationem respondetur, consecrationem Episcopalem esse quidem signum sensibile causativum gratiæ; non tamen inde sequi, quòd sit Sacramentum distinctum, aut ordo distinctus ab ordine Sacerdotij, quia ad id sufficit, si sit excellentissimum quoddam complementum Sacramenti, seu Sacerdotii: idq; patet ex ceremonia illa, qua confertur Sacerdoti jam ordinato potestas ad absolvendum à peccatis per impositionem manuum Episcopi, & per verba illa, *accipe Spiritum Sanctum*, licèt conferatur Sacerdoti nova gratia per signum sensibile, non tamen hoc signum causativum gratiæ est distinctum Sacramentum à consecratione Sacerdotali, quæ fit in contactu Calicis, in quo imprimitur Character Sacerdotalis; sed tantùm est Complementum, & extensio Sacerdotii in ordine ad actum respicientem misticum corpus Christi, seu fideles absolvendos à peccatis: ita proportionaliter dicendum est, de consecratione Episcopali, quæ propterea non est Sacramentum distinctum à Sacerdotio, sed tantùm ipsius Sacerdotii extensio, ac excellentissimum ejus complementum.

16 Si instes, consecrationem Episcopalem imprimere distinctum Characterem ab illo, qui imprimitur in collatione Sacerdotii, quia per Episcopalem Consecrationem datur nova potestas conficiendi Sacramentum confirmationis, & conferendi Ordines: siquidem simplex Sacerdos non potest alios Sacerdotes ordinare, nec conficere confirmationem: quamobrem per consecrationem Episcopalem novus imprimitur Character; cùm nomine Characte-

ris

ris nihil aliud intelligatur, quàm ſpiritualis poteſtas exercendi actus aliquos ſupernaturales,& Hierarchicos; cujuſmodi ſunt, miniſtrare Sacramentum confirmationis, & ſacros conferre Ordines: ergo Epiſcopatus eſt Ordo diſtinctus à Sacerdotio, quia ubi dantur diverſi Characteres, non poſſunt non eſſe diſtincti ordines, cùm ordo ſit ſignaculum, quo character, ſeu poteſtas ſpiritualis confertur.

17 Contra eſt, ſiquidem imus inficias, conſecrationem Epiſcopalem imprimere novum Characterem diſtinctũ ab illo, qui imprimitur in collatione Sacerdotii: quia tantùm complet,& extendit Characterem Sacerdotalem cauſando in ipſo novum modum realem, & phyſicum, quo antea carebat. Siquidem ratione hujus novi modi extenditur Ordo Sacerdotalis, ad conficiendum Sacramentum confirmationis, & ad conferendos ſacros Ordines; adeò, ut ſit idem Character, cui per conſecrationem Epiſcopalem ſuperadditur novus modus, quo magis extenditur, ac completur in ordine ad conficienda alia duo Sacramenta, ſcilicet Confirmationis, & conferendi Ordines. Hic autem modus eſt indelebilis, ſicut ipſe Character. Idque explicari poteſt à pari, quia poteſtas phyſica ad abſolvendum à peccatis, quam recipit Sacerdos in ſui ordinatione, non eſt Character diſtinctus à Charactere Sacerdotali, ſed tantùm eſt modus realis intrinſecus, & phyſicus, qui complet, & extendit Characterem Sacerdotalem antea compreſſum in contactu Calicis, ad myſticum Corpus Chriſti, ſeu fideles abſolvendos à peccatis. Quamobrem Epiſcopatus eſt tantum ultimum complementum characteris Sacerdotalis, & differt tantùm à Sacerdotio, ut vir perfectus à puero: ſicut enim in ratione hominis puer eſt imperfectus, eò quia non habeat vim gignendi alium hominem in illa ætate: & vir in ratione hominis ſit perfectus, poſſitque generare alios viros: ita ſimplex Sacerdos, quia non poteſt alios Sacerdotes ſpiritualiter gignere, eſt ſuo modo imperfectus,& quoad hoc Epiſcopus eſt perfectus.

§. III.

De materia, & forma ſingulorum Ordinum.

1 Quia in quovis Sacramento reperitur materia remota, & proxima, ideò Sacramenti Ordinis materia remota eſt inſtrumentum aliquod, quod ordinibus initiandis traditur in ſignum ſpiritualis poteſtatis, quam recipiunt; ut mediante tali inſtrumento ſuo fungantur munere, & ſuſceptum exequantur ordinem. Materia proxima eſt ejuſdem inſtrumenti traditio ab ordinante, & ejuſdem acceptatio ab ordinando. Neque opus eſt, eam materiam eſſe conſecratam, cum Chriſtus ſuo contactu, uſuque Calicis, ad quem tanquam ad finem cæteræ materiæ revocantur, conſecraverit, ut aſſerit Marchinus *tract. 1. p. 1. c. 16. n. 25.*

An verò inſtrumenta, quæ ordinando tangenda traduntur debeant immediatè ab Epiſcopo porrigi, an verò per alium tangenda tradi poſſint. Reſpondet Marchinus *loc. cit.* quòd ſi Epiſcopus porrigeret materiam, & purus Sacerdos verba proferret ordinatio foret irrita, quia ſimplex Sacerdos non eſt Miniſter ordinis. Rurſus, ſi Epiſcoppus verba proferat, & purus ſacerdos porrigat ordinando materiam tangendam, ut hic initietur Ordinibus majoribus ordinatio eſt etiam nulla, ut liquet ex *c. ſubdiaconos. diſt. 23.* ſin verò ordinandus initietur ordinibus minoribus ordinatio ſuũ ſortitur valorẽ, juxta *c. Acolytus diſt. 23.* ut docet D. Thomas *in 4. diſt. 25. q. 1. art. 1. ad 2.* Rurſus juxta comunem Sententiam contactus materiæ eſt de eſſentia Sacramenti, adeò, ut non cenſeatur ordinatus, qui materiam realiter, & phyſicè non tangit: ſiquidem in omnibus aliis Sacramentis, ſi non ſit phyſicus contactus, Sacramentum eſt nullum, ut patet in baptiſmo, Confirmatione, & extrema Unctione, unde hoc idem ſentiendum eſt, de Sacramento Ordinis, cum ſit quoad hoc utrinque par ratio. Rurſus, quia ad valorem Sacramenti neceſſe eſt adimpleatur veritas ejus formæ: & in forma Sacramenti ordinis proferatur hæc forma, *accipe hoc, vel illud*, hoc eſt, hanc, vel illam materiam hujus, vel illius ordinis, & cum verbum *accipe* ſit imperativum, utique imperatur contactus corporalis, qui ſi negligatur, veritas formæ minimè impletur, nec Sacramentum conficitur. Prætereà, quia ſicut activa inſtrumentorum porrectio, quæ ſunt materia Ordinis, ab Epiſcopo facta, neceſſaria eſt ad valorem hujus Sacramenti, ita etiam acceptio paſſiva corporalis, quæ fit mediante contactu ad ejusdem Sacramenti valorem exigitur; quia porrectio, & acceptatio ſunt correlativa, & ſicut porrectio eſt Phyſica, ita acceptatio, debet eſſe Phyſica. Demùm, quia Gregorius IX. in *c. Presbyter. de Sacramen. non iteran.* aſſerit, ex traditione Apoſtolica contactum Phyſicum, & corporalem eſſe neceſſarium in Ordinationibus, ut etiam tradit D. Thomas *in 4. diſt. 24. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 5. ad 3.*

Id tamen non debet ita intelligi, ut in Sacerdotio neceſſe ſit, ut Neomyſta hoſtiam, & vinũ immediatè tangat, ſed ſufficit, ſi Phyſicè tangat Calicem, & patenam: ſiquidem, qui tangit phyſicè Calicem, cenſetur moraliter attingere vinũ in eodem contentum, ut etiam, qui attingit patenam, cenſetur hoſtiam attingere eidem impoſitam; quamvis tutius ſit attingere patenam, & Hoſtiam immediatè juxta ritum Eccleſiæ, ne ordinandus periculo ſe exponat non ſuſcipiendi ordinem, & fruſtrandi Sacramentum. 3

Cæterùm ad removendos ſcrupulos, qui in hac materia facilè oriri poſſunt, non deſunt, qui cenſeant probabile; non eſſe neceſſe, ut initiandus ordinibus neceſſitate Sacramenti tangat phyſicè materiam, ſed ſufficere, ſi extenſione manuum, vel alio ſigno ſenſibili equipollente ſignificet, ſe talem materiam ſibi ab Epiſcopo oblatam acceptare; quia traditio inſtrumentorum tantùm deſervit ad determinandã poteſta-

Uu tem,

tem, quæ datur, ad quod non requiritur contactus Physicus, sed ostensio præsens cum signo acceptativo. Neque est eadem ratio de baptismo, confirmatione, & unctione, quæ Sacramenta sine Physico contactu non suscipiuntur: siquidem hæc Sacramenta ex propria natura exigunt contactum Physicum, cùm non dicatur quis lavari, vel ungi, nisi aqua, vel oleum ejus attingat corpus. Bonacina itidem de Sacramento *disput. 8. q. unica. punct. 5. n. 10.* censet in nullo Ordine realem contactum materiæ esse de essentia Sacramenti, cui Sententiæ adhæret etiam Diana, eò quia tradi possit materia, & accipi cum solo consensu aliquo signo explicato: quo pacto verè accipimus equum, nummos, & alia id genus cum solo signo acceptativo, tametsi ea minimè tangamus. Verùm communiter censent, contactum materiæ saltem esse de necessitate præcepti Ecclesiastici, adeo, ut si ordinandus, vel Episcopus scienter illum omittant, uterque lethaliter peccet, cum sit transgressio in materia gravi contra Rubricam Pontificalium omnium. Unde curandum omnino est, ut juxta ritum Ecclesiæ in SS. Ordinibus suscipiendis, Physicè tangatur materia: Quòd si per aliquam inadvertentiam, incuriam, aut distractionem ordinandus materiam physicè, & taliter non contingeret, dummodo per Episcopum illi exhiberetur, & ordinandus per signum aliquod sensibile explicaret suum consensum, ut si manum porrigeret ad tangendum, licèt physicè, & realiter non tangeret, docent Diana, & Layman. in *Theol. moral. de Sacram. Ordinis. c. 5. n. 4.* Ordinem nihilominus rectè collatum esse: quia neque ex divina, nec humana lege habetur, quòd contactus physicus requiratur essentialiter ad substantiam Ordinis. Et verbum illud *accipe* per modum imperii, censent esse intelligendum in sensu juris, de acceptatione potestatis ministrandi: sicut traditio Dominii, quod venditor habuit in domo vendita, potest fieri per solam ostensionem domûs, & datam facultatem capiendi possessionem *l. clavibus 73.* & ibid. DD. *ff. de contrahent. empt.* Cæterum contactus physicus consultiùs semper adhibetur, nec ullo pacto est omittendus, cum saltem sit de ritu, & consuetudine Ecclesiæ, à qua nulla pacto est recedendum.

5 An verò hujusmodi contactus Physicus debeat simul fieri cum ipsis verborum prolatione, respondetur affirmativè, quia tunc verificatur forma Sacramenti. Plures tamen censent probabile, ad substantiam hujus Sacramenti non requiri, quòd hic contactus sit simul in eodem instanti mathematico, cum prolatione verborum, putantes sufficere, si sit simul moraliter, seu absque mora interposita, quia cum simultate morali, rectè cohæret significatio Sacramentorum: imo addunt, nec talem contactum simul cum prolatione verborum requiri ad præceptum implendum: quapropter sive prolatio verborum habeatur ante, vel post contactum, nil refert, dummodo sine mora interposita fiat, ita docent Layman. *lib. 5. tract. 2. c. 7. n. 1.* Henriquez *lib. 1. c. 9. n. 10.* Diana, & alii.

Ut autem descendamus ad materiam particularium Ordinum, certum est, materiam remotam Ordinis Sacerdotalis esse Calicem cum vino, & patenam cum hostia; & proximam traditionem Calicis cum vino, & patenæ cum hostia ex frumento; qua traditione facta, si moreretur Episcopus antequam proferret illa verba, *accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis*, esset quidem Neo-mysta Sacerdotali ordine initiatus in ordine ad consecrandum Corpus, & Sanguinem Christi, sed imperfecta esset Sacerdotalis potestas, quia Neo-mysta non posset à peccatis absolvere: hinc duplex assignatur Sacerdotii materia; quarum prima est traditio Calicis, cum vino de vite, & patenæ cum hostia ex frumento, & est potestas offerendi Sacrificium, & consecrandi, ac conficiendi Corpus Christi. Secunda est impositio manuum, cum verbis *accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis.* Et utraque materia est de essentia Ordinis Sacerdotalis, quia per primam confertur potestas conficiendi Corpus Christi; & per secundam potestas absolvendi à peccatis: quapropter ordinatio Sacerdotii constat ex duabus partialibus materiis essentialiter requisitis, ad duplicem illam potestatem à Christo diversis temporibus Apostolis traditam: siquidem potestatem consecrandi Eucharistiam tradidit in ultima Cœna: & potestatem remittendi peccata post resurrectionem *Joan. 20.* unde etiam Episcopus unam potestatem confert post aliam. Tum quia Concilium Tridentinum agens de Sacramento extremæ unctionis *sess. 4. c. 13.* definit Ministrum hujus Sacramenti solum esse Sacerdotem ab Episcopo per impositionem manuum Presbyterii ritè ordinatum; ubi declarat manuum impositionem esse partem essentialem Sacerdotalis Consecrationis, ut asserit Scotus *in 4. dist. 24. q. unic.* Paludanus *dist. 25. q. 1.* Bellarminus *de ordin. lib. 1. c. 9.* Marchinus *de ordin. tractat. 2. p. 8. c. 5. propositione 1. & 2. &* alii plures. Alii tamen censent, Ordinationem Sacerdotis perfici per prolationem primæ formæ, cum applicatione propriæ materiæ; & impositionē manuum cum verbis secundæ formæ, non esse de essentia, & substantia ordinis Sacerdotalis, sed tantùm esse Sacramentalia adhibenda ratione præcepti, ut censent Valentia *tom. 4. disput. 1. q. 1. punct. 5.* Nugnius *in supplem. 3. par. q. 37. art. 5.* Diana, & plures alii.

Quòd si daretur ex incuria, & inanimadvertentia Calix sine vino, ut refert Diana, contigisse in Hispania suo tempore ex incuria Magistri Ceremoniarum, qui non apposuit vinum in Calice; tunc licèt. Henriquez *lib. 10. cap. 6. num. 1.* & alii censeant probabile conferri ordinem Sacerdotalem, nec esse necessariò iterandum, eò quia potestas consecrandi utramq; speciē non confertur divisim, sed conjunctim, adeò, ut qui potest unam speciē consecrare, possit & aliā, cum Christi Corpus sit conjunctum cum sanguine: nihilominus

minus longè tutiùs repetenda esset ordinatio sub conditione, si non esset ordinatus? idque ad vitandum spirituale fidelium detrimentum: siquidem ille Clericus non esset coram Deo verus Sacerdos, neque verè corpus Christi conficeret, neque à peccatis absolveret, unde longè consultiùs, esset ordinatio illa reiteranda sub conditione, ut censent Turrianus *in select. p. 1. disput. 21. dubio 2.* Tannerus *Tom. 4. disput. 7. q. 2. dubio 4. n. 99.* Marchinus *de Ordin. tract. 2. p. 8. c. 5. proposit. 2. n. 4.*

8 Diaconatûs materia secundùm Sylvium *in 3. p. q. 37. art. 2. q. 3.* est traditio libri Evangeliorum, & impositio manuum. Secundum Nugnum *in 3. p. tom. 2. q. 37. art. 5.* est sola traditio libri. Sed verior, & communior Sententia est, in hac Ordinatione duas concurrere partiales materias, duasque formas itidem partiales; adeò, ut ambæ simul junctæ constituant unicum Ordinem Diaconatûs: siquidem de impositione manuum nulli potest esse dubium, cum ex Scripturis non colligatur alia materia. De traditione autem libri Evangeliorum constat ex Concilio Florentino assignante pro materia Diaconatûs hunc Evangeliorum librum: ergo utraque materia est de essentia Diaconatûs. Quòd si dicas, in ipso Ecclesiæ Exordio fuisse Diaconos ordinatos per solam manuum impositionem, cùm Evangelia nondum scripta fuerint. Respondent communiter Doctores, id factum fuisse divina dispensatione, ut ad exhibitionem principalis partis materiæ, tota Diaconatûs potestas conferretur.

9 Subdiaconatûs materia, est traditio Calicis vacui, & Patenæ vacuæ, ut definitum fuit in pluribus Conciliis Carthaginensi IV. *c. 5.* Toletano *IV. can. 27.* & Florentino sub Eugenio IV. in Decreto fidei post ultimam sessionem. Dubitatur tamen, an traditio libri Epistolarum, sit etiam materia partialis Ordinis Subdiaconatûs; perinde, ac liber Evangeliorum est partialis materia Diaconatûs? Filliucius *c. 45.* Tannerus *disput. 7. q. 7. dubio 3.* Medina *lib. 1. de ordin. c. 44.* censent, traditionem libri Epistolarum esse itidem materiam partialem subdiaconatûs, quia per utramque traditionem, & per verba utrique correspondentia traditur potestas ad duas actiones proprias Subdiaconi; scilicet ad ministrandum Sacerdoti vasa corporis, & Sanguinis Christi, & ad legendas Epistolas publicè cum manipulo: unde inferunt, utramque traditionem, & verba utrique correspondentia pertinere ad ordinationem Subdiaconi. Alii tamen probabiliter censent, traditionem libri Epistolarum non esse partialem materiam Subdiaconatûs; ea nixi ratione, quia in præcitatis Conciliis nulla fiat mentio de libro Epistolarum, nec de potestate legendi solemniter Epistolas. Tum quia ab exordio nascentis Ecclesiæ Clerici initiabantur Subdiaconi, tametsi liber Epistolarum Novi Testamenti nondum extaret, cùm certum sit, Epistolas D. Pauli, & aliorum Apostolorum, non nisi successivè fuisse primis illis temporibus scriptas: huic Sententiæ adhæret Layman. *c. 5. n. 3.* Coninc. *disput. 20. n. 69.* Vasquez. *disput. 33°. c. 5.* Valentia, Diana, & alii. Verùm ex consuetudine Ecclesiæ traditio libri Epistolarum censetur materia partialis Subdiaconatus.

Acolytatûs materia duplex est, una remota, alia proxima: illa est Candelabrum cum cereo extincto, & urceolis vacuis: proxima est porrectio horum instrumentorum, quæ in hoc ordine duplicantur ad significandum duplicem potestatem; siquidem per traditionem primi instrumenti acolytus suscipit potestatem Ceroferarii: & per traditionem secundi potestatem ministrandi propinquius ad Altare. Utraque materia remota, & proxima refertur in Concilio Carthaginensi IV. *Can. 6* 10

Exorcistatus materia est etiam duplex remota una, estque liber exorcismorum; altera proxima, & est ejusdem libri traditio: meminit utriusque materiæ idem Concilium Carthaginense IV. *can. 7.* ut etiam Romanum Pontificale. Lectoratûs materia est itidem duplex remota una, & est liber continens Prophetias veteris, & novi Testamenti; & alia proxima, seu traditio ejusdem libri. Ostiariatûs materia remota sunt Claves Ecclesiæ; & proxima traditio earundem. 11

Forma omnium Ordinum sunt verba illa, quæ ab Episcopo in traditione materiæ proferuntur, *accipe potestatem &c.* quibus significatur imperativo quodam modo, quo traditur potestas singulis accommodata, & ut ostendatur, quod initiatus tali Ordine debeat illud exercere, suoque fungi munere, ne videatur illud inutiliter suscepisse: & quia verba formæ proferuntur ab Episcopo imperativo modo, cum expressione potestatis, quæ confertur; omnia illa verba sunt de essentia formæ, quibus potestas exprimitur, ut docet D. Thomas *in supplem. q. 24. art. 4.* Episcopus tamen cùm profert verba, debet simul exhibere materiam tangendam. Valida nihilominus esset ordinatio, si Episcopus prolatâ semel unicâ formâ in plurali præberet materiam pluribus initiandis ordine Sacerdotali tangendam, non repetitâ formâ, etiamsi per aliquid temporis successivè Neo-mistæ sibi exhibitam materiam tangerent post prolata ab Episcopo verba, quia moraliter conserentur materia, & forma esse simul: dummodo talis contactus quadam continuatione perageretur. Hanc ordinationem esse validam asserit Farinacius *de Sacris ord.* apud Tolet. *c. 2. n. 5.* & asserit, ita fuisse declaratum Romæ in quadam Congregatione. Verùm quoties pro validitate, & invaliditate ordinis adsunt rationes probabiles consultiùs semper est, ac tutiùs iterare ordinationem sub conditione. Imò Episcopatus, & Presbyteratus, quando agitur de probabilitate circa validitatem, & invaliditatem, sunt omnino iterandi sub conditione, ne Episcopus, aut Presbyter se exponat periculo non consecrandi Neo-mistas, non ordinandi, non absolvendi, & Sacerdos non consecrandi, & absolvendi cum maximo fidelium detrimento. 12

Cæterum officium Sacerdotis est conficere Sacramenum Eucharistiæ, & administrare Sacramen- 13

cramenta exceptis Ordine, & Confirmatione, quorum administratio pertinet ad solum Episcopum; & rursus è suggestu Verbum Divinum dicere, seu concionari, & populum benedicere. Munus Diaconi est publicè, & cum Stola Evangelium legere in Ecclesia; assistere Sacerdoti sacrificanti, eique panem, & vinum acceptum à Subdiacono porrigere, vel Altari imponere: Sacerdoti subservire in Sacramentis administrandis: sub Ecclesiæ initiis pertinebat ad Diaconos Eucharistiam fidelibus ministrare, quo officio fungebantur illi septem Diaconi electi ab Apostolis *Actorum 2.* Verùm hæc potestas ob incommoda, quæ inde sequebantur fuit Diaconis à Concilio Nicæno abrogata: in casu tamen necessitatis absente, vel prorsus impotente Presbytero posset Diaconus infirmis deferre, ac ministrare Sacrum viaticum. Potest etiam Diaconus deferre pixidem cum Hostiis consecratis, ab uno ad alium locum, quia ut docet D. Thomas *3. p. q. 82. art. 3. ad* 1. Diaconus Jure Divino habet potestatem super Corpus Christi contentum in Vasis Sacris: quapropter in ipso Ecclesiæ exordio Diaconi ministrabant Populo Sacramentum Eucharistiæ sub utraque specie, & communicantibus propinabat Sanguinem Christi. Rursus pertinet ad Diaconum assistere Episcopo, vel Presbytero in doctrinæ & prædicationis officio, quamvis illius munus non sit prædicare ex Cathedra, sed solùm recitare Evangelium, & fidei articulos explicare.

14 Munus Subdiaconi est Diacono ministrare, aquam ad ministerium Altaris præparare, Pallas Altaris, & Corporalia abluere, Calicem, & Patenam in usum Sacrificii eidem offerre, panem consecrandum pro populo in Altari ponere, Crucem in processionibus gestare; Epistolam in solemni Missa cum propriis ornamentis illius Ordinis canere. Acolytus porrigit Subdiacono urceolos cum vino, & aqua; præparat lumina ad Sacrificium, & transfert cereum accensum ad Altare. Exorcista imponit manus super energumenos, eisque legit exorcismos ad fugandos dæmones. Lector legit Prophetias, & Scripturas in Ecclesia. Ostiarius claudit, aperit Januas Ecclesiæ, quam custodit, admittit dignos ad Sacra, & indignos excludit.

§. IV.

De Ministro Ordinis, & Loco Ordinationum.

1 ORdinis Sacri Ministrum esse Episcopum definitur in Concilio Tridentino *Sess. 23.* de Sacramento Ordinis *can. 7.* contra hæreticos nostri temporis putantes, potestatem conferendi ordines esse in tota multitudine fidelium, & Clero, quod falsum est, cùm jurisdictio Ecclesiastica sit tantùm penes superiores Ecclesiasticos: & quia Episcopus est Sacrorum Princeps, & in Consecratione accipit potestatem conferendi Sacramenta Ordinis, & Confirmationis, ideo ad solum Episcopum pertinet, & non ad totam multitudinem fidelium, ad ūmque Clerum conferre Sacros ordines: siquidem ad solum Principem in aliquo statu pertinet officia, & ministeria distribuere intra eundem Statum. Tum quia hæc potestas fundatur in Charactere Episcopali, qui cùm sit indelebilis, eam non amittunt Episcopi, licèt excommunicati, vel interdicti, vel suspensi, aut etiam privati Episcopatu: cùm enim potestas hæc includatur in Charactere, qui est indelebilis, ideo Episcopus semper validè Sacramentum Ordinis confert, si ritè adhibeat materiam, & formam, & alia requisita; verum tamen est, quòd illicitè in excommunicatione, vel suspensione exercet suam potestatem, & propterea peccat; & ordinatus ab Episcopo excommunicato vitando incurrit suspensionem, ut habetur in *cap. 1. & 2. de Schismat.*

Dubitare tamen quis posset, an ordinarius Sacramentorum Minister possit esse Angelus? 2
Sed respondetur, quòd si Sermo sit de Ministro ordinario, non posse Angelum esse Sacramentorum Ministrum: quia sicut ad essentiam Sacramenti requiritur verum, naturale, ac sensibile Elementum, ita etiam requiritur verum naturale, & sensibile verbum, quod profertur in forma Sacramenti: & cùm Angelus etiam in corpore assumpto non dicatur propriè loqui, eò quia ejus locutio non sit actus vitalis, cùm Angelus non informet, nec animet corpus assumptum, sed tantùm eidem assistat; ideo nequit Angelus esse Sacramentorum ordinarius Minister: quia hic debet essentialiter in forma Sacramentorum proferre vera naturalia; & sensibilia verba. Potest nihilominus ex divina dispensatione Angelus esse Minister extraordinarius Sacramentorum, & etiam validè ordines conferre, ut in historiis Ecclesiasticis legimus contigisse Sancto Amphilochio, qui fuit ab Angelis Iconii Episcopus ordinatus, & ordinatio ab Angelis peracta, fuit ab Episcopis Provincialibus approbata. Non enim, ut docet D. Thomas *3. p. q. 64. art. 7.* Deus suam potentiam alligavit Ministris. Non tamē si quis à Cacodæmone ordinaretur censenda esset ordinatio illa alicujus valoris: quia malis Angelis non convenit per se potestas ordinandi; neque præsumuntur eam habere ex divina dispensatione, & lege Dei extraordinaria.

Abbates tamen Presbyteri, qui habent jus 3
mitræ, & baculi, ac benedicti fuerunt ab Episcopis, possunt conferre primam tonsuram, & quatuor minores ordines suis subditis Regularibus, ut patet ex *c. quoniam dist. 69. c. cùm contingat de ætat. & qualit. c. Abbates de Privilegio in 6.* & ex Concilio Tridentino *Sess. 23. c. 10. de refor.* Quinimò possunt etiam hujusmodi Abbates primam tonsuram, & ordines minores conferre sæcularibus, dummodo accesserit consensus Episcopi, cujus jurisdictioni subjiciuntur, & ab eodem quisque ordinandus litteras dimissoriales impetraverit: generalis enim facultas concessa ab Episcopo non sufficit,

sufficit, sed requiritur, ut singuli ordinandi suam speciatim concessionem obtinuerint. Imò Sacra Congregatio, teste Tamburino declaravit, posse hujusmodi Abbates conferre primam tonsuram, & ordines minores etiam aliis Regularibus, si dimissoriales litteras specialiter obtinuerint à suis Superioribus, & etiam specialem consensum Episcopi illius loci. Locus tamen, in quo præfati Abbates minores ordines conferre possunt, est tantùm proprium Monasterium, ut liquet ex *c. quoniam dist. 69. & c. cùm contingat de aetat. & qualit.* Verùm, quia Privilegium est etiam personale, si Abbas rogaretur à Prælato alterius Monasterii exempti, posset etiam ibi ordines minores conferre suis Subditis Regularibus, ut notat Lezana *tom. 4. summa v. ordines sacri n. 8.*

4 Non tamen possunt Abbates suos Novitios ante professionem ordinare, quia Concilium Tridentinum *loc. cit.* exigit in ordinando ab Abbate, ut sit Regularis, & subditus ipsius Abbatis. Novitius verò, cùm sit adhuc sui juris, possitque habitum Religiosum deponere, propriè non dicitur Regularis, nec absolutè, & plenè subditus Prælato Regulari quoad ordines recipiendos, sed duntaxat quoad munus probationis: quapropter nequeunt Prælati Regulares suis Novitiis litteras dimissoriales concedere; sed id pertinet ad Episcopum loci. Quòd si dicas, extare Privilegium Julii II. relatum à Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 29. n. 12.* quo potuerunt olim Abbates perpetui Cistercienses Clericali Charactere etiam Novitios insignire. Respondetur, hoc privilegium fuisse à Tridentino sublatum, ut patet ex illis verbis *non obstantibus quibusvis privilegiis.* Quòd si Novitius esset ordinandus deberet ordinari ab illo Episcopo, in cujus Diœcesi existit Monasterium probationis, ut communior fert Sententia: quia Novitius quantum est ex se censetur velle perpetuò in tali monasterio immorari; cùm censeantur omnes, hac eadem intentione onus subire religionis. Tum quia Novitii absolutè, & non conditionatè fiunt Religiosi, quamvis eorum voluntas mutabilis sit, & resolvi possit in conditionem, si religio non placuerit: & per hunc absolutum ingressum Novitius acquirit Domicilium, ut notat Barbosa *de jure Ecclesiastico lib. 1. c. 33. n. 65.* Lezana *tom. 1. c. 24. n. 6.*

5 De Jure nemo ordinari potest, nisi à proprio Episcopo. Proprius autem Episcopus, non solùm est Episcopus Originis, aut Domicilii, sed etiam loci, in quo quis beneficium obtinet, ut declaravit Bonifacius VIII. *c. cùm nullus de temporibus ordinat. in 6.* An verò possit Episcopus alieno subdito conferre simul primam tonsuram, & beneficium? Respondetur, id non posse facere in fraudem, quia expressè prohibetur *in c. eos Clericos de tempor. ordinat. in 6.* ubi prohibetur Episcopus ordinare alienum subditum, quocumque figmento quæsito: ubi Glossa *ver. figmento* intra figmenta recenset, si Episcopus alieno subdito conferat beneficium ad eum finem, ut illum ordinet: quia tunc principalis intentio fertur in ordinationem alieni subditi; & beneficii collatio, tantùm assumitur ad cohonestandam alieni subditi ordinationem. Quòd si principalis intentio fuerit de conferendo beneficio ob utilitatem Ecclesiæ, eò quia reverà persona sit idonea, tunc ordinatio est licita, quia non fit in fraudem: quia fraus tunc tantùm intervenit, quando confertur beneficium, ut possit quis ordinari; non verò è contra, quando confertur beneficium ex principali fine ad assumendam talem personam idoneam pro servitio propriæ Ecclesiæ, cui debeat esse perquam utilis.

Non tamen desunt, qui censeant, posse Episcopum alieno subdito conferre primam tonsuram, & etiam beneficium, & videtur desumi ex *c. cùm nullus de tempor. ordinat. in 6.* ubi habetur, *seu in cujus Diœcesi beneficium obtinet Ecclesiasticum* non enim dicit, *obtinuit* de præterito; sed *obtinet* significans tempus præsens, quapropter sufficit, si illud obtineat, cum initiatur primâ tonsurâ, quia textus non videtur id prohibere. Tum quia eatenus ratione beneficii potest quis ordinari, quia beneficium trahit secum subjectionem, quâ beneficiatus subjicitur Episcopo loci, in quo reperitur beneficium: atqui quando Episcopus ordinando confert beneficium, constituit ipsum sibi subditum, præsertim, si beneficium sit annexum Ecclesiæ Cathedrali, cui ordinatus ratione beneficii debeat inservire: ergo tunc Episcopus conferendo beneficium non censetur ordinare alienum subditum, sed proprium, & cessat omnis fraus, quia per talem ordinationem intendit consulere servitio, & utilitati propriæ Ecclesiæ. 6

Neque obstat, quòd tale beneficium non fuerit ante collatum. Quia, quando pro actu requiritur qualitas aliqua fundamentalis, satis est, si hæc tunc adsit, quando actus celebratur, & perducitur ad effectum, non verò est necesse, quòd præcesserit *l. 2. §. proximum ff. de suis. & l. tutelas init. ff. de cap. domin. & l. si usufruct. ff. quibus modis usf. fruct. amittatur.* ut notat Bald. *in l. humanitatis n. 28. ver. quandoq; c. de impub.* Tum quia prima tonsura, & collatio beneficii æquivalent electioni, seu præsentationi, & institutioni juxta *clemen. unic. junct.* Glossa. *v. conferuntur in fin. de rer. permut.* ubi Rebuffus *in concor. v. statuimus.* Gonzales *ad regul. 8. cancellar.* Glossa *16. n. 9.* Rota contra Feral. *decis. 36. n. 15. p. 3.* & cum actus electionis, præsentationis, confirmationis, & institutionis pertineant ad Episcopum, ad quem tantùm spectat conferre beneficia: ideo potest alienum subditum eligere ad beneficium, ac eum sibi constituere subditum ratione beneficii, deinde conferre eidem tonsuram, ac demum illum instituere: semel quòd eligitur ad beneficium fit subditus eligentis, & confirmantis: siquidem potestas confirmantis, est potestas jurisdictionis, ut notant Hostiensis *in summa tit. de elect. n. 27.* Butrius *in c. 1. n. 9. de translat. Prælat.* institutio enim, & confirmatio denotant subjectionem in instituto *c. decernimus 16. q. 1.* & cùm hujusmodi subjectio inducatur per electionem ad beneficium, ideo est subjectio ratione beneficii, & 7

 suffi-

ſufficiens ad recipiendam tonſuram juxta *c. cùm nullus 3. de tempor. ordinat. in 6.*

8 Neque id adverſatur Concilio Tridentino prohibenti *ſeſſ. 23. c. 9. de refor.* ne Epiſcopi ordinent ſuos Familiares non ſubditos, niſi ſint triennales: quia hoc Decretũ tantùm procedit, quando Epiſcopus ordinat ſolùm titulo familiaritatis; non verò quando ordinat ratione beneficii: quia tunc ordinat eũ tanquam ſubditum, non ut familiarem; proinde conferendo beneficium; poteſt familiarem ordinare, licèt non fuerit triennalis, ut declaravit Sacra Concilii Congregatio apud Garziam *de beneficiis in addit. ad 2. p. c. 4. n. 1.* & ita tenent Zerolla *in praxi p. 1. v. dimiſſoria §. 1.* Sanchez *lib. 7. conſ. moral. c. 1. dubio 2. n. 25.* Barboſa *ad d. c. 9. n. 10. & 15. ſeſſ. 23.* Concil. Trident.

9 An verò poſſint Sacri Ordines à ſimplici Sacerdote de conſenſu Summi Pontificis conferri? communior Sententia negat cum D. Thoma *in 4. diſt. 25. q. 1. art. 1. ad 3.* quia Jure Divino miniſter Sacri Ordinis videtur eſſe determinatus, & Concilium Tridentinum ſtatuit, ne Abbates conferant minores Ordines aliis, quàm ſuis Monachis ſignificando, quòd non debeant conferre iisdem Sacros Ordines, ut notant Bellarminus *c. 7. de ordin.* Covar. *lib. 1. var. c. 10. n. 10.* Zœſius *h. t. n. 7.* nihilominus licèt communior Sententia aſſerat, facultatem conferendi primam tonſuram, & quatuor minores Ordines eſſe tantùm conceſſam Abbatibus infulatis, & Cardinalibus Presbyteris in ordine ad ſui tituli ſubditos, in quos quaſi Epiſcopalem exercent jurisdictionem; & concedant omnes, poſſe Summum Pontificem hanc eandem facultatem conferendi minores Ordines committere cuilibet Sacerdoti ſimplici: attamen in contrarium ſentiunt, qui fidem adhibent Privilegio ab Innocentio VIII. conceſſo Joanni Abbati Ciſtertii conſecrandi, & ordinandi ſuos Monachos Subdiaconos, & Diaconos: hi putant, hanc poteſtatem conferendi Ordines Sacros poſſe à Pontifice committi cuilibet ſimplici Sacerdoti, & Engel *lib. 1. tit. 10. §. 2. n. 12.* aſſerit, hoc Privilegium eſſe conceſſum aliquibus Monaſteriis Ordinis S. Benedicti, & teſtatur in iisdem Monaſteriis fuiſſe à Prælatis collatos ſuis ſubditis Ordines ſacros Subdiaconatus, & Diaconatus. Imò videtur cùm Barboſa *c. 4. ſub n. 5.* poſſe itidem à Summo Pontifice committi facultatem Abbatibus, vel etiam ſimplici Sacerdoti, non ſolùm conferendi Sacros Ordines Subdiaconatus, & Diaconatus, ſed etiam Presbyteratus.

10 Utitur hac ratione, quia ſi Summus Pontifex poteſt habilitare ad Conſecrationes Eccleſiarum, & Altarium Abbates, & ſimplices Sacerdotes; cur non etiam ad Ordinationes cùm tam illi, quàm iſti ſint actus reſervati Ordini Epiſcopali. Verùm eſt diſpar ratio, quia tametſi ad poteſtatem Ordinis Epiſcopalis pertineant actus ordinandi Sacerdotes, & conſecrandi Eccleſias, & Altaria, non tamen eodem modo, quædam enim pertinent ad poteſtatem Ordinis Epiſcopalis de jure divino, in quibus non poteſt Pontifex diſpenſare; cujusmodi ſunt conferre Sacramentum Confirmationis, conficere Chriſma, ſacros Ordines conferre, Oleum infirmorum ſacrare, Sacerdotes, & Epiſcopos conſecrare; Hi enim omnes actus jure Divino, ſeu Authoritate Chriſti, & inſtitutione, conveniunt poteſtati Ordinis Epiſcopalis. Alia verò tantùm jure Canonico ad Epiſcopum pertinent, cujusmodi ſunt Eccleſias, Altaria, Vaſa, Veſtes, & Virgines ſacrare: ſiquidem Eccleſia hæc munera Epiſcopis reſervavit, unde non eſt mirum, ſi poſſit ſummus Pontifex, quæ ſunt de jure Eccleſiaſtico annexa poteſtati Ordinis Epiſcopalis committere alicui Abbati, vel etiam ſimplici Sacerdoti. Cæterum Privilegium, quod fertur Abbati Ciſtercienſi conceſſum, fuit abrogatum à Concilio Tridentino, ut paulò ſuperiùs innuimus; unde viderint illi, quorum intereſt, qui huic Privilegio fidentes ſacros conferunt Ordines; debent enim maturè perpendere, an formam, & limites conceſſæ ſibi poteſtatis obſervent, ne invalida ſit eorum ordinatio, & ex defectu poteſtatis pœnam incurrant ſuſpenſionis ab exercitio Pontificalium.

Debent igitur Clerici Ordines ſuſcipere ab 11
habente facultatem eos conferendi, & hic eſt proprius eorundem Epiſcopus, qui dicitur Ordinarius loci: ex triplici tamen Capite poteſt Ordinarius eſſe proprius Epiſcopus in ordine ad conferendos Ordines ſubditis, ſcilicet ratione originis, vel domicilii, vel beneficii, ut conſtat *ex c. cùm nullus 3. h. t. in 6.* adeò, ut à quolibet horum, absque alia licentia ordinari quis poſſit. Epiſcopus originis eſt Epiſcopus loci, in cujus Diœceſi natus eſt initiandus ſacris Ordinibus, & in quo ejus Parentes habent Domicilium; undè ratione originis dicitur quis ſubjectus ad hunc finem Epiſcopo, è cujus Diœceſi eſt oriundus; non tamen fortuitò, ſeu cauſa itineris, vel negotii; ſed quia parentes tunc temporis Domicilium in tali Diœceſi haberent. Siquidem non habetur ratio illius, quod contingit per accidens, ſed quod fit per ſe. An verò dicatur Epiſcopus originis is, in cujus Diœceſi natus eſt pater Clerici initiandi ſacris Ordinibus, reſpondent communiter affirmativè, quia origo patris ſufficit, ut filius, qui ſemper fuit cum patre commoratus, dicatur etiam oriundus ex eodem loco, imò etiam, ſi ſeorſim à Patre fuerit alibi commoratus: quia tunc adhuc cenſetur ſubjici Epiſcopo, cui Pater erat ſubditus quoad ordines ſuſcipiendos, ut notat Barboſa *de poteſtate Epiſcopi p. 2. allegat. 4. n. 7.* & cum ipſo Molfeſius *in ſum. tract. 2. c. 2. n. 7.* Diana, & alii aſſerentes, fuiſſe declaratum à ſacra Congregatione Concilii die 16, Decemb. 1599. & 12. Auguſti 1626. & 7. Aprilis 1629. quòd quis poſſit ordinari ab Epiſcopo originis paternæ, tametſi Pater tempore nativitatis illius filii, ad aliam Diœceſin jam Domicilium tranſtulerit.

Epiſcopus Domicilii dicitur Epiſcopus loci, 12
in quo quis habitat, vel incipit habitare cum animo ſemper ibi commorandi. Verùm Epiſcopus ratione Domicilii tantùm poteſt conferre ſubdito Domicilij primam tonſuram, & quatuor minores ordines, non verò alios ordines, ſi

Epiſcopus

Episcopus originis eundem ordinâsset, ad titulum beneficii, requirentis residentiam, vel ad titulum Patrimonii pro necessitate, & utilitate suæ Ecclesiæ; quia tunc licèt Clericus Domicilium transferret ad alium Episcopatum non posset ab illo Episcopo, ratione Domicilii promoveri ad Diaconatum, si ab alio jam fuisset promotus ad Subdiaconatum titulo beneficii exigentis residentiam: tunc enim debet Clericus remitti ad priorem Episcopum, ut inserviat Ecclesiæ, cui priùs fuit adscitus, ratione suscepti beneficii, ut ex Tridentino *Sess. 23. de refor. c. 16.* docent Quaranta *in sum. Bull. v. ordo. ver. circa 3.* Marchinus *tract. 1. p. 5. c. 7 n. 14.*

14 Episcopus beneficii est Episcopus illius loci, in quo quis habet beneficium, præsertim residentiale, tametsi tenue. Communis tamen sententia ex *textu c. cùm nullus de tempor. ordinat. in 6.* asserit, non esse necesse, quòd tale beneficium habeat annexam residentiam, quia præfatus textus generaliter loquitur de quocunque beneficio absolutè accepto, & ratione cujus potest quis ordinari: hinc, si quis duo diversa beneficia, sita in diversis Episcopatibus possideret, posset à quolibet eorum Sacris initiari Ordinibus, quia utriusque est subditus, ut notat Garzias *de benefic. par. 2. c. 4. num. 9. & 15.*

15 Cæterum Episcopus non solùm per se ipsum potest conferre Ordines, sed etiam potest alteri Episcopo facultatem communicare conferendi Ordines suis subditis concedendo litteras dimissorias, commendatitias. Capitulum verò Sede vacante non potest litteras dimissorias concedere intra annum à morte Episcopi juxta Decretum Concilii Tridentini, & si secus fecerit Ecclesiastico interdicto punitur, & ordinati, si in minoribus Ordinibus constituti fuerint, nullo gaudent Clericali privilegio, præsertim in Criminalibus, post tamen Judicis Ecclesiastici declaratoriam sententiam, ut declaravit Urbanus VIII. in constitutione adversus malè promotos, die 11. Decemb. 1624. cujus initium est, *Secretis æternæ providentiæ*, qui verò sunt initiati Ordinibus majoribus ipso jure sunt suspensi ab executione Ordinum ad benè placitum futuri Prælati.

16 Cùm igitur Episcopi dicantur proprii ad conferendos Ordines, ratione originis, domicilii, aut beneficii; de jure communi à quolibet horum potest quis Ordines accipere, ut minores ab Episcopo Originis; Subdiaconatum, & Diaconatum, ab Episcopo Domicilii, Presbyteratum ab Episcopo beneficii per accidens enim tantùm contingit, ut ordinatus ab uno non possit ab alio ordinari: sicut ordinatus à Papa à nullo inferiore ad ordines superiores promoveri potest, absque licentia Summi Pontificis, ob reverentiam eidem debitam *c. cùm in distribuendis 12. h. t.* Hinc nec Clerici latini ab Episcopis Græcis, nec Clerici Græci à Latinis Episcopis secundùm ritum, & morem suis Ecclesiæ proprium ordinari debent, ne fiat Rituum confusio *c. cùm secundum h. t.* quamobrem Urbanus VIII. in constitutione, quæ incipit *Secretis æternæ providentiæ*. statuit, quoad Ultramontanos, ne ab ullo Episcopo in Italia existente ad ullum ordinem tam majorem, quàm minorem, imò neque ad primam tonsuram promoveri possint, tametsi habeant litteras dimissorias suorum Prælatorum, nisi illæ eædem à Nuntiis Apostolicis, vel à Collectore commorante in illis partibus, vel à Vicario Summi Pontificis Romæ in spiritualibus generali examinatæ, & approbatæ fuerint: quòd si secus fiat, ordinantibus per annum ab exercitio Pontificalium; & ordinatis suspensionis pœnam perpetuam indispensabilem imponit: non tamen in hac constitutione comprehenduntur Regulares ultramontani, quia nulla fit de ipsis mentio, & concessio dimissoriarum quoad regulares, pertinet ad generalem, vel Provincialem illius Ordinis, vel alium superiorem Regularem. 17

Quod attinet ad locum ordinationum, debet Episcopus solùm in propria Diœcesi ordines conferre. Licèt ordinatio sit voluntariæ jurisdictionis, quæ regulariter etiam extra territorium rectè exercetur, ut notatur in *in l. 3. ff. de offic. Proconsulis.* Specialiter tamen ad conservandos Diœcesium limites, propriámque cujuslibet Episcopi authoritatem statutum fuit in Tridentino *Sess. 6. de refor. c. 5.* ut nulli Episcopo sub cujusvis Privilegii prætextu liceat Pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de ordinarii loci expressa licentia, quòd si secus fecerit Episcopus ab exercitio Pontificaliũ, & ordinati ab executione Ordinum ipso jure suspenduntur. In propria igitur Diœcesi potest Episcopus primam tonsuram, & quatuor minores ordines in suis ædibus, aut alio honesto quovis loco conferre: majores verò ordines debent ab Episcopo conferri in Ecclesia Cathedrali, præsentibus Canonicis: vel si alibi intra propriam tamen Diœcesin. Cæterum, quantùm fieri potest conferuntur in Ecclesia digniore præsente Clero.

Oritur tamen dubium, an Episcopus ordinans in aliena Diœcesi cum licentia ordinarii ejusdem, possit ordinare alienum Subditum habentem dimissorias proprii Ordinarii; posse enim Episcopum concedere alteri facultatem conferendi Sacros Ordines in sua Diœcesi, nulli est dubium: unde difficultas procedit de alieno subdito, & respondendum est cum distinctione, si enim ordinandus habeat dimissorias à proprio Ordinario cum facultate, ut possit ordinari à quocunque Episcopo, certum est, posse Subditum ex vi obtentæ licentiæ universalis suscipere Ordines à quocunque Episcopo, qui legitimè ordinet, tametsi in aliena Diœcesi ordinet cum licentia tamen Episcopi ejusdem Diœcesis: quia generalis concessio idem operatur, ac si in specie concessum fuisset, quòd à tali particulari Episcopo ad Ordines promoveretur: universale enim complectitur quodlibet particulare, *l. si duo circa fin. ff. de legibus 3. & l. omnes post init. c. de præscript. trigin. & quadragin. annor.* juxta Bald. *cons. 11. n. 5. lib. 3.* sin verò dirigantur dimissoriæ ad Episcopum Diœcesis, & contineant licentiam, ut dimissus ab ipso ordinetur: tunc considerandum est, qualem facultatem ordinandi concesserit extero 18

Epi-

Episcopo, generalem, vel limitatam, seu ad aliquos tantùm: si enim concessit tantùm limitatam, non extenditur ultra eos, qui in ipsa exprimuntur *l. statum liberum.* §. *stichum. ff. de leg. 2. & l. 1. §. si mulier ff. de liber agnosc.* tum quia talis licentia est per modum Mandati, cujus fines non debent excedi *l. diligenter ff. mandati, & c. cùm olim de offic. deleg.*

19 Sin verò licentia sit generalis ordinandi quoscunque accedentes, non statim habens dimissorias ordinabitur, sed necessarium erit, quòd dimissoriæ recognoscantur, & probentur à Diœcesano, vel ejus Vicario. Ordinans enim non potest eas recognoscere, cùm ad ipsum non fuerint directæ. Præterea, quia recognitio est actus jurisdictionis, & non potest ab extero Episcopo exerceri in aliena Diœcesi, quamvis impertita fuerit ipsi facultas in eadē ordinandi, quia actus ordinis, non est actus jurisdictionis, sed est actus potestatis Ordinis: undè demandato actu ordinis, non censetur demandata jurisdictio, ut notat Coccinus *decis. 69. num. 2.* Sin verò dimissoriæ dirigantur ad quemcumq; Episcopum ordinantem in propria Diœcesi, tunc censent nonnulli, non posse Clericum ordinari ab Episcopo conferente Ordines in aliena Diœcesi ob coarctatam facultatem expressam in litteris.

20 Verùm perquàm probabile est, adhuc Clericum posse suscipere ordines etiam ab ordinante in aliena Diœcesi cum licentia Diœcesani, ut censet Ledesma *p. 1. summæ. tract. de Sacrament. ord. c. 8. conclus. 4. difficult. 5.* quia illa coarctatio expressa in dimissoriis non sortitur suum effectum, quia quando quis ordinatur ab alieno Episcopo, cum dimissoriis proprii, non solùm intervenit actus ordinandi, verùm etiam recognitio, & approbatio dimissoriarum, & admissio ad ordinationem, quæ sunt fundamenta, quibus nititur actus ordinandi, & cùm Episcopus in propria Diœcesi recipiat, recognoscat, & approbet dimissorias, facit, ut ille Clericus nomine suo ordinetur in propria Diœcesi ab extero Episcopo, proinde verificatur, quòd suscipiat Ordines ab Episcopo ordinante in propria Diœcesi, quia quod fit, nomine, & ex facultate alterius, censetur fieri ab hoc altero *l. 1. ff. de offic. consul. l. ita §. quòd si quis ff. de aminist. tut. & c. qui facit de reg. jur. in 6.* unde illa coarctatio adjecta dimissoriis non obstat, quia de jure sit extensio ad eum, qui ordinat vice Diœcesani. De jure potest Episcopus substituere alium Episcopum, qui suo nomine ordinet in sua Diœcesi, quapropter illa coarctatio tantùm excludit ordinantem in aliena Diœcesi sine legitima licentia Diœcesani.

21 Quæri potest, an liceat Episcopo ordinare subditum alieni Episcopi, sub spe ratihabitionis. Respondent communiter, quod ratione bonæ spei in foro Conscientiæ post factum excusarentur ordinans, & ordinatus *c. Lugdunensis 9. q. 2.* quia ratihabitio retrotrahitur, & comparatur Mandato ex *reg. jur. 10. in 6.* Quamobrem ordinans, & ordinatus non incurrerent suspensionem, quia ad hanc pœnam incurrendam requiritur præsumptio, quam bona fides excusat saltem in foro interno, quapropter hanc ordinationem sub spe ratihabitionis licitam esse propugnant Suarez de censuris *disput. 31. sect. 1. n. 17.* Molfesius *tract. 2. c. 2. n. 14.* Marchinus *de ord. tract. 1. p. 5. c. 11.* verùm ante factum non est hujusmodi ordinatio permittenda, quia in iis, quæ sunt contra jus, & tangunt alterius jurisdictionem non facilè præsumitur ratihabitio, cùm haberi soleat consensus proprii Prælati per litteras.

§. V.

De temporibus Ordinationum, & de pœnis Jure Canonico statutis in malè promoventes, & promotos ad Ordines, déque intentione Neo-mystæ.

Ad tempora Ordinationum, quod attinet, certum est, posse primam tonsuram conferri quolibet die, quia de jure nullum certum tempus pro ea conferenda est constitutum, quapropter conferri potest quovis die, sive feriæ, sive Festo. Quatuor verò minores Ordines conferuntur quolibet die Dominico, aut Festo per annum *c. 3. h. t.* Ordines verò majores non nisi Sabbathis quatuor temporum, item Sabbatho Passionis, & Sabbatho Sancto *d. 3. c. fin.* & ibi Glossa *dist. 75.* licèt ob causam rationabilem, ut esset multitudo ordinandorum, & infirmitas ordinantis, vel ordinandi, non prohibeatur ordinatio in die Dominico statim sequente: quinimò potest ordinatio inchoata die Sabbatho continuari etiam die Dominico immediatè sequente, si jejunium observatum in Sabbatho protrahatur ad diem Dominicum, adeò, ut fit unicum jejunium continuatum, quia tunc vespera Sabbathi, & matutinum Dominicæ, in Statu Ecclesiastico reputantur pro eodem die *argu. c. litteras*, & ibi Glossa *h. t.* 1

Quòd si quæratur, cur potius prædictis temporibus, quàm quolibet alio die festivo Sacra instituatur Ordinatio? hæc ratio adferri solet, quia solemnibus illis jejuniis universalibus in tota Ecclesia, & quæ prædictis sunt instituta temporibus, adjuvantibus etiam fidelium precibus major à Deo gratia ordinandis impetratur. Accedit etiam Apostolorum exemplum, qui cum Paulum, & Barnabam ex præcepto Spiritus Sancti ad prædicandum Evangelium gentibus mitterent, priùs jejunantes, & orantes, imposuerunt eis manus *c. 1. dist. 7. c. quòd die dist. 75.* hinc Ecclesia hunc imitata Apostolorum morem, non nisi temporibus universalis jejunii vult Sacras Ordinationes in Ecclesia institui, quòd etiam in Sabbatho concedatur Ordinatio rationem congruentiæ adfert Barbosa *de Offic. Episc. c. 2. allegat. 17. n. 3.* eò quia Sabbathum significat requiem, & Dei cultum, quia hæc dies fuit selecta ad debitum cultum specialiùs exhibendum Deo: requies verò, & cessatio à laboribus, negotiisque sæcularibus, ut etiam Deum colere, convenit Clericis. 2

Et licet tempus, cui ex Jure Canonico est annexa institutio Ordinationum, non sit de Substanta 3

stantia Ordinis, adeò, ut si quis ordinaretur extra tempora, adhuc reciperet Characterem, non tamen reciperet executionem, & incurreret suspensionem, nisi privilegium aliquod summi Pontificis, ad id specialiter obtentum ei esset suffragaturum. Quinimò ex Bulla Pii II. cui initium est, *cum ex Sacrorum*. Suspensio ab executione ordinis ipso jure incurritur, quamvis de jure communi probabiliter posset defendi, hanc suspensionem non esse latæ, sed ferendæ sententiæ *argu. c. cùm quidam, & c. consultationi h. t.* Imò contra ordinantem, nec jure communi, nec in Bulla Pii II. reperitur ulla censura ipso jure statuta, sed tantùm per sententiam inferenda, *c. 2. & c. cùm quidam h. t.* Neque Episcopi de jure communi incurrunt aliquam statutam censuram, nisi specialis de illis mentio fiat, ut liquet *ex c. 4. de sent. excommun. in 6.* Neque obstat, quòd Concilium Tridentinum *sess. 23. c. 8. de refor.* pœnam suspensionis per annum ordinanti imponat: quia cùm leges pœnales sint strictæ interpretationis; & *præfatum caput. 8.* duas habeat distinctas dispositiones; dicendum est, præfata verba in calce adjecta, spectare ad posteriorem duntaxat dispositionem de ordinatione alieni subditi. Neque ullum facessit negotium Constitutio Sixti V. cujus initium est, *Sanctum, & salutare*, vi cujus ipsi quoque ordinantes suspenduntur, quia Constitutio Sixti V. fuit revocata per subsequentem constitutionem Clementis VIII. quæ incipit: *Romanum Pontificem*, ut notat Zyp. *in annot. juris Pontificii tit. de tempor. ordinat.*

4 Quòd si petas, à quo sit absolvendus à suspensione ordinatus extra tempora, communiter asserunt, esse absolvendum à Summo Pontifice, idque colligitur ex *cap. cùm quidam h. t.* ut notat Barbosa *d. c. num. 15.* Ratio itidem videtur hoc suadere, quia hæc suspensio, cùm indefinitè prolata sit, trahit secum perpetuitatem, proinde irregularitatem, à qua tantùm Summus Pontifex absolvit: nisi fortassis casus fuerit occultus juxta Concilium Tridentinum *Sess. 24. de refor. cap. 6.* Nonnulli tamen volunt, & quidem probabiliter posse Archiepiscopum ab hac suspensione absolvere, idque videtur desumi ex *d. c. cùm quidam*, videtur enim Archiepiscopus, quasi ab ipso jure ad hanc absolutionem impertiendam delegatus Summi Pontificis. Idque ex eo corroboratur, quia in Bulla Pii II. nulla fit mentio hujus suspensionis reservatæ Sedi Apostolicæ; sed tantùm id conjicitur, eò quia suspensio utpote prolata sine præfixo tempore, censeatur secum trahere irregularitatem: quia ex eo, quòd omnis irregularitas sit suspensio sine præfixo tempore, non est bona logicalis conversio, ergo omnis suspensio indeterminata, & absque præfixo tempore, est irregularitas: non enim consequentia ritè infertur ex illo antecedente, quia plerunque suspensio est indeterminata ad beneplacitum superioris absolventis.

Nonnunquam ipsis ordinantibus, vel ordinandis conceduntur Privilegia, virtute quorum possunt etiam extra tempora diebus Dominicis, vel aliis festivis, conferre, & suscipere ordines. Et tunc nomine diei Festi in sententia probabili etiam intelligitur Festum Chori, quod sub ritu duplici celebratur; tametsi non sit Festum fori, quo populus à laboribus cesset, cui sententiæ adhæret Barbosa *alleg. 107. n. 7.* Regulares posse ordinari extra tempora per Privilegia Alexandri VI. & Eugenii IV. concessa religionibus Divi Hyeronimi, & Divi Benedicti probat Portellius asserens; talia Privilegia non fuisse revocata per Tridentinum, & adfert aliud Privilegium Clementis VIII. concessum patribus Congregationis S. Joannis Evangelistæ in Portugallia, & in favorem hujus sententiæ adest etiam Privilegium Gregorii XIII. concessum Patribus Societatis JESU; & Theatinis participantibus æquè primo eadem Privilegia ex Privilegio Gregorii XIV. 5

Cæterùm de jure communi Ordines majores, non nisi in Sabbatho quatuor temporum, & in Sabbatho Sancto, & Sabbatho ante Dominicam passionis conferuntur. Extra prædicta Sabbatha censet Sanchez *tom. 2. opusc. lib. 7. c. 1. dubio 13. num. 7.* non solùm esse prohibitum, ipsos Ordines sacros conferre; verùm etiam ordinationis defectus substantiales supplere; quia perinde sit supplere hujusmodi defectus, ac ordinem sub conditione conferre, quod adversatur juri communi. Granadus tamen *3. part. controvers. 9. tract. 2. disput. 3. num. 3.* Censet probabile, posse prædictos defectus etiam substantiales suppleri quovis tempore: & ea nititur ratione, quia id non sit ordines iterare, sed tantùm iterare Ceremoniam omissam. Hinc in *cap. pastoralis de Sacrament. non iterandis* dicitur de eo, qui in Confirmatione fuerat oleo delibutus, & non Chrismate, nil iterandum esse; sed cautè supplendum, quòd incautè fuerat prætermissum. Et hæc sententia est probabilis, quia sicut in tali casu omittuntur aliæ ceremoniæ, quæ solent ex præcepto adhiberi, ita etiam omitti potest, circumstantia temporis. 6

Præterea sub pœna suspensionis prohibitum est, ne plures Sacri Ordines, vel etiam minores, cum Subdiaconatu eodem die recipiantur *cap. litteras 13. & cap. dilectus 15. h. t.* & ex Tridentino *sess. 23. de refor. cap. 13. in fin.* & hæc suspensio *ex cit. text. c. litteras 13.* reservata est Summo Pontifici. Glossa tamen *in d. c. dilectus in fin. & cap. consultationi eod. tit.* censet probabiliter ex authoritate juris, posse Episcopum etiam absolvere ab hac suspensione. Verùm Glossa loquitur de Episcopo; & id debet intelligi de illo Episcopo, cujus *d. c. consultationi.* meminit, hunc enim fuisse Archiepiscopum legenti inscriptionem statim patebit, cùm enim Episcopus supponatur Author delicti, non constituitur ejusdem Judex *c. diversis* 7

13 Neque ullum facescunt negotium præcitatæ Patrum, & SS. Canonum authoritates, quia, ut communiter notant cum Hurtado, *de Sacrament. ordinis diffic. 17.* Patres, & Canones in præcitatis textibus, tantum volunt, Ordinationes factas à talibus Episcopis esse irritas, quoad exercitium Ordinum, non verò quoad validitatem: quapropter asserit Præpositus *in 3. p. q. unic. de Sacrament. ordin. dubio 12. n. 117.* quod si à SS. Patribus, & Canonibus ordinationes factæ ab hæreticis interdum vocentur irritæ; non esse in eo sensu intelligendas irritas, quasi sint invalidæ, sed quatenus per ipsas, non suscipitur Ordinis executio: quia cùm hæretici sint excommunicati, nequeunt exercere functiones Ordinis, proinde qui ab illis ordinantur, non recipiunt Ordinis executionem. Cæterum, cùm Episcopus per suspensionem, excommunicationem, aut hæresin non deperdat Characterem Episcopalem, neque amittit potestatem conferendi ordines, cùm hæc in charactere consistat: idque clariùs definitum est in *c. quòd quidam. dist. 21. can. sicut semel. dist. 63.* Quamobrem, quando Sancti Patres asserunt, Ordinationem collatam ab excommunicato, vel hæretico esse irritam, id debet intelligi de nullitate quoad exercitium Ordinis validè suscepti: siquidem quod in actum non potest reduci, idem est quoad rem, ac si non esset. Cæterum, plures Episcopi Africani, cum Cypriano, cum existimarint baptizatos ab hæreticis esse iterum baptizandos, ita etiam crediderunt esse iterum ordinandos, qui fuerunt ab hæreticis ordinati, cùm oppositum declaraverit Ecclesia, & praxis ejusdem etiam contrarium doceat.

Dubitatur tamen, an Episcopus suspensus à
14 collatione Ordinum minorum possit majores conferre, probabilior Sententia, quam docet Suarez *disput. 26. sect. 4. n. 11. & 14.* affirmat, quia sicut Episcopus suspensus ab officio conferendi Sacramentum confirmationis, non eo ipso censetur etiam suspensus ab officiis consecrandi, & ordinandi, quamvis hæc majora sint collatione confirmationis: ita licèt Episcopus, suspensus sit à collatione ordinum minorum, non tamen eo ipso erit censendus suspensus à collatione majorum. Tum quia, si suspendatur à collatione unius specialis ordinis, adhuc potest alios ordines conferre, quamvis digniores, quia collatio ordinum est functio ejusdem potestatis, non verò usus potestatis sublimioris: consequentur, si Episcopus conferat majorem ordinem, à quo non est suspensus, non censetur uti ordine sublimiori, sed tantùm exercere functionem Sacri ordinis, quoad ea, quæ eidem non prohibentur. Hinc Episcopus suspensus à Sacro faciendo potest ordines minores conferre, quia isti non necessariò conferuntur in ipso Sacro. Imò censet Præpositus in *3. p. q. 4. de interdic. dubio 3. n. 25.* posse etiam conferre majores non ipso, sed alio celebrante, quia non est necesse, ut ordinans Sacrum faciat, sed potest permittere, ut alius celebret, & ipse potest Sacros Ordines majores conferre. Verùm contraria sententia est communior, & juxta praxim Ecclesiæ.

Quid verò dicendum sit de Episcopo conferente ordinem, quem ipse non suscepit. Po- 15
test enim quis ordinari sacerdos, & Episcopus, licèt ordines minores, vel etiam Subdiaconatum non susceperit: an tunc possit Episcopus conferre aliis ordines, quos ipse non suscepit? negant ferè communiter cum D. Antonino *3. p. tit. 14. c. 16. §. 17.* quia Episcopus non confert eminenter ordines inferiores; consequenter, qui eos non habet, non potest alteri eosdem conferre, cum nemo det, quod non habet. Verùm contraria sententia mihi videtur probabilior, quia ordo Sacerdotalis, continet, quasi eminenter inferiores ordines tam Sacros, quàm non Sacros: unde eo ipso, quod Sacerdos est Episcopus potest inferiores ordines conferre. Tum quia, ut docet D. Thomas *q. 25. art. 5.* qui initiatur Sacerdotio, licèt non susceperit alios ordines, verè est Sacerdos, & potest exercere munera Diaconi, Subdiaconi, Acolyti, & aliorum inferiorum ordinum, unde in potestate Sacerdotali videntur eminenter contineri potestates inferiorum ordinum. Tum quia talis Episcopus, qui non suscepit ordines inferiores, sed tantùm Sacerdotium, & Episcopatum potest ordinare Sacerdotes: quia cùm sit ipse Sacerdos, & Episcopus, potest aliis ordinem Sacerdotalem conferre: atqui eo ipso, quòd ordinat Sacerdotes confert eisdem potestatem exercendi munera Diaconi, Subdiaconi, & ordinum minorum: siquidem quilibet Sacerdos potest hos ordines exercere: consequenter talis Episcopus, adhuc posset illos ordines conferre, quia quidquid potestatis formaliter inest ordinibus inferioribus est eminenter in Sacerdotio. Demùm, quia potestas conferendi ordines non nectitur essentialiter cum ordinibus minoribus antea susceptis, sed cum ipso charactere Episcopali: atqui talis Episcopus, qui non recepit ordines inferiores adhuc censetur habere verum Characterem Episcopalem, proinde veram potestatem conferendi omnes ordines.

Neque obstat, si dicas, præviam susceptionem ordinum inferiorum requiri, ut conditi- 16
onem necessariam, ut Episcopus possit ordines illos conferre. Nam hæc prævia susceptio sicut non impedit, quo minus possit quis initiari Sacerdos validè, ac consecrari Episcopus; ita non videtur esse impedimento, quo minus possit talis Episcopus ordines inferiores ab ipso non susceptos aliis conferre, cùm potestas conferendi omnes ordines sit annexa Charactere Sacerdotali, qui validè imprimitur, etiam non susceptis inferioribus ordinibus. Potestas siquidem ordinaria conferendi ordines convenit Episcopo duntaxat ratione ordinis Episcopalis, & non aliorum: proinde Episcopus dummodo sit Sacerdos, licèt non susceperit alios ordines inferiores, cum isti non præsupponantur necessariò ad valorem ordinationis, seu consecrationis Episcopi, sicut præsupponitur ordo Sacerdotalis, potest talis Episcopus non solùm eos conferre ordines, quos suscepit, sed etiam alios, quos neglexit suscipere. Verum tamen est, quòd talis Episcopus non posset licitè

citè conferre aliis Ordines, quos ipse non suscepit, quia, qui caret Ordinibus inferioribus, is prohibetur ministrare in ordine superiori; unde peccaret, sed validè conferret Ordines,

16 Potest itidem Episcopus, qui soli tantùm loco, & non dignitati renuntiavit conferre Sacros Ordines, præsertim, si ad id muneris exercendum rogetur ab alio Episcopo: quia Episcopus, qui tantùm renuntiavit loco, & non dignitati, revera est Episcopus, ut liquet ex *c. 1. de ordinatis ab Epis. qui renuntiavit Episcopatui*, quia sufficit ad hunc effectum, semel attigisse administrationem Episcopatûs: idque solet corroborari à pari exemplo comitum, qui semel Provinciam administrârunt, qui dignitate non privantur, tametsi eorum administratio cesset *l. unic.* ubi Bart. *C. de comitibus, qui Provincias regunt lib. 12.* cui respondet textus *in l. fin. c. de curs. l. unius. §. servus ff. de quæst. l. servos. §. non solum c. eod.* ad id autem requiritur, ut rogetur ab alio Episcopo, quia, cùm ipse renuntiaverit loco, renuntiavit etiam propriis subditis, proinde, cùm nullos habeat Subditos, nequit alienos ordinare absque consensu, & expressa licentia illius, cujus sunt subditi, ut declaravit Alexander III. *c. 1. requisivit à nobis de ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatui*, qui verò non solùm loco, verùm etiam dignitati renuntiavit, non potest ordines majores conferre, tametsi rogatus ab alio Episcopo, quia eo ipso, quòd renuntiavit dignitati, renuntiavit etiam executioni sui officii, & nemo dat, quod non habet, ut constat ex *c. 1. de ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatui.*

17 Si quæras, quam intentionem habere debeat Neo-mista, quando cum Episcopo ordinante in Missarum solemniis celebrat. Respondetur, procurandum ei omnino esse, ut non post alios verba consecrationis absolvat: quia debent omnes Neo-mistæ unà cum Episcopo ordinante, simul proferre verba consecrationis: quia omnes simul consecrant, & si unus priùs aliis verba proferret consecrationis, ille solus consecraret, qui cæteros prolatione verborum præveniret. Ad quod incommodum evitandum, monent plures, Neo-mistas in prolatione verborum consecrationis debere conditionatam habere intentionem, scilicet consecrandi, si simul cum Episcopo verba consecrationis proferant, & finiant, non ita, si præveniant.

18 Verùm communior, & tutior sententia est, sufficere, si Neo-mistæ habeant generalem intentionem proferendi verba consecrationis secundùm voluntatem, intentionem, & usum Ecclesiæ Catholicæ: siquidem non desunt, qui censeant Neo-mistas non proferre verba consecrationis formaliter, cum intentione consecrandi, sed tantùm materialiter, & recitativè in signum sibi concessæ potestatis, quam opinionem probabilem censent Suarez, Richardus, Henriquez *lib. 5. c. 18.* & alii. Hinc si Neo-mista, cùm ordinatur, audiret, verba consecrationis ab alio Neo-mista jam esse prolata, adhuc posset ipse eadem verba continuare, & absolvere: quia licèt speculativè loquendo fortassis non teneretur ad prosequendum ulteriùs formam consecrationis, saltem cum intentione consecrandi, practicè tamen deberet sua verba absolvere, cum intentione id faciendi, quod tunc intendit Ecclesia; hoc enim pacto procedit tutè in praxi.

§. VI.

De Gradatione, & Interstitiis requisitis ad Ordinationes.

CErtum est, Ordines Ecclesiasticos esse gradatim suscipiendos, adeò, ut priùs inferior, deinde immediatè altior, & sic successivè suscipiantur, incipiendo à prima tonsura, & deinceps semper ad proximum ascendendo, ut liquet *ex c. unic. de clerico per saltum promoto*, ubi expressè prohibetur ordinatio per saltum, seu promotio de uno ad alium ordinem omisso intermedio inferiore. Qui enim per saltum ordinaretur validè quidem susciperet ordinem, sed suspensionem incurreret, quoad exercitium ejusdem ordinis, & si illum exerceret, irregularitatem incurreret: licèt non ita, si exerceret alios ordines, quia ab eorundem exercitio, si fuerint ritè suscepti, non suspenditur, ut docet Suarez *de censuris disput. 31. sect. 1.* & alii contra Navarrum *c. 27. n. 242.* Qui verò omissis minoribus ordinibus initiaretur majoribus, ac fieret Subdiaconus, reciperet quidem valide ordinem Subdiaconatûs, non tamen licitè, & peccaret lethaliter, ac teneretur minoribus initiari; licèt non desint, qui censeant probabile, sic ordinatum non incurrere suspensionem, ea innixi ratione, quia censent, probabilem sententiam adstruentium, minores ordines non esse Sacramenta, sed Sacramentalia. 1

Tum quia Pius II. suspendens in sua Bulla ordinatos sine litteris dimissoriis, vel ante legitimam ætatem, aut extra tempora, non suspendit, sic promotos per saltum ad minores, sed tantùm ad majores. Unde Navarrus *cons. 28. de sent. excommun.* propugnat recipientem minores ordines, cum excommunicatione non fieri irregularem quoad alios ordines suscipiendos, eò quia pœnæ restringendæ sint, non extendendæ. Verùm ordines minores esse vera Sacramenta partialia in ordine ad integrandum unum totale, seu Sacerdotium, est communior sententia: proinde, qui per saltum ordinaretur, incurreret suspensionem ad exercendum ordinem indebitè susceptum. Imò Suarez *de censuris disput. 31. sect. 1. dubio 2. concl. 2.* censet, suspensionem ab ordinato per saltum etiam in minoribus ordinibus incurri ipso jure, idque probat *ex c. solicitudo*, & ex Tridentino *Sess. 23. c. 14.* 2

Verùm hæc Sententia non placet, quia ut etiam ipse Suarez fatetur, hæc suspensio ipso jure incurrenda non exprimitur in præcitatis, neque in aliis juribus: quapropter probabilis est aliorum sententia existimantium ordinatos per saltum non esse ipso jure suspensos, sed suspendendos; cum promoto tamen per saltum potest Episcopus dispensare, ut prætermissum ordinem 3

nem suscipiat, & in suscepto ministret, ac ad superiores ascendat, tametsi delictum notorium fuerit, dummodo in malè suscepto ordine non ministraverit, ut censent plures cum Majolo *lib. 4. de irregularitate c. 12. n. 2.* quòd si ministraverit in malè suscepto ordine, videtur requiri dispensatio Sedis Apostolicæ, quia Tridentinum *Sess. 23. c. 14.* ut censet Suarez *de censuris disput. 31. sect. 1. n. 32.* talem facultatem cum ea limitatione concessit Episcopis, ut si malè promotus ministraverit in malè suscepto ordine, debeat dispensationem petere à Sede Apostolica. Non desunt tamen, qui censeant, posse Episcopos dispensare ad ministrandū in suscepto ordine per saltum, etiam post exercitium malè suscepti ordinis: & asserunt, Tridentinum iis tantum prohibere, ne cum tali dispensent ad promotionem altioris ordinis.

4 Rursus, ut licitè quis sacris initietur Ordinibus servare debet interstitia à jure statuta, ut liquet ex Tridentino *sess. 23. c. 10. de refor.* requiruntur hæc certa temporum interstitia inter unum, & alterum ordinem suscipiendum ob majorem dispositionem ordinandorum. Hæc autem interstitia inter minores Ordines prudenti arbitrio Episcopi relinquuntur definienda. Hinc licèt quatuor minores ordines non omnes eodem die, sed per temporum interstitia conferri mandaverit Concilium Tridentinum *sess. 23. c. 11.* nihilominus, quanta debeant esse hæc interstitia inter unum, & alterum ex minoribus ordinibus suscipiendis relinquuntur arbitrio prudentis Episcopi. Hodie tamen ex recepta consuetudine hujusmodi interstitia, in collatione quatuor minorum Ordinum non servantur: & passim omnes quatuor minores ordines, cum prima tonsura eodem die, eidem ordinando conferuntur. Inter majores tamen ordines debent interstitia servari, ut patet ex *c. litteras 13. & ex c. dilectus 15. h. t.* adeò, ut non ordinetur Diaconus, qui priùs per annum in subdiaconatu; neque Presbyter, qui non similiter per annum fuerit in Diaconatu versatus. Potest tamen Episcopus subinde dispensare.

5 An verò, si quis non completis interstitiis ordinetur absque dispensatione incurrat aliquā pœnam videtur esse aliqua difficultas, quia Pius II. in Bulla, quæ incipit, *cùm ex sacrorum.* Pœnam suspensionis statuit contra eos, qui absque dispensatione Canonica ad aliquem ex Sacris ordinibus fuerint promoti: per dispensationem autem Canonicam intelligitur dispensatio, in quovis impedimento Canonico ad Sacros recipiendos ordines; & unum ex hisce Canonicis impedimentis est, quod nondum sit elapsum tempus inter unum, & alium ordinem suscipiendum: & Constitutio Pii II. fuit confirmata à Clemente VIII. quæ incipit, *Romanus Pontifex.* Verùm communis Sententia est, quòd non incurrat illam pœnam, si quis nondum interstitiis completis accedat ad ordines suscipiendos, ut docent Suarez de Censuris *disput. 31. sect. 1. n. 43.* Bonacina *disput. 8. de Sacramen. punct. 5. n. 35.* Riccius *p. 3. collect. 356.* Ratio est, quia per Constitutionem Pii II. non incurritur talis pœna, nec ex alio jure; etenim verba Bullæ Pii II. quā nititur Lezana, & qui oppositum sentiunt, sunt hæc: *Statuimus, & ordinamus, quòd omnes, & singuli, qui absque dispensatione Canonica, aut legitima licentiā, sive extra tempora à jure statuta, sive ante ætatem legitimam, vel absque dimissoriis litteris, etiam citramuntanis ad aliquem ex Sacris Ordinibus se fecerint promoveri à suorum Ordinum executione ipso jure sint suspensi.* Ex quibus liquet, in tribus duntaxat casibus malè promotos pœnā incurrere suspensionis, quorum primus est, si quis ordinetur absque dispensatione, & debita licentia extra tempora à jure statuta. Secundus, si ordinetur ante legitimam ætatem. Tertius absque litteris dimissoriis; & cùm constitutio sit pœnalis, non est extendenda extra dictos tres casus.

Qui verò ordinatur sine dispensatione non completis interstitiis supponitur, quòd ordinetur in aliquo Sabbatho quatuor temporum, proinde intra, non extra tempora à jure statuta. Unde cùm præfata constitutio non loquatur de iis, qui non servant debita interstitia, nec de aliis impedimentis Canonicis, non debet ad hæc extendi. Siquidem, quod lex non dicit, nec nos debemus asserere *l. dissentientis c. de repud. & c. illa de sede vacante.* Quamobrem, qui non servaret interstitia, licèt graviter peccaret, non tamen fieret suspensus, quia in Bulla Pii II. hæc pœna non imponitur, & suspensio imposita à Sixto V. sublata fuit à Clemente VIII. ut ostendit Filliucius *Tom. 1. tract. 17. c. 5. n. 86.* 6

An verò, qui suscepit Ordines Sabbatho ante Dominicam Passionis, vel Sabbatho Sancto possit ordinari ad alios majores ordines anno sequenti in Sabbatho quatuor temporum quadragesimæ absque dispensatione interstitiorum, videtur etiam esse difficultas, quia ex declaratione Sacræ Congregationis in Valentina sub die 5. Februarii 1595. annus, qui à Concilio Tridentino *sess. 23. c. 11. & sequent.* statuitur pro interstitiis inter unum ordinem, & alium suscipiendum, non est necesse, quòd sit completus secundùm præfixum numerum dierum, sed sufficit annus Ecclesiasticus computandus de temporibus ad eadem tempora recurrentia anno sequenti. Hinc videtur deduci, ordinatum in Sabbatho Sancto non posse citiùs ad ordines superiores promoveri, quàm in sequenti Sabbatho Sancto anni sequentis, quia tunc, & non priùs completur annus Ecclesiasticus, vel ad summum completur in Sabbatho ante Dominicam passionis, si tunc ob tarditatem Paschæ fuerit annus naturalis completus. Non enim, si sit completus annus naturalis, est necessariò exspectandū Sabbathum Sanctum sequentis anni, quia Concilium Tridentinum solùm exigit ab uno, ad alium ordinem suscipiendum elabi annum: & quando annus naturalis est completus, est jam elapsus: lex enim adimplenda est per naturalem verborum significationem, quæ in legum interpretatione præcipuè attenditur, ut liquet ex *l. fin. C. de iis, qui ven. ætat. & ex c. susceptum de rescript. in 6.* ubi Glossa *v. non morte,* ut notat Tiraquel. *in l. si unquam v. suscepit. n. 17. c. de revocan. donat.* Probabile nihilominus est, eum, qui hoc anno suscipit in Sab- 7

Sabbatho Sancto ordinem Subdiaconatûs posse anno sequenti in temporibus quadragesimæ, absque dispensatione interstitiorum suscipere Diaconatum, idque desumitur ex declaratione Summi Pontificis suffragante Sacra Congregatione apud Marzilam ad Concil. Trident. *tit.* 13. c. 13. ubi cùm interrogaretur, an annus interponendus in promotione de uno ad alterum Sacrum ordinem debeat compleri duodecim mensibus, vel sufficiat, elapsa esse quatuor interstitia, quæ propter varietatem Festorum mobilium subinde occurrunt etiam ante completum mensem duodecimum: Summus Pontifex ex sententia Congregationis respondit, attendendum esse cursum quatuor dictorum interstitiorum, non verò tempus duodecim mensium completorum: unde, si sufficit, fluxisse quatuor interstitia, qui Subdiaconatum suscepit in Sabbatho Sancto, potest Diaconatum suscipere in quatuor temporibus quadragesimæ anni sequentis, quia tunc fluxerunt quatuor interstitia, primum à Sabbatho Sancto ad Pentecosten, secundum à Pentecoste ad tempora Septembris, tertium ab his ad tempora Decembris, & quartum ab istis ad tempora quadragesimæ.

8 Neque obstat, si dicas, Sabbathum Sanctum distare supra mensem à temporibus quadragesimæ, quia licèt id verum sit, quoad dies naturales, nihilominus ordinationes, quæ habentur in Sabbathis ante Dominicam passionis, & resurrectionis sunt partes ordinationum, quæ habentur in Sabbatho quatuor temporum quadragesimæ, quapropter moraliter, & juxta ritum Ecclesiæ censetur idem tempus: quia totum complectitur in se singulas partes *l. 1. §. si stipulanti ff. de verb. obligat. & l. in toto ff. de regul. jur. & l. in toto de reg. jur. in 6.* Quamobrem ordinationes, quæ habentur temporibus quadragesimæ censentur extendi etiam ad Sabbatha ante Dominicam Passionis, & Paschæ, adeò, ut hæ tres ordinationes constituant unicum terminum ex quatuor Ecclesiasticis pro conferendis, & recipiendis Sacris ordinibus. Quòd si nolis, esse partes ordinationum, quæ conferuntur quatuor temporibus quadragesimæ; saltem inficiari nequit, esse quasdam apendices illius prioris ordinationis, ac se habere accessoriè ad illam, cùm omnes pertineant ad unũ ex quatuor anni temporibus, in quibus Sacræ ordinationes instituuntur ab Ecclesia: atqui principale trahit ad se suum accessorium *l. hæres meus §. fin. ff. de legat. 3. & §. littera instit. de rer. divis. & l. si non sint. §. perveniamus ff. de auro, & argento legat.* ergò, cùm ordinationes Sabbathi quatuor temporum quadragesimæ trahant ad se ordinationes aliorum Sabbathorum, tanquam suas apendices, sibique accessorias, & omnes tres computentur pro una ordinatione, quæ fit in quatuor temporibus anni, sequitur posse eum, qui hoc anno in Sabbatho Sancto initiatur Subdiaconus, in quatuor temporibus quadragesimæ, promoveri ad Diaconatum.

9 Quia verò Episcopus ex indulto Concilii Tridentini *Sess. 23. c. 11. & 13.* potest ex justa causa dispensare super interstitiis, quæritur, quænam sit hæc justa causa? Respondetur, Concilium pro justa causa assignare utilitatem, & necessitatem Ecclesiæ, quanta verò hæc debeat esse, & quando; id arbitrio prudentis Episcopi remittit. Doctores tamen descendentes ad casus particulares dicunt; Episcopum ex justa causa posse dispensare in interstitiis cum eo, qui Capellaniam cum obligatione celebrandi Sacrum obtinuit: ut etiam cum eo, qui multum in litteris, & virtutibus profecerit; quia uterq; censetur futurus utilis Ecclesiæ. Barbosa *in collect. super concil. Trident. sess. 23. c. 14. n. 2.* & alii asserunt, hanc necessitatem, & utilitatem esse pensandam moraliter, neque consistere in puncto indivisibili, sed habere suam latitudinem, quæ in aliis rebus moralibus arbitrio boni viri committitur. Imò, hæc facultas dispensandi super interstitiis concessa Episcopo ex supradictis causis transit ad Capitulum, seu ejus Vicarium Sede vacante, quando ex decretis ejusdem Concilii, potest concedere licentiam ordinandi. Id enim fuisse declaratum à Sacra Congregatione, testatur Armentarius in *additionibus ad recopil. leg.* Navar. *lib. 1. tit. 18. l. 7. de Episcopis n. 57.* & Martha *de jurisdictione p. 2. c. 9. n. 13.*

Censent aliqui, posse etiam Episcopum dispensare in interstitiis pro Sacerdotio sumendo, cum illo, qui in studiis multum proficit: vel etiam, ut inde sumat argumentum, magis proficiendi, eò quia vir doctus sit futurus utilitati Ecclesiæ, idque præsertim, si Ecclesia illa indigeat Ministris doctis. An verò possit etiam dispensare in interstitiis ob eandem causam cum Diacono, Subdiacono, videtur esse major difficultas, quia Concilium Tridentinum *cit. sess. 23.* assignans pro causa dispensationis necessitatem, & utilitatem particularium Ecclesiarum; per Ecclesiæ utilitatem intelligit, quando pauci sunt Ministri Ecclesiastici idonei; tunc enim utile est Ecclesiæ, aliquos ordinare ad Ecclesiæ Ministerium, majorémque ejus splendorem: per necessitatem intelligit, quando deficiunt Ministri, & non possunt suppleri per jam ordinatos Ecclesiæ onera, tam in Missarum celebratione, quàm in aliis Ecclesiasticis ministeriis: quia verò Diaconi, & Subdiaconi, si copia adsit Sacerdotum, & adsint alii Diaconi, vel Subdiaconi sufficientes non videntur necessarii, nec pro supplendis oneribus Missarum, nec pro splendore Ecclesiæ, cùm functiones exerceantur per Diaconos, & Subdiaconos jam inservientes eidem Ecclesiæ, non videtur, quòd ex eadem causa possit Episcopus cum iisdem dispensare in interstitiis. Tum quia Concilium requirit conjunctivè utilitatem, & necessitatem, particula enim & est copulativa. 10

11 An verò, ut Episcopus dispensare possit in interstitiis cum Regularibus, sufficiat sola attestatio superioris Regularis. Respondet Peyrinus *tom. 1. constit. 2. Sixti IV. §. 11. n. 35.* sufficere attestationem superioris Regularis, eò quia id declaraverit Sacra Congregatio. Cæterùm dispensatio interstitiorum pertinet ad Episcopum, quoad Clericos sæculares: siquidem

dem quoad Regulares non est una omnium sententia; licèt communiùs asserant Doctores etiam Regulares esse dispensandos ab Episcopo, inter quos Vasquez *3. par. disput. 246. n. 57.* Molfesius *p. 1. summæ tract. 2. c. 1. num. 56.* Bonacina *disput. 8. de Sacramen. q. unic. punct. 5. n. 34.* Ugolinus *de potestate Episcopi p. 2. c. 26. §. 27. n. 3.* Riccius in praxi fori Ecclesiastici, *decis. 361. n. 5.* Barbosa *de potestate Episcopi p. 2. allegat. 18. n. 10.*

12 Nihilominus censent alii, hanc dispensationem pertinere ad Prælatos Ecclesiasticos, ita enim docent Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 2. c. 12. n. 22.* Sanchez *lib. 7. cons. moral. c. 1. dubio 54.* Pasqualigus *q. 353. centuria 4. n. 3.* Cœlestin. *in compend. Theolog. Moral. tractat. 8. c. 4. q. 4.* & hæc sententia est probabilis, quia PrælatiRegulares, quoad suos subditos habent totam illam facultatem, tam in ordine ad absolvendum, quàm dispensandum, & ad omnem aliam facultatem, quam habent Episcopi, quoad Clericos sæculares sibi subditos, ut concessit Pius V. sub die 31. Julii 1571. in sua constitutione, quæ in Bullario veteri est 132. & Alexander VI. concessit, quòd Prior generalis Ordinis Sancti Hyeronimi, & singuli Priores ejusdem Ordinis præsentes, & futuri possent eligere quemcunque Episcopum Catholicum, habentem Communionem Sedis Apostolicæ, qui personas singulorum Monasteriorum dicti Ordinis ad id idoneas, ad omnes etiam sacros, & Presbyteratûs ordines, etiam extra tempora à jure statuta tribus diebusDominicis, sive Festivis duplicibus successivè promovere possit, diœcesanorum licentiâ super hoc requisitâ, ut refertur in compendio Mendicantium *titulo ordines sacri §. fin.* Neque hoc privilegium censetur abrogatum, & illo gaudent omnes Regulares habentes communicationem Privilegiorum, quia Gregorius XIII. illud in specie confirmavit in favorem Congregationis Sancti Bernardi Hispaniæ, ut habetur *in compendio privil. d. ordinis v. absolutio*, ut notant Sigismundus à Bononia *p. 2. de elect. dubio 60.* Sairus *lib. 7. de censuris n. 23.* Molina *tract. 3. de just. jur. disput. 61. n. 4 & 5.* Sorbus *in compendio privil. tit. absolutio.* Barbosa *p. 2. de potestate Episc. allegat. 39. n.* 18. unde PrælatiRegulares videntur posse dispensare super interstitiis suos subditos.

13 Neque obstat, quòd respondent aliqui, facultatem dispensandi super interstitiis non concedi à Concilio Tridentino Episcopo, ut Prælato, sed Episcopo, ut ordinanti: proinde talem facultatem non convenire Prælatis Regularibus, cùm ipsi non sint ordinantes. Nam contra est, quia ex declaratione Sacræ Congregationis talis dispensatio pertinet ad concedentes dimissorias; & cùm istæ concedantur Regularibus à suis Prælatis Religiosis, ideo ad ipsos etiam pertinet dispensare super interstitiis. Tum quia dispensatio in interstitiis est actus jujurisdictionis, qui non potest exerceri, nisi cum subditis, unde quando Episcopi non habent Ordinationes concedunt dimissorias, quando opus est, & simul dispensant super interstitiis in ipsis dimissoriis; & hoc idem præstant Abbates Regulares, qui habent facultatem conferendi suis subditis ordines minores, dispensant etiam cum iisdem super interstitiis, ut docet Barbosa *de potestate Episcopi allegat. 18. n. 6.* Marchinus *de Sacrament. ord. tractat. 1. p. 7. c. 2. n. 11.* Sorbus *in compendio Privil. ver. Ordines Sacri.* Miranda *tom. 1. manual. q. 38. conclus. 3.* Tum quia Episcopus non videtur habere jurisdictionem super Regulares exemptos, consequenter nec videtur posse eos dispensare super interstitiis, adeò, ut hæc dispensatio conveniat soli Prælato Regulari, cujus Religiosi ordinandi sunt subditi.

Neque obstat, quòd Regulares subjiciantur 14
Episcopis, quoad Ordines recipiendos, & ipsum examen. Quia inde tantùm sequitur, quòd illis subjiciantur quoad receptionem Ordinum, seu quoad potestatem Ordinis, non verò quoad potestatem jurisdictionis; & per collationem Ordinum Episcopi exercent potestatem ordinis non potestatem jurisdictionis. Hinc Episcopi non concedunt Regularibus litteras dimissorias, sed hæc concessio, quæ est actus jurisdictionis pertinet ad Prælatos Regulares: sic etiam dispensatio super interstitiis, quia est actus jurisdictionis, debet ad Prælatos Regulares pertinere in ordine ad suos Religiosos. Imò in probabiliore sententia possunt Ordines Regularium uti Privilegio promovendi Regulares extra tempora ad ordines, quia licèt Concilium Tridentinum *Sess. 23. c. 8.* videatur id prohibere, nihilominus ibi derogatio licèt sit generalis applicanda tamen est locis Concilii, in quibus derogatur PrivilegiisReligiosorum non verò extendenda est ad omnia Decreta, quæ etiam sine derogatione Privilegiorum sunt edita: in quo sensu Sancta Synodus vult, omnia præfata Decreta servari etiam cum derogatione Privilegiorum, quando illa in Decreto aliquo est adjecta, ac si illa generalis derogatio sit apposita ad majorem inculcationem particularium; non verò, quòd respiciat illa Decreta, in quibus non fuit Privilegiis derogatum, ut docent plures, præsertim Præpositus, *in 3. p. q. unic. de Sacram. ordin. dubio 15. n.* 156. Diana coordinatus *tom. 2. tract. 5. resolut. 87.* ubi ait cum licentia, & dispensatione Admodum Rev. Patris Generalis, posse nostros Clericos Regulares suscipere ordines, etiam Sacros, imò & Presbyteratum extra tempora, tribus tamen diebus Dominicis, vel aliis Festivis etiam continuis à quocunque Antistite.

Major difficultas videtur esse, an Regula- 15
res habentes communicationem Privilegiorum uti possint Privilegio concesso PP. Soc. Jes. à Gregorio XIII. quòd possint ordinari extra tempora non servatis interstitiis, dummodo initientur Sacris Ordinibus in tribus diebusFestivis distinctis. QuiaPontifex in illa constitutione expressè non vult, cæteros Regulares participare hoc Privilegium, tametsi communicent cum ipsis in Privilegiis: etenim verba Bullæ sunt: *Præsentis autem constitutionis, & gratiæ communicationem omnibus aliis, qui sua Privilegia cum ipsa Societate copiosè participant,*

pant, & poterunt participare, quomodolibet in futurum fieri omninò prohibemus. Hinc oritur difficultas, an ſtando in Privilegio Gregorii XIII. de quo certè conſtat, poſſint cæteri Regulares participantes cum mendicantibus, & aliis Religioſis illo uti. Plures affirmant, ut Rodriquez *tom. 2. qq. Regul. q. 13. art. 6.* Diana *Coordinatus tom. 2. tract. 5. reſolut. 87.* Villalobus *in ſumma tract. 11. difficult. 22 n. 8.* Ioan. à Cruce *in Directorio conſcientiæ p. 2. de Sacramen. ord. dub. 5. concluſ. 2.* Marchinus *de Sacramen. ord. tract. 1. p. 4. c. 2. n. 4.* Homobonus *p. 1. exam. Eccleſ. tract. 2. c. 1. q. 3.* Barboſa *de poteſt. Epiſcop. p. 2. allegat. 17. n. 6.* & plures alii.

16 Verùm, ſi præciſè velimus ſtare in Bulla Gregorii XIII. videtur potiùs contrarium eſſe concludendum, nimirum quòd ratione generalis communicationis Privilegiorum, non poſſint Regulares uti tali Privilegio, eò quia Pontifex expreſſè ſe declaravit, illud Privilegium eſſe incommunicabile; & juxta Regulas juris, per ſpeciem derogatur generi; idque non ſolùm, ſi præcedat genus, ſed etiam, ſi præcedat ſpecies: quia hæc habet vim contra genus ſubſequens, adeò, ut eidem deroget, ut docent Jurispontificii periti, Decius *in l. in toto n. 8. ff. de reg. jur.* Panormitanus *in c. 1. de reſcript.* Menochius *lib. 1. de arbit. q. 97. n. 2.* Gonzalez *ad reg. 8. Cancellariæ.* Gloſſ. *in c. 1. §. 3 n. 66.* undè, cùm prohibitio communicationis ſit ſpecifica, ſcilicet circa ſpeciale Privilegium, & communicatio Privilegiorum ſit in genere ſequitur à prohibitione ſpecifica derogatum iri genericæ communicationi. Præterea, quia in generica conceſſione non intelliguntur comprehendi illa, quæ in ſpecie non eſſet quis veroſimiliter conceſſurus, ut liquet *ex reg. c. in generali. de reg. jur. in 6.* quapropter in conceſſione facultatis abſolvendi à peccatis non intelligitur comprehendi facultas abſolvendi à reſervatis. Quamobrem in generali communicatione privilegiorum non cenſentur comprehendi, quæ quis in ſpecie non eſſet veroſimiliter conceſſurus: & tale eſt Privilegium conceſſum, cum expreſſa prohibitione, ne alii de illo communicent; ſiquidem in virtute hujus prohibitionis declaratur, quòd Privilegium ſit tale, ut indigeat ſpeciali conceſſione, ac propterea non cadat ſub generali communicatione: cùm enim extrahatur à generali communicatione facta, & conceſſa per alios Pontifices, extrahitur etiam à generali communicatione facienda, & conſtituitur Privilegium incommunicabile. Tum quia communicatio tantùm ſe extendit ad communicabile, & non ad incommunicabile, & cùm hoc Privilegium virtute prohibitionis conſtituatur incommunicabile non poteſt communicatio ad illud ſe extendere. Quamobrem ſimilia Privilegia incommunicabilia, ut poſſint communicari, requiritur neceſſariò ſpecialis voluntas Pontificis alicujus Succeſſoris, quæ deroget ſpeciali voluntati prædeceſſoris.

17 An verò Pontifices Succeſſores derogaverint ſpeciali voluntati Gregorii XIII. & virtute hujus derogationis poſſint cæteri Religioſi habentes communicationem Privilegiorum illo uti affirmant communiùs Doctores. Siquidem exſtat Privilegium, quo Clemens VIII. die 23. Novemb. 1596. idem Privilegium conceſſit Patribus Congregationis S. Joannis Evangeliſtæ in Portugallia, quod teſtatur Portel. ſe vidiſſe, & legiſſe in compendio Privilegiorum præfatæ Congregationis, Rurſus Gregorius XIV. die 5. April. 1591. conceſſit Clericis Regulatibus Theatinis Privilegium, quo poſſint uti quocunque alio Privilegio conceſſo à ſuis prædeceſſoribus, proinde Privilegiis quibuscunque conceſſis Soc. Jeſ. Privilegium Gregorii XIV. aſſervatur in Archivio S. Silveſtri montis Quirinalis Romæ, eſtque ſequentis tenoris. *Præter Privilegia, & alia, Congregationi, & Clericis conceſſa; omnibus, & ſingulis aliis Privilegiis exemptionibus, facultatibus, indultis, & peccatorum remiſſionibus, & relaxationibus, cæteriſq; gratiis, tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus, quibusvis Religionibus, Congregationibus, & Ordinibus, quocunque nomine nuncupentur, etiam mendicantium, ac tam virorum, quàm mulierum, per quoscunque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, dictamq; Sedem, hactenus quomodolibet conceſſis, & in poſterum concedendis; ac quibus illorum utriuſq; ſexùs perſonæ, de jure, vel conſuetudine, aut ex Privilegio, vel aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poſſunt, quomodolibet in futurum in iis, quæ ſuorum Regularibus inſtitutis non adverſantur, duntaxat; non ſolùm ad eorum inſtar NB. ſed æquè principaliter, ac pariformiter in omnibus, ac per omnia perinde, ac ſi eidem Congregationi, & Clericis ſpecialiter, & expreſſè conceſſa forent, uti, potiri, & gaudere, liberè, & licitè valeant, perpetuò concedimus. & indulgemus, illaque eis communicamus, & concedimus, & ad eos extendimus.*

Cùm igitur conſtitutio Gregorii XIV. edita fuerit poſt illam Gregorii XIII. & concedatur facultas utendi Privilegiis conceſſis à ſuis prædeceſſoribus, & non quidem ad eorum inſtar, ſed æquè principaliter, ac ſi eidem Congregationi Clericorum Regularium Theatinorum ſpecialiter, ac expreſſè conceſſa forent, nulli eſt dubium, quin poſſint uti licitè Privilegio à Gregorio XIII. conceſſo Societati Jeſu. Rurſus Conſtitutio Clementis VIII. fuit etiam edita poſt illam Gregorii XIII. & in illa conceditur idem Privilegium Patribus Congregationis S. Joannis Evangeliſtæ in Portugallia; quapropter etiam cæteri Regulares habentes communicationem Privilegiorum poſſunt licitè illo uti. Neque ullum faceſſit negotium, quod in Concilio Tridentino fuerint abrogata Privilegia Regularium, quia conſtitutiones Gregorii XIII. & XIV. & Clementis VIII. fuerunt editæ poſt Concilium Tridentinum. 18

Si dicas, Privilegium conceſſum Societati Jeſu à Gregorio XIII. eſſe incommunicabile, proinde virtute conſtitutionis Gregorii XIV. & Clementis VIII. non communicari aliis Religioſis, eò quia per ſequentes Conſtitutiones 19

tan-

tantùm conceduntur illa Privilegia, jam concessa, quæ sunt communicabilia, non verò alia. Contra est, quia quando Privilegium conceditur sub prohibitione communicationis, solùm excluditur communicatio, proinde ad summum posset inferri, quòd per viam communicationis non posset participari ab aliis. Non verò excluditur concessio, præsertim, si fiat alteri, tamquam principali. Non enim Pontifex potest prohibere suis successoribus, ne concedant aliis Congregationibus idem Privilegium, quod ipse concedit uni, cum potestas summi Pontificis, sit semper eadem, nec possit minui, & coarctari. Cùm igitur Gregorius XIV. in sua constitutione edita in favorem Clericorum Regularium concedat iisdem omnia Privilegia, concessa à suis prædecessoribus quibusvis Religionibus, & Congregationibus, ac Ordinibus, quocunque nomine nuncupentur: *Non solùm ad eorum instar, sed aquè principaliter, ac pariformiter in omnibus, ac per omnia, perinde, ac si eidem Congregationi, ac Clericis specialiter, & expressè concessa forent*; satis aperte constat, posse Clericos Regulares uti tali Privilegio, non per viam communicationis; sed per viam novæ concessionis: hoc est discrimen inter concessionem, & communicationem, quòd hæc nihil dat de novo, sed supponit datum alicui, & tradit solùm ad participationem alterius: concessio verò dat de novo, & ponit iterum, quod ante fuit positum; consequenter cùm Clerici Regulares ex vi constitutionis Gregorii XIV per viam concessionis, & non solùm ad instar, sed æquè principaliter utantur Privilegiis concessis aliis Religiosis; non sunt hæc ipsis incommunicabilia. Et licèt Privilegia, quæ prohibentur communicari, sint digna speciali nota, id tantùm est verum in ordine ad communicationem, non verò ad novam concessionem: & inde tantùm sequitur, quòd non censeantur communicari, nisi per specificam, & expressam mentionem. Cæterum, non sunt digna speciali nota, in ordine ad concessionem, propterea in ordine ad ipsam non indigent expressa mentione in specie, sed tantùm in genere.

20 Præterea Constitutio Gregorii XIV. æquivalet etiam expressioni specificæ, cùm dicat: *per omnia, perinde, ac si eidem Congregationi; & Clericis, specialiter, & expressè concessa forent, uti, potiri, ac gaudere liberè, & licitè valeant, perpetuò concedimus.* Unde ex vi hujus constitutionis includuntur in præfata concessione etiam illa Privilegia, quæ aliàs in generali concessione non intelligerentur inclusa: siquidem prædicta verba constitutionis habent vim, ut idem operentur, ac si esset facta specialis expressio de singulis, ut censent Glossa *in c. ut jura de jur. patron in 6.* Surdus *conf. 330. n. 7.* Marta *de clauf. p. 1. clauf. 87. n. 3.* Rota Romana coram Ludoviso *decis. 315. n. 1. & 2. p. 4. recent.* quæ est pars *2. posthum.* apud Farinacium. Tum quia in constitutione Gregorii XIV. habentur illæ particulæ *omnibus, & singulis aliis Privilegiis*, quæ ita sunt ex natura sua universales, ut nullam patiantur restrictionem, præsertim, quando simul junguntur *omnia, & singula*, ut notat Glossa *in c. circa v. omnia de elect. in 6.* Bart. *in l. generali §. uxori ff. de usufruct.* Giurba *decis. 84. n. 16.* Tum quia illa verba *omnia, & singula* operantur, ut sine ulla restrictione veniant omnia, & singula per se sumpta *text. l. Balista. ff. ad Trebel.* ut notat Surdus *conf. 73. num. 64.* & Parisius *conf. 97. num. 92. lib. 1.* vult operari, quòd concessio æquipolleat specificè, ac si singula Privilegia in specie concessa forent.

Demum, quia Constitutioni Gregorii XIV. 21 adjicitur illa particula, *quomodolibet concessis*, virtute cujus concessio facta Clericis Regularibus, extenditur ad privilegia concessa aliis quocunque modo, & sub quacunque forma, proinde etiam cum prohibitione communicationis: siquidem illa dictio *quomodolibet* importat omnem modum, quo possit Privilegium concedi, ut *in clement. 2. v. ne igitur de sent. excommunic. & c. indemnitatibus. v. si qua verò de elect. in 6.* ut notat Glossa in *d. Clement. v. quomodolibet.* unde ex vi talis dictionis comprehenduntur etiam illa Privilegia, quæ aliàs non comprehenderentur, quapropter etiam ipsa confert, ut concessio illa generica æquivaleat concessioni specificæ.

§. VII.

De Litteris Dimissoriis.

CUm nemo possit jure ordinari ab alieno Episcopo, & subinde proprius Episcopus non conferat ordines ex aliquo impedimento, ideò tunc Clericis sibi subjectis liberam concedit facultatem, ut possint ab alieno Episcopo ordinari, & illis dat speciales litteras, quibus eos dimittit, ut ab alieno Episcopo ordinentur, & hæ litteræ in jure Canonico vocantur dimissoriæ, de quibus agitur *dist. 72. & 73.* & aliquando sunt generales, quibus conceditur facultas, ut possit quis ordinari à quovis Episcopo habente gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ, ut liquet *ex c. veniens de præscript.* Possunt etiam esse generales, quatenus datur facultas, ut possit quis non solùm ad primam tonsuram, sed ad omnes alios Ordines promoveri.

Non posse Episcopum alienæ Diœcesis subditum absque licentia proprii Ordinarii promovere ad ordines, ex eo liquet, quia non habet jurisdictionem in subditos alieni Episcopi, sed tantùm in proprios Diœcesanos. Quamobrem litteræ dimissoriæ, quibus Clerici dimittuntur, ut ab alieno Episcopo possint ad ordines promoveri, nihil aliud sunt, quàm licentia in scriptis obtenta à proprio Episcopo, vel ejus Vicario, virtute quarum possit ab alio Episcopo promoveri ad ordines, quibus caret. Nonnunquam litteræ dimissoriæ dicuntur dimissoriæ nudæ, ut etiam litteræ commendatitiæ, ut liquet *ex c. in nomine dist. 73.* propriè tamen litteræ dimissoriæ distinguuntur à commendatitiis, quia istæ dicuntur, quæ dantur Presbytero suscipienti peregrinationem, ut licitum illi sit in alienis Diœce-

Diœcesibus missam celebrare, & ut habeat testimonia, quòd sit Sacerdos; secus litteræ dimissoriæ, propriè sunt illa licentia, seu potestas, quæ datur Clericis, ut possint promoveri ad Ordines ab alio, quàm à proprio Episcopo; & solent hujusmodi dimissoriæ esse speciales, & tunc facultas restringitur, ut Clericus ordinetur ab uno speciali, vel altero expresso Episcopo. Si enim in dimissoriis exprimatur unus Episcopus, à quo debeat Clericus promoveri ad ordines, non potest hic ab alio promoveri, quàm ab expresso in dimissoriis: siquidem expressio unius est exclusio alterius *c. nonne 5. inf. de præsumpt.* Hinc si Episcopus in dimissoriis expressus fuerit impeditus, & non conferat ipsemet ordines, sed curet, ut in sua Diœcesi conferantur ordines per alium Episcopum ab eodem arrogatum, Clericus exterus ex vi suarum dimissoriarum, non poterit promoveri, quia talis Episcopus non est expressus in dimissoriis. Nec iste potest ordinare, nisi Diœcesanos illius Episcopi, de cujus licentia, & in cujus Diœcesi confert Ordines: ita enim intelligitur *c. 5. sess. 6. Concil. Trident.*

3 Rursus litteræ dimissoriæ debent expressè continere Ordines, qui illarum vigore sunt conferendi, siquidem per facultatem recipiendi quatuor minores ordines non intelligitur facultas suscipiendi Subdiaconatum. Concedere dimissorias in primis potest summus Pontifex, & quidem illimitatè omnibus Christianis *c. 1. h. t. in 6. ibi nisi à nobis* &c. quia Summus Pontifex est Generalis Episcopus totius Ecclesiæ Catholicæ, ac omnium Ecclesiarum, cui propterea cæteri Episcopi subjiciuntur, vel subordinantur *can. cuncta per mundum 9. q. 3.* Proprius Episcopus potest litteras dimissorias dare, sive sit Episcopus proprius, vel Domicilii, vel beneficii: dummodo sit Electus, & confirmatus *c. cùm nullus eod. t. in 6.* & dummodo sufficientem habeat informationem de probitate morum, sufficientia litterarum, & legitimatione natalium ordinandi. Archiepiscopus verò jure Metropolitano subditis Episcopi non potest dimissorias dare, ut liquet *ex d. c. nullus.* quia litteras dimissorias concedere est actus jurisdictionis, qui fieri debet à proprio Episcopo, cui competit jurisdictio: non tamen est necesse, quòd Episcopus concedens litteras dimissorias sit consecratus, sed sufficit, si fuerit electus, & confirmatus, quia actus jurisdictionis non supponit essentialiter potestatem ordinis, quæ habetur per ipsam consecrationem, sed tantùm potestatem jurisdictionis, quæ suscipitur per electionem, & confirmationem. Possunt etiam litteræ dimissoriæ concedi à Legatis à latere Sedis Apostolicæ respectu subjectorum suæ Provinciæ, non tamen intra ptimum annum sedis vacantis, *nisi in casibus expressis.*

4 Oritur tamen dubium, an si Clericus à suo obtinuerit Episcopo litteras dimissorias pro majoribus ordinibus recipiendis, & inscio proprio Episcopo, sit irregularis, possit ab irregularitate occulta absolvi ab illo Episcopo, à quo promovendus est ad ordines? Diana *tom. 3. tr. 3. de potestat. Episc. resolut. 61.* Caspensis *tom. 2. tract. 27. disput. 7. sect. 3. n. 11.* Henriquez *lib. 14. c. 17. n. 4. Armilla verb. irregul. n. 8.* Silvester. *q. 9. n. 11.* Avila de Censuris *p. 7. disput. 10. dub. 6. ver. notandum 3.* & alii censent, posse ab Episcopo promovente Clericum illum absolvi ab irregularitate; & ea nituntur ratione, quia qui finem concedit, censetur concedere, quæ ad finis assecutionem sunt necessaria: atqui absolutio à tali irregularitate, est medium necessarium, ut Clericus promoveatur ad majores ordines, proinde Episcopus, qui concessit dimissorias Clerico, ut promoveatur ad ordines majores, implicitè etiam concessit facultatem, ut posset absolvi super irregularitate. Verùm hæc ratio non videtur magni momenti, quia concedens finem concedit media necessaria ad ejus assecutionem, quando media sunt per se connexa cum assecutione finis, ut esset proficisci in alienam Diœcesin, se sistere coram alieno Episcopo, eique præsentare litteras dimissorias proprii Episcopi, hæc enim, & alia similia sunt essentialiter connexa cum assecutione finis; proinde Episcopus, qui concessit dimissorias, concessit etiam tanquam accessorium posse proficisci, ac adire alium Episcopum, à quo promoveatur. At irregularitas tantùm abest, quòd sit medium conducens ad assecutionem talis finis, ut potiùs eam impediat, quòd si tale impedimentum innotuisset Episcopo concedenti dimissorias, eas non concessisset.

Quamobrem probabilius mihi videtur dicendum cum aliis, præfatum Clericum non posse absolvi super irregularitate occulta, ex vi litterarum dimissoriarum: quia quando ad assecutionem alicujus finis insurgunt duo impedimenta disparata, & non connexa inter se, sublato uno non censetur eo ipso sublatum alterum distinctum, ut liquet ex *c. duarum de usu, & authoritate pallii l. si domus ff. de servit. Urban.* & in præfato casu duo concurrerent impedimenta, alterum situm in defectu subjectionis pro ordinibus suscipiendis à tali Episcopo; & alterum irregularitatis: unde sublato priore non censetur sublatum etiam posterius. Tum quia à separatis non valet illatio *c. ad audientiam de decimis. l. Papinian. ff. de minor.* & potestas dispensandi super irregularitate, & conferendi Ordines, sunt omninò distinctæ. Unde ex eo, quòd una earum concedatur, non censetur concessa, & altera. 5

Demùm, quia ut notat Sanchez *de matrimonio lib. 8. disput. 1. n. 26.* dispensatio non extenditur ad connexa, sine quibus potest consistere: & potestas conferendi ordines potest consistere sine potestate constituendi initiandum habilem ad ordines suscipiendos per absolutionem ab irregularitate. Tum quia Episcopus proprius, cui non innotuit irregularitas sui Clerici subditi fuit in bona fide, quòd ipse esset habilis, & capax ordinum suscipiendorum, quapropter concessio dimissoriarum videtur potius fuisse conditionata, si nimirum dimissus Clericus fuerit capax, & habilis ad tales ordines suscipiendos. 6

Capitu-

Capitulum Cathedrale, Sede vacante potest etiam litteras dimissorias concedere, sed cum restrictione præscripta à Concilio Tridentino *sess. 7. c. 10. de refor.* quâ prohibetur Capitulo Cathedrali intra primum annum vacantis Sedis litteras dimissorias concedere; nisi is, qui ratione beneficii Ecclesiastici accepti, vel accipiendi adactus sit ad Ordines suscipiendos. Potest etiam idem Capitulum sede vacante post elapsum annum ab obitu Episcopi constituere Vicarium, qui has litteras dimissorias Clericis ordinandis concedat.

8 An verò possit Capitulum sede vacante etiam intra annum à morte Episcopi concedere dimissorias ad ordines suscipiendos absq; ulla pœna. Respondetur, Capitulum intra annum ab obitu Episcopi non posse concedere tales dimissorias, quin incurrat pœnas impositas à Concilio Tridentino *Sess. 7. c. 10.* Quòd si Clericus acceptis litteris dimissoriis à Capitulo intra annũ illis non uteretur, tunc Capitulum non censeretur incurrere tales pœnas, ex regula illa generali, quia pœna pro aliquo delicto imposita non incurritur, nisi post opus consummatum, seu post usum prædictarum literarum: tum quia Concilium ad hunc finem prohibuit, ne Capitulum intra annum concederet dimissorias, ut Clerici illius Diœcesis non promoverentur ad ordines intra id tempus, unde cessante fine, cessat etiam pœna, quæ pro tali fine fuit injuncta. Præterea, quamvis Capitulum sede vacante nequeat intra annum suis subditis dimissorias concedere: poterit tamen intra eundem annum, per alium Episcopum exercentem Pontificalia suos ordinare Diœcesanos, quia Molfesius *in summa tract. 2. c. 2. n. 28.* asserit, id fuisse declaratum à Sacra Congregatione.

9 Cæterum dilapso anno à puncto Sedis vacantis potest Capitulum concedere eas litteras dimissorias, sicut posset Episcopus, si adesset, nec litteræ semel à Capitulo concessæ per adventum novi Episcopi exspirant, ut docent Molina *tract. 5. de just. disput. 11. n. 4.* Gonzal. *ad regul. 8. Cancell.* Glossa *12. n. 37.* Guttier. *lib. 2. Canonic. quæst. c. 17. n. 11.* Qui tamen consulit Episcopis Ordinantibus, ut si tempore præsentationis harum dimissoriarum coram ipsis scierint, novum Episcopum accepisse possessionem suæ sedis, eas dimissorias non admittant, quia à novo Episcopo solent revocari. Alioquin si eas admittant ad Ordines Sacros non habentibus, unde vivant, tenetur Episcopus ordinans illis providere congrua alimenta, perinde, ac teneretur proprius Episcopus, ut notat Ugolinus *de potest. Episc. c. 26. §. 15. n. 1.*

10 Probabile etiam est, nec posse Capitulum Sede vacante intra annum ab obitu Episcopi concedere litteras dimissorias pro prima tonsura, quia Concilium Tridentinum *d. c. 10. sess. 7. de refor.* generaliter dicit, quòd non liceat Capitulo infra annum ordinandi licentiam, aut dimissorias concedere; ergo est ipsi prohibitũ concedere dimissorias, etiam pro prima tonsura, quia Concilium generatim prohibet concedere dimissorias; & litteræ, quæ conferuntur in ordine ad suscipiendam primam tonsuram dicuntur propriè litteræ dimissoriæ, ergò neque pro prima tonsura possunt concedi, & hæc est consuetudo, quæ reducitur ad praxin. Non tamen desunt, qui censeant posse Capitulum intra annum à morte Episcopi concedere dimissorias pro prima tonsura, & nituntur, quia Concilium Tridentinum tantùm prohibet licentiam ordinandi, seu conferendi Ordines; & prima tonsura non est ordo, sed tantùm dispositio ad ordines, ut docent Theologi, adeò ut Concilium Tridentinum *sess. 23. c. 2.* statuat, ut qui jam Clericali tonsura sunt insigniti per minores ad majores ordines ascendant; distinguit enim Concilium primam tonsuram à minoribus ordinibus. Tum quia nullibi Concilium Tridentinum vocat primam tonsuram ordinem, sed semper eam distinguit à minoribus ordinibus. Præterea Romanum Pontificale *in Titulo, de tonsurando Clerico*, non adhibet verbum ordinare, sed tantum facere Clericum, & pro quatuor minoribus adhibet verbum ordinare, quapropter distinguit primam tonsuram ab ordinibus minoribus. Verùm contraria sententia probabilior est, & tutior, quia in jure Canonico prima tonsura habetur pro ordine Ecclesiastico, licèt distincto à quatuor aliis minoribus: etenim *in c. cùm contingat de atat. & qualit. ordin.* prima tonsura vocatur Ordo Clericalis, & Glossa *in c. nullus de tempor. ordin. in 6. in ver. tonsura.* eam vocat ordinem clericalem. Tum quia initiati prima tonsura, revera gaudent Clericorum Privilegiis, & sunt capaces Privilegiorum, quorum laici sunt incapaces *c. 2. de instit. & c. ex litteris de transact.* Fruuntur etiam Privilegio Canonis, *si quis suadente*, Gloss. *in d. c. cùm contingat*: unde cùm tonsura gaudeat privilegiis cæterorum ordinum jure meritò à Canonistis dicitur esse ordo, licèt distinctus ab aliis quatuor minoribus. Demum, quia Tridentinum *Sess. 14. de refor. c. 2.* suspendit initiatum prima tonsura ab alieno Episcopo sine licentia proprii, & *Sess. 23. de refor. cap. 4. & 6.* eadem prohibitione ligat etiam initiatos ordinibus minoribus, adeò, ut Concilium parem faciat primam tonsuram quatuor minoribus ordinibus.

Potest tamen Capitulum Sede vacante intra annum ab obitu Episcopi concedere litteras testimoniales, de vita, & moribus ordinandorum, in casu, quo quis à Pontifice impetrasset, posse ordinari ab alieno Episcopo, extra suam Diœcesim. Idque colligitur ex Concilio Tridentino *Sess. 23. de refor. c. 8.* ubi ait: *unusquisq; autem à proprio Episcopo ordinetur. Quòd si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei etiam cujusvis generalis, aut specialis rescripti, aut Privilegii prætextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas, ac mores, Ordinarii sui testimonio commendentur:* atqui Capitulum sede vacante est Ordinarius Diœcesanorum, ergo ad ipsum pertinet litteras testimoniales illis concedere. 11

Cæterùm, si quis sine litteris dimissoriis susciperet primam tonsuram nil illi prodesset, nec posset ad ulteriores gradus promoveri, nec esse capax beneficii, nec gaudere Privilegio Canonis, 12

nis, vel fori Ecclesiastici, neque talis ordinatio posset rata haberi à proprio Episcopo in ordine ad valorem, ut notat Rebuffus *in praxi benefic. p. 1. tit. de litteris dimiss. n. 5.* & idem dicitur de prima tonsura, quam quis accipit ab Episcopo excommunicato, suspenso à divinis, interdicto, hæretico, schismatico, & Simoniaco in ordine, vel beneficio; quia litteræ dimissoriæ non conceduntur, nisi ut quis accipiat primam tonsuram ab Antistite ritè, & canonicè promoto, gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis obtinente, ut habetur in formula dimissoriarum.

13 Prælati Regulares possunt etiam suis subditis Regularibus dare litteras dimissorias ad ordines Sacros suscipiendos apud Episcopum illius loci, in quo Monasterium est situm, vel si sit absens, vel ordinationes non habeat, etiam ad alienum. Non tamen has dimissorias possunt Prælati Regulares concedere suis Novitiis *c. ad aures 5. h. t.* quia Novitii non sunt plenè subditi Prælati Regularis, sunt enim adhuc sui juris, possùntque habitum religiosum dimittere; sed si Novitii velint ordinari, possunt à proprio Superiore litteras dimissorias obtinere. Spectare ad Prælatos Regulares suis subditis professis concedere litteras dimissorias pro ordinibus suscipiendis desumitur *ex cap. ad aures de tempor. ordin.* ubi statuitur, quòd nullus Regularis ordinetur absque sui Prælati licentia, & Concilium Tridentinum *sess. 23. c. 10. de refor.* tantùm prohibet Abbatibus exemptis dare dimissorias suis subditis non Religiosis. Cæterum jura permittunt Prælatis Regularibus concedere tales dimissorias suis subditis Religiosis, qui vota solemnia emiserunt, & hæc est consuetudo, & praxis comunis, nō verò novitiis, si nolint ordinari..

14 Tantùm posset quis dubitare, an in illis Religionibus, in quibus subditi non promoventur ad ordines ex arbitrio solius superioris, sed etiam totius Capituli, possit superior denegare subdito dimissorias, postquam Capitulum collegialiter decrevit, ut dimissoriæ concedantur tali Religioso, ad Ordines suscipiendos. Mihi videtur respondendum cum Pasqualigo *centuria 4. q. 357.* non posse Prælatum Regularem tali Religioso denegare litteras dimissorias, postquam Capitulum statuèrit, ut ipsi concedantur. Quia tametsi necessarius sit consensus Superioris, hic tamen in ordine ad tales dimissorias, nomine superioris venit etiam totum Capitulum, in quo Superior non habet, nisi unum Suffragium, perinde, ac alius vocalis: ergò, si Superior, seu totum Capitulum legitimè Congregatum à superiore statuit, ut tales dimissoriæ concedantur, non videtur Superior posse illas denegare, cùm ipse solus non sit Superior, sed simul cum toto Capitulo, quia consensus superioris non est consensus pleni arbitrii, neque relinquitur ejus voluntati arbitrari, prout maluerit, sed post conclusionem Capituli tenetur exequi, quæ Capitulum statuit. Tum quia in *d. c. ad aures de tempor. ordinat.* ubi statuitur, quòd nullus debeat ordinari absque licentia sui superioris, adduntur verba *salva conscientia*, & quando aliquid remittitur conscientiæ alterius, intelligitur remissum arbitrio non absoluto, sed boni viri, ut tradunt Glossa *in Clement. 1. ver. oneramus de jur. patron.* Jas. *in l. si quis arbit. n. 23. de verbor. obligat. & in l. si sic legatum n. 12. ff. de legat. 1.* Natta *in Clement. sæpe. §. non sic tamen de verbor. signi.* Bald. *in l. fin. circa fin. C. de jur. domi. impet.* & alii plures, quos citat, & sequitur Pasqualigus *loc. cit.* unde cum superior Regularis teneatur sequi judicium boni viri in concedendis Dimissoriis pro ordinibus, tenetur sequi arbitrium regulatum *juxta Regulas rectæ rationis l. vir bonus ff. de judiciis solven.* ut notat Bart. *in extravag. ad reprimendum ver. videbitur n. 2.* atqui in nostro casu judicium boni viri est judicium Capituli, proinde tenetur Superior Regularis sequi Judicium Capituli in concedendis dimissoriis pro ordinibus. Tum quia arbitrium boni viri debet regulari secundùm conscientiam, quæ ut communiter docent cum D. Thoma *1. p. q. 79. art. 13. in corp.* est applicatio scientiæ in ordine ad operandum, scilicet illius scientiæ sitæ in Synderesi, quæ est habitus primorum principiorum respiciens operabilia: hinc, qui tenetur operari secundùm conscientiam, tenetur etiam operari juxta dictamen rectæ rationis.

In litteris dimissoriis, à quocunque istæ concedantur, debet diligenter exprimi causa, ob quam concessæ sint juxta *c. 1. h. t. in 6.* juncta Glossa v. litteras, & rursus debent continere commendationem ordinandi, seu testimonium de natalibus, ætate, moribus, & sufficienti scientia; nisi malit horum omnium examen relinquere Episcopo ordinanti, ut ex recepta consuetudine fieri solet in aliquibus partibus, ubi approbatus ab Episcopo concedente dimissorias adhuc ab Ordinante examinatur. Quòd si desideretur aliqua certa formula Litterarum dimissoriarum, hanc exhibet Rebuffus *in praxi benefic. tit. formula dimiss.* & est: *Ego Joannes de Petro &c. ut à quocunque Domino Antistite ritè, & Canonicè promoto, gratiam, & communionem Sanctæ Sedis Apostolicæ obtinente, quem propter hoc adire malueris, primam tonsuram accipere, & ad Acolytatum, cæterosq; minores, etiam Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus Sacros Ordines, statutis à jure temporibus valeas promoveri: eidem Domino Antistiti conferendi, & tibi ab eodem recipiendi extra tamen civitatem, & Diœcesin nostram tenore præsentium concedimus, & impertimur facultatem. Datum &c.* 15

Exhibet etiam Rebuffus formulam Litterarum, quibus Episcopus dat primam tonsuram suis subditis, & est hæc: *Ego Joannes, miseratione divina, ac Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia N. Episcopus, notum facimus universis, quòd nos anno, & die infra scriptis, & in Ecclesia Parochiali N. nostræ Diœcesis officium visitationis exercendo, dilecto nobis in Christo NN. filio. NN. conjugum, ac dictæ Parochialis nostræ Diœcesis oriundo, in, & de legitimo matrimonio procreato, prout fide dignorum testimonio nobis facta fides exstitit, sufficientis litteraturæ, & aliàs idoneo comperto tonsuram contulimus Clericalem militiæ Clericali adscribendo eundem.* 16

ac-

Actum, &c. sub Sigillo nostro consueto, die 20. Augusti, Anno incarnationis Dominicæ &c. testantur NN. ad hoc vocati.

§. VIII.

De Titulo, ad quem ordinandi sunt Clerici.

1 STatuit Concilium Tridentinum *Seff. 21. c. 2. de refor.* ne Episcopus conferat Ordines Sacros ulli Clerico, absque titulo mensæ, ut vulgò vocant, ratione cujus sit sufficienter provisum ordinando de congrua sustentatione, non quidem temporanea, sed perpetua; ne cùm dedecore Ordinis Clericalis adigatur initiatus Sacris Ordinibus ostiatim mendicare, aut sordidum quæstum exercere.

2 Est autem duplex Titulus, ratione cujus potest Clericus sæcularis ad Sacros Ordines promoveri, scilicet beneficii Ecclesiastici, & Patrimonii: ille proprius Titulus, & ordinarius est, eò quia decet inservientem Altari, vivere de Altari, ratione alicujus Ecclesiastici beneficii: Titulus Patrimonii succedit in defectum Tituli beneficii Ecclesiastici. Debet autem hujusmodi beneficium, ad quod Clericus sæcularis Sacris initiatur Ordinibus esse certum, perpetuum, ac sufficiens ad honestam sustentationem Clerici, juxta viri prudentis judicium, ut colligitur ex *c. si Episcopus 27. de præben. in 6.* idque ne Sacris initiatus Ordinibus congrua destituatur sustentatione, si à beneficio removeatur. Quapropter non sufficit, si Clericus promoveatur ad Sacros Ordines ob commendam temporalem, vel Vicariam ad tempus, vel ad beneficium annuale, vel Capellaniam non collativam, vel ad Titulum alicujus beneficii, aut stipendii assignandi ab Episcopo de fructibus suæ propriæ mensæ Episcopalis, quia hæc, & alia similia sunt temporalia, & extinguuntur cum morte ipsius Episcopi, vel alterius beneficiati: proinde initiatus Sacris Ordinibus destituetur congrua, & decente sustentatione.

3 Quamobrem, si Episcopus promoveat aliquem ad Sacros Ordines, ratione beneficii, debet hoc esse perpetuum, nisi aliunde ordinandus habeat Titulum, quo possit congruè sustentari, & talis Titulus sit perpetuus, adeò, ut nunquam possit ordinando deesse congrua sustentatio. Cæterum sufficit, si Clericus ordinetur ab eo Episcopo, in quo oriundus habet beneficium, sive respectu ipsius ordinem susceperit, vel non, ut notat Glossa *ver. Ecclesiasticum c. cùm nullus.* quia textus generaliter loquitur, nec ullam adhibet distinctionem, quàm proinde nec nos debemus adhibere *l. non distinguemus ff. de arbit. c. consuluisti 2. q. 5.* Hinc Capellania, si fuerit perpetua, & in Titulum collata sufficit, ut Episcopus possit Clericos ad ordines Sacros promovere, ut tradit Riccius *p. 1. decis 189. n. 9.* ubi citat Navarrum, Zerolam, Azorium, & alios. Garzia tamen *de benefic. tom. 1. p. 2. c. 4. n. 7.* censet, non posse Clericum promoveri ad Sacros Ordines, ratione Capellaniæ, etiam perpetuæ, & è contra putat, posse ordinari in commendam, si hæc perpetua fuerit, eò quia commenda perpetua sit beneficium Ecclesiasticum, non ita Capellania. Verùm dummodo congrua sustentatio sit certa, & perpetua, sive annexa sit Capellaniæ pinguiori, sive commendæ, id videtur sufficere in ordine ad finem Concilii Tridentini.

An verò possit quis ordinari ab Episcopo, in cujus Diœcesi habet beneficium tenue, negat Molfesius *in summa tom. 1. tract. 2. c. 2. n. 7.* quia ratione beneficii Clericus dicitur subditus Episcopi, si in tali Diœcesi habeat beneficium sufficiens ad victum honestum, ut valeat Sacris Ordinibus insigniri: secus, si beneficium fuerit tenue, quod non sufficiat ad honestam, & congruam sustentionem: quia tunc Concilium Tridentinum non consequitur suum finem. Adhærent huic Sententiæ plures in *c. 1. & c. nullus de tempor. ordin. in 6.* Quaranta *in compendio Bullarii in v. ordo.* Riccius *decis. 299. & sequent.* Ugulinus, & alii. Verùm contraria sententia est probabilis, eique adhærent plures, quia *in c. nullus de tempor. ordin. in 6.* non explicatur valor, & qualitas, sed tantùm dicitur generaliter, quòd initiandus Sacris Ordinibus debeat habere beneficium. Tum quia plures Canones loquentes de hujusmodi beneficio videntur subinde admittere beneficium, etiam tenue sic Concilium Tridentinum *in c. 6. sess. 23. de refor.* concedens tonsurato, vel possidenti beneficium gaudere Privilegio clericali, non solùm in civili, sed etiam in causa capitali, intelligitur de beneficio etiam tenui. Siquidem potest contingere, ut habens beneficium tenue in una Diœcesi habeat aliunde, quò suppleatur exiguitas beneficii, vel id sit ex patrimonio proprio, vel ex alio beneficio, quod possideat in alia Diœcesi: quo pacto Concilium Tridentinum assequitur suum finem, quia initiatus Sacris Ordinibus non adigitur mendicatò vivere, neque sordidum quæstum exercere; cùm sufficiant illi annui proventus, quibus possit congruè, & decenter vivere: quamobrem, si beneficio etiam tenuissimo, & duorum tantùm aureorum, adjungatur Patrimonium, adeò, ut conflatum ex tenuissimo beneficio, & proprio Patrimonio sufficiat ad congruam, & decentem sustentationem, censerem, posse absque ullo scrupulo Clericum promoveri ad Sacros Ordines: non tamen adhærerem eorum Sententiæ, qui asserunt etiam præcisivè à patrimonio, & quovis alio beneficio in aliena Diœcesi sufficere beneficium, quodcunque, licèt tenuissimum, quod non superet redditum duorum scutatorum, quia Concilium Tridentinum tunc non assequitur suum finem, & initiatus Sacris Ordinibus, cùm non possit tam tenui proventu congruè, & decenter vivere, cogitur mendicare; si aliunde non habeat Patrimonium certum, vel aliud perpetuum beneficium, quo possit congruè se sustentare. Tum quia Squillantes *de Privilegio Cleric. c. 4. n. 239.* asserit, Sacram Congregationem respondisse Cardinali de Aquaviva Archiepiscopo Neapolitano, promotum ab alieno Episcopo ad beneficium tenuissimum, fuisse malè promotum,

motum, & ipsum promotum suspensum ab executione, ut etiam collatorem à collatione per annum; sed quidquid sit de hac declaratione Sacræ Congregationis, certum est promotum ad tenuissimum beneficium non assequi finem Concilii Tridentini exigentis congruam, & decentem sustentationem certam, & perpetuam, ne Clericus adigatur mendicatò vivere.

Hinc si beneficium suffecerit ad congruam 5 sustentationem, tametsi simplex fuerit, & in propria Diœcesi Episcopi ordinantis, potest absque ullo Scrupulo Episcopus Clericum ordinare ad tale beneficium, quia Concilium Tridentinum non exigit, quod beneficium requirat residentiam, sed tantùm, quòd sufficiat ad congruam, & decentem Clerici sustentationem. Præterea, cùm tale beneficium licèt simplex sit in Diœcesi Episcopi promoventis ad Ordines Sacros; jam promotus ratione beneficii fit subditus promoventis, quia Episcopus beneficii, is est, in cujus Diœcesi habet quis beneficium, sive simplex, sive cum residentia, sive tenue, sive pingue, ut notat Henriquez *lib. 10. c. 21. n. 1.* causa enim, ob quam aliquis censeatur sufficienter subjici alicui Episcopo in ordine ad recipiendos ab eodem Ordines, est quodlibet beneficium, quod Clericus possideat in sua Diœcesi, idque desumitur *ex c. cùm nullus.* Neque obstat, quòd ratione beneficii simplicis non constituatur domicilium in tali Diœcesi, cum beneficio simplici non sit adnexa residentia. Siquidem Pontifex non solùm vult ratione domicilii aliquem subjici Episcopo in ordine ad suscipiendos ab eodem Sacros Ordines; verùm etiam aliis de causis: propterea licèt beneficium sit simplex, & non trahat secum residentiam: nihilominus ratione beneficii constituit Clericum subditum talis Episcopi.

6 An verò possit quis in aliena Diœcesi fundare beneficium Ecclesiasticum, & titulo illius ordinari ad Sacros Ordines ad effugiendam jurisdictionem Episcopi Domicilii; communiter Doctores, tam Theologi, quàm Iurispontificii periti negant, quia tunc fundaretur beneficium in fraudem, scilicet ad effugiendam jurisdictionem Episcopi Domicilii, siquidem supponitur fundare ea intentione, ut possit promoveri ad Sacros Ordines, quod est in fraudem, ut se subtrahat à jurisdictione Episcopi Domicilii: atqui fraus, & dolus nemini debent patrocinari *l. itaq; vul. ff. de furtis c. dictum 30. q. 1. c. intelleximus de judic. c. tua 12. de cleric. non resid. c. sedes. c. ex tenore de rescript. c. 2. de dolo.* Verùm opposita sententia non videtur carere probabilitate, quia ex suppositione, quòd velit, quis beneficium aliquod Ecclesiasticum fundare, est eidem liberum illud fundare in quavis Diœcesi, prout ipsi magis libuerit; & posita illa intentione fundandi beneficium, si velit ipse promoveri ad Sacros Ordines, potest uti jure suo, & illis initiari in Diœcesi, in qua fundavit beneficium, ratione cujus Episcopus talis Diœcesis est ejus Episcopus beneficii, & cum possit quisque ordinari ab Episcopo originis, Domicilii, & beneficii, prout magis libuerit, nil videtur prohibere, quod non possit promoveri ad ordines ab illo Episcopo, in cujus Diœcesi fundavit beneficium. Nec obstat, quod illud fundavit eo fine, ut se subtraheret à jurisdictione Episcopi Domicilii: Siquidem posito, quòd jam statuerit fundare beneficium, ex jure est illi liberum illud fundare, in quacunque Diœcesi, prout ipsi magis placuerit, proinde, cum utatur jure suo, non videtur fraudem committere, ut liquet ex *regula juris 56. & colligitur ex l. quod, & ex l. flavia §. planè ff. de lib. hom. exhibit.*

Præterea esto fundet ea intentione beneficium in aliena Diœcesi, ut se subtrahat à jurisdictione Episcopi Domicilii; & etiam quod talis intentio sit mala: non tamen inde videtur deduci, non posse ordinari ab Episcopo, in cujus Diœcesi fundavit beneficium: quia mala intentio, tametsi influat ad peccatum, non tamen irritat actum externum, si iste aliunde sustineatur in jure: ratio est perspicua, quia intentio est actus internus, & occultus, consequenter, si actus externus sit juri conformis, non adversatur juri, tametsi operans intentionem malam habeat. Cùm igitur jura permittant, posse quemlibet promoveri ad Ordines ab Episcopo beneficii, tametsi beneficium sit recens institutum, & intentio illud instituendi potuerit esse mala ob aliquam adjunctam circumstantiam; non tamen potuit esse mala ex eo præcisè, ut Ordines susciperet ab Episcopo beneficii, relicto Episcopo domicilii, cùm jura id permittant, nec ponant ullam limitationem de beneficio instituto ad hunc, vel illum finem; siquidem *in c. illo cùm nullus* non ponitur talis limitatio, sed tantùm requiritur, ut quis beneficium Canonicè possideat. Adhærent huic sententiæ Diana *tom. 2. tract. 5. resolut. 45.* Bardus *in select. lib. 3. q. 3. n. 7.* Leander. *de Sacrament. tom. 2. tract. 6. disput. 8. q. 19.* Quia jus tantùm requirit, quod initiandus ordinibus Sacris canonicè possideat beneficium, neque distinguit, qua intentione, aut fine fuerit tale beneficium institutum, nec quo tempore. Imò Garzia, Barbosa, & alii, apud Dianam *loc. cit.* censent, posse talem Episcopum etiam dispensare in interstitiis: & revera, si ratione beneficij est proprius Episcopus potest id omne, quod Episcopus domicilii, vel Originis.

Dubitari tamen solet, an Episcopus possit Clerico alienæ Diœcesis conferre beneficium aliquod in sua Diœcesi ad eum finem, ut statim illum promoveat, ad Sacros Ordines. Plerumque contingit, nolle Episcopum Domicilii Clericum promovere ad Sacros Ordines, & interim, Clericus, vel mediantibus litteris commendatitiis; vel, quia est gratus alteri Episcopo, obtinet ab isto beneficium, quo promovetur ab eodem ad Ordines Sacros. Plures respondent cum Barbosa, Riccio, & aliis non posse Episcopum ordinare talem Clericum ex vi beneficii collati: nituntur, quia collatio talis beneficii fit in fraudem legis ad eximendum illum Clericum, cui confertur beneficium, à jurisdictione sui Episcopi: atqui fraus, & dolus, nemini debent patrocinari. Secundò, quia si id liceret frustrà 8

frustra Tridentinum *Sess. 23. de reformat. c. 9.* definivisset, Episcopum, tunc solùm posse aliquem alterius Diœcesis ad ordines promovere, quando per triennium fuerit cum eo commoratus: dummodo statim illi beneficium conferat, etenim si id esset licitum, Concilium non apposuisset illam conditionem commorationis triennalis. Verùm opposita sententia, quam propugnat Diana *coord. tom. 2. tract. 5. resolut. 55.* & alii videtur probabilis, quia jus id tantùm exigit, ut qui ordinatur ratione beneficii, Canonicè possideat beneficium, quo possit congruè sustentari: neque distinguit, quo sine, aut ratione illud obtinuerit, nec quando; sed tantùm præcisè exigit, quòd illud possideat, antequam promoveatur ad sacros Ordines: quapropter non debemus distinctionem apponere, quæ non includitur in jure. Neque talis collatio beneficii, facta ab Episcopo Clerico extraneo est in fraudem legis: quia tunc Episcopus utitur jure suo; siquidem ad majorem utilitatem propriæ Ecclesiæ potest conferre tale beneficium, & acquirere subditum, qui suæ inserviat Ecclesiæ: & qui utitur jure suo non committit fraudem contra legem, ut liquet ex *d. reg. jur. 56.* Neque secundum, quod objiciebatur ex Tridentino videtur ullum facessere negotium, quia differt à casu triennalis familiaris: siquidem in casu nostro collatio beneficii debet necessariò præcedere promotionem Clerici ad Sacros ordines; & in illo Concilii non est necesse, ut collatio præcedat, sed sufficit, si subsequatur: ait enim Concilium *sess. 23. de reformat. c. 9.* beneficium statim re ipsa illi conferat; conjungit collationem beneficii ad hunc finem, ut initiatus sacris ordinibus congruè sustentetur: proinde saltem, ut post ordinationem illi conferat beneficium. Rursus, qui habet plura beneficia in diversis diœcesibus potest ordinari ab omnibus illis Episcopis, quia omnes sunt Episcopi beneficii, & potest omittere Episcopos originis, & domicilii.

9 Cæterùm si Episcopus aliquem ordinaret sine titulo, nec initiatus Sacris Ordinibus haberet aliundè, quo congruè posset sustentari, teneretur Episcopus in conscientia, vel illi conferre beneficium, si esset idoneus; vel suppeditare ipsi alimenta. Siquidem non potest quis ordinari absque titulo beneficii, vel patrimonii, aut pensionis, si sit Clericus sæcularis, ut decrevit Concilium Tridentinum *sess. 24. c. 2. de refor.* consequenter Episcopus promovens aliquè ad Sacros ordines, contra hanc dispositionem, tenetur illi conferre beneficium, si fuerit idoneus juxta *c. accepimus de ætat. & qualit. & c. cùm secundùm de præben.* ubi etiam obligantur Episcopi ordinantes ad providendum de necessariis ipsis ordinatis, donec illis competens contulerint beneficium. Ad duo siquidem obligantur ordinantes, scilicet ad alendos ordinatos, si non statim conferant beneficium; & ad conferendum, competens beneficium, si ordinati fuerint idonei. Imò hæc obligatio transit ad successores in Episcopatum, si ab ordinante prædecessore non fuerit satisfactum, ut statuitur in ***d. c. accepimus de ætat. & qualit. & c. cùm secundùm de præben.*** Neque obstat, quòd successor non teneatur luere pœnas pro errore sui prædecessoris. Nam contra est, quia jura non imponunt hanc obligationem in punitionem, sed ad tollendum opprobrium Cleri, ut ait Glossa *d. c. cùm secundùm v. successores.* Siquidem cederet in opprobrium Status Clericalis, si Sacris initiatus Ordinibus cogeretur mendicare, vel sordidum exercere quæstum.

Hæ verò obligationes subministrandi alimenta, donec initiatus Sacris Ordinibus provideatur de beneficio; & providendi de beneficio, sunt inter se distinctæ, ac censentur diverso jure; quia non solùm versantur circa diversam materiam: sed etiam obligatio providendi de beneficio admittit exceptiones; cùm possit Episcopus excipere, quòd ordinatus non sit idoneus, ut liquet ex *d. c. accepimus, de ætat. & qualit. & c. cùm secundùm de præben.* Secus obligatio suppeditandi alimenta omnem excludit exceptionem. Quòd si initiatus Sacris Ordinibus fuerit idoneus, de jure cogi potest Episcopus ad conferendũ beneficium, quia solùm de æquitate concediur, ut possit excipere, idque liquet *ex c. accepimus de ætat. & qualit.* ubi habetur: *cùm etsi tecum de jure agere vellemus, te possemus meritò ad provisionem eorum compellere, quos à te, vel prædecessoribus tuis ordinatos fuisse constaret.* Et subjungit esse favorem Pontificis, si sinat, ordinatos per alios examinari ad specimina idoneitatis exploranda. Unde eo ipso, quòd quis fuit ad Sacros Ordines promotus sine titulo, potest de jure compelli Episcopus ordinans, ad eidem providendum de beneficio: quòd si de jure potest compelli, supponitur obligatio, siquidem compulsio juridica, non nisi in obligatione fundatur: & si adest obligatio, tenetur Episcopus ordinans in conscientia satisfacere propriæ obligationi. 10

11 Ratio itidem esse potest, quia eo ipso, quòd Clericus Sacris initiatur ordinibus acquirit jus, ut sibi de patrimonio Ecclesiæ propria suppeditentur alimenta: siquidem per ordinationem eligitur Minister in Ecclesiæ obsequium, fitque membrum corporis mystici Ecclesiæ; & patrimonium Ecclesiæ est institutum pro sustentandis membris ejusdem, ut declaravit Innocentius III. ad Episcopum Zamorensem in *c. cùm secundùm de præben.* ubi ait: *Cùm secundùm Apostolum, qui Altari servit, vivere debeat de Altari, & qui ad onus eligitur repelli à mercede non debet; patet à simili, ut Clerici vivere debeant de patrimonio JESU CHRISTI, cujus obsequio deputantur*: & nonnullis interjectis subjungit, *dignum est, ut Ecclesia stipendiis sustententur, in qua, & per quam divinis obsequiis adscribuntur.* Cum igitur Sacris initiatus ordinibus, ex vi Sacrorum Canonum acquirat jus ad congruam sustentationem de patrimonio Ecclesiæ; tenetur Episcopus in conscientia, tanquam administrator bonorum propriæ Ecclesiæ, eidem consulere, ac reddere jus suum, seu beneficium illi conferre, si aliàs sit idoneus.

Cæterum Episcopus potest tantùm excipere contra ordinatos à suis prædecessoribus, non verò contra illos, quos ipse ordinaverit, ut notat 12

notat Glossa *in c. cùm secundùm v. liceat. de praben.* & deducitur ex *c. accepimus de atat. & qualit.* Siquidem cùm per promotionem ad Sacros Ordines promotus acquirat jus, ut sibi de bonis Ecclesiæ provideatur: semel quòd Episcopus judicat Clericum idoneum, ut promoveatur ad Sacros Ordines, implicitè illum judicat idoneum pro beneficio, ad quod vi promotionis acquirit jus. Tum quia contra proprium factum non potest excipere, cùm non possit illud impugnare, ne sibi contradicat *l. post mortem ff. de adoptionibus, & l. cùm pater. §. libertis. ff. de leg. 2. & c. cùm semper de concess. praben.* ut notant Bart. *tract. de consort. c. 22. n. 13.* Tiraquel. *de tract. consanguin. §. 1.* Glossa *9. n. 27.* Menochius *cons. 89. n. 47.* Imò tenetur Episcopus promoto ad Sacros Ordines providere de beneficio competente, tametsi ipsum non examinaverit, quia talis obligatio transit ad successores, tametsi ipsi non examinaverint promotos *c. accepimus de atat. & qualit. & c. cum secundùm de praben.* unde licèt Vicarius, vel Archidiaconus, aut alius deputatus examinaverit initiatum Sacris Ordinibus, attamen obligatio providendi est penes Episcopum; etiam si interfuisset aliqua culpa: quia pertinet ad Episcopum, non committere examen ministris negligentibus. Tum quia initiatus Sacris Ordinibus acquirit jus, ut sustentetur de patrimonio Ecclesiæ, ut liquet *ex c. cùm secundùm de praben.* proinde obligatio subministrandi alimenta, aut providendi de beneficio illi inest, ad quem pertinet administratio patrimonii Ecclesiæ.

13 Ad subministrationem verò alimentorum quod attinet, tenetur statim in conscientia, quia cùm constet de ordinatione potest compelli Episcopus de jure ad suppeditandam necessariam sustentationem, donec ordinatus provideatur de beneficio *c. accepimus de atat. & qualit.* cùm enim obligatio oriatur ex ordinatione: hac positâ, statim potest compelli Episcopus, qui promovit ad Sacros Ordines ad suppeditanda alimenta: eatenus permittitur exceptio, quatenus potest ordinatus non esse idoneus pro beneficio: hæc autem exceptio cessat, quoad subministrationem alimentorum.

14 Quamobrem, si ordinatus absque titulo non fuerit habilis ad beneficium, adhuc tenetur Episcopus, qui eum promovit ad Ordines Sacros, eidem providere de necessariis alimentis, si aliunde sibi honesto modo ea non possit acquirere, idque desumitur *ex c. non liceat de praben.* ubi decernitur, Episcopum unum de duobus teneri eligere, aut Clericos non facere, aut si fecerit suppeditare iisdem, unde possint congruè sustentari. Ratio est, quia promotus ad ordines Sacros, ratione promotionis fit membrum Ecclesiæ, cui incorporatur tanquam unus de Hierarchia Ecclesiastica: consequenter acquirit jus ad alimenta de patrimonio ejusdem Ecclesiæ, ut habetur *in d. c. cùm secundùm de praben.* ergo debent ab Episcopo subministrari congrua alimenta, ut debita, ratione ordinationis, quando non potest ordinatis providere de beneficio ob carentiam idoneitatis: quia tametsi stante tali defectu non debuisset ordinari, semel tamen, quòd est promotus; non est privandus necessariis alimentis, ad quæ ratione ordinationis habet jus. Siquidem esset dedecus Ordinis clericalis, si Sacris initiati Ordinibus cogerentur mendicatò vivere, aut sordido quæstu sibi victum comparare, ut desumitur ex *c. Diaconi dist. 93. & c. Joannes in fin. de cler. conjug.* & observat Glossa *in c. cùm secundùm v. successoris de praben.*

Tum quia Clericis paupertate laborantibus 15
tenentur Episcopi generaliter consulere, ac illis suppeditare necessaria, ut communiter docent Doctores, cum Glossa *in c. cùm secundùm v. donec de praben.* Ugolinus *de officio Episcopi c. 27. §. 15. v. septimò excipitur* Molfesius *p. 1. sum. tract. 10. c. 15. n. 5.* Si igitur, quis Sacris initietur Ordinibus, absque titulo beneficii, vel patrimonii, acquirit jus ad alimenta de patrimonio Ecclesiæ, quia tunc censetur ordinatus ad titulum patrimonii ejusdem Ecclesiæ: eò quia ratione ordinationis censetur assumi ad hæreditatem Christi, ut dicitur in *c. cùm secundùm de praben.* Secus, quando habet de proprio censetur ordinari ad titulum proprii patrimonii, & cùm ordinatio innitatur titulo, tunc non sinit insurgere jus ad commune patrimonium Ecclesiæ, quia semper censetur ordinatio facta cum pacto saltem tacito, ut coordinatus obliget proprium patrimonium ad sui sustentationem, si illud habeat *c. Episcopus de praben. l. 1. §. si convenerit ff. depositi, & c. pacisci ff. de pactis.* & ita declaravit Rota coram Durano *decis. 129. n. 2.*

Dubium tamen est, à quo subministranda sint
alimenta, quando Pontifex concedit, ut pos- 16
sit quis à quocunq; Episcopo ordinari. Respondetur, tunc teneri suppeditare congrua alimenta illum Episcopum, à quo fuerit Clericus ex concessione Pontificis ad Sacros promotus ordines, si fuerit proprius Episcopus: proprius autem Episcopus is intelligitur, qui debet concedere litteras dimissorias ordinando, & ad proprium Episcopum ordinandi id pertinet: undè, si ordinandus obtineret litteras dimissorias à suo proprio Episcopo, & postea ex concessione Pontificis promoveretur ab alio Episcopo, adhuc teneretur proprius Episcopus, qui concessit dimissorias eidem suppeditare propria alimenta: quia Summus Pontifex concedendo, ut possit quis ordinari à quocunque Episcopo, tantùm tollit impedimentum, quod obstat, ne possit ordinari; non verò habilitat pro suscipiendo ordine, sed supponit, prout de jure Clericum habilitatum, vel habilitandum: adeò, ut illi ad quos de jure pertinet, teneantur inquirere super habilitate, & aliis requisitis, inter quæ habetur titulus, ad quem Clericus promovetur ad Sacros Ordines. Siquidem secluso titulo non est habilis, ut de jure promoveatur ad Sacros Ordines, quapropter pertinet ad proprium Episcopum examinare, an revera promovendus sit habilis, habeátque omnia requisita, ut statuitur in Concilio Tridentino *sess. 23. c. 3. de refor.* ubi, loquens de Episcopis, ait: *Subditos suos non aliter, quàm jam probatos, & examinatos, ad alium Episcopum ordinandos dimittant.*

Unde

Unde licèt obtineat quis indultum à summo Pontifice, ut possit Sacris initiari à quovis Episcopo, adhuc tamen sunt necessariæ litteræ dimissoriæ proprii Ordinarii, quæ testificentur super idoneitate, & aliis requisitis, quia Pontifex non aliter censetur indulsisse Clerico, nisi supposita habilitate.

17 Videtur tamen, quòd potius ad summum Pontificem, qui indulsit Clerico posse Sacris initiari ordinibus à quocunque Episcopo, pertinere alimenta Clerico ordinato suppeditare, siquidem *in c. si Episcopus de præben. in 6.* ita statuitur: *eis autem, quibus à Diœcesanis datur licentia, ut possint à quo voluerint Episcopo ad omnes Sacros ordines promoveri, non qui ordinant; sed qui tribuunt licentiam (cùm eam dare non debeant titulum non habenti) ad præmissa, si titulum non habeant, obligantur.* Verùm hic textus non imponit hanc obligationem Pontifici, quia tantùm disponit de Episcopo, aut alio, qui suis subditis possit concedere licentiam suscipiendi Ordines, eo quia ad proprium Episcopum pertinet inquirere super idoneitate, & præsertim super titulo; proinde si non inquirit, deficit in proprio munere, ac sibi ipsi obest: proinde ad ipsum pertinet suppeditare necessaria alimenta Sacris initiato ordinibus: quapropter hæc obligatio non extenditur ad Summum Pontificem, cum præfatus textus loquatur solùm de inferioribus ordinantibus, aut concedentibus licentiam. Demum, quia Pontifex, eò quia indulgeat Clerico, ut possit ordinari à quocunque Episcopo non dispensat super obligatione inquirendi de idoneitate ordinandi, quapropter obligatio tota refunditur in executorem litterarum apostolicarum. Hinc si pendente lite inter duos ordinarios, ad quem ipsorum pertineat concedere dimissorias, & à neutro interim Clericus obtineat, & recurrat ad summum Pontificem, à quo obtineat; tunc ille, cui hujusmodi litteræ præsentabuntur, tenebitur examinare ordinandum, ac inquirere super idoneitate, & præsertim super titulo, cùm summus Pontifex per indultum factum Clerico non suppleat dimissorias, sed tantùm tollat impedimentum ordinationis, quod obstabat, ne posset ordinari à non suo Episcopo, & absque dimissoriis sui Ordinarii, proinde tunc ad Ordinantem pertinet explorare super habilitate ordinandi.

18 Alius titulus, ad quem sunt Clerici ordinandi est patrimonium, pro quo veniunt omnia bona Clerici, quæ vel ex donatione alterius, vel propria industria Clerici, vel alio civili titulo fuerunt obtenta, etiam pensiones, si istæ fuerint perpetuæ, & sufficientes ad congruam sustentationem, vel saltem donec ordinatus conveniens beneficium consequatur, dummodo talis promissio cautione hypothecaria, aut prout moris est à magnatibus, aut communitatibus cautione fulciatur instrumentaria. Rursus debent hæc bona venientia, nomine patrimonii esse certa, ut judicium inde haberi possit de congrua Clerici sustentatione. Debent itidem esse immobilia, ne facilè dilapidentur, & patrimonium extinguatur. Præterea debent esse libera, & non alieno ære obligata, nec juxta voluntatem creditorum suo tempore distrahenda. Demùm debent esse frugifera, ut quot annis suum proventum pro congrua vitæ sustentatione Clerico suppeditent Sacris initiato; hæc omnia desumuntur ex *c. tuis de præben.* & *c. Episcopus de præben.*

Hoc patrimonium, ratione cujus Clericus initiatur Sacris ordinibus ex jure nequit sine consensu Episcopi alienari, ut cùm Glossa docent Hostiensis, Abbas, & alii juris Pontificii periti, & desumitur ex *d. c. tuis.* idque firmatum fuit in Concilio Tridentino *sess. 21. c. 2.* ubi dicitur illa bona, quorum causâ Clericus est Sacris initiatus, non posse alienari sine expresso Episcopi consensu, donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens ad congruam sustentationem fit adeptus; vel acquirat aliunde, unde possit, sicut Clericum decet, honestè vivere. Neque obstat, si dicas, hujusmodi patrimonium non esse beneficium, nec jus ullum spirituale, consequenter posse alienari sine consensu Episcopi. Nam contra est, quia jura, & Concilia id prohibuere; ne si absque consensu Episcopi alienetur patrimonium, Clericus Sacris initiatus adigatur, vel mendicatò vivere, vel sordidum quæstum exercere; & ne Episcopus cogeretur ei vitæ necessaria suppeditare. Cùm verò Clericus beneficium acquisiverit Ecclesiasticum tuta conscientia potest patrimonium alienare, ut notant communiter juris Pontificii periti cum Abbate *in eod. c. tuis.* 19

Quòd si quæratur, an Clericus ad Titulum patrimonii Sacris initiatus teneatur meminisse patrimonii, si à Romano Pontifice curet beneficium impetrare. Respondet Abbas *in c. postulâsti de rescript. n. 3.* communem sententiam esse; in litteris Pontificiis, quæ dicuntur justitiæ, debere mentionem fieri patrimonii, ratione cujus, impetrans litteras justitiæ explicet se habere commodum ad congruam sustentationem: Cæterum in litteris, quæ dicuntur gratiæ, non esse necesse, id exprimere. Vocantur litteræ justitiæ, ut docet Abbas *in c. postulâsti de rescript.* & Glossa *in extravag. sedes Apost. v. gratia de concess. præben. inter extravag. Joan.* XXII. & Rebuffus *in praxi benefic. tit. de rescrip. in forma communi, & in forma pauperum.* illæ, quas impetrat Clericus à Romano Pontifice, ut ipsi beneficium conferatur, eò quòd sit pauper non habens, unde commodè vivat; & hujusmodi litteræ, ideò dicuntur justitiæ, ut asserit Abbas, quia ei, qui Altari, & Ecclesiæ inservit, debetur stipendium, & merces, unde possit commodè sustentari, & quia hujusmodi litteræ Pontificiæ non conceduntur, nisi in bonum Clericorum indigentium causâ paupertatis, dicuntur etiam litteræ datæ in forma pauperum. 20

Rursus, quia olim Romani Pontifices soli has litteras consueverunt dare, quibus scribebant Episcopis, ut beneficia conferrent iis, quos ipsi ad ordines promoverant, ideo dicuntur datæ in formâ communi: quia verè nituntur verbis Apostoli, qui Altari deservit, de Altare vivat: ideò dicuntur datæ in for- 21

forma secundùm Apostolum. Hinc est, quod in impetratione talium litterarum debeat fieri mentio patrimonii, alioquin idonei ad vitæ sustentationem, cùm tales litteræ non concedantur, nisi causâ paupertatis, nec Pontifex eas concederet, si Clericus aliunde haberet, quo posset congruè sustentari. Litteræ gratiæ dicuntur, quas Romanus Pontifex concedit liberaliter absque causâ paupertatis, in quibus proinde non est necesse, ut mentio fiat patrimonii etiam pinguis, ut nec etiam debet fieri mentio nobilitatis. Cæterum is, cui suppetit patrimonium ad congruam vitæ sustentationem potest etiam beneficium Ecclesiasticum impetrare, ut docent Innocentius Hostiensis, Abbas cum Glossa in *c. postulâsti.* quia ut ait Apostolus *1. ad Corinth. 9. nemo militat stipendiis suis; & qui Altari servit, de Altari debet vivere* juxta Christi sententiam Lucæ 10. *Dignus est operarius mercede sua*, consequenter licet Clerico beneficium accipere, & de proprio patrimonio ad libitum statuere.

22 Dubitari solet, an si Petrus promittat se Joanni daturum subsidia congrua ad vitæ sustentationem possit jure Joannes ad Sacros Ordines absque ullo alio beneficio, & patrimonio promoveri. Non desunt, qui putant, stante tali sponsione posse Joannem Sacris initiari, eò quia *in l. qui actionem ff. de reg. jur.* dicitur: qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur: ergò habens actionem, & jus ad Patrimonium sibi promissum, censetur habere ipsum Patrimonium. Verùm hanc sententiam communiter rejiciunt juris Canonici periti: quia Canones, & jura exigunt patrimonium, ut quis valeat ad Sacros provehi ordines, undè non sufficit, si quis habeat jus ad patrimonium, sed requiritur jus in patrimonio: jus enim ad rem est distinctum à jure in re, quia jus in re dicit possessionem rei, non ita jus ad rem. Hinc si quis habeat jus ad beneficium per electionem, vel nominationem Patroni ipsum offerentis, non dicitur habere beneficium, quia nondum habet jus in beneficio, sed tantùm ad beneficium: ergo neque is dicitur habere patrimonium, qui jus tantùm acquisivit ad illud; sed in patrimonio. Nec ullum facessit negotium, quod dicitur *in l. qui actionem ff. de regulis jur.* quia non est juxta præsens institutum, siquidem lex illa loquitur de illo, qui habet actionem vendicandi rem suam, & qui propterea habet, non solùm actionem ad rem; verùm etiam fructus naturales rei.

23 Cæterùm Patrimonium debet tale esse, ut ad vitam commodè sustentandam, ut decet honestum Clericum, sufficiat: quia jura, non qualecunque patrimonium requirunt, sed quod sit, ad vitam sustentandam idoneum, quod arbitrio committi debet prudentis judicis, qui in hac re debet audire testes juratos, qui dent testimonium publica Notarii fide subscriptum habita ratione loci, temporis, Ecclesiæ, personæ. Quòd si Clericus adhuc patrimonium suis cum fratribus haberet commune, adhuc posset promoveri ad titulum patrimonii, quia nil refert, an sit commune cum fratribus, vel divisum, dummodo pars, quæ Clerico debetur, sufficiat ad ejus honestam sustentationem.

§. XI.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones.

Quæritur primò, qui sint effectus Ordinis, & qualis dispositio requiratur ad illos? Respondetur, effectus Ordinis principaliores esse quatuor. Quorum primus est spiritualis potestas, & jus faciendi aliquid circa Sacram Eucharistiam, quia omnes Ordines ad illam diriguntur. Secundus est Character, seu qualitas spiritualis indelebilis impressa animæ: imprimitur enim hujusmodi Character per illos Ordines, qui sunt Sacramenta, ut declaratur in Tridentino *sess. 23. de sacram. Ordin. c. 4. can. 4.* non verò imprimitur per illos, qui non sunt Sacramenta, ut censent plures cum Tannero *tom. 4. disput. 7. q. 2. n. 108.* Tertius est gratia habitualis prima, vel secunda, vel ejus incrementum: omnia enim Sacramenta per se loquendo conferunt gratiam. Quartus est collocatio in certo statu, & gradu. Ad hos effectus requiruntur aliquot dispositiones, quarum prima est Baptismus, quia non solùm illicitè, sed etiam invalidè confertur Ordo nondum regenerato in Christo. Tum quia baptismus est janua, & fundamentum Sacramentorum *c. veniens de Presbyt. non baptiz.* Secunda, Confirmatio, non tamen hæc conditio requiritur, ut quis validè suscipiat Sacramentum Ordinis, sed ut licitè, adeò, ut mortaliter peccet, si quis hoc Sacramentum Ordinis suscipiat sine prævio Sacramento Confirmationis. Probabile tamen est, quòd si quis nondum confirmatus primam tonsuram susciperet, nonnisi venialiter peccaret, quia Concilium Tridentinum *sess. 23. c. 4. de refor.* ait: *primâ tonsurâ non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint.* ubi Concilium non indicat obligationem mortalem. Tertia, ut superior ordo non suscipiatur ante inferiorem *c. unic. de cler. per salt. promot.* & nullos ante primam tonsuram, Concil. Trident. *sess. 23. c. 2.* idque sub pœna peccati gravis, licèt valida esset ordinatio. Quarta, ut non conferatur per veram coactionem: qui tamen metu justo, aut injusto, gravi, vel levi permitteret circa se fieri, quæ circa alios fiunt, & tangeret, quæ tangenda sunt, se habendo permissivè, & cum intentione suscipiendi Ordines, eos validè susciperet, ac insigneretur charactere. Secus, si solùm fingeret se velle Ordinem suscipere: tunc nil efficeret, ut declaravit Innocentius III. *cap. majores de baptis.* ibi: *Ille adultus, qui nunquam consentit, sed penitùs contradicit, nec rem, nec Characterem suscipit Sacramenti*, & quamvis Pontifex

ibi

ibi loquatur de baptizato cum fictione, id tamen etiam procedit de Ordine. Quintò requiritur status gratiæ, seu immunitas à peccato mortali: quia decet Sancta sanctè suscipere, & is peccat mortaliter, qui conscius lethalis criminis, suscipit unum ex Ordinibus, quos, certum est, esse Sacramenta; & id desumitur ex generali doctrina de ponentibus obicem gratiæ per Secramenta infundendæ. Quia verò prima tonsura non est Sacramentum, non peccaret graviter, qui permitteret se tonderi in Clericum nullo præmisso de suis peccatis dolore. Sunt aliæ dispositiones, de quibus diximus in præcedentibus, ut de domicilio, jejunio, scientia, tempore, interstitiis, ætate, patrimonio, titulo beneficii.

2 Quæritur secundò, an promotus ad Diaconatum possit sine facultate Episcopi munus prædicationis obire. Ratio dubitandi est, quia Pontifex ordinaturus Diaconos legit alta voce: *Provehendi filii dilectissimi ad Leviticum Ordinem cogitate magnoperè ad quantum gradum Ecclesiæ ascenditis; Diaconum enim oportet ministrare, baptizare, & prædicare*: sed Diaconus, ut ministret ad Altare, & baptizet, non indiget facultate Ordinarii, ergo neque ad prædicandum? Respondetur ad quæsitum cum distinctione, si Diaconus ille jam esset promotus ad Parochiam, & deberet propterea intra annum institui Sacerdos, tunc spectato jure communi absque ulteriore facultate posset in propria Parochia concionari, ut docet Panormitanus *in c. inter cætera de offic. Ordin.* & ratio est, quia quilibet Rector Ecclesiæ habet potestatem prædicandi in sua Ecclesia: siquidem incumbit pastori divino verbo suas oves pascere. Quinimo spectato jure communi, & accedente consensu Parochi, vel ex ejus rogatu potest Diaconus in Ecclesia ejusdem Parochi concionari, quia ut notat Navarrus *lib. 1. consil. 7.* communis usus totius Orbis Christiani videtur habere, ut Parochi rogent frequentissimè Theologos doctos nondum Sacris Ordinibus, vel solo Diaconatu initiatos, ut solemniter prædicent in suis Parochiis: quia, ut notat Glossa in *c. peruenit. dis. 95.* omnia spectantia ad jurisdictionem sunt delegabilia. Verùm, si nec Diaconus, nec Parochus sit, neque à Parocho rogetur; non debet, nec potest, sibi munus concionandi usurpare, adeò, ut minimè liceat illi propriâ authoritate concionari, nisi curam gerat animarum, & desumitur *ex c. adjicimus 16. q. 1.* & ratio etiam ex eo peti potest, quia concionari est actus jurisdictionis, qui non potest exerceri, nisi ab habente jurisdictionem ordinariam, vel delegatam: Diaconus autem simplex non habet hanc jurisdictionem, proinde non potest ejus actus exercere, nisi specialis facultas ei fiat ab habente jurisdictionem. Neque obstat ratio dubitandi, in quibus dicebatur oportere Diaconum ministrare ad Altare baptizare, & prædicare, quia, ut notant Petrus Sotus *de Ordin. lect. 2.* Navarrus *lib. 1. consil. 7.* Jordan. *elugubrat. vol. 2. lib. 6. tit. 1. n. 83.* & alii cum Glossa in *c. adjicimus 16. q. 1.* per *prædicare* intelligitur, lectionē canere; vel Evangelium ad missam: & licèt hæc explicatio videatur extorta, nihilominus non est recedendum à communi sententia: siquidem integrum est judicium, quod plurimorum sententiis confirmatur. *c. prudentiam de offic. Jud. deleg.* Tum quia non solent Clerici sæculares admitti ad munus concionandi, nisi per Examinatores prævio examine approbentur. Cæterum, cùm dicimus nemini, nisi Pastori animarum esse licitum munus obire Concionatoris, id intelligitur, si tale munus exerceat in Ecclesia ex pulpito, vel suggestu, seu ad populum in publico cœtu: alioquin est officium Diaconi solemniter per modum Catechismi exponere articulos fidei.

Quæritur tertiò, quid sint Diaconissæ, Presbyteræ, & Episcopissæ, de quibus interdum fit mentio in historia Ecclesiastica? Respondetur, Diaconissas fuisse ita nuncupatas, eò quia essent legitimæ uxores Diaconorum, separatæ tamen à toro conjugali; ut etiam Presbyteræ, & Episcopissæ erant fœminæ conjugatæ, quas mariti promoti ad Presbyteratum, vel Episcopatum deseruerant causa continentiæ servandæ: & ministrabant in templo instruendo alias mulieres in his rebus, de quibus debebant agere cum Diaconis, & Episcopis, vel assistendo ad ostium templi, ut dignas intromitterent, & indignas arcerent: ut etiam abstergendo mulieres, quarū frontes Oleo Sancto in baptismate ungebantur, ne aspicerentur à viris: hæc munera erant, quæ tunc temporis exercebantur ab hisce Diaconissis, quæ etiam ab Episcopo mittebantur ad domos mulierum, si munus aliquod esset ibi peragendum. Quamobrem Diaconissæ erant legitimæ uxores Diaconorum, seperatæ à toro conjugali; ut etiam Presbyteræ, & Episcopissæ nuncupabantur illæ mulieres, quarum mariti promoti erant ad dignitatem Presbyteratûs, vel Episcopatûs, & servandæ continentiæ causâ separabantur quoad torum à suis conjugibus, quæ à dignitate, & Ordine mariti eodem nomine nuncupabantur: quamvis nullum susciperent Ecclesiasticum Ordinem, nec primam tonsuram: siquidem fœmineum sexum fuisse semper exclusum, etiam à prima tonsura est certum ex praxi Ecclesiæ; imò est de fide, mulieres esse incapaces Presbyteratûs, proinde etiam Episcopatûs. 3

Quæritur quartò, an Diaconus, cùm initiatur Neo-mysta, debeat non solùm tangere Calicem cum patena, verùm etiam ipsam hostiam? Respondetur, talem tactum hostiæ non esse ad valorem Sacramenti necessarium, adeò, ut tactus immediatus hostiæ non spectet ad valorem ordinationis Sacramentalis. Ratio est, quia in Rituali, & Pontificali Romano, in quibus traduntur exactissimè omnia necessaria ad essentiam Presbyteratûs fit mentio solius Calicis, & patenæ, proinde non plus requiritur ad valorem Sacramenti, seu Ordinationis Sacerdotalis, quàm tactus Calicis, & patenæ. Tum quia, si aliquis Neo-mysta, adeo breves haberet digitos, ut non posset hostiam attingere, non propterea invalidè ordinaretur, dummodo tangeret Calicem cum Patena. Tùm quia non est opus 4

opus tangere vinum immissum Calici, & ita sentiunt ferè communiter Theologi. Hinc notat Coninck *tom. 2. in 3. p. disput. 20. n. 71.* Episcopos ordinantes, & Ministros iisdem assistentes non esse solicitos, ut Neo-mystæ immediatè tangant hostiam. Cæterum consultius semper est, si fieri potest, etiam hostiam digitis tangere, quinimò licèt id non sit de necessitate ad valorem Sacramenti, est tamen de consuetudine in nonnullis saltem locis.

5 Quæritur quintò, an si Neo-mysta tangeret Calicem, & Hostiam super Patenam, non verò ipsam patenam, tunc censenda esset valida Ordinatio? Certum est, contactum Physicum, & immediatum materiæ remotæ requiri juxta communem opinionem: an verò sufficiat tangere Calicem cum Hostia super Patenā videtur esse aliqua difficultas, & probabile est, sufficere ad valorem ordinationis, si præter Calicem tangatur immediatè hostia imposita patenæ: siquidem in jure non præcipitur tangi simul hostiam cum Patena. Tum quia sicut tactus hostiæ non est necessarius ad valorem Sacramenti, quando Patena immediatè tangitur: ita si immediatè tangatur hostia imposita Patenæ, non videtur necessarius ad valorem ordinationis immediatus tactus patenæ: quia sicut per tactum immediatum ipsius Patenæ mediatè dicitur etiam tangi Hostia; ita etiam per tactum immediatum Hostiæ intelligitur mediatè tangi etiam Patena. Præterea, quia necessitas hujus immediati tactûs provenit ex voluntate Ecclesiæ, & nullo argumento evincitur, Ecclesiam voluisse hanc necessitatem inducere: etenim tota ratio ob quam præcipitur tactus instrumentorum est, ut per talem tactum significetur potestas, & ministerium: hoc autem ministerium aptius significatur, per tactum solius Hostiæ, quæ est principalis, Patena enim potius inservit Hostiæ, ad quam videtur accessoriè se habere: unde videtur sufficere solus tactus immediatus hostiæ, si hæc sit superposita patenæ: propter quod enim aliquid est tale, & illud est magis tale: si igitur tactus Patenæ continentis Hostiam est sufficiens propter Hostiam superpositam; sequitur, quòd etiam sit magis sufficiens tactus Hostiæ. Quòd si dicas, Concilium Florentinum declarâsse, materiam Ordinis esse illam, per cuius traditionem confertur Ordo, ut habet idem Concilium in *decret. union.* §. *sextum Sacramentum*: atqui Ordo confertur per traditionem Patenæ cum Hostia, proinde tactus Patenæ, & Hostiæ videtur necessarius ad valorem Ordinis. Respondetur, talem tactum esse necessarium disjunctivè, non verò copulativè; adeò, ut sufficiat, si tangatur sola hostia superposita Patenæ, quia tunc per immediatum tactum Hostiæ tangitur mediatè, seu mediante Hostia etiam ipsa patena, & è contra

6 Quæritur sextò, an Neo-mystæ reverà consecrent, si ante Episcopum absolvant verba consecratoria? Respondetur, duas esse Sententias, unam negativam, quam docent Ricardus, Angelus, Cajetanus apud Suarez *tom. 3. in 3. p. disput. 61. Sect. 4.* & nititur hæc Sententia, quia verba consecrationis proferuntur à Neo-mystis solùm materialiter, & recitativè, seu eo sensu, quo ea proferunt, quando privatim Missam suam coram aliquo instructore legunt, ad sese exercendos, & probandos, priusquam publicè prima vice sacrificent. Secunda Sententia, quæ communior, & verior est, docet cum D. Thoma, verba consecrationis proferri à Neo-mystis non materialiter, & recitativè, sed formaliter, & in persona Christi: & hæc est etiam mens Ecclesiæ mandantis Neo-mystis, ut proferant verba consecrationis in Signum potestatis verè consecrandi sibi concessæ, & in memoriam Cœnæ ultimæ, in qua Christus coram Apostolis Missæ Sacrificium instituit. Hinc si Neo-mystæ in persona Christi proferunt verba illa, revera consecrant, & si unus eorum totam formulam absolveret ante Episcopum, ipse solus consecraret, si habuerit intentionem conficiendi Sacramentum casu, quo priùs cæteris finiret: quia verò esset absurdum, quòd Episcopus tunc non consecraret, ideo monentur Neo-mystæ, ne priùs Antistite formulam absolvant; imò, quòd etiam forment intentionem non consecrandi, si casu præveniant Antistitem; vel intendant proferre verba consecratoria juxta intentionem Ecclesiæ.

Quæritur septimò, an Clericus, cui conceditur Patrimonium sub conditione, quòd solùm censeatur concessum, si promotus fuerit ad Sacros Ordines, possit ordinari? Ratio dubitandi desumitur ex Concilio Tridentino *Sess. 21. c. 2. de refor.* ubi præcipit, non posse quempiam ordinari ad Titulum Patrimonii, nisi verè illud possideat, ait enim Concilium: *Patrimonium verò, & pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate suarum Ecclesiarum, eòque priùs perspecto, patrimonium illud, vel pensionem verè ab eis obtineri.* Atqui Patrimonium, quod conceditur sub conditione nondum purificata, non dicitur possideri, nec obtineri ante impletam conditionem, præsertim, si conditio sit causalis, qualis est præsens, quæ impedit, ne obligatio Patrimonii tradendi oriatur; nisi post purificatam conditionem *l. cedere diem ff. de v. s.* & ibi Glossa *v. pendente*, & notat Baldus *n. 2. in 2. lect.* Mantica *de tacit. & ambig. lib. 14. tit. 14. n. 1.* & habetur etiam decisio Rotæ Romanæ *p. 3. recent. decis. 557. n. 3.* Respondetur nihilominus, posse Clericum ordinari ad titulum Patrimonii concessi sub conditione, si susceperit Sacros Ordines: ratio desumitur ex eo, quia obtento fine intento à lege, censetur hæc observari: siquidem magis attendenda est mens legis, quàm verba legis *l. scire leges ff. de legib. l. nominis & rei §. verbum ex legibus ff. de v. s.* siquidem lex solet medium præscribere in ordine ad assecutionem finis à se intenti; adeò, ut quod lex præcipit, vel prohibet, sit medium pro fine à se intento obtinendo: proinde quoties finis legis obtinetur, censetur lex observari, quia tunc præsumitur impleta in executione medii præscripti: atqui ex concessione Patrimonii sub conditione, si Clericus susceperit Ordines Sacros, habetur finis legis, seu Concilii Tridentini, 7

siqui-

ſiquidem Concilium *in d. ſeſſ. 21. c. 2.* ideo exigit, ut ordinandus habeat patrimonium, vel beneficium, ut vitetur illud inconveniens, ne Clerici deſtituti patrimonio, & beneficio Eccleſiaſtico, cum Ordinis dedecore mendicent, aut ſordidum aliquem quæſtum exerceant, ut habetur in ipſo prooemio legis, ex quo deſumitur ejusdem cauſa finalis, & mens legis *c. ex multa §. requiſiviſti de voto*, unde conceſſio illa conditionata patrimonii obtinendi, ſicut ſufficit ad obtinendum finem legis, ita etiam ad obſervantiam ipſius. Hinc patet reſponſio ad adductum textum ex Concilio Tridentino.

8 Ad id verò, quod addebatur, Patrimonium conceſſum ſub conditione non poſſideri, niſi poſt purificatam conditionem. Reſpondetur, id ſufficere ad finem legis, quia lex tantùm vult, ut Clerici, eò ipſo, quòd ſunt in Statu Clericali, habeant patrimonium, vel beneficium pro congrua ſuſtentatione: eo autem ipſo, quòd quiſpiam initiatur Sacris Ordinibus, poſſidet patrimonium, quia ex tunc impletur conditio, ratione cujus Clericus acquirit jus in patrimonio ſibi conceſſo ſub conditione ſuſcipiendi Sacros Ordines: per ipſam ſuſceptionem Sacrorum Ordinum purificatur conditio, quæ operatur, ut conceſſio Patrimonii, perinde ſe habeat, ac ſi ab initio fuiſſet abſoluta, & non conditionata *l. fin. §. 1. ff. de vulg. ſubſtit. l. fin. §. cum mihi v. ſed rurſus ff. de V. O.* Huic ſententiæ conformis eſt illa, quæ docet, poſſe quempiam ad Sacros Ordines promoveri ad titulum beneficii, quamvis non lucretur fructus, niſi poſt ſuſceptos Sacros Ordines, ut docent Navarrus *lib. 2. tit. 3. lib. 1. de patrim. Cler. n. 11.* Barboſa *p. 2. de poteſt. Epiſc. alleg. 19. n. 29.* Garzias *p. 2. de beneſic. c. 5. n. 110.* Siquidem cùm fundus Patrimonii non requiratur, niſi propter fructus; perinde eſt, ac fructus non eſſe percipiendos, niſi ſub conditione futura, & quod ſub eadem conditione ſit habendus fundus.

9 Quæritur octavò, an Clericus non ſolùm in tuta conſcientia poſſit ſub tali conditione accipiendi patrimonium, ſi initiabitur Sacris Ordinibus, hos ſuſcipere: ſed etiam in foro fori poſſit Epiſcopus ipſum admittere, & promovere ad Sacros Ordines, ſi illi conſtet, quòd conceſſio patrimonii ſit vera, & realis, & quòd ſit ſine dubio implenda, purificata tali conditione? Reſpondetur affirmativè, quia quando conditio eſt cauſalis reſpicitur tempus ipſius contractus, non autem tempus, in quo impletur conditio, quia hæc retrotrahitur, & ex tunc cenſetur extitiſſe *l. ſi filius famil. ff. de V. O. l. quæ legata ff. de reg. jur.* & tradit Decius ibid. *l. qui potior. ff. qui potior in pign. haben. l. hæres quandòque in fin. ff. de acquir. hæred.* & docent Neguſant. *de pignor. n. 1. p. 5. n. 14.* Tiraquel. *de retract. lignac. §. 1.* Gloſſa *10. n. 72.* Guttierez *de gabel. lib. 7. q. 122.* Unde cui conceditur patrimonium ſub conditione, ſi ſuſceperit Sacros ordines, cùm primùm purificatur conditio hæc de conditionata tranſit in abſolutam propoſitionem, & retrotrahitur ad tempus contractus, ac ſi tunc non conditionatè, ſed abſolutè fuiſſet Patrimonium conceſſum.

Quæritur nonò, an ordinans aliquem ſine 10
titulo teneatur eidem providere de congruis alimentis? Reſpondetur, Epiſcopum ordinantem, teneri in conſcientia ad providendum de beneficio competente ei, quem ſine titulo ordinavit, ſi cognoſcat eſſe idoneum, & deſumitur ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 21. c. 1. de reſor.* ubi prohibentur Epiſcopi, promovere ad Ordines, Clericos ſine ullo titulo beneficii, vel Patrimonij, aut penſionis; quòd ſi ſecus fecerint, tenentur eis conferre competens beneficium, ſi idonei deprehenſi ſint, & deſumitur etiam ex *c. cum ſecundùm de præbend.* ubi etiam ordinantes obligantur ad providendum de neceſſario Clericis ordinatis, donec iisdem competens beneficium contulerint. Immo hæc obligatio eſt talis, ut etiam tranſeat ad ſucceſſores in Epiſcopatum; ſi ab ordinante prædeceſſore non fuit ſatisfactum, & deſumitur *ex c. accepimus de ætat. & qualitat.* Et quamvis ſucceſſor non debeat pœnas luere ſui Prædeceſſoris: id tamen non procedit hic: quia non fit hæc proviſio in punitionem, ſed ad tollendum opprobrium Cleri, ne cogatur mendicare, vel ex turpi quæſtu vivere. Tum quia bona Eccleſiæ ſunt pro alimentis Miniſtrorum: proinde, ſi ſemel factus ſit quis Miniſter Eccleſiæ, æquitas exigit, ut de bonis ipſius congruè ſuſtentetur. Quamobrem Epiſcopus, ſi ordinet aliquem ſine titulo, tenetur in conſcientia eidem providere de congruis alimentis, quia eo ipſo, quòd quis Sacris eſt initiatus Ordinibus, acquirit jus, ut ſibi de Patrimonio Eccleſiæ ſubminiſtrentur neceſſaria alimenta: quia per ipſam ordinationem eligitur Miniſter in obſequium Eccleſiæ, & incorporatur eorum corpori, pro quibus ſuſtentandis inſtitutum eſt patrimoniũ Eccleſiæ, idq; habetur in *d. c. cum ſecundùm.* ubi Innocentius III. reſcribit Epiſcopo Zamorenſi, ibi: *Cùm ſecundùm Apoſtolum, qui Altari ſervit, vivere debeat de Altari, & qui ad onus eligitur, repelli non debeat à mercede: patet à ſimili, ut Clerici vivere debeant de patrimonio JESU Chriſti, cujus obſequio deputantur.* Cùm igitur Sacris initiatus ordinibus acquirat jus, ut congruè ſuſtentetur de patrimonio Eccleſiæ, tenetur Epiſcopus in conſcientia, ut adminiſtrator bonorum Eccleſiæ ei providere; ac dare ipſi jus ſuum, ſi aliàs dignus ſit.

Quæritur decimò, an ſi ordinatus ſine Titu- 11
lo non ſit habilis pro beneficio; adhuc teneatur Epiſcopus Ordinator eidem providere de alimentis; ratio dubitandi eſt, quia Epiſcopus poteſt excipere contra ordinatum ſine Titulo, ut ei indulgeatur *c. accepimus de ætat. & qualitat.* quòd non ſit idoneus pro obtinendo beneficio: proinde ſtante tali exceptione non videtur Epiſcopus teneri conferre beneficium non idoneo? Reſpondetur nihilominus, adhuc teneri Epiſcopum ſubminiſtrare neceſſaria alimenta Clerico non idoneo ad beneficium, quod procedit, niſi aliunde poſſit honeſto modo congrua alimenta ſibi comparare. Ratio ex eo petitur, quia ordinatus ex vi ordinationis fit membrum Eccleſiæ, cui incorporatur, tanquam unus de Hierarchia Eccleſiaſtica, proinde acquirit jus ad ali-

alimenta de Patrimonio ejusdem Ecclesiæ *c. cum secundùm de præbend.* ibi: *Dignum est, ut Ecclesiæ stipendiis sustententur, in qua, & per quam divinis obsequiis adscribuntur*, proinde debent ab Episcopo subministrari congrua alimenta, tanquam debita, ratione ordinationis, quando non potest ei providere de beneficio, eò quia Clericus non sit idoneus ad tale beneficium. Idque etiam desumitur *ex c. non liceat de præbend.* ubi statuitur, quòd Episcopus unum de duobus debeat eligere, aut Clericos non instituere, vel si eos instituerit, teneatur iisdem suppeditare necessaria ad congruam, & honestam sustentationem: unde jus Canonicum absolutè intendit, ut ordinati debeant habere necessaria ad congruam sustentationem, proinde injungit Ordinariis, ut ordinatis sine titulo ab iisdem subministrent alimenta, donec eis provideatur de beneficio. Tum quia est in dedecus ordinis Clericalis, si Sacris ordinibus initiati compellantur mendicare, vel turpi quæstu, aut vili exercitio sibi victum comparare *c. Diaconi dist. 93. c. Joannes in fin. de Cler. conjug.* & notat Glossa *in c. cùm secundum v. successores de præbend.* unde ad impediendum hoc dedecus tenetur Episcopus providere de necessariis alimentis ordinato sine titulo, quamvis idoneus non sit pro beneficio; quia si illi denegaret alimenta, cogeretur mendicare, vel ex turpi aliquo quæstu victum sibi comparare, quod jura prohibent.

12 Neque obstat, quòd in *c. Episcopus de præbend.* dicatur, tunc tantùm Episcopum debere ordinato assignare stipendia Clericalis militiæ, quando de sua, vel paterna hæreditate nequit vitæ subsidium habere: atqui, si ratione ordinationis acquireret jus ad alimenta sibi suppeditanda de Patrimonio Ecclesiæ, essent illi subministranda, etiamsi aliunde haberet vitæ subsidia: quia unicuique reddi debet, quod est de suo jure, sive indigeat, sive non. Sed contra, quia jus ad alimenta de patrimonio Ecclesiæ non acquirit Clericus, nisi quando ordinatur sine titulo: quando autem habet, unde honestè vivere possit, tunc censetur ordinatus titulo patrimonii proprii: secus, quando ordinatur sine titulo; & aliunde non habet, unde congruè vivat, censetur ordinatus ad titulum Patrimonii ejusdem Ecclesiæ: siquidem ratione ordinationis censetur assumi ad hæreditatem Christi, proinde sunt illi debita alimenta ex patrimonio Christi, seu Ecclesiæ.

Instari tamen posset, quia quando obligatio
13 provenit ex natura rei, & à jure communi, tunc per provisionem hominis non cessat provisio legis, ut notant Jason in *l. 2. n. 143 C. de jure Emphyteut.* Negusant. *de pignor. p. 2. princ. memb. 4. n. 87.* Sed obligatio alendi ordinatos oritur ex natura rei ab ipsa ordinatione, proinde non cessat, quàmvis ab homine provideatur. Quia inservientibus Altari ex natura rei debetur congrua sustentatio, ut possint sua præstare obsequia; si enim de Altari non viverent, eorum labor debita careret mercede, idque est contra naturam, & exigentiam laboris impensi, in obsequium alterius. Sed contra, respondetur cum distinctione, quando obligatio oritur ex natura rei, & à jure communi non cessat provisio legis per provisionem hominis, si obligatio ex natura rei inducat aliquid diversum, quod non inducit provisio hominis conceditur, sin verò non inducat aliquid diversum, negatur; in casu autem nostro provisio hominis inducit provisionem alimentorum pro ordinato, quæ provisio inducitur etiam ex natura rei, & à jure communi; proinde cessat in hoc casu provisio juris, quando subintrat provisio hominis. Tum quia ex natura rei, seu ordinationis non oritur obligatio alendi ordinatum absolutè, sed conditionatè, si absque titulo ordinetur; & tunc inducitur etiam à jure communi: qui autem habet de proprio, non præsumitur ordinatus absque titulo; sed cum titulo patrimonii proprii ob pactum tacitum resultans ex jure: quòd si ordinatus non sit provisus ex propriis, est providendus de patrimonio Ecclesiæ.

Quæritur undecimò, ad quem pertineat sub-
ministrare alimenta Clerico ordinato sine titulo, 14
quando ex licentia Pontificis, vel Diœcesani suscipit ordines ab alio Episcopo? Respondetur, teneri etiam tunc proprium Episcopum ordinanti ei subministrare congrua alimenta. Episcopus proprius is dicitur, à quo Clericus obtinuit dimissorias, ut ab alio possit ordinari, quia concessio dimissoriarum est actus jurisdictionis, qui exercetur à proprio Episcopo. Ratio desumitur ex eo, quia Summus Pont. concedendo, ut Clericus possit ordinari à quocunq; Episcopo solùm removet impedimentum, quod obstaret, ne posset ordinari: non verò habilitat pro suscipiendo ordine, sed supponit Clericum prout de jure habilitatum, vel habilitandum; adeò, ut ii, ad quos de jure pertinet, teneantur inquirere super habilitate, & requisitis, inter quæ requiritur titulus, ad quem ordinetur, & quo secluso censetur inhabilis, ut ordinetur: sed de jure debet proprius Episcopus examinare, & approbare promovendos ad ordines Ecclesiasticos, an habeant necessaria requisita, ut statuitur in Concilo Tridentino *Sess. 23. c. 3. de refor.* ibi: *Subditos suos non aliter, quàm jam probatos, & examinatos ad alium Episcopum ordinandos dimittant* Hinc licèt Clericus obtineat à Summo Pontifice, ut possit à quocunque Episcopo promoveri ad ordines Sacros, adhuc sunt necessariæ litteræ dimissoriæ proprii ordinarii, quæ testificentur super idoneitate ordinandi. Pontifex enim non aliter concedit licentiam, nisi supposita habilitate.

Quæritur duodecimò, an si Clericus vespere ingrediatur annum requisitum ad aliquem ordinem Sacrum, possit manè ejusdem diei illum ordinem suscipere. Certum est juxta dispositionem Concilii Tridentini sufficere annum inchoatum pro suscipiendo aliquo ordine Sacro, & id declarâsse Sacram Congregationem, super Concilio refert Gallemart. ad Concilium Tridentinum *sess. 23. c. 12. de refor.* & liquet ex praxi communi, quæ optimè interpretatur legem *l. si de interpretatione ff. de legib. l. si hæres ff. de act. & empt.* & hæc observantia habet fundamentum in jure antiquo *Clement. generalem de ætat. & qualit. Ordin.* & cùm correctio juris

juris sit vitanda quantum fieri potest, ideo Tridentinum debet intelligi de año incepto,&assignato pro quolibet ordine. Tũ quia,qui ingressus est aliquem determinatũ annum dicitur pervenisse ad illum *l. qui filium* §. *Fabius Antonius ff. ad Senat. Consul.* Quamobrem difficultas est, an si Clericus tantùm vespere ad solis occasum inchoet annum in jure præfixum pro ordinibus suscipiendis possit mane, quod præcessit in eadem die ordinem suscipere. Sunt, qui censent, posse ordinari mane,tametsi nondum attigerit annum statutum in jure,& illum ingrediatur tantùm vespere ejusdem diei, ita docent Diana *p. 2. tract. 16. resol. 27.* Ledesma *p. 1. sum. tractat. de Sacrament. Ordin. c. 7.* & alii, qui nituntur, quia quod parum distat, non censetur distare cum modica non veniant in consideratione *l. quamvis ff. de condit. & demonst. c. coram dilecto de offic. deleg.* Respondetur nihilominus, Clericum inchoantem tantùm vespere annum requisitum à jure pro ordine aliquo suscipiendo non posse mane, quod præcessit,seu ejusdem diei ordinem illum suscipere, ut docent Pontius *lib. 7. de matrim. c. 65. n. 1.* Pasqualig. *quæst. moral. canon. centur. 2. q. 122. n. 5.* Sanchez. *lib. 7. consil. moral. c. 1. dub. 23. n. 6.* Ratio videtur id persuadere, quia annus vigesimus secundus dividendus est ab anno vigesimo primo,sunt enim anni distincti constituentes pluralem numerum, consequenter debet assignari aliquis terminus, quo dividantur: & totum tempus, quod præcedit hunc terminum pertineat ad annum vigesimum primum, & quod subsequitur talem terminum spectet ad annum vigesimum secundum.

16 Hinc qui est in tempore antecedente hunc terminum, est ante annum vigesimum secundum, cum nondum pervenerit ad ultimum terminum anni vigesimi primi, nec proinde ingressus sit annum 22. quia hunc nemo ingreditur nisi egrediatur terminum ultimum 21. at qui tantùm vespere attingit ultimum anni 21. solùm post talem terminum, & tempore subsequente inchoat annum 22. proinde antequam egrediatur quis talem terminum, non ingreditur annum 22. proinde qui mane, quod præcessit vesperi ejusdem diei, nondum inchoavit annum 22. si tali mane suscepit ordinem, eum procul dubio suscepit contra dispositionem Concilii Tridentini: quia suscepit Ordinem ante annum præscriptum pro illo ordine, & sine Pontificia dispensatione, ut supponitur.

17 Quòd si dicas,moraliter censeri inchoatum annum 22. eò quia decem tantùm, vel duodecim desint horæ, & tam modicum tempus non venit in consideratione. Contra est, quia cùm tempus sit successivum attendenda est ipsa successio: unde assignato subsequente, non potest pro ipso substitui antecedens, sed debet excludi secundùm se totum à subsequente, proinde non habet locus distantia moralis,sicut nec etiam in jejunio Sabbatino, si quis una, vel altera hora ante mediã noctem diei Dominici subsequentis comederet carnes, utique transgrederetur præceptum de non comedendis carnibus die Sabbato, tametsi distantia temporis esset modica. Hinc in jure statuitur, ut quoties à lege definitur certum, & determinatum tempus, debeat hoc computari de momento ad momentum *l. denique divus* §. *Minorum ff. de minorib.* ut notat Gomez. *ad l. 70. Taurinam 35.*

Quæritur tertiodecimò, an si Episcopus ob multitudinem Ordinandorum, vel etiam ob infirmitatem, vel ex alia rationabili causa differat partem ordinationis à die Sabbathino ad sequentem diem Dominicum,debeat continuare jejunium naturale, vel an sufficiat Ecclesiasticum? Certum est, ex legitima causa posse Episcopum differre ordinationem à die Sabbathi in sequentem diem Dominicam, eámque mane ipso Dominico die continuato jejunio Sabbathi celebrare *can. quod à Patribus dist. 75.* ubi etiam additur ratio: quia *propter continuationem jejunii fictione canonica vespera cum mane ad eandem diem pertinere videtur*, & desumitur *ex c. litteras 13. b. t.* ubi cum Bononiensis Episcopus in Sabbato quatuor temporum ordinâsset quendam Diaconum electum Episcopum Imolensem, & die Dominica sequente continuato jejunio Sacerdotium eidem contulisset, rescripsit Innocentius III. hac in re peccatum fuisse, quia uno die duos Sacros Ordines conferre licitum non est: & in hoc casu duo Sacri Ordines censentur collati uno die: siquidem eatenus jejunium continuatum fuit, ut fictione Juris Canonici vespera ad mane, & mane ad vesperam traheretur, ac veluti unius diei ordinatio censeretur. Cùm igitur fictione canonica dies Sabbathi, & Dominicus ob continuationem jejunii fictione canonica censeantur unicus dies,sequitur, quòd ob multitudinem ordinandorum, vel ob aliam justam, & rationabilem causam possit generalis ordinatio saltem quoad partem differri usque ad diem Dominicam, si jejunium exactum continuetur: quia per fictionem juris Sabbathi, &Dominici matutini tempus,velut unus dies ob jejunii continuationem reputatur, ut scribit Leo I. Epistola 79. ad Dioscorum relatus *in c. quod à Patribus dist. 75.* Difficultas est, an hoc jejunium servandum ab Episcopo debeat esse naturale, vel sufficiat, si tantùm sit Ecclesiasticum. Pirhing. *b. t. n. 85.* Panormitanus *in c. litteras n. 4. b. t.* & alii censent, esse observandum jejunium naturale, adeò, ut non liceat Episcopo ablutionem sumere in missa Sabbathi: nititur hæc sententia, quia hoc jejunium à Doctoribus solet *magnum* vocari, proinde non est merè Ecclesiasticum, sed naturale. 18

Alii tamen, perquàm probabiliter censent sufficere jejunium Ecclesiasticum, quale per sumptionem ablutionis non solvitur, ita censent Sylvester *v. ordo 2. q. 6.* Jordanus, Sanchez *l. 7. consil. moral. cons. 1. dub. 51. n. 5.* & novissimè Reiffenstuel vocat hanc sententiam probabiliorem, cui adhærendum puto: quia Ecclesia, quando vult exigere jejunium, quod vocant *magnum*, seu naturale, id exprimit; prout illud injungit, ut exprimit in sumptione Eucharistiæ, vult enim, ut communicantes ob reverentiam Sacramenti servent jejunium naturale, 19

&

& ita jejuni accedant ad Eucharistiam *can. liquido de consec. dist. 2.* atqui Ecclesia non injungit jejunium naturale Episcopis, qui differunt ordinationes à die Sabbathi ad Dominicam, sed tantùm simpliciter jejunium, & sicut hoc præceptum est Ecclesiasticum, ita debet intelligi de jejunio Ecclesiastico, quòd non solvitur per sumptionem ablutionis in missa Sabbathi.

20 Præterea ob infirmitatem Episcopi potest hic incœptam ordinationem die Sabbathi differre in diem Dominicum, non est autem vero simile, quòd Episcopus infirmus possit servare jejunium naturale, & simul ita valere, & viribus vigere, ut possit continuare die Dominico ordinationem. Observandum tamen est, quòd Episcopus differens ordinationem à die Sabbatho ad Dominicum sequentem debeat abstinere à prandio, & una justa refectione: quamvis possit vires reficere per modicum aliquod obsonium: quia licèt, sit jejunium Ecclesiasticum, non tamen est quale servatur in quadragesima, & aliis diebus, quibus mane sumitur plena cœna, & vespere refectiuncula: quia hoc jejunium dicitur *magnum*, eò, quia fit cum abstinentia à prandio, & una justa refectione.

21 Quæritur quartodecimò, an ob infamiam juris prohibeantur ordinari hæretici, & Apostatæ à fide, etiam postquam Ecclesiæ fuerint reconciliati sine dispensatione? Respondetur, omnes infames arceri ab Ordinum susceptione *c. infames 17. caus. 6. q. 1.* idque sive sint infames infamiâ juris orta ex delicto, cui ex juris constitutione infamia est adnexa; sive infamia facti, quæ provenit ex publica criminis evidentia, vel ex communiter vulgata opinione de commisso crimine; ob quod hominis existimatio spectata qualitate personæ, & statu apud graves, & prudentes viros notabiliter læditur. Verùm hodie rigor juris antiqui non ita strictè observatur, ut qui notoriè peccavit non sit ampliùs admittendus ad ordines: quia hæc infamia facti per publicam, & constantem emendationem vitæ tollitur *c. si duo 4. caus. 35. q. 6. c. testimonium 54. de testib.* adeò, ut hodie infamia facti non inducat propriè irregularitatem, quia hæc est perpetuum impedimentum, seu inhabilitas suscipiendi ordines, vel susceptos exercendi. Hinc respondetur ad quæsitum: hæreticos occultos, post pœnitentiam, & absolutionem ab excommunicatione probabiliter posse ordinari, quia non propter hæresin, vel Apostasiam, sed propter infamiam juris annexam statuitur irregularitas, ut docet Layman. *lib. 1. Theol. moral. tractat. 5. p. 5. c. 4. n. 1.* Hinc quia in Imperio, seu in Germania Hæretici non sunt infames, eò quia à dignitatibus, & publicis officiis non repellantur, ideo si convertantur, non prohibentur ordines suscipere. Cæterum, neque hæretici, neque hæreticorum fautores, receptores, defensores; neque eorum filii, qui in hæresi mortui fuint, usque ad secundam generationem per lineam paternam, vel primam per maternam, ad ullum beneficium Ecclesiasticum, vel publicum officium, & per consequens, neque ad ordines admittuntur *c. statutum 5. de hæret. in 6.* Rursus, neque Apostatæ à professione religiosa, vel clericali habitu ordinantur *c. ult. dist. 50.* Præterea ob infamiam facti, scurræ, mimi, scænici, ludicri, seditiosi, aleatores, & alii ejusdem furfuris homines prohibentur ordinari *c. 1. dist. 35. c. 3. c. infames caus. 6. q. 1.*

Quæritur quintodecimò, quâ ratione Clerici Latini prohibeantur ordinari ab Episcopis Græcis, & è converso Clerici græci ab Episcopis Latinis? Respondetur, Clericos latinos non esse ordinandos ritu græco ab Episcopo Græco, nec Clericos Græcos ritu latino ab Episcopo latino, idque ne fiat rituum diversorum commixtio, & desumitur ex *c. cum secundum 9. h. t.* Idque non obstante consuetudine ab antiquo tempore apud Græcos usitata, & recepta: quia Cœlestinus III. in *d. c.* prohibet, ne latini secundùm dictum Græcorum ritum Ordines accipiant à Græcis Episcopis, & damnat omnem consuetudinem etiam receptam ab antiquo tempore. Ratio assignari potest, quia Clerici ordinari debent secundùm Canones à proprio Episcopo: & quamvis Episcopi possint licentiam, seu litteras dimissorias dare, ut eorum Clerici subditi promoveantur ad ordines ab alieno Episcopo, non tamen visum fuit expedire, ut dimissoriæ darentur ad Episcopum Græcum extra quatuor jejuniorum tempora contra antiquos Canones ordinantem, Hinc quamvis latina Ecclesia vicina sit Ecclesiæ Græcæ, in qua Eucharistiæ consecratio, & communio fit in pane fermentato, non tamen permittitur, ut subditi, seu Clerici latini absque necessitatis causa egrediantur ex latina Ecclesia ad græcam, ut ibi in fermentato Eucharistiam accipiant: idque ne Orientalium consecrandi ritum præferre videantur ritui Romanæ Ecclesiæ ab Apostolis per traditionem acceptò. 22

Quòd si Clericus Græcus Episcopo Latino subjectus à Græco Antistite ordinetur extra quatuor tempora, interdicitur, ei ordinis suscepti executio, veluti ordinato ab alieno Episcopo, nisi fortassis ex mandato, & licentia sui Episcopi fuerit ordinatus: idque desumitur ex *c. quod translationem 11. h. t.* cùm enim quæsitum esset ab Innocentio III. quid agendum sit Clericis latinis, qui exeuntes ad Ecclesiam græcam à Græco Episcopo secundùm eorum ritus extra quatuor jejuniorum tempora ordines sacros susceperunt. Respondit Pontifex, distinguendum esse: si absque licentia, seu dimissoriis sui Episcopi ordinem susceperunt, interdicendum sit illis suscepti Ordinis exercitium, eò quia ab Episcopo alieno sine licentia proprii ordinati fuerint. Sin verò proprius licentiam dedit, culpandus quidem est, quòd Clericos suos, secundùm Græcorum ritum permiserit ordinari: sed interea talis ipsorum ritus ab Ecclesia toleratur, & Clerici sic ordinati ab executione ordinum susceptorum non sunt impediendi. 23

Quæritur sextodecimò, an Religiosi habentes communicationem Privilegiorum possint ordinari extra tempora à jure statuta? Resp. affirmativè ex vi suorum Privilegiorum: siquidem ante Concilium Trident. Eugenius IV. concessit 24

sit Ordini Sancti Benedicti, ut possint extra tempora à jure statuta, à quibusvis Episcopis Catholicis habentibus gratiam, & communionem Sanctæ Sedis Apostolicæ ordinari. Alexander VI. concessit Ordini Sancti Hieronymi, ut possint ordinari tribus Dominicis, seu Festivis diebus successivè. Idem Privilegium concesserunt aliis Religiosis mendicantibus, & non mendicantibus Sixtus V. Alexander VI. Julius II. Leo X. Clemens VII. in Bulla, cui Titulus: *Dudum fructus uberes.* edita Anno 1525. Si dicas, hæc Privilegia fuisse revocata per Concilium Tridentinum *Sess. 23. c. 8. de refor.* ubi expressè decrevit, *ut Ordinationes Sacrorum Ordinum statutis à jure temporibus publicè celebrentur*, & postea *sess. 25. c. 22. de regul.* concludit: *Hæc omnia, & singula in superioribus decretis contenta observari Sancta Synodus præcipit omnibus Cœnobiis, & Monasteriis, cujuscunque Ordinis mendicantium, & non mendicantium non obstantibus eorum omnium, & singulorum Privilegiis sub quibuscunque formulis verborum conceptis.* Contra est, quia in *sess. 23. c. 8.* nullam Concilium apponit clausulam revocatoriam privilegiorum, & in *sess. 25. c. 22.* tantùm revocat ea, quæ de Regularibus statuta sunt in eadem *sess. 25.* non verò ea omnia, quæ in prioribus sessionibus fuerunt decreta, ut notat Emanuel Roderiquez *tom. 1. q. 8. art. 7.* & id etiam desumitur ex verbis Epilogi revocatorii, dicitur enim, *hæc omnia, & singula in superioribus decretis contenta*, non verò dicit in superioribus sessionibus. Præterea post Concilium Tridentinum eadem Privilegia concesserunt alii Pontifices, ut Gregorius XIII. Societati JESU in Bulla, cui initium: *Pium, & utile* §. 3. & licèt idem Pontifex §. 4. expressè prohibuerit tale Privilegium communicari aliis: nihilominus, quia par in parem non habet imperium, hoc idem Privilegium concessum fuit Patribus Theatinis à Gregorio XIV. non enim Gregorius XIII. ligavit manus suis Successoribus; rursus Clemens VIII. die 23. Novembris 1598. concessit Congregationi Sancti Joannis Evangelistæ in Portugallia, ut possint ordinari extra tempora, & per quemcunque Episcopum habentem communionem Ecclesiæ Catholicæ tribus Dominis, vel Festivis diebus continuis, vel interpellatis. Alii itidem Pontifices post Concilium Tridentinum idem Privilegium concesserunt Religiosis pluribus, ut notat Reiffenstuel *h. t. n. 40. & sequent.*

25 Quæritur decimoseptimò, quid intelligatur nomine diei Festi. Respondetur, plures censere esse intelligendum Festum fori, seu in quo sub præcepto totus populus abstinetur ab operibus servilibus: ita docent Barbosa *pag. 2. de potest. Episc. alleg. 17. num. 7.* Engel *h. t. num. 18.* Alii dicunt, esse intelligendum Festum chori, seu quod sub ritu duplici celebratur, ut notat Gobat. *tract. 8. Theol. sperim. num. 472.* ubi citat plures, & vocat hanc sententiam non solùm speculativè, sed etiam practicè probabilem, quia *in cap. unic. de reliquiis, & vener. Sanct. in* 6. nomine festivitatum intelliguntur etiam duplicia quatuor Evangelistarum, & quatuor Ecclesiæ Doctorum, quamvis non sint Festa fori, sed tantùm Chori. Communior tamen sententia est per dies Festos esse intelligendos dies Festos, qui sunt fori, seu à populo de præcepto servantur, quia in jure, & vulgari locutione intelliguntur dies Festi fori.

Quæritur decimooctavò, an Episcopus non 26
celebrans Missam possit conferre ordines sacros, si alius Sacerdos Missam celebret? Respondetur, Episcopum non celebrantem Missam non posse licitè conferre Ordines Sacros, quamvis adsit alius Sacerdos, qui celebret: quia id est expressè contra consuetudinem, & praxim Ecclesiæ in *cap. quod sicut 28. §. super eo de elect.* & est etiam contra rubricas Pontificales: & Glossa in *d. c. Quod sicut.* asserit fuisse ab ipso quæsitum in Consecratione Octaviani Episcopi Bononiensis, an Archiepiscopus posset consecrare, & alius Missam celebrare; & ait, fuisse responsum à Papa, id minimè esse faciendum, eò quia esset contra ordinationem Ecclesiæ in *d. c. quod sicut 28. de elect.* & etiam contra usum, & praxim Ecclesiæ: hinc omnes Canonistæ unanimes docent, Missam esse celebrandam ab Episcopo promovente Clericos ad Ordines Sacros. Imò Sylvester *v. Ordo n. 2. q. 5. dist. 2.* censet, Ordinem Sacrum collatum ab Episcopo non celebrante esse iterandum: non ita Ordines minores, quia isti possunt conferri, tametsi ordinans non celebret. Verùm sententia Sylvestri est contra communem, & falsa quia tametsi Episcopus non celebrans illicitè conferat Ordines sacros, non tamen invalidè; & quoties Ordo collatus est validus, non est iterandus, quia imprimit Characterem indelebilem. Quòd verò Ordo sacer collatus ab Episcopo non celebrante Missam sit validus, quamvis licitè non conferatur, ex eo liquet: quia de essentia cujusque Sacramenti est sola materia, forma, & Minister cum debitâ intentione, unde, si hæc omnia concurrant, quamvis qui Ordines confert, missam non celebret, validè confert Ordines Sacros, quamvis non licitè, & peccet in re gravi, quia agit contra Rubricas Pontificalis, contra consuetudinem, usum, & praxim Ecclesiæ. Sin verò Episcopus hebdomada quatuor temporum esset adeo imbecillis, ut nonnisi cum ingenti difficultate, imò & periculo posset utrumque munus ordinandi, & celebrandi obire; nec esset alius Episcopus, qui posset ordinandos promovere: tunc censent aliqui, posse Episcopum uti Epikia, & interpretare intentionem legis, & Pontificis, esse talem, ad declinanda gravia incommoda, si ordinandi non promoverentur; proinde posse in tali casu ipsum conferre Ordines Sacros, tametsi non celebret, dummodo alius Sacerdos tunc celebret, suppleátque vices Episcopi, ut Sacerdotis. Qui huic sententiæ adhærent, nituntur, quia plures leges, & consuetudines Ecclesiasticæ admittunt utramque exceptionem in circumstantiis minoris

momenti. Verùm putârim, esse tunc cautè procedendum, quia difficulter incommoda, quæ sequuntur ex eo, quòd ordinandi pro tunc non promoveantur, possunt ita urgere, ut Episcopus adigatur ad conferendos ordines contra Rubricas Pontificalis, & usum, ac praxim Ecclesiæ; unde nisi Epikia nitatur valdè rationabili fundamento non videtur admittenda: quia inde facilè aperiretur via ad laxitates, & daretur occasio Episcopo conferendi Ordines Sacros ipso non celebrante, sed alio Sacerdote: ut enixim id petiit juvenis quidam Canonicus, qui in Sabbatho quatuor temporum Pentecostes, cùm non accepisset dispensationem Pontificiam super ætatem, & interstitia, nisi hora ante meridiem ejusdem diei Sabbathini, & Episcopus jam contulisset Ordines Sacros aliis, Missámque celebrâsset: ipsum rogavit, ut permitteret aliquem ex Neomistis paulò ante promotum ad Presbyteratum celebrare Missam, & sibi ab Episcopo conferri ordinem Presbyteratûs: quod tamen minimè licitum erat, & Episcopus prudenter id recusavit, eò quia erat contra triplex Ecclesiæ præceptum; quorum primum est de Missa celebranda ab ipso Episcopo promovente; alterum de jejunio præmittendo Sacris Ordinationibus, quia Episcopus jam sumpserat ablutionem, nec amplius erat jejunus, certum est enim per sumptionem purificationis violari jejunium naturale. Tertium præceptum, quod fuisset violandum, est de non celebranda nisi una ordinatione in uno, eodémque die.

27 Quæritur decimononò, an Capitulum Cathedrale Sede vacante possit facultatem concedere Episcopo titulari, ut Sacros Ordines conferat in eadem Ecclesia Cathedrali, in qua Sedes vacat? Respondetur, Capitulum infra annum, à die vacationis non posse hanc facultatem concedere, quia id expressè prohibetur in Tridentino *sess. 7. cap. 10.* ibi: *Non liceat Capitulis Ecclesiarum sede vacante infra annum à die vacationis ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias, seu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex juris communis dispositione, quàm etiam cujusvis Privilegii, aut consuetudinis vigore, alicui, qui beneficii Ecclesiastici recepti, sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere: si secus fiat, Capitulum contraveniens Ecclesiastico subjacet interdicto, & sic ordinati sunt suspensi.* Non obstante hac prohibitione adhuc non desunt, qui censeant, Capitulum, etiam infra annum à die vacationis posse talem facultatem concedere Episcopo titulari, eò quia Sacra Congregatio Cardinalium supra Concilium apud Garciam *de benefic. pag. 5. cap. 7. num. 39.* id declaraverit. Verùm declaratio Sacræ Congregationis id non evincit, etenim declaratio refertur à Gallemart. *in d. cap. 10. sess. 7. concil. Trident.* his verbis: *Capitulum sede vacante potest concedere etiam extero Episcopo licentiam celebrandi Pontificalia in eorum Ecclesia, & Ordines conferendi tam Clericis illius Diœcesis, quàm exteris habentibus dimissorias suorum Episcoporum juxta tamen formam hujus Decreti*: hæc autem postrema verba *juxta formam hujus Decreti* apertè indicant, Cardinales in tali declaratione non loqui, nisi de arctatis, ut habetur in forma Decreti Concilii Tridentini. Quamobrem respondendum est, Capitulum Sede vacante infra primum annum à die vacationis non posse cuiquam dare litteras dimissorias, nisi arctatus sit beneficio, benè tamen elapso primo anno, si Sedes adhuc vacet, quia Tridentinum expressè loquitur de solo primo anno, & relinquit sequentes annos in terminis juris antiqui: atqui de jure antiquo in *c. cum nullus h. t. in 6.* conceditur generatim facultas capitulo, ut si Episcopus in remotis fuerit Provinciis, vel mortuus, possit litteras dimissorias impertiri. Cæterum infra annum à die vacationis, nec Vicarius generalis potest hanc facultatem concedere: quia Vicarius tunc non habet plus potestatis, quàm eidem concedatur à Capitulo, cujus gerit vices, & quia Capitulum infra annum à die vacationis non habet hanc facultatem, non potest eam communicare Vicario Generali. Cæterum litteræ dimissoriæ, quæ à Capitulo infra annum à die vacationis conceduntur arctatis; etiam elapso anno, imò & electo novo Episcopo iisdem prosunt, ut notat Barbosa *in Trident. sess. 7. q. 10.* Potest tamen infra annum à die vacationis Capitulum permittere, ut exterus Episcopus suos, vel etiam aliorum Episcoporum subditos necessariis munitos dimissoriis promoveat ad Sacros Ordines etiam in Ecclesia Cathedrali, ubi Sedes vacat, idque expressè habetur in præcitata declaratione Cardinalium, ibi: *Capitulum sede vacante potest concedere etiam extero Episcopo licentiam celebrandi Pontificalia in eorum Ecclesia, & ordines conferendi.* Idque etiam ad illos extenditur, qui à Sede Apostolica facultatem obtinuerunt, ut possint de licentia sui Ordinarii promoveri à quovis. Cæterum arctati beneficio, quos Tridentina Synodus excipit à suo Decreto, quo corrigit jus antiquum, ii dicuntur, qui re ipsa habent, vel quibus offertur beneficium exigens ratione fundationis, aut consuetudinis, ut qui illud obtinet intra annum promoveatur ad talem ordinem, pro quo supplicat primo anno Sedis vacantis, ut notat Garcia *de benefic. p. 5. c. 7.*

28 Quæritur vigesimò, an Subdiaconus promotus ad talem Ordinem, sine impositione manuū debeat iterum ordinari Subdiaconus? Respondetur, non esse talem Ordinem iterandum, sed duntaxat cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum, & ita rescripsit Innocentius III. in dubio illius, qui in Sacramento confirmationis fuit non Chrysmate, sed oleo delinitus: in hisce enim, & aliis id genus casibus non est aliquid iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum. Generatim quoties aliqua pars, vel Cæremonia Sacramenti est perperam facta, vel etiam pœnitus omissa, debet ea sola iterari, non verò reliquæ partes ritè peractæ.

Quod

Quòd si dicas Subdiacono non imponi manus ex praxi Rom. Pontificalis. Respondet Barbos. per impositionem manuum in ordine ad Subdiaconum intelligi benedictionem, & ita respondent communiter: cæterum quoties suppletur aliquis actus omissus, vel perperam factus, debent iterari orationes annexæ eidem actui, ut notat Sylvester *v. ordo 1. q. 10.* quòd si inunctio absoluta sit, & non recitata oratio, vel è contra, est tunc utrumque iterandum: ratio est, quia actus, & oratio non sunt actus divisi, cùm in oratione mentio fiat utriusque: sed se habent perinde ac materia, & forma constituentes unum totum: hinc si omissa sit prolatio formæ, & tradita materia; debet tunc hæc iterum tradi, quando suppletur forma. Quòd si inunctio solùm fit una manus cum prolatione formæ, debet tunc altera inungi, & simul repeti forma in numero singulari, ut notat Abbas *in c. Presbyter de Sacram. non iter.* Sin verò pars orationis, vel formæ omissa sit, est tunc tota repetenda, nisi defectus statim emendetur. Hæ autem suppletiones fieri debent ab eodem Episcopo, qui cæteros ritus adhibuit, quia illud supplementum pertinet ad perfectionem Sacramenti ab ipso administrati. Consequenter cum administraverit Sacramentum, tenetur illud perficere.

29 Quæritur vigesimoprimò, an si Episcopus ob aliquam infirmitatem habitualem, vel etiam repentinam inter recitanda verba formæ alicujus Ordinis Sacri dubitaret, an esset sui compos; stante hoc dubio, vel suspicione sit ordo ille iterandus, teneaturque promotus ad talem ordinem, se abstinere à functionibus ejusdem? Respondetur, saltem Ordines Sacros Presbyteratus, & Episcopatûs esse in tali casu iterandos, si prudenter, ac rationabiliter dubitetur, an tunc Minister ordinans tempore prolationis formæ fuerit sui compos: vel rationabiliter dubitetur, an non intercesserit defectus essentialis in collatione Presbyteratûs, vel Episcopatûs, & ita docent communiter. Verùm putârim hujusmodi Ordines Sacros esse tantùm iterandos conditionatè, si non fuerint collati, eò quia Minister fortassis non fuerit tunc sui compos; & talis collatio fortassis non fuit actus humanus. Ratio est, quia in administratione Sacramentorum debemus sequi opinionem tutiorem: atqui tutiùs tunc est iterare sub tali conditione Ordinem Presbyteratûs, vel Episcopatûs: quia si Ordo fuit validè collatus, tunc defectu intentionis in Ministro non imprimitur novus Character, nec confertur novus Ordo, quia intentio conferentis est non conferre ordinem, si jam fuerit ritè, & validè collatus: sed tantùm, si non fuit validè collatus. Neque urget, si dicas, suscipientem Sacerdotium bona fide esse in possessione Ordinis suscepti, & in dubio conditionem possidentis esse meliorem. Nam contra est, posset retorqueri argumentum, quia cùm priùs fuerit, hominem caruisse ordine Presbyteratûs, quàm fuisse ad eundem promotum, est potius in possessione ipsius carentiæ certæ, quàm Presbyteratûs dubii. Tum quia jus Sacrificii, & jus, quod habent fideles ad accipienda Sacramenta à Sacerdote est jus certum ad Sacramenta certa, & non dubia: proinde tale jus exigit, ut Sacerdos ministrans Sacramenta fidelibus sit verè, & non dubiè Sacerdos. Tum, quia justitia, & Charitas, quæ debetur proximo exigit, ut Sacramenta eidem ministrentur à Sacerdote, qui verè sit Sacerdos; non verò, qui sit dubius de suo Sacerdotio. Cæterum in similibus dubiis circa Ordines susceptos consultius semper est adire superiores, ut perpensis singulis judicent, quid agendum.

Quæritur vigesimosecundò, an repetendus sit ordo, quem constat esse invalidè collatum, si quis velit in eodem ministrare? Respondetur affirmativè, cum communi sententia ob plures Canones, & rationem id suadentem: quia sicut apud Jurisconsultos æqualia sunt non citare legem, & illam citare, sed ineptam: ita paria sunt ministrare sine Ordine, & cum Ordine, sed invalidè collato: verùm id procedit, si velit quis in tali ordine sibi invalidè collato ministrare, ac permanere in statu annexo eidem Ordini: alioquin, cui Ordo non fuit validè collatus, adhuc est sui juris, si velit ad talem Ordinem promoveri, vel non: potest enim licitè recedere à statu cœlibatus, si constet, fuisse invalidè initiatum Subdiaconatu, cui est annexus cœlibatus. quia cum subdiaconatus non subsistat, utpote invalidè collatus, nec obligatio servandi cœlibatum eidem accessoriè annexa: cessante enim principali cessat accessorium: secus, qui invalidè suscepit Diaconatum, vel Presbyteratum tenetur servare cœlibatum. 30

Quæritur vigesimotertiò, an filius relictus à Patre, si postea in studiis profecerit, possit admitti ad Ordines Ecclesiasticos, si non constet, in qua civitate natus sit, nec in qua Diœcesi, & ejus parentes obierint, ejusque pater, utpote militiæ addictus nullibi Domicilium fixerit; imò, neque constet de ætate optantis promoveri ad Ordines Ecclesiasticos, de quo tantùm constat, esse virum pium, religione Christianum, scientiis apprimè instructum? Respondetur, quòd si vir ille diu fuerit immoratus in loco studiorum, possit Episcopus illius loci eum habere, ut subditum ratione Domicilii habitationis. Siquidem Domicilium tripliciter acquiritur, origine, lege, & habitatione. Priori modo censetur filius habere domicilium in loco, in quo habet Pater, sive filius propriè sit ibi natus, sivè non. Lege acquiritur per Principis Privilegium, statutum, & adeptionem dignitatis, vel prælaturæ in loco, vel Monachatum, Clericatum, lecturam, matrimonium, ut notat Jordanus Pax *vol. 3. lib. 13. tit. 3. n. 230.* ubi quindecim recenset modos, quibus lege Domicilium acquiritur. Habitatione acquiritur domicilium, si quis diu fuerit moratus in aliquo loco, habeatque animum, ibi semper manendi, vel saltem donec melior fortuna aliò avocaverit, ut notat Layman. *lib. 5. tract. 9. cap. 9. n. 10.* Rursus, qui supplicat superiori, ut fiat civis loci illius, acquirit etiam Domicilium cum jure petendi illic ordines, si cæteræ conditiones adsint. Cæterum, studiosi morantes in aliqua Academia decem, vel duodecim annos solo animo illic absolvendi studia, non contrahunt illic domicilium, quia 31

deest animus illic perpetuò immorandi. In dubio autem hujus intentionis elapso decennio subintrat præsumptio, quòd non ampliùs studiorum causâ, sed contrahendi Domicilium illic permaneat, ut notat Menochius *de arbit jud. centur. 2. cas. 86. n. 60.* Quoad alias circumstantias, quamvis Studiosus ille nesciat locum, in quo natus sit, nec proinde cujus sit ætatis, careatque propterea etiam fide Baptismi; si Episcopus loci, in quo incumbit studiis, conjiciat esse eidem in animo perpetuò morandi in tali loco, & sciat eum esse Catholicè educatum, ac pium, plurimúmque profecisse in studiis; præsumptio, cum tunc stet in favorem studiosi, quod fuerit baptizatus, si Episcopo videretur ætate maturus, posset ordinari ad ordines Ecclesiasticos, imò etiam ad Presbyteratum, si vellet tali inservire Ecclesiæ, defectus enim carentiæ fidei Baptismi, & aliorum, supplendi sunt per prudentiam Episcopi, qui si conjiceret virum attingere trigesimum annum posset ad Sacerdotium eum promovere. Consultiùs tamen est in hisce circumstantiis maturiùs examinare conditionem Studiosi, quia interdum deprehensi fuerunt Judei adolescentes, qui unà cum Christianis studiis dederunt operam, & supplicârunt etiam Episcopo, ut Ecclesiasticis initiarentur Ordinibus, idque ob solum interesse humanum, vel etiam ab alios fines.

32 Quæritur vigesimoquartò, an initiandus sacerdotio, si tetigerit in ipsa ordinatione tantùm immediatè hostiam, & dubitet, an tetigerit patenam, ritè susceperit Sacerdotium. Non desunt, qui cum Diana censeant, esse tunc iterandam ordinationem. Verùm oppositum communiùs censent alii, & quidem probabiliùs: nec facilè repetiretur Episcopus, qui ob omissum imediatum tactũ patenæ non esset alicui impositurus manus: & revera opinio asserens essentialiter necessarium tactum immediatum, & physicum Patenæ, & Hostiæ simul, non nititur firmo fundamento; quia nullibi in jure reperitur, hunc tactum immediatum, & physicum Patenæ, & hostiæ simul esse de essentia collationis Ordinis Sacerdotalis: siquidem tactum Hostiæ non esse necessarium si Patena immediatè tangatur, docet etiam Diana *2. p. tract. 2. miscel. respons. 3.* ubi expressè docet, non esse de essentia talis susceptionis Sacerdotii tangere hostiam, quia nulla ratione hæc necessitas potest evinci. Tum quia in rituali, & Pontificali Romano, in quibus exactissimè traduntur necessaria ad essentiam hujus Sacramenti, fit tantùm mentio tactus Calicis, & Patenæ. Tum, quia interdum promoventur ad Presbyteratum, quibus digiti sunt adeò breves, ut persæpe nequeant ligatis manibus tangere simul patenam, & Hostiam, ut notat Joannes Wigers *in 3. p. in supplement. q. 34. n. 13.* & sicut non est opus tangere vinum in Calice, ita nec hostiam in patena. Præterea, quia Bonacina *disput. 8. q. unic. p. 3. n. 10.* asserit, docentes ad essentiam Sacerdotii suscipiendi requiri tactum Physicum rerum, quæ porriguntur, non exigere immediatum, & Physicum tactum Hostiæ. Hinc Dominicus Sotus *in 4. dist. 24. q. 1. art. 2.* opinionem, quâ ordinatus sine tactu immediato, & Physico Hostiæ putat, se non ritè ordinatum, vocat scrupulũ: ex quibus liquet non esse necesse, ut Sacerdotio initiandus immediatè, & physicè tangat Hostiam Patenæ superpositam: sicut non est necesse, ut physicè, & immediatè tangat vinum, quod continetur in Calice: hinc nec Episcopi ordinantes, nec Ministri iisdem assistentes solent anxii, & soliciti esse, ut à Neo-mystis immediatè, & physicè tangatur hostia. Sicut igitur tactus immediatus, & physicus hostiæ nullo modo est necessarius essentialiter, si Patena immediatè, & physicè tangatur: ita neque potest ulla verisimilitudine exigi tactus immediatus patenæ, quando Neo-mysta physicè, & immediatè tangit Hostiam patenæ superpositam: non enim hæc necessitas tangendi immediatè, & physicè Hostiam, & patenam potest aliunde provenire, quàm ex voluntate Ecclesiæ: atqui nullo probabili argumento ostendi potest, Ecclesiam induxisse hanc necessitatem, quia unica causa, quâ præcipitur tactus instrumentorum alia non est, nisi, ut illo tactu significetur potestas, & ministerium: id autem aptius significatur per immediatum, & physicum tactum Hostiæ, quàm patenæ: quapropter, si sufficit tactus Hostiæ Patenæ superpositæ à fortiori sufficit tactus immediatus, & Physicus patenæ, cui superposita est Hostia. Debet tamen patenæ superposita esse Hostia, quia ex Concilio Florentino materia Ordinis est illa, per cujus traditionem confertur Ordo, & hic confertur per traditionem patenæ cum Hostia.

Quæritur vigesimoquinto, an si Neo-mysta tangat Calicem, & Patenam, postquam Episcopus ordinans protulit verba formæ, accipe potestatem, sit ordo ritè collatus, vel debeat iterari? Respondetur, tunc Neo-mystam procul dubio agere contra Rubricas Rom. Pontificalis, ibi: *Cuppam Calicis, & Patenam simul tangant,* (qui Sacerdotio initiantur) *Pontifice singulis dicente, accipe potestatem &c.* Cæterum ordinatio juxta Communiorem, & veriorem sententiam suum sortitur valorem, quamvis forma non fuerit pronuntiata tunc, cùm re ipsa tangeretur Calix, ut docet Cardinalis Delugo *respons. moral. lib. 1. dub. 13. n. 1.* ubi asserit, id esse moraliter certum, quidquid dicant alii, neq; Episcopi ob levissimum illum scrupulum, quòd Neo-mysta immediatè post prolata ab Episcopo verba formæ tetigerit Calicem, vellet iterum eundem ordinare. Tum quia plerumque contingit, ut quando plures in una ordinatione accipiunt Subdiaconatum, vel Diaconatum, Episcopus proferat tantùm semel formulam, in numero plurali, tametsi uni post alterum tangendas exhibeat materias necessarias. Præterea, quia nulla probabili ratione evincitur, esse in collatione hujus Sacramenti immediatè, & physicè simul conjungendam materiam proximam, & formam. Sunt tamen, qui cum Cajetano *in opusc. tract. 26.* docent, in collatione Presbyteratûs physicam conjunctionem formæ cum traditione, & tactu materiæ requiri essentialiter: & revera hæc sententia est tutior, licèt præcedens sit verior. Si tamen interve- 33

niret

tigeret causa gravis, qui Calicem, & Patenam tetigit post prolata ab Episcopo verba formæ, censere, esse iterum ordinandū sub conditione, quia Charitas, quæ proximo debetur, exigit observari hac in re Rubricas Pontificalis: plures nonnisi ægrè ferrent, & gravioribus angerentur scrupulis, si iterum interveniente causa gravi Sacerdotio non initiarentur. Tum quia Minister Sacramentorum generatim tenetur sequi sententiam tutiorem, præsertim, si hæc conformis sit communi consuetudini loci.

34 Quæritur vigesimosextò, an qui consecratur Episcopus absque unctione, debeat iterum consecrari, vel sufficiat, si postea inungatur? Respondetur, sufficere, si postea unctio suppleatur, & desumitur ex *c. cùm venisset unic. de sacra unction.* ubi statuitur, ut in Consecratione Episcopi inungatur caput, & manus illius Chrismate confecto ex Oleo, & Balsamo: per caput enim mens intelligitur, per manus opera, & quia Episcopus Bracharensis in sua consecratione hanc non acceperat Sacram unctionem, Innocentius III. mandavit, suppleri, quod illi defuerat, & præcepit Episcopo Albanensi, ut Sacro Chrismate ungeret ejus caput, & manus: hæc autem unctio, de qua fit mentio in *d. c. cum venisset*, non pertinet ad essentiam Ordinis Episcopatûs, alioquin Episcopus Bracharensis debuisset iterum ordinari Episcopus. Tum quia Græci validè ordinantur Sacerdotes, tametsi Sacro Chrismate non inungantur, ut ait Glossa in *d. c. unic. de Sacra unct.* ubi notat, Bracharam illam, cujus erat Episcopus inunctus jussu Innocentii III. ab Episcopo Albanensi, fuisse urbem Græciæ. In consecratione autem Episcopi tres adsunt Episcopi, quorum unus est consecrator, & alii duo sunt assistentes. Peragitur hæc Consecratio tali pacto. Primò, Episcopus consecrator accepto libro Evangeliorum illum apertum adjuvantibus Episcopis assistentibus nil dicens imponit super cervicem, & scapulas electi. Secundò consecrator, & assistentes Episcopi utraque manu tangunt caput consecrandi, dicentes *accipe Spiritum Sanctum.* Tertiò, consecrator dextrum pollicem intingit in Sacrum Chrisma, inungitque caput electi formans Crucis signum, dicens: *Ungatur, & consecretur Caput tuum cœlesti benedictione, & ordine Pontificali.* Quartò, consecrator Chrismate inungit ambas manus simul junctas illius, qui consecratur Episcopus, & dicit, *ungantur manus istæ &c.* Quintò, Consecrator benedicit baculum pastoralem, & benedictum tradit ei, qui consecratur Episcopus, dicens: *Accipe baculum pastoralis officii, ut sis in corrigendis vitiis piè sæviens &c.* Sextò, consecrator benedicit annulum, quem aspergit aqua lustrali, & benedictum immittit digito annulari manûs dextræ. dicens: *Accipe annulum fidei, scilicèt signaculum, quatenus sponsam Dei Sanctam, videlicet Ecclesiam, intemerata fide ornatus, illibatè custodias: Amen.* Septimò, Consecrator accipit librum Evangeliorum de scapulis consecrati, & adjuvantibus Episcopis assistentibus tradit eum clausum consecrato tangenti illum, sine apertione manuum, dicens: *Accipe Evangelium, & vade; prædica Evangelium populo tibi commisso, &c.* Octavò, consecrator recipit consecratum ad osculum pacis, similiter assistentes Episcopi dicentes consecrato *pax tibi*, & is respondet singulis, *& cum spiritu tuo.* Cæterum, Ordo Episcopatûs supponit essentialiter Sacerdotalem, adeò, ut si quis non ritè ordinatus Sacerdos, omnia reciperet, quæ hactenus recensuimus, minimè futurus esset verus Episcopus. Proprium munus Episcopi est Ordines conferre, Chrismate signare Christianos, consecrare Chrisma, Oleum infirmorum, Catechumenorum, Templa, Calices, & universim omnia, ad quæ adhibetur Chrisma; tametsi horum plura possint per Pontificis voluntatem simplicibus delegari Sacerdotibus.

Quæritur vigesimoseptimò, an Diaconus nondum Sacerdotio initiatus possit licitè è Sacro suggestu concionari ad populum. Ratio dubitandi desumitur ex eo, quia ordinaturus Diaconos legit alta voce: *Provehendi filii dilectissimi ad Leviticum Ordinem cogitate magnopere ad quantum gradum Ecclesiæ ascenditis: Diaconum enim oportet ministrare ad Altare, baptizare, & prædicare:* Sed Diaconus ad ministrandum in suo Ordine non indiget peculiari facultate Ordinarii: ergo neque ad verbum Divinum è Sacro suggestu dicendum populo? Respondetur, *ut in q.2.* si talis Diaconus esset simul Parochus, tunc posset spectato jure communi absque ulteriori facultate, concionari in propria Parochia, ut docet Panormitanus in *c. inter cætera de offic. Ordin.* quia quilibet Rector, & Pastor Ecclesiasticus habet potestatem prædicandi in sua Ecclesia: siquidem incumbit pastori pascere verbo Divino suas oves; est enim id proprium pastoris munus. Sin verò Diaconus non sit Parochus adhuc spectato jure communi potest concionari in aliqua Ecclesia, si consensus accesserit Pastoris ejusdem Ecclesiæ, quia ut ait Navarrus *lib. 1. consil. 7.* communis usus totius Orbis Christiani videtur habere, ut Parochi rogent frequentissimè Theologos doctos nondum Sacris Ordinibus, vel tantum Subdiaconatu initiatos, ut prædicent solemniter in suis Parochiis, & ita etiam sentit Glossa in *c. adjicimus 16. q. 1.* Ratio ex eo petitur, quia omnia spectantia ad jurisdictionem sunt delegabilia. Cæterum hodie esse munus prædicandi generaliter interdictum Diaconis, censent plures, eo quia Ecclesia abundet Episcopis, Presbyteris, concionatoribus Sacerdotio initiatis: hinc nemini licet propria authoritate concionari, nisi cura animarum fuerit ipsi concredita, & desumitur ex *d. c. adjicimus 16. q. 1.* quia concionari est actus jurisdictionis, & non habentes jurisdictionem nequeunt actus jurisdictionales exercere. Quòd si dicas, *in c. perlectis dist. 25.* & in Pontificali expressè dici, officium Diaconi esse prædicare. Respondent communiter per prædicare ibi intelligi lectionem, vel cantionem Evangelii ad Missam, & quamvis hæc explicatio videatur nonnihil torta: non tamen in re tanti momenti est recedendum à sensu communi: quia integrum judicium est, quod plurimorum sententiis confirmatur *c. prudentiam de* 35

de offic. jud. deleg. Rursus, quando dicitur nemini esse licitum prædicare, nisi cui concredita sit cura animarum: id intelligitur de prædicatione in Ecclesia ex pulpito, seu ad populum in publico cætu. Cæterum Diaconus potest etiam solemniter per modum Catechismi declarare pueris fidei articulos.

36 Quæritur vigesimooctavò, an validè Venetiis, vel Romæ consecrentur ab Episcopo Græco Sacerdotes Græci per solam impositionem manuum super capita eorum, proferente Episcopo consecrante hæc verba: *Divina gratia, quæ semper infirma sanat, & quæ desunt, supplet, creat, seu promovet N.N. Venerabilem Diaconum, in Presbyterum: Oremus igitur pro eo, &c.* an inquam hujusmodi ordinatio valida sit. Plura de hac Græcorum ordinatione habet Nicolaus Serrarius in ampla, & erudita disputatione de Ordinibus Græcorum? Respondetur, hujusmodi ordinationem ritu Græco peractam suum sortiri valorem, & ita ordinatos esse accensendos veris Sacerdotibus: quia hodie Romæ hoc pacto ordinantur Sacerdotes Græci, ut notat Cardinalis Delugo *tom 2. in 3. p. de Sacram. in gen. disput. 2 sect. 5. n. 85.* ubi asserit, sciente, & consentiente Pontifice ita consuevisse Græcos ordinari. Tum, quia græci ita ordinati ab omnibus habentur pro legitimis, & veris Sacerdotibus, inter quos fuit etiam habitus vetus Sacerdos Bessarion eruditissimus Cardinalis Græcus, qui Concilio Florentino interfuit, quique non aliter fuit Sacerdotio initiatus, nisi præfato ritu Græco. Tum quia Clemens VIII. constitutionem edidit, quâ sanxit: *Romæ habendum esse Episcopum Græcum Catholicum, qui Græcos Episcopis latinis Italiæ, & Insularum adjacentium subjectos ab Episcopo Græco ordinari volentes, cum illorum dimissoriis ad id tantùm concedendis, ritu Græco ordinaret.* Citat hanc constitutionem Dicastillo *tom. 1. in 3. p. tract. 1. disput. 1. de Sacram. in gen. dub. 20.* ex hoc autem ritu græco claret, posse Ordinem Presbyteratus validè conferri sine Calice, & patena, & Calicem, ac Patenam requiri tantùm necessariò ex hypothesi, non verò absolutè, ut liquet ex ritu græco, quo Græci initiantur Sacerdotes: ex hypothesi tamen, quod impositio manuum super caput fiat sine prolatione formulæ significantis potestatem Sacerdotalem; perinde ac apud nos Latinos Episcopus non profert ulla verba, quando statim sub initium ordinationis imponit manus super Capita singulorum, sed profert verba, quando exhibet tangendas res illas: proinde earum præsentia est, tunc necessaria. Et licèt exinde videatur sequi non esse unam in utraque Ecclesia materiam. Respondetur, Physicè esse diversam, moraliter tamen unam, & uniformem: ratio est, quia Christus Dominus solùm instituit, ut hoc Sacramentum Ordinis Sacerdotalis conferatur tali usu alicujus rei, ut per verba adjuncta significetur potestas annexa Ordinationi: quæ verò debeat esse res illa, non determinavit, sed commisit judicio Ecclesiæ, ut pro diversitate temporum & locorum uteretur illa materia adhibitis verbis, quæ cum respectu ad eandem materiam prudenter indicent ministerium, ad quod is esset assumendus, quem verba illa respicerent: hinc si Ecclesia nunc determinaret, per solam traditionem Calicis, & Patenæ sine pane, & vino Diaconos ordinari Sacerdotes, & ea intentione tradi hæc instrumenta vacua, ordinatio suum sortiretur valorem, ad quem sufficeret traditio Patenæ, & Calicis sine Pane, & Vino.

Quæritur vigesimo nonò, an si Sacerdotio 37
initiandus ungeretur ab Episcopo ordinante in digitis Sacro Chrismate, cum debuisset ungi oleo Catechumenorum, ut liquet ex Pontificali, esset ordinatio iteranda comperto errore? Respondetur, hujusmodi ordinationem non esse iterandam, imò, neque adhibendam novam unctionem Olei Catechumenorum: ratio est, quia in Chrismate jam continetur Oleum Catechumenorum, & ex alia parte fatentur omnes, hanc diversitatem unctionis nil facere ad substantiam hujus Sacramenti: proinde, si plures Neo-mystæ fuissent Chrismate inuncti non essent iterum inungendi solo Oleo Catechumenorum, eò quia fuerint antea inuncti Chrismate: quia cùm error sit modicus, & oleum Catechumenorum contineatur in Chrismate, non esset error corrigendus cum tanta plurium perturbatione. Quòd si inter ordinandum Episcopus animadverteret non esse Oleum Catechumenorum, sed Chrisma, deberet tunc reliquos inungere oleo Catechumenorum relicto Chrismate: quinimò consultiùs foret antea inunctos Chrismate, cùm adhuc sint omnes præsentes, iterum ungere solo oleo Catechumenorum, quo pacto absque perturbatione, & magno incommodo suppleretur defectus, ac corrigeretur error. Sin verò in administratione Sacramenti Confirmationis Episcopus adhiberet oleum Catechumenorum, aut infirmorum essent inuncti iterum inungendi Sacro Chrismate, quia Sacramentum confirmationis exigit necessariò Chrisma.

Quæritur trigesimò, an Neo-mystæ tenean- 38
tur unà cum Episcopo consecrante proferre verba consecrationis, & an consecrent, si verba absolvant ante Episcopum? Respondetur, Neo-mystas ex consuetudine, usu, & praxi Ecclesiæ, hodie teneri proferre verba consecrationis, dico hodie, quia olim plerisque in Ecclesiis non fuisse id in usu, docet Tannerus *tom. 4. disput. 5. q. 9. dist. 3. n. 62.* ubi etiam asserit, hanc consuetudinem non fuisse suo tempore servatam in Diœcesi Eichstadiana, in qua tunc scribebat: Layman. *lib. 5. tract. 2. c. 7. n. 5.* ubi asserit, solùm hodie id fieri ex consuetudine ferè ubique recepta. Quòd verò ad secundum attinet respondetur, Doctores non convenire: plures enim censent, verba consecrationis proferri à Neo-mystis tantùm materialiter, & recitativè, eo pacto, quo ea recitarent, vel legerent coram aliquo instructore ad se exercendos, ac probandos antequam initientur Sacerdotes; quamvis mens Ecclesiæ præcipientis illam recitationem sit, ut Neo-mystæ proferant verba illa in signum potestatis sibi concessæ verè consecrandi, & in memoriam Cœnæ ultimæ, in qua Christus coram suis Apostolis instituit missæ Sacrificium,

um, hæc sententia videtur Laymano *lib. 5. tract. 2. c. 7. n. 6.* perquàm probabilis. Communior tamen, ac vera sententia docet, cum Divo Thoma verba consecrationis proferri à Neo-mystis formaliter, & in persona Christi, adeò, ut si unus ex Neo-mystis absolvat totam formulam ante Episcopum ipse revera solus consecret, dummodo habuerit intentionem conficiendi Sacramentum casu, quo priùs aliis absolveret formulam. Quia verò maximum foret inconveniens, si Episcopus tunc revera non consecraret, ideo solent moneri Neo-mystæ, ne verba absolvant ante Episcopum, & ut habeant intentionem non consecrandi, si casu prævenirent Episcopum. Putârim tamen, ut asserui *§. 5. n. 18.* tutiùs, & commodiùs esse, si Neo-mystæ habeant generalē intentionem proferendi verba Consecrationis secundùm voluntatem, intentionem, & usum Ecclesiæ Catholicæ, idq; ob diversitatem opinionum, cùm non desint, qui censeant, Neo-mystas non proferre verba consecrationis formaliter cum intentione consecrandi, sed tantùm materialiter, & recitativè in signum sibi concessæ potestatis, quæ opinio, ut probabilis etiam habetur à Suarez, Richardo, Henriquez, & aliis. Hinc si Neo-mysta cùm ordinatur, audiat verba Consecrationis ab alio Neo-mysta jam esse prolata, adhuc posset ipse eadem verba continuare, & absolvere cum intentione faciendi, quod tunc intendit Ecclesia, hoc pacto tutiùs proceditur in praxi.

39 Quæritur trigesimo primò, quo jure promovens, & promovendi ad Sacros Ordines debeant esse jejuni? Dico ad Sacros Ordines, quia promovendus ad minores ordines non est necesse sit jejunus, persæpe enim Ordines minores conferuntur post prandium. Respondetur de jure Ecclesiastico debere ordinantem, & ordinandos esse jejunos, consequenter licèt non jejunus illicitè promoveatur ad ordinem Sacrum, & peccet lethaliter, eò quia in re tam gravi transgrediatur præceptum Ecclesiæ, adhuc Ordo sacer non jejuno collatus suum sortitur valorem, nec est reiterandus, licèt contrarium sentiant Pax Iordanus *elug. vol. 1. lib. 5. tit. 1. n. 44.* Hostiensis, & Butrius à Jordano citati putantes jejunium tam ordinandi, quàm ordinantis esse de substantia Ordinis, censeàntque propterea iterandam ordinationem, si alteruter non fuit jejunus. Quia id sine ullo sufficienti fundamento asseritur, quia in jure præsertim *in c. litteras de temp. Ordin.* & *c. 1. dist. 67.* & in *c. quod à Patribus dist. 75.* in quibus jura loquuntur de hac materia nil dicunt de hac re, & nullibi reperitur jejunium tam ordinandi, quàm ordinantis esse de substantia ordinis, adeò, ut non subsistat collatio Ordinis sine jejunio: licèt in præcitatis capitibus requiratur jejunium? non tamen dicitur, quòd sit de substantia ordinis, quapropter tale jejunium est tantùm de præcepto Ecclesiastico, cùm nullibi reperiatur à Christo Domino fuisse jejunium in Sacris suscipiendis ordinibus præceptum, ut essentiale, & necessarium: eo autem ipso, quòd jejunium non est de substantia ordinationis, non est hæc semel peracta, quamvis à non jejuno, vel cum non jejuno repetenda. Tum quia Ecclesia non habet jus immutandi essentiam Sacramentorum, nec instituendi aliquid de essentia, quod à Christo Domino non fuit institutum de essentia: siquidem essentiæ Sacramentorum sunt de jure Divino, & non possunt immutari ab Ecclesia. Nec ullum facessit negotium contraria sententia, quia est tantùm paucorum, nec quidquā præsefert practicæ, vel speculativæ probabilitatis, quinimo destituitur omni specie rationis, & repugnat certæ persuasioni omnium Theologorum, quibus hac in re est adhærendum, cùm ad Theologos pertineat judicare de partibus essentialibus, & conditionibus Sacramentorum. Cæterum jejunium hoc ab Ecclesia injunctum debet esse naturale, seu tale, quale præmittendum est communioni, quia saltem communio hoc jejunium exigit, Hinc quando Episcopus nequit die Sabbathi quatuor temporum omnes præsentes ordinare, & eorum partem differt in sequentem diem Dominicum, tenetur continuare jejunium. An verò debeat hoc jejunium continuatum usque ad sequentem diem Dominicum esse naturale, vel sufficiat, si sit Ecclesiasticum; adeò, ut licèt Episcopus in missa Sabbathina sumpserit purificationem, adhuc possit sequenti die Dominico continuare suam ordinationem, eò quia sumptio purificationis, seu ablutionis frangat tantùm jejunium naturale, non verò Ecclesiasticum. Layman. *lib. 5. tract. 9. c. 8. n. 5.* censet requiri jejunium naturale, adeò, ut Episcopus in Missa Sabbathina non possit sumere ablutionem, seu purificationem Calicis, si partem ordinandorum velit differre in sequentem diem Dominicum, hoc idem etiam docet Abbas in *c. litteras. de temp. ordin. c. 1. dist. 67. n. ult.* Alii verò censent sufficere jejunium Ecclesiasticum ita censent Sylvester *v. ordo 2. q. 6.* Sanchez. *lib. 7. consf. mor. c. 1. dub. 51. n. 5.* Tabiena *lib. 3. tract. 6. n. 422.* & hæc sententia videtur probabilior ex hypothesi, quòd jejunium requisitum in Sacris Ordinationibus sit tantùm Ecclesiasticum, quia jejunium Ecclesiasticum servatur, tametsi Sacerdos in Missa sumat ablutionem. Hinc Glossa in *c. quod à Patribus dist. 75. ver. Sabbathi* asserit, non servari de consuetudine aliud jejunium, quàm quale solet servari aliis diebus quadragesimæ, & Escobar in *theol. moral. l. 23. n. 436.* expressè asserit, jejunium, quod indicitur tam Episcopo, quàm ordinandis, non esse naturale, sed tantùm Ecclesiasticum. Hinc Episcopus differens partem ordinationis Sabbathinæ ad sequentem diem Dominicum tenetur abstinere à prandio, & ab illa refectione, per quam solvitur jejunium Ecclesiasticum. Cæterum, neque Minoristæ, neque Subdiaconi, aut Diaconi tenentur communicare sub mortali, ut docent plures cum Quintanad. *singul. tract. 6. singul. 17. n. 2.* quia nulla lege, vel consuetudine habente vim legis obligantur sub mortali communicare. An verò Neo-mystæ teneantur sub mortali comunicare est major difficultas: aliqui affirmant cum Aragonio 2. 2. *q. 83. art. 12. conclus. 3.* ea innixi ratione, quia omnes Neo-mystæ consecrant cum Episcopo, ex quo inferunt teneri

neri sub mortali communicare, seu hostiam sumere, eò quia hæc sumptio sit de essentia, & substantiali integritate Sacrificii. Verùm, si hæc ratio urgeret, tenerentur Neo-mystæ sumere Hostiam, quam sumit Episcopus ordinans, quia sacrificans non tenetur sumere, nisi hostiam à se consecratam. Tum quia Neo-mystæ non obligantur, habere intentionem etiam virtualem, & implicitam consecrandi particulas, quas postea ipsi sumunt: siquidem possent Neo-mystæ communicare, & sumere Hostias die præcedente consecratas. Tum quia possent Neo-mystæ coarctare suam intentionem ad solam Hostiam principalem, quam sumit Episcopus ordinans, non verò ad alias appositas Episcopo ad consecrandum: unde nisi addatur alia ratio, vel textus Canonicus difficulter damnantur Neo-mystæ peccati lethalis, si non communicent.

40 Quæritur trigesimosecundò, an si Episcopus ante inchoatam ordinationem publicè, & alta voce dicat, nemo alienigena, aut illegitimus, aut falsis testimoniis instructus &c. accedat, quia ego tales non intendo ordinare: adhuc censeatur validè ordinatus, qui laborans aliquo ex præcensitis vitiis, accessit, fuitque ad Ordines promotus? Respondetur cum Navarra *in conf. lib. 1. de temp. ordin.* vel Episcopus revera animo intendit ordinationem illam non valere, adeò, ut per præfata verba verè, & realiter intendat, non ordinare aliquo ex præcensitis vitiis laborantes, & tunc certum est, ordinationem nullius esse valoris: ratio est perspicua, quia intentio Ministri est de essentia cujuslibet Sacramenti. Sin verò protestatio facta fuit ore tenus ad terrendos duntaxat promovendos ad Ordines Sacros, tunc ordinatio suum sortiretur valorem, quia non deest intentio Ministri, & adsunt cætera requisita: imò graviter peccaret Episcopus, si revera intenderet non conferre Sacramentum laborantibus aliquo ex præfatis vitiis, quia ageret contra consuetudinem aliorum Episcoporum, contra usum Ecclesiæ, & daret occasionem gravis infamiæ, graviúmque peccatorum. Præterea, quia Episcopus hanc intentionem non ordinandi non potest rationabiliter habere, quia ad ipsum non pertinet punire peccata secreta. Hinc in dubio, an Episcopus, qui ita fuit locutus, habuerit intentionem ordinandi; præsumendum est, eam aam habuisse, quia dubia debent interpretari in meliorem partem *c. 2. de regul. jur. in 6.* unde mens Episcopi debet tunc interpretari, ut tantùm ad terrorem ordinandorum protulerit præfata verba.

41 Quæritur trigesimotertiò, an Sacri Ordines possint extra tempora conferri etiam in oratorio privato, & in quavis Ecclesia habentibus dispensationem? Respondetur, quoad hoc standum esse consuetudini, quia hæc nunquam reprobatur: & olim ex insolita consuetudine potuisse Episcopos conferre Ordines, etiam majores in quavis Ecclesia suæ Diœcesis refert S. Antoninus apud Sylvestrum *v. ordo 2. q. 8.* & hanc consuetudinem etiamnum vigere saltem in aliquibus locis asserunt Henriquez *lib. 10. c. 11. num. 3.* Filliuc. *tract. 9. n. 10.* Verùm, si ordinatio, seu collatio Sacrorum Ordinum fiat ritu solemni, tunc debent ordinandi ad Sacros Ordines initiari in Ecclesia Cathedrali, quia Concilium Tridentinum *sess. 23. c. 8. de refor.* statuit, ut ordinationes celebrentur in Ecclesia Cathedrali, & quia Concilium loquitur de Ordinationibus, ad quas Canonici vocantur, ideo sermo ibi est de ordinatione, quæ fit ritu solemni, quia est contra omnem consuetudinem, ut ad inaugurationem unius tantùm Diaconi, vel Presbyteri convocentur Canonici. Tum quia Concilium loquitur de ordinatione generali, & quando unus tantum vel alter promovetur ad ordines, talis ordinatio non dicitur generalis, imò quamvis ordinarentur tres, vel quatuor, ut censet Moscovius de *Majestat. Eccles. lib. 1. p. 2. cap. 1.* Sin verò ordinatio non sit publica, nec generalis, sed tantùm privata, tunc potest fieri in privato sacello. Non tamen Episcopus in aliena Diœcesi potest etiam in Monasterio exempto conferre ullos ordines sine facultate Ordinarii, ut notat Prosper Fagnanus in *c. quia nos de authoritate, & usu pallii*, idque ob expressam declarationem Congregationis approbatam à Clemente VIII. quam ad verbum ipse refert in ultimo folio post quintum Decretalium. Quando verò Episcopus promovet ad Sacros Ordines unum, vel alterum privatim in aliqua Capella, vel oratorio, debet tunc esse ornatus omnibus Pontificalibus indumentis præscriptis à Rituali Romano: nimirum pro prima tonsura, & reliquis minoribus, si ordinatio fiat extra Missam, debet Episcopus esse indutus Rochetto, & Stola, ac mytra simplici, vel si sit Episcopus Regularis, loco Rochetti cotta. Pro ordinibus autem Sacris conferendis debet esse indutus omnibus Pontificalibus indumentis, tametsi privatim, & sine cantu Missam celebret, & debet etiam recitare Psalmum: *Quàm dilecta tabernacula. &c.* & reliqua observare præscripta in Pontificali *sub rubrica de Ordin. confer.* ut notat Pax Jordanus *elucub. vol. 1. lib. 3. tit. 6. n. 445.*

Quæritur trigesimoquartò, an si Episcopus in aliena Diœcesi consecret Calicem, vel corporalia bona fide non considerans id minimè sibi esse licitum, an si in propria Diœcesi postea Missas celebret, vel alia Pontificalia exerceat, incurrat aliquam pœnam? Respondet Navarrus *lib. 5. de Cleric. excommun. cons. 12.* hunc Episcopum incurrere in foro externo suspensionem statutam à Tridentino *Sess. 6. cap. 5.* proinde etiam irregularitatem. Verùm hæc Sententia videtur nimis rigida, quia cùm Episcopus non se gesserit dolosè, sed bona fide processerit, putans posse tunc Calicem, & Corporalia consecrare, bona fides eum excusat à peccato coram Deo: unde pro tali consecratione bona fide peracta in aliena Diœcesi non videtur incurrere, tam gravem pœnam, ad quam damnatur à Navarro. Tum, quia in tali casu admittitur Epikia, & interpretatur voluntas Ordinarii esse, ut ita procedens bona fide possit in sua propria Diœcesi talem consecrationem 42

Calicis peragere: hæc enim interpretatio est valde rationi consona, cum exterus Episcopus non processerit malitiosè ad sibi usurpandam jurisdictionem Ordinarii.

43 Quæritur trigesimoquintò, an natus Venetiis possit hic Monachii promoveri ad Sacros Ordines, si ejus Pater fuerit Monachii natus, & tantùm causâ mercaturæ exercendæ fixerit Venetiis suum Domicilium, & quidem perpetuum. Ratio dubitandi est, quia talis Mercator jam acquisiverat suum Domicilium in Patriarchatu Veneto, consequenter etiam ejus filius ibi natus. Tum quia Mercator Pater habuit semper animum permanendi constanter Venetiis. Respondetur, filium talis Mercatoris nati Monachii posse Frisingæ, ubi est Ordinarius Monacensis initiari Ordinibus Ecclesiasticis: quia filius potest ordinari in DomicilioPatris, & ratione nativitatisDomicilium patris est Monachii, proinde ejus filius potest ibi initiari Ordinibus Ecclesiasticis. Rursus impuberes censentur habere idem Domicilium quod mater, quia hi non possunt sibi ullum eligere, ut notat Navarrus *lib. 1. conf. de temp. ordin. cons. 3.* Quòd si mater, sub cujus potestate sunt impuberes, aliò commigret, etiam filii cum ipsa sortiuntur maternum domicilium. Post verò pubertatem licèt adhuc sint filiifamilias, possunt sibi Domicilium eligere *l. placet, & sequent. C. de municip.* & quamdiu filius etiam post pubertatem non constituit proprium Domicilium, gaudet paterno. Baroni verò, & nobiles censentur cives omnium locorum, in quibus possident feuda, & eorum Filii possunt ibi Ordinibus Ecclesiasticis initiari, ut notat Barbosa *de offic. Episc. alleg. 4. n. 32.* & Campanilis apud eundem testatur, ita decisum fuisse à Rota Romana, & id verum est, quamvis pater non habitet in loco feudi. Rursus Clericus possidens beneficium, dicitur habere domicilium, ac esse civis loci, in quo tale beneficium est situm, quamvis illud sit tenuissimum, ac insufficiens ad congruam sustentationem, imò Clericus habens plura beneficia in diversis Diœcesibus potest in singulis ordinari, ut notat Barbosa *loc. cit. n. 51.* Cæterum, si Episcopus ordinet non subditum, non excusatur à peccato lethali, ut nec etiam Clericus, qui facit se ordinari ab alio Episcopo, quàm à suo proprio *cap. eos qui de temp. ordin. in 6.* & Tridentinum *sess. 26. c. 8. de refor.* Filius illegitimus habens matrem certam & patrem incertum gaudet domicilio matris, non ita, si ejus pater sit certus, quia filii gaudent domicilio patris, non matris. Generatim in loco propriæ originis, seu nativitatis potest quis ordinibus initiari Ecclesiasticis, adeò ut filius, si sit legitimus, possit Ordines suscipere in illa Diœcesi, inqua ejus Pater natus fuit, tametsi alibi postea fixerit Domicilium: & si sit illegitimus potest Ordinibus initiari supposita dispensatione in Diœcesi, ubi ejus mater nata fuit, & id vel maximè est verum, si non solùm ibi natus fuit, sed etiam baptizatus.

Quæritur trigesimosextò, quid agendum, si Episcopus sit certus, in conferendis Ordinibus irrepsisse aliquot defectus, ac proinde dubitet de valore Ordinis? Respondetur, quòd si defectus irrepserint circa sola accidentalia parvi momenti, debeat tunc dissimulare, præsertim, si sine gravi incommodo non possit supplere hos defectus accidentales, & parvi momenti: sin verò defectus fuerint magni, tunc si Episcopus non potest sine suo probro supplere publicè defectus, qui irrepserunt, debet privatim eosdem supplere, quia juxta regulam traditam à Navarro: qui nequit aliquid facere eo modo, quo debet; tenetur facere eo modo, quo potest. Quòd si defectus, qui irrepserunt, sint tantùm de accidentalibus, tunc non videtur mens Ecclesiæ esse, Episcopum adigere ad ullam iterationem, cùm hæc nunquam contingat absque plurimorum turbatione. Tum quia Episcopus ob tales defectus tantùm dubitat, hæretque anceps, an ab ipso fuerit Ordo ritè collatus: & quando defectus non est substantialis, adeò, ut adfuerint omnia essentialiter requisita ad valorem talis ordinis, tametsi Episcopus dubitet; non videtur adigendus ad suscipiendum incommodum certum propter incertum, & nemini noxium defectum *cap. ubi periculum de elect. in 6.* Quòd si dubium esset circa substantialia Sacramenti, tunc esset Sacramentum iterandum saltem sub conditione, si dubium niteretur rationabili fundamento; quia in ordine ad validitatem Sacramentorum tenemur sequi opinionem tutiorem; & tutiùs semper est, quòd saltem sub conditione iteretur Sacramentum ex hypothesi, quòd adsit rationabile fundamentum illud iterandi.

45 Quæritur trigesimoseptimò, an initiati Lectores teneantur iterum Ordinari, si loco libri Lectionum tetigerint Pontificale porrectum Episcopo per errorem à Magistro cœremoniarum, & Episcopus illud loco libri lectionum porrexerit tangendum Lectoribus? Respondetur, certum esse: materiam Lectoratûs esse librum Lectionum traditum cum hac formula: *Accipite, & estote verbi DEI Relatores, habituri, si fideliter, & utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis, qui verbum DEI benè administrârunt ab initio.* Per librum autem Lectionum intelliguntur etiam libri Prophetarum, & Homiliarum, seu sermonum, qui, moris est, ut in Ecclesia DEI legantur: unde cùm Pontificale non sit hujusmodi materia Lectoratûs, oritur dubium, an sit Ordo Lectoratûs tunc iterandus: & ob hoc dubium putârim, quòd si omnes illi Lectores adhuc essent in loco consecrationis post cognitum errorem consultiùs, & tutiùs esset, eos iterum ordinare, ac iisdem tangendum porrigere librum lectionum, & hanc iterationem censerem faciendam esse saltem sub conditione, quia videtur perquam dubium, an Pontificale Romanum dici possit liber lectionum Prophetarum, & Homiliarum, &

omnis Ordo dubius per se loquendo repetendus est sub conditione. Quòd si ordinati Lectores jam diffluxerint, non condemnarem Episcopum, ad discurrendum per totam Urbem, ut quos Lectores ordinaverat, iterum revocaret: quia id non posset fieri sine gravi obmurmuratione, & scandalo, nec sine gravissimo incommodo Episcopi: unde tunc consultius fortassis foret, si cùm ità ordinati Lectores redituri sunt, pro subdiaconatu, vel Acolytatu, totus ille Lectoratûs Ordo repetatur, & tunc tutiùs proceditur. Cæterum non desunt, qui censeant, posse tunc verosimiliter omitti illam iterationem, eâ innixi ratione, quia sit perquam verosimile Pontificale posse assimilari ad rem nostram libro homiliarum, quia Pontificale continet plurimos Psalmos dignos, in Ecclesia legi ab initiato lectoratu. Tum quia complectitur plures exhortationes perquàm graves, & æquiparandas, si non quoad extensionem, saltem intensivè prædictis homiliis, & dignæ sunt, quæ in Ecclesia legantur intentione docendi, & monendi candidatos Ordinum: si igitur Pontificale potest æquiparari libro lectionum, Prophetarum, & Homiliarum, jam videtur esse sufficiens materia Lectoratûs, proinde error esset tunc tantùm accidentalis.

46 Quæritur trigesimooctavò, an qui ex Subdiaconatu suscepto in tenella ætate fit Presbyter omisso Diaconatu, incurrat aliquam pœnam. Certum est, quòd quamvis matrimonium ante legitimam ætatem initum, non sit validum, nisi fortassis malitia ætatem suppleat; qui tamen ordinatur ante legitimam ætatem est validè ordinatus, quamvis sit suspensus ab executione Ordinis, adeò ut ordinatus Subdiaconus infra annos discretionis sit validè ordinatus. Dubitatur igitur, an ordinatus Subdiaconus ante annos discretionis, si postea omisso Diaconatu, cùm ad legitimam pervenerit ætatem, initietur Sacerdos, dubitans an fuerit initiatus Diaconus incurrat aliquam pœnam; habetur hæc quæstio in *c. Tua littera unic. de Cleric. per salt. promot.* ubi Innocentius III. rescribit, esse ei condignam pœnitentiam pro tali negligentia injungendam, & eâ peractâ esse ordinandum Diaconum. Videtur hæc quæstio aliquid continere insoliti, cùm ex specie facti manifestè colligatur. fuisse Clericum illum ante discretionis annos initiatum Subdiaconum: & ex eo etiam videtur quæstio puerilis, quia Clericus ille intulerit fuisse promotum ad Diaconatum, tametsi talis promotionis non recordaretur, eò quia certò scíverit, fuisse initiatum Subdiaconum: qui enim ita argumentaretur: Certò scio, me suscepisse Ordinem Subdiaconatûs, quando nondum fui septennis: Ergo fui etiam initiatus Diaconatu; hæc enim consequentia non ritè infertur ex illo antecedente, quia Subdiaconatus, & Diaconatus sunt Ordines diversi, possuntque separatim existere: sed à diversis non valet illatio, ut docet jurisconsultus ex *l. Papin. ff. de min.* Tum quia quæ à jure communi exorbitant, non sunt trahenda ad consequentia ex *Regul. 28. jur. in 6.* cùm igitur fuerit moraliter certum, Clericum illum è Subdiaconatu omisso Diaconatu fuisse per saltum promotum ad Presbyteratum, ideo rectè Innocentius III. rescripsit, ut condigna pœnitentia pro hujusmodi negligentia ei injungeretur, quâ peractâ initiaretur postea Diaconus. Habebatur omissio illa Diaconatûs moraliter certa, quia id est moraliter certum, de quo Homo prudens non potest dubitare: & nemo prudens potuit dubitare de Diaconatu suscepto à Clerico illo ante annos discretionis: siquidem in contrarium aperta erat præsumptio juris: nemo enim præsumit, neminem in tali ætate esse promovendum ad Diaconatum, & viri probi, inficiabantur, talem Clericum fuisse ordinatum Diaconum, & nulla aderat ratio, quâ evinceretur Diaconatus susceptus à tali Clerico ante annos discretionis, proinde cùm fuerit moraliter certum, Clericum illum de Subdiaconatu fuisse per saltum promotum ad Presbyteratum; debuit post peractam pœnitentiam initiari Diaconus.

Quæritur trigesimononò, an si Episcopus aliquis fuisset invalidè ordinatus in Diaconum, posset ipse postea validè ordinare Diaconos? Respondetur, Doctores non concordare in hac quæstione, plures enim in ea sunt opinione, ut censeant, Episcopum tunc non posse validè conferre Diaconatum eâ innixi ratione: quia cùm Episcopus præsupponatur destitutus tali Ordine nequit eundem aliis conferre, cùm nemo det aliis, quod non habet in se, & ita docent S. Antoninus, Sylvester, Henriquez, & alii apud Dianam *tract. 2. resol. 4.* Putârim tamen, probabiliorem contrariam sententiam, nimirum posse adhuc Episcopum validè conferre aliis Diaconatum. Ratio id suadens ea mihi videtur, quia potestas ordinandi non pendet ab aliis Ordinibus, sed ab ipso Charactere Episcopali: & quia non obstante omissione Diaconatûs adhuc Episcopus insignitur vero Charactere Episcopali, perinde, ac qui de Subdiaconatu per saltum promovetur ad Presbyteratum fit verè, & validè Sacerdos, eique imprimitur verus Character Sacerdotalis; sequitur, posse Episcopum, qui non fuerat ordinatus Diaconus, conferre aliis ordinem Diaconatus, eò quia potestas conferendi hunc Ordinem sita sit in Charactere Episcopali, quem habet Episcopus, licet non fuerit ordinatus Diaconus. Verùm, si Episcopo certò innotesceret, se non fuisse ordinatum Diaconum, teneretur defectum emendare, & sinere se initiari Diaconum, quia generatim prohibitum est ministrare in ordine superiori, quando deest inferior. An verò initiati sacris Ordinibus ab hæreticis, & Schismaticis sint validè initiati; videtur esse difficultas, quia ex S. Gregorio apud Gratianum *9. q. 1.* habetur: *Nos consecrationem dicere nullo modo possumus, quæ ab excommunicatis hominibus est celebrata,* & ex Urbano Papa ibidem dicitur: *Ordinatio-* 47

nes, quæ ab Hæresiarchis nominatim excommunicatis facta sunt, irritas esse judicamus. Tum quia Innocentius II. in Concilio Romano sanxit, ordinationes factas à Petro Leone (Antipapa) & aliis hæreticis, & schismaticis esse irritas, ut refert Baronius ad annum Christi *1139. in fin. num. 5.* Verùm hæ, & aliæ id genus authoritates communiter intelliguntur de irritatione quoad executionem, & exercitium ordinum susceptorum ab Hæreticis, vel Schismaticis, non verò de irritatione quoad valorem, quia cùm Hæretici, & Schismatici prosupponantur suscepisse verum characterem Episcopalem, tametsi postea fuerint in hæresin, vel Schisma lapsi, adhuc conservant characterem, qui est indelebilis, proinde validè, quamvis non licitè conferunt Ordines. Idque etiam desumitur ex Synodo Guastallensi apud Baronium ad annum Christi *1106. n. 20.* ubi Paschalis II. ait: *Patrum nostrorum exemplis, & scriptis instructi, qui diversis temporibus Novatianos, & Donatistas in suis ordinationibus susceperunt, præfati Regni Episcopos in schismate ordinatos (nisi aut invasores, aut Simoniaci, aut criminosi sint probati) in officio Episcopali suscipimus.*

48 Quæritur quadragesimò, quinam Abbates habeant jus conferendi quatuor minores? Respondetur, nomine Abbatum hìc intelligi Prælatos Regulares, qui sint Sacerdotes, Benedicti Abbates, & rursus habeant jurisdictionem, ut docet Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 29. n. 4.* Abbates igitur hisce tribus insigniti conditionibus possunt Ordines minores conferre Regularibus sibi subditis. An verò possint etiam eos conferre suis Novitiis, communior opinio affirmat, eò quia in materia favorabili nomine Regularium veniunt etiam subditi, ut liquet ex Privilegio Innocentii II. quod refert Suarez *tom 4. de relig. tract. 8. l. 2. c. 29. n. 13.* Tum quia Novitii magis subjiciuntur suo superiori Religioso Ordinis exempti, quàm Episcopo loci, si fortassis Novitius illuc appulerit ex alia longè dissita Diœcesi: quinimò ex declaratione Congregationis Cardinalium referente Gallemart. *in c. 10. concil. Trident. sess. 23. de refor.* Abbates ex speciali commissione Episcopi Diœcesani possunt conferre minores Ordines etiam subditis Diœcesanis. Et licèt olim Abbates habentes usum Pontificalium contulerint ordines minores, non solùm propriis Monachis, verùm etiam alterius Monasterii, imò, & fortassis sæcularibus habentibus legitimas dimissorias. Hodie tamen non possunt, nisi propriis Monachis Ordines minores conferre ex declaratione Congregationis Cardinalium emanata 23. Nevembris, Anno 1641. ubi expressè habetur: *Abbates Regulares Benedictos Congregationis Casinensis, seu alterius Congregationis, Ordinis, aut instituti habentes etiam jura Episcopalia, seu quasi Episcopalia, usúmque Mitræ, Baculi, & benedicendi, ac facultatem primam Tonsuram, Minorésque Ordines conferendi, non posse dictam primam Tonsuram, ac Minores Ordines conferre, nisi suis subditis Regularibus, non autem Regularibus alterius Congregationis, Ordinis, aut instituti, etiamsi habeant litteras dimissorias suorum Regularium, & consensum Ordinariorum, intra quorum Diœceseon fines ipsi Regulares ordinandi existunt, & multò minùs personis sæcularibus etiam habentibus litteras dimissorias à suis Ordinariis; ac propterea inhibuit Archiepiscopis, Episcopis, & aliis inferioribus Prælatis sæcularibus, ac Regularibus, ut in futurum concedere non audeant supradictas litteras dimissorias hujusmodi Abbatibus directas, nec ab illis recipi; quòd si secus fiat, tam recipientes, quàm ordinantes à collatione Ordinum suspensi maneant, præter alias pœnas eidem Congregationi reservatas.* Et Diana, qui tunc temporis Romæ scripsit, fatetur accepisse à Domino Francisco Paulucio Secretario ejusdem Congregationis eandem declarationem, & eam legisse, & 17. Januarii 1642. fuisse approbatam ab Urbano VIII.

Quæritur quadragesimoprimò, an illitteratus aptus sit ordinibus Ecclesiasticis suscipiendis? 49
Respondetur negativè, quia litteris Sacris carens non potest esse aptus Officiis Ecclesiasticis, ut sancivit Gelasius Papa *dist. 36. c. 1.* Dicitur verò illitteratus secundùm subjectam materiam, quia vulgus illitteratum vocat, qui prorsus nescit legere, & litteratum, qui ita litteras cognoscit, ut sciat legere, ut notat Menochius *de arbit. judic. cas. 425.* sicut in materia juris prudentiæ litteratus dicitur, qui jura novit; & illitteratus, qui non novit. Inter Oratores, & eruditos illitteratus vocatur, qui non est excultæ latinitatis, ut notat Menoch. *loc. cit. n. 16.* Respectu Divinorum officiorum, & sacrarum litterarum litteratus dicitur, qui novit idioma, quo Sacræ litteræ utuntur in divinis officiis, scilicet ideoma latinum apud Latinos; Græcum, apud Græcos; verùm in Canone Gelasii dicitur illiteratus, qui prima grammaticæ rudimenta non didicit, ut notat Barbosa *de offic. & potest. Episcop. alleg. 36.* Hinc juxta subjectam præsentem materiam is dicitur illitteratus, qui nec scribere novit, nec legere, & hujusmodi illiterati non promoventur ad ordinem clericatûs, quia sicut scientia dicitur, mater virtutum, ita ignorantia mater omnium errorum *cap. Ignorantia dist. 38.* & hæc est ratio, cur illiterati non permittuntur ad Ordines Ecclesiasticos promoveri. Rursus alia est scientia, quæ requiritur jure naturali; & alia, quæ tantùm jure Ecclesiastico: de jure naturali tantùm requiritur ea scientia, quæ necessaria est ad obeunda officia annexa tali ordini, qui suscipitur: quisque enim tenetur ea scire, quæ ad proprium statum, & officium pertinent, ut docet D. Thomas *1. 2. q. 76. art. 2.* hinc turpitudini, & vitio datur Patritio, si ignoret jus, in quo versatur *l. 2. ff. de orig. jur.* Rursus sicut jure naturæ potestas judiciaria exigit, ut quod debet quis judicare, discernat *cap. 1. dist. 6. §. caveat.* ita omnibus Clericis ignorantibus ea, ad quæ obeunda promoventur, & suscipiunt Characterem jure naturæ vertitur vitio, imò, & culpæ, quia quis jure naturali tenetur ea scire, quæ annexa sunt officio, vel statui, ad quem assumitur. An verò jure Ecclesiastico re-

requiratur major scientia, quàm jure naturali videtur esse difficultas, quia Concilium Tridentinum *sess. 23. c. 4. de refor.* Statuit, ut prima Tonsurâ non initientur, qui fidei rudimenta non fuerint edocti, quique legere, & scribere nesciant: & *cap. 11.* non vult conferri Ordines nisi Callentibus linguam latinam. De scientia verò necessaria ad Subdiaconatum, & Diaconatum præcipit *loc. cit. c. 13.* ut sint litteris, & etiam iis, quæ ad tales Ordines exercendos pertinent, instructi. De Sacerdotibus eadem Tridentina Synodus *Sess. 23. c. 14. de refor.* ait: *Qui ad Presbyteratus Ordinem assumuntur, hi sint, qui ad populum docendum ea, quæ scire omnes necessarium est ad salutem. ac administranda Sacramenta diligenti examine præcedente idonei comprobentur.* De Episcopatu verò statuitur in *c. omnes 6. dist. 38.* ex Synodo 7. hoc pacto: *Qui ad Episcopatus promovendus est gradum in promptu habeat legere scrutabiliter, tam Sacros Canones, & sanctum Evangelium, quàm omnem divinam scripturam.* Cæterum eruditio, quæ ex Sacris Canonibus exigitur, non debet esse necessariò magna in illo genere, sed sufficit, si sit mediocris, adeò, ut ad minores Ordines sufficiat mediocris scientia, ac mediocris intelligentia linguæ latinæ, & id etiam proportionaliter, & in suo genere dici potest de cæteris Ordinibus. Ille verò dicitur linguam latinam intelligere, qui animo percipit sensum indicatum per verba latina, & hæc intelligentia saltem est necessaria in promovendo ad Ordinem Acolytatûs

50 Quia verò Concilium Tridentinum *sess. 23. c. 11. de refor.* injungit, ut Minoristæ ascendant de gradu in gradum, communiter censent Doctores, suffecturum Ostiario, & Lectori, si norint latinè legere, & scribere: Exorcistæ, si declinare nomina, & conjugare verba: Acolyto, si aliquam sententiam brevem, & facilem sciat è latino idiomate in linguam vertere vernaculam, ut esset hæc sententiola: *initium sapientiæ est timor Domini.* alioquin non posset in ullo proprio sensu dici intelligere linguam latinam. In promovendis verò ad Subdiaconatum, & Diaconatum requiritur ea peritia linguæ latinæ, quæ sufficiat ad intelligendas lectiones Breviarii, Sacras Scripturas Novi Testamenti, præsertim Epistolas, & Evangelia. Ad Sacerdotium verò, ut præter intelligentiam linguæ latinæ intelligat Sacrificium Missæ, sciátque benè legere, quæ continentur in Missa, & rursus, ut sciat, possitque ritè servare singula, quæ spectant ad Sacrificium Missæ, & præsertim, ut sciat occurrentes in Missa materiam, & formam consecrationis, dispositionem animæ, & corporis. Cæterum Barbosa *allegat. 46. n. 13.* & cum ipso alii censent, posse Episcopum (saltem præscripto jure) dispensare cum destituto scientiâ requisitâ à Tridentino, aliisque Conciliis, si ordinandus adhuc versetur in studiis, & affulgeat spes, fore, ut sit acquisiturus necessariam Scientiam, eò quia sit juvenis saltem mediocris ingenii, & addictus studiis, & præsertim, si sit pius, ac innocentia morum commendatus. Cæterum caveant Episcopi, ne eos promoveant ad Ordines Sacros, qui neque rudi minerva, assecuti sunt intelligentiam linguæ latinæ, quia inde plura nascuntur incommoda. Idque, ut suis consuleret conexaminatoribus, quidam cæteris rigidior, ridiculam attulit rationem. Cùm interrogaretur, cur ipse solus admitteret ad Sacerdotium quemdam fabrum ferrarium, qui cum aliis se obtulit examini, ut ad Ordines Ecclesiasticos promoveretur, ratus Breviarium, & Missale esse leviora malleo, & molliora incude: cùm enim sciret legere, & scribere latinè, sibi videbatur sufficienter peritus, ut posset ad Clericatum promoveri. Sed fuit ab omnibus Examinatoribus exclusus, eò quia revera esset vir rudis: excepto tamen uno cæteris aliàs rigidiore cum promovendis, qui cum ab aliis interrogaretur, cur præter morem vellet hominem rudem promovere ad Ordines Ecclesiasticos, ridiculè respondit: vos hactenus plures alinos me non contradicente admisistis ad Sacros Ordines; meritò igitur nunc ego promoveo hunc fabrum ferrarium, quia cæterè à vobis promoti illo indigent, ut soleas iisdem inducat, ne semper currant claudicantes: & hac responsione socios monuit, ne tam faciles imposterum essent in promovendis ad Sacros Ordines iis, qui neque rudi minerva assequuntur intelligentiam linguæ latinæ.

Quæritur quadragesimosecundò, an Religiosi exempti, si obtineant litteras dimissorias à suis Prælatis Regularibus teneantur promoveri ad Sacros Ordines ab illo Episcopo, in cujus Diœcesi situm est Monasterium ordinandi. Ratio dubitandi, ex eo sumitur, quia Congregatio Cardinalium approbante Clemente VIII. sanxit, ut Regulares promoveantur ad Sacros Ordines ab illo Ordinario, in cujus Diœcesi situm est Monasterium: Sanctionem Congregationis referunt Tamburinus de jure Abbatum *tom. 2. disput. 1. q. 25.* Piasecius in *prax. Episcop. c. 1. n. 14.* Estque: *Congregatio censuit Superiores Regulares, posse suo subdito itidem Regulari, qui præditus qualitatibus requisitis Ordines suscipere voluerit, litteras dimissorias concedere: ad Episcopum NB. tamen Diœcesanum, nempe illius Monasterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet positus fuerit.* Nihilominus respondetur: Regulares communicantes in Privilegiis, cum cæteris Religiosis posse, si litteras dimissorias à suis Superioribus obtinuerint, Ordinari à quolibet Episcopo habente communionem, cum Sede Apostolica Romana, quia plures Ordines Religiosi etiam post Clementem VIII. obtinuerunt à Sede Apostolica Privilegium, quo ipsis liceret promoveri ad Sacros Ordines à quocunque Episcopo Catholico habente communionem, & gratiam Sedis Apostolicæ, & Augustinus à Virgine MARIA Religiosus Carmelita in suo libro de Privilegiis Religiosorum edito Anno 1663. recenset propè viginti, quà integras Religiones, quà particulares Congregationes, quibus concessum fuit hoc Privilegium à Sede Apostolica. Neque Concilium Tridentinum, quod *sess. 23. c. 8. de refor.* Sancit, ut unusquisque à proprio

prio Episcopo ordinetur, & revocat quælibet in contraria privilegia, ullum videtur negotium facessere: quia tale privilegium, fuit etiam aliquibus Regularibus concessum à sede Apostolica post Concilium Tridentinum. Tum quia adest Bulla Pii V. cui initium est. *Etsi mendicantium*, quæ præter Cherubinum in Bullario Romano tota describitur à Rodriquez in Bullar. Regular. in qua Pontifex ait: loquens de præfato Concilio Tridentino: *Sessionis verò 23. c. 8. Neminem nisi à proprio Episcopo ordinari posse statutum, in Regularibus locum non habere declaramus*, & licèt Pontifex ibi loquatur de solis mendicantibus, adhuc per communicationem privilegiorum cæteri Religiosi comunicantes cum mendicantibus in privilegiis isto gaudent. Cæterum si Episcopus exterus difficulter vellet Monachum promovere ad ordines sacros, eò quia ejus Monasterium situm sit extra suam Diœcesin, tunc onus probandi tale privilegium incumberet Monacho illud allegati: quia privilegium est res facti, & facta non præsumuntur, sed probantur *cap. de consit.* unde posset Episcopus alienæ diœcesis, ad quem mittitur Religiosus de rigore petere exhiberi sibi, & ostendi tale privilegium. Solent nihilominus Episcopi fidere Religiosis ob bonam, quam de iisdem habent opinionem, & acquiescunt, si Prælati Religiosorum dicant fuisse sibi tale privilegium indultum à sede Apostolica.

52 Quæritur quadragesimo tertiò, an Episcopus possit dispensare cum illegitimo occulto, ut promoveatur ad ordines Ecclesiasticos? Respondetur, comuniorem, ac probabiliorem sententiam id negare cum Suarez *de cens. disp. 50. sect. 5. n. 4.* eò quia irregularitas ex illegitimitate orta statuitur non propter delictum parentum; sed propter indecentiam, & contemptibilitatem solitam adhærere natis extra matrimonium: habentur enim viri illegitimi contemptui ab omnibus, & peculiari nota etiam distinguuntur à cæteris, qui ex matrimonio nati sunt: hinc plurimum dedecoris, & indecentiæ inesset statui clericali, si eidem adsciscerentur nothi extra matrimonium nati. Nihilominus non desunt, qui censeant probabile, posse Episcopum dispensare cum illegitimo occulto, & præ cæteris ut probabilem propugnat hanc sententiam Avila *de censur. p. 3. disp. 3. dub. 9.* cui videntur adhærere Peyrinus, & Barbosa de jure Pontificio apud Dianam *p. 4. tract. 2. resol. 64.* Imò ipse Diana *p. 7. tract. 2. resol. 24.* & apud ipsum Coninck, Layman, Corneius, Præpositus censent, hanc opinionem probabilem, eò quia Episcopus ex vi Tridentini *sess. 24. c. 6. de refor.* possit dispensare super omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto excepto homicidio: & irregularitas ob defectum natalium occultum non oritur ex homicidio, sed provenit ex delicto occulto: proinde ex vi Concilii Tridentini videtur Episcopus posse dispensare cum illegitimo occulto, cum irregularitas, tunc non oriatur ex homicidio, sed ex delicto propriissimè occulto: si enim Petrus habeatur ab omnibus ut legitimus & natus ex matrimonio, & tantùm à sua propria matre intelligat, fuisse conceptum ex adulterio, ac natum illegitimum, utique cum hoc delictum tantùm innotescat Petro, & ejus Matri, est occultissimum, super cujus irregularitate videtur propterea posse Episcopum dispensare. Hinc ad rationem oppositæ sententiæ posset responderi, nullum inde sequi incommodum, neque dedecus statui clericali, eò quia illegitimitas sit omninò occulta, & Petrus promovendus ad Ordines Ecclesiasticos habeatur ut natus ex legitimo matrimonio. Nihilominus contraria sententia est tutior, & in tali casu posset Petrus secretam dispensationem petere à sede Apostolica.

Quæritur quadragesimò quartò, an Episcopi habeant jus examinandi Religiosos Regulares ipsos accedentes cum dimissoriis obtentis à suis superioribus, ut promoveantur ad Ordines Ecclesiasticos? Respondetur ex Tridentino *sess. 23. c. 12. de refor.* Episcopis competere tantùm jus examinandi etiam Regulares circa scientiam necessariam ad ritè obeunda munia Ecclesiastica, quæque annexa sunt ordini sacerdotali, & officio Confessarii: non verò illis competere jus examinandi Regulares circa mores, & alia, quæ non pertinent ad scientiam. Cæterum possunt Episcopi, si velint, absque ullo scrupulo suam conscientiam conformare, cum illa Prælatorum Regularium attestantium de idoneitate suorum Religiosorum in litteris dimissorialibus, ut docent plures cum Ascanio Tamburino *disput. 2. q. 20. n. 4.* Ratio est, quia cùm Prælati Regulares præsumantur viri graves, & fide digni *c. Nobilissimus dist. 97* Episcopi possunt, si velint eorundem attestationibus acquiescere. 53

Quæritur quadragesimò quintò, an infans expositus, cujus nec Pater, nec Mater resciri potest, possit postea absque ulla dispensatione tanquam legitimus promoveri ad ordines ecclesiasticos? Respondetur, Doctores non convenire in solutione hujus quæstionis, plures enim inter quos Layman, Coninck, Sayrus, Palaus *de censur. disput. 6.* censent, infantem expositum esse habendum pro legitimo; proinde posse absque ulla dispensatione promoveri ad ordines ecclesiasticos. Alii verò censent, esse habendum ut illegitimum, proinde non posse promoveri sine prævia dispensatione obtenta: nititur hæc sententia, quia infantes, qui exponuntur, quasi semper sunt furto geniti, & rarissimè ex vero matrimonio: quia affectus matris, quamvis pauperrimæ non sinit à se propria viscera divelli, nec habere contemptui fœtum; quem ipsa concepit, & est enixa. Nihilominus putàrim, infantem expositum posse absque dispensatione postea promoveri ad Ordines ecclesiasticos, si adsint cæteræ qualitates. Ratio mihi videtur esse, quia nulla irregularitas incurritur nisi in casibus jure expressis *c. is qui de sent. excommun. in 6.* atqui nullibi in jure statuitur incurri irregularitatem ob dubiam, & controversam illegitimitatem, sed tantùm ob certam, & evidentem, siquidem cum irregularitas sit effectus certus: exigit causam certam: sicuti ob causam incertam 54

non punitur quis pœna certa: cùm igitur non sit omninò certum, quòd infans expositus sit illegitimus, saltem ob varias Doctorum sententias, non incurrit infans irregularitatem certam ob illegitimitatem incertam; quin imò non debet tunc reputari illegitimus, quia judicandum est in favorem infantis expositi, id exigente charitate proximi: consequenter non videtur infans ille expositus indigere dispensatione, si postea velit ad Ordines ecclesiasticos promoveri. Quidquid in contrarium asserat Covarruvias in *c. si furiosus p. 1. n. 9.* Neque obstat, quòd ut plùrimum infantes expositi sint furto geniti, ac illegitimi: siquidem etiam infantes, ut plurimùm non nascuntur nisi nono mense ab eorundem conceptione; & nihilominus, si infans nascatur septimo mense post initum matrimonium suorum parentum, non tamen dicitur furto genitus extra matrimonium, eò quia nonnunquam etiam septimo mense infantes nascuntur: ita quamvis ut plurimùm infantes expositi sint illegitimi, & furto geniti: quia tamen paupertas, vel alia incommoda possunt matres adigere ad exponendos fœtus, quos ipsæ fuerunt enixæ in vero, & legitimo matrimonio, non sunt infantes expositi habendi ut illegitimi.

Quæritur quadragesimò sextò, an qui in loco domicilii vult promoveri ad sacros Ordines, & ob nimiam distantiam à loco originis, in quo natus est, non possit habere fidem Parochi de ætate, possit Episcopus eum promovere, si ejus parentes deponant ac indubitatam fidem faciant de ætate filii promovendi? Respondetur, quòd si absque gravi incommodo posset ordinatio differri, donec à Parocho transmittatur fides de ætate, putàrim tunc esse differendam ordinationem cùm nulla urgeat ratio, quâ Episcopus adigatur ad eum promovendum ad sacros ordines sine fide Parochi de sufficienti ætate; alioquin Episcopus se exponeret periculo incurrendæ pœnæ suspensionis, si ordinaret promovendum ante legitimam ætatem, & ex libro Parochi postea produceretur testimonium, quo constaret, fuisse promotum ante legitimam ætatem. Quòd si parentes deponerent ex sola reminiscentia eorum filium attigisse legitimam ætatem, ut promoveatur ad talem ordinem sacrum: nec tunc putàrim sine notabili incommodo esse eorum filium promovendum ad talem ordinem, quia sola reminiscentia non videtur mereri fidem sufficientem: quia reminiscentia est valde fallax præsertim si affectio, & desiderium accesserit parentum, ut eorum filius promoveatur ad talem ordinem sacrum. Sin verò parentes testentur se annotâsse diem, & horam, qua eorum filius natus est, & scriptam schedam ostenderent Episcopo, qui conjiceret veram esse, eique concordare vultum, vocem, staturam, & reliqua physiognomica filii promovendi ad sacrum ordinem, & nonnisi sine gravissimo incommodo posset talis ordinatio differri; tunc putàrim, posse Episcopum ipsum promovere ob moralem certitudinem legitimæ ætatis in promovendo, & impedienda gravia ea incommoda, quæ sequerentur.

TITULUS XII.

De scrutinio in Ordine faciendo.

Præsens titulus aliud videtur polliceri, & aliud præstare, quæ in ipso tractantur: etenim rubrica promittit modum scrutinii faciendi: & cap. unicum quod continet, tantùm vult, eum vacare dolo, & à culpâ esse immunem, qui interrogatus, an is, qui promovendo est ad sacros ordines, dignus sit; respondet dignum esse, cùm eum indignum esse pro comperto non habeat. Verùm rectè procedit titulus, quia duplex est scrutinium, unum quod habetur ante ordinationem *c. Episcopus dist. 23.* & aliud in ipsa ordinatione, & de hoc secundo scrutinio est sermo in præsenti titulo, unde explicatis iis, quæ pertinent ad ordines conferendos, & qualitates ordinandorum, rectè Pontifex subjicit titulum de scrutinio in ordinibus faciendo.

SUMMA-

SUMMARIUM EXEGETICUM

Unici capitis in hoc titulo contenti.

CAP. ***EX PARTE*** *unic. h. t. Innocentius III. declarat, quod in ordinationibus, quando in terrogatur, an ordinandus sit dignus, & Archidiaconus respondet, esse dignum* quantum humana fragilitas nosse sinit, & scire, & testificari illum ad hujusmodi dignum esse onus officii: *non peccat, nisi de indignitate ordinandi ipsi constiterit: unde Papa removet scrupulum, dum rescribit; ipsum non peccare, dummodo contra conscientiam non loquatur: quia non simpliciter asserit, illum esse dignum, sed in quantum humana fragilitas nosse sinit: ad verificandum autem hoc dictum sufficit, si ipse nesciat, ordinandum esse indignum.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

De scrutinio in ordine faciendo.

Scrutinium suam à scrutando sortitur nomenclaturam, sive interrogando, & dicitur examen ordinandorum, quod triplex est, primum, & secundum præcedunt ordinationem. Tertium in ipsa peragitur ordinatione. Primum examen colligitur ex Concilio Tridentino *sess. 23. c. 5.* ubi statuit, ut illi, *qui ad singulos majores ordines erunt assumendi per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus ac desiderio eorum, qui volunt promoveri publicè in Ecclesia propositis de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus & vita à fide dignis diligenter inquirant, & testimonium inquisitionis mox ad Episcopum transmittat.* Non enim statim qui volunt ad sacros promoveri ordines sunt promovendi, sed necessè est, habeatur sufficiens informatio de eorum statu, vita, & moribus; quod consonat Apostolo injungenti *1. Corinth. 4. ne nemini citò manus imponatur.*

2 Secundùm scrutinium incumbit Episcopo, juxta statuta antiquiorum Canonum *dist. 24.* & est, ut omnes cupientes ad ordines promoveri, ut ait Concilium Tridentinum *sess. 23. de refor. c. 7. feria quarta ante ipsam ordinationem, vel quando Episcopo videbitur ad civitatem evocentur. Episcopus autem sacerdotibus, & aliis prudentibus viris, peritis divinæ legis, ac in Ecclesiasticis sanctionibus exercitatis sibi ascitis ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter investiget, & examinet.* Quod verò ad examen generis pertinet diligenter perquirendum est. An promovendi ad sacros ordines ex parentibus circa fidem maculatis, ac hæreticis nati fuerint; quia sacri Canones excludunt ab ordinibus Ecclesiasticis descendentes ab hæreticis, vel eorum fautoribus, & defensoribus usque ad secundum gradum per lineam masculinam, & usque ad primum per fœmininam, nisi eorum parentes pœnituerint, & Ecclesiæ fuerint reincorporati, ac fidelium communioni restituti, ut notat Barbosa *in collect. ad Trident. d. c. 7. num. 5.* Siquidem crimen hæresis punitur instar criminis læsæ majestatis, scilicet etiam in filiis *c. vergentis 10. de hæret. L. quisquis C. ad legem Juliam Majest.* idque etiam ad exsecrationem sceleris, & ut parentes saltem in pœna filiorum absterreantur, abstineantque à talibus criminibus. Tum quia filii censentur non solùm hæredes bonorum parentum, sed etiam vitiorum; proinde licèt puniantur sine culpa, non tamen sine causa.

Cæterum in Germania ubi hæresis liberiùs spatiatur, id non tam rigorosè observatur, sed sufficit, si descendentes ab hæreticis reverà sint viri probi, boni Catholici, qui Sacramenta frequentent, ac optimè sentiant de Sede Apostolica, sintque addicti culturæ virtutum, & pietatis; quia tunc cessat suspicio de hæresi à parentibus in ipsos transfusa; præsertim si ab ineunte ætate fuerint inter Catholicos educati, & statim post usum rationis professi fuerint fidem Catholicam præmissâ abjuratione hæresis. Judæi verò, & Ethnici sicut per januam baptismi nunquam fuerunt in Ecclesiam ingressi, ac proinde semper fuerunt extra jurisdictionem Ecclesiæ, non puniuntur ob infidelitatem, neque eorum filii à Sacris ordinibus arcentur. 3

Ad personam quod attinet; examinari solet promovendus, an sit servus, liber, legitimus, obligatus, Bigamus; siquidem bigami excluduntur à sacris ordinibus, quia Apostolus *1. ad Corinth. 3. & ad Timoth.* ait *Episcopum debere esse unius uxoris virum,* quod etiam intelligitur de Sacerdote Diacono, & Subdiacono: & habetur etiam *in can. 17.* Apostolorum, *Si quis post baptisma secundis fuerit nuptiis copulatus, aut concubinam habuerit, non potest esse Episcopus, non Presbyter, aut Diaconus, aut prorsus ex numero* 4

eorum

eorum, qui Ministerio sacro deserviunt: tum quia bigamia duplicem habet cum statu Clericali disconvenientiam. Prima est, quia Clericus debet verbo, & exemplo alios ad castitatem pertrahere; quòd non præstat, qui conjugia frequentat. Secunda est quia Clericus per sacros ordines desponsatur Ecclesiæ, per quam desponsationem significatur conjunctio Divini Verbi cum natura humana, & desponsatio Christi cum Ecclesia: & bigamus non potest hanc desponsationem repræsentare; cum bigamia tollat unitatem unius cum una, & dividat carnem in plures uxores. Rursus in persona examinatur, an ordinandus sit corpore vitiatus; item an sufficientem attigerit ætatem, & titulum habeat, quo possit honestè, ut Clericum decet, sustentari, Glossa *in c. quando dist. 24.*

5 Mores probandi sunt à promovendis per testimonium Parochi, & Magistri scholæ juxta Tridentinum *sess. 23. c. 5.* ubi ait *Ad minores ordines promovendi bonum à Parocho, & à Magistro schola, in qua educantur, testimonium habeant.* Infamia juris, vel facti laborantes, ut etiam publicè pœnitentes arcentur à sacris ordinibus, nec permittuntur ad ipsos promoveri *c. fin. de tempor. ordin. c. ex pœnitentibus. dist. 10.*

6 Quoad doctrinam sunt etiam examinandi, qui ad sacros promoventur ordines: etenim, qui minoribus initiantur ordinibus non solùm latinam debent linguam callere, ut significat Tridentinum *sess. 23. c. 11.* sed etiam necesse est, sciant, quæ ad ordinem, ad quem sunt promovendi pertinent; nimirum, quod attinet ad ostiarium Ecclesiam custodire, dignos admittere, indignos excludere. Ad lectorem sacra lectione fidelium animos ad pietatem excitare. Ad Exorcistam super Energumenos, & Cathecumenos invocare. Ad Acolytum lumina, vinum, & aquam ad sacrificia deferre. Qui verò sacris initiantur ordinibus à fortiori linguam debent latinam callere, ac ea scire, quæ pertinent ad ritè exercendum illum ordinem sacrum, ad quem promoventur; nimirum quòd spectat ad Subdiaconum in solemni officio calicem ad altare deferre, epistolam canere, & juxta ritum Ecclesiæ mediante Diacono inservire altari, ministrare sacerdoti. Et rursus quòd teneatur Subdiaconus habitum induere clericalem, ac per tonsuram distingui à sæcularibus; quòd teneatur ad recitandum divinum officium, & ad perpetuam castitatem servandam ex voto sacris annexo ordinibus. Diaconus verò debet supra cæteros callere linguam latinam, ac scire, quæ ad suum obeundum officium pertinent, cujusmodi sunt, sacerdoti solemniter celebranti immediatè in omnibus ministrare, Evangelium canere; è sacro suggestu Verbum divinum ad populum dicere: & nonnunquam, si sacerdotes desint, etiam solemniter baptizare. Sacerdos non tantùm debet in lingua latina esse peritus, sed etiam scientiis instructus, ut ritè valeat sacerdotio fungi, & populos instruere ex Tridentino *c. 13 & 14.*

7 Investigatur etiam circa fidem; an promovendus ad sacros ordines non solùm sit alienus ab Ecclesia Catholica, sed etiam Neophitus, seu recenter conversus ad fidem Catholicam: quia solent Neophiti à sacris ordinibus prohiberi, nisi Episcopus ex moribus, & pietate conjiciat, eos esse probos Catholicos.

8 Tertium scrutinium, seu examen est, quod fit in ipsa ordinatione, & in eo consistit, quòd ordinarius interroget Archidiaconum præsentantem ordinandos, vel alium, per quem juxta consuetudinem loci ordinandi solent præsentari. Num sciat, eos dignos, & habiles esse: & hic respondeat, se credere eos dignos: eo quia in his, in quibus certa, ac determinata non potest haberi notitia, testimonium admittitur de credulitate ex probabilibus indiciis prudenter præsumpta, & existimata, ut liquet *ex c. unic. h. t.* subinde præsentans ordinandos respondet scire se, ac testificari eos esse dignos, quantùm humana fragilitas scire sinit: & hoc potest testificari quamvis ex privata scientia sciret eorum aliquem non esse dignum. Dummodò ut persona publica id non sciat. Hodie verò in desuetudinem abiit, quòd Archidiaconus testificetur de promovendis, & usus obtinuit, ut Capellanus, vel Diaconus ministrans Episcopo ordinanti loco Archidiaconi respondeat, *quòd quantum humana fragilitas nosse sinit, sciat, ac testificetur, illos esse dignos.*

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selecta quæstiones.

9 Quæritur primò, an ordinandus in dubio præsumatur dignus, & idoneus, vel potiùs ei incumbat probare suam idoneitatem? Respondetur, idoneitatem ordinandorum in dubio non præsumi, sed esse probandam, idque desumitur ex praxi Ecclesiæ exigentis prævium ordinandorum scrutinium & inquisitionem circa natalia, morum probitatem, doctrinam, & alia pertinentia ad statum clericalem, ut nimirum hoc pacto ordinandorum idoneitas antea ritè probetur. Quòd si dicas, juxta vulgarem regulam, quemlibet præsumi bonum, & idoneum, donec contrarium probetur ut fusè tradit Mascardus *de probat. concl 79. n. 1.* ubi citat plures alios? Respondetur, hanc regulam fallere in pluribus. Primò ubi agitur de præjudicio tertii, quod ex tali præsumptione idoneitatis oriri potest, ut in collatione ordinum, si enim promoveantur non idonei, magnum inde infertur Ecclesiæ præjudicium: hinc Abbas *in c. cum in jure n. 2. de offic. deleg.* ait, quòd ubi agitur de præjudicio tertii, non sufficiat præsumptio, sed debeat fieri plena probatio *argum. c. cùm à nobis 28. de testib.* Secundò præfata regula intelligitur de bonitate quoad qualitates intrinsecas, cum quibus homo nascitur, nimirum, quòd sit castus, pacificus, sobrius, hæc enim idoneitas præsumitur in quolibet, donec contrarium probetur, ut notat Menochius *lib. de præsumpt. præsumet. 91. n. 2.* non verò intelligitur de idoneitate extrinseca, seu de scientia acquisita, divitiis con-

gestis

geſtis, & aliis id genus, quæ accidentaliter, & ab extrinſeco obtingunt homini; hæc enim non præſumuntur, niſi probentur: ut enim quis habeatur bonus pictor, debet probari, non præſumi, ut notat Maſcardus, *de probat. concluſ. 879. n. 4.* Hoc idem dicendum eſt de ordinandis. Quamobrem in dubiis ſi petatur aliquid, eſt probanda idoneitas, ſi hæc requiratur ad id quod petitur: qui enim petit aliquod officium in curia, vel in bello, debet probare ſuam idoneitatem.

2 Quæritur ſecundò, quomodo idoneitas ordinandorum probetur? Reſpondetur variè id probari juxta exigentiam qualitatum, quæ requiruntur in ordinandis: quamvis qualitates intrinſecæ, cum quibus homo naſcitur, ut quòd ſit caſtus, temperatus, pacificus, juſtus, videantur præſumi; nihilominus quoad ordinandos juxta præſcriptum Concilii Trident. & Eccleſiæ praxin requiruntur litteræ teſtimoniales proprii Præceptoris, Magiſtri, Parochi, vel alterius legitimi ſuperioris ſuper vita, inſtitutione, & moribus, adeò ut morum probitas probanda ſit: quia cederet in damnum Eccleſiæ, ſi viri nequam promoverentur ad ſacros ordines. Doctrina verò non eſt probanda per teſtes, ſed per prævium examen. Immunitas à cenſuris, & irregularitate, probatur ex aſſertione ordinandorum, & ex eo, quòd nullus adſit, qui hoc Canonicum impedimentum objiciat.

3 Quæritur tertiò, quomodo probandum ſit, quod ordinandi ſint nati ex parentibus Catholicis, & liberis? Reſpondetur, natales, libertatem, & ætatem probari per publicum teſtimonium Magiſtratus loci unde ordinandus eſt oriundus, ex communi praxi Eccleſiæ: vel etiam per teſtimonium Parochi datum prævia inquiſitione, ut colligitur ex Tridentino *ſeſſ. 23. c. 5.* Quòd ſi ob hoſtium incurſiones aditus non pateret ad patriam, tunc probabiliter hæc probatio fieri poſſet per teſtes. Quod verò attinet ad libertatem, videtur aliqua urgere difficultas, quia omnes homines naturaliter naſcuntur liberi, §. *jus autem gentium inſtit. de jure natur. gent. civil.* unde libertas eſt potiùs præſumenda, quàm probanda in ordinando. Sed contra, quia tametſi libertas conveniat homini naturaliter; nihilominus jure gentium ad malos compeſcendos, & ex aliis juſtis cauſis, fuit ſervitus introducta *can. jus gentium. diſt. 1.* quapropter ex hominibus aliqui naſcuntur ſervi, & quia iſti ſunt ſub jure ſuorum Dominorum, quibus ſubjiciuntur, & prohibentur ordinari ſine conſenſu Dominorum; rectè exigit Eccleſia, ut in ordinandis etiam probentur libertas, vel ſaltem exhibeatur ſcripta ſuorum Dominorum licentia.

4 Quæritur quartò, an Regulares ordinandi, ſint & ipſi examinandi ab Epiſcopo? Reſpondetur, quòd quamvis olim privilegia habuerint, vigore quorum erant exempti ab examine Epiſcoporum, & id ſpectaret ad ſuperiores Regularium: nihilominus hæc privilegia fuerunt poſtea revocata per Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. c. 12.* Verùm quia poſt Concilium Tridentinum Gregorius XIII. in ſua Bulla, quæ incipit *Pium, & utile* edita Anno 1582. die 22. ſeptembris hoc idem privilegium conceſſit Patribus Societatis, & licèt non communicabile aliis; quia tamen non potuit ligare manibus ſuis ſucceſſoribus, cum par in parem non habeat imperium. *c. innotuit 20. de elect.* & hoc idem privilegium Gregorius XIV. conceſſerit etiam Patribus Theatinis: & etiam Pius V. in Bulla ad Immarceſſibilem edita poſt Concilium Tridentinum expreſsè omnia privilegia conceſſa Patribus Societatis JESU, conceſſerit etiam Congregationi Clericorum Regularium Theatinorum: ſequitur hos gaudere eodem prorſus privilegio, ut etiam alios Religioſos Regulares habentes communicationem privilegiorum: quapropter Religioſi Regulares communicantes in privilegiis, ordinandi ſunt ab Epiſcopis abſque inquiſitione, ſeu examine de idoneitate, & aliis requiſitis. Et quamvis non deſint, qui putent, hoc privilegium fuiſſe revocatum per conſtitutionem Sixti V. quæ incipit *ſanctum, & ſalutare* editam contra Clericos malè promotos Anno 1588. quam refert Quaranta in *ſum. Bull. V. Ordo fol. 498.* nihilominus docent Pirhing *h. t.* Tiber. *in inſtruct. ordinand. 950. §. 6.* ex verbis dictæ conſtitutionis non colligi, revocatum eſſe tale privilegium. Præterea eſto fuiſſet revocatum adhuc Paulus V. in ſua conſtitutione, quæ incipit *Quantùm Religio* edita Anno 1606. idem privilegium innovavit, & conceſſit Societati JEſu, proinde per communicationem ex vi conſtitutionis Gregorius XIV. etiam congregationi Clericorum Regularium Theatinorum.

5 Quæritur quintò, quænam ſit pœna eorum, qui abſque prævio ſcrutinio, & ſine præmiſſo examine quaſi clanculò ſunt ordinati? Reſpondetur cum diſtinctione, vel enim ita ordinati ſunt omninò ignoti, & tunc ei & tunc debent deponi ſaltem, quoad exercitium ſuſcepti ordinis, quamvis aliàs digni ſint *c. ult. diſt. 24.* vel ita ordinati ſunt quidem noti, ſed tamen indigni, eò quia careant debita ſcientia, & pluribus aliis qualitatibus requiſitis, & iſti ſunt etiam deponendi *c. ſi qui 4. diſt. 18.* & multò magis ſi eſſent ignoti. Sin verò ſint noti, & digni non ſunt deponendi. *c. nullus 2.* & ibi Gloſſa *V. teſtimonio diſt. 24.* Sin verò quis ordinetur contra prohibitionem Epiſcopi factam ſub pœna excommunicationis, ne quis non examinatus, nec approbatus accedat ad ordinationem, ſuſpenſionem incurrit, à qua non abſolvitur niſi à Papa *c. 1. & 3. de eo, qui fur. ord.*

TITULUS XIII.

De ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatui.

QUamvis non desint ordinandis requisitæ qualitates, quia tamen interdum impedimenta interveniunt in Episcopis, cujusmodi est is, qui renuntiavit Episcopatui, vel excommunicatus, qui excommunicatione durante remanet suspensus ab executione ordinis Episcopalis, & qui renuntiavit Episcopatui desinit esse Episcopus; ideò ne quis facilè decipiatur in ordinum susceptione, inquiritur hic quid juris sit de eo, qui ab alterutro eorum ordinatus est.

SUMMARIUM EXEGETICUM

Duorum capitum, quæ in hoc titulo continentur.

CAP. REQISIVIT 1. h. t. Alexander III. rescribit Archiepiscopo Toletano, posse Episcopum, qui renuntiavit loco tantùm, rogatum ab alio ordinario conferre omnes ordines: sin verò renuntiavit loco, & dignitati, & contulit tantùm minores ordines, posse sic ordinatum exercere minores, & accipere majores: quia ordines minores nonnunquam conferuntur à non Episcopo: sin verò contulit majores, declarat Pontifex, ordinatum, qui scienter ab illo ordines sacros accepit, esse suspensum: qui verò ignoranter, dummodò ignorantia non sit crassa, & supina, posse discretum Episcopum cum illo dispensare. Ex hoc textu liquet, non habentem executionem ordinis non posse ordinare, & ordinatum à suscepto ordine esse suspensum.

C. CUM CLERICIS 2. h. t. Gregorius IX. rescribit, Episcopum posse dispensare cum suis clericis, qui ignoranter receperunt ordines ab Episcopo excommunicato. Quia excommunicatus licèt sit extra Ecclesiam, seu communionem cum aliis fidelibus, retinet tamen characterem Episcopalem, proinde potest ordines conferre validè, non verò licitè. Non potest tamen alium excommunicare cum sit extra Ecclesiam, cap. audivimus 24. quæst. 1.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quot modis possit Episcopus se abdicare Episcopatu, & an ejus ordinatio sit legitima.

1 CUm Jura præscripserint, non posse clericos ordinari nisi á proprio Episcopo, cui in jurisdictione Ecclesiastica subjiciuntur, vel ab alio de illius expresso mandato; & cum is, qui renuntiavit Episcopatui careat jurisdictione, ac desinat esse Episcopus, nec habeat subditos; ut etiam Episcopus excommunicatus durante excommunicatione suspensus sit ab executione sui ordinis Episcopalis; adeò ut non possit promovere clericos ad sacros ordines: ideò quæritur in præsenti titulo quid juris de clerico, qui ab alterutro eorum promotus est ad sacros ordines.

Juvat observare, dupliciter posse Episcopum 2
se Episcopatu abdicare, scilicet vel ratione loci tantùm, ut si ob hostilitatem, vel aëris intemperiem, vel alia de causâ renuntiet Episcopatui, non quoad dignitatem; sed tantùm quoad locum; adeò ut ita dimittat diœcesim, ut tamen retineat Episcopalem titulum, & authoritatem. Vel Episcopus ita se Episcopatu abdicat, ut vel ob Zelum ingrediendæ religionis, vel ut præveniat depositionem promeritam Episcopale officium, nomen, & dignitatem resignet. In primo casu si tantùm renuntiavit Episcopatui quoad locum, & diœcesin, non verò quoad titulum, dignitatem, & authoritatem, si fuerit ab alio Episcopo rogatus, ut velit ordines conferre

in

in sua diœcesi, tunc potest licitè clericos promovere ad sacros ordines; quia licèt non posset id præstare per se, eò quia nullos habeat subditos, in quos propria authoritate exerceat actus jurisdictionis; nihilominus rogatus ab alio Episcopo potest promovere ad sacros ordines subditos illius Episcopi, à quo fuit rogatus, quia tunc vicem gerit Episcopi, qui habet jurisdictionem, & quia totum impedimentum oriebatur ex carentia jurisdictionis, non verò ex dignitate, & potestate ordinis; ideò ex mandato, vel licentia alterius habentis jurisdictionem licitè promovet suos subditos ad sacros ordines.

3 Quòd si Episcopus renuntiaverit Episcopatui, non solùm quoad locum, verùm etiam quoad dignitatem. retinet quidem characterem ordinis Episcopalis, qui cùm sit indelebilis non potest illum à se abdicare: unde si defacto confert ordines sacros, validè quidem illos confert, sed quia caret executione ordinis non potest, eos conferre etiam de licentia alterius Episcopi; & ad summum qui ab eo minores ordines susceperit poterit in illis deservire; & ad majores, si fuerit idoneus, promoveri. At qui majores ordines suscepit sciens, vel ex crassa ignorantia, suspensus est ipso jure ab usu ordinis, & non potest nisi per Romanum Pontificem absolvi à tali suspensione. Sin verò ex probabili ignorantia ordines susceperit, potest Episcopus permittere, ut in ordinibus susceptis ministret. Idque colligitur ex *c. 1. h t.* & ibi Panormitanus, & communiter jurispontificii periti.

4 Quòd verò Episcopus, qui se episcopatu abdicavit, non solùm, quoad locum, & Diœcesin, verùm etiam quoad titulum episcopalem, & dignitatem adhuc validè conferat ordines ex eo liquet: quia licèt se episcopatu abdicaverit, non tamen characterem episcopalem amisit: atqui Episcopus ratione characteris validè confert ordines; proinde licèt se abdicaverit episcopatu quoad titulum, & dignitatem; adhuc validè potest ordines conferre.

5 Similiter dicendum est de Episcopo excommunicato, interdicto, deposito, degradato, vel hæretico, quia excommunicatio, suspensio, interdictum, depositio, degradatio, & hæresis, sicut non tollunt characterem episcopalem, ita nec impediunt, quin ordines validè conferantur à tali Episcopo. Idque potest confirmari ex praxi Ecclesiæ, quæ non curat iteratò ordinari ordinatos ab Episcopis hæreticis, dummodo isti fuerint antea Catholici, ac ritè susceperint ordinem Episcopatûs; & idem dicendum est, de suspenso, & degradato, quia etiam in ipsis remanet character episcopalis. Neque obstat si dicas, Innocentium I. *epist. 18.* Leonem I. *epistola 48.* quæ refertur in *c. in Ecclesia. 1. q. 1.* Gregorium magnum *lib. 3. epist. 20.* quæ refertur in *c. nos consecrat. 9. q. 1 & lib. 8. epist. 65.* & refertur *c. nos in hominem* ibid. ut etiam Damasum Papam *epist.* 4. & refertur *c. per illicitam* ibid. expresè asserere, ordines collatos ab Episcopo excommunicato esse reiterandos: proinde talem Episcopum validè non conferre ordines, quia eo ipso, quòd ordines sunt validè collati, non debent iterari. Nam contra est, quia respondent communiter Theologi cum Hurtado de *Sacramento ordinis difficult. 17.* præcitatos SS. Patres, & Canones tantùm significâsse ordines collatos ab Episcopis excommunicatis interdictis, depositis, degradatis, & hæreticis esse irritos quoad exercitium, eò quia ordinati non possint in iisdem Ecclesiæ inservire, non verò quoad validitatem.

Quamobrem quando in Sacris Canonibus, sanctisque Patribus ordinationes factæ ab excommunicatis, vel hæreticis dicuntur irritæ, non eo sensu ab ipsis irritæ dicuntur, quòd sint invalidæ; sed quia per ipsas non accipitur ordinis executio: siquidem cùm excommunicati, & hæretici nequeant ipsi functiones ordinis episcopalis exercere, ita qui ab illis ordinantur, non recipiunt executionem ordinis. Cæterùm cùm Episcopi per hæresin, excommunicationem, aut suspensionem non amittant episcopalem characterem, ita nec potestatem conferendi ordines, cum hæc potestas sit adnexa characteri indelebili, ut clarè definitur *in c. quod quidam dist. 21. can. sicut semel dist. 63.* & in hoc sensu intelligitur, quod à Gregorio asseritur *lib. 3. epist. 20.* ordinationem factam ab excomunicato nullam esse, id est quoad exercitium, & executionem suscepti ordinis: cùm enim quod non potest in actum reduci, perinde se habet quoad rem, ac si non esset, ideò meritò dicuntur non consecrati, qui per hæreticos, vel excommunicatos sunt initiati: quia nullum habent usum saltem licitum ordinis suscepti, in hoc sensu etiam est intelligendus Gratianus *1. q. 1.* asserens, ordinatos ab hæreticis verè ordinatos non esse, communiter enim intelligitur, non quòd talis ordinatio non sit rata, sed quia ordinis suscepti executio sit suspensa. 6

Adsunt tamen aliquot difficiles textus, quibus videtur non imprimi characterem in ordinationibus factis ab excommunicatis, & hæreticis: textus sunt *in c. 1. 2. & 3. causa. 9. q. 1.* ubi talis ordinatio expresè declaratur nulla, & invalida. Sed respondet Glossa, & Gratianus ibidem, præfatos textus non loqui, de quibuscunque excommunicatis, sed tantùm de hæreticis illis, qui nunquam fuerunt Catholici, nec potestatem ordinandi acceperunt. Quòd si præfati textus loquantur absque ulla distinctione de omnibus excommunicatis, aut hæreseos labe infectis. Respondent, hanc fuisse tantùm quorundam antiquorum Patrum, & Doctorum opinionem per posteriores Pontifices, & Doctores debitâ censurâ correctam. Verùm tametsi textus intelligendi sint absque ulla distinctione de omnibus excommunicatis, & hæreticis, dummodo ante fuerint Catholici, & susceperint ritè ordinem Episcopatûs, adhuc explicari commodè possunt, ordinationes illas esse invalidas solùm quoad effectum executionis; non quoad impressionem characteris; quia Episcopus semel ritè in Ecclesia consecratus retinet characterem ordinis Episcopalis, licèt in hæresin labatur, proinde potest aliquem validè ordinare, quamvis non licitè, nec dare executionem ordinis suscepti. Cæterùm in præfatis tex- 7

tibus, subinde est sermo etiam de hæretico, qui nunquam suscepit in Ecclesia ordinem episcopalem; & ordinationes ab isto factas revera esse nullas clarè liquet ex præcitatis textibus, ubi habetur loquendo de tali ordinatione: *facta pro infecta habenda sit, & per manus impositionem potiùs vulnus inflictum censeatur, unde, & iterare necesse sit, quod minimè probatur esse collatum.* nimirum quia Episcopus hæreticus cùm nunquam in Ecclesia fuerit ordinatus Episcopus, nec susceperit characterem episcopalem, nec potestatem unquam habuit conferendi ordines, quos propterea si confert, nullius sunt valoris; nec reiterari debet talis ordinatio, quæ nullum impressit characterem.

8 An verò Episcopus suspensus à collatione ordinum minorum possit adhuc conferre majores ordines videntur negare aliqui, inter quos Toletus *lib. 1. c. 43. n. 5.* Sayrus *lib. 4. c. 4. n. 19.* Henriquez *lib. 13. c. 32. n. 2.* Sed contraria sententia est valdè probabilis, quam propugnant Suarez *disput. 26. q. 4. n. 11. & 14.* Coninch. *de sacramentis. disput. 15. dub. 2. n. 10.* Layman. *lib. 1. tract. 5. p. 3. c. 1.* & alii plures: quia si Episcopus suspendatur à collatione alicujus peculiaris ordinis, eò quia in eo conferendo fortassis deliquerit, adhuc potest conferre alios ordines, quamvis digniores: siquidem collatio ordinum est exercitium ejusdem potestatis episcopalis non verò usus potestatis sublimioris: consequenter si suspensus à collatione ordinis inferioris conferat ordines majores, à quibus non est suspensus, non censetur uti potestate, nec ordine sublimiori, cùm sit una, ac eadem potestas episcopalis conferendi omnes ordines; unde si illi inhibeatur conferre aliquem ordinem specialem, adhuc per eandem potestatem episcopalem poterit alios conferre, licèt majores, & digniores: quia potestas est illi tantùm interdicta quoad collationem talis specialis ordinis, non verò cæterorum. Tum quia pœnalia, utpote odiosa sunt strictioris juris, & non extenduntur ad ea, quæ non exprimuntur. Tum quia Episcopus suspensus à conferendo Sacramentum confirmationis, non ideò censetur suspensus ab officio consecrandi, & ordinandi, licèt hæc majora sint. Rursus suspensus ab audiendis confessionibus, adhuc potest celebrare quamvis sacrificium in altare conficere sit munus dignius.

9 Quòd si quæras, an Episcopus, qui renuntiavit tantùm loco, & sibi retinuit titulum, possit licitè conferre ordines. Respondetur, facultatem conferendi ordines, & datam Episcopis tantùm procedere in illis Episcopis, qui habent Diœcesin, non in aliis, qui carent diœcesi: quia isti nequeunt ministrare ordines, nec etiam prætextu familiaritatis absque consensu expresso proprii Prælati, & litteris dimissoriis. Idque liquet ex Concilio Tridentino *de refor. sess. 14.* unde Episcopus titularis non potest suum familiarem, aut commensalem ordinare absque licentia expressa, & litteris dimissoriis sui proprii Episcopi, cui subjicitur familiaris, seu commensalis Episcopi titularis. Quòd si hic illum ordinaret, ordinatio quidem valida esset, sed ipse esset puniendus arbitrio sui ordinarii, & Episcopus titularis, qui illum ordinavit sine debitis dimissoriis proprii Episcopi à Pontificiis suspenderetur ex decreto Tridentini *sess. 14. de refor.* Cæterùm Episcopus, qui renuntiavit loco, & dignitati, non potest licitè ordines conferre, quia officii sui executionem non habet, & nemo potest alteri dare, quod in se non habet *c. 1. de ordinatione factâ ab Episcopo qui renun.* ut docet in terminis Candidus *tom. 4. disquis. 4. art. 3. dubio 5.*

10 Oritur tamen dubium, an Episcopus, qui tantùm renuntiavit loco, & non dignitati, si rogetur ab alio Episcopo, ut in sua diœcesi ordines conferat, possit in eadem ordinare absque lethali culpa aliquem, qui nondum sacramentum confirmationis susceperit. Respondent Sotus, Navarrus, Leandrus *tom. 3. tract. 3. disput. 1. q. 9.* Licitum ei esse absque peccato gravi conferre ordines illis etiam, qui sacramentum confirmationis non susceperunt: quia quamvis Tridentinum *sess. 23. c. 4.* asserat, non esse ullum initiandum prima tonsura, quin sacramentum confirmationis priùs susceperit; docent his verbis non contineri præceptum suscipiendi confirmationem ante primam tonsuram, vel quo Episcopi prohibeantur primâ tonsurâ conferre non confirmatis. Verùm licèt verba Concilii præceptū non contineant, adhuc tamen non excusaretur à culpa saltem levi Episcopus, qui scienter conferret ordines alicui non confirmato, quia saltem transgrederetur ordinationem Concilii, cujus directionem non sequeretur; unde licèt non sit præceptum in materia gravi est tamen præceptum, cujus transgressio non excusatur à culpa levi.

11 An verò qui suscipit diaconatum ante sacramentum confirmationis peccet mortaliter; plures affirmant, alii verò probabilius censent non peccare mortaliter, eò quia non adsit præceptum ad id obligans sub peccato mortali, quia Concilium tantùm præscribit Episcopis, quid facere debeant, non verò præceptum sub gravi culpa: ex nullo enim Concilii verbo conjici potest hoc præceptum. Abstinere tamen omninò debent Episcopi à conferendis ordinibus iis, qui nondum sacramentum confirmationis susceperunt, ne Concilii directionem transgrediantur.

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones.

1 QUæritur primò, an Episcopus inhabilis ad ordines legitimè conferendos, si nihilominus eos conferat, validè suscipiantur? Respondetur, Episcopum inhabilem ad Ordines legitimè conferendos non efficere habiles eos, quos ordinat ad usum, & executionem legitimam ordinum, ita susceptorum. Ratio est, quia nemo potest plus dare alteri, quàm habeat in se & in potentia: atqui eò ipso, quòd Episcopus est inhabilis ad ordines legitimè conferendos, non habet saltem exercitium potentiæ conferendi ordines: consequenter, qui ab eodem suscipit ordines

dines non accipit exercitium Ordinum ita ſuſceptorum: neque obſtat, quòd character Epiſcopalis ſit indelebilis, quia tametſi Epiſcopus inhabilis, adhuc habeat characterem Epiſcopalem, non tamen inde ſequitur, quòd etiam habeat poteſtatem legitimè conferendi ordines: quia hæc poteſtas expedita ad ordines legitimè conferendos non ſemper reperitur cum charactere Epiſcopali, quia nonnunquam impeditur ob aliquod delictum, vel cenſuram. Quamobrem licèt Epiſcopus inhabilis characterem ordinato conferat, & ordinatus validè illum ſuſcipiat, non tamen legitimè poteſt ſuſceptum ordinem exercere.

2 Quæritur ſecundò, quis diſpenſare poſſit cum Ordinatis ab Epiſcopo inhabili, vel qui renuntiavit Epiſcopatui? Reſpondetur, quòd ſi Ordinatus ſcienter, vel per culpam mortalem ordinem ſacrum accepit ab Epiſcopo inhabili, & qui non poterat legitimè conferre Ordines, tunc non poteſt cum illo diſpenſare niſi ſolus Pontifex, & deſumitur *ex c. requiſivit unic. h. t.* quod tamen procedit, dummodo delictum ſit notorium, idque jure novo ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. c. 9. de reſor.* Sin verò tantùm ordines minores quis ſcienter, immo per ignorantiam probabilem etiam aliquem ordinem ſacrum, dummodo ignorantia ſit inculpata, vel ſaltem non craſſa, nec mortalis, ſuſcepit à tali Epiſcopo inhabili; poteſt cum eo diſpenſare Epiſcopus quoad uſum, ſeu legitimum exercitium Ordinis. Idque liquet *ex d. c. requiſivit. 1. h. t.* ubi Alexander III. reſcribit, quòd ſi quis ſcienter à tali Epiſcopo ordines ſacros accepit, eſt ſuſpenſus; qui ignoranter dummodo ignorantia non ſit craſſa, nec ſupina, poteſt diſcretus Epiſcopus cum illo diſpenſare. Ubi notat Gloſſa, eum Epiſcopum non poſſe ordinare, qui non habet executionem ordinis. Item ignorantiam craſſam, & ſupinam non excuſare, & hanc ignorantiam dici, quando aliquid ſit publicè, & coram populo: ſecùs probabilem facti ignorantiam excuſare. Ex quo textu etiam liquet, inhabilitatem ad ordinum ſic ſuſceptorum executionem non eſſe propriè cenſuram ſuſpenſionis, quia hæc eſt pœna, quæ præſupponit culpam: & hæc inhabilitas incurri poteſt ſine culpa, & cum ignorantia invincibili: unde eſt potiùs quædam irregularitas, quæ non per abſolutionem, ſed per diſpenſationem tolli debet.

3 Quæritur tertiò, quid juris, ſi quis ordinatus ſit ab Epiſcopo excommunicato? Reſpondetur, quòd ſi Clericus per ignorantiam fuit ordinatus ab Epiſcopo excomunicato, poteſt cum eo proprius Epiſcopus diſpenſare, & deſumitur ex *c. cum Clericis 2. h. t.* ubi Gregorius IX. reſcribit, Epiſcopum poſſe diſpenſare cum ſuis Clericis, qui ignoranter receperunt ordines ab Epiſcopo excommunicato: quia quamvis non licitè excommunicatus conferat Ordines, validè tamen confert, quia licèt per excommunicationem ſit privatus communione, ſitque extra Eccleſiam, retinet tamen characterem Epiſcopalem, proinde poteſt ordines validè, quamvis non licitè, conferre: hinc per ſenſum contrariū ex eodem textu infertur: quòd ſi Clericus ſcienter, vel per ignorantiam craſſam ab excommunicato ordinem accipit, non poſſit cum ipſo Epiſcopus diſpenſare, ut in ſuſceptis ordinibus miniſtret, vel ad altiores ordines aſcendat, *c. ordinationes 5. cauſ. 9. q. 1.* Ratio eſt, quia cùm excommunicatus non habeat legitimam poteſtatem Ordinis conferendi, qui ab eo ordinantur, non recipiunt jus exercendi legitimè ordines *argum. c. quod autem 5. de jure patron.* ibi. *Pro non dato habetur ab eo, quod de jure dare non poteſt.* idque etiam locum habet in Epiſcopis, hæreticis, ſchiſmaticis, aliiſque excommunicatis, ut etiam in depoſitis, ſuſpenſis, & interdictis: imò etiam in Simoniacis. Notandum tamen eſt, quod hodie poſt Extravag. Concilii Conſtantienſis *Ad evitanda*, neceſſe eſt, ut Epiſcopus ob crimen, vel cenſuram denuntietur, & quidem nominatim excommunicatus, vel notorius ſit Clerici percuſſor: alioquin ſicut hodie ſine hac prævia denuntiatione vitandus non eſſet, ita ejus ordinatio non indueret inhabilitatem exercendi Ordines, in ipſo ordinato, ut notat Sylveſter *V. interdictum q. 7.*

Quæritur quartò, quid juris ſi quis gravi metu compellatur, ut ab Epiſcopo excommunicato, ſuſpenſo, vel ſimoniaco, eóque denuntiato ordines ſuſcipiat: an tunc ita per gravem metum ordinatus contrahat irregularitatem, ſeu inhabilitatem ad ordines exercendos, negant Sayrus *in theſaur. lib. 4. c. 14. n. 5.* Navarrus *c. 27. n. 241.* Sylveſter *V. interdictum. q. 7.* Communior tamen, & verior ſententia, quam docet Suarez *de cenſur. diſput. 31. ſect. 1. n. 63.* aſſerit, per metum gravem ſic ordinatum contrahere talem inhabilitatem: & ratio eſt, quia hæc non contrahitur ob culpam ordinati, à qua metus gravis excuſat, niſi in contemptum poteſtatis eccleſiaſticæ, vel Religionis incutiatur: ſed ob indignitatem malè ordinantis: ſiquidem major eſt ordinationis perverſitas, ſi etiam vis injuſta ordinatoris acceſſerit. 4

Quæritur quintò, an ex commiſſione Papæ poſſit, qui non eſt Epiſcopus conferre ordines præſertim ſacros? Reſpondetur, ſummum Pontificem ex ſpeciali privilegio, vel delegatione poſſe concedere ſimplici ſacerdoti poteſtatem conferendi primam tonſuram, & minores ordines *can. quoniam diſt. 69.* Circa verò ordines ſacros non concordant Doctores, Barboſa *p. 2. de offic. & poteſt Epiſcop. alleg. 3. n. 4.* Fagnanus *in c. ſtatuimus n. 5. de ſupplen. neglig. Prælat.* Covarruvias *lib. 1. variar. reſol. c. 10. n. 9.* & alii cum D. Thoma *in 4. diſt. 25. q. 1. art. 1. ad 3.* & in *ſupplement. q. 30. art. 1. ad 3.* negant, & deſumunt rationē ex majore ſanctitate horum ordinum, qui immediatiùs verſantur circa confectionem ſacramenti. Alii verò affirmant, quos fusè refert Reinffenſtuel *h. t. n. 18.* & hæc ſententia eſt probabilis, quia ſummus Pontifex poteſt habilitare ſacerdotes ad conſecrationes eccleſiarum, imò ad ſacramentum confirmationis impertiendum baptizatis: ergo etiam ad conferendos ordines ſaltem Subdiaconatus, & Diaconatus: quia de Presbyteratu ſententia negativa eſt communior. 5

TITULUS XIV.

De ætate, qualitate, & ordine præficiendorum.

QUia ex ordinatis aliqui præficiendi sunt ecclesiis, ut Episcopatibus, aliisque dignitatibus, quibus sunt insigniti, qui cæteris præsunt; ideo cum Pontifex in titulo 11. h. lib. egisset de iis, qui ad ordines promoventur: hîc agit de iis ordinatis, qui ecclesiis, & dignitatibus præficiuntur, ut sint legitimæ ætatis, ordines habeant, pro ejus beneficii qualitate, ad quod admittuntur: de quibus tamen multa aliter jure novo habentur ex Concilio Tridentino, quàm jure antiquo per Canones fuerat dispositum. Vide Concilium Tridentinum *sess. 3. c. 2. & sess. 22. c. 2. & sess. 25. c. 3.*

SUMMARIUM EXEGETICUM

Omnium capitum quæ in hoc titulo continentur.

CAP. UT ABBATES 1. h. t. Statuitur ex Concilio Pictaviensi, ut Abbates, Decani, & Præpositi, qui Presbyteri non sunt, fiant sacerdotes. Archidiaconi verò fiant Diaconi: & si nequeant fieri, etiam justa causa prohibente amittunt prælationem. Nota cum Glossa, Præposituram esse dignitatem specialem tametsi nomen videatur esse genericum commune omnibus prælationibus.

C. EX RATIONE 2. h. t. Declarat Alexander III. quòd quando ex dispensatione conceditur Ecclesia puero, vel minorenni; sit hæc regenda per clericos; non verò per laicos, donec ad legitimam pervenerit ætatem. Mandat itidem, ecclesias non esse regendas nisi ab habentibus legitimam ætatem, & scientiam: alioquin concessio regiminis est nulla, & Episcopus puniendus. Nota, puerum hîc dici, qui annos nondum attigit pubertatis, seu à septimo usque ad quartum decimum ætatis annum. Dicitur puer in ordine ad beneficium obtinendum, qui servire non potest cap. super de præbend. *Cæterum beneficia simplicia pueris à septennio usque ad quartumdecimum ætatis annum licitè conferuntur.*

C. INDECORUM 3. h. t. Statuitur ab eod. Pont. ut nemini intra decimum quartum ætatis annum constituto sit concedendus personatus Ecclesiæ: eò quia eligendi debeant præeminere discretione, morúmque honestate. Quòd si quis contra ire præsumpserit, factum irritatur, & inobedientia punitur. Nota, quòd licèt prohibeatur quis intra decimum quartum annum eligi, non exinde conceditur, quod statim post quartum decimum annum quis eligatur; quia expectari debet vigesimus quintus annus c. cum in cunctis *de elect.*

C. EAM TE 4. h. t. Decernit idem Alexander III. ad regimen animarum non esse instituendum, nisi qui scientiâ, moribus, & ætate polleat juxta Concilium Lateranense, etiam obtentu litterarum Apostolicarum. Rursus habentem plures Ecclesias, quæ ex una non pendeant, debere unicam tantùm retinere, quam maluerit, & alias dimittere, nisi forsan sint adeò tenues, ut proprios sacerdotes non possint convenienter sustentare. Cæterum si minor impetraret à Papa litteras ex certa scientia, posset, & deberet institui. Rursus permittitur quis habere plures Ecclesias; primò propter paupertatem, secundò propter penuriam clericorum, tertiò in titulum, & commendam.

C. PRÆTEREA 5. h. t. Statuit idem Pont. quòd tametsi ad regimen parochialis Ecclesiæ non debeat quis admitti nisi ad minus sit Subdiaconus: dispensativè tamen in minoribus ordinibus constituti consueverunt assumi, dummodo tales sint, qui infra breve tempus ordinari possint sacerdotes. Hoc autem tempus in hoc textu est unus annus. Notandum est, quòd licèt Episcopus possit dispensare in ordinibus, non tamen in ætate, & desumitur ex cap. indecorum 3. h. t.

C. QUÆRIS 6. h. t. Idem Pontifex decernit, Clericos habentes beneficia esse iisdem privandos, si nolint promoveri ad sacros ordines, dicentes se ob peccata occulta non posse promoveri: ut etiam si non sint admodum utiles in aliis Ecclesiæ exercitiis, vel etiam reverà impediti ad sacros ordines recipiendos. Quòd si non sint impediti, & aliàs deprehendantur idonei, vult Pontifex, esse compellendos ad sacros ordines recipiendos per amissionem locorum, & beneficiorum, etiam postposita omni appellatione. Ex quo textu constat, ob utilitatem Ecclesiæ, esse clericum compellendum ad ordines suscipiendos.

C. AD

C. *AD AURES. 7. h. t. Declarat Clemens III. Medicum eruditum in sua arte physica, qui graviter juxta ipsius artis traditionem exhibuit medicinam, & infirmus mortuus sit, posse promoveri ad sacros ordines: secus si ipsum conscientia remordeat. Quia nemo contra conscientiam sacris debet initiari ordinibus. Alioquin si medico præter suam culpam fortuitus aliquis casus contingat, ei non imputatur.*

C. *CUM BONÆ 8. h. t. Cœlestinus III. privat beneficiis, quæ priùs habebant, & quæ postea acquisiverunt, Clericos, qui per triennium, cum pertinacia, & contemptu steterunt in suspensione. Ex quo textu liquet, suspensum ab homine esse incapacem beneficii: & pertinaciter insordescentes per triennium in censura suspensionis, esse privandos beneficiis, quæ priùs habebant. Rursus suspensos nec eligere, nec eligi posse, nec impetrare litteras pro beneficiis obtinendis, nec posse illa retinere, quæ interim obtinuerunt, etiam post absolutionem.*

C. *A MULTIS 9. h. t. Innocentius III. declarat, Subdiaconatum esse ordinem sacrum, & Subdiaconum posse eligi in Episcopum, perinde ac Diaconum, & Presbyterum. Vult tamen, neminem ad sacrum ordinem permitti accedere, nisi, aut virgo, aut probatæ castitatis existat, & qui usque ad Subdiaconatum unicam, & virginem habuerit uxorem. Rursus ad similitudinem Diaconi & Presbyteri injungit Pontifex teneri Subdiaconum continentiam observare, sicut in sexta synodo constitutum est.*

C. *TUAM IN DOMINO 10. h. t. Rescribit idem Pont. quòd si non reperiatur idoneus pro Abbate, possit promoveri Monachus in minoribus, & fieri Abbas, tametsi non ascendat ad majores: & quamvis aliqui laici hoc illicitè supplicaverint, potest nihilominus id fieri nullo habito respectu ad preces laicorum, dummodò laici non sint consanguinei, vel affines. Quia tametsi preces sint illicitæ; si tamen non habetur respectus ad illas, non est simonia, qualis esset, si ob preces eligeretur indignus, non ita si dignus. Liquet etiam ex hoc textu, Monachum in minoribus constitutum ex dispensatione posse Abbatem eligi.*

C. *CUM CONTINGAT 11. h. t. Rescribit Innocentius III. Archiepiscopo Rothomagensi, Abbatem sacerdotem benedictum ab Episcopo, & in proprio monasterio posse suis Monahis conferre primam tonsuram, quæ saltem inchoativè est ordo clericalis. Imò per septimam synodum posse etiam conferre lectoratum. Immo potest hoc idem Abbas electus, & confirmatus, si Episcopus differat benedicere. Ex hoc textu, liquet, primam tonsuram esse ordinem Ecclesiasticum, saltem initiativè, propterea eum, qui percutit initiatum primâ tonsura incurrere excommunicationem.*

C. *INTELLEXIMUS 12. h. t. Declarat idem Pont. Canonicum Regularem factum Monachum in alio monasterio, si deinde revertatur ad suum, posse creari Abbatem. Quinimò si non petita licentia transeat quis ad aliam Religionem, etiam strictiorem compelli potest, ut revertatur; secus tamen si petitâ licentiâ transierit.*

C. *ACCEPIMUS 13. h. t. Declarat idem Pont. ordinatum in sacris sine titulo justè petere ab ordinatore beneficium, ut possit congruè sustentari, & quamvis Episcopus non deberet excipere contra ordinatum, cum idoneum illum judicaverit, eò quia eidem contulerit ordines; nihilominus si excipat, quando Papa simpliciter scribit, ut ei provideat de beneficio, exceptiones sunt admittendæ. Cæterum qui dignus reputatur ad ordines, censetur etiam dignus ad beneficium, & qui reputatur dignus ad unam dignitatem, censetur etiam dignus ad alteram.*

C. *CUM SIT 14. h. t. Idem Pontifex in Concilio Generali Lateranensi c. 27. præcipit, ut Episcopus per se, vel alios diligenter instruat, & informet promovendos in sacerdotium super divinis officiis, ac sacramentis ritè ministrandis: alioquin si præsumat promovere ad ordines sacros, ignaros, & rudes mandat, ut æquè ordinati, & ordinantes graviter puniantur.*

C. *QUAMVIS 15. h. t. Declarat idem Pont. ob defectum scientiæ, ut grammaticæ, Episcopum jam promotum esse amovendum ab executione Pontificalium, & ab administratione Ecclesiæ. Hinc à fortiori ob scientiæ defectum excludendus est clericus ab obtinendo Episcopatu: siquidem quatuor præcipuè requiruntur in Episcopo, scientia litterarum, maturitas ætatis, gravitas morum, & ut sit ex legitimo matrimonio natus.*

IN SEXTO.

C. *PERMITTIMUS UNIC. h. t. Bonifacius VIII. permittit, ut Episcopus possit dispensare, ut qui vigesimum annum compleverit, si aliud non obstat canonicum impedimentum, possit obtinere dignitates, & personatus, quibus cura animarum, non immineat. Cæterum de lege communi minor viginti quatuor annis non potest obtinere dignitatem, & personatum etiam sine jurisdictione, & cura.*

IN CLEMENTINIS.

C. *CUM ECCLESIA 1. h. t. Præcipitur Epispopis Diœcesanis, ut diligenter servent statuta canonica circa clericos præficiendos Ecclesiis, faciántque à suis subditis inviolabiliter observari sub pœna divinæ offensæ, & ultionis Apostolicæ. Beneficia autem conferenda sunt idoneis* c. cum in cunctis de elect. *& idoneitas consistit in ætate, scientia, moribus, legitimitate, & ordine. Quòd si dignitas sit Episcopatus, eligendus debet attingere annum ætatis trigesimum primum: si inferior Episcopatu annum vigesimum quintum. Potest tamen Episcopus in habente vigesimum annum dispensare pro simplici dignitate, non tamen in Parochiali. In aliis beneficiis sufficit, si attingat annum decimum quartum. Rursus in Episcopo requiritur scientia Theologiæ, & Juris Canonici,*

C. UT

C. UT IS 2. h. t. Declaratur, quòd in Capitulo Cathedralis, vel collegiatæ Ecclesiæ etiam Regularis, nullus habeat vocem, nisi sit Subdiaconus, quod etiam habetur jure novo in Tridentino sess. 7. de refor. c. 12. & 24. *Rursus statuitur, ut habentes dignitates, personatus, officium, vel præbendas, quibus est certus ordo adnexus infra annum ordinentur eo ordine, cessante justo impedimento; & si secus fecerint carent voce in capitulo; eisque subtrahitur dimidia pars distributionum in horis, & sub aliis pœnis. Notandum est, eum, qui accipit beneficium animo retrocedendi, si postea retrocedat, teneri fructus restituere, non ita si beneficium accipiat sine animo retrocedendi. Rursus qui habet dignitatem exigentem certum ordinem, si non ordinatur infra annum, punitur; non tamen privatur dignitate. Rursus Canonicus nondum constitutus in sacris potest exercere actus non collegiales, ut habere stallum, optare præbendam, vel domum, nisi consuetudo in contrarium obstet.*

C. GENERALEM 3. h. t. habetur, ut ad Subdiaconatum promoveatur qui annum attigit ætatis 18. ad Diaconatum 20. ad Presbyteratum 25. Verùm hæc decretalis jure novo correcta est in Concilio Tridentino sess. 23. *ubi aliter disponitur de ætate promovendorum ad sacros ordines. Etenim ad primam tonsuram requiritur septennium completum. Pro Acolytho annus 12. completus; pro Subdiacono annus 22. Pro Diacono 23. Pro Sacerdote 25. ut habet Tridentinum* sess. 23. c. 12. *de reform. Pro Episcopo autem trigesimus annus completus esse debet* c. cum in cunctis de elect. *In aliis autem ordinibus majoribus sufficit, annum esse inchoatum; quia Concilium tantùm præcipit, ut ante prædictum tempus indefinitè nemo ad sacros ordines promoveatur, & in favorabilibus dies cœpta habetur pro completa.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Qualis ætas, & qualitas, ac ordo requiratur in præficiendis.

1 Ui ad beneficia promoventur necesse est, habeant omnia requisita juxta exigentiam beneficiorum, ad quæ promoventur, scilicet convenientem scientiam morũ, honestatem, ætatem legitimam, ut liquet ex *c. eam te 4. h. t.* adeò ut, qui idoneus censetur ad sacros ordines suscipiendos, regulariter censeatur etiam aptus ad beneficium Ecclesiasticum, ut liquet ex *c. accepimus 13. h. t.* Quamobrem eò ipso quòd quis est sacerdotio initiatus censetur capax beneficii Ecclesiastici, nisi fortassis post susceptum ordinem nova supervenerit causa, quâ se indignum constituerit beneficii.

2 Quod verò ad ætatem pertinet, tametsi de jure naturali illa ætas requiratur, quam exigit executio officii, propter quod datur beneficium ut liquet *ex c. 3. h. t.* nihilominus de jure positivo certa ætas ad nonnulla beneficia statuitur, adeò ut collatio beneficii ipso jure sit nulla, si fiat ante requisitam à jure ætatem: igitur ad beneficium curatum requiruntur anni 24. completi: per accidens tamen, & consecutivè requiritur illa ætas, quam exigit canonicatus, cui beneficium curatum est adnexum. Adest enim discrimen inter jus antiquum, & novum, sed nunc sequimur jus Concilii Tridentini; ita tamen ut salvum maneat jus antiquum, ubi Tridentinum nil peculiare statuit.

3 Ad Cardinalatum, & Episcopatum ex Tridentino *sess. 24. c. 1. de reformat.* requiritur ætas 30. annorum, qui sint completi. Ad dignitates, & beneficia, quibus nulla est annexa animarum cura de jure antiquo requiritur ætas 14. annorum, ut liquet ex *c. indecorum 3. h. t.* Alii verò dicunt esse necessarios 25. annos saltem inchoatos *c. cùm in cunctis §. inferiora de elect. & c. unic. h. t. in 6.* Sed Tridentinum quod nunc observatur, præscribit annos 22. completos, sive dignitates illæ, & personatus sint Ecclesiarum Cathedralium, sive Collegiatarum eò quia jura universaliter loquantur. Ad Ecclesias parochiales, & vicarias perpetuas Ecclesiarum Parochalium requiri ætatem 25. annorum, qui saltem sint inchoati liquet ex *c. nemo 15. de elect. in 6.* & ex *clement. unic. de offic. Vicarii*, quæ tamen ætas non requiritur in eo, cui Ecclesia Parochialis conceditur tantùm in commendam. Pœnitentiarius tamen in Ecclesiis Cathedralibus juxta Concilium Tridentinum *sess. 24. c. 8. de reformat.* debet attigisse annum ætatis 40. Ad Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium ex Tridentino *sess. 24. c. 12. de reformat.* est necessaria illa ætas, quam ordo canonicatui annexus exigit. Neque ex Tridentino *sess. 24. c. 12.* potest Episcopus dispensare super ætate ad obtinenda beneficia nisi fortassis certa ætas ad obtinendum beneficium ex peculiari statuto alicujus Diœcesis requiratur.

Quoad scientiam præficiendorum, certum 4
est eam desiderari scientiam, quæ ad officium anne-

annexum beneficio ritè obeundum necessaria est, adeò ut illiteratus sit omninò privandus tali beneficio *c. fin. h. t.* Quinimò si sit omninò illiteratus, & rudis ipso jure collatio beneficii est nulla, ut patet ex *can. 1. dist. 36.* & licèt spectato jure communi antiquo non sit necessarius, ut quis præficiatur, gradus aliquis doctoratus, vel licentiæ; nihilominùs promovendus ad dignitates, & beneficia Ecclesiastica ex Concilio Tridentino debet esse Laureatus, vel Licentiam, ut ajunt, obtinuisse in Theologia, vel jure Canonico, vel saltem debet adferre testimonium alicujus publicæ Academiæ, quòd sit idoneus ad alios docendos, & dederit specimina sufficientis doctrinæ, ut liquet ex Concilio Tridentino *session. 22. cap. 2. de reformat.*

5 Qui verò sunt promovendi ad beneficia Ecclesiastica, debent coram Episcopo, vel ab ipso deputatis examinari super doctrina, præsertim si clerici ad beneficia curata, & Parochias promoveantur, quia cùm sit talibus beneficiis annexa cura animarum, tenetur Episcopus explorare sufficientiam Præficiendorum. An verò qui semel examinatus fuit pro uno beneficio, debeat iterum examinari, si ad aliud promoveatur, negant plures cum Glossa *in c. accepimus V. reputare de ætat. & qualitat. præficiendorum*; quia cùm approbatio virtute examinis declaret idoneitatem, semel approbatus censetur semper idoneus, perinde, ac qui semel est doctoratû insignitus, semper est censendus Doctor. Tū quia approbatio facta in virtute examinis videtur vim habere sententiæ, & idoneitas transit in rem judicatam.

6 Nihilominus dicendum est, quòd quando quis promovetur ad beneficium superius, vel ad aliud simile, sed in loco ampliori, aut nobiliori, teneatur iterum se subjicere examini, præsertim si credatur post examen anteactum neglexisse studia: id enim videtur statuisse Concilium Tridentinum juxta declarationem sacræ Congregationis; & ita tenent jurisprudentiæ periti, præsertim Felin. *in c. ex litteris n. 7. de constit.* Oldrad. *cons. 18.* Seraphin. *decis. 1323. in fin.* ubi citat Rotam hoc idem declarantem *in Calaguritana coram Pamphilio 1587.* Quòd verò hæc sententia fundetur in Concilio Tridentino *sess. 24. c. 18. de reformat.* ex eo liquet, quia ibi statuitur, quòd Ecclesiæ parochiales conferantur per concursum, & non aliter; proinde qui obtinuit per examen unam parochiam, si vult promoveri ad aliam ampliorem, vel nobiliorem, debet iterum se subjicere examini, ut declaravit Congregatio Concilii die 14. Julii 1599. Quòdsi semel examinatus non teneretur iterum se examini subjicere, deberet absque examine, & concursu censeri inter idoneos, & sic posset Episcopus ei conferre aliam Parochiam, quæ propterea non conferretur per concursum contra decretum Concilii Tridentini. Ratio, cur teneatur iterum examinari, est, quia examen ordinatur ad explorandam scientiam, & idoneitatem in ordine ad illud beneficium, pro quo quis examinatur; proinde in ordine ad informationem illius, qui debet examinandum promovere, ut sit certus de idoneitate promovendi; quapropter examen est actio quædam privata, quæ ordinatur ad privatam eorum informationem, qui debent certi esse de habilitate personarum, quas promovent; ergò qui semel examinatus est, adhuc tenetur se subjicere examini, si velit ad beneficium amplius, vel nobilius promoveri: idque ut promovens sit certus de idoneitate promovendi.

Neque ratio, qua nititur contraria sententia videtur ullum facessere negotium, est enim discrimen de approbatione, quæ fit in ordine ad aliquem singularem effectum, & de approbatione universali, cujusmodi est, quæ fit per doctoratum; quia prima approbatio tantùm operatur in ordine ad illum effectum, ad quem ordinatur; quia est approbatio in ordine ad ipsum limitato modo, proinde non sufficit approbatio universalis, quæ plerumque non est sufficiens in ordine ad illum peculiarem effectum invehendum, qui nonnunquam exigit plus, quàm exigat, ut quis universaliter approbetur. 7

Hinc novus Episcopus potest examina e Parochos suæ Diœcesis, ut censent Navarrus *consil. 4. de tempor. ordinat. in antiquis, & novis consil. 8.* Barbosa *de potest. Epist. allegat. 74. num. 19.* Sayrus *decis. 5. de temp. & qualit.* Siquidem pertinet ad Episcopum explorare idoneitatem suorum Ministrorum, ut res Ecclesiasticæ ritè administrentur, & rectè procedant; quapropter Episcopus dicitur speculator, quatenus diligentissimè omnia lustrat, & disquirit, ut notitiam singulorum enanciscatur *c. clerus §. Episcopus dist. 21.* Dicitur etiam superintendens quatenus debet super omnia diligenter intendere *c. qui Episcopum 8. q. 1.* ut notat Gonzalez *ad regulam 8. Cantell. Glossa 42. num. 18.* quapropter tenetur etiam explorare sufficientiam, ut ritè suum munus obire valeant, & sacramenta administrare, quod non habetur absque notitia de eorundem idoneitate: hinc novus Episcopus pro quiete suæ conscientiæ potest ad examen vocare parochos suæ Diœcesis. Tum quia ex Concilio Tridentino *sess. 21. c. 6. de reformat.* Episcopus tanquam Apostolicæ Sedis delegatus habet facultatem deputandi coadjutores, aut vicarios pro tempore parochis illitteratis, quod non posset exequi, nisi eidem innotesceret per examen insufficientia Paroch. Cùm igitur hæc notitia sit illi necessaria in ordine ad exercendum munus sibi impositum, habet etiam potestatem ad media necessaria pro acquirenda tali notitia, & quia medium necessarium ad id est examen. Potest ad illud vocare Parochos suæ Diœcesis. 8

Quòd si dicas, eum, qui obtinet beneficium parochiale censeri idoneum ex Concilio Tridentino *sess. 23. cap. 15. de reformat.* proinde non indigere alia approbatione; eò quia pra- 9

præsumptio idoneitatis, cum sit præsumptio juris, & de jure, stat pro ipso; proinde non potest novus Episcopus eum vocare ad examen. Tum quia hoc tantùm est necessarium pro approbatione, & declaratione idoneitatis, & cùm primùm quis obtinet parochiale beneficium habetur de jure idoneus; proinde non debet adigi, ut iterum subjiciatur examini. Contra est, quia Concilium Tridentinum *in illo c. 15. sess. 23.* non prohibet Episcopis vocare Parochos ad examen, sed tantùm asserit, quòd stante cura animarum, quam exercent, habeantur pro idoneis ad confessiones audiendas, quia nimirum Concilium supponit eos habere omnia requisita, & necessaria pro illo munere exercendo. Cæterum Concilium non decernit, quòd eò ipso quòd curam obtinent animarum censeantur habere cætera alia requisita: vel si ea habuerint, quòd semper cum iisdem perseveraverint, præsertim quoad scientiam, cùm potuerit contigisse, ut quis bene responderit ad unam, vel alteram quæstionem, cui speciatim studuit pro examine; & postea neglexerit omnia studia: unde Concilium non supponit parochos semper habere omnia requisita præsertim quoad scientiam; alioquin non decrevisset, ut illiteratis darentur coadjutores: quamobrem ad Episcopum pertinet investigare, an Parochi suæ Diœcesis habeant omnia requisita; proinde potest ipsos adigere, ut iterum se examini subjiciant.

10 Neque præsumptio de eorundem idoneitate oritur ex eo tantùm, quòd curam gerant animarum; sed etiam ex eo, quòd iisdem insint debita requisita, ad ritè exercendum suum officium. Neque obstat, quod addebatur de idoneitate præsupponenda in Parocho; quia iste non habetur de jure pro idoneo, nisi cum dependentia ab approbatione sui ordinarii, proinde cum dependentia à notitia ordinarii de idoneitate Parochi.

11 An verò possit Episcopus pluries, & quoties ipsi libuerit vocare Parochos ad examen. Henriquez *lib. 6. sum. c. 6. n. 6.* Barbosa *de potest. Episcop. allegat. 25. num. 23.* Suarez *de pœnit. disputat. 18. sect. 2.* & alii negant, posse Episcopum pluries vocare Parochos ad examen, & nituntur, quia approbatio Parochorum sit à jure; proinde non possit revocari ab Episcopo, præsertim si aliàs ipsos examinaverit, idoneósque repererit; siquidem ex *regula juris in 6.* quòd semel placuit ampliùs displicere non potest. Mihi tamen videtur procedendum cum distinctione: si enim Episcopus sit certus de insufficientia unius, vel alterius Parochi, eò quia post primum examen neglexerit totaliter studia, ac fuerit oblitus doctrinam, quam antea habuit, tunc potest illum vocare ad examen, ut studeat, séque præparet: imò etiam si tantùm probabiliter judicet, esse insufficientem, eò quia non incubuerit studiis post adeptam Parochiam, potest illum vocare ad examen: alioquin frustratorium esset decretum Concilii Tridentini *sess. 21. cap. 6.* ubi statuit, quòd possint Episcopi Parochis illiteratis dare coadjutores: atqui Episcopus non potest hos coadjutores dare, nisi ipsi innotescat insufficientia Parochi, & non potest hanc cognoscere, nisi per examen exploret, num sufficiens sit, nec ne. Quamobrem ex Tridentino deducitur, Episcopum dubium de insufficientia Parochi posse ipsum ad examen vocare, quia tunc habet sufficiens fundamentum iterandi examen: quia probabile judicium de insufficientia, sufficiens est causa, ut Parochus iterum ad examen vocetur. Cæterum si Episcopus non dubitet de insufficientia Parochi, sed certus sit de ipsius idoneitate, & quòd ritè fungatur suo munere, putârim, non posse Episcopum eum vocare ad examen, præsertim si semel ipsum approbaverit: siquidem approbatio facta post examen se habet per modum sententiæ decernentis de idoneitate, & simul dat jus approbato ad manutenendam suam idoneitatem, quam de jure possidet; adeò ut nulla accedente legitima causa non possit in dubium revocari ipsa possessio; sicut revocaretur, si de novo ad examen vocaretur. Tum quia non potest quis bis judicari supra eadem re, proinde neque super idoneitate, nisi legitima aliqua causa, & rationabilis supervenerit.

Neque urget, si dicas, Parochos non habere jus justitiæ ad non se subjiciendos examini, sed cum proprio incommodo debere eos cedere utilitati communi, in cujus favorem examen instituitur. Nam id non videtur subsistere: siquidem approbatio, cùm sit judicium factum post primum examen de idoneitate, habet vim sententiæ, & approbatus virtute hujus judicialis sententiæ possidet suam idoneitatem, & acquirit jus justitiæ ad ipsam manutenendam, quia nisi nova supervenerit rationabilis causa, non potest revocari in dubium. Neque obstat, quòd examen respiciat bonum publicum, quia ob hanc rationem non debet Parochus privari jure suo sine causa. Tum quia publica utilitas, quamvis sit sufficiens causa privandi privatas personas jure suo, ut communiter docent juris periti *in c. quæ in Ecclesiarum de constit.* non tamen in casu nostro publica utilitas exigit, ut Parochus aliàs sufficiens ac idoneus, & ritè fungens suo officio iterum vocetur ad examen, & privetur jure suo; quia nullum communitas tunc patitur incommodum: & personæ privatæ tunc tantùm possunt privari jure suo, quando ex tali jure tota communitas grave patitur detrimentum: & posita idoneitate Parochi ritè fungentis suo munere communitas nullum patitur incommodum: proinde cessat causa, quâ possit Parochus privari jure suo. 12

Hinc non tenentur Episcopi singulis bienniis examinare omnes Parochos, etiam quos noverint esse idoneos, ac legitimè fungi suo officio. Non enim ad id tenetur Episcopus ex natura rei, quando Parochi ab initio post prævium examen judicati fuerunt idonei, & sufficientes; & post adeptam Parochiam bene se gerunt; quia tunc Episcopus est certus de ipso- 13

ipsorum sufficientia, & recta administratione sacramentorum, quantum est ex parte scientiæ; neque tenetur deponere hanc certitudinem sine rationabili causa, & nisi suboriatur dubium, quòd ipsi ob neglecta studia amiserint aliàs acquisitam doctrinam; & hoc dubium debet esse rationabile, quia per hoc tantùm eliditur incertitudo.

14 Quòd si parochi ab initio post primum examen non fuerint habiti pro absolutè sufficientibus, tunc Episcopus, cùm habeat jus visitandi, & corrigendi, quæ indigent correctione; & teneatur procurare, ut animarum cura rectè exerceatur, ut fuit statutum in Concilio Tridentino *sess. 21 c. 8.* ideò cùm actu visitat suam Diœcesin, poterit in ipso familiari discursu, vel alio congruo modo proponere dubia conscientiæ, & explorare, an Parochus rectè respondeat, ac perseveret in ea sufficientia doctrinæ, quæ necessaria est pro cura animarum ritè exercenda; hoc pacto Episcopus fungitur suo munere, & Parochi non gravantur.

15 Cæterum doctrina non solùm Parochis necessaria est, sed etiam aliis constitutis in dignitate Ecclesiastica. Archidiaconus enim in Ecclesia Catedrali, ut munus suum ritè obire valeat, non solùm vitæ integritate debet commendabilis esse, sed etiam doctrina instructus; adeò ut ex decreto Concilii Tridentini. *sess. 24. c. 12.* debeat esse doctor in sacra Theologia, vel Jure Canonico; aut saltem in alterutra facultate licentiam, ut ajunt, obtinuisse: non tamen decretum Concilii, quoad qualitatem doctoratûs, & licentiæ, eos comprehendit Archidiaconos, qui omni carent prorsus jurisdictione, & cura animarum, ut tradit Piasec. *2. p. c. 5. art. 3. n. 13. ex declaratione Cardinalium Concil. Tridentin.* Pœnitentiarius in Ecclesia Cathedrali debet similiter esse doctor, aut licentiatus in alterutra illarum facultatum, vel saltem debet esse aptus pro loci qualitate, ut liquet ex eodem Concilio *sess. 24. c 8.* Vicarius itidem præsertim, qui eligitur sede vacante, debet esse doctor, saltem in jure canonico, vel saltem obtinuisse licentiam, ut decrevit Tridentinum *sess. 24. c. 15.* Scholasticus itidem inter Canonicos debet esse doctor, aut licentiatus in alterutra earundem facultatum, vel aliàs idoneus, ut per se ipsum suum valeat explere munus, ut liquet ex eodem Tridentino *sess. 23. c. 8.*

16 Ad mores, & vitæ probitatem, quod attinet, Præficiendorum, debent ii tales esse, ait Pontifex *in can. 4. dist. 23.* ut dignè possint dominica sacramenta tractare. Utilius siquidem est Christi sacerdotium paucos habere Ministros, qui tamen dignè, & sanctè opus Dei exerceant, quàm plures, qui divina ministeria negligant, & aliis sint potiùs scandalo, quàm bono exemplo. Quamobrem promovendus ad beneficia non debet esse criminosus, quod est intelligendum de crimine, quod dignum sit depositione, vel notetur infamia, vel inducat censuram, aut irregularitatem; sive ad judicem per inquisitionem, sive per accusationem, aut denuntiationem, crimen delatum fuerit. Rursus neque præficiendus debet esse reus cujuscunque gravis criminis publicè noti, & ratione cujus delinquens aliorum incurrrat offensionem, si tale delictum nondum fuerit publicè emendatum, ut liquet *ex can. unum. 3. §. 1. juncta Glossa V. unde. dist. 25.* Præterea nec debet esse infamis infamia juris, aut facti: quia infamibus portæ ad Ecclesiastica beneficia, & dignitates non patent, *c. inter delictos 11. de excessu Prælatorum.* Verum tamen est, quòd beneficii simplicis collatio facta criminoso, & infami, non semper est ipso jure irrita, nisi crimen aliquam habuerit annexam censuram, aut irregularitatem, ratione cujus sit collatio ipso jure irrrita; sed est irritanda per superiorem. Quòd si beneficium collatum infami, & criminoso fuerit, collatio ipso jure est irrita, ut liquet ex *c. cùm in cunctis de elect. §. inferiora.* Demum nullâ debet esse censurâ, aut irregularitate irretitus *c. postulâstis 2. de cleric. excommun.* quia collatio facta clerico excommunicato, vel aliâ censurâ irretito, est ipso jure nulla, tametsi Clericus non sit denuntiatus, nec vitandus. Unde juxta SS. Canones præficiendi debent esse liberi ab omni crimine, infamia, & censura, & rursus debet in iisdem relucere morum innocentia, vitæ probitas, ut alios exemplo fortiùs, quàm verbo alliciant ad virtutum culturam: & servanda est regula Apostoli Pauli ad *Timoth. 3. & ad Titum 1.* ubi qualitates præficiendorum recenset, & comprehenduntur hisce carminibus.

Primum præcipitur, quod sit sine crimine Præsul
Monogamus, sobrius, prudens, ornatus, & hospes:
Casta docens, non percussor, non litigiosus,
Non cupidus, bene dispositus, non Neophytusve,
Talis Apostolica quòd præsit regula jussit.

Tametsi Apostolus expresè asserat, has qualitates proprias esse Episcopi, in quo debent virtutes omnes relucere, ut sit lumen, quod super candelabrum splendens virtutum radios diffundat; nihilominus Augustinus *can. Apostolus dist. 21.* & Ambrosius *in can. cognoscamus dist. 34.* easdem virtutes extendunt ad alios Clericos præficiendos in Ecclesia.

Servandum itidem esse in præficiendis ordinem statuitur in jure canonico; adeo ut non possit quis obtinere beneficium simplex, quin saltem sit primâ tonsurâ initiatus: quia beneficia Ecclesiastica non nisi ab Ecclesiasticis possideri debent; & is non est Ecclesiasticus, qui saltem non est primâ tonsurâ initiatus; quinimò nonnunquam ultra primam tonsuram requiritur alius ordo major, imò etiam sacer, ut quis tisanacifeatur beneficium simplex Ecclesiasticum; eò quia tale beneficium licèt simplex exigat talem ordinem. Hinc beneficia alia dicuntur sacerdotalia 17

talia, alia Diaconalia, & alia Subdiaconalia: & tunc promovendus ad beneficium debet initiari illo ordine, quem beneficium, vel ejus fundatio expostulat; vel saltem intra annum à die pacificæ possessionis debet talem ordinem suscipere; vel saltem ex eo tempore, quo per beneficiatum steterit, quo minùs cessante legitimo impedimento potuerit ad talem ordinem promoveri: siquidem intra id temporis tenetur talem ordinem suscipere *c licèt canon. 6. de elect. in 6.* & ex Concilio Tridentino *sess. 22. can. 4. de reformat.* ubi statuitur, ut in omnibus Ecclesiis Cathedralibus canonicatus omnes habeant annexum ordinem Presbyterii, diaconatûs, vel subdiaconatûs; & quòd Episcopus cum consilio capituli designet, ac distribuat, prout magis expedire deprehensum fuerit; licèt non teneatur Episcopus sequi sententiam Capituli, ut declaratum fuisse à sacro Congregatione asserit Zerolla, *in sua praxi p. 2. v. Capitulum.* Ad Ecclesiam Parochialem nemo assumitur, nisi sit Subdiaconus; potest tamen Episcopus cum constituto in minoribus ordinibus dispensare, modo aliàs sit idoneus, & talis ut infra breve tempus possit sacerdotio initiari, ut colligitur ex *c. Præterea 5. h. t.* seu attigerit annum ætatis 25. In Episcopum nemo eligitur, qui non sit Subdiaconus *c. à multis 9. h. t.* In Abbatem, Præpositum, vel Decanum, qui non fit sacerdos, vel idoneus, aut quamprimùm sacerdotio initietur *c. 1. h. t.*

18 Cæterum ob necessitatem Ecclesiæ etiam in minoribus constitutus, immò & irregularis ex dispensatione potest in Abbatem eligi, ut colligitur ex *c. tuam h. t.* Cæterum Archidiaconus debet necessariò esse Diaconus, ut etiam Archipresbyter, debet esse Presbyter *d. c. 1. h. t.* Juvat animadvertere, quòd dupliciter potest ordo esse annexus beneficio, vel dignitati; primò respectu aptitudinis, & tunc necessè est, ut promovendus ad beneficium, vel dignitatem tempore suæ promotionis sit talis ætatis, ut infra annum possit illum ordinem suscipere, non verò requiritur, quòd actu sit initiatus tali ordine *c. si pro 8. de præben. in 6.* Secundò potest ordo esse annexus beneficio, vel dignitati respectu actûs, & tunc qui promovetur, debet tempore promotionis illum ordinem actu habere; ut si in fundatione, vel statuto habeatur, quòd tale beneficium debeat conferri actu sacerdoti, vel Diacono, aut Subdiacono, vel quod non debeat conferri nisi Presbytero, Diacono, vel Subdiacono, quia qualitas adjecta verbo, debet adesse tempore verbi *argu. l. in dilectis §. extraneus. & l. 1. §. Tutoris. quod jussu.*

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones.

Quæritur primò, an qui dignus, & idoneus censetur ad sacros Ordines suscipiendos, is dignus etiam, & idoneus judicandus sit ad beneficium ecclesiasticum obtinendum? Respondetur affirmativè, & desumitur ex *c. accepimus 13. h. t.* ubi cum Episcopus Bracarensis, ejusque Antecessor nonnullos Clericos in majoribus ordinibus absque titulo sustentat ordinâsset: scripsit pro illis Pontifex, & mandavit, ut beneficia in ea ecclesia acciperent, & cum Episcopus contra mandata Apostolica excepisset, quòd ad beneficia non essent Clerici illi idonei, iterum rescripsit Innocentius III, quòd quamvis si de jure agendum sit, Episcopus non possit hanc exceptionem opponere, quia ipse, & ejus Antecessores, debuissent Clericos illos ante ordinationem diligenter examinâsse, ac proinde debeant sibi imputare, si minùs idoneos promoverunt ad sacros ordines, nisi fortâssis indigni post ordinationem facti fuerint. Nihilominus concessit Pontifex sub conditione ut clericis illis conferantur beneficia, si digni sint: & quòd ut gratiam, ex benignitate Apostolica debeat Episcopus habere, quòd à se, vel Antecessore suo sine titulo ordinatos, Papa per delegatos, & Executores suos priùs curet examinari, quàm beneficia ipsi conferantur. Rursus præcipit Pontifex, quòd si Episcopus mandata Apostolica de talibus acceperit, ipsis beneficia in Cathedrali, aut alia Ecclesia suæ Diœcesis non cunctetur providere: ita tamen ut si exceptiones velit opponere, illæ sint audiendæ. Ex quo textu constat, clericum qui dignus censetur ad ordines sacros, esse itidem censendum idoneum ad beneficium Ecclesiasticum: & ratio deducitur ex ipso textu, quia ordo sacer, & titulus alicujus beneficii connexa sunt, adeò ut semel examinatus, & deprehensus idoneus pro ordine sacro, non sit opus ut pro consecutione beneficii iterum examinetur. Excipitur tamen nisi Clericus post ordinationem se indignum reddiderit, vel nisi ejus crimen, vel alius defectus tempore ordinationis non innotuerit, & postea sit proditus. argum. *c. Pastoralis. 4. de except.* Excipitur secundò, nisi beneficium sit curatum, aut dignitas exigat novum examen *argum. scriptum 4. de elect. c. cum secundum 16.* quia tunc ratione beneficii tenetur clericus, iterum se subjicere examini, quia dignitas ad ordines sacros non trahit secum dignitatem ad omnia beneficia etiam curata, non enim qui idoneus est ad beneficium simplex, censetur semper idoneus ad juratum. Rursus ex eodem textu colligitur, Episcopum successorem teneri conferre beneficium clerico ordinato à suo prædecessore in majoribus ordinibus sine titulo, vel illi ex propriâ mensâ providere *c. Episcopus 4. de prebend.* Ratio est, quia obligatio alendi clericos ordinatos sine titulo afficit Episcopatum non personam Episcopi; proinde sicut Episcopatus transit ad successorem, ita etiam obligatio. Excipitur tamen nisi aliquis Ecclesiæ Prælatus Clericum præsentaverit Episcopo, quia tunc qui clericum præsentavit, tenetur illum alere, si ex beneficio Ecclesiastico sustentationem non habeat, & in ejus defectum hæc obligatio incumbit Episcopo, quia debuit esse cautior in recipiendis præsentationibus. Excipitur etiam nisi Archidiaconus, cui ex officio incumbit clericos ordinandos examinare *c. ad hæc de offic. Archidiaconi.* Clericum

cum sine titulo, vel non idoneum præsentaverit Episcopo, quia tunc cùm ipse fuerit in culpa, obligatio aliendi clericum ita promotum eidem incumbit.

Quæritur secundò, an si Papa mandet provideri alicui de beneficio in forma communi, teneatur Episcopus ei providere de beneficio in Ecclesia Cathedrali, vel in alia suæ Diœcesis? Respondetur, quòd si mandatum Pontificium sit in forma communi, seu per litteras justitiæ, ut si scribat Episcopo, ut provideat Clerico initiato sacris ordinibus sine titulo de competente beneficio, tunc debet illi provideri de beneficio in quacunque Ecclesia, tam civitatis etiam in Cathedrali, quàm Diœcesis *c. pro illorum 22. de prabend.* Sin verò Pontifex mandet alicui provideri de beneficio per litteras gratiæ, seu in forma gratiosa in aliqua Ecclesia civitatis, non potest tunc provideri de beneficio in Ecclesia Diœcesis, nec vice versa: ratio est, quia nomine Ecclesiæ Diœcesis non comprehenduntur Ecclesiæ civitatis, nec è contra *c. Rodulphus 35 de rescript.* Ratio discriminis inter rescriptum datum in forma justitiæ, & in forma gratiæ est, quia illud tendit ad executionem obligationis ortæ ex ordinatione Episcopi, quæ principaliter respicit Ecclesiam Cathedralem, & incumbit Episcopo ordinanti, proinde regulatur secundùm naturam præcedentis obligationis. Secus in rescriptis datis in forma gratiæ hæc ratio cessat, quia hujusmodi litteræ censentur ambitiosæ, proinde sunt restringendæ.

Quæritur tertiò, qualis ordo requiratur in eo, qui præficitur Episcopatui? Respondetur, hunc debere saltem esse Subdiaconum, quando eligitur in Episcopum, & desumitur ex *c. à multis 9. h. t.* cum enim dubitatum fuisset, an Subdiaconus in Episcopum, possit liberè eligi, an verò postulari debeat. Et Urbanus I. Papa relatus in *c. ult. dist. 60.* visus sit dixisse debere postulari, Innocentius III. declaravit, id dictum fuisse ab Urbano, quia tunc temporis Subdiaconatus non erat ordo sacer, nec habebat annexam obligationem continentiæ. Cæterum posterioribus sæculis, quia introductum fuit, ut neque Subdiaconi ordinarentur, nisi continentiam promitterent, tunc Subdiaconatus intra sacros ordines accenseri cæpit, ut testatur Urbanus II. relatus *in c. eos qui & sequent. dist. 32.* ideò præficiendus ad Episcopatum debet nunc saltem esse Subdiaconus. Verùm tamen est, quod Subdiaconus electus Episcopus de jure communi tenetur postea successivè reliquos sacros ordines recipere: debet enim intra tempus trimestre post obtentam suam confirmationem cessante justo impedimento in Episcopum consecrari, ut valeat suo officio ritè fungi *argum. c. quoniam dist. 75.* alioquin si per alios tres menses negligeret consecrari esset repellendus ab Episcopatu.

Quæritur quartò, quænam ætas requiratur, ut clerici promoveantur ad dignitates, & Personatus, quibus nulla cura animarum subest? Respondetur, sufficere ætatem 14. annorum, seu pubertatis, idque colligi *ex c. indecorum 3. h. t.* ubi habetur quod regimen Ecclesiæ minori 14. annis non debeat committi. Verùm juxta posteriores Canones major ætas requiritur: siquidem ad personatum, Decanatum, aut Archidiaconatum si curam habeant annexam animarum requiruntur anni 24. completi *c. cum in cunctis 7. §. inferiora de elect.* & ex Tridentino *sess. 24. c. 12. de refor.* Sin verò non habeant annexam curam animarum, requiruntur anni 20. duo completi. Ad reliqua verò simplicia beneficia ordinariè & per se loquendo anni 14 saltem incepti ex Tridentino *sess. 23. c. 1. de refor.* & ex declaratione Cardinalium.

TITULUS XV.

De Sacra Unctione.

Adjicit Pontifex hunc titulum data occasione ex superiori titulo, in quo cùm egisset de ordinibus conferendis, & Episcopis consecrandis, in quibus adhibetur Sacra Unctio, ideò de hac in præsenti rectè agitur. Aliter tamen consecrantur, & unguntur Presbyteri, quàm Episcopi: siquidem Presbyteri consecrantur tantùm oleo *c. Praterea 23. dist.* Episcopi verò chrismate, quod ex oleo, fit & balsamo; est enim Sacra Unctio olei materialis delibutio secundùm formam Ecclesiæ traditam.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Unici capitis in hoc titulo contenti.

C. CUM VENISSET UNIC. h.t. Innocentius III. de variis in Ecclesia Catholica consuetis unctionibus prolixè agit. Primò declarat, Episcopos ungi Sacro Chrismate in capite, & manibus, quando consecrantur. Secundò sacerdotes in manibus, tertiò Reges in veteri testamento in capite, hodie verò in brachio humero, vel armo; ut his designetur Principatus; ita tamen ut appareat discrimen inter Authoritatem Pontificis. & Principis: siquidem Pontifex, & Episcopi hodie unguntur in capite, eò quia repræsentant personam capitis Ecclesiæ, seu Christi. Quartò declarat in novò testamento, omnes Christianos inungi oleo benedicto bis ante baptismum, primùm in pectore, deinde inter scapulas, & bis chrismate in vertice & in fronte post baptismum. Rursus inungi etiam chrismate in sacramento confirmationis, ut etiam Ecclesias, quando dedicantur: altaria verò ungi primò oleo, secundò chrismate; calicem verò tantùm chrismate ungi. Cæterum Episcopus, quando consecratur, unguntur ejus manus, & caput chrismate confecto ex oleo, & balsamo: quia per caput mens intelligitur, per manus opera.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quæ sit Sacra Unctio, & in quibus adhibeatur.

1 Um Neomystæ quando sacerdotio initiantur in sua ordinatione sacro chrismate ungantur; ideò tractatui de ordinibus adijcitur hic titulus de sacra unctione, quæ est juxta Hostiensem *in sum. h.t. n. 2.* sacri olei materialis delibutio juxta formam Ecclesiæ: & est duplex hæc unctio; exterior, & interior, illa est materialis, & visibilis, qua corpus inungitur; hæc invisibilis, quâ cor, seu anima oblinitur. Sumitur cor pro anima, vel quia anima præcipuam in corde dicatur sedem habere; vel quia unctio suum non sortitur effectum, nec fructum producit in anima, nisi ex corde, & voluntate procedat. Qui enim invitus, & prorsus contradicens baptizatur, neque rem suscipit sacramenti, neque characterem *c. majores §. fin. inf. de baptismo.* impenduntur hujusmodi sacræ unctiones, in baptismo, confirmatione, consecratione Episcopi, ordinatione sacerdotum, coronatione Imperatoris, & Regum, in consecrationibus Ecclesiarum, altarium, & sacrorum vasorum, & quamvis non omnes hæ unctiones habeantur expresè in scripturis, antiquissima tamen de iisdẽ habetur traditio ab Apostolis semper continuata, & servata in Ecclesia; adeò ut dubitari minimè possimus, quin ex institutione Christi, vel ex instinctu Spiritus sancti per Apostolos fuerint in Ecclesiam introductæ. Non enim singula, quæ fecit Christus scripta sunt in libro Evangeliorum, ut testatur D. Joannes Evangelista *c. ult.* quapropter in pluribus, quæ expresè non habemus in scripturis, standum est traditionibus ab Apostolis in Ecclesiam derivatis, & continuatis per successiva sæcula ad nostra usque tempora: imò quòd sacra scriptura sit talis, & non alia, aliunde non habemus, quàm ex traditione & authoritate Ecclesiæ. Quòd verò sacræ unctiones fuerint in Ecclesia tempore Apostolorum nulli est dubium, cùm id luculenter constet ex epistola sancti Jacobi *c. 5.* ubi ait: *infirmatur quis ex vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes eum oleo in nomine Patris, & filii, & spiritus sancti.*

Ad exercendam unctionem exteriorem, quæ signum est interioris, benedicitur, & consecratur oleum expressum ex olivis, & dicitur oleum cathecumenorum, & infirmorum, quia tali oleo simplici unguntur ab Ecclesia baptizandi, & infirmi constituti in ultimo vitæ discrimine. Item conficitur, & consecratur chrysma, quod constat ex oleo & balsamo, & etiam adhibetur in baptismo, confirmatione, consecratione Episcoporum, Ecclesiæ, & altarium. Neque censendum est, materiam huius unctionis destitutam esse mystica significatione: siquidem per oleum nitor bonæ conscientiæ indicatur, ut etiam promptitudo ad pugnandum pro fide catholica, & contra inimicos invisibiles; quo pacto oleum etiam Athletæ ungebantur, ne in lucta succumberent: per balsamum significatur odor bonæ famæ juxta illud Apostoli ad *Timoth. 3. Christi bonus odor sumus*, & Ecclesiastici 24 *sicut balsamum aromatizans odorem dedi.* Modi, & ritus, quibus exercentur hujusmodi unctiones, habentur in pontificali, & Pontifex eos describit *in c. unic. h t.* Omissis autem illis unctionibus, quæ ad alios pertinent titulos, hic nonnulla dicemus de sacra unctione sacerdotum, Imperato- 2

peratoris, Regum, ut etiam de illa, quæ adhibetur in administratione sacramentorum, confirmationis, & extremæ unctionis.

3 Ad unctionem sacerdotum quod attinet, isti per Episcopum unguntur in manibus; & hæc unctio non est de substantia sacramenti ordinis sacerdotalis, sed tantùm de necessitate præcepti: siquidem potestas sacerdotalis, seu consecrandi confertur per traditionem calicis cum hostia, & illa verba *accipite potestatem offerendi sacrificium Deo:* & alia potestas absolvendi à peccatis confertur per impositionem manuū, & prolationem verborum *accipe spiritum sanctum, quorum remiseris peccata &c.* Quamobrem si ob aliquod impedimentum non posset sacerdos inungi, dummodo alia essent peracta, non propterea tota ordinatio irrita foret, nec reiteranda, sed supplenda duntaxat esset cæremonia illa unctionis.

4 Episcopus etiam in sua consecratione ungi debet chrismate non tam in corpore, quàm in corde, ut etiam interius nitore conscientiæ coramDeo, & exterius odorem bonæ famæ coram proximo exhibeat. Ungitur verò in capite, & manibus, quia per caput mens intelligitur, & per manus denotantur bona opera *d. c. in principio & in c. unico h. t.* Reges in veteri testamento ungebantur in capite, nunc verò post adventum Christi, qui est caput totius Ecclesiæ tantùm inunguntur brachio, vel armo, seu humero, quia jus designatur principatûs juxta illud Isaiæ *factus est principatus super humerum ejus*, & ut designetur differentia inter authoritatem Pontificis, & Principis sæcularis: siquidem Pontifex etiam nunc in capite inungitur, quia repræsentat personam capitis, seu ipsum Christum *d. c. unic. §. 2. in fin. h. t.* Quatuor Reges de jure inungi refert Joannes Honorius *in sum. Decret. h. t.* scilicet Jerosolimitanum ab illo Patriarcha. Francorum ab Archiepiscopo Rhemensi. Anglorum à Cantuariensi. Siculorum ab Archiepiscopo Barensi, vel alio, cui summus Pontifex tempore illo commisisset. Alii verò Reges non nisi ex privilegio unguntur, ut idem Honorius refert *ex prob. ad Monac. in c. 2. n. 3. & 4. de præben. in 6.* Cæterum in Lege Evangelica Christiani omnes unguntur bis ante baptismum oleo simplici benedicto primùm in pectore, deinde inter scapulas; postea in fronte *d. c. unico §. quia verò.* ubi assignantur rationes, cur Ecclesia has adhibeat unctiones.

5 Ad sacram unctionem Imperatoris quod attinet, & ob quam Imperator sacratissimus dicitur: certum est, Imperatorem debere ungi à summo Pontifice, vel eo cui is commiserit *c. venerabilem de elect.* An verò Imperator ex sua sola electione accipiat jus, & authoritatem imperium administrandi, non conveniunt inter se jurisperiti, sed ex praxi colligitur, quòd Imperator statim post suam electionem, & confirmationem administrat Imperium, & hoc etiam asserit Innocentius *in eod. c. venerabilem*, ubi ait, si in loco debito non possit Imperator coronam accipere; nihilominus jus; & potestatem administrandi potest recipere à Coloniensi Episcopo: vel eam habet sua authoritate, & hanc sententiam sequitur Glossa *in clement. de jurejurando in V. Reges.* Dubitant tamen plerique, an Imperator electus, & confirmatus authoritatem administrandi statim ipso jure consequatur. Aliqui negant, ea innixi ratione; quia Imperator non sit, donec ungatur, & consecretur, ac coronetur à Pontifice. Secus alii censent, Imperatorem habere jus administrandi ex electione, & confirmatione: & nituntur ratione à pari desumpta ab Episcopis; qui electi, & confirmati, quæ ad jurisdictionem pertinent, antequam consecrentur administrant, tametsi, quæ pertinent ad potestatem ordinis non nisi post consecrationem, possint exercere: atqui Imperator per ipsam unctionem, & consecrationem nullum ordinem Ecclesiasticum suscipit, proinde jurisdictio, & facultas administrandi imperium illi convenit, ex vi electionis, & confirmationis, non verò ratione unctionis, & consecrationis.

6 Tum quia sicut matrimonium legitimo utrinque accedente consensu contrahitur, & traditio annuli matrimonium non ponit, sed supponit antea contractū: ita per electionem, & confirmationem Imperator imperium adipiscitur, & consecratio, ac coronatio sunt tantùm signa adepti imperii: & hæc sententia est verior, quia reverà Imperator est, cùm primùm Romani Pontificis authoritate confirmatur, tametsi nondum sit unctus, consecratus, ac diademate redimitus; siquidem jurisdictio imperatoria habetur per Pontificiam confirmationem; & alia, quæ sequuntur, tantùm sunt signa obtentæ jurisdictionis. Sicut Imperator debet ungi, & consecrari à Pontifice, ita etiam postquam est electus, debet ab eodem confirmari: eligebatur olim Imperator à septem duntaxat Electoribus, quorum tres sunt adhuc Ecclesiastici scilicet Archiepiscopi Moguntinus, Trevirensis, & Coloniensis, & quatuor sæculares Rex Bohemiæ, Gomes Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ, & Marchio Brandeburgicus, quibus juxta instrumentum pacis Monasteriensis, quintus accessit scilicet Dux Bavariæ, qui Friderico Palatino ejecto successit; & fuit confirmatus: & cū Palatinus postea admissus iterum fuerit, octo jam fuerunt Electores, quibus cùm Leopoldus I. Imperator addiderit ducē Hannoveriensem novem videntur esse Electores Romani Imperii, quod nunc è Græcia translatum est ad Germanos. Priùs enim imperium fuit in Italia, & initium duxit Romæ à Julio Cæsare, & continuavit usque ad Sylvestrum summum Pontificem, & Flavium Constantinum Magnum, qui imperium annuente Sylvestro transtulit in Græciam, ubi initium duxit ab eodem Constantino; & continuavit usque ad Leonem III. summum Pontificem, à quo imperium à Græcis ad Germanos in personam Caroli Magni fuit translatum. Cùm enim tunc temporis Imperatores Græci Arriana hæresi fuerint infecti, & parùm curaverint Ecclesiam Romanam in occidente à Longobardis, aliisque exteris nationibus obsessam, & fermè totam occupatam, defendere, ut Imperatorem decebat; ideò necessum fuit alium Ecclesiæ defensorem, ac propugnatorem seligere; quapropter Leo III. creavit Imperatorem Carolum Magnum origi-

ne

ne, & sanguine Francum, eumque Romæ die Natalis Domini anno Christi 800. Imperatorem declaravit, salutavit, & coronavit, ut refert Cæsar Baronius anno Christi 800. Glossa *in d. c. venerabilem*. Bellarminus *in translat. imperii lib. 1.* siquidem summum Pontificem habere jus in mundo supra Imperatorem, & sit constitutus super gentes, & Regna, ut evellat, & dissipet, & ædificet, & plantet, quatenus agitur de salute animarum, & recta Ecclesiæ administratione, evincitur in titulo *de majorit. & obedient.* Quamobrem imperium vocatur sacrum, & Romanum, non solùm ea ratione, quia per successionem à Romanis Imperatoribus Julio, Augusto, & aliis suam trahat originem. Verùm etiam, quia Imperator speciali obligatione, & juramento habetur Ecclesiæ Romanæ propugnator, & defensor *Clement. Romani de jurejur. d. c. venerabilem* & in Gloss. in *d. c. venerabilem in V. transtulit*. Teutonici dicuntur habere regimen Ecclesiæ Romanæ scilicet in temporalibus quo ad defensionem

§. II.

De sacra unctione adhibenda in sacramento Confirmationis ministrando.

1 Cum per frontis chrismationem designetur manus impositio, quæ etiam confirmatio dicitur *c. unico §. per frontis, h. t.* ideo par est, nonnulla singillatim hic adjicere de confirmatione, ut etiam de extrema unctione, de qua incidenter etiam agit Pontifex in *d. c. unico*.

2 Definitur ex Concilio Florentino in Decreto Eugenii, & in Tridentino *sess. 7. & 23. c. 4.* Confirmatio: *esse sacramentum verum, & proprium novæ legis divinitus institutum, quo homo viator baptizatus ab Episcopo, in fronte inungitur cum chrismate sub certa verborum forma ad fidei robur consequendum.* Est enim confirmatio signum sensibile, & efficax gratiæ divinitus institutum ad nostram sanctificationem, ut desumitur ex Joan. *c. 14. & 16.* Luc. 24. Act. 1. ubi Christus post suum in cœlum ascensum promisit, se missurum virtutem Spiritûs sancti in die Pentecostes; adeò ut hoc Sacramentum fuerit à Christo institutum, non per exhibitionem, sed per promissionem plenitudinis Spiritus sancti. Ex allata definitione liquet, subjectum hujus sacramenti esse tantùm hominem viatorem baptizatum; materiam remotam esse chrisma; proximam ipsam unctionem; causam efficientem ministerialem Episcopum sub certa verborum forma. Ejus effectus est robur in fide, & gratiæ augmentum.

3 Quòd institutio hujus sacramenti facta fuerit à Christo, ante ipsius ascensionem in cœlum, & quod ejus materia, & forma designatæ fuerint in die ultimæ cœnæ, est sententia probabilior, quia Christus tunc creditur consecrasse chrisma: & probari solet ex Epistola Fabiani Papæ, ubi ait *in die illa Dominus JEsus postquam cœnavit cum discipulis suis, lavitque eorum pedes (sicut à sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt) chrisma docuit.* Hinc est, quòd emanaverit consuetudo, ut in Ecclesia feria 5. in cœna Domini quot annis materia hujus sacramenti præpararetur, ac benediceretur. Completa postea fuit hujus institutio Sacramenti Joan. 20. ubi data fuit Apostolis plena potestas ordinationis sacerdotalis, ac Episcopalis per illa verba *sicut misit me pater, & ego mitto vos.* tunc enim ut docet D. Thomas *3. p. q. 72. art. 1.* contulit illis plenam potestatem ministrandi hoc sacramentum. Non enim potuit ab alio immediatè institui hoc sacramentum, quàm à Christo Domino, cum institutio Sacramentorum ad potestatem pertineat excellentiæ, quæ soli Christo Domino concessa fuit. Nec obstat, quod non negamus, Christum Dominum suis manibus hoc sacramentum non ministrâsse, eò quia nemini fuerit ministratum ante Pentecosten; quia licèt ante id tempus non fuerit usus hujus sacramenti, non tamen sequitur non fuisse ante Pentecosten institutum, cùm aliud sit sacramenti institutio, & aliud ejus usus, ut docet D. Thomas *loc. cit. art. 1. ad 1.*

Non tamen est hoc sacramentum necessarium necessitate medii ad salutem, cùm plures salventur licèt illud non susceperint, ut liquet in infantibus recèns baptizatis, & decedentibus ante susceptam Confirmationem: imò nec est necessarium necessitate præcepti, quia non constat de ullo præcepto injungente susceptionem hujus sacramenti: etenim præceptum divinum in scripturis non reperitur, neque traditiones, & Doctores illud asserunt: neque adest præceptum Ecclesiasticum, quia Ecclesia non solet nova præcepta de recipiendis sacramentis statuere, sed duntaxat determinat tempus, quo præcepta divina de iis recipiendis obligent, & injungit ritus, quibus sacramenta sint ministranda, & suscipienda. 4

Chrisma, quod est materia remota hujus sacramenti conficitur ex oleo expresso ex olivis, & balsamo: & illud totum coalescens ex oleo, & balsamo benedicitur ab Episcopo consecrato, ut colligitur ex 2. *Corinth. 1. qui confirmat nos Deus, & unxit nos, & signavit, & dedit pignus spiritûs in cordibus nostris.* Tum quia materia sacramenti debet significare ejus effectû, qui est confirmatio in fide; & confirmatio requirit puritatem, & fervorem fidei in corde, quæ duo significantur per oleum, quod est liquor purus, lucidus, & calidus, Rursus exigit etiam constantem confessionem in ore, quæ significatur per balsamum propter odoris fragrantiam, ut docet D. Thomas *3. p. q. 72. art. 2.* Censent tamen aliqui, balsamum non esse de essentia materiæ hujus sacramenti, eo quia Innocentius III. *c. pastoralis de sacramentis non iterandis*, interrogatus num sacramentum confirmationis esset in eo iterandum, qui per errorem fuit non chrismate, sed puro oleo benedicto delinitus. Respondit nil debere iterari, sed cautè supplendum esse, quod incautè fuerat prætermissum; quòd si omissum fuisset de essentia, utique sacramentum fuisset irritum, proinde iterandum. Mihi autem videtur dicendum cum Sayro *3. p. q. 72. art. 2.* 5

Lay-

Laym. *l.5. tract.3.c.2.n.1.* Suar. *disp.33. sect.1.* & aliis, balsamum esse de essentia materiæ hujus sacramenti; siquidem Concilium Florentinum expresse asserit, materiam hujus sacramenti esse chrisma confectũ ex oleo olivarum, quod nitorẽ significat conscientiæ; & balsamo, quod odorem indicat bonæ famæ per Episcopum consecratum, & benedictum. Tum quia nisi balsamũ esset de essentia materiæ hujus sacramenti non posset ejus forma verificari, quando Episcopus illam profert dicens: *signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis.* Chrisma autem ex sensu, & usu totius Ecclesiæ non significat purum oleum, sed compositum ex oleo, & balsamo benedictũ, & consecratum per Episcopalem benedictionẽ: unde liquet, balsamum esse de essentia materiæ hujꝰ sacramenti: nihilominus quia opposita sententia, ob authoritatem Innocentii III. videtur probabilis, ideò consultiùs foret, ut si hoc sacramentum cum oleo simplici ministraretur, iterum sub conditione repeteretur adhibita materia certa, seu chrismate, ut dicitur in *c.1. de sacramentis non iterandis.* Quòd si Minister adhiberet materiam dubiam, utique peccaret lethaliter.

6 Quærunt aliqui quantum balsami requiratur ad conficiendum chrisma. Respondetur sufficere modicam quantitatem sive balsamum illud fuerit orientale, sive occidentale: non enim est de essentia materiæ ut singulæ partes, ex quibus coalescit, sint prorsus æquales, sed tantùm ut habeatur compositio ex oleo, & balsamo unà mixtis. Debet tamen balsamum benè olere, quia materia sacramenti debet significare ejus effectũ. Quòd verò sufficiat alterutrũ balsamum orientale, vel occidentale, liquet, quia utrumq; eosdem habet effectus, tametsi balsamum indicum alterius videatur esse speciei.

7 Materia proxima hujus sacramenti est ipsa unctio: siquidem in sacramentis, quæ in usu consistunt, materia proxima est usus actualis materiæ remotæ circa suscipientem sacramentum; perinde ac in baptismo materia proxima est ablutio; ita in confirmatione unctio chrismatis: etenim materia proxima sacramenti est in quam proximè cadit forma: & in hoc sacramento forma proximè applicatur ipsi unctioni, quæ propterea est proxima materia: debet autem unctio fieri in formam crucis in fronte confirmandi police dextræ manus Episcopi, non autem mediante penicillo, aut alio instrumento, quia ita præcipitur in Pontificali: cœterum, si unctio fiat alio digito, vel etiam police manus sinistræ, adhuc sacramentum esset validum, neq; deberet iterari. Fit autẽ autem figura crucis in fronte tanquam in sede verecundiæ, ut confirmatus absq; ullo rubore, & verecundiâ confiteatur Christi nomen. Si quæras quantum chrismatis requiratur ad hanc unctionem. Respondetur sufficere illam exiguam quantitatẽ, quam descriptio figuræ crucis exigit.

8 Ad formam hujus sacramenti quod attinet, est: *signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti Amen.* Hanc esse formã hujus sacramenti habetur in Ecclesia ex traditione Apostolica, & continuo usu ab initio Ecclesiæ: quapropter Concilium Florentinum non aliam assignat formam, quia hæc convenientissimè significat causã principalem, quæ est sanctissima Trinitas: causam ministerialem, & est Episcopus proferens verba: effectum sacramenti, qui est constituere Christi militem, eúmq; insignire signo crucis, & roborare ad fidem intrepidè asserendam.

9 Quia verò benedictio materiæ hujꝰ sacramenti quoad modum non fuit instituta à Christo, sed ab Ecclesia, ideò posset Pontifex variare modũ hujꝰ benedictionis, quia tametsi chrisma debeat esse essentialiter benedictum, ut liquet ex perpetua Ecclesiæ praxi, omniumq; Patrum traditione: nihilominus Christus non determinavit modũ talis benedictionis, seu consecrationis, sed ipsa Ecclesia; propterea cùm sit de jure Ecclesiastico, perinde posset à Pontifice variari, sicut cœteri ritus, quibus ministrantur sacramenta, eo quia sint de jure Ecclesiastico, ut enim ait Præpositus in *3. p.q.72. a.3. dub.1. n.20* aliqua benedictio indeterminatè requiritur ex Christi institutione ad hoc ut chrisma sit debita materia hujus sacramenti: nulla tamen ab ipso fuit in particulari benedictio determinata, sed modum benedictionis reliquit ab Ecclesia determinandũ; adeo ut ille modꝰ benedictionis sufficiat, quem Ecclesia designat.

10 Hinc posset Pontifex indirectè efficere, ut nullus Episcopus validè hoc sacramentũ conferret, si nimirum omnem benedictionis modum reprobaret, nollétq; ullum sufficere, ut chrisma sit materia apta confirmationis: quia tametsi Ecclesia nil possit directè circa substantiã sacramenti, nec possit mutare ejus materiam, vel formam; potest nihilominus aliquid indirectè, quatenꝰ potest apponere aliquam conditionem, quâ impediatur materia, vel forma sacramenti. Hinc quia ad validam absolutionem requiritur jurisdictio, vel saltẽ applicatio materiæ per Ecclesiam, potest Pontifex denegare hanc jurisdictionem, vel materiæ applicationẽ: consequenter irritare absolutionẽ: ante Tridentinum matrimonium clandestinum censebatur validũ, postea Ecclesia ad plura evitanda incom̃oda apposuit conditionẽ, ut matrimonium contrahatur coram Parocho, & testibꝰ, & mediantibus præviis denunciationibus; adeò ut non apposita conditione contractꝰ sit nullus; & quia sacramentum matrimonii est adnexum contractui, ideò si hic sit nullus, irritatur etiam indirectè sacramentum matrimonii.

11 Dubitatur, an Græci validè utantur forma cùm in ministratione hujꝰ sacramenti confirmationis dicunt simpliciter *signaculum doni Spiritus S.* & subintelligitur verbũ *est*, vel *accipe*; adeò ut sensus sit, accipe signaculum doni Spiritus S. Ratio dubitandi est, quia forma, quam adhibent Latini dicentes *signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* est de essentia hujus sacramenti, & omnia præfata verba sunt essentialia, eò quia Ecclesia illis semper fuerit usa. Tum quia expressio trium personarum in unitate nominis, seu essentiæ non est minus necessaria in forma confirmationis, quàm in forma baptismi, cùm sit confirmatio quoddam complementũ baptismi. Tum quia in Concilio Florentino non assignatur alia forma, nisi illa Latinorum, in qua illa duo verba *signo*, & *confirmo* debent exprimi ad exprimendum signum crucis:

crucis: debent etiā addi illa verba *chrismate salutis*, ad distinctè, & expressè significandam unctionē illam externam, quæ debet fieri ex chrismate: item debet exprimi persona, quæ confirmatur, quia super ipsā cadit benedictio, ad hæc autē omnia forma Græcorum non videtur sufficiens.

12 Nihilominùs perquam probabile est, formam Græcorū sufficere ad validè ministrandum sacramentum confirmationis, ut docent Basilius Pontius *de sacram. confirm. p. 2. c. 7.* Amicus *in cursu Theol. to. 7. dist. 13. sect. 3.* Diana *tom. 3. tr. 1. resol. 17.* siquidē forma Græcorum, ut notat Amicus traditur *in 6. syn. gen. can. 95.* adeò ut sit Concilio Florentino multò antiquior cùm præfata synodus generalis fuerit celebrata anno circiter 750. ante ipsum Concilium Florentinū. Tum quia in Florentino congregato ad uniendā Ecclesiam Græcam, cum Latina, nulla mota fuit controversia de forma, quàm adhibent Græci in ministranda confirmatione; proinde censuit Concilium, formam illam esse sufficientem. Tum quia neque Iñocentius IV. neq; Clemens VIII. in suis Bullis de unione Græcorum cum Latinis ullam faciunt de hac forma Græcorū mentionem, eam potiùs supponentes validam: alioquin si saltem dubiam judicâssent, præscripsissent, ut per illam confirmati iterum, saltē sub conditione, confirmarentur: unde cum Pontifex in hac Bulla dogmaticè instruat Græcos de ritu essentiali administrandi sacramēta, debuisset hoc dubium in forma Græcorū tollere, si illam ut dubiam judicâsset: sicut præscripsit esse sub conditione iterum confirmandos infantes Græcos, eò quia à Græcis Presbyteris fuerunt simul baptizati, & confirmati, eò quia conferre sacramentum confirmationis non pertineat ad Presbyterum, sed Episcopum.

13 Tum quia in sacramento ordinis sufficit, si forma tantùm implicitè significet naturā sacramenti ut possit unà cum materia determinatè illam exprimere; & forma Græcorum saltem implicitè significat naturam hujus sacramenti: per signaculum enim doni Spiritûs S. exprimitur natura confirmationis, quæ est animam corroborare contra Tyrannos: & rursus eadem forma juncta cū externa unctione determinatè exprimit sacramentum confirmationis, est enim forma Græcorum accipe *signaculum doni Spiritûs S.* verbum enim *accipe* subintelligitur. Quamobrem in forma latina sacramentum confirmationis efficitur ante expressionem divinarum personarum, quia hæc expressio non videtur de essentia hujus formæ, sicut est de essentia formæ in baptismo: ratio discriminis est, quia cùm per baptismum homo primò renascatur ad fidem, debet ipsius principale mysterium ei explicitè proponi, ut credendum: per confirmationē verò cùm homo supponatur ad fidem renatus, & etiam in Christiana religione educatus, non est ampliùs necesse, ut illi explicitè proponatur mysterium Trinitatis, ut credendum, cùm supponatur illud credere, alioquin non esset Christianus.

14 Si dicas, formam Græcorum sitam in illis verbis *signaculum doni Spiritûs S.* non reddere ullū idoneum sensum, proinde non sufficere. Respondet Pontius in illis verbis subintelligi verbum *accipe*, vel *est*, & sic per ipsa reddi idoneum sensum. Tum quia moris est apud Græcos omittere verbum, quod subintelligitur, eò quia exprimatur per ipsam actionem, quæ fit in prolatione verborum, quo pacto Patres Concilii Constantinopolitani etiam absque verbo perfectam sententiam unà cum opere, quod faciebant, explicârunt illa oratione; ut si quis nuñum porrigens pauperi diceret, ecce nummum, subintelligeretur, accipe nuñum, quem tibi porrigo. Tum quia similis loquendi modus sine verbo etiā reperitur apud Lucam in consecratione calicis, ubi habetur, *hic calix novum testamentum in meo sanguine*, ubi subintelligitur, *est*: ergò tametsi in forma Græcorum subintelligatur verbum *est*, vel *accipe*, adhuc est forma sufficiens.

Si dicas secundò, in forma sacramenti esse ex- 15
primendam actionem Ministri, ut definitum fuit ab Eugenio IV. *in decr. de sacram.* & ab Alexandro III. *in c. 1. de bapt. & ejus effect.* & in hac forma *signaculum doni Spiritus S.* non exprimi actionem Ministri. Respondetur, per formam sacramenti esse quidem exprimendam actionem Ministri, non tamen semper explicitè, sed sufficere, si implicitè, ut docet D. Thomas. In forma autem Græcorum significatur implicitè actio Ministri, quatenus supposita institutione Christi jungitur cum ipsa unctione, quæ fit ab Episcopo. Etenim formæ sacramentorum cum sint practicæ, significant, quòd hic, & nunc agitur à proferente talem formam: unde eo ipso quòd Episcopus Græcus, dicens *signaculum doni Spiritus S.* ungit chrismate ipsum confirmandum significat, quod per talem actionem confertur illi gratia Spiritûs S. & ejus signaculum, quo confirmatur.

An verò summus Pontifex possit delegare po- 16
testatem ministrandi sacramentum confirmationis simplici sacerdoti. Censent plures, collationem hujus sacramenti non posse comitti simplici sacerdoti, quia putant de jure divino hanc potestatem datam esse solis Episcopis, & suñus Pontifex non potest extendere, jus divinum, seu hanc potestatem ad simplices sacerdotes. Nihilominus opposita sententia est longè probabilior, quam docent D. Thomas. *in 3. p. q. 72. a. 11. ad 1.* & ibi Præpositus *dub. 2 n 46.* Suar. *to 3. disp. 36. sect. 2.* & alii plures, & solet hæc sententia probari ex eo, quia S. Gregorius *l. 3 epistol. ep. 26. ad Januar. Episcopum Calaritanum* ait: *pervenit quoq; ad nos, quosdā scandalizatos fuisse, quòd presbyteros chrismate tantùm in fronte jungere eos, qui baptizandi sunt, prohibuimus, & nos quidem secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ facimus: sed si omninò hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyter, etiam in frontibus baptizandos chrismate debeat ungere, concedimus.* Tum quia in Concilio Florentino *decret. de sacram.* postquam declaratum fuit, quòd Minister ordinarius confirmationis sit Episcopus; postea nonnullis interjectis habetur. *Legitur tamen, aliquando per apostolicæ sedis dispensationem ex rationabili, & urgente admodum causa, simplicem sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc administrâsse confirmationis sacramentum.* Et innuit Concilium factum S. Gregorii, qui concessit facultatem simplici sacerdoti administrandi hoc sacra-

sacramentum. Tum quia Alexander VI. & Gregorius XIII. dicuntur hanc potestatem apud Indos concessisse simplicibus sacerdotibus, & quidem de Gregorio XIII. refertur à pluribus Auctoribus fide dignis: ergò Pontifices habent hanc potestatem comittendi administrationem hujus sacramenti simplici sacerdoti, & non esse de jure divino annexam soli ordini episcopali. Demum quia Adrianus VI. anno 1521. die 25. Aprilis fertur concessisse pro Indiis, & Regionibus ubi non sunt Episcopi, ut sacerdos regularis ordinis Minorum posset sacramentum confirmationis ministrare; & Henriq. *l. 3. c. 3.* asserit, indultum hujus concessionis asservari Hispali in Monasterio S. Francisci: hinc patet solutio ad fundamentum, quo nititur contraria sententia, quia non est de jure divino, quòd pro quacumque necessitate hoc sacramentum ministretur à solis Episcopis.

17 Oritur tamen difficultas, quia vel potestas ministrandi sacramentum confirmationis convenit Episcopo ratione jurisdictionis, vel consecrationis: non ratione primi, alioquin Episcopus non consecratus posset confirmare sibi subditũ, & nulla esset confirmatio ministrata non subdito, quæ absurda sunt: ergò ratione consecrationis; sed non ratione consecrationis sacerdotalis, alioquin æquè ministrarent hoc sacramentum simplices Sacerdotes, ac Episcopi: unde remanet concludendum, hanc facultatem ministrandi confirmationem convenire Episcopis ratione consecrationis episcopalis, qua cùm simplices sacerdotes careant; non potest ipsis delegari hæc potestas ministrandi hoc sacramentum, cùm sit annexa soli characteri episcopali. Tum quia aliqui sumi Pontifices, ut Damasus, Innocentius I. Leo I. Joannes III. & alii in suis decretis expresse dixerunt, potestatem conficiendi sacramentum confirmationis solis convenire summis Pontificibus, & Episcopis.

18 Sed contra, ad hoc enim responsio est facilis assignatu, quia Pontifices fuerunt tantùm locuti de potestate ordinaria, non distinguentes inter ordinariam, & extraordinariam: etenim cùm absolutè in suis decretis dixerint, hanc potestatem convenire solis sumis Pontificibus, & Episcopis, intellexerunt de potestate ordinaria: quando enim sermo est de potestate, & absolutè hæc dicitur alicui convenire, semper intelligitur de potestate ordinaria, quo pacto dicimus absolutè, Parochum non habere potestatem excomunicandi, & verum dicimus, quia intelligimus de potestate ordinaria: & nihilominus potest Parochus accipere à sumo Pontifice delegatam potestatem excomunicandi: ita licèt potestas ordinaria confirmandi non conveniat simplicibus sacerdotibus, sed solis Episcopis: potestas tamen delegata, & extraordinaria potest convenire etiam simplicibus sacerdotibus; qui tametsi careant charactere episcopali, cui proximè est adnexa potestas confirmandi; habet tamen consecrationem sacerdotalem, in qua remotè hæc potestas radicatur.

19 Quamobrem Episcopo ratione consecrationis episcopalis convenit, ut sit Minister ordinarius proximè hujus sacramenti, & simplici Presbytero ratione consecrationis sacerdotalis, ut sit Minister extraordinarius, & remotè, ac dependenter à dispensatione sumi Pontificis, adeò ut in Presbytero sit consecratio remota, sufficiens, ut posita conditione, si dispensetur, possit hoc sacramentum ministrare: perinde, ac in eodem ratione ordinis est sufficiens fundamentum, ut si accedat jurisdictio possit absolvere à peccatis, à quibus sine jurisdictione invalidè absolveret. Hinc saltem temerarium esset asserere, non posse sumum Pontificem ex plenitudine potestatis, & jurisdictionis delegare potestatẽ simplici sacerdoti conferendi sacramentum confirmationis. Imò Pontifex legitimè electus etiam antequam consecretur potest hanc potestatem simplici sacerdoti delegare ut notat Sotus *de confirm. a. 11.* quia id convenit Pontifici ratione plenitudinis potestatis, quam habet in Christi Ecclesia; hanc autem habet ante consecrationem: non enim per hanc consecrationem episcopalẽ est eminentior cœteris Episcopis; sed per legitimã electionem.

20 An verò hæc potestas concedendi facultatem simplici sacerdoti ministrandi sacramentum confirmationis pertineat privativè ad sumum Pontificem, adeò ut Episcopus non possit hanc facultatem delegare simplici sacerdoti: mihi probabilius videtur dicendũ, convenire privativè sumo Pontifici, adeò ut ille solus possit hanc potestatem delegare simplici sacerdoti, ut censent Suar. *disp. 26. sect. 2.* Paludan. *in 4. dist. 7. q. 4. n* 20. Puteanus *dub. 7. concl. 2.* Valentia *disp. 1. q. 2. punct. 1.* ubi asserit, oppositam sententiam esse temerariam: siquidẽ nunquam legitur, Episcopos dispensâsse, ut simplices sacerdotes sacramentum confirmationis ministrarent, etiam apud infideles, & ubi Episcopi pauci sunt. Quia in iis, quæ sunt juris divini non potest absolutè, & simpliciter dispensari nisi juxta modum, & mensuram ipso jure divino statutam, & concessam: & jus ministrandi hoc sacramentum est divinum, & de lege ordinaria concessum tantùm Episcopis; & facultas dispensandi soli sumo Pontifici ob plenitudinem potestatis, quam habet in Ecclesia; proinde solus sumus Pontifex, & non Episcopus potest dispensare, ut simplex sacerdos hoc conferat sacramentum; sicut olim dispensavit, ut refert Concil. Florentin. in *decreto de sacramentis.* ubi postquam dixisset, ordinarium Ministrum confirmationis esse Episcopum, nonnullis interjectis subdit. *Legitur tamen, aliquando per Apostolica Sedis dispensationem ex rationabili, & urgente admodum causa simplicem sacerdotem, chrismate per Episcopum confecto hoc administrâsse confirmationis sacramentum.* Unde Concilium asserit, potestatem ordinariam conferendi hoc sacramentum esse tantùm in Episcopis; extraordinariam verò posse esse in simplici sacerdote ex dispensatione sumi Pontificis, cui propterea privativè convenit hæc facultas dispensandi: quia D. Thomas *3. p. art. 11. ad 1.* censet, id oriri ex divina institutione, scilicèt quòd solus sumus Pontifex possit dispensare, ut simplex sacerdos hoc conferat sacramentum: alii censent id fundari in plenitudine potestatis, quam habet Pontifex in regenda Ecclesia; & cum hæc potestas plena, & universalis soli insit summo Pontifici; ideò ipse solus potest dispensare.

, Neq; ullum facessit negotium ratio, quâ nituntur Authores contrariæ sententiæ, nimirum Episcopum posse in sua peculiari Diœcesi id quod Pontifex in Ecclesia universali. Nā id non videtur verum, quia summus Pontifex quoad Ecclesiam universalem declarat articulos fidei, & quid teneantur fideles credere; & nullus Episcopus particularis potest in sua diœcesi ea infallibilitate res fidei definire: unde ex eo, quòd summus Pontifex possit dispensare, non sequitur, quòd etiam Episcopus eamdem habeat dispensandi facultatem, quia cùm Christus commiserit regimen totius Ecclesiæ soli summo Pontifici, illi soli etiam dedit plenitudinem potestatis in regenda Ecclesia. Præterea licèt ex sola Ecclesiastica prohibitione denegatum esset Episcopis, hanc facultatem delegare simplici sacerdoti, adhuc stante tali prohibitione non posset Episcopus, nec licitè, nec validè hanc potestatem delegare, quia tametsi collatio hujus Sacramenti sit exercitium ordinis: ipsa tamen concessio facultatis est actus jurisdictionis, quam potest summus Pontifex efficaciter impedire, sicut potest jurisdictionē tollere; quâ sublatâ nulla esset concessio, quia sine jurisdictione non datur actus jurisdictionis, perinde ac sine causa non datur effect⁹.

22 Quòd si Pontifex etiam absque justa causa dispensaret, ut simplex sacerdos conferret sacramentum confirmationis, adhuc dispensatio valida esset; quia non est dispensatio in lege divina; sed tantùm est concessio alicujus potestatis ei similis, quam Pontifex alicui sacerdoti concederet ad absolvendum à peccatis, etiam sibi soli reservatis; quæ concessio valida esset, tametsi sine justa causa fieret, & ne pœnitentes damnarentur. Tum quia si requireretur justa causa, ut concessio valida esset, res esset pluribus obnoxia scrupulis: & periculis quia fideles semper possent esse anxii, num hoc sacramentum validè reciperent.

23 An verò possit Pontifex dispensare, ut infantes ante usum rationis sacramentum suscipiant confirmationis. Respondetur affirmativè, quia quod infantes confirmentur septennes, & post usum rationis est tantùm præceptum Ecclesiasticum, super quo potest Pontifex dispensare; non enim Christus instituit, quòd soli infantes septennes, & post usum rationis suscipiant hoc sacramentum: & quæ non sunt de jure divino possunt ab Ecclesia immutari. Tum quia ut refert Basilius Pontius *de sacr. confirmat. p. 5. c. 1. n. 4.* in Ecclesiæ exordio imò, & post Apostolos per aliquot annos infantibus simul cum baptismo sacramentum conferebatur confirmationis, idque desumitur ex Tertulliano *lib. de baptis. c. 7. & 8.* & ex Innocentio I. *in epist. ad Decentium c. 3.* quæ incipit *de consignandis verò infantibus*, & ex Gregorio II. *lib. 3. ep. 4.* qua de re habetur etiam decretum apud Gratianum *c. si cui de consec. dist. 4.* Tum quia Græci, & Æthiopes solent hoc sacramentum conferre infantibus ante septennium. Quinimò censent aliqui probabile, posse etiam sine Pontificia dispensatione in aliquo casu infantem nondum septennem ex justa causa confirmari: ut si ante septennium ostenderet sufficientem usum rationis; quia tunc esset habendus ut adultus: ut etiam si Episcopus per plures annos esset abfuturus, & non superesset, qui hoc sacramentum ministraret. Ut etiam si infans versaretur in mortis periculo, & Episcopus dignum duceret, ad ipsum accedere, si esset infans alicujus Principis, ut notavit Innocentius Papa *epist. 1. ad Decentium* Quòd si Episcopus sine justa causa infantem confirmaret ante septennium, & usum rationis, censent plures, eum non peccaturum mortaliter, sed tantùm venialiter.

Dubitant aliqui, an possit Pontifex sub pecca- 24
to mortali præcipere susceptionem sacramenti confirmationis. Certum est, nullum extare divinum præceptum naturale de sumendo sacramento confirmationis; siquidem ex praxi Ecclesiæ parvuli non suscipiunt hoc sacramentum ante usum rationis, & nihilominus plures eorum nondum septennes decedunt, & salutem consequuntur. Imò neque quoad adultos extat divinum præceptum naturale suscipiendi sacramentum confirmationis in re, vel in voto: siquidem in sacramentis, in quibus reperitur hoc præceptum est absolutè necessarius effectus sacramenti ad salutem, & ratione illius dicimus, sacramentum esse necessarium, vel in re, vel in voto iis, qui in re non possunt illud suscipere: alii verò debent illud suscipere in re; tametsi non sint capaces voti, cujusmodi sunt parvuli: quo pacto dicimus Sacramentum baptismi in re esse simpliciter necessarium parvulis; & adultis vel in re, vel in voto. Eodem pacto dicimus, sacramentum pœnitentiæ esse necessarium simpliciter lapsis in peccatis mortalibus, vel in re, vel in voto, quia ejus effectus, qui est prima gratia sanctificans est medium simpliciter necessarium ad salutem. Effectus verò confirmationis cùm sit tantùm robur ad protestandam fidem, non est simpliciter necessarius, quia aliis mediis potest idem effectus obtineri, cùm ex scripturis non constet, hunc effectum esse alligatum soli sacramento confirmationis: quapropter non est simpliciter hoc sacramentum necessarium ad salutem, nec in re, nec in voto; quapropter infantes decedentes ante septennium sine hoc sacramento salutem consequuntur.

An verò quando commodè potest suscipi, ad- 25
sit præceptum divinum positivum illud suscipiendi quoad adultos, plures affirmant. Alii tamen negant, adesse hoc præceptum divinum quod obliget sub motali, etiam si commodè suscipi possit secluso tamen contemptu: quia ex nullo sufficienti fundamento colligi potest dari hoc præceptū: non ex natura institutionis; neque ex verbis SS. Patrum, cùm ipsi tantùm requirant confirmationem ad majorem perfectionem Christiani nominis: & hæc sententia est communior, eique adhærendum. Supposito igitur, quòd non adsit divinum præceptum naturale, neque positivum de sumendo sacramento confirmationis. Oritur difficultas, an summus Pontifex possit illud præcipere sub peccato gravi.

Respondetur affirmativè, quia Pontifex de- 26
facto illud præcipit illis, qui ad ordines Ecclesiasticos promoventur, ut colligitur ex Tridentino *sess. 23. c. 4. de reformat* ubi prohibetur initiari prima tonsura, qui priùs sacramentum confirma-

firmationis non susceperit: verba Concilii cùm sint præceptiva vim habent legis, quia superiorum Leges hoc modo ordinariè feruntur; & id sufficit, quia illa verba sufficienter explicant imperium: ergò summus Pontifex, & Ecclesia potest præcipere sumptionem hujus sacramenti. An verò hoc præceptum obliget sub mortali, vel veniali, probabilius est, obligare sub culpa lethali: quia verba Concilii sufficiunt ad inducendam gravem obligationem. Hinc Episcopi collaturi ordines, aut primam tonsuram diligenter inquirunt de prævia confirmatione, de qua tanquam de re gravi sunt solliciti. Tum quia si non adesset hæc obligatio, posset qui non confirmatur promoveri absque gravi causa usque ad Episcopatum, & liberè confirmare alios, quod videtur absurdum; & non sine scandalo audiretur, quòd Episcopus non confirmatus alios confirmaret: quia non desunt, qui censeant, eum peccare mortaliter, qui non confirmatus teneret alterum in confirmatione: nec contraheret spiritualem cognationem: atqui multò plus est confirmare, quàm tenere in confirmatione: ergò si Episcopus non confirmatus alios confirmaret, non excusaretur à culpa gravi.

§. III.

De extrema Unctione.

1 SAcra unctio adhibetur etiam infirmis in vitæ discrimine constitutis, & hujusmodi unctio est sacramentum institutum à Christo, & licèt non constet de tempore, quo fuit institutum, ex perpetua tamen traditione Ecclesiæ græcæ, & latinæ habetur, hanc extremam unctionem esse Sacramentum à Christo institutum, & juxta Concilium Tridentinum fuit insinuatum Marci 6. ubi Apostoli à Christo missi ungebant oleo multos ægrotos, quos sanabant: & promulgatum fuit à Divo Jacobo illis verbis *infirmatur quis in vobis*. est igitur hæc unctio sacramentum, quo ægroti constituti in vitæ discrimine oleo consecrato ab Episcopo sub certa verborum forma inunguntur; ut à morbi molestiis releventur, & si ita expediat sanitati restituantur, vel faciliùs ex hac vita emigrent: unde duplex in hoc sacramento adest unctio, interior una, & est spiritualis, ac invisibilis, quâ anima inungitur, & illi confertur gratia supernaturalis; & alia exterior materialis, ac visibilis, qua corpus delinitur, ut liquet ex *c. unico in princ. b. t.*

2 Materia hujus sacræ unctionis ex divina institutione est oleum expressum ex olivis, & ab Episcopo consecratum, ut constat ex *d. c. unico b. t.* & licèt modica quantitas olei non consecrati possit ex necessitate misceri alteri consecrato, non tamen quantitas olei non consecrati debet esse major: si quis enim mediæ unciæ olei consecrati vellet addere, quatuor libras olei non consecrati, totum non censeretur consecratum, quia denominatio fit à potiori, & pars major ad se trahit minorem: inunguntur hoc oleo consecrato de necessitate oculi, aures, nares, manus, labia, & si quis careat aliquo ex hisce membris unctio fit in locis proximioribus, ut si ungendus cœcus sit, delinitur in organo visûs, & si organo careat in illa cavitate; ita enim Christus instituit, quia hoc sacramentum applicatur infirmo per modum perfectæ medicinæ ad sananda omnia animæ vulnera, quapropter congruenter applicatur omnibus sensibus externis, tanquam radicibus, ex quibus pullulant peccata; vel fenestris, per quas peccata ingrediuntur in animam. Ex more quarundam Ecclesiarum inunguntur etiam renes, in quibus est sedes concupiscentiæ, ut etiam pedes ob vim progressivam, & executionem. Fæminæ tamen ratione pudoris, & honestatis non inunguntur in renibus. Est igitur materia extremæ unctionis oleum expressum ex olivis, quia optimè significat effectum hujus sacramenti, lenit enim dolorem; quapropter significat alleviationem infirmi, Rursus curat vulnera, & ad intima penetrat, & significat remissionem peccatorum, perfectámque curationem vulnerum animæ. Demùm significat misericordiam, quâ maximè tunc indiget infirmus, & gratiam Spiritûs Sancti, qua anima ægrotantis invisibiliter ungitur juxta Concilium Tridentinum. Hinc non potest hæc unctio fieri per sacrum Chrisma, quia id non est ex usu, & praxi Ecclesiæ. Cæterum si sacerdos per errorem ungeret infirmum non oleo, sed sacro Chrismate; adhuc sacramentum esset validè collatum, quia in Chrismate, est oleum olivarum, seu materia hujus sacramenti. Non tamen sufficiens esset, in quavis unctione unicam olei guttulam stillare, quia id non esset ungere: siquidem unctio non habetur per stillicidum, sed per delinitionem, quâ pars, quæ ungitur, oleo perfunditur.

3 Rursus licèt ad validitatem hujus sacramenti non sit necesse, ut oleum fuerit hoc anno benedictum: nihilominus ex consuetudine, usu, & præcepto debet esse benedictum eo anno, quo infirmus inungitur; adeò ut adhibere oleum benedictum ante octo annos absque necessitate non vacet peccato; & debet esse simplex expressum ex puris olivis, tametsi modica alterius liquoris admixtio insufficiens foret ad immutandam propriam naturam olei.

4 Præterea unctio debet ita fieri, ut figura describatur crucis, licèt non sit de necessitate sacramenti; cum nullum in scripturis, & Conciliis sufficiens reperiatur fundamentum. Ex præcepto unctio debet esse quintuplex, seu unctio in quinque sensibus, quia hoc sacramentum est institutum ad tollendas sordes, & reliquias peccatorum: unde ibi congruè adhibetur, unde peccata suam traxerunt originem, ut sunt oculi, aures, nares, manus, & os. Sacerdotes tamen non unguntur in palma manûs, sed in superiori versa manu, quia semel in palma fuerunt inuncti in susceptione ordinis sacerdotalis. Non tamen est necessarium necessitate sacramenti, ut in ungendis quinque sensibus ordo servetur: quia mutato ordine; adhuc manet completa significatio, ut etiam per unctionem unius tantùm organi; adeò ut non sit necesse ungi utrumque organum unius sensûs, utrumque oculum, utramque aurem, & manum utramque, ut docent communiter cum Suarez *disput. 40. sect. 2. n. 5.* Servanda tamen est ex præcepto lo-

corum consuetudo, quæ multis in locis inolevit, ut in organis duplex crux describatur sub unica forma.

5 Hujus sacræ unctionis forma est, quæ traditur in Concilio Florentino in Armenorum instructione, & Tridentino *sess. 14. c. 1.* éstque: *Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid per visum deliquisti:* & sic de aliis sensibus per auditum, odoratum, gustum, & tactum. Proferenda est hæc forma modo deprecativo: quia datur infirmis laborantibus in extremis, ac proinde indigentibus oratione; quapropter divinæ commendantur clementiæ. Licèt ad singulas unctiones quinque sensuum sit repetenda tota forma; si tamen necessitas urgeret, vel ob periculum pestis, vel quia moribundus est animam [e]fflaturus, posset Minister unica unctione ungere quinque sensus, unum oculum, unam aurem, unam manum, & super hanc totam unctionem proferre formam comprehendentem quinque sensus hoc pacto *per has sacras unctiones indulgeat tibi Deus quidquid per visum, auditum, odoratum, gustum & tactum deliquisti.* Hoc enim pacto non fit injuria sacramento, & consulitur indigentiæ proximi: quia beneficio sacramenti de attrito potest fieri contritus, si à parte rei conferatur sacramentum. Hæc forma habet vim ex opere operato, non ex fide, vel devotione recipientis. In praxi tamen non est recedendum à communi usu, & consuetudine, nisi aliter urgens necessitas postulaverit.

6 Adhibetur hæc sacra unctio solis baptizatis; siquidem per solùm baptismum fit quis capax ad recipienda cætera sacramenta; rursus adhibetur adultis, & periculoso morbo laborantibus; adeò ut prudenter dubitetur de vita, ut colligitur ex verbis Jacobi *infirmatur quis in vobis &c. alleviabit eum*; siquidem adhibetur ut remedium supernaturale ad recuperandam sanitatem corporis, si ita expediat; & non est recurrendum ad remedia supernaturalia, quando suppetunt naturalia.

7 Non tamen potest hæc extrema unctio dari ultimo supplicio afficiendis, quia ex Christi institutione subjectum hujus sacramenti est homo infirmus, & cui vires deficiunt: non qui violenter ab extrinseco debet ob patrata delicta ultimo affici supplicio: siquidem, qui morti à judice damnantur ob scelera, non sunt infirmi, nec viribus destituti. Tum quia effectus hujus sacramenti est alleviare infirmum, & ipsum restituere pristinæ sanitati si expediens sit: & hunc effectum non habet hoc sacramentum in iis, qui ex sententia judicis sunt ultimo plectendi supplicio; siquidem non possunt mortem evadere. Quòd si isti gravi morbo laborarent posset ipsis hoc sacramentum ministrari, quia tametsi non esset profuturum ad sanitatem corporis, posset tamen ad salutem animæ prodesse. Rursus impertitur hæc sacra unctio adultis, & habentibus usum rationis, vel saltem illis, qui paulò ante fuerunt sui compotes; quapropter non impertitur pueris, nec amentibus à nativitate, cùm isti nullas habeant peccatorum reliquias. Quòd si amentes fuerunt aliquando sui compotes, & hoc sacramentum implicitè, vel virtualiter petierint, vel optaverint, illis esset conferendum: dummodo probabile esset, eos non incidisse in amentiam in statu peccati mortalis, quia hoc sacramentum non confertur existentibus in statu peccati mortalis, nec impœnitentibus. *can. illud superfluum dist. 95.* Quòd si dubitetur, an aliquis jam efflaverit animam, ac sit mortuus, cum actualiter illi administratur hæc sacra unctio; tunc sub conditione, *si non est mortuus*, est continuanda, & absolvenda unctio.

Effectus præcipuus hujus sacræ unctionis est 8
remissio peccatorum, non solùm venialium, ut quidam volunt, sed etiam lethalium, quia Apostolus absolutè, & generatim dicit, *& si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Tum quia in forma hujus unctionis dicitur, *quidquid deliquisti*, quod comprehendit peccata, tum venialia, tum mortalia; quia hæc sunt etiam reliquiæ peccatorum. Potest enim contigisse, ut quis confessionem, & communionem non ritè peregerit, & hoc ipsum invincibiliter ignorare: vel etiam quod post confessionem, & communionem legitimè peractam inciderit in peccatum mortale, & quod id etiam ignoret: & cùm non possit illud delere per confessionem, expiatur per hanc sacram unctionem, dummodo sit attritus. Præterea quia ad id fuit hæc sacra unctio instituta à Christo, ut ejus beneficio remitterentur peccata, quæ per sacramentum pœnitentiæ non fuerunt deleta. Alius hujus sacræ unctionis effectus est alleviare infirmum ab ægritudine, si ita expediat.

Minister hujus sacræ unctionis quoad ejus va- 9
lorem est solus sacerdos, licèt excommunicatus, suspensus, & degradatus, ut liquet ex Tridentino *sess. 14. can. 4.* & colligitur ex verbis Jacobi, *infirmatur quis ex vobis inducat Presbyteros*; & licèt illa vox, Presbyter, ambigua sit, ac significet majorem tam ætate, quàm dignitate: nihilominus ex verbis Jacobi satis apertè constat, per Presbyterum intelligi solum sacerdotem ab Episcopo ordinatum, ut definivit Tridentinum *loc. cit.* Hinc in nullo casu; etiam extremæ necessitatis, licitum est alteri, hanc sacrã unctionem ministrare, quia in rebus spiritualibus fundatis in Christi institutione non est addenda exceptio absque evidenti ratione, & authoritate: Quinimo ex sacerdotibus illi tantùm hanc sacram unctionem administrant, qui habent jurisdictionem ab Ecclesia non impeditam, adeò ut, qui non est Parochus, nec curatus, nec proprius sacerdos graviter peccet, si absque licentia Parochi hanc unctionem ministret: quapropter vetitum est etiam Religiosis administrare hoc sacramentum sæcularibus, sive Clericis, sive laicis absque speciali licentia Parochi: idque sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, cujus absolutio summo Pontifici reservatur *Clement. I. in princ. de privilegiis.* quod tamen intelligendum est extra urgentem necessitatem, quia si extrema necessitas urgeret, & Parochus non posset adesse in illo casu cum ratihabitione parochi posset Religiosus hanc ministrare unctionem, quia tunc

tunc præsumitur consensus Ecclesiæ, & licentia sumi Pontificis, & Episcopi, imò & parochi, cùm omnes velint consulere saluti proximorum. Imò Suarez *disput.44.sect.2.* Sotus *in 4.dist.23. q.2. art.1.* & alii probabilius censent, non requiri talem præsumptam ratihabitionem, ut Religiosi excusentur ab incurrenda excommunicatione, si hanc sacram unctionem laicis impertiantur in extrema necessitate, & imminente jam morte, quando non illucet spes, ut possit Parochus adesse: quia non videtur vero simile, quòd Ecclesia velit privare infirmum hoc sacramento: proinde nec cuiquam prohibere, quin in extrema necessitate, si Parochus non possit adesse, hanc administret unctionem. Hoc etiam procedit, si Parochus nollet expressè, nec per se, nec per alium, tale sacramentum ministrare, dummodo scandalum vitetur, & constet Parochum injustè denegare hanc sacram unctionem, quia tunc Religiosus non censeretur sibi usurpare jus alterius, sed tantùm defendere innocentem.

§. IV.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selecta quæstiones.

1 QUæritur primò, an unctio Chrismatis, quæ post baptismum fit in collatione sacramenti confirmationis adhibenda sit adultis, si immineat ipsis mortis periculum? Respondetur, non esse de necessitate, ut ipsis ministretur hoc sacramentum per hanc unctionem, quia non adest ullum præceptum obligans sub mortali ad suscipiendum hoc sacramentum: proinde non peccat, qui secluso contemptu illud non suscipit, ut docet D. Thomas *3.par.q.72. art.8.ad 4.* Suarez *disputat. 38. de Sacrament. sect.1.* Covarruvias *l.1.variar. resol. c.10.n.5.* quia non est inducenda obligatio præcepti nisi constet de tali obligatione: atqui non constat adesse aliquot præceptum sive divinum, sive Ecclesiasticum de suscipienda confirmatione; imò id deducitur etiam ex praxi Ecclesiæ, quæ non determinavit tempus, in quo susciperetur hæc sacra unctio, imò nec cogit ad eam suscipiendam. Cæterum putârim, posse, hanc sacram unctionem Chrismatis ministrari etiam, quando imminet mortis periculum, id enim docent D. Thomas *3.p.q.72. art.8. ad 4.* Suarez *disp. 35. de sacrament. sect. 2. in fin.* Diana *p.5. tract. 3. resol. 30.* Pasqualig. *in sua theoria, & prax. quæst.100.* Layman. *lib. 5. theol. moral. tract.305. n.3. q.5.* idque desumitur, ex *c. ut Episcopi de consecrat. dist.5.* ibi enim statuitur, ut Episcopi ministrent hanc chrismatis unctionem jejuni. Dispensatur tamen quando ministranda est hæc unctio infirmis, aut morte periclitantibus ibi: *Ut Episcopi nonnisi jejuni per impositionem manuum Spiritum Sanctum tradant, exceptis infirmis, & morte periclitantibus*, unde si jura censent, legem de servando jejunio esse relaxandam, ut possint Episcopi hoc Sacramentum morituris ministrare; sequitur, quòd hæc unctio chrismatis possit ministrari constitutis in mortis periculo.

Neque obstat, quòd hæc unctio Chrismatis non dicatur necessaria ad assecutionem salutis, nec ad roborandos morituros contra hostes fidei: quia adhuc unctio Chrismatis est necessaria ad conferendam perfectionem statûs spiritualis, ut docet D. Thomas *3. p q.72. art 8. in corp.* etenim sicut per baptismum anima spiritualiter nascitur, ita per confirmationem recipit perfectionem spiritualis statûs; adeò ut si privetur hac Chrismatis unctione detrimentum patiatur spiritualis perfectionis, & destituatur illâ gratiâ, quam hoc sacramentum confert: proinde etiam privetur gloriâ correspondente, & ornamento characteris spiritualis: hæ siquidem omnes privationes horum bonorum cedunt in detrimentum, & damnum eorum, qui hac chrismatis unctione privantur. Hinc Hadrianus *in 4. quæst. de confirm. art.1.* censet, adultum constitutum in imminente mortis periculo teneri ad hanc chrismatis unctionem suscipiendam. Verùm id limitat quando adest consuetudo inducens obligationem ad illam suscipiendam. Non extare autem hanc consuetudinem pro constitutis in mortis periculo asserit Zambranus *in suis decis. c.2. de confir. dub.5. n.4.*

Quæritur secundò, an pueri nondum septennes, capaces sint hujus unctionis chrismatis. 2
Moris fuisse antiquitus, ut hæc chrismatis unctio ministraretur pueris ante usum rationis, & statim post baptismum, refert Tertullianus *c.7. & 8.* & D. Augustinus *lib. de eccles. Dog. cap. 52.* & desumitur etiam ex *c. de his verò de consecrat. dist.5.* ex quo deducitur, non esse contra naturam hujus unctionis chrismatis, ut ministretur infantibus, licèt postea consultius visum fuerit, ut hæc unctio non ministraretur ante usum rationis, ut habetur in Catechismo Romano sub Pio V. *p.2.c.3. n.14.* ibi: *Omnibus quidem post baptismum Confirmationis sacramentum posse administrari non est dubium, sed minùs tamen expediri hoc fieri antequam pueri rationis usum habuerint. Unde si duodecimus annus expectandus non videatur, certè usque ad septimum hoc sacramentum differre maximè convenit.* Ratio ex eo desumitur, quia hoc sacramentum Chrismatis est ex natura sua ordinatum ad perficiendam animam speciali modo: sicut enim baptismus, ut docet D. Thomas *par. 3. q.72. art. 3. ad 4.* tribuit animæ vitam spiritualem, ita confirmatio tribuit incrementum in eadem vita spirituali, & speciale robur; quo Christianus fit fortior contra hostes fidei: proinde hæc Chrismatis unctio est necessaria pro acquirenda hac perfectione vitæ spiritualis: proinde non est conveniens, quòd pueri nondum septennes careant hac spirituali perfectione, si illis immineat mortis periculum. Neque obstat, quòd in Pontificali Romano edito jussu Clementis VIII. *tit. de confirmat.* dicatur, *Nullus Christianæ fidei documentis non edoctus ingerat se ad percipiendum hoc sacramentum confirmationis, vel ad tenendum confirmandum*, ex quo colligitur, confirmandum debere esse instructum in fide: sed pueri nondum septennes non sunt capaces hujus instructionis. Nam contra est, quia Pontificale ibi tantùm loquitur de adultis confirman-

mandis, & deducitur ex illo verbo *ingerat se*, denotat enim accessum ex propriâ deliberatione, & ita deliberare, tantùm adulti, & qui usu utuntur rationis, possunt.

4 Quæritur tertiò, an unctio Chrismatis possit ministrari amentibus? Respondetur perpetuò amentibus, qui tales fuerunt à nativitate esse ministrandam hanc Chrismatis unctionem, ut docent Suarez *de Sacramen. dist. 35. sect. 2. V. dicendum.* Pasqualig. *in theor. & prax. q. 103. punct. 3.* Diana *p. 3. tract. 4. resol. 20.* Barbosa *de potest. Episc. p. 2. alleg. 30. n. 21.* siquidem perpetuò amentes à nativitate non habent quidquam, quod obstet susceptioni hujus sacramenti, non enim ponunt objicem peccati, quia cùm careant usu rationis non operantur liberè, quod requiritur ad peccatum: & aliàs ante usum rationis sunt capaces unctionis chrismatis; perinde ac fuerunt capaces baptismi; quia eorum voluntates, perinde ac illæ puerorum censentur esse in voluntatibus parentum, quapropter amentes non debent privari fructu hujus sacramenti, nec illa perfectione spiritualis vitæ, quam tribuit: imò censet Pasqualigus, adhuc esse capaces hac unctione chrismatis, tametsi post usum rationis lapsi fuerint in amentiam, dummodo non constet, fuisse tunc in statu peccati mortalis: quia cum sacramentum chrismatis connexum sit cum sacramento baptismi, & ordinetur ad perficiendum, quod per baptismum inchoatum fuerat, ideò eo ipso quòd quis baptismum suscipit; virtualiter intendit etiam suscipere sacramentum chrismatis: qui enim vult unum ex connexis, censetur etiam virtualiter velle aliud, præsertim si unum sit perfectivum alterius: quamobrem cùm primùm quis post usum rationis incidit in amentiam, præsumitur interpretativè velle sacram chrismatis unctionem; cum agatur de illius commodo spirituali, & præsumatur tunc sufficienter dispositus, & non constet de contrario.

5 Quæritur quartò, an Episcopus teneatur sub peccato lethali ministrare sacram chrismatis unctionem constitutis in mortis periculo. Ratio dubitandi est, quia Episcopus tenetur ex officio opportunis temporibus ministrare hoc sacramentum confirmationis, & si omittat, negligit fungi suo officio in re gravi, proinde non excusatur à lethali culpa, ita docent Granadus *3. p. controver. 5. tract. 2. disp. 2. n. 4.* Leander *tom. 1. de sacramen. tract. 3. q. 7.* Sylvester. *V. Confirmatio n. 3.* & quia quando periculum imminet mortis, tempus est vel maximè opportunum, ideò tenetur tunc Episcopus ei ministrare hanc chrismatis unctionem, ne fidelis privetur hac spirituali perfectione, gratiâ, & charactere hujus sacramenti. Respondetur, probabile esse, Episcopos non teneri sub mortali ad ministrandum hoc sacramentum morti damnatis, quia ut rectè notat Pasqualigus *loc cit. q. 105.* tametsi Episcopi ex officio teneantur ministrare hoc sacramentum, & subditi jus habeant ad ipsum petendum, non tamen Episcopi obligantur, nisi prout consuetudo, quæ jam inolevit, interpretatur obligationem; lex enim non obligat, nisi secundùm quod accipit interpretationem ab observantia *c. dilectus de consuet. Clement. Exivi §. item quia de V. S. L. interpretatione ff. de legib.* atqui praxis, & observantia declarat, quòd Episcopus non teneatur administrare hoc sacramentum nisi solùm statutis temporibus. Hinc ad rationem dubitandi respondetur, subditum non habere jus petendi Sacramentum Confirmationis nisi secundùm mensuram obligationis ejusdem Episcopi: siquidem hoc jus, & obligatio Pastorum sibi mutuò correspondent, proinde cum Episcopus non teneatur ministrare quocunque tempore: nec etiam subditus potest quocunque tempore petere hanc chrismatis unctionem. Cæterum consultius semper foret ministrare quocunque tempore hanc chrismatis unctionem; quamvis ad id non adsit præceptum.

Quæritur quintò, an extrema unctio ministranda sit carentibus usu rationis? Respondetur affirmativè, dummodo concurrant duæ conditiones, quarum prima est si Christianè vixerint: Secunda si non constet fuisse in peccato lethali, quando usum amiserunt rationis, idque desumitur ex *c. Majores de baptis.* & ex Concilio Arausicano II. *can. 11.* ubi statuitur, quòd subitò obmutescenti conferenda sint sacramenta, si voluntatis præteritæ testimonium habeat in aliorum verbis, aut in suo nutu: atqui est eadem ratio de obmutescente, seu amittente usum sensuum, ac de amittentibus usum rationis quoad sacramenta, quæ non requirunt operationes suscipientis, qualis est extrema unctio. Tum quia plerumque amissio sensuum nectitur cum amissione usus rationis. Præterea eo ipso, quòd quis Christianè vixit habet testimonium in anteacta vita suæ voluntatis: siquidem in ipsa vita Christiana est tacita, & interpretativa voluntas suscipiendi sacramenta, & adhibendi omnia media, quæ conducunt ad salutem: est enim Christiana vita via ad consecutionẽ æternæ salutis: & qui est in via, habet intentionem perveniendi ad terminum: proinde voluntatem adhibendi media conducentia ad ipsum. Idque firmatur ex eodem Concilio relato in *c. qui recedunt 26. q. 6.* ubi statuitur, ut quæ pietatis sunt, seu ad assecutionem æternæ salutis conducunt, conferantur amentibus, ut possint salutem consequi: potest autem contingere, ut cum quis in amentiam incidit, sit in statu peccati, sed tamen attritus, proinde sufficienter dispositus pro hoc sacramento, quod propterea si ipsi ministretur acquirat vitam æternam. 6

Quæritur sextò, an etiam furiosis, & phræneticis sit extrema unctio ministranda? Respondetur affirmativè, dummodò quid aliud non obsit, quia si non posset ministrari maximè, quia huic sacramento inferretur irreverentia: atqui non apparet, quæ irreverentia posset huic sacramento inferri, cùm non possit, ut Eucharistia exspui, & furiosus tantùm possit resistere, quæ tamen resistentia ex parte ipsius non est irreverentia cum nesciat, quid faciat; & tunc furiosus esset ligandus, ut possit ipsi ministrari extrema unctio: neque ex parte Sacramenti apparet irreverentia, quia cùm consistat in actione transeunte nil recipit, quod inferat irreverentiam, & ita 7

& ita docent Barbosa *de offic. Parochi. c. 22.* Pasqualigus *in sua theor. & prax. q. 373.* D. Antoninus *2. p. tit. 14. c. 15. §. 6. in fin.* Neque obstat, quòd furiosi, & phrænetici possint esse indispositi, in quo casu Minister se exponeret periculo peccandi mortaliter, & irritandi sacramentum. Nam cum non constet de indispositione, præsumitur dispositus, quæ præsumptio fundatur in eo, quòd Christianè quis vixerit: stante autem hac præsumptione ministrans prudenter operatur, & juxta praxin ecclesiæ: proinde non se exponit periculo peccandi, nec irritandi sacramentum: quia tametsi hoc irritaretur, adhuc periculum esset incognitum, & quando non innotescit, non obligat ad fugam.

8 Quæritur septimò, an extrema unctio ministrari debeat damnatis ad mortem? Respondetur cum distinctione, si simul sint infirmi infirmitate gravi, & periculosa, adeò ut possit ex ipsa probabiliter mors timeri, tunc potest ipsis ministrari extrema unctio, quia tunc ratione infirmitatis periculosæ sunt subjecta capacia extremæ unctionis, neque hæc capacitas tollitur per sententiam Judicis, quia hæc est extrinseca, & non tollit qualitatem intrinsecam, seu infirmitatem periculosam, quæ constituit hominem capacem extremæ unctionis: Tum quia si Judex condonaret pœnam mortis, adhuc homo stante tali infirmitate periculosa esset capax extremæ unctionis quia condonatio non mutat intrinsecè subjectum, nec ponit in ipso capacitatem. Sin verò damnati ad mortem non infirmentur, non debet illis extrema unctio ministrari, & est sententia communis; quia subjectum capax hujus unctionis est tantùm infirmus, ut desumitur ex verbis Apostoli Jacobi: *Infirmatur quis ex vobis*, vult Apostolus, hoc sacramentum esse infirmis adhibendum: proinde non potest ministrari iis, qui non sunt infirmi, quamvis sint constituti in periculo mortis, ut versantes in periculo naufragii, præliantes in castris, damnati ad mortem per sententiam Judicis: neque potest alia ratio assignari, quàm institutio Christi, quia quantum est ex natura hujus sacramenti non repugnaret, quòd omnibus morti proximis ministraretur, si Christus id instituisset.

Quæritur octavò, an pueris statim post usum rationis sit ministranda extrema unctio? Respondetur pueris capacibus usus rationis posse ministrari extremam unctionem, quia eo ipso quòd sunt capaces sacramenti pœnitentiæ, sunt etiam capaces effectûs hujus sacramenti, seu remissionis peccatorum, vel reliquiarum eorundem. Tum quia si possunt peccare sunt obnoxii tentationibus, & possunt animo decumbere, proinde possunt etiam virtute sacramenti alleviari, & corroborari contra tentationes, quod præstat extrema unctio. 9

TITULUS XVI.

De Sacramentis non iterandis.

Titulum, qui præcedit, rectè sequitur præsens de sacramentis non iterandis; & procedit de illis sacramentis, quæ imprimunt characterem, cujusmodi sunt Baptismus, Confirmatio, & Ordo: hæc enim sacramenta non posse iterari, certum est ex fide catholica. Quando autem aliquid omissum est, vel deest ex juris solemnitate, supplendum est juxta *c. unic. in princ. tit. præced.*

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Trium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

CAP. PASTORALIS 1. h. t. Innocentius III. declarat, quòd quando quis est ordinatus sine manuum impositione, vel est confirmatus cum oleo, & non chrismate; non sunt sacramenta reiteranda, sed tantùm cautè supplendum, quod ex incuria fuit omissum. Ubi notandum est cum Glossa, ordinatum non debere ministrare, antequam defectus suppleatur. Rursus illud non dici iterari, quod priùs actum non fuit.

C. A NOBIS 2. h. t. Honorius III. rescribit Archiepiscopo Lundonensi, corpora sepulta à schismaticis non esse exhumanda, nec indumenta sacerdotalia, in quibus degradati celebrârunt, esse iterum benedicenda, ut nec altaria consecranda. Ratio est: quia utile per inutile non vitiatur: & ornamenta ecclesiastica ex defectu personæ non polluuntur.

C. PRESBYTER 3. h. t. statuit Gregorius IX. omissionem impositionis manuum in ordinatio-

ne Diaconi, vel Presbyteri supplendam esse sequenti ordinatione. Rursus Presbyteros debere manus suspendere, quando Episcopus orationem incipit; tunc enim Presbyteri omnes, qui primò tangebant caput ordinandi, debent elevare manus, nec amplius ejus caput tangere. Rursus super caput Diaconi solus Episcopus manus imponit, sed super caput sacerdotis ordinandi Episcopus, & Presbyteri præsentes.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quæ Sacramenta non possint iterari.

1 Xpensis in præcedenti titulo iis, quæ videbantur spectare ad sacram unctionem, quæ adhibetur in pluribus sacramentis, baptismi, confirmationis, ordinis, & extremæ unctionis, quia inter Sacramenta dantur aliqua, quæ iterantur, & alia quæ non possunt iterari: ideò in præsenti titulo disquiritur, quænam ex sacramentis iterari possint, & quæ non. Est sacramentum signum sensibile, non solùm significans, verùm etiam infallibiliter efficiens rem sacram, seu gratiam sanctificantem homines, ut definitur à S. Thoma *3. p. q. 60. art. 2. & 3.* dicitur enim signum sensibile, quia præter speciem sui, quam sensibus ingerit, ducit in cognitionem alterius, seu gratiæ, quam significat, & causat infallibiliter in suscipiente, nisi ponatur obex. Tripliciter potest sacramentum dici signum, rememorativum passionis, demonstrativum gratiæ, & prognosticum gloriæ.

2 Hæc sacramenta in lege Evangelica sunt septem, nec plura, nec pauciora, ut constat ex Conciliis Florentino, & Tridentino, quorum numerus partim est expressus in scripturis, & partim non obscurè insinuatur. Ratio hujus septennarii numeri præcipua est Christi voluntas, & institutio. Congruentias verò, cur sint septem, tantùm explicat D. Thomas *3. p. q. 65. art. 1.* ex analogia ad vitam corporalem, quia sicut in hac primò habetur generatio, postea corroboratio, deinde nutritio, inde auctio; rursus curatio à morbo, postea perfecta virium corroboratio, deinde propagatio filiorum pro conservando humano genere, & tandem eorundem gubernatio in statu honorifico: pari pacto in vita spirituali, baptismus est generatio, quâ homo generatur divinæ gratiæ; confirmatio assimilatur corroborationi intrinsecæ membrorum: quia corroborat animam, firmátque in susceptà fide. Eucharistia spiritualiter nutrit, & ejus beneficio augetur gratia. Pœnitentia restituit deperditam gratiam. Extrema unctio munit ad luctam contra diabolicos insultus, & ad evadenda mortis pericula. Matrimonium consulit conservationi humani generis, hominúmque licitæ multiplicationi. Ordo tandem honorificum statum instituit. Hinc sacramenta legis Evangelicæ sunt septem, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium, quæ omnia signo crucis perficiuntur *Can. nunquid de consf. dist. 5.* & quamvis omnia necessaria sint ad statum universalem Ecclesiæ; eorum tamen quædam necessaria sunt ad salutem; non ita alia, quæ tantùm sunt voluntaria: necessaria sunt, baptismus, pœnitentia in adultis post lapsum, & Eucharistia, & minus necessaria Confirmatio, & extrema unctio: siquidem per baptismum regeneramur ad vitam, & in eo Spiritus Sanctus nos abluit, tribuitque plenitudinem ad innocentiam. *Can. 2. de consec. dist. 5.* & sine baptismo nullus consequitur gratiam. *Can. nulla cùm sequent. de consec. dist. 4. can. 1. cùm sequent. de consecrat. dist. 5.* per Pœnitentiam revivisimus ad gratiam, per Eucharistiam renati nutrimur, ac corroboramur *Can. omnis Christianus de consf. dist. 2. can. qui recedunt, & can. de his 26. q. 6.* per confirmationem augemur in gratia, & firmamur in fide. *Can. Spiritus Sanctus de consec. dist. 5. can. nullus Ministrorum de consecrat. dist. 4. c. unico §. per frontis. de sacra unct.* per extremam Unctionem etiam corporaliter corroboramur; si ita animæ expediat *Can. non potest de pœnit. dist. 1.* Sacramenta voluntaria, quæque non sunt necessaria cuique ad salutem, sunt Ordo. *Can. ubi ista dist. 74. can. fin. §. 22. q. 4.* & Matrimonium *can. ubi non est 30. q. 2. c. preterea c. cùm locum inf. de sponsal.* Sunt tamen hæc duo postrema sacramenta necessaria toti Ecclesiæ, quia per sacramentum ordinis Ecclesia gubernatur, ac spiritualiter multiplicatur, & per matrimonium corporaliter augetur.

Ex hisce sacramentis tria characterem invisibilem in anima suscipientis imprimunt, scilicet baptismus, confirmatio, & ordo, & hæc tria sacramenta non possunt sine sacrilegio reiterari, ut liquet ex Concilio Tridentino *sess. 7. can. 9.* adeò ut si in eorum collatione aliqua fortassis fuerit cæremonia omissa, quæ non sit de substantia sacramenti, illa debeat cautè suppleri, non verò iterari sacramentum: est autem Character signum spirituale, & indelebile animæ impressum, quo suscipiens tale sacramentum unitur Christo duci Principi, ac summo sacerdoti, & in illius servum militem, ac Ministrum 3

ad

ad divinum cultum deputatur, ac consignatur: siquidem per baptismum recens regeneratus consignatur in servum Christi, ac domesticum Dei: per confirmationem adsciscitur militiæ Dei ad tuendam illius fidem, & per Ordinem deputatur dispensator mysteriorum Dei, idque colligitur ex Apostolo 2. *ad Corinth.1. qui unxit nos Deus, & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Alia sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Matrimonii, & Extremæ unctionis, quia non imprimunt characterem, sunt reiterabilia. Tum quia ob humanam fragilitatem illis sæpius indigemus.

4 Cæterum sicut ex reiteratione baptismi æquè baptizans, & baptizatus fiunt irregulares, nec possunt ad ordines promoveri, ut liquet ex *c. de apostatis c. qui in qualibet 1. q. 7. c. eos quos de consecrat. dist. 4.* ita etiam ex reiteratione confirmationis, vel ordinis ex sententia Navarri *in manual. c.27. n. 247.* Sed communior doctorum opinio est, non incurri eandem irregularitatem, quia hæc utpote pœnalis non est desumenda ex paritate rationis; sed ex textu expresso. *c. is, qui de sent. excommunic. in 6.* Quia verò dubitant Doctores, an irregularitas ex baptismo reiterato contrahatur ab ignorantibus, ideò cautè est procedendum, & Episcopus in dubiis juribus dispensatione potest uti.

5 Quæri potest, quomodo intelligendum sit quod *in c. fin.* dicitur, si in ordinatione Presbyteri manuum impositio omissa sit, nihil innovandum, sed illam tantùm supplendam esse; ratio dubitandi est, quia manuum impositio in ordinatione sacerdotis non est mera cæremonia, sed materia, & quid substantiale illius ordinationis, quâ sacerdoti impertitur potestas peccata remittendi. Plures respondent, non esse reiterandum totum sacramentum ordinis, sed tantùm supplendam omissam manuum impositionem, eò quia sacerdotium perficiatur ex duabus partialibus ordinationibus, per quarum primam traditur calix cum patena, & datur potestas consecrandi corpus Christi: & per alteram, seu per manuum impositionem datur potestas in corpus Christi mysticum, scilicet ligandi, & solvendi: & hæc posterior potestas, quamvis non possit existere sine prima; hæc tamen potest stare sine secunda; eò quia Christus utramque potestatem diversis temporibus contulerit; quia prima in corpus Christi verum, quæ est potestas consecrandi corpus, & sanguinem Christi, collata fuit Apostolis in ultima cœna: & posterior potestas in corpus Christi mysticum, seu ligandi, & solvendi, fuit data post resurrectionem suam, ut colligitur ex Joan. 20. Alii respondent *in pracit. c. fin. h. t.* sermonem esse de manuum impositione, quæ in prima particulari ordinatione ante traditionem calicis, & patenæ adhibetur, quæque est pura cæremonia.

6 Si quæras, quâ ratione *in c. Subdiaconus dist. 23.* Subdiaconus dicatur non accipere manuum impositionem, cùm tamen contrarium asseratur *in c.1. h.t.* communis responsio est, *inc. Subdiaconus* asseri, Subdiaconum non accipere manuum consecratoriam impositionem; sed tantùm benedictoriam, eò quia per talem manuum impositionem nullus Subdiacono ordo conferatur; è contra cùm *in c.1. h. t.* dicitur, quòd Diaconus accipiat manuum impositionem, dicunt, esse intelligendum de manuum impositione tantùm benedictoria: quo pacto Glossa, & Panormit. conciliant præfatos textus.

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones.

Quæritur primò, an baptismus sit reiterandus, si de ipso dubitetur, an validus sit? Respondetur, esse tunc baptismum reiterandum sub conditione si dubitetur, an quis fuerit baptizatus, & desumitur ex *c. de quibus de baptis.* & ita docent D. Thomas *3. par. q.66. art.9. ad 4.* Suarez *disp. 22. de sacrament. sect. 2.* Vasquez *3. p. dist. 146. c. 4. n.20.* Ratio est, quia cùm hoc sacramentum sit medium necessarium ad salutem, quantum fieri potest, non debet in dubio relinqui, an hoc medium fuerit validè applicatum, vel non: & cum teneatur quisque media necessaria ad salutem æternam certa, & non dubia ponere; urget tunc præceptum, ut iteretur baptismus sub conditione: idque etiam procedit, tametsi certus quis sit, fuisse baptizatum, sed dubitat, an baptismus fuerit validus, quia qui est dubius de validitate, perinde se habet ac si esset dubius, an baptismus fuerit ei collatus, quia quando est validus non confertur. Hinc quamdiu parvuli non sunt sui juris, ut possint disponere de iis, quæ pertinent ad propriam salutem, tota obligatio refunditur in parentes, vel eos, qui locò parentum curam gerunt puerorum: siquidem etiam ad ipsos pertinet cura spiritualis salutis puerorum, donec isti ad usum pervenerint rationis: quia tunc tota obligatio transit ad ipsos, & tenentur ponere media necessaria ad assecutionem æternæ salutis. 1

Quæritur secundò, an baptismus collatus cum opinione tantùm probabili sit iterandus? Respondetur cum distinctione, vel enim opinio probabilis versatur circa accidentalia tantùm sacramenti: & tunc non est iterandus baptismus, sed tantùm supplendum, vel retinendum, quod cum tali opinione probabili factum est, & desumitur ex *c. 1. Pastoralis h. t.* ubi Innocentius III. rescribit, quòd si quis sit ordinatus sine manuum impositione, vel confirmatus cùm oleo, & non chrismate, non sunt sacramenta reiteranda, sed cautè supplendum est, quod incuriâ fuit omissum. Ratio est, quia tunc baptismus subsistit, & cùm ex natura sua non sit iterabilis, non debet iterari. Vel probabiliter versatur circa essentialia, sine quibus baptismus non posset subsistere, & tunc reiterandus est sub conditione, ut docent communiter cum D. Thoma *3. p. q. 66. ad 8.* Ratio est, quia tametsi baptismus probabilis sufficiat, ut impleatur præceptum de suscipiendo baptismo; eò quia actus, qui est probabiliter talis, sufficiat pro adimpletione præcepti, non tamen satisfit obligationi, quam quisque habet ad procurandam salutem æternam omni- 2

omnibus illis melioribus, & tutioribus mediis ſimpliciter neceſſariis, quæ poteſt adhibere: imò neque ſatisfit præcepto charitatis, quâ quisque tenetur ſe ipſum diligere. Tum quia in jure quod eſt probabile ſumitur pro dubio. *c. Domino de ſecundis nuptiis. c. inquiſitioni de ſent. excom.* quia quod eſt probabile tantum, poteſt eſſe, & non eſſe, ut notant Menochius *conſil. 110. n. 69.* Afflict. *deciſ. 149. in fin.* Ancharanus *conſil. 210. n. 2.* & ſicut baptizatus cum opinione tantùm probabili remanet dubius, an adhibuerit medium neceſſarium ad propriam ſalutem, ita tenetur, ut ponat medium tutum, reiterare baptiſmum ſub conditione. Tum quia ſicut delictum dubium non habetur pro delicto *c. eſtote de reg. jur.* & notat Innocentius *c. dudum 2. de elect.* ita baptiſmus dubius non habetur pro baptiſmo: proinde eſt reiterandus ſub conditione. Tum quia qui ſine rationabili, & ſufficiente cauſa exponit propriam vitam corporalem periculo mortis temporalis peccat graviter contra obligationem conſervandi vitam, cùm non poſſit eam prodigere: ergo etiam peccat, ſi dubius de proprio baptiſmo eum non reiterat ſub conditione, quia ſe exponit periculo æternæ mortis. Hinc in *c. de quibus de baptiſ.* præcipiuntur baptizari ii, de quibus eſt dubium, an ſint baptizati, ut ſcilicet habeant medium certum propriæ ſalutis: & id etiam procedit, quando baptiſmus eſt dubius: eo enim ipſo, quòd quis dubitat an baptiſmus ſit validus, dubitat etiam, an ſit verè baptizatus.

3 Quæritur tertiò, an baptiſmus collatus tantum in nomine Chriſti ſit reiterandus? Reſpondetur cum D. Thoma *in 3. p. q. 66. art. 6.* baptiſmum ſic collatum non eſſe validum, & deſumitur ex *c. multi de conſecrat. diſt. 4.* ubi dicitur, quòd baptiſmus collatus tantùm in nomine Chriſti non ſit validus, eò quia Evangelicum præceptum ſit, ut conferatur in nomine totius Trinitatis. Ratio eſt, quia Chriſtus inſtituendo baptiſmum tradidit etiam formam, cum qua voluit miniſtrari: atqui in tali forma continetur expreſsè invocatio trium divinarum perſonarum *Matth. 28. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* forma autem inſtituta à Chriſto non poteſt immutari; hinc in canonibus Apoſtolorum *can. 49.* dicitur, eſſe præceptum Domini baptizare in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: ergo baptiſmus collatus tantùm in nomine Chriſti debet reiterari abſolutè.

4 Quæritur quartò, an ſi infans baptizatus ſit involutus in pelle ſecundina ſit iterum baptizandus? Reſpondetur affirmativè, quia talis baptiſmus non fuit validus: ſiquidem pellis ſecundina, ut notat Riolanus cum cæteris Anathomicis *lib. 5. antopograph. c. 3.* eſt quoddam involucrum ordinatum à natura ad conſervationem fœtùs exiſtentis in utero, ne lædatur: unde ex vi nativitatis debet hæc ſecundina abjici à fœtu, & ſi naſcatur cum ipſa, infans naſcitur galleatus ut notat Riolanus: cùm igitur hæc ſecundina non ſit pars, quæ debeat conſervari in puero; ſi in baptiſmo hæc tantùm abluatur, non abluitur puer incluſus in ſecundina: ſed tantùm involucrum uterale abjiciendum, quod propterea non pertinet ad infantem, ut pars ipſius: proinde tunc baptiſmus eſt iterandus, quia debet in baptiſmo ablui ipſe puer, non verò aliquid eidem adſcititium, & abjicendum ex vi nativitatis.

5 Quæritur quintò, an baptiſmus collatus ab obſtetricibus ſit reiterandus? Reſpondetur, cum diſtinctione, ſi non fuerit adhibita legitima forma, vel materia, tunc quia baptiſmus eſt invalidus debet reiterari: ſin verò adhibita ſit legitima forma, & materia, & baptizans habuerit legitimam intentionem, & præceſſerint omnia requiſita, tunc non debet reiterari. Cæterum ſi dubium ſit, an obſtetrix validè pronuntiaverit formam ob imperitiam, tunc reiterandus eſt baptiſmus ſub conditione: quia tunc baptiſmus remanet probabiliter dubius, præſertim cùm mulieres non perfectè ſciant formam baptiſmi, nec cognoſcant, quænam verba ſint eſſentialia, & quænam mutatio irritet ſacramentum, & non percipiant neceſſitatem non variandi formam in eſſentialibus: unde cùm agatur de re graviſſima, & Parochus ſe exponat periculo relinquendi parvulum ſine baptiſmo, debet illum ſub conditione iterum baptizare: quia ex officio tenetur procurare ſalutem animarum, proinde etiam ponere media tuta pro tali fine.

6 Quæritur ſextò, an baptizatus ab infidelibus ſit rebaptizandus? Reſpondetur cum diſtinctione: ſi adſint teſtes fide digni deponentes, baptiſmum legitimo modo fuiſſe miniſtratum ab infideli, tunc non eſt, nec ſub conditione repetendus, quia certum eſt, baptiſmum collatum ab infidelibus eſſe validum, ut definitur in Concilio Leteranenſi ſub Innocentio III. & refertur *in c. firmiter de ſumma Trinit.* & ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 4. c. 4. de baptiſ.* & ex teſtibus conſtat, talem baptiſmum fuiſſe collatum cum debita materia, & forma; adeò ut non ſuperſit ſuſpicandi locus, quòd fuerit invalidus: proinde locum habet diſpoſitio Concilii Carthaginenſis *in c. placuit de conſec. diſt. 4.* quòd non ſit repetendus abſolutè baptiſmus quando de ipſo deponunt firmi, & certiſſimi teſtes aſſerentes baptiſmum fuiſſe ab infideli legitimè miniſtratum: ſed tunc reiterandus eſt ſub conditione; quia licèt infideles habeant intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, adeſt tamen ratio prudenter ſuſpicandi, quòd committant defectum aliquem circa eſſentialia; præſertim cùm ſemper præſumatur prava infidelium intentio, cùm ſoleant ritus Eccleſiæ Catholicæ irridere: id autem ſufficit ut baptiſmus reddatur ſuſpectus, & ut iteretur ſub conditione, quia remanet dubius *c. placuit c. cum itaque de conſec. diſt. 4.*

7 Quæritur ſeptimò, an dubius de validitate proprii baptismi teneatur illum repetere? Reſpondetur, eſſe repetendum ſub conditione, quia dubius de ſuo baptismo, præſertim ſi ſit dubius poſitivè non eſt certus, quòd fuerit baptizatus: nec quòd ſit incorporatus eccleſiæ catholicæ: atqui tenetur eſſe certus de hac incorporatione, proinde tenetur eam certam reddere, quando non eſt certa. Ratio etiam deſumi poteſt ex eo, quia inter eccleſiam, & baptizatum initur

qui-

quidam veluti contractus, vi cujus ecclesia se obligat baptizato ad ei ministranda sacramenta, & procuranda quæ concernunt salutem spiritualem ipsius: & baptizatus se subijcit jurisdictioni ecclesiæ: ergò sicut obligatio ecclesiæ erga baptizatum est certa, ita etiam incorporatio, & subjectio ex parte baptizati debet esse certa: contractus enim mutuus æquali certitudine obligat contrahentes. Præterea cùm baptismus sit fundamentum eorum omnium, quæ ordinantur ad assecutionem æternæ salutis, debet esse omninò certus, quia tenetur quisque certam facere propriam salutem ea majore certitudine, qua potest, & eam relinquere in dubio est contra charitatem, & non potest eam certam reddere, nisi ponat certum fundamentum supra quod illam ædificet: hoc autem fundamentum est baptismus, qui proinde debet reiterari sub conditione. Tum quia si apponatur conditio, nulla fit irreverentia sacramento: quia si prior baptismus fuit validus, secundus utpote conditionatus non est baptismus: quia minister intendit esse tantùm baptismum, si prior non fuit baptismus: quòd si prior fuit baptismus, non intendit per secundum conditionatum baptizare, quia actus conditionatus non verificatur nisi impletâ conditione *L. si quis sub cond. ff. si quis omiss. caus. test.*

8 Quæritur octavò, quid agendum, si in collatione sacramenti confirmationis non fuit quis chrismate unctus, sed tantùm oleo? Respondetur tunc esse cautè supplendum defectum, privatim adhibendo chrisma, quo confirmandus, debet iterum in fronte inungi cum debita verborum forma, & intentione omissis tamen aliis cæremoniis accidentalibus, cujusmodi sunt adhibitio Patrini, inflictio alapæ, & aliis solemniter adhibitis, ut notat Pirhing. *h. t. n. 3.* & desumitur *ex c. Pastoralis 1. h. t.* Ratio est, quia chrisma conficitur ex oleo, & balsamo: proinde admixtio balsami est materia essentialiter requisita sacramenti confirmationis: idque desumitur ex verbis formæ: *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris &c.* quæ verba non verificarentur, si solum oleum per errorem adhiberetur, quia solùm oleum non est chrisma ex Concilio Florentino in decreto unionis, ibi: *Secundum sacramentum est confirmatio, cujus materia est chrisma confectum ex oleo, quod sacramentum significat conscientia, & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto*: unde liquet, chrisma includere utrumque, oleum scilicet, & balsamum: proinde per unctionem in oleo tantùm non verificari formam hujus sacramenti, quia per talem unctionem non confirmatur chrismate salutis.

9 Quæritur nonò, an iterandum sit sacramentum Eucharistiæ per modum viatici vespere ejusdem diei imminente mortis periculo ab eo, qui manè communicavit ex devotione. Ratio dubitandi est, quia communio prohibetur sumi bis in die *c. consuluisti de celebrat. missar. c. sufficit. de consec. dist. 1.* unde semel quòd quispiam manè comunicavit non potest vespere ejusdem diei iterum communicare per modum viatici, tametsi immineat mortis periculum. Secundò quia tale periculum etiam manè imminebat, tametsi ignoraretur, unde per communionem matutinam satisfecit periculo vespertino: quia etiam audiens missam nesciens esse diem festum adimplet præceptum: ergò etiam qui manè communicavit, & vespere constituitur in periculo mortis adimplevit præceptum communicandi, quoties imminet periculum mortis. Respondetur nihilominus, eum, qui manè ex devotione communicavit, teneri vespere constitutum in mortis articulo iterum comunicare per modum Viatici, ita docent Turrianus *p. 2. sum. c. 58. dub. 2 n 3.* Pasqualigus *in sua theor. prax. q. 272. n. 3.* Hurtadus *de sacrament. disp. 10. de Eucharist. diffic. 2.* & ratio desumitur ex natura præcepti, quod obligat pro certo tempore, seu pro eo, in quo stat periculum mortis: quoties præceptum obligat pro certo aliquo determinato tempore, exigit pro illo tempore actum injunctum, proinde actus extra tale tempus sive præcedat, sive subsequatur non sufficit pro adimpletione præcepti: quia non obligat præcisè ad actum, sed ad actum ut conjungendum cum tali tempore, seu ponendum eo tempore, quo præceptum obligat: proinde comunio matutina, si tunc non aderat mortis periculum, non sufficit pro adimplendo præcepto de sumendo viatico, quoties imminet periculum mortis, quia hoc periculum tantùm incipit imminere vespere, & non manè: proinde præceptum comunicandi obligat vespere non manè, quia hoc præceptum est adnexum tempori, quo imminet mortis periculum.

Ad primam rationem dubitandi respondetur, 10
prohiberi comunionem bis in die, non verò per accidens, si vespere contingat mortis periculum: quia tunc constitutus in tali periculo, quamvis non jejunus debet adimplere præceptum Christi de sumenda Eucharistia, quoties imminet mortis periculum. Tum quia tunc concurrunt duo præcepta; unum ecclesiasticum de non sumenda Eucharistia bis eodem die, & alterum divinum de sumendo Viatico, quoties imminet mortis periculum: sed præceptum divinum est fortius, & majoris momenti, consequenter debet prævalere præcepto ecclesiastico, ac impleri. Ad secundum respondetur, præceptum sumendi Eucharistiam per modum Viatici non esse utcunque affixum ultimo tempori vitæ: sed ultimo tempori cum addito, ut innotescat saltem probabiliter: hinc licèt non sit ultimum tempus vitæ, si tamen credatur esse, præceptum obligat: & quia ultimum tempus vitæ non innotescit nisi vespere, ideò præceptum de sumendo Viatico non obligat nisi vespere, Neque obstat, quòd finis hujus præcepti sit refectio, & corroboratio vitæ spiritualis, quæ per matutinam comunionem obtenta fuit. Nam finis præcepti de sumendo Viaticò non est corroboratio vitæ spiritualis quomodocunque, & quovis tempore, sed urgente mortis periculo, & tempore, in quo luctandum est in exitu ex hac vita; adeò ut finis præcepti de sumendo viatico propriè sit ipsa præparatio ad hanc luctam per nutritionem spiritualem: quamobrem sicut præceptum est affixum tempori, in quo cognoscitur

iminere mortis periculum, ita etiam finis hujus præcepti est affixus eidem tempori.

11 Quæritur decimò; an sacramentum extremæ unctionis debeat iterari, si per errorem adhibeatur chrisma pro oleo infirmorum. Episcopus in cœna Domini tria solet olea benedicere, & ea Presbyteris in tribus ampullis secum deferenda tradere. Primum est chrisma confectum ex oleo, & balsamo, & hoc adhibetur ab Episcopo in sacramento confirmationis, in consecratione Episcoporum, ecclesiarum, altarium, calicum, imò etiam à Presbytero in solemni baptismi collatione; siquidem ungit in vertice baptizatum sancto chrismate. Imò etiam in benedictione fontis, seu aquæ baptismalis. Secundum est oleum Catechumenorum, cujus usus habetur in solemni baptismo, tametsi etiam adhibeatur in ordinatione sacerdotum, in consecratione ecclesiarum, & altarium, & in benedictione aquæ baptismalis, in unctione Imperatoris, & Regum *c. unic. de sacra unctione. c. venerabilem de elect.* Tertium est oleum infirmorum, cujus usus habetur in extrema unctione. Verum hoc oleum naturaliter, & in substantia non differt ab oleo catechumenorum, sed tantùm accidentaliter propter diversas benedictiones, orationes, & cæremonias; quæ in ejus benedictione solemni juxta Romanum Pontificale adhibentur: secus chrisma non est purum oleum, sed aliquod mixtum ex oleo, & balsamo.

12 Respondetur ad quæsitum, quòd si in sacramento extremæ unctionis loco olei infirmorum adhibeatur crisma; communior sententia est, per hoc non impediri validitatem hujus sacramenti: consequenter non esse iterandum, ut docet Suarez *p. 3. tom. 4. disp. 40. sect. 1.* Ratio ex eo desumitur, quia mixtio balsami est adeò modica, ut non destruat naturam olei, adeò ut in substantia remaneat verum oleum ab Episcopo benedictum: quia tunc mixtio balsami consideratur tanquam quid ascititium, & accidentale, quod ob suam modicitatem non imutat naturam olei: proinde extrema unctio sic ministrata non est iteranda. Hinc quamvis extra casum necessitatis ob admixtionem balsami non sit licitum uti chrismate in extrema unctione infirmi: si tamen per errorem, vel etiam aliàs adhibeatur, sacramentum validè administratur, proinde extrema unctio non est reiteranda. Quòd si dicas, chrisma fuisse diverso ritu benedictum ab Episcopo. Respondetur, hunc diversum ritum benedicendi oleum infirmorum probare solùm necessitatem præcepti, non verò necessitatem sacramenti: nimirùm probare, quòd oleum alio ritu ab Episcopo benedictum, ut chrisma, extra casum necessitatis non possit licitè adhiberi, nõ verò quòd si conferatur, unctio non sit valida. Præterea quia in *c. quòd in dubiis de consecrat. eccles.* dicitur quòd oleum non consecratum possit commisceri oleo consecrato, & per hoc non tolli consecrationem: ergò hoc idem post etiam dici de modica quantitate balsami immixta oleo.

13 Quæritur undecimò, an extrema unctio sit ex natura sua iterabilis, vel tantùm ex præcepto ecclesiastico non debeat iterari iminente eodem periculo mortis. Certum est, sacramentum extremæ unctionis non imprimere characterem, ut est certum de fide definitum in Concilio Tridentino *sess. 7. can. 9.* de sacramentis in genere, ubi definitur, quòd tantùm tria sacramenta, seu Baptismus, Confirmatio, & Ordo imprimant characterem: siquidem sacramentalis character est signum spirituale indelebile in anima deputatum ad aliquid sacrum exercendum, vel recipiendum: & per extremam unctionem non inducitur deputatio ad aliquid sacrum, quia est per modum medicinæ ordinatæ ad sanandam animam, & corpus; unde non deputatur ad aliquod sacrum, sed potiùs ad præparandum moribundum ad exitum ex hac vita. Respondetur, extremam unctionem ex natura sua posse iterari in eodem statu infirmitatis, sed de facto non iterari ratione præcepti ecclesiastici prohibentis hanc iterationem in eodem statu infirmitatis. Ratio primæ partis est, quia sacramentum extremæ unctionis non imprimit characterem; proinde quantum est ex sua natura est iterabile etiam in eodem statu infirmitatis: quia quòd sacramentum non possit iterari, ex eo oritur, quia imprimit animæ characterem indelebilem; hac enim ratione utitur Concilium Tridentinum *sess. 7. can 9. de sacram. in genere*, ut probet, baptismum, confirmationem, & ordinem non posse iterari: ergò cum extrema unctio non imprimat characterem ex natura sua est iterabilis.

Tum quia hoc sacramentum est institutum 14 per modum curationis corporalis: proinde quantum est ex vi suæ institutionis est iterabile in eodem statu infirmitatis, quia curatio ex natura sua est iterabilis in eodem morbo. Tum quia post susceptum hoc sacramentum possunt comitti nova peccata præsertim venialia, proinde hoc sacramentum poterit adhiberi ut curativum hujus novi morbi. Ratio secundæ partis, quòd hoc sacramentum non sit iterabile ex præcepto Ecclesiæ in eodem statu infirmitatis, declaratur in Concilio Florentino in decreto pro Armenis, & Tridentino *sess. 14. c. 3. de extrema unctione* ibi: *Quòd si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus sacramenti præsidio juvari poterunt, cùm in aliud simile vitæ discrimen inciderint.* Unde à sensu contrario valet argumentum: ergò per Concilium in eodem vitæ discrimine non potest pluries adhiberi hoc sacramentum: unde quòd non iteretur in eodem vitæ discrimine oritur tantùm ex præcepto ecclesiastico. Plura enim ex sua institutione, & natura licita essent, quæ tamen ex justis causis prohibentur ab ecclesia, etenim comunio sub utraque specie, quantum est ex vi sacramenti, est licita etiam Laicis, & nihilominus prohibetur ab ecclesia. Ministratio quotidiana viatici est licita ex natura sacramenti: & nihilominus non potest repeti nisi post aliquot dies, ut habetur in Rituali Romano in *Rubric. de viatic.* sufficit enim si ecclesia habeat justas causas ad prohibendum, quod aliàs esset licitum, quia ut notat Tridentinum *sess. 21. c. 2. de reform.* Christus reliquit potestatem eccle-

siæ

ſiæ diſponendi prout conſultiùs, & utiliùs viſum fuerit.

15 Quæritur duodecimò, an in eadem infirmitate variato ſtatu poſſit extrema unctio iterari? Reſpondetur affirmativè, imò nec eſſe neceſſe, ut prior periculoſa infirmitas omninò receſſerit, & alia de novo ſuperveniat, ſed ſufficere, ſi prius periculum vitæ ceſſaverit, ut docent communiter cum D. Thoma in *4. diſt. 25. q. 2. art. 4.* Ratio eſt, quia extrema unctio non miniſtratur intuitu infirmitatis, ſed ratione iminentis periculi vitæ; proindè quoties novum iminet periculum vitæ, tametſi intra eandem infirmitatem poteſt hoc ſacramentum iterari: etenim ſi infirmus plenè convaleſcat, & de novo infirmetur ad necem, nulli eſt dubium, quin poſſit iterum ipſi miniſtrari extrema unctio: proinde etiam in eadem infirmitate, ſi recedat priùs periculum, & novum ſuperveniat, poteſt extrema unctio iterari: ratio eſt, quia nova accidente infirmitate non miniſtratur unctio intuitu ipſius; ſed ratione novi periculi vitæ, adeò ut novum quòd iminet periculum, ſit ratio, ob quam poſſit iterari extrema unctio: ergò ſive hoc periculum superveniat in eadem, vel in diverſa infirmitate, ſemper poterit iterari extrema unctio.

TITULUS XVII.

De Filiis Presbyterorum Ordinandis, vel non.

IN ſuperioribus titulis in genere, & ſummatim egit Pontifex de qualitate ordinandorum, & præficiendorum: nunc verò deſcendit ad ſpecies, & primùm ad filios Presbyterorum, quos prohibet ordinari. Licèt paterno vitio non debeat proles innocens gravari *l. 4. de legit. hæred.* neque impedienda ſit dignitas illius, qui nihil commiſit, ut ait Papinianus de minus legitimè nato *in l. 6. de decur.* nihilominus filii nati ex illegitimo, & damnato concubitu prohibentur ad ſacros ordines promoveri, & arcentur ab Eccleſiaſticis dignitatibus, *c. 7. de elect.* quia nimirum in his exempla paterni criminis metuerentur. Tales autem ſunt filii Presbyterorum, *c. 14. de purg. canon.* quos Juſtinus Imperator *in l. 45. c. de Epiſcop. & cler.* vocat filios undique prohibitos. Idque prohibitum etiam fuerat conſtitutionibus Apoſtolorum, quando ſacerdotum conjugia legitima erant, *can. 76.* Hinc D. Hieronymus *in can. Moyſes 8. q. 1.* ait *Principatus Eccleſiæ non ſanguini deferendus eſt, ſed vitæ, & meritis.* Cúmque id neglectum fuiſſet, prohibitum iterum fuit in Concilio Pictavienſi *c. 1. de præbend.* Unde Arnulphus Lexovienſis Epiſcopus Epiſtol. ad Legatos Albertum, & Theodinum ſcribit: *Non expedit Provinciæ noſtræ, in qua quotidie tam imprudenter impudicitia convaleſcit, filios Presbyterorum paternis altaribus adhiberi.*

SUMMARIUM EXEGETICUM

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

***C. UT FILII** 1. h. t. Ex Concilio Pictavienſi ſtatuitur, ut filii Presbyterorum, & cæteri ex fornicatione nati non promoveantur ad ſacros ordines; niſi vel Monachi fiant, vel in congregatione canonica regulariter vivant; ſed nullatenus habeant Prælationem. Item neque ſervi niſi à Dominis libertate donentur. Cùm enim vel ipſi Ethnici illegitimè natos arcerent, ab honoribus, & dignitatibus, ut fusè* tradit Tiraquel. tractat. de nobilit. c. 15. *id potiori jure à ſacris canonibus conſtitutum eſt, ut prohibeantur promoveri ad ordines ſacros, in primis filii Presbyterorum geniti in Presbyeratu contra votum continentiæ. Hæc autem prohibitio triplici nititur ratione, quarum prima eſt, propter excellentiam ſacramenti Ordinis, quod non ſolùm meritum perſonæ, verùm etiam honeſtatem originis exigit, non enim infamibus*

bus committi debet c. inter de excess. Prælat. *Secunda desumitur ex detestatione paterni criminis, quod jus plerumque ad ejus horrorem incutiendum etiam in filiis detestatur* c. urgentis de hæred. *Tertia quia inde timetur paterna incontinentia, ne filii parentes imitentur, quia juxta vulgatum illud effatum :* sæpe solet similis filius esse patri. *Cæterum irregularitas orta ex defectu natalium tollitur per ingressum religionis approbatæ, dummodo solemnis professio in eadem emittatur. Quòd si professio annulletur, probabilior opinio est, extinctam irregularitatem reviviscere.*

C. *AD PRÆSENTIAM 2. h. t. Alexander III, rescribit, filium legitimum sacerdotis, qui, tacendo se esse filium sacerdotis, impetravit Capellaniam in Ecclesia, in qua pater ministravit, esse ab illa removendum, idque innovavit etiam Concilium Tridentinum* sess. 25. de refor. c. 15. *ubi ait :* Ut paternæ incontinentiæ memoria à locis Deo consecratis, quos maximè puritas, & sanctitas decet, longissimè arceatur, non licet filiis clericorum, qui non ex legitimo nati sunt matrimonio, in Ecclesiis, ubi eorum patres beneficium obtinuêre, nec in dictis Ecclesiis quoquo modo ministrare, nec pensionem super fructibus beneficiorum, quam parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerunt habere. *Verùm id procedit, si pater immediatè ministravit; quia si media persona intervenisset, & filius esset legitimus, posset Capellaniam impetrare, ut notat Glossa.*

C. *PRÆSENTIUM 3. h. t. Idem Pont. jubet, ut filii sacerdotum in Ecclesiis paternis ministrare omninò prohibeantur, nec permittantur eas qualibet occasione obtinere. Unde non potest filius sacerdotis ministrare in Ecclesiis, in quibus pater ministrat, vel ministravit.*

C. *CONSEQUENTE 4. h. t. Idem Pont. rescribit Episcopo Vigarensi, quòd si pater sacerdos habuerit personatum in aliqua Ecclesia, non possit filius in eadem habere personatum, nec administrare, & si habeat, sit amovendus.*

C. *VENIENS 5. h. t. Idem Pont. rescribit Episcopo Londonensi, quòd si Episcopus, qui concessit capellam, vel Ecclesiam filio sacerdotis, in qua pater ministravit ad titulum, cujus ipsum ordinavit, & scienter id fecerit; non possit illum amovere; imò si illum amoveat, debeat illi capellam restituere: sin verò ignoranter id præstitit, non debeat eum amovere, donec de alia sufficienti provideat : quia ut notat Glossa hic, qui scienter indignum ordinat, compellitur ei providere; idque in odium Episcopi scienter indignum eligentis. Sacerdoti autem fit gratia à Pontifice, ut Episcopus imposterum tales promoveat. Rursus si Episcopus inscius elegit indignum, fit etiam promoto gratia, dum Papa jubet, eum tolerari, donec aliter ipsi provideatur : quia juxta canones fuisset statim amovendus, ac privandus capellaniâ.*

C. *PROPOSUIT 6. h. t. Idem Pont. rescribit Episcopo Oxoniensi; quòd si Episcopus nolit admittere ad curam Subdiaconum filium sacerdotis præsentatum à Patrono; debeat eidem providere de honesto Presbytero, qui cum assensu prædicti Subdiaconi ministret in Ecclesia, cui Subdiaconus inserviat, simúlque accipiat dimidiam partem omnium fructuum. Quia ut notat Glossa, promoti ad sacros ordines tametsi illegitimi, aut irregulares, non debent relinqui sine beneficio ob reverentiam sacri ordinis qualitercunque suscepti. Quis verò horum duorum sit Prælatus, Subdiaconúsne, vel sacerdos, canon videtur sacerdotem Prælatum dicere. Ex hoc textu liquet, promotos ad sacros ordines? quamvis illegitimos, vel irregulares non esse relinquendos sine beneficio, ob reverentiam sacri ordinis, qualitercunque suscepti, ut notat Panormitanus hic n. 1.*

C. *EX TRANSMISSA 7. h. t. Idem Pont. rescribit Archiepiscopo Cantuariensi filium Presbyteri posse habere beneficium Patris, mediatè tamen, seu quando post obitum patris fuit alius beneficiarius, qui successit eidem beneficio : quia si persona mediet, tollit vitium successionis, ut notat Glossa, & filius potest succedere mediatè beneficio patris, non verò immediatè, & si sit legitimus non indiget alia dispensatione.*

C. *CONSTITUTUS 8. h. t. Declarat idem Pontifex, quòd si pater ministraverit in Ecclesia sine titulo, hoc est, si non fuerit persona, nec Vicarius perpetuus, possit filius eidem ecclesiæ succedere, & si post possessionem spolietur, sit restituendus cum fructibus. Ratio; cur si pater sit Vicarius perpetuus non possit filius eidem succedere, est, quia perpetuus Vicarius dicitur habere jus in Ecclesia, cui propterea filius non potest succedere: unde Pontifex in hoc textu declarat priores textus, & prohibet, ne filius ministret in illis Ecclesiis, ubi pater ministravit; & explicat id esse intelligendum de ministerio intitulato, ut si pater fuerit Vicarius, vel Titularis alicujus Ecclesiæ: non verò si tantùm temporalis, adeò ut non obstet si Pater tantùm ad tempus in eadem Ecclesia beneficium obtinuerit, in qua filius postea succedit. Hoc pacto videtur intelligendum Concilium Trident.* sess. 24. *scilicet de beneficio, aut pensione, & ministerio intitulato sivè perpetuo, non ita de temporali.*

C. *EX TUA 9. h. t. Idem Pont. declarat, quod quando Papa concedit, ut Episcopus possit dispensare cum filiis Presbyterorum bonæ vitæ, ut immediatè succedant in beneficiis parentum; & mox alii impetrârunt à Papa; ut si constet esse filios Presbyterorum sint amovendi; id non sit intelligendum de jam dispensatis, quamvis dispensationem probare non possent. Rursus declarat, neminem posse institui in Ecclesia intuitu laicæ donationis sine authoritate sui Episcopi, & taliter institutos esse amovendos. Quinimò Clerici recipientes de manu laicorum Ecclesias suspenduntur, & incurrunt excommunicationem* c. præterea de jure-patron.

C. *QUONIAM 10. h. t. idem Pont. rescribit Archiepiscopo Cantuariensi filios in Ecclesia succedentes immediatè parentibus, si ma-*

manifestum id sit, esse statim amovendos etiam sine cognitione causæ, & testibus, eò quia hujusmodi successio prohibita sit sacris canonibus, ne quis hæreditario jure Ecclesiastica beneficia possidere præsumat. Ex quo textu liquet, in manifestis non requiri ordinem judiciarium. Textus tamen loquitur de illegitimis, qui nec in paternis, nec in aliis debet institui.

C. AD EXTIRPANDAM 11. h. t. Idem Pont. confirmat, quod supra, nimirum filios Presbyterorum sive legitimos, sive illegitimos non posse habere Ecclesias, in quibus patres ministrarunt, ut personæ, vel Vicarii perpetui; quòd si eas obtinuerint, debeant removeri. Imò non solùm filii non possunt succedere, sed nec etiam nepotes, & alii descendentes, quorum est jus successionis. Verùm mediatè admittitur legitimus, non illegitimus.

C. AD HÆC 12. h. t. Clemens III. rescribit Archiepiscopo Cassellensi, filios legitimos Episcoporum, si idonei sint, posse ordinari, & in Ecclesia patris habere beneficia. Quinimò idem dicit de omnibus filiis legitimis clericorum, declarat enim eos posse habere beneficia in eadem Ecclesia, in qua habet pater suum beneficium, quamvis filius non possit succedere immediatè in paterno beneficio.

C. MICHAEL 13. Idem Pont. statuit, quòd sicut filius Presbyteri non potest succedere in beneficio, vel personatu patris, ita nec potest succedere immediatè in vicaria perpetua ejusdem personatus.

C. LITTERAS 14. h t. Idem Pont. decernit, quòd si vir conjugatus emisso voto castitatis fiat sacerdos, & postea ex uxore generet filium sit filius habendus pro non legitimo ob incontinentiam patris. Permittitur tamen filius fieri clericus, & habere beneficium Ecclesiasticum; dummodo honestè, & laudabiliter vivat. Verùm ut notat Glossa cum tali filio dispensatur quoad minores ordines.

C. CUM DECOREM 15. h. t. Innocentius III. prohibet filiis canonicorum conferri prabendas in eisdem Ecclesiis, quarum eorum patres sunt canonici, eò quia indecorum sit, ut in altaris officio illegitimus filius impudico patri ministret, in quo unigenitus Dei filius æterno Patri pro salute humani generis victimatur.

C. AD ABOLENDAM 16. h. t. Idem Pont. prohibet, filios sive legitimos, sive spurios canonicorum, fieri canonicos in Ecclesiis sæcularibus, quarum Patres sunt canonici: & si secus fiat, acta esse irrita, & conferentes illis canonicatum suspendi à beneficiis. Notat tamen Glossa, Episcopum posse dispensare cum illegitimis ad beneficium simplex in aliis Ecclesiis, non verò in paternis.

C. DILECTUS 17. h. t. Honorius III. statuit, nullum posse dispensare, ut filius immediatè succedat in Ecclesia paterna excepto solo Papa.

C. NIMIS 18. h. t. Gregorius IX rescribit Archiepiscopo Turonensi, illegitimum sine dispensatione Papæ non posse promoveri ad dignitates, personatus, & beneficia curata.

IN SEXTO.

C. IS QUI 1. h. t. Mandat Bonifacius VIII. ut Episcopus dispenset cum illegitime nato non habente aliud canonicum impedimentum ad ordines minores, & beneficia simplicia, in quibus possit Episcopus dispensare; non verò ad ordines sacros, & beneficia curata. Notat Glossa illegitimum sine dispensatione Episcopi, nec ad primam tonsuram posse promoveri, ut nec etiam ad beneficia cum administratione, dignitate, personatu, vel cura sine dispensatione Papæ. quia neque Episcopus, imò nec Legatus potest dispensare Cæterum quando Papa dispensat cum illegitimo, ut habeat beneficium curatum, non potest duo obtinere beneficia, quia odiosa debent restringi. Imò nec unum post aliud nisi aliter explicetur in litteris, & hoc etiam procedit quando dispensatur ab Episcopo beneficium simplex.

C. SI IS 2. h. t. Idem Pont. declarat, quòd si illegitimus impetrata dispensatione ad beneficium etiam curatum, postea dispensationem aliam, tacito tali defectu, à Papa obtineat ut possit plura beneficia habentia curam animarum recipere, & retinere, talis dispensatio habeatur subreptitia, & nullius valoris. Quia non est verisimile, Papam fuisse dispensaturum, si defectus natalium, & prior dispensatio fuisset expressa; taciturnitas enim rescriptum vitiat, c. super litteris de rescript.

IN SEPTIMO.

C. AD CANONUM CONDITOREM UNIC. h. t. Clemens VII. prohibet, filios Presbyterorum institui beneficiis, quibus olim Patres præfuerant, etiam quacunque dispensatione gratia intercedente. Loquitur tamen textus de filiis Presbyterorum natis ex fornicatione, & ait, hos non posse institui Ecclesiis Cathedralibus etiam Metropolitanis, ac monasteriis, quibus eorum patres præfuerunt.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

An filii Presbyterorum arcendi sint à sacris Ordinibus.

1 Um in præcedentibus titulis egerimus de ætate, & qualitate ordinandorum, ac præficiendorum; & quidam ob defectum natalium à sacris arceantur ordinibus, prohibeantúrque præfici, eò quia non sit congruum, ut illegitimè nati præficiantur legitimis, & observatum fuerit apud Ethnicos, ut illegitimè nati, licèt absque propria culpa talem contraxerint labem, indigni honoribus, & dignitatibus censerentur, ut fusè, & eruditè refert Tiraquel. *de nobilitate c. 15.* ita potiori jure sancitum fuit ab ecclesiæ Canonibus, ut à sacris ordinibus prohiberentur filii Presbyterorum, ac alii illegitimè nati *c. 2. & c. ad hæc 12. & fin. h. t. c. cùm in cunctis 7. de elect. c. consuluit 5. inf. de servis non ordinandis.* in hoc titulo speciatim prohibentur ob defectum natalium sacris initiari ordinibus filii Presbyterorum, quos cùm charactere sacerdotali genuerunt, & omnes alii illegitimè nati etiam ex simplici fornicatione; & quamvis defectus sit occultus, nisi gravis aliqua necessitas in contrarium urgeat; adeò ut neque ad majores, neque ad minores ordines sint absque expressa dispensatione promovendi, neque in beneficiis, ac dignitatibus Ecclesiasticis præficiendi: idque ob excellentiam clericalis status, & dignitatem ordinum, ac beneficiorum Ecclesiasticorum; nisi tamen monasticam vitam susceperint, & in aliqua regulari congregatione per plures annos vitam duxerint, ut colligitur *ex c. 1. h. t. & ex c. 1. eod. in 6.* quia per professionem religiosam, & status dignitatem videtur quodam̃odo deleri illa macula quoad ordines suscipiendos; adeò ut possint illegitimè nati dum̃odo in aliqua religiosa congregatione vota solemnia, & publicam professionem emiserint absque ulla dispensatione ad ordines tum minores, tum majores promoveri; licèt non ita ad prælaturas, aut alias dignitates, vel beneficia, quibus adnectitur cura animarum sive extra, sive intra congregationem, ut constat ex *c. fin. h. t.* excipiuntur tamẽ qui ex simplici fornicatione fuerunt geniti, & per subsequens inter parentes matrimonium fuerunt postea legitimati; ut liquet ex *toto titulo lib. 5. decretalium.* Rursus licèt qui ex conjugatis geniti, & nati, quibus ob ordines à marito susceptos, vel professionem alterutrius religosam, per quam tamen matrimonium non dissolvitur, illicita copula est, illegitimi non censeantur in ordine ad hæreditariam successionem, ad quam per jura civilia filii legitimi vocantur; nihilominus in ordine ad beneficia Ecclesiastica, & promotionem ad ordines tum minores, tum majores habentur irregulares; adeò ut absque dispensatione non possint promoveri ob maculam ortam ex parentum incontinentia illis adhærentem.

De illis infantibus, qui inveniuntur expositi 2
in certis locis, & ignorantur parentes, major videtur esse difficultas, an isti censendi sint illegitimi, & irregulares: utrinque Doctores affirmant, & negant, quia plerumque exponuntur, qui illegitimè sunt nati; & in dubiis, ac obscuris attendendum est, quod juxta consuetudinem fieri solet juxta *regulam juris 114. ff. de regul. jur.* & ex alio capite in dubiis semper benigniora sunt præferenda juxta *regulam ff. 56.* & cùm agatur de favore prolis, debet potiùs judicari pro legitimatione, ita enim docent Felinus in *c. cum deputati de judiciis n. 8.* Paleotus *in tract. de filiis nothis c. 63.* & alii. *argu. d. c. cum deput.* nihilominus opposita sententia com̃unior est, & probabilior, quia præsumptio in dubio desumitur ex iis, quæ juxta consuetudinem certò accidunt, & ordinariè non nisi illegitimi, & nothi taliter exponuntur. Neque *d. c. cum deput.* videtur obstare, quia ibi tantùm est sermo de alio casu: siquidem ibi non agitur de legitimis natalibus, sed potiùs de patre, & ætate, ut exponit Glossa *ibid. in V. nationis.* Ad fundamentum, quo nititur opposita sententia, respondet Alciatus *in regul. 3. de præsumpt. n. 12.* unam præsumptionem per aliam fortiorem elidi, ut constat ex *c. de procurat. L. Divus 7. ff. de in integrum restit.* propugnat hanc sententiam Covarruvias *in relect. clement. si furiosus p. 1. in princ. n. 9.* eique adhæret Garzias *p. 7. c. 2. n. 8.* & Piasecius in *praxi Episcoporum p. 1. c. 1. n. 27.* asserit hanc postremam sententiam esse com̃unem, & se vidisse in curia pro expositis dispensationes ad ordines expediri.

Quòd si quæras, cur hic titulus inscribatur 3
de filiis Presbyterorum, cùm tamen non solùm isti, verùm & alii quicunque ex illegitimo concubitu nati à sacris arceantur ordinibus. Respondent com̃uniter, quæri speciatim de filiis Presbyterorum, eò quia sub hac rubrica de ipsis agatur, non solùm quatenùs sunt illegitimi, & inhabiles ad ordines; sed etiam licèt sint legitimi, ut si nati ante clericatum fuerint ex uxore legitima, vel legitimati, vel dispensati, nequeunt obtinere beneficium, quod eorum Pater im̃ediatè antè habuit, ne successio, quasi hæreditaria in beneficiis introducatur, & ne impii dicant Psal. 82. *hæreditate possideamus sanctuarium Dei. c. ad extirpandas 11. hoc tit.* Quinimò ad prorsus delendam è locis sacris memoriam paternæ incontinentiæ prohibentur ecclesiasticorum illegitimi filii ministrare, vel beneficium obtinere in ea ecclesia, ubi eorum patres beneficium ali-

aliquod possident, vel antea habuerunt; imò neque ut simplices musici possunt ab eadem certum obtinere stipendium, & eidem inservire; ne filius in eadem ecclesia, quam decet summa sanctitas paternam excitet turpitudinem, ut declaravit sacra Cardinalium Congregatio apud Garziam de beneficiis *p.3. c. 3. num.68.* Prohibentur etiam obtinere pensiones super fructibus beneficiorum, quæ eorum parentes possident *c.2.c.cum decorem.c.ad abolendum h.t.Concil. Trident. seß.25.c. 15. de reform.*

4 An à successione in beneficio excludatur etiam presbyteri nepos, seu filius filii ejusdem presbyteri, cum distinctione respondetur; si nepos mortuo patre sit hæres immediatus Avi, nequit succedere in ejus beneficio, quia tunc quasi jure hæreditario veniret; siquidem appellatione filiorum quoad jus hæreditatis dicuntur venire etiam nepotes: sin autem beneficium petat adhuc patre vivente potest eidem conferri, quia tunc, utpote remotior non censeretur hereditario jure illud petere, ut ait Innocentius *cap. ad extirpandas 11. h.t.* Arcentur enim à successione beneficii ecclesiastici, immediatè descendentes, non mediatè; sicut neque ascendentes, neque laterales, quia jus successionis propriè non est in ascendentibus, neque collateralibus.

5 Qui extra nuptias generantur, ut notat Glossa communi consensu approbata *c. his cum pridem de renunc.* alii vocantur secundùm jura *naturales*, & ii sunt, qui generantur ex viro matrimonii vinculo soluto, & una concubina domi retenta. Alii *Manzeres* geniti ex viro soluto, & scorto, aut meretrice, vel alia fœmina soluta pudicitiam suam habente venalem, matrimonii vinculo soluta, vel experte. Alii dicuntur *nothi* suntque geniti ex viro conjugato, & concubina vel alia muliere libera. Demum alii dicuntur *spurii* progeniti ex complexu legibus damnato, cujusmodi sunt qui nascuntur ex stupro, raptu, incestu, sacrilegio, vel fœmina conjugata; vocantur spurii, quia licet matrem habeant certam, patrem tamen habent incertum; vel quia reverà ignoretur pater; vel quia licet is sit certus, non tamen nominare jure possunt: eò quia copula, ex qua fuerunt geniti lege damnetur. Hi omnes lege canonica arcentur ab ordinibus, ac beneficiis ecclesiasticis.

6 Rationes cur illegitimè nati arceantur à sacris ordinibus plures sunt, ut notant Rebuffus *in prax. beneficior. par. 2. de dispensat. super defectus natalium num. 3.* Una est metus incontinentiæ paternæ, quia persæpe contingit, ut mores patrum filii sequantur, ac imitentur *c. si gens Anglorum dist.56.* secunda ut hoc pœnæ genere plectatur crimen paternum: tantus enim solet esse affectus parentum in filios, teste Jurisconsulto *L. isti quidem ff. de eo quod metus causâ*, ut molestiis, ac malis filiorum magis, quàm propriis divexentur, ac torqueantur. Tertia quia filii illegitimi probrum quoddam, ac ignominiam secum trahunt, ob quam indigni judicantur sacris insigniri ordinibus; quadam enim censentur infici turpitudine, quâ contemni ab aliis solent. Si tamen ingressi fuerint aliquam approbatam Religiosorum congregationem, & in ea solemnem emiserint professionem de jure communi fiunt apti ad ordines sacros suscipiendos *cap. Presbyterorum dist 56.* & *c. 1. de filiis presbyt.* Religiosi enim professi absque ulla dispensatione, ac indulgentia possunt ad ordines promoveri, quia jus commune id ipsis concedit. Et quamvis Sixtus V. in Bulla *cum de omnibus* contra illegitimos prohibuerit, eos admitti in Religionem, aut admissos promoveri ad ordines, ac dignitates; nihilominus Gregorius XIV. ejus successor in Bulla, quæ incipit *Circumspecta Romani* temperavit rigorem Bullæ Sixtianæ, eámque restituit terminis juris communis. Non tamen possunt promoveri ad Præfecturas, ac Prælaturas, *c. 1. de filiis Presbyterorum in 6.* Neque simpliciter, qui non est legitimè natus, quamvis fuerit religionem professus est capax beneficii ecclesiastici, quia de jure communi promoveri tantùm potest ad ordines, non ad beneficia, etiam regularia; ut censent communiter, & desumitur *ex cap. 1. de filiis Presbyterorum in 6.*

Cæterum quia irregularitas, quam contrahunt legitimis carentes natalibus est potius juris humani, quàm naturalis, aut divini, ideò potest summus Pontifex hac super irregularitate dispensare, imò solet *c. innotuit de Elect.* & quidem ad sacros ordines etiam majores, ut etiam ad beneficia majora, quæ curata dicuntur. An etiam Episcopus possit dispensare cum non legitimè natis, ut promoveri possint. Respondet Glossa in dubium potuisse id revocari ante editum librum sextum decretalium. Nunc autem certum est *ex cap.1. h. t. in 6.* Episcopum posse tantùm dispensare, quoad ordines minores, & beneficium simplex; ad majores enim ordines, & beneficia curata solus Papa dispensat super irregularitate carentium legitimis natalibus, & illi quibus summus Pontifex hanc concedit facultatem; ut eam concedere solet Nunciis, & Legatis. Quinimò communiter docent Jurisperiti, Episcopum tantùm posse dispensare in beneficiis simplicibus minoribus, non ita in majoribus, seu dignitatibus, personatibus, aliisque id generis, licèt curam animarum actu non habentibus: ut neque in canonicatibus cathedralium Ecclesiarum, quia tales canonicatus ob specialem prærogativam majoribus accensentur *arg. c. quamvis 4. de prabendis in 6. c. statutum de rescriptis in 6.* colligitur etiam ex stylo curiæ Romanæ, non posse Episcopum dispensare cum illegitimè natis ad canonicatus cathedralium, licèt sint simplicia beneficia: quinimò etiam ipse summus Pontifex dispensans cum illegitimè natis ad obtinenda quæcunque beneficia, solet excipere canonicatus cathedralium ecclesiarum ob excellentiam, & dignitatem ecclesiæ. Et licèt spectato jure communi antiquo videatur probabile, posse Episcopum dispensare cum illegitimè natis etiam ad hos canonicatus, de jure tamen novo non potest, quia ex decreto Concilii Tridentini canonicatus cathedralium exigunt ordinem sacrum, ad quem Episcopus cum illegitimis dispensare non potest Barbosa *de offic. Episcopi p.2. alleg.46. num.19.* 7

Quòd si illegitima nativitas fuerit occulta, putant 8

putant aliqui, posse Episcopum dispensare super irregularitate ex illa orta: quia Concilium Tridentinum *sess.24. de reform. c.6.* concedit Episcopis facultatem dispensandi in omnibus censuris, ac irregularitatibus ex delicto occulto (excepto homicidio voluntario) provenientibus; & hæc irregularitas, quam contrahunt illegitimè nati oritur ex delicto parentum. Tum quia dispositio Concilii est privilegium concessum Episcopis nemini præjudicans, proinde latiùs interpretandum *c. 4. de præbendis in 6. c. odia de R. J. in 6.* Opposita tamen sententia quam tuentur Navarrus *in manual. c. 27. n. 194.* Piasecius *in prax. Episcop. p. 1. c. 1. num 56.* & alii est probabilior, quia hæc irregularitas non oritur ex delicto carentium legitimis natalibus, sed ex aliis causis paulò superius recensitis. Tum quia Concilium loquitur de delicto immediatè patrato à persona promovenda.

9 Tum quia dispensatio etiam papalis super irregularitate orta ex defectu natalium est strictæ interpretationis, & est strictè explicanda, ut communiter docent Jurisperiti: siquidem relaxat juris vinculum, proinde tanquam odiosa est strictæ interpretationis; proinde dispensatio simpliciter ad beneficia, non debet extendi ad beneficia curata, neque ad alia, quæ expressa non sunt; & generatim ultra ea, quæ verba strictè, ac propriè accepta significant, non debet extendi. Hinc si petas, an illegitimus dispensatus ad ordines sacros sit etiam dispensatus ad simplex beneficium, licèt Butrius *in cap. postulasti de rescript.* Imola *num. 4.* Felinus *num. 12.* & *in cap. fin. num. 5. de Simon.* Sayrus *de censur. l. 8. cap 21. num 22.* & alii affirment; & nitantur, eò quia si is qui ad ordines est promotus, si eo ipso ad beneficia aptus non fieret, absque dubio cogeretur mendicare, quod clericos dedecet, & sacris adversatur canonibus *c. diaconi 5. dist 93. §. mendicat.* Tum quia in *c. propositi de filiis Presbyt.* Pontifex Oxoniensi Episcopo respondet ei mandans, ut filio sacerdotis, quem subdiaconum creaverat, beneficium conferat; eò quia dignum sit, ut postquam in subdiaconum est ordinatus, non debeat Ecclesiastici beneficii carere provisione. Tum quia in *c. Episcopus de præben.* Alexander III. in Concilio Lateranensi statuit, ut si Episcopus aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vitæ percipiat in Diaconum, vel Presbyterum ordinaverit, tamdiu eidem necessaria suppeditet, donec in aliqua Ecclesia ei convenientia stipendia militiæ clericalis assignet. Quia ut habetur in *c. cum secundùm Apostolum de præben.* dignum est, ut qui servit altari, ex altari vivat secundùm Apostolum.

10 Verior tamen, ac communior sententia est dispensatum super irregularitate orta ex defectu natalium non censeri dispensatum ad ullum beneficium, etiam simplex: ita docent Rebuffus *in praxi benefic. tit. de dispens. sup. defect. natal. n. 48.* Dominic. *in c. 1. de filiis Presbyt. in 6.* Barbosa *de potestate Episc. allegat. 54. n. 6.* Conrad. *in praxi benefic. lib. 3. c. 7. n. 15.* Garzia *de benefic. p. 1. c. 6. n. 70.* Abbas *in c. litteras. n. 6. de fil. Presbyt.* & alii ferè comuniter, & desumitur assertio ex stylo Datariæ, juxta quem dispensatio ad ordines sacros non intelligitur extendi ad beneficia etiam simplicia. Sed ad id requiri necessariò aliam specialem dispensationem. Stylus autem Datariæ continet mentem Pontificis, quam declarat: siquidem agit nomine Pontificis cujus Datarius est Minister: quapropter cùm hæc dispensatio non sit extendenda ultra intentionem, & voluntatem dispensantis; & voluntas Pontificis declarata per stylum Datariæ sit, ut dispensatus ad sacros ordines non intelligatur dispensatus pro beneficiis obtinendis, sequitur evidenter, dispensatum ad ordines sacros non censeri dispensatum ad ullum beneficium etiam simplex. Quòd verò stylus Datariæ declaret intentionem Pontificis dispensantis, docent comuniter jurisperiti, cum sacra Rota corā Coccino *decis. 150. n. 10.* & coram Merlino *decis. 701. n. 3.* unde extendere dispensationem ultra, imò & contra stylum, perinde est ac extendere contra voluntatem Pontificis, & quia dispensatio non valet, nisi oriatur à voluntate Pontificis dispensantis; ideò talis extensio utpote destituta voluntate, & intentione Papæ nullius est valoris.

Neque obstat, quòd opinio contraria censeatur probabilis ex interpretativa voluntate Pontificis, qui supponitur assentiri tali extensioni; siquidem in suis concessionibus, censetur se accommodare opinionibus probabilibus, ut est opposita, quam sequuntur plures, ac insignes Doctores. Nam tunc censetur Pontifex in suis concessionibus se accommodare opinionibus probabilibus, quando non declarat expressè suam voluntatem, sed ejus mens est dubia: in casu autem nostro qualis sit intentio Pontificis dispensantis expressè declaratur per stylum Datariæ: quamobrem extensio contra stylum utpote contra intentionem Pontificis nequit secum trahere assistentiam voluntatis interpretativæ Pontificis. Præterea opposita sententia non est probabilis, eò quia sit expressè contra stylum explicantem, ac declarantem intentionem summi Pontificis. Tum quia stylus, cùm declaret mentem Pontificis, censetur habere vim legis obligantis ut servetur, sicut declaravit sacra Rota coram Puteo *decis. 240. n 8. lib. 1.* & *decis. 2. de appellat.* ac in pluribus aliis decisionibus. Quòd si Doctores docentes oppositam sententiam ignorent stylum Datariæ, cujus non meminerunt, non possunt ullam probabilitatem tribuere oppositæ sententiæ: siquidem stylus Datariæ fundamentum habet in jure communi, & dispensatio, tanquam læsiva legis est strictè interpretanda. *c. 1. §. ille verò de fil. Presbyt. in 6. & c. de præben. eod. tit. & l. ex facto ff. de vulg. & Pupil.* ut tradunt communiter jurisperiti; ex quibus apertè constat, dispensatum super irregularitate orta ex defectu natalium non censeri dispensatum ad ullum beneficium, etiam simplex. 12

Tum quia dispensatio, est interpretanda juxta, & non ultra verborum significationem, juxta quam dispensatio ad ordines non dicitur esse dispensatio ad beneficium: sunt enim duo effectus distincti, & quando in dispensatione unus tantùm exprimitur effectus, non cen- 1

fetur dispensatio se extendere ad alium non expressum, ut declaravit Rota coram Pennia *decis. 619. n. 3.* Tum quia defectus natalium plures inducit inhabilitates, ac impedimenta: siquidem trahit secum inhabilitatem ad ordines, ad beneficia, ad dignitates, quæ procul dubio sunt plures, ac distinctæ inhabilitates, siquidem separantur, & una potest stare sine alia; & quoties inhabilitates sunt plures distinctæ, quarum una non trahit essentialiter aliam, requiruntur plures, ac distinctæ dispensationes, ut docent communiter jurisperiti, Menoch. *de arbit. lib. 2.* Centur. *3. casu 203. n. 13.* Gonzales *ad regulam 8. Cancell.* Glossa *13. n. 37.* ubi citat plures doctores.

13 Neque fundamentum, quo nititur opposita sententia ullius est valoris, quia in præcitatis textibus dispositio tantùm fit circa Clericos jam ordinatos, non verò circa dispensatos, & habilitatos ad ordines. Cùm Clerici ordinati debeant habere congruam sustentationem, ne cum dedecore status clericalis adigantur, vel mendicatò vel ex sordido quæstu vivere; ideò Episcopi, qui promovent ad sacros ordines Clericos tenentur iisdem ministrare necessaria, ut vivant, sicut Clericos decet, quod fit per collationem beneficii: siquidem sunt beneficia ad id instituta, ut Clerici sustententur. Quamobrem ex illis textibus, quibus nititur opposita sententia tantùm infertur, quòd Clerico jam in sacris ordinato debeatur beneficium, si aliunde non habeat titulum, vel patrimonium, quo possit se, ut Clericum decet, sustentare; non autem infertur, quòd dispensatus ad ordines suscipiendos censeatur etiam dispensatus ad beneficium simplex: non enim habilitatio ad ordines infert, quòd habilitatus debeat de facto admitti ad ordines: sed tantùm quòd possit ad illos promoveri, si præter defectum natalium habeat cætera requisita; quæ si non adsint non obstante Pontificia dispensatione super irregularitate orta ex defectu natalium, adhuc potest excludi, ne promoveatur ad sacros ordines, quia Pontifex dispensat tantùm super irregularitate, non verò super aliis requisitis: quapropter dispensatio Pontificia solùm operatur, quòd impedimentum irregularitatis non obstet; non verò, quòd non obstent cætera impedimenta, si adsint. Non enim dispensatio super natalibus habilitat absolutè ad ordines, sed tantùm tollit unum ex impedimentis ad illos. Neque dispensatio super irregularitate ad ordines suscipiendos trahit secum necessariò, & inseparabiliter habilitatem ad beneficium, etiam simplex, quia de jure constat, beneficium non esse inseparabiliter connexum cum ordine sacro, cùm possit quis promoveri ad sacros ordines absque beneficio, sed ad titulum patrimonii, vel pensionis: & ut una dispensatio non trahat necessariò, & essentialiter aliam, sufficit, ut beneficium non sit de jure connexum inseparabiliter cum ordine sacro.

14 Ex allata doctrina plura deducuntur. Primò quòd si Pontifex concedat illegitimè nato, ut possit promoveri ad omnes sacros ordines, non statim intelligitur, quòd etiam possit provehi ad beneficium sive simplex, sive cui sit adnexa cura animarum: quia per primam concessionem solùm est factus habilis ad ordines, non verò ad beneficia, ut tradunt Abbas, Navarrus, Francus, & alii. Secundò si Clericus ab omni gradu per degradationem ejiciatur, & postea ad eosdem ordines restituatur, non propterea intelligitur restitutus ad beneficia, ut tradit Abbas *in c. litteras de fil. Presbyt. n. 6.* Tertiò si illegitimis natus natalibus concessu Pontificis possit promoveri ad ordines simpliciter, non tamen intelligitur, quòd possit initiari ordinibus sacris, nisi id Pontifex expressè declaret; adeò ut dispensatio tantùm intelligatur ad ordines minores, & sit interpretanda strictè. Quòd si Pontifex in sua dispensatione diceret: concedo ut possit ad omnes ordines promoveri, adhuc concessio esset interpretanda ad omnes ordines minores. Quartò si Pontifex dispenset, ut carens legitimis natalibus possit ad beneficia eligi, non tamen eo ipso potest promoveri ad dignitates, quia dispensatio ad beneficia non est expressa dispensatio ad dignitates, cùm possint haberi beneficia sine dignitatibus. Quintò si Pontifex concederet illegitimè nato, ut posset promoveri ad dignitates Ecclesiasticas simpliciter, posset tantùm promoveri ad dignitates minores, non verò majores, & principales, ut docent communiter juris Pontificii periti cum Rebusso *in praxi de dispensat. sup. defect. natal. n. 16.* Dignitates majores illæ dicuntur, quæ in Ecclesia Cathedrali post Episcopum sunt imediatè majores cæteris: & dignitas principalis ea dicitur, quæ in Ecclesia Collegiali est omnium maxima. Sextò si illegitimè natus ex concessione Pontificis posset ad beneficia, & etiam ad dignitates eligi tantùm generatim, eo ipso non intelligeretur habilitatus ad dignitates, quibus annexa est cura animarum: quia tametsi, qui dignitati præest, sit gradu honoris superior eo, cui cura committitur animarum; est nihilominus inferior ordinis potestate. Tum quia dignitati non semper est annexum sacerdotium; & ad curam animarum plus requiritur doctrinæ, & scientiæ *c. cum illis de preben. in 6.* Septimò si legitimis carens natalibus concessu Pontificis fiat aptus, ut possit ad beneficium promoveri, cui est annexa cura animarum, adhuc non posset eligi ad dignitates, ut docent communiter juris periti cum Geminiano *c. ult. de fil. Presbyt. in 6.* quia in juris relaxatione argumentum à pari, vel simili, vel etiam à majori sumptum non ritè concludit: hinc si Pontifex indulgeat Clerico illegitimo, ut ad beneficia possit promoveri non intelligitur, quod etiam possit promoveri ad dignitates, vel beneficia, quibus est cura animarum annexa, ut notat Tabien, *V. beneficium. 2. n. 23.*

An verò valeat translatio pensionum in Clericum carentem legitimis natalibus, videtur esse aliqua difficultas. Supponitur Clericus dispensatus ad solum clericatum, proinde dubitatur, an indigeat alia dispensatione speciali, ut sit capax pensionis Ecclesiasticæ; nam de laicali certum est valere translationem, ut notat Garzias *de benefic. p. 1. c. 5. n. 119.* siquidem cùm possit laica- 15

laicalis pensio conferri laicis, neque specialiter exigat legitima natalia, in eo cui confertur; non videtur esse invalida translatio laicalis pensionis in Clericum illegitimum, unde difficultas procedit de pensione Ecclesiastica. Ratio dubitandi est, quia illegitimus absque dispensatione non est capax beneficii *c. de incest. 35. q. 3. & c. cùm in cunctis de elect.* atqui pensio Ecclesiastica naturam sortitur beneficii, proinde cum illegitimus non sit capax beneficii sine expressa dispensatione, ita neque erit capax pensionis: ita enim docent Rebuffus *in praxi tit. de dispens. sup. defect. natal. n. 48.* Gigas *de pensionibus q. 16.* Garzias *de benefic. p. 1. c. 5. n. 119.*

16 Nihilominus probabilius putârim, validam esse translationem pensionis in Clericum illegitimum, eò quia stante clericatu, ad quem cum dispensatione fuit promotus, censeatur capax pensionis Ecclesiasticæ, ita enim docent Zerola *in praxi p. 1. V. Ordo* §. 4. Gonzalez. *ad 8. regul. Cancellariæ.* Glossa *5. n. 24.* Paleot. *de Nothis. c. 58. n. 4.* & præsertim Rota *decis. 425. p. 1.* coram Seraphino, *& decis. 1264. n. 2.* ubi ait, esse stylum hunc invariabilem. Ratio itidem est, quia inhabilitas illegitimorum, quoad beneficia non extenditur ad pensiones; cùm sit pensio quid diversum à beneficio, & jus distinguat inter pensionem, & beneficium, *c. quamvis de præben. in 6.* ubi Pontifex ait: *Et non in pensione, sed in beneficiis Ecclesiasticis tantùm volumus providere.* Tum quia Concilium Tridentinum etiam distinguit pensiones à beneficiis, & discretivè de ipsis disponit *sess. 21. c. 2. & sess. 25. c. 15. de reformat.* atqui inhabilitas utpote odiosa potius restringenda est, quàm extendenda, proinde non debet inhabilitas quoad beneficia extendi ad pensiones, quia à diversis non fit illatio *l. neque natales. C. de probat. & l. naturaliter. §. nihil commune ff. de acquir. possess.* ut notant Anchar. *in repet. c. canonum statuta opposit. de constit.* Bald. *in l. cum necessitatem c. de fideicomiss.* Cinus *in l. ex lege c. de condit. ob caus.* adeò ut ex in capacitate ad beneficia non ritè inferatur incapacitas ad pensiones.

17 Quia verò illegitimus est tantùm incapax pensionis quatenus est incapax clericatus, qui est qualitas fundamentalis requisita ad pensiones; ideò si supponatur dispensatus ad clericatum, supponitur etiam dispensatus ad pensionem, quia clericatus trahit secum capacitatem recipiendi pensionem; adeò ut defectus natalium non opponatur collationi, vel translationi pensionis, sed tantùm clericatui; proinde sufficit unica dispensatio ad clericatum, quapropter ut declaravit Rota *decis. 3. de fil. Presbyt. in antiquis* valet translatio pensionis in Clericum illegitimum, si aliud non obstet nisi defectus natalium; tametsi in concessione transferendi non exprimatur, quòd possit transferri in illegitimum, quia facultas transferendi cùm non sit coarctata ad certum personarum genus, extenditur ad omnes capaces; proinde eò ipso, quòd cum illegitimo dispensatur in ordine ad clericatum, fit capax pensionis, quæ in ipsum potest transferri.

18 Fundamentum, quo nititur opposita sententia, & desumitur ex *c. de incest. 35. q. 3. & c. cùm in cunctis de elect.* ubi pensio Ecclesiastica dicitur naturam induere beneficii clericalis; est verum in sensu, qui habetur in textibus; nimirum, quando certa quantitas fructuum separatur à beneficio; & ita constituitur pensio, ut erigatur in titulum beneficii, quia tunc propriè est beneficium, licèt nomen retineat pensionis, ut notat Navarrus *cons. 11. de constit.* Cæterum quando pensio est simplex non induit naturam beneficii, & ejus translatio in Clericum illegitimum est valida.

Oritur tamen dubium, num etiam valida foret translatio, si illegitimus absque prævia dispensatione clericatum suscepisset: Ratio dubitandi est, quia defectus natalium tantùm ponit impedimentum ad clericatum, non ad recipiendam pensionem; proinde posito clericatu videtur ponenda capacitas suscipiendi pensionem. Dicendum nihilominus est, talem non fore capacem pensionis, ut docent communiùs jurisperiti cum Lotterio *de re beneficiaria, lib. 1. q. 40. n. 145.* siquidem cùm clericatus non fuerit ritè assumptus, quamvis secum trahat tonsuram, vel minores ordines; non tamen trahit habilitatem ad pensionem; proinde ita se habet in ordine ad inducendos suos effectus, ac si non fuisset susceptus, ut notat Bald. *cons. 402. n. 3. V. considerandum est,* & desumitur *ex c. inter incorporalia de translat. Episcop. & c. veniens de Presbyt. non baptizat. & c. fin. de restit. spoliat.* Ratio est, quia cùm effectus pensionis sit de jure positivo non inducitur, nisi clericatus initatur jure positivo, seu suscipiatur, ut jura præscribunt: & cùm carens legitimis natalibus, suscipit clericatum sine prævia dispensatione, non illum suscipiat, ut præscribunt jura, ideò, non sortitur suum effectum, & translatio pensionis non habet suum valorem. 19

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones.

Quæritur primò, quid circa successiones filiorum illegitimorum in beneficiis ecclesiasticis paternis jure novo statuatur? Respondetur hactenus dicta in præcedente §. tantùm procedere spectato jure communi decretalium, quod tamen saltem ex parte fuit per jus novum correctum. Extat enim constitutio Clementis VII. emanata nonis Junii 1533. cui initium est *ad Canonum Conditorem* & refertur à nostro Quaranta in *sum. Bullarii V. illegitimi* ubi statuitur, ut deinceps filii Presbyterorum nati ex fornicatione omninò arceantur à beneficiis ecclesiasticis cum cura, vel sine cura, sæcularibus, vel regularibus, quæ eorum Patres Presbyteri, & Clerici, ac Religiosi in titulum, vel commendam, vel administrationem ad tempus, vel in perpetuum aliquando obtinuerunt, & quidem sine omni spe dispensationis à Sede Apostolica obtinendæ, non obstante, quòd Alexander III. disposuerit, filios sacerdotum posse succedere in beneficiis parentum media persona inter- 1

intercedente, aliis constitutionibus contrariis non obstantibus. Rursus Concilium Tridentinum *seß. 25. c. 15. de reform.* etiam jure novo statuit, *Ut non liceat filiis Clericorum, qui non sunt nati ex legitimo matrimonio, in ecclesiis, ubi eorum Patres beneficium aliquod ecclesiasticum habent, vel habuerunt, quodcunq; etiam dissimile beneficium obtinere, nec in dictis ecclesiis quoquo modo ministrare: neq; pensiones super fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel aliàs obtinuerunt habere. Neq; reciproca resignationes in eorum favorem à parentibus factæ illis suffragentur, veluti in fraudem hujus decreti factæ.* Et Concilium adfert etiam rationem, ut nimirum paternæ incontinentiæ memoria ab ecclesiis, seu locis Deo Sacratis, quos maxima puritas, & sanctitas decet, longissimè arceatur.

2 Quæritur secundò, an utraque constitutio Clementina, & Tridentina procedat etiam in filiis naturalibus susceptis ex fornicatione ante clericatum patris? Respondetur affirmativè ex declaratione Congregationis Cardinalium super Concil. quam refert Garzia *p. 7. de benefic. c. 3. n. 15.* imò utraque constitutio comprehendit etiam illegitimos, quamvis per rescriptum Principis, vel Papæ legitimatos: nisi expressè, & specialiter in rescripto tollatur hoc impedimentum, & removeatur inhabilitas: Ratio est, quia tales filii illegitimi, nati non sunt ex legitimo matrimonio, proinde excluduntur ab Ecclesiis, & beneficiis suorum Patrum, quia etiam post legitimationem memoria paternæ incontinentiæ manet; proinde adhuc urget ratio prohibitionis, quam attulit Concil. Trident. *seß. 25. c. 15. de reform.* Excipitur tamen nisi filius fuerit legitimatus per subsequens matrimonium, quia ita legitimatus fictione juris censetur ex legitimo matrimonio natus, ut notat Glossa *in c. innotuit 20. V. conjugata de elect.* & notat Butrius apud Fagnanum *in c. ad extirpandas 11. n. 33. h. t.*

3 Quæritur tertiò, an utraque constitutio Clementina, & Tridentina extendatur etiam ad Nepotes legitimè natos ex filio illegitimo? Respondetur negativè: ratio est, quia in constitutione pœnali, & odiosa appellatione filiorum non comprehenduntur Nepotes, ut notat Bartolus in *l. liberorum 220. n. 6. ff. de V. S.* atqui utraque constitutio Clementina, & Tridentina pœnalis est & odiosa, cũ principaliter non tendat ad tollendam hæreditariam successionem in favorem ecclesiarum, nec fundetur in illa; sicut fundatur prohibitio juris communis: sed tendat principaliter ad tollendam memoriam paternæ incontinentiæ, adeò ut utraque sit in odium Patrum, qui non fuerunt continentes, & filiorum, qui ob talem incontinentiam fuerunt illegitimè nati: ait enim Concilium *loc. cit. ut longissimè memoria paternæ incontinentiæ ab ecclesiis, seu locis Deo consecratis, quos maxima puritas, & sanctitas decet, arceatur.* quod verificatur in filiis, non verò in Nepotibus legitimè natis ex filiis illegitimis, quia Nepotes non sunt illegitimi cum supponantur geniti ex legitimo matrimonio, proinde constitutio Clementina, & Tridentina non extenditur ad Nepotes natos ex legitimo matrimonio, quia constitutiones pœnales non sunt extendendæ ad casus non expressos; & utraque allegata constitutio tantùm loquitur de illegitimè natis.

Quæritur quartò, an vigore utriusque constitutionis etiam Pater prohibeatur acquirere beneficium in eadem ecclesia, in qua illud habuit antea ejus filius mortuus? Respondetur Patrem non prohiberi acquirere beneficium in eadem ecclesia, in qua illud habuit filius illegitimè natus: quinimò posse in eodem prorsus beneficio immediatè succedere, si ejus filius illegitimus mortuus sit, vel beneficio renunciaverit. Ratio est quia utraque constitutio Clementis VII. & Concilii Tridentini *seß. 25. c. 15. de refor.* loquitur de filiis illegitimis Clericorum, & quia ambæ constitutiones sunt principaliter editæ in eorum odium; non debent extendi ultra casus, vel personas expressas: & quia præfatæ constitutiones expressè loquuntur de filiis illegitimis, ut non succedant in ecclesiis, & beneficiis paternis; non debent extendi ad Patres, ut etiam illi non possint succedere in beneficiis filiorum. Præterea quia est discrimen inter patrem immediatè succedentem in beneficio filii illegitimi, & inter filium illegitimum succedentem immediatè in beneficio Patris: quia filius repræsentat Patrem, propterea memoria paternæ incontinentiæ in filio illegitimo continuaretur. Hoc autem inconveniens non sequitur, si Pater succedat in beneficio filii illegitimi, quia tunc memoria paternæ incontinentiæ non dicitur continuari ultra vitam Patris incontinentis. Cæterum post Concilium Tridentinum *loc. cit.* non potest Pater acquirere beneficium in eadem ecclesia, in qua ejus filius illegitimus jam obtinet beneficium, quia Pater, & filius illegitimus non possunt simul habere duo beneficia in eadem ecclesia. 4

Quæritur quintò, An si pater habeat aliquam pensionem in ecclesia cum facultate eam resignandi alteri, possit filio suo illegitimo eam resignare? Respondetur cum distinctione, si pensio constituta fuit super beneficio, quod pater habuit, non potest eam transferre in filium illegitimum, quia tunc pensio illa est pars paterni beneficii, cui prohibetur filius illegitimus succedere. Tum quia si pensio sit spiritualis, quæ datur clerico ob spirituale ministerium, hæc æquiparatur beneficio, proinde non potest filius illegitimus eidem succedere. Si pensio non sit constituta super beneficio, quod Pater obtinuit, hæc non prohibetur transferri in filium illegitimum, quia simplex pensio in odiosis non comprehenditur nomine beneficii. 5

Quæritur sextò, an filius illegitimus Clerici possit fieri Vicarius perpetuus, vel etiam temporalis, vel aliud beneficium obtinere in ecclesia parochiali accessoriè unita alteri principali? Respondetur affirmativè, dummodo Pater habeat beneficium in ecclesia principali, & filius in accessoria; & utraque ecclesia sit beneficium per se, & ab alio distinctum, & dummodo ex parte filii nulla sit obligatio ministrandi in ecclesia principali, in qua ejus pater est intitulatus: ratio est, quia tunc filius illegitimus non succedit in beneficio Patris, nec in eadem ecclesia habet beneficio- 6

neficium cum Patre. Quòd si diversa beneficia essent unita æquè principaliter, & esset utriusque unus Rector, tunc filius non posset in illis beneficium obtinere, quia pater est in utraque intitulatus; ut etiam declaravit sacra congregatio Concil. apud Garciam *loc. cit. n. 62.*

TITULUS XVIII.

De servis non ordinandis, & eorum manumissione.

Cùm Pontifex in præcedente titulo egisset de vitio natalium, quod est impedimentum originis, rectè in præsenti agit de servitute, quæ est impedimentum conditionis personæ. Si enim capitale olim servo fuit pati se in militem adscribi *L. 11. ab omni ff. de re milit.* imò moris fuit, servos, qui scienter militiæ nomen dedissent è saxo Tarpejo dejici teste Xiphilino in Augusto, & etiam eum, qui de libertate sua cum adhuc litigaret ante sententiam Judicis in numeros se referri curâsset, exauctoratum è castris ejici *L. 29. qui de libert. ff. de lib. caus.* Hoc idem obtinuit, & invaluit semper in ecclesia, ne qui servili conditioni adstricti essent, in ordinem Clericorum reciperentur, ut liquet ex *can. Apostol. 82.* Idque fortâssis, ne Mediastini, aliique inferioris conditionis servi occasionem acciperent subtrahendi se ab obsequiis Dominorum.

SUMMARIUM EXEGETICUM

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

CAP. INSTRUENDI 1. h. t. ex Concilio Toletano statuitur, ut servus non permittatur, clericum fieri nisi ante clericatum potiatur dignitate ingenuitatis. Hinc servi ante plenam manumissionem non sunt promovendi ad ordines ecclesiasticos.

C. DE SERVORUM 2 h. t. statuitur, ut nullus Episcoporum deinceps ad sacros ordines præsumat servos promovere, nisi priùs à Dominis fuerint libertatem consecuti: & servos, qui ante obtentam libertatem callidè ordinantur in sacris; statuitur esse deponendos, ac fuit tradendos Dominis. Sin verò servus ordinetur sacerdos sciente, & contradicente Domino remanet servus sicut antea: sin verò sciente, & non contradicente Domino donatur libertate: si inscio Domino, sed sciente Episcopo, vel præsentatore, fit etiam liber, sed Episcopus, vel præsentator tenetur Domino dare in compensationem duos servos æquè bonos; quòd si non habeat unde solvat, restituendus est servus Domino. Sin verò omnibus ignorantibus ordinatur in minoribus, deponitur, & remanet servus. Sin verò fiat Diaconus, vel Subdiaconus debet dare Vicarium pro se, & si non habet, debet ipse servire. Sin verò fiat sacerdos, donatur libertate, & perdit peculium, quo si careat, tenetur Domino servire in spiritualibus: Sin verò fiat Monachus potest Dominus usque ad triennium illum repetere, non ultra. Hæc autem procedunt de servis, qui ex utroque parente servi nati sunt: quia natus ex patre servo, & matre libera est liber, & potest licitè ordinari. Rursus hæc procedunt, si Dominus ordinatum repetat intra annum computandum non ab ordinatione, sed à scientia Domini.

C. DE FAMULIS 3. h. t. statuitur, ut servus ecclesiæ manumissus possit promoveri ad ordines: sed quicquid acquirit, post ejus mortem pertineat ad ecclesiam manumittentem, & si invita ecclesia accuset contra illam, hic privetur gradu honoris, & iterum fiat servus. Hinc Libertus non potest accusare Dominum suum, nec contra eum testificari sine venia.

C. NULLUS 4. h. t. habetur, quòd servus manumissus à Domino, & ordinatus, si nolit elatus recitare horas canonicas pro Domino, Episcopus possit ipsum accusatum degradare. Ex quo textu liquet, posse Dominum in manumisso retinere opera spiritualia, & posse aliquem ob ingratitudinem reduci ad pristinum statum.

C. CONSULUIT 5. h. t. rescribit Alexander III. Archiepiscopo Turonensi; neque spurios, neque servos esse ordinandos, & Episcopum debere memorem esse, sibi in consecratione dictum fuisse: Vide, ne quemlibet servilis conditionis

onis ordinare præsumas. *Verùm hæc admonitio, licèt fortassis extiterit in veteribus caremoniarum Pontificiarum libris, hodie tamen non videtur ampliùs in usu.*

C. *EO LIBENTIUS 6. h. t. rescribit Innocentius III. Episcopo Variensi, quòd si servi ecclesiæ manumittantur, & promoveantur ad ordines ea conditione, ut perpetuò inserviant eidem ecclesiæ in officiis; non possint manumissi & ordinati ad servitia transire alterius ecclesiæ, eò quia manumissio fuit conditionata, & manumissus tenetur implere conditionem. Quòd si absolutè manumittatur potest ad alias ecclesias transire. Cæterum ut notat Glossa, si manumissi conditionatè non serviant, fiunt iterum servi.*

C. *MIRAMUR 7. h. t. declaratur esse idem jus de servo facto Diacono, ac de servo facto Subdiacono. Et licèt aliqui censuerint, ordinem Subdiaconatus non esse sacramentum, eò quia inter ordines sacros tantùm sæculo sexto post Christum, fuerit votum continentiæ adnexum Subdiaconatui* dist. 31. ante triennium, *respondet tamen Bellarminus* de sacram. ordin. c. 7. *ordinem sacrum differre à sacramento, eò quia plures doceant ordines minores esse sacramenta, non tamen ordines sacros. Verùm licèt revera omnes ordines utpote ecclesiastici sint sacri; nihilominus usus invaluit, ut solùm tres primi per excellentiam dicantur sacri, eò quia attingant vasa sacra* c. nullus dist. 24. *Fuit autem illis concessum, ut vasa sacra possent attingere, cum antea Subdiaconis non licuerit ea attingere, ut eligerentur Episcopi* c. à multis de ætat. & qualit. Ordin. *Hacque est ratio, cur Subdiaconatus olim non diceretur ordo sacer.*

C. *DILECTUS 8. h. t. declaratur quòd filius natus ex servo, & libera sit liber, & possit licitè promoveri ad ordines. Idque procedit, dummodo mater aliquo saltem tempore, dum uterum gestavit, libera fuerit* L. 5. §. 2. de statu hominum.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

An servi sint promovendi ad sacros ordines, & quomodo manumittendi.

1 ID interest discriminis inter servum, & famulum, quia famulus is propriè dicitur, qui pro annua mercede suo inservit hero, & in sensu, ac usu juris verè est liber. Servus verò in jure is dicitur, qui jure gentium contra naturalem libertatem subjicitur dominio alicujus: quo pacto olim in bello capti, aut ex matre serva nati dicebantur servi, ut communiter docent jurisperiti *ad tit. institut. de jure personarum.* Quamobrem servus cùm sit sub dominio alterius, non est sui juris; neque sine consensu Domini, cui subjicitur potest de se quidquam disponere.

2 Hinc ordinationes servorum in jure canonico prohibentur ob injuriam, & præjudicium, quod infertur Dominis servorum; privantur enim illo obsequio, & beneficio, quod ipsis tenentur servi titulo servitutis præstare. Quòd si contingeret, servum defacto ordinari, si id præstitisset sciente, & non contradicente Domino, servus statim liberaretur à servitute, & fieret liber, quia status clericalis est liber excludens servitutem, & dominus sciens, & non contradicens censeretur consensisse, ut servus fieret Clericus: proinde hic remaneret omninò liber: sin verò Dominus contradixisset, tunc ne fieret eidem injuria esset servus deponendus à clericatu, & restituendus domino; nisi ad sacerdotium fuisset jam promotus, quia tunc propter dignitatem ordinis sacerdotalis liberaretur à servili conditione, & tantùm teneretur inservire Domino suo in divinis officiis, ac missis legendis, essétque ejus Capellanus. Sin autem ignorante Domino servus sit ordinatus ad minores ordines, revocatur in servitutem; si ad majores adhibenda est distinctio: vel enim Episcopus tunc cùm ipsum ordinavit, scivit, servum esse, & tunc fit liber, ac permanet in statu clericali; sed Episcopus tenetur domino dare duos servos æquè bonos, vel eorum æstimationem, secundúm prudentis viri judicium; sin verò Episcopus, quando ipsum ad majores ordines promovit, nescivit esse servum, tunc alium servum sui loco tenetur dare domino, vel pretium æquale: imò si servus tantùm promotus fuerit ad Subdiaconatum, vel Diaconatum, censent plures in defectu alterius servi, vel pretii æqualis esse revocandum in servitutem; non ita tamen, si fuerit sacerdos initiatus, quia ratione sacerdotii fit statim liber, & tantùm si habet peculium id debet dare domino, & si careat peculio debet in divinis servire domino. Deperditur tamen hæc actio, quæ domino datur ad repetendum servum post annum lapsum à die, quo scivit, fuisse ad clericatum assumptum, ut liquet ex *textu hujus tit. & ex tota distinct. 54.*

Quòd si servus invito domino fieret Religiosus; adhuc posset Dominus intra triennium illum repetere manente tamen servo votis emissis obligato. Quòd si Monasterium sciverit ipsum 3

ipsum esse servum, vel neglexerit inquirere de illius qualitate, & eum ad solemnem admiserit professionem, tum non repeteretur à Domino servus, sed teneretur Monasterium satisfacere Domino per æqualem compensationem juxta judicium prudentis viri, ut tradit Glossa, & Barbarius *in c. 2. h. t.* Nequ[e] obstat, quod semel Deo dicatum non debeat amplius transferri ad profanos usus *c. semel de R. J. in 6.* quia ut notat Barbosa *in d. c. 2. n. 5.* id tantùm procedit de consecratis inanimatis, in quibus consecratio consideratur in superficie, nec tangi debet res consecrata à laicis. Sed alii respondent, & quidem veriùs, regulam illam procedere in iis, quæ pleno jure sunt Deo dicata, & ab eo fuerunt acceptata: & Deum tantùm censeri acceptare consecrationem, votum, & oblationem personæ in alterius dominio constitutæ, quatenus persona est sui juris; non ita, quando id præstat cum præjudicio alterius.

4 Hodie tamen inter Christianos servitus non est amplius in usu, adeò ut unus Christianus non sit servus alterius: Quinimò si Christiani capti detineantur ab infidelibus, à nobis quoad effectum juris, seu admissionem testamenti, patriæ potestatis &c. de consuetudine non solent pro servis haberi ob dignitatem Christiani nominis, & ne videamur imitari tyrannidem infidelium. Qui verò infideles à nobis capiuntur pro servis habentur, sicut apud infideles Christiani capti. Extenditur hæc juris dispositio secundùm terminos habiles, & quantum fieri potest, saltem in ordine ad resarciendum Domini interesse, etiam quoad adscriptitios, qui alicui fundo colendo sunt in perpetuum adscripti; & etiam ad originarios, qui ex talibus adscriptitiis nati sunt, & de quibus fit mentio *in tit. c. de agricolis, & censitis.* Imò ad omnes illos, qui alicui conditioni perpetuò obligantur *c. quamvis leges. c. generalis. c. admittuntur. c. fin.* & ibi Glossa *dist. 54.* in quibus textibus etiam habetur, quod liberti, & libertini non possint promoveri ad sacros ordines ob defectum plenæ libertatis, nisi à suis heris fuerint plenè manumissi sine retentione temporalis obsequii præstandi dominis in gratiam manumissionis, ut liquet ex *can. 1. admittuntur,* ubi etiam habetur, quòd servi tam originarii, quàm adscriptitii non possint sine licentia Dominorum, aut obtenta manumissione per solutum illis pretium ad sacros ordines promoveri. An verò filius familias possit sine licentia patris ad sacros ordines promoveri, respondent communiter, quod quamvis congruum, & decens sit, ut filius obtineat à patre consensum; nihilominus si pater detrectaret assentiri, adhuc filius posset ad ordines promoveri: quia in jure canonico non reperitur, posse patrem impedire, quo minus filius sacris initietur ordinibus; neque de jure civili tanta est patris concessa potestas: quinimò si jus civile talem illi concederet, adhuc non deberet attendi, cum non possit sæcularis laicus disponere de rebus Ecclesiasticis. Imò jure civili ex speciali privilegio à Justiniano Imperatore Clericis indulto omnia bona post susceptos ordines à filio familias acquisita, habentur tanquã bona Castrensia, de quibus potest filius liberè disponere, ac testari *auth. Presb. c. de Episc. & Cleric.* quoad bona tamen ante clericatum acquisita excepta dignitate Episcopali non eximitur filius, à patria potestate *l. sacrosancta 24. cum auth. sequen. c. de Episc. & Cler.*

Ad manumissionem verò servorum quod attinet; illi propriè vocantur in jure manumissi, qui cùm servi antea fuerint, & sub jure alterius donantur libertate; adeò ut hæc libertatis datio, propriè manumissio dicatur; perinde ac filiusfamilias solutus patria potestate, & factus sui juris dicitur emancipatus: unde servi vinculo servitutis liberati dicuntur manumissi *lib. 41. Pandect. tit. 1. de manumissionibus,* moris erat apud priscos Romanos in manumissione, ut Dominus caput servi, aut aliud membrum manu tenens ter repeteret, hunc hominem liberum esse volo, & per singulas vices mittebat eum è manu, quasi à se expelleret, & à sua potestate, ac dominio. Manumissio servorum fiebat censu, vel vindictâ, aut testamento, quarum manumissionum meminit Boëtius. Censu fiebat servus liber, quando consentiente populo, vel jubente Domino nomen in censum dabat, quo pacto assumebatur in civem Romanum, & vinculo solvebatur servitutis; siquidem apud priscos Romanos non censebantur nisi cives Romani. Vindictâ servus manumittebatur, seu fiebat liber, à vinculo solutus servitutis, quando Prætor, vel Præses, aut Consul, vel Præfectus Ægypti, aut Proconsul, vel ejus legatus capiti obrasio servi imponens virgam, eundem in libertatem vindicabat, quædam solemnia proferens verba, & illa virga vindicta dicebatur, quia erat instrumentum quo magistratus, vel Dominus, aut lictor jussu Domini tangebat obrasum servi caput. Prætor autem vindictâ, seu virgâ obraso servi capiti imposita dicebat, *dico eum liberum esse more Quiritum.* Inde conversus ad lictorem addebat: *Secundùm tuam causam fac sicut dixi: ecce tibi vindicta.* Tunc lictor acceptâ à Prætore vindictâ caput servi percutiebat, faciem palmâ, tergùmque verberabat, quibus actis nomen manumissi à publico Notario in acta referebatur adjectâ causâ manumissionis. Hinc vindiciæ dicuntur sententiæ, seu assertiones, vel adjudicationes, quæ si à servitute in libertatem fiunt, dicuntur vindiciæ secundùm libertatem: sin autem à libertate in servitutem dicuntur vindiciæ, secundùm servitutem. Hinc Prætor dicitur decernere vindicias secundùm libertatem, quando in libertatem asserit. Rursus dicitur dare vindicias secundùm servitutem, quando pronuntiat, eum habendum esse ut servum, donec dicta causa de statu constiterit. 5

6 Hæ vindiciæ, seu adjudicationes libertatis, aut servitutis propriè pendente lite à Prætore dari dicuntur, quando quis sui status quæstionem patitur, & postulat à Prætore vindicias secundùm libertatem: scilicet ut interim pendente lite sit in ipsa possessione libertatis, ac libertate potiatur. Rursus non solùm de libertate, & servitute vindiciæ dicuntur, sed etiam de rebus aliis, ut quando de re aliqua inter duos, aut plures apud Prætorem est controversia, & an

ceps

ceps adhuc est, uter litigatorum pendente lite rei controversæ possessor esse debeat, uterque autem à Prætore vindicias postulat, & judex concedit, cui æquum esse videtur. Cui verò dederit, is satisdat adversario suo nil se deterius facturum in possessione, de qua est jurgium: Rursus sponsione ipse provocatur ab adversario certæ pecuniæ, aut æstimationis, quam amittat, nisi sua sit hæreditas, de qua contendit. Cæterum vindiciarum nomen suam traxisse originem à quodam Vindicio servo refert Livius *lib.* 2. hic enim cùm indicâsset conjurationem juventutis de reducendo Tarquinio, primus in libera civitate libertatem est assecutus.

7 Testamento, aut codicillis testamento confirmatis servus manumittebatur, seu fiebat liber, quando Dominus suprema voluntate vi testamenti cum libertate donabat: idque tripliciter fiebat, vel directè, vel sub conditione, vel per fideicommissum. Rursus directè adhuc dupliciter, vel enim testator sic dicebat: Cajus servus meus liber esto; vel hoc alio modo: Cajum servum meum liberum esse volo: aut verbis ad hæredem directis scribebat, volo ut Sempronius hæres meus servo meo Cajo libertatem largiatur: & hæc manumissio erat partim directa, quia testator per se ipsum manumittebat; & partim indirecta, quia libertatem relinquebat, ut per hæredem, & per legatarium servus illam acciperet: dicebatur etiam hæc manumissio pura, quatenus testator absque ulla conditione servum manumittebat.

8 Manumissio sub conditione dupliciter contingebat, vel enim libertas relinquebatur in diem, aut sub conditione. In diem, ut si testator dixisset; volo, ut Cajus servus meus sit liber duodecimo anno, postquam ultimum meum diem objero: vel si dixisset, sit liber postquam hæredi meo Sempronio servierit per triennium. Sub conditione libertas relinquebatur, ut si testator dixisset: Cajus servus meus sit liber, si Sempronius meus hæres fuerit promotus ad consulatum. Hi servi, quibus testator libertatem relinquebat, vel in diem, vel sub conditione, dicebantur statu liberi, donec dies accederet, vel conditio impleretur Glossa in *L 1. ff. de statu libert.*

9 Per fideicommissum fiebat etiam manumissio, & servi donabantur libertate, adeò ut in lib. 14. digestorum sit titulus de fideicommissariis libertatibus, & lib. 7. Codicis habetur titulus septimus de fideicommissariis libertatibus, mósque erat, ut hujusmodi manumissio fieret largiùs, quia non tantùm propriis, sed etiam alienis servis per fideicommissum libertas dari poterat: ita tamen ut vulgaribus verbis voluntas testatoris evidenter exprimeretur *l. libertates ff. de fideicommiss. libert.* Rursus per fideicommissum dupliciter dabatur libertas: vel enim testator libertatem relinquebat, ut per hæredem institutum daretur servo libertas, vel per legatarium, & dicebat: Volo ut Titius hæres meus manumittat Cajum servum meum: vel dicebat, Rogo, ut Titius, cui certum legatum relinquo emat Sempronium servum Titij, & illum manumittat. Servi itidem, quibus per fideicommissum libertas dabatur, dicebantur etiam statu liberi donec per hæredem, vel legatarium donati essent libertate.

10 Si quæras quænam fuerit illa manumissio, quæ in Ecclesia, seu æde sacra fiebat? Respondetur, censu obsoleto per contrarium usum libertatem, ac civitatem Romanam dari servis cœpisse in æde sacra, sive in Ecclesia, adeò ut lib. 7. Codicis sit titulus 16. de iis, qui in Ecclesiis manumittuntur. Moris erat, ut hæc manumissio fieret in æde sacra spectante plebe, & coram Antistite, per quandam scripturam, in qua scripta erant nomina eorum, qui libertatem dabant *L. 1. & 2. de iis, qui in Ecclesia manumittuntur.* Si petas, quot fuerint libertinorum genera, respondetur ex *institut. de libertin.* tripartitum fuisse antiquitùs statum libertinorum: vel enim qui manumittebantur majorem, & justam consequebantur libertatem, & fiebant cives Romani: vel minorem, & fiebant *ex L. Junia Narbona* Latini: vel tandem inferiorem assequebantur libertatem, & *ex L. Aelia. Sentia* fiebant Dedititii; qua propter tres erant libertinorum classes, cives Romani, Latini, & Dedititii. Cives Romani fiebant aliquo ex supra dictis quatuor modis, scilicet testamento, aut censu, aut in æde sacra, aut vindictâ ante Magistratum, à quo erant manumissi. Latini dicebantur, qui vel per epistolam, vel inter amicos, vel per mensam, seu per convivii adhibitionem manumittebantur. Dedititii, qui post admissa crimina supplicio subditi, aut publicè pro criminibus cæsi erant; aut in quorum facie, vel corpore, aliqua indicia igne, aut ferro impressa fuerant, adeò ut deleri non possent. Hi siquidem, si manumittebantur Dedititii vocabantur: quatenus servi publicè vincti, aut notis inusti, vel si publicè fuerint verberati, & postea manumissi, Dedititiam libertatem consequebantur: & hi nunquam ad id perveniebant, ut cives Romani fierent. Unde in hac triplici libertinorum classe cives Romani meliorem sortiebantur conditionem, quatenus poterant testari, & ex testamento succedere aliis personis: secus Latini, & Dedititii, nec testamenta condere, nec sibi ex aliorum testamento dimissum quidquam vendicare poterant; & eorum bona iterum cùm suum obirent diem sub dominium cadebant dominorum, à quibus fuerunt per manumissionem libertate donati.

11 Rursus Dedititii differebant à Latinis, quia illi nulla ratione poterant unquam ad privilegia Romanorum civium pervenire, adeo ut nunquam illis permitteretur testamentum instituere, aut ex testamento aliis succedere: Secus Latini si iterum testamento, aut censu, aut vindicta, aut in æde sacra manumitterentur, promovebantur inter cives Romanos, ac eorum privilegia consequebantur. Justinianus tamen Imperator duas edidit constitutiones, quibus Dedititiam, & latinam libertatem prorsus abolevit, & solam libertatem Romanam vigere permisit in *L. 1. de Dedititia libertate tollenda* hanc libertatem abrogavit, & *in L. 1. de Latina libertate tollenda*, sustulit totam libertatem latinam,

voluitque plenam libertatem, & civitatem iis convenire, qui manumitterentur per epistolam; quinque tamen testibus adhibitis, qui inter amicos servitutis vinculo solverentur coram totidem testibus. Imò voluit, ægrotum servum, si è domo ejiceretur, fieri civem Romanum, licèt olim ex edicto Claudii Imperatoris latina tantùm donaretur, libertate *L. 1. C. de latina libertate tollenda §. sed scimus*. Rursus decrevit, ut si ancilla itidem adversus conditionem venditionis prostituta esset, plenam, ac justam consequeretur libertatem. Item si ancilla fidelis à Domino in turpem actum fuisset provocata ex jure permittebatur illi fuga, & invocare officium Episcopi, cujus authoritate Dominus cogebatur eam manumittere, *L. si Lenones C. de Episcopali audientia*. quia verò hæc servitus inter Christianos est abrogata; superfluum censeo omnia recensere, quæ circa servorum manumissionem fuerunt olim statuta.

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones.

1 Quæritur primò, quibus modis possit quis fieri servus? Respondetur generatim tribus potissimum modis, scilicèt, nativitate, captivitate, & venditione §. *servi autem instit. de jure person.* ibi enim hi tres modi inducentes servitutem præ cæteris recensentur. Priori modo ex nativitate fiunt servi, qui ex matre serva nascuntur, quia partus sequitur ventrem *c. unic. de natis ex libero ventre L. partum. C. de rei vendicat.* quod tamen procedit quoad statum libertatis, vel servitutis, non verò quoad originem, familiam, & honores. Rursus ut dicatur quispiam servus nasci, requiritur, ut ejus mater toto tempore, quo fuit gravida serva fuerit: unde si mater tempore, quo concepit fuit libera; & postea fiat serva, etiam antequã pariat: ut etiam è contra si tempore, quo concepit fuit serva, & postea tempore partus facta est libera, tunc infans nascitur liber: siquidem calamitas matris, quæ semel libera, iterum in servitutem labitur, ei non est nocumento, qui in utero gestatur, *l. & servor. ff. de statu hominis*. Tum quia libertas matris tempore gestati uteri redundat in favorem prolis inclusæ in ejus utero: causæ autem favorabiles sunt laxè accipiendæ, ut prosint quantum possunt *c. ult. de sent. & re judicat.* Rursus captivitate olim apud Romanos, fiebant servi, qui in bello capti servabantur, adeò ut non occiderentur: & hi propriè vocabantur servi, quasi servati. Hodie tamen usus invaluit, ut inter Christianos bello capti libertatem non amittant, nec in servitutem redigantur, sed si præstiterint lytrum redemptionis plenâ libertate donentur juxta *can. cum Redemptor. 18. q. 2.* Excipiuntur tamen capti in bello justo contra Turcas: quia sicut Turcæ Christianos; ita Christiani jure talionis Turcas in bello captos habent pro servis. Non tamen Christiani detenti in servitute turcica habentur ab aliis Christianis pro servis quoad effectum juris, quia ob dignitatem Christiani nominis censentur liberi, qua libertate eos Christus donavit: hinc valet testamentum Christiani detenti in servitute Turcica, habetque easdem vires, ac si fuisset conditum ab eodem constituto in plena libertate. Venditione etiam fit quis servus, si major 20. annis ad participandum pretium passus est se se venumdari. §. *servi autem instit. de jure person.* Hi tres recensiti modi sunt principaliores, quibus quispiam fit servus, quia dantur etiam alii modi, ut per revocationem ingrati liberti in servitutem *l. 2. c. de libertis.* ut etiam authoritate Principis ob delictum aliquod commissum. *l. de latronum c. quibus ad libertatem.*

Quæritur secundò, an servi saltem ad ordines minores possint ordinari. Respondetur negativè, nisi accesserit consensus Domini, à quo manumittantur ac donentur plena libertate; idque desumitur ex *c. instruendi 1. h. t.* quod desumptum est ex Concilio Toletano, ubi dicitur, quòd servi ante plenam manumissionem non fiant ordinandi: ubi generatim servi excluduntur ab ordinibus: atqui minores ordines revera sunt ordines Ecclesiæ, quia constituunt ordinatum in statu clericali, eúmque eximunt à foro sæculari, proinde non possunt servi ordinari, nec promoveri ad ordines etiam minores, nisi priùs à Dominis suis manumissi fuerint, & plena libertate donati, idque desumitur ex *c. consuluit. 5. h. t.* ubi Alexander III. consultus ab Archiepiscopo Turonensi, an spurii, & servi debeant promoveri ad Ordines Ecclesiasticos. Respondit, nec spurios, nec servos esse ordinandos: quia ipsi, seu Archiepiscopo, in consecratione dictum fuit, ne aliquem servilis conditionis promovere præsumat ad ordines: & ratio desumitur ex dignitate clericali, quæ procul dubio vilesceret, si servi, & mancipia ad illam promoverentur. *c. admittuntur 21. dist. 54.* hinc etiam servi adscriptitii, qui glebæ, seu prædio alicui colendo sunt perpetuò addicti; imò etiam originarii, qui ex adscriptitiis nati sunt, prohibentur invitis Dominis promoveri ad sacros ordines, quia status servilis est valdè vilis, & inde dignitas clericalis non parum traheret dedecoris Secundò quia per ordines sacros clericus divinis officiis mancipatur: proinde debet esse sui juris, ut liberè possit Ecclesiæ ministerio vacare. Tertiò quia læderetur justitia, siquidem Domini habentes jus in suos servos illud deperderent, si ipsis invitis, & insciis possent servi promoveri ad ordines Ecclesiasticos. Hæcque est potissima ratio, quia si Domini consenserint, possunt servi promoveri ad ordines Ecclesiasticos. 2

Quæritur tertiò, an si servus consentiente, & non contradicente Domino fuit promotus ad ordines minores, & primam tonsuram, eo ipso fiat liber? Respondetur affirmativè, & desumitur *ex can. si servus 20. dist. 54.* Ratio est, quia eo ipso, quòd est promotus ad primam tonsuram, & quatuor minores consecratur divinis obsequiis, consequenter superveniente consensu 3

sensu Domini expresso, vel tacito, seu ex juris interpretatione, qui erat servus, donatur libertate, quia res semel Deo dicata, non debet amplius humanis emancipari servitiis *ex regul. semel. 51. in 6.* Regulariter tamen, ut servus licitè ordinetur requiritur expressa licentia sui Domini in scriptis obtenta *can. generalis. dist. 54.* ubi prohibetur sub pœna privationis proprii honoris, & communionis, ne quis ejusmodi personas clericatui applicet, *nisi voluntate forsitan Dominorum sub scriptura, & testimonio primitùs absolutas*: quia tunc Episcopo ordinanti meliùs constat de consensu Dominorum, idque propterea ad praxim deducitur.

4 Quæritur quartò, an si servus ignorante Domino promoveatur ad minores tantùm ordines, donetur libertate? Respondetur, negativè, & desumitur ex *c. de servorum 2. h. t.* ubi statuitur, quòd si servus ante libertatem consecutam validè ordinetur in sacris, sit deponendus, & tradendus Domino: ubi notat Glossa, quòd si servus ordinetur sacerdos Domino sciente, & contradicente remanet servus Domini, si sciente, & non contradicente fit liber: rursus ignorante Domino, sed sciente Episcopo, vel præsentatore fit etiam liber, sed Episcopus, & Præsentator tenentur Domino dare duos servos æquè bonos: & si non habeant, unde solvant, debet ordinatus restitui Domino: sin verò omnibus ignorantibus ordinatur in minoribus, deponitur, & remanet servus. Quòd si dicas rem semel Deo dicatam non esse ulteriùs ad humanos usus transferendam. Respondetur, hanc *regulam juris in 6.* procedere de rebus inanimatis, in quibus non est dolus, & aliàs non possunt facilè compensari, ut notat Glossa in *d. c. de servorum V. eis. 2. h. t.*

5 Quæritur quintò, quid juris si servus Domino ignorante, vel contradicente promoveatur ad ordines sacros? Respondetur cum distinctione: si servus ab Episcopo sciente ejus conditionem servilem fuit promotus ad sacerdotium, vel Diaconatum, aut etiam hodie ad Subdiaconatum, cùm sit ordo sacer, promotus manet in officio clericali, & donatur libertate, sed Episcopus scienter ordinans tenetur pro illo satisfacere Domino suo, eique dare duos alios servos, vel eorundem æstimationem *can. si servo absente dist. 54.* & hoc etiam procedit de Præsentatore. Sin verò servus ex propria calliditate, & fraude permisit se promoveri ad sacros ordines nesciente Episcopo, nec Præsentatore ejus servilem conditionem: tunc promotus ex proprio peculio, si quod habet ex conniventia Domini oblato pretio tenetur se redimere; vel servum Vicarum pro se substituere. Sin verò id non possit exequi, tunc ipse deponitur, & postea Domino petenti restituitur. *can. quis autem dist. 54. c. de servorum 2. h. t.* Sin verò servus sit initiatus sacerdos, & restituendus domino, debet tantùm illi servire in divinis officiis, & celebratione mysteriorum, ut tradit Glossa fin. *in d. c. de servorum 2. h. t.*

TITULUS XIX.

De Obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non.

Non solùm illegitimi, & conditione servili detenti prohibentur ad sacros ordines promoveri, verùm etiam qui rationes publicas, vel pupillorum tractârunt, cujusmodi sunt Procuratores, Actores, Executores, ac Tutores pupillorum, adeò ut obligatio ad ratiocinia sit tertium impedimentum, ne quis promoveatur ad ordines. Vocantur ratiocinia rationes reddendæ locis publicis, vel pupillis: unde qui tenentur has rationes reddere dicuntur obligati ad ratiocinia, & non possunt initiari sacris ordinibus ante rationes redditas. Unde Tutores, & Curatores calculo administrationis non subducto prohibentur promoveri ad ordines, ne deteriorem creditorum conditionem inde facerent. Hinc nec jus civile patitur, aliquem militiæ se dare litis causâ *lib. 4. §. non omnus. de re milit.*

SUMMARIUM EXEGETICUM

Unici capitis hujus tituli.

C. *MAGNUS UNIC. h. t. Statuitur, ut obligati ad ratiocinia, cujusmodi sunt Syndici universitatum, aut collegiorum, Tutores, Curatores, Actores, Executores sententiarum, aut testamentorum, Procuratores, & alii id generis, qui reddendis rationibus publicis, quæ hic ratiocinia dicuntur, obnoxii sunt, ante finitum officium, & rationes redditas, non possint ordinari. Id verò limitatur primò in eo, qui gravatus est debitis sine administratione aliqua contractis, ut ex mutuo, locatione, emptione. Secundò in eo, qui rerum Ecclesiasticarum, vel miserabilium personarum, vel alterius piæ causæ sine suspicione doli administrator fuit; hic enim non excluditur à suscipiendis ordinibus* c. ult. dist. 86 *Tertiò in eo, qui publicis ratiociniis obstrictus fidejussorem præstitit, dummodo fidejussor se constituat Principalem, adeò ut possit conveniri. Quartò in eo qui jam in aliquo licèt minori constitutus ordine, atque liberalis personæ Tutor, Curator, aut quomodolibet generalis fuerit administrator, hic enim potest etiam promoveri ad ordinationes etiam nondum redditis rationibus, ut notat Barbosa.* lib. 1. juris Eccles. c. 3.



COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Qui dicantur ad ratiocinia obligati, & an possint promoveri ad sacros ordines,

1 Illi dicuntur ad ratiocinia obligati, qui publicam vel generalem aliquam administrationem exercuerunt, vel etiam nunc exercent, ac tenentur principalibus suis reddere rationes administrationis, cujusmodi sunt Procuratores, actores, executores, tutores, & alii id genus, qui ob administratam rem alienam, obligantur suis Principalibus ad reddendas rationes. Hi omnes prohibentur initiari sacris ordinibus ante redditas rationes, ac plenam liberationem à suis Principalibus obtentam.

2 Sacri Canones prohibent omnes obligatos ad ratiocinia ordinibus initiari Ecclesiasticis ante obtentam liberationem à suis Principalibus, eò quia plerumque magis ex intentione fugiendi ratiocinia, forúmque civile, quàm amore religionis ad clericatum præsumuntur transire; Quemadmodum etiam prohibentur fieri Religiosi, qui ære alieno sunt gravati, nisi priùs suis satisfecerint creditoribus, vel licentiam ab iisdem obtinuerint: idque ne Clericatus, vel religio alicui sit damno. Tum quia exosa fieret Ecclesia, si tales homines in se reciperet cum damno principalium; & non deceat Clericos, nec Religiosos ad forum civile trahi per lites, quæ inde exorirentur. Tum quia plena executio contra eos fieri non posset; siquidem congrua sustentatio, & beneficium competentiæ esset iisdem relinquendum *c. 3. de solut. c. unico h. t.*

Qui tamen curam gerunt miserabilium, aut personarum Ecclesiasticarum, tametsi in officio perseverent, adhuc possunt ad ordines promoveri, cum possint Clerici suscipere tutelam pauperum, ac miserabilium personarum *c. pervenit dist. 86. c. indicatum dist. 89. c. in nova 16. q. 7.* Neque illi ad ratiocinia obligati ab ordinibus arcentur, qui principalibus suis idoneè caverunt se satisfacturos: quia ut ait Ulpianus *in L. rescripto 6. §. 1. ff. de muner. & hon.* id habetur loco solutionis. Difficultas est de illo, qui alicui fœminæ sponsalibus, vel promissione matrimonii se obligavit: an illa invita, ac renuente possit ad ordines promoveri. Licèt plerique censeant, posse, adhuc qui simplicibus sponsalibus se obligavit fœminæ alicui, cui promisit, se eam ducturum in uxorem, sacris ordinibus initiari, eò quia promissio non debeat esse in præjudicium melioris boni, cujusmodi est cœlibatus comparativè ad matrimonium. Nihilominus contraria sententia communior est, & probabilior, & deducitur ex regula generali tradita *hoc tit.* ut nemo cum gravi alterius præjudicio ad ordines promoveatur: neque est par ratio de religione, quia cum professio religiosa comparetur morti naturali omnia solventi, ideò est speciale privilegium religionis, ut per ejus ingressum sponsalia, & matrimonium ratum, etiam invita altera parte dissolvantur; hoc autem privilegium non est concessum Clericatui sæculalari *extravag. antiqua de voto. & voti religione.*

Neque obstat, si dicas, votum non obligare in 3
præjudicium melioris boni; proinde neq; sponsalia in præjudicium clericatus, qui est status melior, quàm matrimoniũ; proinde qui promisit, se du-

ductorum fœminam in matrimonium, si promissio fuerit simplex non videtur, cur non possit recedere à tali promissione, & amplecti statum cœlibatûs per sacros ordines, cùm sit cœlibatus melior matrimonio. Nam contra est, siquidem id est discriminis inter promissionem datam fœminæ, & votum factum Deo, quia votum fit directè Deo, à quo non censetur acceptari in præjudicium melioris boni: Secus sponsalia fiunt homini, à quo simpliciter acceptantur, & ex tali acceptatione oritur obligatio, qua promittentes tenentur stare promissis. Si instes, sponsalia habere tacitam conditionem, si non interveniat notabilis aliqua mutatio, ut colligitur ex *c. quemadmodum de jurejurando.* Quamobrem sicut plures censent per votum simplex castitatis emissum post sponsalia, hæc dissolvi; ita etiam dissolvuntur ex susceptione sacrorum ordinum, cùm isti habeant implicitè adnexum votum castitatis. Contra est, quia illa tacita conditio tantùm intelligitur de casuali mutatione non voluntaria, quam regulariter nemo ponit in præjudicium juris tertii; secus quia susceptio ordinum est voluntaria, & cedit in præjudicium alieni juris non potest invita parte fieri.

4 Quinimò ex hoc fundamento plures docent, & quidem verius, simplex votum castitatis nec posse emitti, nec esse validum in præjudicium sponsæ, ut notat Sanchez *disput. 46. n. 7.* non enim potest quis vovere, quod non est in potestate voventis. Cæterum non desunt qui probabiliter censeant, per susceptionem ordinis sacri, aut ipsius votum, ut etiam per votum simplex castitatis sponsalia dissolvi; neque peccat sponsus, qui sacris se addicit, vel votum emittit castitatis, quia ut notat Pontius *c. 11. n. 3.* Sponsalia censentur contrahi sub illa conditione, nisi sponsi meliorem statum velint eligere. Verùm contraria sententia comunior est, & verior: neque per solum ingressum religionis videntur sponsalia dissolvi, sed tantùm per professionem in religione emissam: ut notat Navarrus *c. 22. n. 26.* siquidem nullus canon dicit, sponsalia dissolvi per solum religionis ingressum: quia quamdiu sponsus est Novitius potest habitum deponere, & matrimonium contrahere.

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selecta quæstiones.

1 QUæritur primò, an constitutio in *c. magnus unic. h. t.* quâ obligati ad ratiocinia prohibentur ordinari, patiatur aliquas exceptiones, & quas? Respondetur vigore præfatæ constitutionis, Procuratores, Syndicos, seu Curiales publicos, & pupillorum Tutores prohiberi ad Ordines promoveri, nisi deposito priùs munere, & redditis rationibus, digni visi fuerint: & ratio est, quia si antequam à publicis ejusmodi muneribus liberi essent ad ordines ecclesiasticos promoverentur, periculum esset, ne Ecclesia notam aliquam incurreret infamiæ.

Verùm hæc constitutio suas patitur exceptiones. Primò nisi quis Tutor, aut Defensor constitutus sit personarum miserabilium, seu indefensarum, vel aliarum, quæ auxilio Ecclesiæ maximè videntur indigere, tunc enim hujusmodi munera Clericis suscipere pietatis exercendæ causâ conceditur *c. 1. caus. 21. q. 3.* hinc ob tale munus susceptum non debet quis à Clericatu repelli. Rursus excipiuntur Tutores legitimi suorum agnatorum: hi enim possunt etiam ad Ordines promoveri. ratio est, quia etiam Clericis permittitur tales tutelas suscipere, ut docet Sylvester *V. tutela q. 3.* Rursus patitur præfata constitutio exceptionem in eo, quòd consuetudine introductum sit, ut Clerici possint esse Principum sæcularium Consiliarii, Cancellarii, imò etiam Judices in causis civilibus non criminalibus, ut docet Suarez *de censur. disp. 51. sect. 3. n. 19.* Ob hæc igitur munera, & officia recensita in exceptionibus, non debet quis ab ordinatione repelli, si alioquin dignus fuerit deprehensus.

Quæritur secundò, an præfata constitutio in *c. magnus unic. h. t.* amplianda sit ultra personas expressas in eadē: Respondetur affirmativè: & ratio est, quia constitutio nominat officia illa publica, non ut illa tantùm includat, sed potiùs causâ exempli, ut constitutio locum habeat in omnibus aliis officiis, & negotiis sæcularibus, quæ in Clericis non tolerantur, ut rectè notat Suarez. *de censur. disp. 51. sect. 3. n. 15.* hæc autem officia, quæ non tolerantur in Clericis plura recensentur in jure canonico, ut obligatio militiæ *c. un. dist. 53.* obligatio feudi, ratione cujus tenetur quis personaliter inservire Domino directo, ut notat Sylvester *V. feudum q. 8.* Rursus vectigalium, agrorum colendorum, conductiones, & aliæ negotiationes Clericis prohibitæ *c. 2. & 3. caus. 21. q. 3.* & *c. 1. & 2. ne Clerici, vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant*: qui enim hisce obligationibus detinentur, ut promoveantur ad ordines Ecclesiasticos, tenentur priùs se ab iisdem liberare. 2

Quæritur tertiò, quid juris si officio deposito, adhuc obligatio ad ratiocinia perseveret? Respondetur cum distinctione, vel enim rationes reddendæ sunt Magistratui, & in hoc casu obligati ad publica ratiocinia tenentur priùs rationes reddere Magistratui, quàm promoveri ad Ordines Ecclesiasticos: ratio est, quia si Magistratus gravaretur ob non redditas rationes periculum esset, ne à Magistratu Clericus repeteretur, ut obnoxius rationibus reddendis ex publica sua administratione, & sic lites orirentur non absque gravi incommodo Ecclesiæ. *L. Officiales 4. C. de Episc. & Cleric.* Vel rationes reddendæ sunt personæ privatæ, & ratione privatorum, ut ob administratam tutelam, & tunc probabile est, quòd homo deposito officio tametsi rationes nondum reddiderit, possit nihilominus promoveri ad ordines: nisi periculum inde immineat, ne Clerus, aut Ecclesia, cui per ordines adscribitur, grave aliquod patiatur incommodum, idque colligitur ex *L. rescripto 6. §. Debitores ff. de muneribus.* Periculum autem infamiæ, vel vexationis tunc esset timendum, si 3

Tutori

que per talem ingressum, & professionem Ordinis militaris fiunt impotentiores ad solvendum, ut notat Azorius *lib. 12. q. 3. c. 8. fin.* Imò neque motus proprius Sixti comprehendit eos ære alieno gravatos, quorum facultates solvendo sufficiunt, idque colligitur ex verbis Sixti in suo motu proprio: *supra vires facultatum suarum*, unde si facultates solvendo sufficiant non comprehenduntur in motu proprio Sixti, ut nec etiam quando debita sunt parvi momenti, quia in dicto motu proprio Sixti dicitur; *ingenti ære alieno*, nec includuntur debitores, qui sine gravi sua culpa facti sunt impotentes ad solvendum, adeò ut nulla eis affulgeat spes fore, ut si in sæculo manserint, suis valeant creditoribus satisfacere, quia motus proprius Sixti loquitur de iis, qui culpabiliter se ære alieno gravarunt, & ad illas se demiserunt angustias, ut non possint satisfacere, & desumitur ex illis verbis adjectis motui proprio: *Multi decoctores post dilapidatam rem familiarem, & contractam ingentem vim æris alieni*: hæc enim verba culpam supponunt. Neque comprehenditur, qui culpâ suâ licèt fuerit ingenti ære alieno gravatus etiam supra suas facultates; nihilominus omnia sua bona relinquit creditoribus dividenda pro rata, dummodo nulla affulgeat spes, fore ut manens in sæculo fit solvendo: ratio est, quia motus proprius Sixti eos præcipuè videtur arcere ab ingressu religionis, qui ad illum finem cupiunt ingredi; ut liberentur à tali onere solvendi in detrimentum creditorum; non verò excludit à tali ingressu eos, qui omninò frustra, & absque ulla creditorum utilitate manerent in sæculo non sine proprio salutis discrimine: tunc enim meliùs est religionem ingredi, quia nil tam pium, quàm se totum Deo mancipare, & divino cultui dedicare.

9 Neque in motu proprio Sixti comprehenduntur debitores, si creditores consenserint: quia tunc perinde esset, ac si illis jam esset satisfactum; volenti enim, & consentienti non fit gravamen. Neque comprehenditur is ære alieno gravatus, cujus debita ab alio solvuntur: quia tunc satisfit creditoribus, & ære alieno gravatus liberatur ab onere solvendi. Neque comprehenduntur qui ex sola liberali sponsione debitores se constituerunt magnæ quantitatis, tametsi culpa sua non sint solvendo: siquidem promissiones liberales non impediunt ingressum religionis. Tum quia qui omninò liberaliter alteri promisit magnam pecuniæ quantitatem propriè non dicitur ære alieno gravatus, cùm quantitatem illam pecuniæ ab alio non acceperit; & quia motus proprius Sixti est pœnalis restringi debet ad eos tantùm, qui propriè sunt ære alieno gravati per pecunias, quas ab aliis acceperunt. Non tamen obligatus ad reddenda ratiocinia potest juxta prædictum motum proprium Sixti V. & Clementis VIII. ad religionem admitti sive ratiocinia publica sint, sive privata; & illis sit obnoxius, adeò ut ad reddenda computa lis sit mota, vel timeatur movenda: idque colligitur ex verbis ejusdem motus proprii. Sin verò de facto religionem ingrederetur, & in illa solemnem emitteret professionem, hæc valida esset, quamvis illicitè emissa, idque ob motum proprium Clementis VIII.

Quæritur septimò, an confiscatis bonis ære alieno gravati is liberetur à debitis? Respondetur, quoad forum externum, eum, cujus bona confiscata sunt, remanere liberũ à solutione debitorũ, adeò ut non possit ampliùs super debitis molestari *L. si marito ff. soluto matrimonio*, & docet Bartolus in *L. Creditor ff. de solutionib.* & Rota *decis. 565. n. 1. p. 3.* Ratio etiam desumitur ex eo, quia per confiscationem omnia jura activa, & passiva illius, cujus bona confiscantur transeunt in fiscum: siquidem ad ipsum transeunt, quæcunque pertinent ad bona fortunæ: proinde fiscus succedit in omnes obligationes illius, cujus bona capit, & tenetur ejus debita solvere *L. cum fisco. ff. ad Sillanianum* Rota coram Durano *decis. 370. n. 2.* Siquidem jus, quod habent creditores ad solutionem, refertur ad bona debitoris, proinde secuta confiscatione convertitur ad fiscum, in quem transeunt bona subjecta debitis Domini. Imò id etiam procedit, quamvis post confiscationem acquirat nova bona, dummodo confiscatio fuerit generalis, ut censuit Rota *decis. 565. n. 5. p. 3. recens.* alioquin tenetur debitor satisfacere de bonis, quæ iisdem supersunt. In foro autem conscientiæ supposita generali confiscatione, si bona hæc sufficiant pro solvendis debitis liberatur ab omni obligatione satisfaciendi creditoribus, quia bona transeunt in fiscum cum suis oneribus; proinde tenetur fiscus ipse creditoribus satisfacere. Sin verò bona confiscata non sint sufficientia pro solvendis omnibus debitis, tunc debitor si deveniat ad pinguiorem fortunam tenetur satisfacere suis creditoribus, quia debita inducunt obligationem personalem ad satisfaciendum, quæ proinde est obligatio adhærens personæ, quæ si fiat potens, tenetur satisfacere, & supplere insufficientiam bonorum, quæ fuerunt confiscata, Covarruvias in *reg. peccatum p. 2. n. 2.* 10

TITULUS XX.

De corpore vitiatis ordinandis, vel non.

QUartum impedimentum, ne quis ad ſacros promoveatur ordines, eſt corporis vitium, quia non decet, ſacra miniſtrare eos, qui vitio corporis notantur, hinc lex Moyſis *Levit. c. 21.* eos à ſacerdotio excluſit, qui aliqua corporis parte mutili eſſent, & oblæſi. *Omnis homo, qui habuerit maculam, non accedet offerre hoſtias Domino, nec veniet offerre munera Dei ſui.* Imò prohibitum etiam fuit Romanis Legibus, ne liceret Auguribus auſpicia captare, quorum corpus vulneris alicujus tabe laboraret. Hinc meritò eccleſia juſſit à Clero eos arceri, qui corpore eſſent vitiati: decet enim eos, qui muneribus defunguntur ſacerdotis, vitio non laborare corporis.

SUMMARIUM EXEGETICUM

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

CAP. DE PRESBITERO 1. h.t. Alexander III. ſtatuit, quòd Presbyter, qui duellum obtulit, vel oblatum acceptavit, ſi in eo partem digiti amiſit, adeò ut ſine ſcandalo poſſit ſolemniter celebrare, poſſit Epiſcopus cum ipſo poſt peractam pœnitentiam diſpenſare, ac permittere, ut in ſuo ordine miniſtret; non ita tamen ſi totum membrum amiſit.

C. CUM DE TUA 2. h.t. reſcribit idem Pont. ſuper quæſtione, an ſit promovendus, qui maculam habet in oculo, id relinquendum eſſe judicio Epiſcopi. Notandum eſt, talem poſſe promoveri, niſi deformitas magna fuerit, quia tunc ſolus Pontifex poteſt diſpenſare. Cæterum nulla deformitas impedit promotionem, niſi ſit in jure expreſſa: quia edictum de non promovendis eſt prohibitorium, quod reſtringitur ad ſola expreſſa.

C. EX PARTE 3. h. t. reſcribit Clemens III. Epiſcopo Varienſi ſacerdotem, qui ex juſta cauſa facit ſibi abſcindi virilia, poſſe in ordine miniſtrare, eò quia ut notat Gloſſa, qui ex juſta cauſa ſe ipſum abſcindit, non ſit irregularis, & poteſt promoveri, & promotus exercere ordinem, ad quem fuit promotus. Secus autem ſi ex iracundia ſe ipſum abſcindit.

C. SIGNIFICAVIT 4. h. t. Idem Pont. declarat, Epiſcopum authoritate Papæ poſſe diſpenſare cum ſacerdote, qui ex devotione amputavit ſibi virilia, ut ſuum exerceat officium, ſed non in miniſterio altaris.

C. EX PARTE 5. h t. Innocentius III. declarat, ſacerdotem, qui ex juſta cauſa fecit ſibi amputari virilia non eſſe irregularem. Cùm enim quidam ſacerdos ſibi ſentiret lepræ periculum imminere, & de Conſilio Medici permiſerit ſibi abſcindi virilia, ut poſſet à tam gravi infirmitatis vitio liberari, mandavit Pontifex, ut poſſet ſui miniſterii officium exequi; quia in canonibus Apoſtolicis can. 21. ſtatuitur, ut Eunuchus per inſidias factus, vel ita natus, vel etiam quia in perſecutione ſunt ei amputata virilia, ſi dignus ſit, poſſit in Epiſcopum promoveri. Hinc eſt, quod Innocentius III. mandavit Presbytero, qui ob periculum lepræ de conſilio medici fecerat ſibi virilia amputari, ut poſſit ſuum miniſterium exequi, & ut Epiſcopus liberam poſſit facultatem tribuere.

C. EXPOSUISTI 6. h.t. Innocentius III. declarat, mutilatum manu ſi creetur Abbas, eſſe amovendum, eò quia non poſſit miniſtrare in ſacris ordinibus. Abbas enim debet promoveri ad ſacros ordines. Hoc idem etiam procedit ſi digitos amiſerit, adeò ut non poſſit frangere hoſtiam, ſecus tamen ſi poſſit. Ex quo textu liquet, inhabilem ad unum connexorum eſſe itidem inhabilem ad aliud: hinc inhabilis ad ordines, eſt etiam inhabilis ad Abbatiam, quia Abbas debet neceſſariò ordinari. Rurſus ordinandum debere ſuos defectus manifeſtare, quia in hoc textu: qui manu altera erat mutilatus, & in Abbatem promotus jubetur amoveri, quia in ſua promotione fraudulenter reticuerit talem defectum.

C. THOMAS 7. h.t. jubet Honorius III. Monachum ordinari, cui in ætate puerili fortuitò ungula à pollice erat avulſa, eò quia ad frangendam Eucharistiam fuerit adhuc potens, nec aliud canonicum obſtabat impedimentum. Hinc modica deformitas non impedit, quin poſſit quis promoveri ad ordines, ſi deformitas non generet ſcandalum, nec impediat officium ſacerdotis. Præterea vel corpore vitiati ſunt tales ſpontè, vel caſu; ſi ſpontè & nulla juſta cauſa interveniente ſunt rejiciendi: ſin verò juſta cauſa ſuppetat, non prohibentur promoveri, niſi oriatur ſcandalum; ſi caſu, & in magnis membris,

tunc

tunc prohibentur ordinari, si deformitas excedat, non ita si sit modica, & sine culpa: quinimò etiam cum culpa, dummodo deformitas sit modica adhuc toleratur.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quinam corpore vitiati arceantur à sacris Ordinibus.

1 Orpore vitiati, qui à sacris arceantur ordinibus *dist. 55. per totum, & h. t.* sunt qui aliquo corporis defectu laborant, adeò ut nequeant congruè exercitium ordinis præsertim missæ celebrationem peragere. Sunt autem corpore vitiati in triplici classe, siquidem alii sunt tantùm debiles; alii mutati, alii notabiliter deformes. Dicuntur debilitati, qui membro aliquo ad sacrum ministerium necessario partialiter carent, quatenus si habent, est illis inutile; huic classi etiam accensentur, qui alicui gravi morbo sunt de repentè obnoxii, adeò ut periculum adsit, ne ad altare cùm sacra peragunt cadant. Secundæ Classis sunt mutilati, qui membro aliquo carent. Deformes dicuntur, qui enormi aliquo vitio inficiuntur, ac deturpantur, adeò ut vix sine notabili horrore, irrisione, aut scandalo aspiciantur.

2 Ex hisce corpore vitiatis debiles, & deformes sive propria, sive aliena culpa debilitati, aut deformati fuerint à sacris ordinibus suscipiendis prohibentur ex *c fin. dist. 55.* ubi Pontifex ait: *illi, cui erutus est oculus non possunt secundum canones sacerdotia jura concedi, neque enim aliquid ei prodest, quòd oculum invitus amiserit*, quia hæc irregularitas non contrahitur ob notabilem defectum, & vitium corporis ortum ex aliqua culpa, sed simpliciter ex ipso vitio; tametsi nulla præcesserit culpa: quia non decet corpore vitiatum ministrare in sacro altari, quia potiùs risum moveret quàm ad devotionem excitaret populum. Non tamen ob quamcunque deformitatem arcetur quis à sacris ordinibus, siquidem claudicatio licèt sit quædam deformitas non tamen est impedimento, quo minus quis sacris initietur ordinibus, dummodo claudicans inter celebrandum sacrum, baculum non adhibeat, & claudicatio sit modica *c. si quis 10. dist. 55. juncto c. nullus Episcopus. 57. dist. 1. de consec.* quanta verò debeat esse hæc deformitas, vel debilitas, ut in casibus in jure non expressis irregularitatem inducat, arbitrio relinquitur Episcopi, ut docent Innocentius, & Doctores communiter *in c. 1. & 2. h. t. & c. communiter. dist. 33.*

3 Ad defectum verò quod attinet oculorum, dubitant aliqui, an sit distinguendus oculus sinister à dextro, quo quis caret, & an alteruter oculus debeat plenè erutus esse, an verò debeat pupilla perseverare in sua integritate, licèt virtus visiva deficiat; & respondent plures, quòd si oculus sit totaliter erutus, quia præter defectum visûs causat simul enormen deformitatem, ideò sive dexter, sive sinister fuerit de jure inducit irregularitatem, ait enim Pontifex *in d. c. fin. dist. 55. neque enim Canones, aliquem casum in amissione oculi, qui ad sacerdotium adipiscendum non impediret, suis expressisse regulis, invenimus.* Quòd si quis integrum habeat oculum sinistrum, qui dicitur oculus canonis, eò quia tali oculo canon missæ legatur; quamvis dextro careret, faciliùs posset à summo Pontifice dispensationem obtinere, imò si non esset oculo dextro prorsus destitutus, sed tantùm læsus, ut non posset eo videre, adeò ut sola careret virtute visiva in oculo dextro, ex communiori sententia non esset irregularis. Imò aliqui censent, neque fore irregularem, qui laboraret etiam morbo aliquo in oculo canonis; adeò ut difficulter posset videre; imò si esset etiam visu destitutus, dummodo per dextrum oculum exactè, & commodè sine indecora faciei conversione posset canonem legere, censent aliqui, non fore irregularem, si alius non obstaret defectus, ut notant Barbosa *juris Eccles. univers. lib. 1. c. 33. n. 140.* Navarrus *in manual. c. 27. n. 199.* Lusci verò, qui obliquatos, & tortos habent oculos, an censendi sint irregulares, relinquitur Episcopi judicio: si enim deformitas non sit immodica, potest luscus ad ordines promoveri; non ita si immodica corporis inclinatione legeret, adeò ut naso quasi tangeret messale, quia tunc risum potiùs excitaret in populo, quàm devotionem. Qui verò carens alterutro oculo, & fictitium, sive vitreum, sive lapideum habet loco naturalis, quo destituitur, hic esset irregularis, quamvis altero oculo optimè videret; quia revera destitueretur totaliter oculo naturali, cujus defectum non supplet oculus adscititius. Tum quia sacri Canones non ponunt hanc exceptionem, nec positionem oculi ficti, alioquin quibus esset aliquis oculus prorsus erutus, facilè esset irregularitatem declinare per positionem oculi ficti in cavitate, in qua deest oculus naturalis.

Quoad mutilatos adhibenda est distinctio, 5
quia vel se ipsos mutilârunt, & mutilationē sine

causa procurârunt: & hoc pacto si quis se ipsum mutilaret, sive in magno, sive in parvo aliquo membro ab ordinibus esset arcendus, quia in ipso non tam consideratur defectus, quàm affectus sævitiei, & mala voluntas, quâ manus in proprium detrimentum sibi injecit *c. qui partem 6. dist. 55.* Vel fuit quis mutilatus ab alio ex causa necessitatis, vel persecutionis, & tunc si mutilatio contigit ex justa causa absque culpa, vel ex alieno facto non affectato, mutilatus, si careat aliquo membro, quod ad exercitium ordinum necessariò requiritur, ut si illi fuerint amputati digiti, vel manus, incurreret irregularitatem, nec posset ordinari, eò quia non posset suum exercere officium, ex defectu amputati membri *c. exposuisti 4. h. t.* quòd si membrum sine culpa amputatum non impediat usum divini Ministerii, tunc mutilatus potest ad ordines promoveri, ut colligitur ex *c. Thomas 7. h. t.* ubi instrumentum ferreum alicui super dextræ pollicem fortuitò cadens ab eo ungulam, seu priorem articulum avulsit, & deciditur, non esse impedimentum canonicum, si mutilatus in reliqua parte pollicis sufficientem habeat fortitudinem ad tangendam hostiam.

5 Quòd si quis post susceptos ordines sua culpa fuerit corpore vitiatus, vel etiam facto proprio, is removetur ab altaris ministerio *c. significavit 4. h. t.* sin verò absque propria culpa, sed alieno facto mutilatus fuerit, tunc potest in illis officiis ministrare, ad quæ propter talem mutilationem non est inhabilitatus; adeò ut cui ex mutilatione sine propria culpa desunt digiti necessarii ad elevandam, & frangendam hostiam, is licèt missam nequeat celebrare, potest tamen officia Subdiaconi, vel Diaconi exercere. *c. Presbyterum de Clerico ægroto apud Garziam de beneficiis p. 7. c. 12. n. 101.* Cæterum si contingat, ut quis per alium fuerit mutilatus, & non fuerit directè cooperatus ad sui mutilationem, si sine scandalo possit celebrare, utique est illi permittendum, etiamsi mutilatio originem trahat à propria culpa, sed indirectè, ut ei contingit, cui in duello pars digiti est abscissa *c. 1. h. t.* siquidem longè atrocius est manum, & ferrum in se injicere, quàm ab alio pati.

6 Neque obstat, si dicas *in præcitato c. 1. hujus tit.* jura loqui dispensativè. Quia id tantùm respicit indignitatem facti, ut fuit duellum, cui se immiscendo partem digiti amisit; cæterum facto illo per pœnitentiam purgato, taliter mutilatus dicitur permittendus ab Episcopo celebrare. Qui verò directè non concurrit ad membri principalis mutilationem, illam tamen culpa propria per alium patitur, tametsi mutilatio membri sit occulta, nec impediat usum ordinis, nec ullam exteriùs deformitatem adferat, nihilominus incurrit irregularitatem, perinde ac is, qui à judice est mutilatus ob crimen, vel etiam ab alio, quem injustè fuerat aggressus. Ratio ex eo videtur deducenda, quia indirecta voluntas voluntariè se exponendi tali periculo æquiparatur affectui directo per textum *in c. 3. h.* t. in verbis illis: *qui se ipsos absciderint, vel affectaverint, ut ab aliis abscinderentur*, ii siquidem arcentur à sacris ordinibus, & est sententia communis, quam pluribus probat Covarruvias *ad clement. si furiosus p. 1. in princ. n. 6.* Quòd si mutilatio contigerit sine culpa propria, & defectus non impedit usum ordinis; nec scandalum aliquod ponit, tunc non incurritur irregularitas, ut notat Navarrus ex *c. fin. h. t. & can. qui partem dist. 55.* quia irregularitas hæc non imponitur nisi ex culpa, vel causa, & cùm non supponatur culpa, nec etiam causa; & defectus non impediat usum ordinis, nec ulla sit indecentia, aut scandalum; non incurritur irregularitas. Hinc cui exsecta sunt genitalia casu, vel per incuriam, aut ex necessitate vi morbi, aut per naturam iis careat, non rejicitur ab ordinibus, quia cessat culpa, & causa jam dicta. Non tamen esset necesse, ut in eo casu mutilatus abscissorum virilium citra culpam illa in pulverem redacta, aut siccata deferret, ut falsò vulgò creditur, secundùm Glossam *in can. 8. Eunuchus dist. 55.* Quòd si abscissum membrum impediret usum ordinis procul dubio, ut jam diximus incurreretur irregularitas.

Major difficultas est de illo, qui ob conservandam altiorem vocem musicæ deservientem, 7.
permittit se demasculari, an is incurrat irregularitatem; & an illa mutilatio, seu eviratio licita sit: quoad hoc secundum certum est, esse illicitam, & propositio asseverans esse licitam communiter rejicitur, licèt difficultas sit, an talis mutilatio sit ab intrinseco mala, sed tantum ab extrinseco. Pasqualigus *decis. 498. punct 4.* censet, non esse illicitam, & malam ab intrinseco, eò quia si talis esset, nunquam posset esse licita, neque urgente necessitate; quia sicut medacium, eò quòd sit ab intrinseco malum, nunquam est licitum in quocunque casu etiam ad tuendam vitam alicujus, ut liquet in *c. super eo de usuris:* atqui demasculatio est licita urgente aliqua necessitate corporali, ut colligitur ex *c. si quis à medicis, & ex c. Eunuchus. & c. si quis pro ægritudine dist. 55.* unde cum Castratio non sit intrinsecè mala, ex objecto, erit ex iis, quæ possunt cohonestari, quando fiunt ex justa, & rationabili causa, ut quando fit ob majus corporis bonum, sive in ordine ad conservandum totum corpus, sivè ad conservationem membri principalioris, sive ad expellendam, & superandam aliquam infirmitatem trahentem secum vitæ discrimen ut colligitur ex *c. ex parte 3. h. t.* quia in tali casu minus bonum corporis cedit majori bono, & est secundùm jus naturale quòd majus bonum debeat præferri minori, adeò ut licitum sit corrumpere minus ad tuendum majus, quod periclitatur: proinde etiam in corpore humano membrum minus principale debet cedere principaliori, quo pacto licitè abscinditur digitus, ne tota manus corrumpatur, est enim juxta rectæ rationis dictamen abjicere minus, ut conservetur majus.

Verùm censerem, demasculationem factam 8
ad eum tantùm finem, ut puer conservet altiorem vocem inservientem musicæ, esse intrinsecè malam, quia absque urgente necessitate mutilare, ac deformare, quod Deus in suo elegan-

tissimo

tissimo opificio plasmavit, est intrinsecè malum ipsi opificio, eò quia desit, quod sibi ex natura debebatur, proinde est etiam malum intrinsecè respectu mutilantis, qui sine necessitate deformat Dei opificium. Tum quia homo non habet dominium supra membra sui corporis, cùm totus homo subjiciatur Deo, qui est Dominus vitæ, & mortis: proinde si per demasculationem se mutilat, injicit manus violentas in rem alienam invito Domino; quia tametsi qui demasculatur, assentiatur tali mutilationi: nihilominus, quia hæc est contra veri Domini consensum, seu voluntatem Dei; ideò est mutilatio violenta respectu veri Domini, & mutilatio fit illo invito. Neque citati textus probant hanc castrationem factam ob conservationem vocis non esse intrinsecè malam, quia præcitata jura tantùm loquuntur in casu urgentis necessitatis ad conservandam vitam, non verò vocem: quo pacto licitè potest brachium abscindi, vel pes, ut totum reliquum corpus conservetur; eò quia absque tali mutilatione mors esset sine dubio subsecutura, in hoc enim casu licitum est corrumpere minus ad salvandum majus, quod periclitatur, & id est juxta regulas rectæ rationis. At quando agitur tantùm, & simpliciter de castratione ob conservandam altiorem vocem, tametsi fiat consentiente puero, & sine periculo vitæ, tunc non corrumpitur minus, ad salvandum majus, quia vox altior, non est pluris facienda, quia non est necessaria ad conservandam vitam, cùm hæc aliis mediis possit conservari; non enim omnes homines sunt musici, nec desunt in republica artes, quarum exercitio possit quis sibi comparare necessaria ad vitæ sustentationem. Tum quia potest quis, etiam musicam exercere, licèt non sit demasculatus non enim illa vox altior est ita necessaria, ut si non procedat à musico demasculato non possint haberi moduli musices. Unde est dispar ratio de mutilatione alicujus membri, quando iminet periculum vitæ per iminentem mortem, & de castratione pro conservanda voce altiore, primum enim est juxta regulas rectæ rationis dictantis conservationem proprii individui, etiam cum mutilatione alicujus partis, si alio medio non possit totum corpus conservari: secundùm verò est contra regulas rectæ rationis dictantis, non esse manus injiciendas in rem alienam invito Domino; & non esse Dei humanum opificium deformandum absque ulla necessitate, & sine qua adhuc posset quis simpliciter vitam conservare.

9 Quod verò ad irregularitatem attinet, communior sententia est, eum, qui premittit se demasculari ad conservandam vocem altiorem inservientem musicæ incurrere irregularitatem; licèt Castropalaus *in opere suo morali p. 6. punct. 12. n. 4.* Salonius, Pasqualigus, & alii cum Caramuele *in sua Theologia fundament. 54. §. 19.* asserant, non videri improbabile vocis retinendæ causa demasculatum proprio consensu non esse irregularem, eò quia hæc irregularitas in jure statuta non legatur, & aliundè non debet irregularitas sine textu expresso induci *c. is, qui de sent. excommun. in 6.* Salonius tamen, Pasqualigus & Caramuel ex eo probant, talem demasculatum non esse irregularem, eò quia putant demasculationem propter vocem altiorem conservandam esse licitam, tum ob majorem suavitatem vocis; quæ ad divinum cultum ordinatur; tum quia est perfectio corporalis, quæ pluribus membris præstat, præsertim habita consideratione status. Tum quia licèt homo non sit Dominus suorum membrorum *l. liber homo ff. ad legem Aquil.* nihilominus est usufructuarius, & potest rem usufructuariam meliorem reddere, ut in campo excidere inutiles arbores, & meliores inserere *l. aequissimum §. fructuarius ff. de usufructu.* Tum quia hujusmodi demasculatio non modicam secum advehit utilitatem ipsi demasculato, qui ob vocis suavitatem sibi promeretur principum gratiam, & pinguiora stipendia. Tum quia in demasculatis per se non consideratur ullus defectus virilis formæ.

Censent aliqui, quòd si puer adhuc in cunis, vel nondùm septennis, vel etiam invitus per violentiam, aut dolum, vel potu somnifero sopitus demascularetur, non esset irregularis, eò quia contra voluntatem facti non incurritur irregularitas; quod tamen putarim falsum, eò quia irregularitas etiam aliquando incurritur sine culpa, & contra propriam voluntatem: qui enim ex morbo pedem, vel brachium perderet, fieret irregularis. A fortiori si sciens, & volens demascularetur procul dubio irregularitatem incurreret, idque probari potest à fortiori, quia si qui voluntariè permittit incisionem genitalium propter castitatem servandam fit irregularis *can. 4. & 5. dist. 55.* tametsi patiatur talem demasculationem causa sedandi modum libidinis, & proinde ob finem supernaturalem; multò magis fiet irregularis, qui patitur genitalium incisionem ob humanam utilitatem, & pinguius lucrum, quod demasculati hauriunt ob vocem altiorem, & suaviorem. Præterea communiter docent cum D. Thoma *2. 2. q. 65. art. 1.* mutilationem sui illicitam causare irregularitatem: sed mutilatio ob vocem servandam, est illicita: siquidem in *Novell. 142.* Imperator sub pœna talionis, & bonorum confiscationis generaliter prohibuit hominum castrationem sine causa necessitatis intentatam; hoc idem etiam prohibetur *l. 4. §. 2. ad legem. Cornel. de sicariis*; quia cùm nemo habeat dominium in membra sui corporis, nec potest in eorum mutilationem consentire, nisi id exigat conservatio totius corporis, vel membri principalis. Tum quia demasculatio vix fit absque vitæ periculo, ut dicitur *in d. novell. 142.* & nemo absque urgente necessitate potest se vitæ discrimini exponere. 10

Neque rationes, quibus opposita sententia nititur, magni sunt momenti: quia vocis suavitas licèt inserviat ad majus lucrum, & pinguiora stipendia à Principibus obtinenda, non tamen est necessaria pro sustentatione vitæ, cùm adhuc sine tali suavitate vocis posset inservire musicæ, & sufficiens stipendium sibi pro vita congruè sustentanda promereri, ut præstant alii musices professores, qui talem non habent alti- 11

altiorem,& suaviorem vocem. Tum quia evitatio plerumque habetur probro,& ridetur ab hominibus cordatis: & licèt vocis suavitas impendatur cultui divino, non tamen est necessaria,ut nec etiam ad vitæ sustentationem. Ad id, quod addebatur, de jure usufructuarium posse rem meliorare, id est verum, quando usufructuarius habet dominium in re, ut exemplificabatur de arboribus, quas potest excidere, & alias meliores inserere; non ita est verum, quando usufructuarius non habet dominium in re,ut homo respectu membrorum sui corporis; siquidem cùm non sit Dominus,neque potest licitè nulla urgente necessitate mutilare suum corpus, neque ullum in ipso membrum exscindere. Hinc non est paritas de usufructuario abscindente arbores inutiles, & inserente alias meliores, quia id censetur fieri consentiente Domino,cui accidit gratum, quòd res sua melioretur, ut liquet ex *l. 7. in fin. cum l. sequen. & l. 11. §. de usufructu.* non ita est gratum Deo mutilare partem corporis à se plasmati nulla urgente necessitate, cùm potiùs tales abscissores dicantur Dei conditoris inimici *in d. dist. 55.* Ad ultimum respondetur,ex causa utilitatis temporalis, & pinguioris lucri non esse licitum amputare membrum, quod est sub dominio solius Dei, præsertim cum corpus liberi hominis non recipiat æstimationem *l. 3. §. si quadrupes pauperiem, l. 1. §. 7. & l. ult. ff. de his,qui effugerint,vel dejecerint.* quinimo si quis postquam fuit sacerdotio initiatus sua culpa, aut proprio facto fuerit corpore vitiatus arcendus est à ministerio altaris *c. significavit 4. h. t.* Quòd si demasculatus post talem mutilationem fuisset promotus ad sacerdotium probabiliter posset tolerari, & qui ipsum promovit excusari, quia nonnunquam Episcopus in dubio jure potest dispensare.

12 Quod verò ad alios pertinet corpore vitiatos: claudus licèt recenseatur inter vitiatos corpore,non tamen taliter, ut sit removendus ab ordinibus, dummodo claudicatio non sit enormis, & claudicans incedat sine baculo ad altare *can. nullus 57. de consec. dist. 1.* nec defectus auriculæ est alicui impedimento, quo minus possit ad ordines promoveri, dummodo cesset scandalum, & defectus possit tegi, ut notat Navarrus *cons. 5. h. t.* item Surdaster, qui non nisi difficulter loquentes audit, non videtur esse irregularis, si tamen audiat alios loquentes, licèt difficulter, ut censet Navarrus *cons. 6. h. t.* Cæterũ totaliter surdus est irregularis, & arcendus à sacris ordinibus; quia cum non posset audire ministrum respondentem,facilè posset oriri confusio, & scandalum: & licèt hæc sit sententia communior nulla tamen hac super re habetur juris dispositio, nec videtur esse omninò necessarium, quòd sacerdos ministrum audiat respondentem, ut notat Glossa in *can. hoc quoque de consec. dist. 1.* unde hæc, & alia corporis vitia, quæ certam in jure non habent definitionem remittuntur arbitrio, ac discretioni illius, ad quem spectat ejusdem rei cognitio *c. exposuisti 6. h. t.*

13 Leprosi,Epileptici, Energumeni, seu à Dæmonibus obsessi etiam arceantur à sacris ordinibus propter scandalum, & abominationem, ut etiam ii,quibus sunt manus tremulæ,adeò ut adsit periculum subversionis calicis. Sunt enim hæc vitia, & alia id genus,quæ impediunt commodum usum ordinis, à canone rejecta, & propterea irregularitatem omninò inducunt, si ordinationem præcedant; si verò eam subsequantur tantùm impediunt usum ejus ordinis, qui sine periculo, & scandalo non potest exerceri *c. 2. inf. de clerico ægroto.* Non tamen censentur perpetuò suspensi ab officio, sed tantùm donec per unius anni spatium discretione Episcopi à tali morbo, quo laborabant, cognoscantur liberati *c. communiter dist. 33. c. 1. caus. 7. q. 2.* Abstemii etiam, seu abhorrentes bibere vinum licèt ad sacerdotium non possint promoveri, eò quia non possent sacrificium consummare; probabile tamen est, posse ad sacros ordines Subdiaconatûs, & Diaconatûs promoveri, quia tametsi hi ordines conferantur propter ministerium sacerdotii;non tamen est necesse,ut Diaconus fiat sacerdos; cùm plures sint tituli Cardinalium,pluresque in Ecclesiis Cathedralibus præbendæ, in quibus solus ordo Subdiaconatûs sufficit, ut notat Navarrus *in manual. c. 27. n. 204.*

Hermaphroditus si in ipso prævaleat sexus 14 fœmineus non tantùm est irregularis, sed ulterius incapax characteris, ut notat Navarrus *cons. 5. h. t. n. 203.* Quòd si utrumque sexum participet, quia absolutè,& simpliciter non est vir, est etiam irregularis, & incapax characteris, neque obstat, quòd à jure civili detur eidem optio inserviendi, cui sexui maluerit; quia id procedit tantùm quoad actiones externas, & civiles, non verò quoad ordinum capacitatem, quæ non dependet ex electione unius, vel alterius sexus, sed ex naturali conditione personæ. Imò etiamsi virilis sexus prævaleret, adhuc non esset promovendus ad sacros ordines,licèt monstrositas lateat, quia id est indecens.

Cæterum cum mutilatis, & deformatis irre- 15 gularibus, ordinariè licèt solus summus Pontifex dispenset ut notat Covarruvias *in relect. clement. si furiosus p. 1. in princ. n. 7.* nihilominus potest Episcopus declarare, an defectus sit talis, & tantus qui indigeat dispensatione. Præterea potest Episcopus nonnunquam corpore vitiatis, qui in publico nequeunt honestè apparere facultatem impertiri in privatis sacellis celebrandi, ut notat Innocentius *in c. 1. h. t.* id tamen intelligendum est, si post susceptum sacerdotium quis deformetur, alioquin si priùs esset deformatus arcendus potiùs esset à sacerdotio. Rursus si irregularitas oriatur ex mutilatione illicita,occulta tamen, potest Episcopus dispensare, ex Concilio Tridentino *sess. 24. de reformat. c. 6.* arceantur à sacris ordinibus corpore vitiati, ut res divina majori peragatur decore: qua ratione etiam apud Ethnicos sacerdotes seligebantur integri corpore, & absque defectu enormi: & à Dei Ministerio ex præcepto veteris legis *Levit. 12.* arcebantur habentes maculam,item cœci, claudi, grandi, vel parvo, aut torto naso, ut etiam qui erant pede fracto, lippi, aut aliis vitiis notati: quia hujusmodi defectus cor-

corporales D. Gregorius in *can. hinc etenim dist. 49.* mysticè explicat, & confert cum vitiis animi; quapropter sacri canones prohibent corpore vitiatos ad sacros ordines promoveri, imò subinde etiam promotos volunt esse dejiciendos *c. exposuisti 6. h. t.* etiam à beneficio jam adepto, eò quia deformitas corporis incompositionem denotet mentis *can. ult. dist. 41.* Abbas *in c. ex parte 3. h. t.* Tum quia natura membra censetur componere prout moribus animæ congruit, & vulgò fœda facies dicitur malos mores significare.

16 An corpore vitiati sint etiam beneficiorum capaces? communis sententia est, illos nec etiam beneficiorum esse capaces, quia jura eos arcent ab ordinibus: est tamen discrimen inter corpore vitiatos, quia aliqui jure naturali, & divino excluduntur ab ordinibus, ut sunt muti, elingues, & qui manibus carent, alii tantùm jure canonico prohibentur ordinibus initiari, ut sunt de quibus hactenus diximus; & hi omnes à beneficiis Ecclesiasticis excluduntur; hoc tamen discrimine, quòd qui jure naturali, & divino excluduntur à sacris ordinibus, ii nec à summo Pontifice possunt dispensari: aliis verò qui non nisi jure canonico prohibentur sacris initiari ordinibus, potest Pontifex justis de causis facultatem concedere, ut ad sacros promoveantur ordines: & consequenter potest etiam iisdem post susceptos ordines conferre beneficia.

17 Quid verò, de eo dicendum sit, qui postquam legitimè, & sine corporis vitio primam tonsuram, & quatuor minores ordines suscepit, sinistri oculi ita postea laborat morbo, ut ad ordines sacros promoveri non possit, eò quia factus sit irregularis ob vitium sinistri oculi, an eidem possit conferri simplex beneficium? est aliqua controversia; cùm enim irregularis non sit capax beneficii, nec ordinis, & hic ob oculi vitium censeatur irregularis, videtur non esse capax beneficii. Verùm probabilius est, hunc adhuc esse capacem beneficii simplicis, quia hæc irregularitas non videtur impedire, quo minus possit suscipere beneficium. Tum quia eadem videtur esse ratio, ac de capitis morbo laborante, adeò ut irregularis sit post susceptam primam tonsuram ad sacros ordines, & tamen nihil deforme in eo apparet: unde si est capax beneficii; etiam alius, qui morbo laborat oculi sinistri, dummodo defectus deformitatem non adferat, & absque immodica capitis inversione possit in missa canonem legere: eo enim ipso quòd hæc irregularitas non arceat à sacris ordinibus, neque à beneficiis.

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones.

1 Quæritur primò ad quem in dubio pertineat judicare de pravitate vitii corporis in ordine ad promovendos Clericos? Potest nonnunquam contingere, ut deformitas sit talis, & tanta, ut dubitetur, an inducat irregularitatem, sicque impedimento Ordinibus Ecclesiasticis suscipiendis? Respondetur, tale judicium pertinere tunc ad Episcopum ordinantem, & desumitur ex *can. communiter dist. 33. & can. cum. de tua 2. h. t.* ubi cum quidam in Episcopum electus fuisset, & ejus electioni objicerentur duo, nimirum quod in oculo maculam haberet, & filius esset Canonici. Respondit Alexander III. se Archiepiscopo Cantuariensi mandâsse, ut super defectu natalium cum electo, seu potius postulato dispensaret. Quod verò ad maculam oculi attinet, ut adhibito suffraganeorum consilio statueret, quod ipsi visum fuerit. Ex quo textu colligitur, judicare, utrum corporis defectus, aut deformitas tanta sit, ut promotionem ad ordines, vel dignitatem impedire debeat, pertinere ad eum, qui ordines, vel dignitatem jure ordinario, aut sibi delegato conferre debet, ut notat Hostiensis *in d. c. cum de tua 2. §. & quæ impediant. h. t.*

2 Deformitates, de quibus dubitari potest, sunt, si promovendus maculā habeat in oculo, vel habeat oculos lippos, & lacrymantes, vel alterum deformiter prominentem: si partem auriculæ amiserit: si nasum habeat deformem, si faciem notabiliter ustulatam, vel cicatricibus fœdam: si linguâ sit impeditus, & balbus; si manus habeat tremulas, si scabiem deformem, & constantem, si cibbosus sit, vel claudus, si statura nimis pusillus: de hisce corporis vitiis judicare ad Episcopum pertinet, vel ad ejus substitutum; quòd si deformitas non videatur magna esse, nec quæ scandalum pariat, promoveri potest: secus est excludendus; vel debet petere, & impetrare à summo Pontifice dispensationem, qui tamen difficulter eam concedit, si deformitas corporis sit valde notabilis: quia est contra reverentiam sacramenti, ut Ministri deformes ministrent in altari.

3 Quæritur secundò, an etiam respectu Regularium pertineat ad Episcopum judicare, & in dubio determinare circa vitium corporis Religiosi promovendi ad Ordines? Respondent Sylvester *V. corpore vitiatus n. 2.* Navarrus *consil. 1. n. 3. h. t.* & alii pertinere tale judicium ad Episcopum ordines collaturum, ut etiam notat Barbosa *in c. cum de tua 2. n. 4. h. t.* ubi citat plures alios. Ratio desumitur ex eo, quia *in d. can. communiter dist. 33. & c. 2. h. t.* tale judicium committitur Episcopis. Præterea quia nullus Episcopus compellitur eum ordinare, cujus defectum corporalem judicat, talem esse, & adeò gravem, ut inducat irregularitatem, & impediat licitam collationem ordinum. Verùm id intelligitur de Regularibus primùm ordinandis, & quos Episcopus non tenetur ordinare si judicet, eos tali vitio corporis laborare, ut licitè non possint à se ordinari: quia si vitium corporis obtingat Religioso post ordines jam susceptos, tunc in dubio, an illud sit grave, ut impediat ordinum jam susceptorum executionem judicare pertinet ad proprium Prælatum Regularem, quia hic habet jurisdictionem quasi Episcopalem in suos subditos Regulares *c. Abbates 3. de privil. in 6.* consequenter non tene-

tenetur Prælatus Regularis suum Religiosum remittere ad Episcopum, ut judicet, an suspendendus sit ab executione ordinum.

4 Quæritur tertiò, an præceptum Levitici *c.21.* quò Deus generaliter præcepit, ut homo, qui habuerit maculam, non accedat ad ministerium altaris, ut etiam si cæcus sit, si claudus, si parvo, vel grandi, vel torto nasu, si fracto pede, &c. adhuc obliget? Respondetur negativè, quia tale præceptum fuit unum ex judicialibus, vel cæremonialibus veteris legis: atqui præcepta judicialia, & cæremonialia legis Mosaicæ cessârunt obligare in Christi nece. Verum tamen est, quòd quædam præcepta judicialia veteris legis ob suā naturalem æquitatē fuerint ab Ecclesia ita reassumpta, ut in lege evangelica etiam inducant obligationem, non ut sunt præcepta judicialia veteris legis, sed quatenus sunt innovata: imò & etiam instituta ab Ecclesia, ut est præceptum de solvendis decimis. Hinc licèt præceptum, quod habetur Levit. *c.21.* ampliùs ad litteram non obliget; obligat nihilominus in sensu morali, & mystico, ut refertur *in can. 1. dist. 49.* ubi per cæcum is intelligitur, qui lumine destitutur supernæ contemplationis. Per claudum qui licèt aspiciat, quò debeat pergere, ob tamen infirmitatem mentis non rectè ambulat.

5 Quæritur quartò, an qui dat operam rei illicitæ fiat irregularis, si casu amittat membrum aliquod non impediens ordinis executionem? Respondetur, quòd si opera rei illicitæ sit ex se periculosa, & inductiva talis mutilationis, hâc secutâ incurrit irregularitatem: siquidem qui est causa culpabilis homicidii, vel mutilationis in alio factæ, incurrit irregularitatem: ergo multò magis si sit causa culpabilis talis mutilationis in se ipso. Antecedens liquet *ex c. continebatur 8. de homicid.* ubi qui non adhibuit debitam diligentiam, ne ex sua actione sequeretur occisio hominis, hâc secutâ dicitur incurrisse irregularitatem, quia tale homicidium censetur ipsi saltem indirectè, & in causa voluntarium.

6 Sin verò opera rei illicitæ ex se, & sua natura non sit periculosa, tunc secuta mutilatione dans operam tali rei non fit irregularis, ut docent Covarruvias *in clement. si furiosus p. 2. §. 4. n. 19.* Garzias *p. 7. de benefic. c. 12. n. 10.* Ratio est; quia hæc irregularitas non incurritur ex opera rei illicitæ, nisi hæc sit simul periculosa, quia tunc dans operam tali rei tenetur cautelam adhibere, ne mors, vel mutilatio sequatur ob periculum connexum cum tali opera: quòd si mutilatio sequatur, imputatur illi ad culpam, eò quia non adhibuerit, illam cautelam & diligentiam, quam debuerit: sic saltem indirectè, & in causa talis mutilatio est ipsi voluntaria.

Rursus causa periculi debet esse proxima, & 7
ex se connexa cum tali opere, alioquin si esset tantum remota, seque haberet per accidens, non incurreret irregularitatem: hinc si deprehensus in adulterio à marito adulteræ mutilaretur in parte, quæ non pateret, tametsi talis mutilatio ex se sufficeret, si esset voluntaria mutilato ad inducendam irregularitatem, non fit irregularis; eò quia talis causa quamvis culpabilis non tamen est propinqua, neque ex natura sua periculosa, sed tantùm est causa remota, quia per accidens ad adulterium sequitur talis mutilatio, siquidē per accidens se habet, quòd maritus adulteræ deprehenderit adulterum. Limitatur tamen nisi adulter prævidisset periculum secuturæ mutilationis, & noluisset cavere: quia tunc indirectè talis mutilatio esset illi voluntaria ob non adhibitam cautelam, quam debuisset adhibere.

Quæritur quintò, quis dispensare possit super irregularitate orta ex defectu corporis? Respondetur, hanc potestatem dispensandi regulariter competere soli summo Pontifici, ut notat Innocentius *in c. cum de tua V. curavimus 2. h. t.* esset enim contra reverentiam sacramenti, si quis gravi vitio corporis, vel notabili deformitate laborans ministraret ad altare: scandalum enim generaretur in populo, qua ratione non solet Papa facilè dispensare super deformitate notabili. Sin verò deformitas corporis sit occulta; vel mutilatio occulta contigerit ob delictum occultum, tunc potest Episcopus in eo dispensare ex vi Concilii Tridentini *sess. 24. c. 6. de refor.* ut etiam super defectu manifesto, non tamen authoritate propriâ, sed authoritate Apostolica sibi delegata, & ex commissione *c. significavit 4. h. t.* 8

TITULUS XXI.

De Bigamis non ordinandis.

INter impedimenta ordinandorum habetur etiam bigamia, seu pluralitas conjugii, seu uxorum, quam Lamech putatur primus introduxisse. Hinc vetitum est, ne qui secundam uxorem sortitus est clero adscribatur, ut nec etiam qui viduæ consortium elegit: alioquin Episcopus, qui sciens ejusmodi hominem ad sacros ordines promovet, gradu suo dejicitur, & electus

electus irregularitatem incurrit; quia ut docet D. Thomas *in 4. dist. 27. sacramentum matrimonii significat conjunctionem Christi ad Ecclesiam, quæ est unius ad unam*; *hinc ad perfectam significationem sacramenti pertinet, ut vir sit tantùm unius uxoris vir; & uxor, tantùm unius viri uxor: consequenter bigamia, quæ hoc tollit, irregularitatem inducit*; hinc Apostolus ad *Timoth. 3.* ait: *Episcopum oportet esse unius uxoris virum.* Non quòd quilibet Episcopus, vel sacerdos debeat habere uxorem, ut peperàm authoritatem Apostoli intelligunt hæretici: sed sensus est, ut si ante sacerdotium uxoratus fuit, plures non habuerit uxores, sed unam tantùm.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *UT BIGAMI 1. h. t. Ex Concilio Aurelianensi habetur, ut bigami pœnitentes, vel repudiatarum mariti ad sacerdotium non ascendant. Procedit textus de publicè, & solemniter pœnitentibus, qui secundùm antiquos canones pœnitentiam pro gravi, & publico delicto agebant, qui prohibentur ordinari ob ordinis dignitatem* c. ex pœnitentia. c. illud dist. 33. *quia putantur faciles ad relapsum, & non ministrant sine populi offensa; neque alios redarguere possunt. Non tamen hæc publica pœnitentia impedit jam promotum ad minores, vel Subdiaconatum, quin ulterius possit promoveri, nisi contingeret, inde grave scandalum nasci, ut notat Barbosa* in prax. Episc. p. 2. alleg. 10. n. 42.

C. *SUPER EO 2. h. t. Lucius III. rescribens Spalatensi Archiepiscopo declarat, eum que ordinat bigamum esse privandum officio, & potestate conferendi talem ordinem; posse tamen cum ipso dispensari: ordinatum verò in sacris esse privandum officio, nec cum eo dispensari. Ex quo textu liquet, Episcopum non posse dispensare cum bigamis, quamvis possit cum criminosis: quia criminosus beneficio peractæ pœnitentiæ restituitur in pristinum statum* can. ferrum dist. 50. *Bigamus verò, quia est irregularis, non propter crimen, sed propter sacramenti defectum, quia carnem suam divisit in plures, recedendo ab unitate, non potest ampliùs per ullam satisfactionem restitui, imò nec per ipsum baptismum, qui non tollit irregularitatem contractam ob bigamiam* c. acutius dist. 26.

C. *DE BIGAMIS 3. h. t. Declarat Cœlestinus III. bigamos Presbyteros, & viduarum maritos, nec viventibus uxoribus, nec defunctis esse admittendos ad divinorum celebrationes. Notandum est, bigamos Presbyteros in hoc textu eos intelligi, qui sine dispensatione scienter, vel per subreptionem sunt ordinati: alioquin possent in suscepto ordine ministrare.*

C. *NUPER 4. h. t. Innocentius III. rescribit Episcopo Ratisbonensi, quòd si quis habuit unam uxorem, qua mortua accepit ordinem sacrum, & deinde iterum contrahit; tametsi matrimonium sit irritum, reputatur nihilominus bigamus, ne possit ulterius ordinari, vel ordinem susceptum exercere: sicut si quis in sacris constitutus cum diversis contraheret, licèt matrimonium cum nulla esset validum, reputaretur nihilominus bigamus non propter sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere subsecuto. Voluntas enim etiam sine effectu punitur, quando procedit ad factum. Tum quia aliquando plus consideratur affectus, quàm effectus, vel factum ipsum; & aliquando magis factum, quàm jus.*

C. *DEBITUM 5 h. t. Idem Pont. rescribit Metensi Episcopo, eum qui ducit uxorem sponsam alterius non carnaliter ab illo cognitam non esse bigamum, eò quia illa se pluribus non immiscuerit, nec suam carnem diviserit, ex quo cessat defectus sacramenti; quia revera unica tantùm habetur commixtio significans conjugium Christi cum Ecclesia per mysterium Incarnationis.*

C. *QUIA CIRCA 6. h. t. Idem Pont. rescribit Lugdunensi Archiepiscopo Sedis Apostolicæ Legato, sacerdotem habentem plures concubinas non esse bigamum, sed tantùm infectum simplici fornicatione, & posse Episcopum cum eo dispensare, quoad executionem sacerdotalis officii, quia tunc non solùm deest effectus matrimonii, sed etiam affectus, qui si adesset, sacerdos fieret irregularis.*

C. *EA NOBIS 7. h. t. Idem Pontif. declarat, quòd si Subdiaconus contrahat cum vidua, quamvis verè bigamus non sit, eò quia tale matrimonium ob impedimentum dirimens Subdiaconatûs sit nullum; reputatur tamen bigamus, idque ob affectum intentionis cum opere secuto: unde Subdiaconus dicitur tunc contrahere bigamiam interpretativam, seu similitudinariam.*

IN SEXTO.

C. *ALTERCATIONIS UNIC. h. t. Gregorius X. in Concilio Generali Lugdunensi tollit dubium antiquæ altercationis, & de-*

clarat, bigamos omni privilegio clericali esse privatos, & coercitioni fori sæcularis adstrictos, non obstante contraria consuetudine. Quinimò ipsis etiam sub pœna anathematis prohibet deferre tonsuram, vel habitum clericalem. Olim enim dubium fuit, an clericus bigamus gauderet privilegio clericali, & canonis. Verùm textus intelligitur de veris bigamis, vel interpretativis, vel quia duas uxores habuerint, vel quia viduam duxerint, vel cum corrupta contraxerunt; non verò intelligitur de iis, qui in sacris constituti contraxerunt, quia de his habetur in c. nuper 4. h. t. & c. à nobis ult.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Bigamia, & quomodo sit ordinibus sacris obex, seu impedimento.

1 St Bigamia irregularitas orta ex defectu significationis sacramenti matrimonii: siquidem cùm hoc sacramentum ex Christi institutione significet arctissimam conjunctionem Christi cum Ecclesia per assumptionem nostræ humanitatis, quâ Verbum caro factum est, & hæc caro unica fuerit: ita etiam Christus cum unica sponsa, eaque Virgine Ecclesia esse voluit, unde bigamus is dicitur, qui hanc unitatem significatam per sacramentum matrimonii non repræsentat. Hac ratione bigami sine obtenta à Pontifice dispensatione non possunt ad sacros ordines promoveri, non quia sit bigamia peccatum aliquod, sed quia bigamiam contrahentes deficiant à perfecta significatione sacramenti matrimonii, quod significat unius Christi cùm unica tantùm Ecclesia conjunctionem. Quapropter bigamia privat omni privilegio clericali, & ordine insigniri, ac in susceptio ministrare *c. unico h.t. in 6.*

2 Est igitur bigamia multiplicatio nuptiarum, adeò ut qui plures nuptias contraxit, sit bigamus, consequenter irregularis ob defectum sacramenti, eò quia matrimonium cum secunda uxore non significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, cùm Christus unicam tantùm sibi copulaverit sponsam, scilicet Ecclesiam, & hanc Virginem sine macula. Bigamiæ species tres assignantur. Prima species est bigamia vera, & tunc habetur, quando quis cum duabus legitimis, & successivis uxoribus matrimonium consummavit, ut docent communiter cum Filiucio *tr. 19. n. 97.* Secunda est bigamia interpretativa, & habetur cum quis duxit non virginem; vel si virgini nupsit, eam tamen post adulterium cognovit. Tertia est bigamia similitudinaria, & habetur cùm quis sacris initiatus, aut professus in approbata religione matrimonium init, illudque consummat, licèt fœmina, cui nubit, sit virgo, quia hic post matrimonium similitudinarium initum cum Christo per votum solemne castitatis, de facto alias contraxit nuptias, quas copulâ etiam consummavit; & hæc irregularitas oritur ex delicto, ut liquet ex *c. nuper & c. fin. de bigamis.*

3 Qui Bigamiam contraxit ante baptismum si postea baptizetur fit irregularis, quia in matrimonio cum duabus etiam ante baptismum deest significatio sacramenti: siquidem ratione plurium uxorum suam carnem divisit in plures; consequenter inhabilis censetur ad significandam conjunctionem Christi cum una Ecclesia. Et quamvis non desint, qui censeant, per baptismi lavacrum obliterari hanc irregularitatem: nihilominus omnes tum Theologi, tum juris pontificii periti asserunt, etiam post baptismum esse irregularem, idque desumitur ex *c. gaudemus de divort.* & fuit definitum in *c. deinde 26.* quia baptismus licèt tollat culpas morales, non ita defectus legales, & etiam post susceptum baptismum semper verum est, carnem bigami in plures fuisse divisam: sicut enim baptismus non tollit matrimonium, ita neque irregularitatem, quæ ex illo consequitur. An verò ad bigamiam requiratur copula consummata, plures id negant censentes, sufficere solam copulam, eò quia Ecclesia ex sola copula præsumat consummatum matrimonium; sed hæc ratio procedit in foro externo: cæterum in foro conscientiæ probabilius est, non poni bigamiam nisi per copulam consummatam; adeò ut, qui illam non consummavit, possit licitè ad ordines promoveri, si aliàs res occulta foret, nec periculum esset scandali. Hinc passim dicitur, quòd non nisi per divisionem carnis in plures contrahatur bigamia; quæ divisio non fit nisi per consummationem, & non habetur consummatio citra seminis immissionem: qua ratione *in can. lex 27. q. 2. & in c. 20. inf. de convers. conjug.* requiritur copula, & commixtio corporum ad consummationem matrimonii, quia tunc fiunt una caro vir & mulier, ut notat Sanchez de *matrimonio tract. 7. disp. 83. n. 6.*

Bigamia interpretativa multipliciter incurritur; primò cum quis duo init matrimonia, eaque consummat, alterum de jure validum, & alte- 4

alterum de facto irritum. Secundò cùm quis duo init matrimonia de facto, sed ambo irrita. Tertiò cùm quis ducit viduam à priori viro cognitam, vel per fornicationem corruptam, & cum ea consumat matrimonium. Quartò cùm quis licèt nupserit virgini, & postea eandem adulteram cognovit. Censent tamen Navarrus *c.27. n.195.* Rodriquez *tom.1. sum. c.157.* Henriquez *lib.11. c.6. n.9.* Bonacina, & alii probabile, eum qui duxit uxorem viduam, vel fornicariè cognitam, invalidè tamen ob aliquod impedimentum dirimens, dummodo non proveniat ex solemni religiosa professione, vel ordine sacro, bigamum non esse, neque irregularem, & fundantur in eo, quia hujusmodi irregularitas non sit in jure expressa: quia non est vera bigamia tacita, vel similitudinaria, cùm non contraxerit cum duabus, seu cum una validè, & cum alia invalidè, aut cum ipsa vidua validè, aut post emissum solemne votum castitatis: & Navarrus asserit, hanc sententiam fuisse Romæ approbatam in sacra Pœnitentiaria. Verùm contraria sententia est comunior; quia ducens corruptam ab alio sive injusto matrimonio, sive extra illud, censetur bigamus, & irregularis, *can. maritum 2. dist.33. can. curandum 9 dist.34.*

5 Secus si à se ipso ante initum matrimonium fuisset corrupta non contraheret bigamiam, nec fieret irregularis, eò quia uxor carnem suam in plures non diviserit, & ejus sponsus secundum jura censetur moraliter cum virgine contrahere purgatâ copulâ præcedente per subsequens matrimonium: quia irregularitas ducentis corruptam ideò contrahitur, quia cùm fœmina cum qua vir efficitur una caro, diviserit carnem suam in plures, censeatur etiam vir ex juris interpretatione divisisse suam carnem, quod hic nullatenus reperitur: siquidem uxor non divisit suam carnem in plures, sed tantùm cognita fuit à suo sponso, licèt ante nuptias. Qui verò duxit virginem, quam postea adulterio maculatam cognoscit, incurrit hanc speciem bigamiæ, eò quia cum ea sit unitus, quæ carnem suam in plures divisit: quapropter, & ipse censetur in plures divisisse, in quo consistit formalis ratio hujus bigamiæ.

6 Neque attenditur distinctio inter scientiam, & ignorantiam, quia hic non agitur de vitio prodeunte à voluntate, sed de significationis defectu, quem etiam patitur ignorans, ut notat Covarruvias ad *clement. si furiosus p.1. §.2. n.3.* quapropter non excusatur maritus, qui ex præcepto Ecclesiæ uxorem adulteram maritali est prosecutus affectu, ut notat Hostiensis *q.9. h.t.* idque propter indecentiam, quæ inde oritur. Non tamen is censetur incurrere irregularitatem bigamiæ, qui falsò putat se cum corrupta matrimonium inire: ratio est, quia censuræ ex communi opinione non incurruntur sola intentione; quapropter non est excomunicatus, qui Laicum verberat, quem putat esse Clericum, ut dicitur *tit. de sent. excommun.*

7 Qui autem contraxit prius matrimonium invalide, deinde aliud validum, & utrumque consumavit, verè incurrit bigamiam, fitque irregularis, quia parùm refert, si matrimonium invalidum sequatur, aut præcedat: ad incurrendam enim bigamiam sufficit, si utrumque fuit consumatum, quia in hoc ponitur ratio bigamiæ. Imò hoc idem extenditur etiam ad illum, qui defacto cum duabus uxoribus successivè invalidè contraxit matrimonium, illúdque cum utraque consumavit cum maritali affectu: est enim utrinque par ratio, & habetur indecentia, quæ in hoc secundo casu non est minor. Neque ullum facessit negotium, quòd Pontifex *c. 4. h. t.* meminerit tantum clericorum taliter matrimonia ineuntium; quia Pontifex per hoc non limitat suum responsum ad Clericos: quia ratio, cur incurratur bigamia, & irregularitas, est, quia cum affectu maritali cum utraque opere subsecuto consummatum est matrimonium; quæ ratio non tantùm ponit indecentiam in Clericis, sed etiam in Laicis.

8 Neque obstat, utrumque matrimonium esse invalidum: quia ad contrahendam bigamiam interpretativam, non est necessaria validitas matrimonii, sed sufficit consumatio utriusque matrimonii cum affectu maritali, quia inde oritur indecentia, & defectus significationis, ut notat Navarrus *cons. 1. h. t.* Hinc à fortiori, si quis cum una valide contraxit, & cum altera invalidè & cum utraque consumavit matrimonium, contrahit hanc speciem bigamiæ: quia ob affectum intentionis cum opere subsecuto fit interpretatio duorum matrimoniorum.

9 Quinimò si quis invalidè contrahat cum vidua etiam hanc contrahit speciem bigamiæ, idque colligitur *ex c. fin. h. t.* ubi Subdiaconus, qui viduam invalide duxit, dicitur irregularis, tanquam maritus viduæ propter affectum intentionis cum opere subsecuto. Navarrus tamen *cons. 1. h. t. & in manual. c. 27. n. 195.* censet, hoc tantùm procedere in Clerico, de quo in *c. fin.* fit mentio; non ita in Laico; eò quia nullibi de eo caveatur, & regula juris dictet, non dari impedimentum, quod de jure non sortiatur effectum. Tum quia irregularitas utpote odiosa non contrahitur nisi in casibus à jure expressis, *c. is, qui de sent. excommun. in 6.* tum quia Clericus per promotionem ad Subdiaconatum contraxit matrimonium spirituale per votum solemne annexum sacro ordini, non ita Laicus. Comunior tamen sententia, & verior est, incurri hanc bigamiam, & irregularitatem indistinctè tam à Clerico, quàm à Laico, idque desumitur ex *d. c. fin.* quia hæc bigamia non contrahitur propter duplex matrimonium, spirituale unum, aliud carnale, & ob affectum intentionis, quia hæc est alia species bigamiæ; pertinet enim ad similitudinariam; bigamia verò interpretativa de qua in præsenti loquimur ex eo incurritur, quia contrahens cum vidua sit tractandus tanquam maritus viduæ? sufficit enim ad contrahendam bigamiam interpretativam matrimonium de jure, vel de facto cum vidua initum ob affectum intentionis cum opere consummato, ut comuniter docent cum Covar. *ad clement. si furiosus p.1. §.2. n.2.* Quòd si contrahens ignoraret eam esse viduam, adhuc hanc speciem bigamiæ incurreret, quia hæc contrahitur non obstante ignorantia ex solo defectu significationis

c. ult. 15. q. 1. quia ignorantia non efficit, ut matrimonium illud ſit aptum ad ſignificandam conjunctionem Chriſti cum una Eccleſia; proinde ex defectu ſignificationis ſemper incurritur bigamia interpretativa.

10 Tertia ſpecies bigamiæ eſt ſimilitudinaria ſic nuncupata ob rationem ſimilitudinis cum vera, & reali bigamia: quia cum hæc contrahatur ex eo quòd quis ſucceſſivè plura ineat matrimonia, ac ducat uxores: ita etiam bigamia ſimilitudinaria incurritur ab eo, qui ſacro ordine initiatus, aut profeſſus in religione approbata poſt hoc matrimonium ſpirituale ſitum in voto caſtitatis uxorem ducit, tametſi virginem, quia poſt primum matrimonium ſpirituale init ſecundum carnale. Quòd Religioſus profeſſus hanc incurrat bigamiam liquet ex *can quotquot 27. q. 1.* eandem ſimilitudinariam bigamiam contrahit qui ſubdiaconatu, vel alio majore ordine ſacro initiatus matrimonium poſtea init etiam cum Virgine ob rationem aſſignatam in *d. can. quotquot.* quia bigami habentur quotquot virginitatem pollicitam prævaricati ſunt profeſſione contempta, quod valet de ordine ſacro, cui eſt annexum votum caſtitatis. Neque obſtat quòd argumentum à ſimili non concludat ad inducendam irregularitatem: quia hic non proceditur à ſimili; ſed ex illa juris diſpoſitione, quæ ſtatuit habendos eſſe bigamos, qui virginitatem pollicitam ſunt prævaricati: ſiquidem non ſolùm profeſſi religioſi, ſed etiam initiati ſubdiaconatu, vel alio ſacro ordine majore per contractum poſtea matrimonium pollicitam virginitatem violant. Ratio deſumitur ex duplici matrimonio, altero per ſolemne votum cum Deo; altero carnali de facto attentato, licèt cum virgine. Eſt enim votum ſolemne quoddam matrimonii genus animæ cum Deo, quod violatur per ſubſequens matrimonium affectu maritali conſummatum.

11 Neq; obſtat, quòd ſolemne votum caſtitatis ſit impedimentum dirimens matrimonium, quod propterea eſt nullum ſi contrahatur à Profeſſo religioſo, vel ſubdiacono; quia attenditur copula maritali affectu habita. In obſtrictis tamen ſimplici voto caſtitatis id non valet, quia tunc impedimentum eſt tantùm impediens, & jura eos non habent pro bigamis; & ex regulà generali non inducitur irregularitas in caſibus jure non expreſſis.

12 Bigami quicunque ſint omni clericorum privilegio in jure cenſentur exuti, quia Gregorius X. id in Concilio Lugdunenſi definivit *c. 1. de Bigamis in 6.* ubi ait: *Bigamos omni privilegiò clericali declaramus eſſe nudatos.* Privilegium clericorum aliud dicitur Fori, & aliud Canonis. Privilegium Fori eſt, quia *c. 2. de foro competenti.* Clericus apud Judicem, & Magiſtratum civilem non poteſt conveniri. Item *c. ult. de vita, & honeſt. clericorum.* liber eſt, ac im̃unis ab omni tributo, & onere perſonis, vel rebus impoſito. Privilegium canonis dicitur quod habetur *in c. ſi quis ſuadente 17. q. 4.* ubi percuſſor clerici vinculo excom̃unicationis obſtringitur. Utroque privilegio Fori, & Canonis Bigamus ſpoliatur. Imò *in eod. c. 1. de Bigamis in 6.* additur de Bigamis: Ipſis quoque ſub anathemate prohibemus deferre tonſuram, & habitum clericalem. Sin autem Bigamus monaſticum inſtitutum ſuſceperit non incurrit has pœnas, ut notavit Panormitanus *in indice V. Bigamus.* Hinc Bigamus per Religionis profeſſionem fit aptus ad ordines: quia ut notat Gloſſa *c. ult. 11. queſt. 3.* Profeſſio religioſa omnem maculam, & irregularitatem abolet: idque probat ex authentica de Monachis in princ. ubi dicitur; omnem maculam per Monachatum deleri. ſed Gloſſa *in c. 2. de Apoſtatis.* ait; per ingreſſum Religionis non omnem irregularitatem deleri, eò quia non tollatur ea, quæ contrahitur ex proprio delicto, ſed gratia religionis, & authoritate ſuperioris faciliùs aufertur. Imò Abbas *c. 2. de Apoſtat.* exiſtimat per ingreſſum in Religionem, eam irregularitatem duntaxat tolli, quam canones, & jura expreſsè declarârunt. Hinc plures cum Abbate cenſent, per ingreſſum in Religionem non tolli irregularitatem ortam ex bigamia, quia nullus extat canon, quo ſtatuatur, hanc irregularitatem deleri per ingreſſum in religionem; & hæc ſententia mihi videtur probabilior: cum nullus ſit in jure canon, quo hæc irregularitas deleatur per ſolum ingreſſum in Religionem.

Cæterùm multiplicitas matrimonii rati non 13
conſum̃ati non inducit bigamiam, nec irregularitatem; unde is non eſt cenſendus bigamus, qui contraxit cum una virgine, & ea mortua ante matrimonii conſum̃ationem, aliud matrimonium contraxit cum alia virgine, cum qua illud conſum̃avit. Nec multiplicata ſponſalia inducunt bigamiam, quia hæc non ſignificant conjunctionem Chriſti cum Eccleſia per incarnationem; ſicut ſignificat matrimonium conſum̃atum. Nec multiplicatæ fornicationes, vel adulteria ex parte viri inducunt bigamiam *c. Acutius 28. q. 3.* quia ad bigamiam non ſufficit quæcunque copula carnalis ex parte viri; ſed requiritur, ut copula habeatur cum iis, cum quibus matrimonium contraxit. Unde Presbyter, qui plures concubinas habuit, non incurrit irregularitatem bigamiæ. Eſſet tamen bigamus, qui fœminam duceret, quam putabat eſſe virginem; ſi cum ipſa non deprehenſa virgine matrimonium conſum̃avit; quia ignorantia non excuſat à bigamia, ut notat Vivaldus *de ſacram. 2. part. nu. 23. & 25.* ſiquidem ignorantia non impedit, quòd caro illius fœminæ non fuerit in plures diviſa.

Quamvis bigami excludantur ab ordinum ſu- 14
ſceptione, ſi tamen poſt contractam bigamiam promoverentur ad ordines, licèt promotio illicita foret, eſſet tamen valida: ſed promoti privarentur uſu, & executione omnium ordinum *c. 2. & 3. h. t.* quia bigamus ordinatus abſque diſpenſatione characterem quidem recipit, ſed prohibetur illi in illo ordine miniſtrare. Arcentur Bigami ab ordinibus ſacris non ob peccatum, quia nuptiæ quamvis ſecundæ, vel tertiæ, aut quartæ, & aliæ ulteriores non ſunt peccatum *can. Acutius & ſimilibus diſt. 26.* Imò ſecundæ, & ulteriores nuptiæ jure permittuntur ut bonæ, ut liquet *ex c. ſuper illa, & c. cum ſecun-*

dùm

dum *Apostolum de secundis nuptiis*. Nam D. Paulus *ad Rom.4.* ait: *Mulier vivente viro vocatur adultera si fuerit cum alio viro. Sin autem fuerit mortuus vir ejus, liberata est à lege viri; ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro*; ubi Apostolus permittit secundas nuptias, non tanquam minus malum, sed ut aliquod bonum: siquidem *1. ad Corinth. 2.* ait: *Dico autem non nuptis, & viduis bonum est si sic permanserint, sicut & ego; quòd si non se continent, nubant*. sed ob duplicem rationem, unam mysticam, aliam moralem arcentur bigami à sacris ordinibus. Ratio mystica est defectus perfectæ significationis sacramenti, quæ est conjunctio Christi cum Ecclesia ex D.Paulo *ad Ephes.5.* estque unius viri cum una sponsa; licèt secundum, & tertium matrimonium sit verum sacramentum; non tamen bigamus ducens successivè plures uxores repræsentat perfectè hanc conjunctionem Christi cum una, & immaculata sponsa, quæ est Ecclesia; nec conjunctionem Verbi cum humanitate *can. Acutius & d. c. debitum*; & ideo Bigamus arcetur à sacramento Ordinis; quia non debet pati defectum in sacramento, qui ministraturus est sacramenta. Ratio moralis est, quia clericus debet esse hortator ad continentiam, & qui conjugia frequentat nequit esse hortator continentiæ, cum ipse minimè se contineat *can. Una & can. qui se crimine dist. 26.* siquidem de ejus incontinentia præsumitur *c. Præpositi dist. 52.*

15 Quia verò irregularitas annexa bigamiæ est de jure Ecclesiastico, nulli dubium, quin possit summus Pontifex super impedimentis bigamiæ, & irregularitatis dispensare, ut liquet ex *can. quicunque dist. 50.* Siquidem est summus Pontifex supra quodvis jus ab Ecclesia inductum, & ad ipsum pertinet Ecclesiæ Regimen; unde quamvis non possit summus Pontifex dispensare in iis, quæ sunt de jure divino; & cùm bigamus non sit de jure divino ab ordinibus excludendus, ideò per dispensationem summi Pontificis potest bigamus promoveri ad ordines. Neque obstat, quòd Apostolus *1. ad Timoth. 3.* dicat, Episcopum, & Diaconum debere esse unius uxoris virum: siquidem Apostolorum jussa, & dicta, non semper sunt de jure divino, nisi fuerint instituta à Christo: Apostolus autem non ex Christi institutione, sed tantùm ex se ipso dixit, oportere Episcopum, & Diaconum esse unius uxoris virum, proinde bigamia non divino, sed canonico jure ab ordinibus arcetur: proinde Romanus Pontifex potest super bigamia, & irregularitate illi annexa dispensare. Idque ex eo liquet, quia in *c. si Subdiaconus dist. 34.* dicitur: necessitate tamen exigente bigamus promoveri potest ad ordines, & licèt ibi dicatur usque ad Subdiaconatum; nihilominus, quia hoc impedimentum est de jure canonico potest Pontificia authoritate removeri.

16 Neque obstat, quòd in *c. 2. & 4. h. t.* dicatur, non licere contra Apostolum dispensare super impedimento bigamiæ, & eidem annexæ irregularitatis, nam illis verbis tantùm ostenditur, quòd non nisi difficulter, & ex justa causa dispensetur; non verò quod absolutè non possit dispensari: siquidem ibi non dicitur, *non potest*, sed *non licet*; rursus nec dicitur, *quòd nunquam liceat*, sed quòd non pro arbitrio, & ex quavis ratione, sed rarò, & ex gravissima, ac urgente causa, eò quia sit minùs decens, bigamos promovere ad sacros ordines. Præterea quia Apostoli constitutio vetans bigamos promoveri ad ordines non est divini juris præcepta: proinde tantùm de jure canonico, & subjicitur Pontificis dispensationi. Tum quia Apostolus ibidem constituit, ne percussor, vel criminosus; Diaconus, vel Episcopus creetur, & Apostolorum statuto *c. Presbyter dist. 8.* Scortator, periurus, homicida ab ordinibus excluduntur, & nihilominus *c. Presbyter dist. 82.* Concilium decrevit, ut tales ordinati permittantur in susceptis ordinibus ministrare. Quinimò in *c. at si Clerici de Judiciis.* Episcopi possunt cum criminosis dispensare, ut ad ordines admittantur, & in susceptis ministrent, quando crimen est minus adulterio: ex quo liquet, illam Apostoli constitutionem non esse de jure divino.

Quòd si dicas, ideò posse criminosum promoveri ex dispensatione, eò quia crimen per pœnitentiam deletur, & promotus desinit esse criminosus: atqui bigamia nunquam deletur; quia bigamus, nec per baptismum, nec per pœnitentiam desinit unquam esse bigamus; semel enim quòd duas quis successivè duxerit uxores, non potest fieri, quin illas duxerit; cùm ad præteritum non detur potentia. Sed contra est, quia Apostolus æquè criminosum, ac bigamum excludit à sacris ordinibus, adeò ut utrumque sit præceptum Apostoli, ex quo infertur, quòd sicut Pontifex relaxat unum, ita potest & alterum; quia neutrum est de jure divino; sed utrumque est tantùm præceptum Apostoli, proptereà de jure Ecclesiastico. Neque urget, quod objicit Glossa *c. 2. V. dispensare h. t.* non posse Pontificem supplere defectum significationis; quia non est necesse, ut talis defectus suppleatur, sed sufficit, si tollatur irregularitas orta ex ejusdem defectu. Non enim Pontifex potest supplere, vel impedire, quòd bigamia non deficiat à significatione unius Christi cum una Ecclesia tantùm; cùm bigamia ex se significet divisionem carnis, non unitatem: sed quia bigami non arcentur ab ordinibus jure divino, sed tantùm Ecclesiastico, & eidem sit annexa irregularitas etiam de jure Ecclesiastico; ideo nil impedit, quò minus possit Pontifex dispensare super irregularitate, & concedere, ut bigami promoveantur ad ordines. Neque satisfacit, quod respondent alii, posse Romanum Pontificem tantùm authoritate absoluta, non verò ordinaria dispensare, ut bigami promoveantur ad ordines sacros: siquidem ordinaria Pontificis potestas alia non est, quàm quæ ipsi jure naturali, divino, & canonico permittitur: & nullum est jus, quo Pontifex prohibeatur dispensare. 17

Quòd si objicias *c. super eo de bigamis* Lucium III. asserentem: cum bigamis contra Apostolum dispensare non licet; & Innocentium III. *in c. nuper. & c. à nobis de bigamis*, hoc idem asserentem. Respondetur, id tantùm di- 18

ci de Episcopis non de Romano Pontifice; siquidem ut refert Glossa *in c. lector. dist. 34.* Lucius IV. Pontifex promovit ad Episcopatum Panormitanum bigamum; unde Lucius III. non intellexit, non licere Pontifici dispensare cum bigamis, sed tantùm non licere Episcopis. Præterea licèt id intelligeretur de summo Pontifice, adhuc commodè posset responderi, non licere summo Pontifici sine justa aliqua causa, & honesta dispensare super irregularitate orta ex bigamia; non verò quòd absolutè non liceat, nec possit summus Pontifex dispensare.

19 An verò etiam Episcopis liceat dispensare super bigamia quoad minores ordines, plures negant, eò quia canones, & jura hanc potestatem nusquam Episcopis concesserint; quia *in c. si Subdiaconus & c. lector dist. 34* solùm permittitur, ut si bigamus usque ad Subdiaconatum eligatur; in minoribus ordinibus, scilicet inter lectores, & ostiarios, ministret. Non verò conceditur, ut bigamus ad ordines admittatur, sed solùm, ut ministret in minoribus ordinibus antea susceptis. Quinimò *in c. quisquis dist. 83.* ex Siricio Papa dicitur, quisquis Clericus, aut viduam, aut secundam duxerit uxorem omni Ecclesiasticæ dignitatis privilegio denudetur, laica sibi tantùm communione concessa. Rursus *c. 1. de bigamis in 6.* bigamus prohibetur tonsuram, & clericalem habitum deferre. Nihilominus contraria sententia est communior, quam etiam docet D. Thomas *in 4. dist. 27. q. 3. art. 3.* & id fuit declaratum à Rota *decis. 447.* referente Navarra: & desumitur hæc sententia ex *c. si Subdiaconus dist. 34.* ubi dicitur: necessitate tantùm exigente bigamus usque ad Subdiaconatum potest promoveri. Rursus *in c. lector. ead. dist.* habetur: Lector si viduam alterius uxorem acceperit in lectoratu permaneat: aut si necessitas fuerit, Subdiaconus fiat, nihil autem supra; similiter si bigamus fuerit: unde in hisce capitibus non solùm conceditur, ut bigamus ministret in minoribus ordinibus; quos ante susceperat; verùm etiam ut necessitate exigente usque ad Subdiaconatum promoveatur. Neque obstat, bigamum esse denudatum privilegio Clericorum, eique prohiberi tonsuram, & habitum clericalem; quia ut rectè notat Sylvester, ab hac pœna absolvitur, si Episcopus ei concedat, ut possit ad minores ordines promoveri.

20 Putârim tamen esse procedendum cum distinctione: Episcopis quoad veram, & interpretativam bigamiam contractam post ordines jam susceptos probabilius esse, non licere dispensare, eò quia bigami omni privilegio clericali privantur; & hæc potestas simpliciter Episcopis negatur *c. 4. h. t. & can. non impedit. dist. 50.* Tum quia licet hæc potestas non fuisset Episcopis denegata, adhuc non liceret eisdem dispensare, quia Episcopi non dispensant super jure communi, nisi in casibus jure expressis, ut notat Abbas *in c. 2. num. 5. h. t.* Secus super bigamia similitudinaria concessum est Episcopis, posse dispensare, ut liquet *ex cap. 10. inf. qui clerici, vel voventes matrim. contrah. poss. & c. sanè inf. de cleri. conjug.* & ibidem Glossa ubi post peractam pœnitentiam, si res ita postulet, Episcopi dispensare possunt. Neque obstat *c. 2. inf. qui cler. vel vovent.* ubi hæc facultas videtur tantùm concedi in casu, quo bigamus monasterium ingreditur, quia illa limitatio tantùm habetur in casu singulari, de quo ibi dicitur; nimirum, quando clericus ordinatus non spontè convertitur, sed cogitur abjurare eam, quam duxit, ut sentiunt Glossa, & Abbas *in d. c.*

21 An verò possit Episcopus etiam dispensare super vera bigamia occulta, affirmant aliqui, si bigamia contracta fuerit ex accessu ad uxorem adulteram occultam. Verùm contraria sententia est communior, quia regula generalis negativa est in contrarium. Neque concessio Concilii Tridentini suffragatur Episcopis, quia illis tantùm concedit, ut possint dispensare super irregularitate veniente ex occulto delicto, quod non ponit bigamiam, ut notat Turrecremata *in can. Lector. 18. dist. 34.*

22 An verò per ingressum religionis tollatur hæc irregularitas, respondent communius, nec ipsam irregularitatem ortã ex bigamia similitudinaria tolli, eò quia nullibi sit textus id permittens, & quia sine textu non inducitur irregularitas, ita neque tollitur: imò potiùs adest textus in contrarium, ut *in c. 2. inf. qui cler.* ubi requiritur Episcopi dispensatio in casu ingressûs, id autem non esset necesse, si ingressus sufficeret. Per religionis professionem fit bigamus aptus ad ordines, ut notat Glossa *c. ult. 11. q. 3.* quia per professionem religiosam omni macula, & irregularitas oboletur. Verùm censerem tunc emittentem professionem dispensari à Prælato ejusdem religionis: siquidem convenit Prælatis religionis jus dispensandi cum suis, quia exercent veluti Episcopalem jurisdictionem. An verò Prælati Regulares possint dispensare cum suis subditis in vera, aut interpretativa bigamia, est difficultas. De similitudinaria quæ contingit, quando quis adstrictus voto castitatis uxorem ducit, quæ sit virgo, concedunt communiter, quia id permittitur Episcopis, ut notat Glossa *in c. 1. V. dispensativè, & in c. 2. V. in Subdiaconatu & in c. nuper V. dispensari de bigamis*, & desumitur etiam ex *c. sanè sacerdotes de cler. conjug. & ex c. 1. qui clerici*, ubi conceditur Episcopis posse dispensare cum sacerdote, & clerico, qui uxorem duxit, neque hæc facultas sublata est per Tridentinum *sess. 24. c. 6 de reformat.* quia licèt ibi concedatur facultas dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto taxativè, præterquam ex homicidio voluntario, non tamen tollitur facultas dispensandi in irregularitatibus publicis, quæ aliàs de jure illis competebat. Unde tunc tantum non potest Episcopus dispensare super irregularitate, quando hæc oritur, ex eo quòd adstrictus voto solemni castitatis contraxerit matrimonium cum vidua corrupta, ut expresè habetur in *c. nuper. & c. fin. de bigamis.* Quamobrem si sistamus in irregularitate orta ex bigamia similitudinaria possunt Prælati Regulares cum suis subditis dispensare, quia cum istis possunt totum id, quod possunt Episcopi cum propriis

ex

ex declaratione Pii V. *in sua constitutione 132.* §.3. & ita communiter docent Theologi, & juris canonici periti.

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones.

1 QUæritur primò, an irregularitatem ex defectu significationis sacramenti incurrat, qui extra matrimonium constitutus, plures habet concubinas? Respondetur negativè, & desumitur ex *c. quia circa 6. h. t.* ubi declaratur, quòd Presbyteri, qui plures concubinas habuerunt, non sunt bigami censendi: & Episcopum cum talibus, perinde ac cum aliis sacerdotibus fornicariis quoad executionem sacerdotalis officii posse dispensare: ex quo textu colligitur, olim sacerdotes concubinarios fuisse ipso jure suspensos, imò nec potuisse post actum pœnitentiam ministrare ad altare, nisi priùs Episcopus cum iisdem dispensâsset. Quòd verò sacerdotes habentes plures concubinas non fiant irregulares, ex eo suaderi potest: quia hic non intervenit defectus sacramenti, quia matrimonium est duplex, unum ratum, quod mutuo contrahentium consensu constituitur, & significat conjunctionem Christi cum Ecclesia per unionem charitatis juxta illud Apostoli *1. ad Corinth. 6. qui adhæret Domino unus spiritus est.* Alterum est matrimonium consummatum, quod significat conjunctionem Christi cum Ecclesia per carnis assumptionem, & de hoc matrimonio scripsit Apostolus ad *Ephes. 5. Hoc sacramentum magnum est, ego autem dico in Christo, & ecclesia*: atqui Clericus habens plures concubinas cum nulla ex illis matrimonium contraxit, imò nec attentatum, quod significet conjunctionem Christi cum Ecclesia; proinde Presbyter qui plures habet concubinas ex hoc non fit irregularis, quia non est bigamus.

2 Posset tamen in contrarium objici, quia inde videtur sequi, plus favoris inesse luxuriæ, quàm castitati: siquidem castitas conjugalis servata cum vidua, & ab illo corrupta inducit irregularitatem bigamiæ, non ita fornicatio cum pluribus. Sed contra quia nullus inde fit favor luxuriæ, cùm hæc sit peccatum gravissimum: sed id ex eo contingit, quia bigamiæ irregularitas non contrahitur propter crimen, seu peccatum, sed tantùm propter defectum sacramenti, ut notat Fagnanus in *c. super eo 2. n. 10. h. t.* & quia defectus sacramenti reperitur in matrimonio contracto cum vidua, non verò in fornicatione cum pluribus, sequitur, quòd ratione matrimonii cum vidua incurratur bigamia, & irregularitas ob defectum significationis sacramenti, non autem ratione fornicationis cum pluribus: quia cùm hujusmodi fornicationes sint extra matrimonium, non habent annexum defectum significationis. Non enim est necesse ut incurrens irregularitatem peccet, quia etiam Judex si ex Zelo justitiæ vindicativæ condemnet reum ad mortem fit irregularis, licèt talis condemnatio sit opus virtutis absque omni peccato: incurritur enim hæc irregularitas ob defectum perfectæ lenitatis absque ulla culpa.

Quæritur secundò, an qui unam uxorem duxit ante susceptum baptismum, & alteram post susceptum baptismum contrahat irregularitatem. Ratio dubitandi est, quia irregularitas inducta fuit ab Ecclesia, & est tantùm in Ecclesia: & ante baptismum, qui uxorem duxit, non erat membrum Ecclesiæ, nec potuit irregularitatem incurrere, adeò ut primum matrimonium quoad irregularitatem perinde se habuerit, ac si non fuisset? Respondetur cum Suarez *disp. 49. de censur. sect. 6. n. 10.* talem per secundum matrimonium fieri irregularem: Ratio est, quia primum tametsi contractum ante susceptum baptismum, adhuc ex se, & sua natura significabat unionem Christi cum Ecclesia, & quia est significatio unius cum una tantùm, eo ipso quòd post baptismum contrahit cum alia, deficit hæc significatio unius cum una tantùm, quia vir fuit duabus unitus. Defectus hujus perfectæ significationis Christi cum Ecclesia, seu unius viri cum una sponsa, æquè reperitur in matrimonio contracto ante baptismum, quàm post illum. Verum tamen est, quòd hic defectus non ponit impedimentum in homine infideli pro tempore infidelitatis, sed post susceptum baptismum, quo tempore subjicitur Ecclesiæ, quæ talem baptizatum facit irregularem ob causam, etiam quæ baptismum præcessit, vel in parte, vel in toto. Neque obstat, quòd matrimonium initum ante baptismum non sit sacramentum, quia sufficit, si sit aptum ad significandam conjunctionem Christi cum unica sponsa Ecclesia, quam semper in statu innocentiæ, & ex primæva Dei institutione matrimonium significavit. Rursus ex eo quòd irregularitas sit inducta jure Ecclesiastico tantùm sequitur, quòd non potuit ligare infidelem ante baptismum, non verò quòd non potuit post baptismum: hinc patet solutio ad rationem dubitandi. 3

Quæritur tertiò, an bigamiam interpretativam contrahat, qui ignoranter viduæ, vel alteri fæminæ jam corruptæ nupsit? Respondetur affirmativè, & ratio desumitur ex eo, quia hæc irregularitas non oritur ex culpa, vel infamia personæ, sed tantùm ex defectu significationis sacramenti: hic autem defectus etiam potest locum habere in ignorante: eo enim ipso, quòd quis nubit viduæ etiam ignoranter, tale matrimonium non significat conjunctionem unius cum una virgine, proinde non significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ est una tantùm, & virgo, & quæ non habuit alium sponsum quàm Christum: eo ipso quòd vidua habuit duos maritos, non potest Ecclesiam repræsentare: proinde ex defectu hujus significationis contrahitur bigamia, & irregularitas. 4

Quæritur quartò, an sit bigamus, qui nupsit puellæ, quam ipse ante matrimonium cognoverat? Respondetur, talem non esse bigamum, & desumitur *ex c. debitum 5.* ibi Glossa *V. divisit. h. t.* Ratio est, quia irregularitas bigamiæ oritur 5

tur ex defectu sacramenti, eò quia matrimonium bigami non perfectam, sed quodammodo deficientem gerat similitudinem Verbi Incarnati: siquidem filius Dei copulavit sibi Ecclesiam unam ab alio non assumptam: proinde illi tantùm bigami, & irregulares sunt censendi, qui duas uxores cognoverunt, seu carnem suam in duas uxores diviserunt: vel qui unam uxorem cognoverunt, quæ tamen ab alio viro cognita fuit, & quæ proinde carnem suam in plures maritos divisit: atqui in nostro casu non reperitur hic defectus significationis; quia mulier non fuit cognita à pluribus viris, sed ab uno tantùm; & vir non divisit carnem suam cum pluribus mulieribus, sed cum una tantùm: unde ratione talis uxoris non potest juris interpretatione censeri, carnem suam divisisse in plures, licèt eam cognoverit ante matrimonium. Quòd si objicias textum *in c. qualis 4. cauf. 3. q. 5.* & *c unic. de cleric. conjug. in 6.* ubi dicitur, bigamus est, qui nupsit puellæ defloratæ. Contra est, quia ibi tantùm est sermo de puella deflorata ab alio, cui postea non nupsit, non verò de puella quæ nubit viro, à quo antea fuit cognita: Virginitas enim, quæ ibi requiritur in uxore tempore initi matrimonii intelligitur in eo sensu, ut non sit ab alio corrupta, ut notat Glossa *in d. c. debitum 5. V. divisit. in fin. h. t.*

Quæritur quintò, quomodo intelligendum 6
sit *c. altercationis 1. h. t. in 6.* ubi bigami privantur omni privilegio clericali, & subjiciuntur foro sæculari, non obstante contraria consuetudine, & sub pœna excommunicationis prohibentur, ne deferant habitum, vel tonsuram? Respondetur, hunc textum intelligi de bigamis veris, vel interpretativis, qui duas uxores habuerunt, vel viduam, aut corruptã ab alio duxerant: & talem pœnam incurri ab iisdem ipso facto, idque desumi ex verbis textûs ibi: *Declaramus esse nudatos*, significant enim pœnam latæ sententiæ, Non tamen intelligitur de Clerico Minorista, qui duxit viduam, vel cum secunda solùm de facto contraxit; sed invalidè ob occultum impedimentum: tunc enim privatio hæc omnis privilegii clericalis non videtur locum habere, ut notat Fagnanus *in c. nuper à nobis n. 22. h. t.* Ratio est, quia constitutio *in c. Altercationis* loquitur simpliciter de bigamis, & cùm sit pœnalis non debet extendi, sed intelligi in sua stricta, & propria significatione: & de tali bigamia, quæ oriatur ex defectu sacramenti.

TITULUS XXII.

De Clericis peregrinis.

ADditur præsens titulus præcedentibus, eò quia in hoc sicut in illis agitur de quibusdam aliis, qui etiam à sacris arcentur ordinibus, súntque Clerici peregrini, seu qui non subsunt jurisdictioni ordinantis: hi enim ad ordines non debent admitti, vel saltem non facilè, quia Episcopus non debet ad ordines promovere nisi Subditos sibi Clericos. Dicuntur enim Clerici peregrini, qui non sunt de Episcopatu, vel Diœcesi; sed aliunde de remotis Regionibus, qui tamen si tantùm visitandi causa venerint, & aliàs sint noti, possunt ab inferioribus Prælatis etiam sine licentia Episcopi in suo gradu suscipi, & tam ad verbum faciendum, quàm ad sacrificium missæ possunt admitti *c. Episcopi, vel Presbyteri 7. q. 1. c. quiescamus dist. 42.* Cæterum prohibentur Episcopi promovere Clericos peregrinos ad ordines, quia non licèt ipsis falcem suæ jurisdictionis in messem alienam mittere, ordinando, vel judicando subditos alienos. Tum quia Clerici peregrini interdum sunt criminosi, excommunicati, & irregulares, & sæpè mentiuntur se habere ordines, quibus reverà carent. Tum quia si non ostendant licentiam, aut testimonium Episcopi, præsumuntur inobedientes, quia non est licitum Clerico peregrinari, aut abesse, etiam studii, vel negotiorum causâ sine licentia Episcopi. *c. nec oportet. dist. de consec.*

SUM-

SUMMARIUM EXEGETICUM

Quatuor capitum, in hoc titulo contentorum.

CAP. TUA NOS. 1. h. t. Alexander III. rescribit Cœnomanensi Episcopo, clericos peregrinos ordinatos in remotis Regionibus, qui habent litteras ordinationum; sed incertum est, an sigilla sint Episcoporum, teneri suam ordinationem probare per quinque Episcoporum sigilla, sicut statutum est de transmarinis clericis dist. 98. *Interim tamen jubet Pontifex, eos suspendi, & inquiri, an prætermiserint aliquem ordinem: postea hisce peractis si fuerint digni deprehensi, mandat, ut circa eos possit dispensari. Ubi tamen notat Glossa, quòd si constaret de sigillo unius Episcopi, non esset inquirendum de quinque. Rursus hunc textum esse intelligendum, quando peregrini volunt in Ecclesia recipi, tanquam Clerici, quia si ut Viatores tantùm vellent secretè celebrare, non esset iisdem prohibendum. Hinc inferiores Prælati etiam exempti non possunt peregrinos ignotos etiam vigore litterarum dimissorialium ad celebrandum admittere, nec in Ecclesiis sibi commissis instituere sine licentia Diœcesani Episcopi* c. cum nullus de tempor. ordin. in 6. *Siquidem cognitio validitatis litterarum dimissorialium est reservata soli Episcopo, & contraria consuetudo improbata, ut irrationabilis.*

C. *INTER QUATUOR 2. h. t. Innocentius III. rescribit Patriarchæ Constantinopol. Clerico peregrino non habenti dimissorias, & juranti se ordinatum, non propterea esse credendum, neque admittendum ad ordinem, quò dicit se insignitum esse, nec ad alios majores suscipiendos. Ubi notat Glossa, Clericum teneri suam ordinationem probare per litteras, quas si perdiderit, teneri amissionem probare, ac tenorem litterarum, & eas fuisse sine vitio* c. cum olim infra de priv. *Vel saltem per testes tenetur id docere.*

C. *TUÆ FRATERNITATIS 3. h. t. idem Pont. rescribit Patriarchæ Jerosolymitano, ut non permittat, Clericos venientes ad partes Jerosolymitanas sine commendatitiis litteris missam celebrare, nisi legitimè constet de eorundem ordinatione canonica, sive per litteras, sive per testes, Quòd si Clerici sint penitus ignoti injungit Pontifex eidem Patriarchæ, ut permittat eos secretò ex devotione celebrare, si eniximrogaverint.*

C. *TE NOBIS 4. h. t. Honorius III. rescribit Reginensi Episcopo, inferiorem Prælatum non posse in sua Ecclesia instituere Clericos non diœcesanos sine licentia Episcopi: quòd si eos instituat possit Episcopus eos removere. Hinc liquet, Clericos esse instituendos de eadem Diœcesi: Ex hoc textu colligitur, Prælatos, & Abbates, ac Religiosos, & alios cujuscunque diœcesis consistentes, etiam exemptos (exceptis monasteriis, in quibus Abbates jurisdictione gaudent Episcopali, & temporali in Parochos vigore Concilii Trid. sess 25. c. 11.) aut capitula, vel collegia quæcunque, litteras dimissorias titulo prælationis, vel indulti spiritualis, cujus meminit textus* in c. cum nullus 6. de temp. ordin. *Clericis sæcularibus, ut ab aliis ordinentur, non posse concedere: alioquin ab officio, & beneficio sunt ipso jure suspensi: quia ex Concilio Trident.* sess. 13. c. 10. *horum omnium ordinatio ad Episcopos pertinet, in quorum Diœcesi sunt Clerici. Hinc dimissoriæ neque possunt concedi ab officialibus, aut Vicariis Generalibus Episcoporum in spiritualibus, nisi habeant speciale mandatum, & Episcopi in remotis agant* c. cum nullus de temp. ordin in 6. *Capitulis cathedralium Ecclesiarum aut illis, ad quos sede vacante pertinet administratio spiritualium, neque licet dimissorias ordinandis concedere infra annum à die vacationis Ecclesiæ, nisi arctatis ratione beneficii recepti, vel recipiendi: & si secus fecerint incurrunt Ecclesiasticum interdictum: & sic ordinati in minoribus nullo privilegio clericali, præsertim in criminalibus gaudent: in majoribus verò sunt jure suspensi ab executione ordinum ad arbitrium futuri Prælati ex Concil. Trid.* sess. 7. c. 10. & sess. 23. c. 10.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quomodo Clerici peregrini permittantur ordinari, & celebrare.

Uia plerumque contingit, viros aliàs indignos, vel etiam prohibitos, etiam in alienis Diœcesibus ad ordines subrepere, vel etiam per saltum promoveri; ideò statutum est in Jure Canonico, ut quilibet à suo proprio Episcopo promoveatur ad ordines, & Episcopis prohibetur, ne exterum quemque promoveant, etiam ad primam tonsuram *c. fin. de tempor. ordin. in 6.* idque ad evitandum periculum, ne indigni promoveantur ad sacros ordines, quod facilè posset contingere, si extra patriam in locis dissitis, ubi minimè cogno-

cognoscuntur statim possent ad ordines promoveri. Imò prohibetur etiam Episcopis, ne Clericos peregrinos incognitos, & alieniginas permittant publicè in ordinibus ministrare; ne divinis se ministeriis ingerant, qui aut ritè ordinati non sunt, vel aliqua censura Ecclesiastica excommunicationis, suspensionis, & interdicti, vel aliqua detinentur irregularitate irretiti. Quamobrem Episcopi sine dimissoriis non possunt Clericos peregrinos promovere ad ordines; neque sine litteris commendatitiis permittere, ut missam celebrent, etiam si juramento assererent, se ritè ordinatos, ac ab omni liberos esse censura; nisi hoc idem per suorum Episcoporum testimonia scripta, aut testes fide dignos probent, præsertim antequam per aliquid temporis ipsorum mores probati fuerint *c. 1. & 2. h. t.*

2 Cæterum in privata Capella faciliùs sacerdos peregrinus missam celebrare permittitur, dummodo de illo nulla alia gravis habeatur suspicio *c. 3. h. t.* sin verò contingat, sacerdotem peregrinum de facto absq; prævia Episcopi licentia celebrare, nullam inde suspensionem, aut irregularitatē incurrit, ut notat Barbosa *in collect. ad d. c. n. 4.* quia id in nullo jure est expressum. Posset tamen talis sacerdos ab Episcopo puniri, & ab eodem prohiberi sacrum facere. Quòd si sacerdos, vel ob injuriam belli, vel ad declinandum vitæ periculum aussugerit, nec secum detulerit testes de sua ordinatione; vel si dicat perdidisse in itinere sua instrumenta, & testimonia, idque juramento firmaverit, quamvis *ex c. 2. h. t.* dicatur non esse credendum Clerico juranti se esse ordinatum, nisi aliunde id probet; nihilominus id intelligitur de eo, qui omissa petitione litterarum à suo Episcopo, quas facilè obtinere potuisset, eo insalutato discessit; quia tunc fides hujus Clerici suspecta redditur, præsertim si illicò se offerat, se juraturum, esse sacerdotem: quia non requisitus, si pronus sit ad deponendum, ingerit suspicionem, ut notat Panormit. *in d. c. 2. n. 2.* Secus si sacerdos peregrinus justas, ac legitimas produxerit causas, ob quas legitima testimonia de sua ordinatione secum non tulerit; tunc cum non agatur de ullius gravi præjudicio, & mores sacerdotis probentur boni, & ex aliis indiciis appareat esse virum probum, potest illi fides præstari, si per juramentum velit, quæ attestatur corroborare, ut notat Garzias *de benefic. p. 7. c. 1. n. 158.*

3 Cæterum Concilium Tridentinum *sess. 23. c. 16. de reformat.* generaliter prohibuit, ne Episcopi ad ordines promoveant peregrinos, qui non sunt sui Diœcesani, ut quilibet Episcopus certior fiat de qualitatibus illorum, quos promovent, & possint faciliùs inquirere de vita, & moribus eorundem, sive Clerici sint, sive laici. Idque se extendit etiam ad Archiepiscopum, cui etiam prohibetur promovere subditos suorum suffraganeorum, ut notat Hostiensis *ad tit. de offic. ordinar. per can. salvo. cum sequent. 9. q. 3.*

4 Subjicitur autem quis Episcopo, vel ratione beneficii, vel originis, vel domicilii *c. fin.* ubi Glossa *inf. de foro compet.* Hinc si Clericus in Diœcesi alicujus suffraganei habet domicilium, & in Diœcesi Archiepiscopi beneficium, poterit ab Archiepiscopo ad sacros promoveri ordines: quia tunc ratione beneficii subjicitur etiam Archiepiscopo, qui eum tanquam subditum potest promovere: generatim nec Episcopi, nec Archiepiscopi debent omninò ignotos promovere ad sacros ordines, neque permittere, ut sacerdotes prorsus ignoti rem sacram publicè faciant, nisi per litteras, vel testes probent, se à suo proprio Episcopo fuisse ad ordines promotos, ut desumitur *ex c. 3. h. t. can. 2. & 3. de tempor. ordin in 6.* & ex Concilio Tridentino *sess. 23. c. 16. in fin.* Inferiores autem Episcopo non possunt omninò sacerdotes peregrinos, & prorsus ignotos, in proprias Ecclesias recipere, nec permittere, ut in iisdem missas celebrent absque expressa Episcopi licentia *c. ult. h. t.* quinimò si Clerici ex remotissimis Regionibus, ad alias se transferant, debent per litteras quinque Episcoporum sigillis munitas probare, se fuisse ad ordines promotos *c. 1. h. t.* cur autem prohibeatur Episcopis, Clericos peregrinos ad ordines promovere; plures solent rationes adferri: primò quia Episcopus, non debet in alienam messem falcem immittere, ad declinanda dissidia, & jurgia, quæ inde facilè possent oriri *can. illud. dist. 71.* Secundò quia Ecclesia suspectos habet Clericos peregrinos, siquidem nonnunquam solent esse criminosi, infames, excommunicati, flagitiosi, aut in exilium missi, vel aliis delictis obnoxii *can. Afros. & can. sec. dist. 98. c. 1. de tempor. ordinat. in 6.*

5 Qui igitur in aliena Diœcesi vult ad ordines promoveri, huic est necessarius consensus proprii Episcopi, qui probandus est litteris dimissoriis, quarum forma habetur *dist. 37.* hæ litteræ, quas vocant dimissorias conceduntur ab Episcopo proprio, confirmato, qui habeat jurisdictionem, vel ab ejus Vicario generali in spiritualibus, vel à Capitulo sede vacante *c. nullus 3. de tempor. ordinat. in 6.* non tamen Episcopi debent facilè has litteras dimissorias concedere suis subditis, ut possint, à quo velint, ad ordines promoveri, nisi à sede Apostolica id fuerit ipsis specialiter indultum juxta Tridentinum *sess. 23. c. 10. de reformat.* nec conceduntur sine prævio diligenti examine de vita, moribus, & habilitate petentis has litteras dimissorias: & rursus requiritur justa causa, quæ exprimatur in iisdem litteris ex Tridentino *sess. 23. c. 3.* Nec à Capitulo sede vacante sunt hæ litteræ concedendæ, nisi post elapsum annum ab obitu Episcopi: si tamen petens litteras non arctetur necessitate recipiendi ordines, ut desumitur ex Tridentino *sess. 7. can. 10. de reformat.*

6 An verò concessâ alicui ordinatione, censeatur etiam concessa dispensatio super impedimento spectans ad committentem, affirmat Hostiensis eâ innixus ratione, quia concessa facultate ordinandi, conceduntur etiam, quæ spectant ad ordinationem; cùm se habeant consecutivè *c. 5. inf. tit. 29.* Nihilominus probabilior sententia est, quòd non videatur concessa etiam dispensatio super tali impedimento; siquidem sublato uno impedimento non censetur

sub-

sublatum aliud, si istud ab illo distinguatur *argu. l. si domus ff. de servit. urban. prad.* siquidem committens si non exprimat hoc secundum impedimentum, vel illud ignoret; vel si ignorat, non vult illud committere, ut notat Navarrus *consil.11.& 13. de tempor. ordin.* comissa ordinatio debet fieri ab Episcopo residente in sua diœcesi, aut ab exercente pro eo pontificale prævio diligenti examine, ut statuit Concilium Tridentinum *sess. 7. c.11.* Effectus postea dimissorialium est, quòd durent non obstante morte naturali, aut civili concedentis, ut colligitur *exc. si super de offic. deleg. in 6. & extravag. inter §. ut autem de privil.* ubi concessa semel licentia, hæc non extinguitur morte concedentis ut notat Na-
7 varrus *in c. placuit n. 34. & 163. dist. 6.*

Demum sacerdos peregrinus, ac prorsus ignotus non admittitur ad sacrum faciendum publicè nisi ordinem suum probet per litteras commendatitias, quæ distinguntur à dimissoriis, quia istæ continent commissionem, & facultatem ordinandi; illæ verò probant ordinem jam susceptum, ut in eo extra propriam Diœcesin liceat ministrare; alioquin sine litteris commendatitiis non permittuntur celebrare nisi secretò, si saltem per testes ordinationem canonicam non probent *c. 3. h. t.*

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones.

1 QUæritur primò, an Episcopus Clerico sacris initiato, si intra, vel extra Diœcesin velit peregrinari, vel etiam omninò discedere, teneatur litteras commendatitias, aut testimoniales ei dare? Respondetur affirmativè cum Suarez *l.3. de voto c. 4. n.9.* Barbosa de *potestat. Episc. p.2. alleg 20. n.5.* adeò ut Episcopus sacerdotibus, vel aliis Clericis peregrinaturis, aut discessuris non possit negare commendatitias, vel testimoniales litteras, nisi fortassis beneficia habeant in titulum, ratione quorum obligentur ad residentiam; dummodo caveatur, quòd si discedant ob criminis conscientiam, vel suspicionem non commendentur ut probi; cùm de facto non sint in tali æstimatione: alioquin debent tantùm dari litteræ merè testimoniales, si commendatione non sint digni. Ex litteris aliæ dicuntur dimissoriæ, aliæ commendatitiæ, & aliæ testimoniales. Dimissoriæ propriè loquendo sunt, quæ ab Episcopo conceduntur suis subditis, ut ab alio Episcopo ordinentur, vel etiam virtute quarum clerici à jurisdictione sui Episcopi, vel à beneficio, quod obtinebant liberè dimittuntur, ut alibi possint beneficium obtinere, & in Ecclesiis servire. Commendatitiæ dicuntur, quæ dantur ab Ordinario Clericis perigrinationes suscipientibus, & quibus commendantur eorum vita, & mores. Testimoniales, quæ dantur simpliciter ab Ordinario absque alia commendatione, & tantùm Ordinarius testificatur, quòd Clericus peregrinus sit sacerdos. ut in aliena diœcesi liceat ei missas celebrare, & sacramenta ministrare: & in hisce litteris solent etiam exprimi ordines quibus sunt initiati: propriè enim dicuntur litteræ testimoniales, quibus Episcopus testatur alicui clerico esse hos, vel illos Ordines legitimè collatos, & vulgò hæ litteræ testimoniales ex communi consuetudine vocantur formatæ: unde discrimen inter litteras commendatitias, & testimoniales est, quia in illis solent commendari mores, vita, & doctrina clerici peregrini: secus in istis Episcopus tantùm testatur, fuisse Clerico legitimè collatos hos, vel illos Ordines. Si igitur Clericus dignus sit, & velit peregrinari, tenetur Episcopus litteras commendatitias ei dare. Neque obstat hujusmodi litteras prohiberi in Concilio Nicæno *can 16.* & refertur in *c. si quis verò 23. caus. 7. q. 1. & 4. can. 41. Laodic.* & refertur in *c. non oportet 36. dist.5. de consecrat.* quia cùm olim in Ecclesiæ exordio pauciores essent clerici, & omnes intitulati essent, curámque gererent animarum, non permittebantur peregrinari.

Quæritur secundò, quomodo jus antiquum 2
circa Clericos peregrinos correctum fuerit per jus novum in Tridentino? Respondetur, de jure antiquo clericos transmarinos, & alios peregrinos non potuisse suscipi, nisi quinque Episcoporum Chirographis fidem fecissent de sua ordinatione, & desumitur *ex c. tua nos 1. h. t.* ubi consultus Alexander III. an Clerici peregrini, & ignoti, qui ex remotis Regionibus litteras Episcoporum commendatitias, seu formatas adferrent, suscipi possent, ac permitti, ut ministrarent, tametsi aliquando incertum sit, an vera Episcoporum sigilla adsint. Respondit, quòd olim Patres statuerunt de Clericis transmarinis, seu ex Africa advenientibus in *tota dist. 98.* ut tanquam ordinati Clerici non suscipiantur, nisi ad minimum quinque Episcoporum Chirographis fidem faciant de ordinatione: & hoc idem servandum quoque esse circa alios Clericos peregrinos: & addit, non statim permittendos esse ministrare, donec de eorum moribus, & vita constiterit, & num ordines etiam minores gradatim susceperint, facta fuerit inquisitio. Hoc autem de jure antiquo ad præcavendas plures fraudes, quæ tunc contingebant, ut habetur *in c. 2. & 3. dist. 98.* Hodie verò jure novo servatur constitutio Concilii Tridentini *sess. 23. c. 16. de reform.* ibi: *Nullus Clericus peregrinus sine commendatitiis sui Ordinarii litteris ab ullo Episcopo ad divina celebranda, & sacramenta administranda admittatur.* Hinc hodie si Clericus peregrinus, & ignotus Episcopi sui Ordinarii litteras commendatitias offerat, quæ omnis fraudis suspicione videantur carère, à locorum Ordinariis admitti potest ad celebrandum, imò potest etiam ad ulteriores ordines promoveri, si legitimas dimissorias à suo Episcopo habeat, imò si specimina dederit vitæ probitatis, & doctrinæ promoveri etiam potest ad beneficia.

Quæritur tertiò, an Clerico peregrino non 3
habenti dimissorias, juranti tamen se ordinatum esse, sit fides præstanda? Respondetur negativè, & desumitur ex *c. inter quatuor 2. h. t.* cum enim Constantinopolitanus Patriarcha quæsivisset ex Innocentio III. an Clerici, qui sine Ordinariorum suorum litteris dimissoriis

aut testimonialibus adveniunt, si juraverint, se legitimè hos, vel illos ordines suscepisse, possint licitè ad superiores ordines promoveri. Respondit Pontifex, non esse promovendos, si alia documenta ordinationis susceptæ non exhibeant: præsertim, si nondum eorum probitas nota fuerit. Ex quo textu claret, juramentum per se solum non sufficere ad aliquid ostendendum, vel probandum, si jurans ignotus sit, ac suspectus. Præterea quia juramentum communiter defertur in subsidium probationis, proinde si qualitas extrinseca seu ordinatio suscepta, quæ non præsumitur, probari debeat, non sufficit solum juramentum. Quòd si Clericus dicat, se litteras dimissorias amisisse, potest id per testes legitimos probare, ut habetur *in c. cùm olim 12. in fin. de privileg.* Verùm tutiùs semper est in hisce casibus suspendere ab ordinatione, donec alias litteras à suo Ordinario impetret.

4 Quæritur quartò, an Episcopus prohibere possit, ne Presbyteri peregrini permittantur celebrare in Ecclesiis Regularium alterius Ordinis, nisi ipse eorum litteras viderit, & examinaverit? Respondet affirmativè Barbosa *p. 2. alleg. 21. n. 8.* ubi ait, Episcopum posse prohibere, ne Presbyteri peregrini permittantur celebrare in Ecclesiis Regularium, nisi ipse priùs litteras eorum viderit, & examinaverit. Verùm id procedit de Presbyteris sæcularibus, si Episcopus, vel ejus Vicarius sit præsens. Cæterum si sacerdos peregrinus ob fractum sigillum, vel amissas dimissorias, secretò celebret, quia suspensus, & irregularis non est, nullam incurrit pœnam, & Episcopus potest dissimulare: secus tamen si fraudis suspicio adesset, quia tunc tenere tur illi interdicere, ne etiam privatim celebraret, & posset transgredientem punire; & desumitur ex Concilio Tridentino *sess. 22. de observandis in celebr. miss.* ibi: *Ut irreverentia evitetur; singuli in suis Diœcesibus interdicant, ne cui Vago, & ignoto sacerdoti missas liceat celebrare.*

Quæritur quintò, an inferior Prælatus possit in sua Ecclesia instituere Clericos non Diœcesanos sine licentia Episcopi? Respondetur, inferiores Prælatos collatores non exemptos ab ordinariis posse prohiberi, ne peregrinos in suis Ecclesiis instituant, nisi priùs Episcopus eorum dimissorias examinaverit, & id etiam desumi in Concilio Tridentino *sess. 23. c. 16. de reform.* ubi habetur, quòd Episcopus possit prohibere inferioribus collatoribus, ne in Ecclesiis jurisdictioni ipsius Episcopi subjectis sive, non omni modo exemptis, instituant Clericos, aliunde adventantes, si ignoti sint, nisi Episcopus eorum litteras dimissorias, aut commendatitias priùs viderit, & examinaverit, quia ad Episcopum pertinet cavere, ne improbi Clerici recipiantur in sua Diœcesi. 5

TITULUS XXIII.

De officio Archidiaconi.

Pontifex tractaturus de eorum munere, & officio, qui dignitatem in ecclesia, vel personatum habent, servata ordinis ratione incipit ab officio Archidiaconi, quia hic post Episcopum potiorem obtinet dignitatem, dicitúrque propterea oculus Episcopi, cujus etiam Vicarius vocatur. Olim qui vices Episcoporum agebant fuerunt Chorepiscopi, sed cùm isti olim sibi eorum potestatem vindicaverint, sublati tandem fuerunt *can. Chorepiscopi 68. dist.* in quorum dignitatem successerunt Archidiaconi, ad quorum officium pertinet suspendere, visitare, sacris interdicere *c. 54. de elect.* propterea visitatores dicuntur *in can. non debere 80. dist.*

SUMMARIUM EXEGETICUM

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *Ut Archidiaconus 1. h. t. ex libro Romani Ordinis, cui consonat Concilium Tridentinum* sess. 24. de refor. c. 3. *declaratur, Archidiaconum esse Vicarium Episcopi in omnibus, & curam habere in clero existente in urbe, vel parochiis, deque eodem esse rationem reddere præsertim de conversatione, honore, doctrina Ecclesiasticorum, ac studio aliarum rerum, & præsertim delinquentium. Rursus si Episcopus non potest singulis triennii* visi-

visitare diœcesin, officium Archidiaconi est, eam locò Episcopi visitare, emendare, & corrigere; si deprehendantur, quæ emendatione indigent, & correctione. Hinc notat Glossa, Archidiaconum esse Vicarium Episcopi, & habere cognitionem causarum ad corrigendum, & jurisdictionem ad coërcendum, quia jurisdictio sine coërcitione nulla est; secus tamen si consuetudo viguerit in contrarium. Hinc officium Archidiaconi, ut in hoc textu describitur convenit in multis cum officio Vicarii generalis, vel Officialis, à quo tamen differt, quia Archidiaconus est Vicarius Episcopi natus, intitulatus, perpetuus; secus Vicarius Generalis, vel Officialis adsciscitur ab Episcopo, & non intitulatur; sed est temporalis, ac amovibilis ad arbitrium Episcopi. Secundò quia ab Archidiacono spectato jure communi ad Episcopum potest appellari c. referente de præbend. argum. c. fin. *non ita ab officiali; seu Vicario Generali, quia consistorium Episcopi, & Vicarii, ac officialis est unum, & idem. Tertiò quia jurisdictio Archidiaconi ordinaria directè provenit à canone; & indirectè ab homine, seu Episcopo instituente, ac confirmante Archidiaconum; secus jurisdictio ordinaria Vicarii Generalis, seu Officialis directè provenit ab Episcopo, indirectè autem à canone, quatenus hic dat facultatem Episcopo instituendi Vicarium.*

C. *OFFICIUM* 2. *h. t. Ex Concilio Toletano declaratur, esse itidem officium Archidiaconi legere Evangelium, vel præcipere alicui Diacono, ut illud legat, ut etiam celebrante Episcopo præcipere Levitis, ut induant se vestibus sacris, procedántque ad missam. Ut etiam disponere de Acolythis, quis eorum debeat candelabrum deferre, & quis thuribulum. Rursus ut nullus cantet epistolam, vel Evangelium nisi priùs Archidiaconus auscultet. Verùm id officii, ut notat Glossa videtur potiùs esse Magistri scholarum. Sed fortassis Archidiaconus de consuetudine est aliis dignitatibus inferior, prout in aliquibus Ecclesiis est tertia, vel quarta dignitas. Nihilominus retinet semper officium ministrandi, & assistendi Episcopo in divinis officiis.*

C. *EA QUÆ* 3. *h. t. Clemens III. declarat, Archidiaconum esse custodem vasorum Ecclesiæ, de quibus tenetur rationem reddere. Ubi notat Glossa, Archidiaconum in custodia vasorum Ecclesiæ esse superiorem sacristâ, & custode. Verùm in hoc attendi debent consuetudines Ecclesiarum, quibus est standum. Cæterum Prælatus non solùm tenetur de dolo, sed etiam de culpa lata, & levi, perinde ac Tutor.*

C. *CUM SATIS* 4. *h. Alexander III. rescribit Archidiacono Eliensi, Archidiaconum nemini sine licentia, & mandato Episcopi debere curam animarum committere, non obstante quacunque consuetudine, quæ tamen non intelligitur de consuetudine præscripta. Cæterum potest Archidiaconus authoritate, & nomine Episcopi absque speciali mandato id præstare, ut etiam eadem authoritate mittere in possessionem beneficiorum postquam super ea re Episcopus sententiam tulit, ut notat Barbosa* lib. 1. jur. Ecclesf. c. 24. n. 32.

C. *ARCHIDIACONUS* 5. *h. t. Idem Pont. rescribit Episcopo Vigoriensi non licere Archidiacono nisi authoritas Episcopi accesserit in aliquos sententiam promulgare; proinde nec excommunicare, quia non habet jurisdictionem, nisi tantùm in iis, quæ à jure, vel consuetudine ei sine speciali mandato Episcopi competunt: hac autem jurisdictio tantum se extendit ad Clericorum jurgia, & lites: non verò ad ardua negotia, quæ sine Episcopo non potest terminare. Unde nec habet jurisdictionem in criminalibus, nec in civilibus arduis, sed tantùm in civilibus parvi momenti, ut notat Tuschus* litt. A. conclus. 482. n. 4.

C. *MANDAMUS* 6. *h. t. Mandat idem Pont. ut Archidiaconus ad Ecclesias sui Archidiaconatûs visitandas, nonnisi semel in anno accedat, nisi causa emerserit, ob quam debeat sæpius visitare: alioquin si non causa visitandi ad alias se confert Ecclesias, debet propriis sumptibus ire.*

C. *AD HÆC* 7. *h. t. Innocentius III. declarat, pertinere ad officium Archidiaconi imperare Subdiaconis, & Levitis, solicitè ordinare parochias, audire jurgia singulorum, cujus jurisdictioni subjacent, etiam Archipresbyteri, seu Decani juxta ordinem Romanum. Rursus declarat, Archidiaconum esse primum post Episcopum, & ejus Vicarium, imò & ejus oculum, ut quæ corrigenda viderit corrigat, & emendet; dummodo non sint ardua negotia. Rursus ad ipsum pertinere corporalem institutionem pro beneficiis, & dignitatibus, ut etiam examinare promovendos ad ordines, & beneficia & instituere Decanos rurales.*

C. *SIGNIFICASTI* 8. *h. t. Idem Pont. declarat, non licere Archidiacono sine conscientia, & auctoritate Episcopi litteras dimissorias promovendis concedere nisi adsit consuetudo, vel speciale mandatum.*

C. *UT NOSTRUM* 9. *h. t. Idem Pont. rescribit de jure communi ad Archidiaconum spectare, præsentare ordinandos Episcopo, eósque examinare, ponere Abbates, & Abbatissas.*

C. *DILECTO ULT. h. t. Honorius III. declarat, Archidiaconum non habere jurisdictionem in monasteriis Regularium, nisi consuetudo pacifica ei hoc concesserit: ubi notat Glossa, quòd quando dubitatur, quid agi debeat in una Ecclesia recurrendum sit ad consuetudinem aliarum Ecclesiarum.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quale sit officium Archidiaconi.

1 Post tractationem de ordinationibus, ordinandis, præficiendis, & post explicatos modos, quibus Clerici ad dignitates Ecclesiasticas promoventur, juxta ordinem decretalium, ac juris canonici; agitur de dignitatum officiis, ut promotis ad dignitates Ecclesiasticas innotescant munia, & officia, quæ tenentur exercere, ut ritè suo fungantur munere: & quia post Episcopum in Ecclesia cathedrali Archidiaconus cæteris dignitate præcellit *c. ad hæc 7. h.t.* ut etiam potestate: & quia ex *clement. 2. de preben.* plura ex jurisdictione competunt Archidiacono, quàm Presbytero, cui cura, & exercitium fori pœnitentialis incumbit, ut patet ex *c. 1. & 2. h.t. & can. perlectis §. Archipresb. dist. 25.* ideò de Archdiacono hic agitur.

2 Quamvis nomen Diaconi sit generale, possitque convenire personis æquè Ecclesiasticis, ac sæcularibus, eò quia Diaconus idem sit græcè ac Minister; adeo ut etiam latinè Diaconi Ministri dicantur *can. cleros dist. 2.* Pressiùs tamen, & secundum præsens institutum sumitur pro sacro Ministro per comparationem ad Presbyterum, cui Diaconus ministrat, ac subservit, ac debet subjici *can. legitimus dist. 93.* Sicut enim in veteri testamento Levitæ ministrabant summo sacerdoti; ita in Lege Evangelica Levitis successerunt Diaconi ministrantes sacerdoti: hinc D. Gregorius animadvertit, quòd Diaconus dum ordinatur, solus Episcopus, qui eum benedicit, manus super ejus caput ponit, eò quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecretur *can. Diaconus dist. 23.* & sub certis verbis illi etiam traditur stolla, & codex Evangelii, quia Evangelium, quod per Christi jugum figuratur ad populum legit.

3 Cœterum ex Diaconis alii inserviunt simplici sacerdoti, cui subjiciuntur, & locum cedunt digniorem *can. pervenit, & similibus dist. 93.* alii verò inserviunt Episcopo, qui proinde Archidiaconi dicuntur, seu quasi Principes; siquidem Archidiaconus græca significatione idem est, ac primus, seu Princeps Ministrorum; etenim archos primus græcè dicitur, & Diaconus Minister *c. 1. dist. 21.* de jure enim antiquorum Canonum Archidiaconatus erat prima dignitas post Episcopum, ut probat Barbosa *de jure Eccles. univers. lib. 1. c. 24 n. 2. & 3.* hodie tamen primum Ministerium tribui solet vicario generali. In primitiva Ecclesia ab Apostolis septem fuerunt ordinati, & instituti Diaconi *Act. 6.* & cùm in singulis urbibus, idem fieret, qui ex his ce Diaconis erat antiquitate major, Archidiaconus audiebat, quasi Diaconorum Princeps; unde tempore Apostolorum cùm in singulis urbibus septem instituerentur Diaconi, quibus præficiebatur Episcopus, ex iisdem antiquior cœpit Archidiaconus vocari, cujus officium erat diligenter explorare, ac curare, ut cœteri Diaconi ritè proprium obirent munus, & ne dissidia orirentur. Progressu tamen temporis potestas Archidiaconi amplior evasit plurimùmque suscepit incrementi, siquidem ab Episcopo data est illi ampla facultas, non solùm in Clericos inferiores, verùm etiam authoritas in ipsos Presbyteros *c. 1. de offic. Archidiaconi*, ubi Archidiaconus dicitur esse Vicarius Episcopi, & quia ipso jure factus est Vicarius Episcopi: habet cognitionem, & jurisdictionem, eò ipso quòd est Vicarius *L. 2. C. de offic. Vicarii, & c. penult. de offic. Vicarii.* junctâ Glossâ *in c. 1.* de offic. Archidiac.

4 Munia ab Archidiacono exercenda exprimuntur in *c. 1. de offic. Archidiaconi:* ibi enim dicitur esse Vicarius Episcopi: siquidem habetur in d. c. Archidiaconus, post Episcopum est vicarius ejus in omnibus, & omnis cura in Clero tam in urbe posito, quàm eorum, qui per parochias habitare noscuntur, ad se pertinet; sive de eorum conversatione, & restauratione Ecclesiarum, sive de doctrina Ecclesiasticorum, & cæterarum rerum studio; & delinquentium rationem coram Deo redditurus est: & ut de tertio in tertium annum, si Episcopus non potest, parochiam universam circumeat, & cuncta, quæ emendatione indigent diligenter corrigat, & emendet. Rursus in *c. offic. Archidiaconi* dicitur proprium ejus munus etiam esse, sanctum Evangelium legere, quando Episcopus sacrum facit, vel alicui Diacono præcipere, ut evangelium legat Pertinet etiam ad ipsum præcipere, ut cæteri Diaconi proprias, induant vestes, ut cum Episcopo ad sacrificium missæ procedant. Rursus Archidiaconus lectiones, & responsoria in matrice Ecclesia præscribit, neque ulli licitum est Evangelium, aut sacram epistolam, lectionem, aut responsoria in Ecclesia publicè legere, nisi facultatem ad id acceperit ab Archidiacono; qui etiam partitur munera in Acolythos, qui eorum debeant candelabra deferre, qui thuribulum, & qui naviculam, ut etiam quid alii minores Clerici obire debeant. Rursus ad Archidiaconum pertinet vasa sacra divinis dicata usibus Ecclesiæ sedulò custodire, ut liquet ex *c. ea quæ de officio Archidiaconi.*

Ad ejus itidem munus pertinet eos examinare, qui ad ordines promoventur, vel Ecclesiis præficiuntur, & eos Episcopo offerre *c. ad hæc de officio Archidiaconi.* Ut etiam audire singulorum Presbyterorum dissidia, jurgia, & causas, & illos simul componere, ut liquet ex *c. ad hæc* 5

hac de offic. Archidiac. Pecuniam etiam Ecclesiæ ex pietate datam accipit, & Episcopo reddit. Diaconorum delicta itidem ad Episcopum defert, monétque Presbyteros, quando dies festi, vel Jejuniorum tempora instant; & antiquitùs eo absente hanc curam subibat Diaconus immediatè illi proximus *c. perlectis* §. *hi sunt dist. 24.* Demùm pertinebat ad Archidiaconū Prælatos in suis propriis sedibus locare, ac beneficiorum possessionem Clericis dare, ut liquet *ex c. ad hæc, & c. cum satis de offic. Archidiac.* Juxta tamen diversas locorū, & Ecclesiarum consuetudines Archidiaconi potestas ad plura, vel pauciora se extendit munera; nec omnia tà solerter procurat, cùm ad id sint alii minores officiales deputati

6 Non tamen poterat Archidiaconus litteras commendatitias dare, ut liquet ex *c. significasti de officio Archidiac.* Neque poterat ratione sui muneris, neque de jure communi curam animarum committere *c. cùm satis de officio Archidiac.* Neque jure communi potest anathemate ullum ferire *c. Archidiaconus de offic. Archidiac.* Neque coercere jurisdictionem in Monachorum cœnobia intra terminos sui Archidiaconatus constituta *c. dilecto de offic. Archidiac.* Rursus ex Concilio Tridentino *sess. 24. de reform. c. 20.* causæ matrimoniales, & criminales majores, ut etiam causæ beneficiales, & aliæ altioris indaginis superant jurisdictionem Archidiaconi, ut notat Barboisa *in collect. n. 6.* quia de jure communi tantùm de modicis jurgiis, & causis Clericorum, præsertim pecuniariis cognitio competit Archidiacono, ut notat Glossa *in c. ad hæc 7. in V. jurgia. h. t.* & liquet ex textu in *c. referente 7. de præben.* ubi Archidiaconus Clericum beneficio privavit, & in eo alium instituit de jure speciali, scilicet ex privilegio, & consuetudine; quia illud beneficium, vel à jure ad illum Archidiaconum pertinuit, ut notat Panormit ibid. *n. 2.* vel fortassis veriùs, privavit Clericum beneficio non propriâ, sed Episcopi authoritate, ut censet Barbosa *in c. 24. n. 28.* Non enim Archidiaconus habet jurisdictionem in omnibus, sed in illis duntaxat, quæ vel à jure, vel consuetudine, vel ex speciali mandato Episcopi ei competunt exercenda *c. fin. de offic. Archid.* de jure communi convenit visitatio, & correctio in modicis tantùm causis. Ardua enim, si quæ sunt negotia, sine speciali mandato non aggreditur; adeò ut in criminalibus, & civilibus arduis nihil jure communi, & ordinaria authoritate possit: neq; sede vacante licet illi jurisdictionem exercere, nec infra illos octo dies, quibus à Capitulo sede vacante facienda est Vicarii electio. Potest tamen ex Nav. *c. 22. n. 59. Zer. p. 1. V. Archidiac.* & aliis Vicarii munus obire cum agitur à Capitulo de electione Vicarii.

8 An verò Archidiacono annexa sit cura animarum, ambigua est quæstio, Glossa, Innocentius, Hostiensis, Abbas, & alii *in c. cùm satis de offic. Archidiac.* plura in utramque partem jura producunt, & quidam affirmant, alii negant. Olim hanc habuisse, ex eo conjicitur, quia habebatur Episcopi Vicarius, qui propterea potuit vel per se, vel per alios sacramenta administrare; quia penes ipsum erat potestas jurisdictionis in reliquos Presbyteros, quorum, & aliorum confessiones excipiebat, imò eorundem jura erant ipsi specialiter commissa *c. officium de offic. Archipres.* quinimò etiam plebi, cui præficiebatur sacramenta ministrabat, & Laicorum sacramentales confessiones audiebat, quos à peccatis absolutos dimittebat, ut notat Garzias *de benefic. l. 7. c. 7.* Riccius *in praxi aurea, resolut.* 328. Hæc tamen procedunt de Archidiacono, qui simul sit Presbyter, alioquin Archidiaconus, si non sit sacerdos jure communi non habet potestatem ordinis ad confessiones pœnitentium excipiendas, & absolvendi à peccatis, nec ei potest tam ampla authoritas committi, cùm sit de jure divino hæc potestas annexa characteri sacerdotali: neque jure communi Archidiaconus jurisdictionem potest dare Presbyteris, quâ valeant peccata aliorum audire, & ab iisdem absolvere, licèt ex speciali Episcopi facultate, & mandato possit Archidiacono committi, ut ipse hanc jurisdictionem det, vel datam auferat, vel limitet: quia tunc nullam Presbytero dat potestatem ordinis, quam per consecrationem Presbyter accipit, sed tantùm materiam subjicit, vel subtrahit, circa quam Presbyter agere, & operari solet.

Cæterum plura habentur de jure antiquo, quæ nunc non videntur ampliùs esse in usu, saltem ubiq; locorum; adeò enim ob diversas inolitas consuetudines in pluribus Ecclesiis imutata est successu temporis vetus forma, ut non facilè sit generatim definire, quódnam hoc tempore Archidiaconi, vel Archipresbyteri sit proprium munus: præsertim cùm subinde in una Ecclesia plures sint Archidiaconi, ut in Toletana, in qua numerantur sex, in aliis quinque, in nonnullis tres, ut notat Zerolla *p. 1. V. Archidiaconus* & licèt jure communi dignitas Archidiaconi sit prior post Episcopum; consuetudo tamen in pluribus locis contrarium introduxit, adeò ut in aliquibus tertium locum obtineat, & in aliis Cathedralibus, ne nomen quidem Archidiaconi audiatur; sed ejus loco Vicarius generalis præest, qui, quando nil obstat, omnia potest exequi, quæ Archidiacono tribuuntur, ut notat Navarrus *c. 17. n. 135.* Archidiaconus tamen Bononiensis ex privilegio potestatem habet, ut notat Armilla *V. Archidiac. n. 8.* absolvendi à vinculo excommunicationis studiosos Bononiæ studiorum causâ commorantes, & ibi delinquentes propter violentam manuum injectionem in Clericum. 9

Rursus ex privilegio Honorii III. Archidiaconi conferunt lauream doctoratûs, & in aliquibus locis potestatem etiam habent coërcendi subditos, & Prælati titulo condecorantur, & Chapeauville asserit, esse Prælatos Archidiaconos habentes jurisdictionem ordinariam in foro exteriore coërcendi subditos per censuras Ecclesiasticas, & id constare ex generali concordia inter Episcopū Leodiensem, & suos Archidiaconos: ex quibus constat, non posse facilè definiri, qualénam sit hoc tempore proprium Archidiaconi munus. Cæterum ubi Archidiaconus ex usu, vel consuetudine potest excommunicare, suspendere, & à sacris interdicere, ut plurimum curam habet animarum; præsertim si etiam visitet, & inqui- 10

rat

-rat, & ratione visitationis procurationes recipiat, quia id est curam habere animarum. An verò sit Archidiaconus in dignitate constitutus, adeò ut iis juribus comprehendatur, quibus Clerici duas prohibentur habere dignitates? communiter affirmant, quia Archidiaconatus verè est dignitas, qualis describitur in *c. statutum de rescript. in 6.* Quinimò Archidiaconus jure communi est constitutus in dignitate, quæ est beneficium Ecclesiasticum, ut colligitur ex toto *tit. de offic. Archidiac.* An etiam ubi Archidiaconus consuetudine, jurisdictione, & omni cura animarum caret, censeatur dignitate præditus probabiliùs est adhuc insigniri dignitate, quia satis est si jure communi talem dignitatem habeat, ut in choro in consessu, in conventibus Canonicorum, in suffragiis ferendis prærogativam, gradúmque obtineat honorificum.

11 Quod si petas quantum debeat Archidiaconus habere Litteraturæ, & ætatis. Respondetur, Archidiaconum si fieri possit, debere esse in sacra Theologia Magistrû, aut Doctorem, vel licentiatum in jure canonico, ut suum ritè valeat munus obire. Ad ætatem quod attinet, non sunt promovendi ad Archidiaconatum, qui viginti quinque ætatis annos non attigerint, dignique fuerint deprehensi, & qui saltem Diaconi sint.

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selecta quæstiones.

1 Quæritur primò, an Archidiaconatus sit dignitas, personatus, vel officium? observandum est, quòd sicut in Republica civili quædã officia administrationis gradum habent honoris, & dignitatis: ita etiam in Ecclesia dantur quædã beneficia, quæ aliis honore, & dignitate præstant, & hujusmodi beneficia in jure canonico dicuntur dignitates: ad dignoscendum verò quæ sint hæc beneficia habentia dignitatem, respondent Hostiensis, & Felinus in *c. Cum accessissent de constit. & c. ad aures c. Nonnulli de rescript.* generatim illud beneficium habere dignitatem, cui est annexa rerum ecclesiasticarum administratio, vel jurisdictio in Clericos, adeò ut qui ratione beneficii, quod habet, potest in clericos sententias ferre excommunicationis, suspensionis, & interdicti, eosque capere, vincire, in carcerem trudere, & absolvere ab iisdem pœnis, dicatur dignitatem habere. Rursus qui honorificum locum, ac sedem in choro, in consessu, in comitiis tenet, dicitur etiam ab aliquibus dignitatem habere: ut etiam qui in eligendo, in sententia ferenda in publicis supplicationibus, in incessu, cæteros præcedit, ut etiam qui ex usu, & insolita consuetudine dicitur dignitatem habere, quamvis jurisdictione careat. Hinc Episcopi, & alii Superiores habentes jurisdictionem in Clericos inferiores dicuntur dignitate gaudere. Infra verò Episcopatum dignitatem habent Abbates, Præpositi, Priores, & alii exercentes jurisdictionem in inferiores clericos.

Quomodo verò dignitas, personatus, & officium in jure canonico distinguantur, non videtur adeò clarum, quia hæc tria recensita nonnunquam in jure canonico accipiuntur pro eodem, ut in *c. cùm accessissent de constit.* ubi idem officium vocatur dignitas, & personatus. Nonnunquam tamen distinguuntur, siquidem in *c. de multa de præbend.* postquam sancitum est, ne quis duas dignitates habeat, vel duo beneficia parochialia, vel curam animarum habentia, subditur: idem quoque de personatibus constituimus, in quo textu dignitas distinguitur à personatu; hoc idem etiam habetur in *c. 1. de consuet. in 6.* ubi dicitur, ne quis duas dignitates, vel personatus, vel officia obtineat ex quo textu cùm particula *Vel* sit disjunctiva, colligitur, hæc tria dignitatem, personatum, & officium distingui. Hinc communiter dignitas, ut distincta à personatu, & officio dicitur esse administratio rerum Ecclesiasticarum cum jurisdictione conjuncta, adeò ut omnes ii dicantur in Ecclesia constituti in dignitate, qui jurisdictionem habent in Clericos, possúntque eos excommunicationis, suspensionis, & interdicti pœnis animadvertere, eósque capere, vincire, in carcerem trudere, vel ab iis omnibus pœnis absolvere. Personatus verò propriè est in Ecclesia prærogativa quædam sine jurisdictione, ut cùm quis in choro, in consessu, in collegio, in præcedendo, in ferendo suffragium locum habet tolerabiliorem, ac digniorem. Tandem officium ut distinctum à dignitate, & personatu dicitur esse administratio simplex rerum Ecclesiasticarum sine ulla jurisdictione, & præcedentia: per hoc enim quòd officium careat jurisdictione, distinguitur à dignitate, & ut caret præcedentia differt à personatu. 2

Quia verò in plerisque Ecclesiis Archidiaconus quandam exercet jurisdictionem in Clericos inferiores, ideò in iisdem procul dubio erit dignitas, in aliis verò, in quibus tantùm præcedit alios absque ulla jurisdictione est tantùm personatus. 3

Quæritur secundò, quid in jure propriè nomine Archidiaconi intelligatur? Respondetur juxta diversa tempora, & loca, diversa itidem Archidiaconum exercere: siquidem primis Apostolorum temporibus septem Diaconi in singulis urbibus, quibus præficiebatur Episcopus, moris erat, ut crearentur, ex quibus deinde is qui antiquitate cæteris præibat, vocari cœpit Archidiaconus, quasi Princeps aliorum Diaconorum, seu primus inter alios Diaconos. Primis igitur illis temporibus proprium erat Archidiaconi procurare diligenter, ut cæteri Diaconi ritè, & suo ordine suum munus, & officium obirent. Progressu autem temporis potestas Archidiaconi fuit major, eò quia ab Episcopo non solùm ei daretur ampla in cæteros inferiores clericos authoritas, sed etiam in Presbyteros *c. 1. de offic. Archidiac.* ubi Archidiaconus dicitur esse Vicarius Episcopi, atqui eo ipso, quòd est Episcopi Vicarius pertinet ad ipsum cognitio causarum, consequenter etiam jurisdictio *L. 2. C. de offic. Vicarii. c. penult. de offic. Vicar.* ut notat Glossa *in c. 1. de offic. Archidiac.* 4

diac. ubi Archidiaconus in primis dicitur esse Vicarius Episcopi, ibi: *Archidiaconus post Episcopum sciat se Vicarium ejus in omnibus, & omnem curam in Clero tam in urbe posito, quàm eorum, qui per parochias habitare noscuntur ad se pertinere, sive de eorum conversatione, & restauratione Ecclesiarum, sive doctrina Ecclesiasticorum, & caeterarum rerum studia, & delinquentium rationem coram Deo redditurus est: & ut de tertio in tertium annum, si Episcopus non potest, parochiam universam circumeat, & cuncta quae emendatione indigent vice sui Episcopi corrigat, & emendet.* Caeterum proprium Archidiaconi officium est legere Evangelium, quando Episcopus sacrum celebrat, vel praecipere alicui Diacono, ut Evangelium legat. Rursus praecipere. Ut coeteri Diaconi suis vestibus induantur ut cum Episcopo ad sacrificium missae procedant, ut etiam praescribere responsoria in matrice Ecclesia, adeò ut nemo Evangelium, vel sacram Epistolam, aut Lectionem, vel responsoria in Ecclesia publicè possit legere, aut canere, nisi cui Archidiaconus jam probato, & audito facultatem dederit. Sunt etiam alia munia, quae exercentur ab Archidiacono, & de quibus diximus in praecedente §.

Quaeritur tertiò, an Archidiaconus de jure communi possit sententiam ferre excommunicationis in contumaces? Respondetur de jure communi non posse excommunicare, idque desumi ex *cap. Archidiaconus 5. h. t.* Ratio petitur ex eo, quia excommunicatio dicitur mucro dignitatis Episcopalis *c. Vasis 16. q. 2.* & est maxima poena *c. corrip. 24. q. 3.* & quia inferior non debet sibi vendicare potestatem, quae pertinet ad Episcopum; fit quòd Archidiaconus, cùm habeat modicam jurisdictionem, non possit de jure communi excommunicare. Verùm ex consuetudine potest habere facultatem excommunicandi *c. cùm ab Eccles. de offic. Ordin.* ut docet Glossa in *c. nemo 2. q. 1.* quia talis potestas ad ea pertinet, quae sunt jurisdictionis, ut notat Glossa in *c. Transmissam de elect.* consuetudo autem dat, vel tollit jurisdictionem, ubi eidem non opponitur incapacitas personae, ut notat Glossa in *d. c. nemo.* Non tamen potest tunc anathematizare cum ea solemnitate, quâ potest Episcopus, quia id non convenit ejus dignitati, ut notat Glossa in *d. c. cum ab Ecclesia.* 5

TITULUS XXIV.

De officio Archipresbyteri.

Quia Archidiacono proximus dignitate, & gradu in Ecclesia cathedrali est Archipresbyter, ideò cùm Pontifex in praecedenti titulo egisset de Archidiacono, rectè hìc subjicit titulum de Archipresbytero, qui idem est, ac Decanus *c. 7. tit. praced.* & vocatur à Justiniano *novel. 123.* primus Presbyter, eò quia Archipresbyter praesit Presbyteris, sitque eorum veluti Praepositus.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Quatuor capitum in hoc titulo contentorum.

C. *ARCHIPRESBYTER 1. h. t. Ex Concilio Toletano declaratur, Archipresbyterum subesse Archidiacono, cujus mandatis propterea debet obedire. Habere tamen curam supra Presbyteros, & absente Episcopo solemniter missam canere. Caeterum notat Glossa, Archipresbyterum esse majorem Archidiacono quoad ordinem, non quoad dignitatem, eò quia illi subsit. Ubi verò Archidiaconus curam animarum non habet, utroque jure Archipresbyter eo est major, quia jurisdictionem habet, & coercitionem* c. 55. de appellat. *quinimo ad praesentationem Patroni interdum Archipresbyter instituit Clericos in Capellis.* c. 15. de offic. jud. ord.

C. *MINISTERIUM 2. h. t. Leo Papa declarat, ministerium Archipresbyteri in eo consistit, ut diligenti cura provideat ministerium sacerdotum, qui sunt Cardines Ecclesiae, ut diligenter faciant sacrum, & horas, & totum opus Dei dignè ab eo perficiatur, cui committitur. Rursus ut absente Episcopo provideat, & suppleat officio sacerdotum; ut, fontes benedicere; infirmos ungere; poenitentem infirmum consulto Episcopo reconciliare, exceptis his, quae sunt illi prohibita.*

C. *OFFICIUM 3. h. t. Idem Pont. declarat officium Archipresbyteri Urbani esse, absente Praesule, vice ipsius inchoare officium, benedicere in Ecclesia, in matutino, missam cantare, vel imponere alicui, ut eam cantet, & celebrante Episcopo praecipere sacerdotibus, ut se induant vestibus sacris, & procedant: rursus curare,*

ut non desit Eucharistia pro infirmis; non desint Confessarii pro iis, & pro aliis Diœcesanis, similiter ad baptizandum. Ex hoc textu liquet, ministerium Archipresbyteri esse urbanum, & rurale, seu foraneum, prout Archipresbyter est urbanus, vel ruralis: Archipresbyter autem urbanus est, qui in urbe dignitati praest in Cathedrali, vel collegiata Ecclesia. Ruralis, qui ruri praest Ecclesia parochiali. Rursus Archipresbyter urbanus alius non est, quàm Ecclesiæ Cathedralis Decanus, non quòd necessariò denis debeat præesse, sed quia facta translatione à perfectione denarii numeri, Dacanus vocari solet omnis ille, qui alicujus ordinis est primus, & pracipuus, ut notat Tollosanus lib. 15. Syntag. jur. universſ. c. 21. n. 3. *& licet jure communi nullam habeat jurisdictionem in foro externo; in Hispania tamen, & Gallia Archipresbyter locum habet Archidiaconi, qui primus est in Cathedralibus, seu prima dignitas post Episcopum.*

C. *UT SINGULÆ 4. h.t. idem Pontifex in Synodo Romana statuit, ut Archipresbyter ruralis curam gerat non solùm plebis, sed aliorum Presbyterorum, & ut cuncta referat ad Episcopum, nec possit quicquam ordinare contra decretum Episcopi, & ut qualibet plebs habeat suum Archipresbyterum. Potest tamen ut notat Glossa Archipresbyter determinare quadam minora, & illa non deferre Episcopo. Cæterum ex eo, quòd Archipresbyter jubeatur sollicitudinem gerere, apparet eum habere aliquam jurisdictionem erga Clericos Decanatûs, seu regiuncule sibi commissæ: licèt quoad graviora dependeat ab Episcopo, & ejus Vicario generali, quibus inconsultis non permittitur, ut ferat sententiam excommunicationis. An verò Archipresbyter jurisdictionem habeat delegatam, & quidem universalem causarum, vel ordinariam, non videtur ita certum. Mihi videtur procedendum cum distinctione: si sermo sit de locis, in quibus ab Episcopo hujusmodi Decani instituuntur; putàrim in iisdem habere tantùm jurisdictionem delegatam; adeò ut Decani sint delegati, & pro arbitrio Episcopi amovibiles: in aliis verò locis ubi eliguntur à capitulo rurali, & ab Episcopo, vel ejus Vicario confirmantur; censeo habere jurisdictionem ordinariam, Subordinatam tamen Episcopo; idque liquet ex eo, quia à talibus Decanis ad Episcopum, vel ejus Vicarium possit appellari. Hinc non habet dignitatem Ecclesiasticam, ut Prælati Ecclesiarum: neque Vicarius eos confirmare debet nisi præmissâ diligenti inquisitione; quia tota disciplina, & honestas Clericorum à Decanis dependet ruralibus: proinde totius populi instructio, & directio. Verùm circa hanc jurisdictionem spectanda est cujusque Ecclesiæ consuetudo. Cæterum spectato jure antiquo Archipresbyter seu Decanus habet jurisdictionem fori interni in reliquos sacerdotes sibi subordinatos, ac propterea animarum; adeò ut nemo presbyterorum alteri, quàm Archipresbytero de peccatis debeat confiteri* c. 1. h. t. *Ex consuetudine tamen introductum postea fuit, ut sacerdotes aliique Clerici sæculares cuilibet approbato confessario possint sacramentaliter confiteri sua peccata: hecque consuetudo hodie viget. Caterùm licèt Decani rurales non censeantur habere dignitatem, vel personatum, sed simplex duntaxat ministerium, seu officium: secus tamen putàrim esse dicendum de Decanis Ecclesiæ cathedralis: ratio discriminis est, quia Decani rurales in Ecclesiis principalibus non habent praeminentiam, sed solùm in minoribus seu plebanis parochiis: Decani verò Ecclesiæ cathedralis habent dignitatem, & personatum, quia licet non sint jurisdictione præditi, habent tamen praeminentiam inter canonicos, aliosque clericos: quâ ratione etiam Præpositi Ecclesiarum sæcularium, quamvis nullam exerceant jurisdictionem; adhuc propter eminentiam quâ cæteris antecellunt, dignitatem dicuntur habere, ac personatum.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quale sit officium Archipresbyteri.

1 Cùm Archidiacono proximus in cathedrali Ecclesia sit Archipresbyter dignitate, & gradu; ideò expensis iis, quæ ad Archidiaconi munus videbantur pertinere, sequitur titulus de Archipresbytero: ut enim Archidiaconus est primus Diaconorũ, ita & Archipresbyter Princeps Presbyterorum, & in jure vocari etiam solet Decanus *c. ad hæc de offic. Archipr.* dicitúrq; Decanus, non quia semper decem præsit, sed quia præesse possit. Et quamvis olim post Archidiaconum primum locum, & dignitatem obtinuerit; si tamen ordinis consecrationem spectemus, deberet potiùs præcedere: siquidem cùm necessariò sit sacerdos, est Archidiacono major, licèt jurisdictione dicatur minor, ut notat Glossa *in c. 1. de offic. Archipresbyt.* Reginald.

lib.

lib. 30. tract. 1. sect. 3 & alii. Cæterum jure communi Archipresbyter subjicitur Archidiaconi jurisdictioni, & potestati: siquidem *c. 1. de offic. Archipres.* expresse dicitur, *Archipresbyter sciat se subesse Archidiacono, & ejus præceptis sicut sui Episcopi obedire debere.* Unde Archipresbyter quia ratione sui muneris est presbyter, utique ordinis consecratione, & potestate est major Archidiacono cùm hic sacerdotis charactere non sit insignitus: sed jurisdictione est longè minor, ac inferior, ut notat Glossa *in c. 1. de offic. Archipres.*

2 Munera obeunda ab Archipresbytero habentur *in c. 1. de offic. Archipres.* ad ipsum enim pertinet ministerium super omnes Presbyteros, curámque agere animarum, assiduò Ecclesiæ inhærere, & in absententia Episcopi ad vicem ejus missarum solemnia celebrare, & collectam dicere. Ministerium Archipresbyteri, ut dicitur *c. ministerium eod. tit.* in eo constituitur, ut diligenti cura provideat ministerium sacerdotum Cardinalium, qui solemne debent agere officium in communicatione corporis, & sanguinis Domini nostri JEsu Christi, à sacrosancto die dominico incipiendo per omnes horas canonicas indeclinabiliter perseverent, ut opus Dei dignè, & sanctè perficiatur ab eo, cui committitur. Provideat etiam Archipresbyter vitam sacerdotum Cardinalium, præsertim præceptis sui obtemperandi Episcopi, ne aliquando cedant, aut scurrilitate torpeant. Si Episcopus item defuerit (exceptis his, quæ prohibita sunt) Archipresbyter provideat cuncta, quæ in sacerdotum ministerio perfici debeant, fontes benedicere, infirmos oleo perungere, pœnitentem infirmum consulto Episcopo reconciliare; pœnitentiam aliis sacerdotibus injungere. In præcipuis festivitatibus, aut ipse missæ celebrationem solemniter impleat; aut ad sui jussionem, is cui committitur, peragat veneranter. *c. officium eod. tit.*

3 Rursus quando Episcopus missam canit, debet præcipere sacerdotibus, ut induant se vestimentis sacris, & qualiter ad missam procedant. Debet etiam præcipere Custodi Ecclesiæ, ut in sacrario Christi Eucharistia propter infirmos non desit. Debet itidem providere infirmis, & providendo præcipere sacerdotibus, ne fortè sine confessione, vel confirmatione corporis, & sanguinis Domini nostri JEsu Christi moriantur. Ut etiam curare, ut baptizentur infantes. Hæc omnia ad munus pertinent Archipresbyteri.

4 Alius tamen est Archipresbyter urbanus, & Alius Vicanus, seu unus Civitatensis, & alius Ruralis, seu foraneus. Archipresbyter Urbanus est, qui manens in urbe præest dignitate in Ecclesia Cathedrali. Romæ tres sunt, unus in Ecclesia Lateranensi, alius in basilica S. Petri, & tertius in Liberiana apud Sanctam Mariam majorem, eò quia in illis Basilicis aliquando sederit summus Pontifex, ut notat Glossa *h. t.* officium, seu munus Vrbani Archipresbyteri à jure ordinatum est, sicut pauló ante recensuimus, nempe curare, ut reliqui sacerdotes divinum officium, & missas ritè celebrent, invigilare ad eorundem mores, ac vitæ honestatem, ac eorum necessitatibus providere, ut liquet ex *c. perlectis V. Archipres. dist. 25. c. 2. & 3. de offic. Archipres.* Rursus ut Cardinalium sacerdotum ministerio, & vitæ provideant, ut notat Leo Pontius *in c. de offic. Archipres.* Quòd si quæras, qui nam sint hi sacerdotes Cardinales, quorum jura meminerunt; aliqui censent esse primarios inter Cathedrales.

Alter Archypresbyter, qui Vicanus, seu ruralis dicitur, est, qui in Presbyteros in singulis pagis, castris, villis constitutos solicitudinem gerit; de hoc enim Archipresbytero rurali habetur *in c. ut singulæ de offic. Archipres.* singulæ plebes Archipresbyterum habeant propter assiduam erga populum Dei curam, qui non solùm imperiti vulgi solicitudinem gerat; verùm etiam Presbyterorum, qui per minores viculos habitant vitam jugi circumspectione custodiat. Neque contendat Episcopus, non egere plebem Archipresbytero, quasi eam ipse gubernare valeat, quia etsi valdè idoneus sit, decet, ut sua onera partiatur, & sicut ipse matrici Ecclesiæ præest, ita Archipresbyteri præsint plebibus: ut in nullo titubet Ecclesiastica solicitudo; cuncta tamen referantur ad Episcopum, nec aliquid contra ejus decretum ordinare præsumant. Hactenus de Archipresbytero Vicano *in d. c. ut singulæ*; ex quo f[illegible]iè conjicitur, cur in una Diœcesi nonnunqua[illegible] plures sint Archipresbyteri: quia nimirum est unus Urbanus, & subinde tres, quatuor, vel etiam plures Vicani in castellis, & villis constituti, ut cœterorum Presbyterorum, qui minoribus Ecclesiis præsunt, curam habeant. Hinc Archipresbyteri Ruralis munus est imperiti vulgi solicitudinem gerere, & curare, ut alii Clerici per minores titulos constituti opus suum diligenter exerceant. Rursus cuncta, quæ ad salutem plebis suæ spectant, tenetur Episcopo significare, nec quidquam contra ejus decretum præsumere audet. Sacellanos tamen sibi subjectos coërcere, & corrigere potest: ut etiam corripere illos, qui pro baptismo, & celebrandis officiis simul debent convenire. Inobedientes Episcopi jussu, vel permissu etiam anathemate percutit. Tandem debet Episcopo denuntiare, quâ quisque Presbyterorum industriâ proprio fungatur munere, ut notat Canis. *ex synodo Ravennat lib. 1. tit. 20.* 5

Cœterum Archipresbyter in Clericos, & sacerdotes nullam fori externi habet jurisdictionem; adeò ut, ne in minimis quidem causis aliquem punire possit, ut notat Barbosa *pag. 41.* fuisse declaratum à Congregatione Cardinalium. Pertinet tamen ad ipsum procurare, ut sacramenta ritè ministrentur, & præsertim pœnitentia tam quoad laicos, quàm quoad Presbyteros sibi subditos, quorum confessiones ipse excipit *c. officium h. t.* & respectu quorum dicitur Archipresbyter jure communi habere curam animarum. An verò Archipresbyter dignitatem habeat, jure communi eam habet, quæ requiritur in eo, cui causæ aliquæ à Romano Pontifice delegantur, de quo *in c. statutum de rescript. in 6.* itidem eam habet, quæ requiritur in Conservatoribus Apostolicis de quibus *in c.* 6

l. 2. & ult. de offic. jud. delegat. in 6. habet etiam à jure communi dignitatem, quatenus hæc beneficium significat Ecclesiasticum; & hæc ratio, cur Archipresbyter inter eos, qui dignitate sunt præditi, recenseatur. Non tamen Archipresbyter Urbanus jure communi, & ratione sui muneris potest absolvere à casibus Episcopo reservatis, nisi de expresso ejus consensu: ab aliis verò, qui Episcopo non sunt reservati, potest absolvere quotquot ex eadem Diœcesi in urbem veniunt: non ita Archipresbyter vicanus de jure omnes absolvit, qui ex tota sui Episcopi Diœcesi ad ipsum accedunt, quia ex *c. ult. de offic. Archipres.* liquet, jurisdictionem sibi concreditam tantùm se extendere ad plebem sibi commissam; neque jure communi habet jus, & authoritatem instituendi eos, qui à Patronis Ecclesiarum, quarum ipse curam gerit, nominantur, & offeruntur.

7 Neque Archipresbyter propriè dicitur habere jurisdictionem jure communi, nec esse judex ordinarius, licèt nonnulli oppositum sentiant cum Innocentio in *c. Archidiaconus de offic. Archidiac.* eò quia *in c. 3. jud. ordinar.* supponatur, Archipresbyterum posse ferre sententiam excommunicationis. Probabilior tamen est interpretatio Glossæ, & Barbosæ *in eod. c. 3.* quod Plebanus, de quo *in d. c. 3.* fit mentio ex consuetudine (quæ aliquando dat jurisdictionem *c. dilecti de arbitris*) vel alio particulari jure, aut privilegio habuerit majorem potestatem, quàm aliàs de jure communi Archipresbytero conveniat. Cæterum Archipresbyter dicitur Vicarius Episcopi in spiritualibus, ac ejus Pœnitentiarius, & in divinis vices gerit Episcopi, non tamen in jurisdictionalibus, cum subsit Archidiacono.

8 Non tamen potest Archipresbyter licèt sit Vicarius in spiritualibus recipere cautionem ab usurario, ut probat Bald. *conf. 151. n. 11. lib. 2.* Nec habet Archipresbyter jure communi contentiosam jurisdictionem, adeò ut non possit procedere contra canonicum, vel alium delinquentem, nisi habeat talem jurisdictionem ex privilegio, vel consuetudine, aut præscriptione: & rursus ut præscriptio procedat, exigit titulum coloratum, proinde bonam fidem cum spatio 40. annorum: & sine titulo requiritur tempus immemorabile, ut notat Abbas *conf. 25.*

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones.

1 QUæritur primò, quisnam sit major, Archipresbyter, an Archidiaconus? Respondetur cum distinctione, si sermo sit in ordine ad jurisdictionem, jure communi Archipresbyter subest jurisdictioni, & potestati Archidiaconi *c. Ut Archipresbyter 1. h. t.* siquidem Archidiaconus datus est à jure Vicarius Episcopi, & habet majorem jurisdictionem, & administrationem, quàm habeat Archipresbyter; hinc *in d. c. ut Archipresbyter* dicitur: *Archipresbyter sciat se subesse Archidiacono, & ejus præceptis, sicut suo Episcopo obedire debere.* Sin verò sermo sit de Ordine, Archipresbyter est major Archidiacono, cui propterea quoad ordinem præfertur: ratio est, quia ordo Presbyteri accedit immediatè ad consecrationem; quo fit, ut Archipresbyter ratione sui muneris sit sacerdos, & consecratione Ordinis, ac potestate sit major Archidiacono, qui tantùm est Diaconus, & nondum attigit supremum gradum sacerdotii, quo Archipresbyter condecoratur.

Hinc penes diversa Archidiaconus præcedit Archipresbyterum, & hic illum, adeò ut Archipresbyter, & Archidiaconus se habeant diverso respectu, ut excedens, & excessum: in nonnullis enim Archidiaconus reveretur Archipresbyterum, & in aliquibus Archipresbyter Archidiaconum. Cùm enim Archipresbyter ratione sui muneris sit Presbyter; ordinis consecratione, & potestate est major Archidiacono, qui tantùm est Diaconus: jurisdictione tamen Archipresbyter est longè inferior Archidiacono jure communi, ut notat Glossa *in d. c. Ut Archipresbyter 1. h. t.* præest tamen Archipresbyter Presbyteris, & Presbyteralibus officiis: quia Archipresbyteri ministerium constituitur, ut super alios Presbyteros in solemni officio diligentiam adhibeat, & ut in Ecclesia cathedrali curam gerat animarum, si illi imminet, & in Episcopi absententia ejus vice missam solemnem celebret, & collectam dicat, aut is, cui ipse injunxerit, ut habetur *in d. c. Ut Archipresbyter 1. h. t.* unde per hæc munera exercet officium super alios Presbyteros, proinde etiam debetur ipsi dignior locus, ut aliis præsit: secus Archidiaconus, cùm Presbyter non sit, jure communi, & ratione sui muneris non habet potestatem Ordinis ad excipiendas confessiones pœnitentium, & ad impertiendam absolutionem à peccatis, nec illi potest tanta authoritas, & potestas committi, est enim jure divino potestas Presbyteri: Præterea jure communi Archidiaconus non potest jurisdictionem dare Presbyteris, quâ possint peccata aliorum audire, & ab eis absolvere, bene tamen ex speciali Episcopi facultate, & mandato, potest Archidiacono committi, ut det Presbyteris hanc jurisdictionem, vel datam auferat, aut restringat: & tunc Archidiaconus nullam dat Presbytero potestatem Ordinis, quia hanc Presbyter habet per consecrationem, sed tantùm subjicit materiam, vel subtrahit, circa quam Presbyter agere, & operari solet.

Quæritur secundò, quotuplex sit Archipresbyter? Respondetur, esse duplicem, Urbanum unum, alium Vicanum. Urbanus, ut habetur *in c. Officium 3. h. t.* dicitur, eò quia sit Archipresbyter de urbe, & in Ecclesia cathedrali Vicarius Episcopi in celebratione divinorum: siquidem quando Præsul deest, ad Archipresbyterum urbanum pertinet ejus vice officium inchoare, benedictiones Presbyterales in Ecclesia dare, missam quando voluerit cantare, vel ad eum cui de sacerdotibus jusserit. Archipresbyter Vicanus dicitur qui jurisdictionem habet in Presbyteros in singulis pagis, castris, & villis constitutos, ut habetur *in c. ut singulæ 4. h. t.* & solet etiam voca-

vocari Archipresbyter ruralis. Cùm enim Episcopus quantumvis sit idoneus non tamen possit per se ipsum omnem sollicitudinem erga Dei populum per totam Diœcesin exercere, ideò ne quis detrimentum patiatur in spiritualibus ex defectu Ministrorum; decuit, ut sua onera cum aliis partiretur, & quia ubi non est unus, qui cæteris præsit, ibi solet confusio quædam suboriri, ex qua excitantur dissidia, & plerumque communis negligitur cura *c. in opibus 7. q. 1.* ideò ad hæc incomoda evitanda singulæ plebes suum debent Archipresbyterum habere, qui res divinas populo ministret, & sollicitudinem gerat, ut cæteri Presbyteri, qui per minores viculos habitant, ritè sua possint obire munia: tenentur tamen Archipresbyteri cuncta referre ad Episcopum, ne aliquid fiat contra jus. Hæcque causa est, cur aliquando multi instituantur Archipresbyteri, unus scilicet urbanus, & plures vicani; seu rurales in pagis, & vicis, ut cæterorum Presbyterorum, qui minoribus Ecclesiis præsunt, curam gerant. Hinc etiam Romæ in Ecclesia Lateranensi unus præest Archipresbyter, qui solet esse Cardinalis; & alius in Ecclesia Sanctæ Mariæ Majoris, qui etiam est Cardinalis: & alius in Ecclesia S. Petri in Vaticano, qui etiam est Cardinalis: ratio, cur in hisce Basilicis constituantur Archipresbyteri est, quia summus Pontifex in hujusmodi Ecclesiis aliquando sedit.

4 Quæritur tertiò, an jurisdictio Archipresbyteri sit ordinaria, vel delegata? Certum est, Archipresbyterum jure communi habere curam animarum: siquidem penes ipsum erat potestas jurisdictionis in reliquos Presbyteros, quorum propterea sacramentales confessiones, ut etiam aliorum audiebat, quorum cura erat ipsi concredita, ut habetur in *c. Officium 3. h. t.* Tum quia Archipresbyter, plebi cui præficitur Sacramenta ministrat, & pœnitentium Laicorum confessiones excipit, eosque à peccatis absolvit. Hinc ratione hujus jurisdictionis Archipresbyter dicitur dignitatem habere, qualis requiritur in eo, cui causæ aliquæ à Romano Pontifice delegantur, & de quo habetur *in c. statutum de rescript. in 6.* imò habet etiam dignitatem, quæ requiritur in Apostolicis conservatoribus, de quibus habetur in *c. 1. & 2. de offi. Jud. deleg. in 6.* Verùm licet Glossa in *c. ut singula 1. de offic. Jud. Ordinar.* asserat Archipresbyteri jurisdictionem esse ordinariam, eò quia Archipresbyter jure communi, & ratione sui muneris jurisdictionem habeat, consequenter ordinariam, non delegatam; nihilominus hodie usus invaluit, & consuetudo inolevit, ut plerisque in locis nullam Archipresbyter jurisdictionem habeat, consequenter neque dignitatem in foro præsertim judiciali, seu contentioso, nullúmque territorium, in quo suam potestatem exerceat, sed tantùm curam plebis sibi concreditæ, in iis, quæ pertinent ad sacramenta.

Quæritur quartò, an Archipresbyter urbanus possit absolvere à casibus Episcopo reservatis? Respondent Hostiensis, Joannes Andreas, & alii, quos refert, & sequitur Sylvester *V. Archipresbyter q. 2.* jure communi, & ratione sui muneris non posse nisi de expresso consensu Episcopi. Ratio ex eo petitur, quia Archipresbyter non habet idem cum Episcopo tribunal, consequenter non potest Archipresbyter exercere jurisdictionem, ut Episcopus: eo enim ipso, quòd Episcopus sibi reservat aliquos casus, negat jurisdictionem aliis absolvendi ab iisdem, proinde defectu iurisdictionis nequit Archipresbyter ab iisdem absolvere, sed tantùm ab aliis peccatis, quæ Episcopo non sunt reservata: cum enim Archipresbytero incumbat cura animarum est earundem sacerdos, qui propterea potest populum absolvere à peccatis non reservatis summo Pontifici. Non tamen Archipresbyter Vicanus de jure omnes absolvit, qui ex tota sui Episcopi Diœcesi ad ipsum accedunt, ratione proprii muneris, & officii: quia ut habetur in *c. fin. h. t.* Archipresbyter Vicanus non habet jurisdictionem nisi in plebem sibi concreditam. Hinc neque Archipresbyter Vicanus jure communi habet authoritatem, & jus instituendi eos, qui à Patronis Ecclesiarum, quarum ipse curam habet nominantur, designantur, & offeruntur: nisi tantùm alicubi ut in Archiepiscopatu Florentino pro illius Ecclesiæ consuetudine. 5

TITULUS XXV.

De Officio Primicerii.

Quia Archipresbyterum sequitur Primicerius, & in præcedente titulo Pontifex egerit de officio Archipresbyteri; in præsenti ordinatè procedens, agit de Primicerio, éstque, qui in dignitate aliqua eminet, & est primus, ut in *l. 1. C. de Mensor. l. 12. & l. 11. C. de fabru.* hinc dicitur Primicerius mensorum, Primicerius fabricæ, & *in titulo secundo ejusdem lib. 12. de Primicerio.* is dicitur Primicerius Notariorum, qui in eorum schola primum obtinet

locum. Hinc etiam Episcopi dicuntur Primicerii Presbyterorum, quasi qui Principem inter eos locum teneant, Unde nomen Primicerii non est compositum, sed simplex; adeò ut in illo, *cerius* nil significet, sed sit tantùm quoddam additamentum, ut notat Cujacius *ad dict. tit. de primicerio.* Alii tamen censent, illud additamentum *cerius* originem suam trahere à cera, quæ græcè Antesignanum cujuslibet dignitatis significat. Hic tamen est sermo de Primicerio, qui præest Diaconis.

SUMMARIUM EXEGETICUM

Unici capitis in hoc titulo contenti.

C. *UT PRIMICERIUS UNIC. h.t. Ex libro Ordinis Romani declaratur, Primicerium esse sub Archidiacono, sicut eidem subest Archipresbyter. Praesse tamen in docendo Diaconis, & reliquis gradibus Ecclesiasticis in ordine positis, ut custodem disciplinæ, ac redditurum rationem pro eorum animabus. Verùm nunc standum est diversis consuetudinibus locorum. Cæterum Primicerius, qui & præcentor dicitur, seu cantor, primus est in choro cantantium ita dictus ut placet pluribus, quia in cera: seu tabula cerata ante chartæ, & membranarũ inventionem, in qua ordo psalentium in choro adscriptus erat, primus esset. Hinc Archidiacono absente etiam ejus officium supplet, & est primus inter reliquos Clericos, & Diaconos, quibus præest in docendo, ut ad cantum, & chorum destinati officia divina rectè obeant. Hinc ex eo, quòd primicerius ratione sui officii inter alios Ecclesiæ canonicos præeminentiam habeat, seu priorem locum in choro, in Capitulo, in Processionibus, censetur & ipse habere dignitatem, & personatum, idque etiam deducitur* ex c. cum concessissent 8. de constit.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quale sit officium Primicerii.

1 PRimicerius generatim is dicitur, qui in quocunque ordine primam occupat sedem. in *Novell. constitutione 8.* sæpè nominatur Notariorum primicerius, seu primus Notarius, ut etiam primicerius fabricæ *C. de fabruentibus l. 11.* Primicerius domesticorum, protectorum, equitum *l. 2. & l. ult. C. de domest. & protect.* Primicerius mensorum *l. 1. c. de mens. scrib. l. 11.* Primicerius in officio Præfectorum in Prætorio apud Vegetium *lib. 2. c. 21.* Rursus dicitur primicerius exceptorum, primicerius singulariorum Augustanium, scriniorum, deputatorum sacri cubiculi, legionum, defensorum; dicitur etiam Primicerius Cardinalium. Rursus Primicerio proximus Secundicerius dicebatur, & huic proximus Tertiocerius, & sic successivè de aliis, ut notat Cucchus *lib. 1. institut. tit. 18.*

2 Juxta tamen nostrum institutum primicerius est, qui primus in choro, vel cantu absente Archipresbytero præest. Olim siquidem in Ecclesia Cathedrali fuit Cantorum schola instituta, quorum munus erat officia divina, precésque horarias in choro piè, & studiosè cantare, ut divinæ laudes religiosè celebrarentur, hisce cantoribus unus præficiebatur, cui cura erat instruere Clericos ad cantum, eosque exercere in sacris librorum lectionibus, ac divinis officiis, nec non Ecclesiasticis precationibus: & hic præfectus primicerius vocari cæpit, de quo agitur in hoc titulo. Alicubi tamen primicerium eundem esse cum Magistro cœremoniarum asserit Mosconius *lib. 1. p. 1. c. 16.* alii volunt etiam dici primicerium, eo quia in cera, seu tabella cerata Psalentium primo loco signatus esset.

3 Primicerii officium à jure præscriptum est docere Diaconos, & alios Clericos cantandi formam, eisque lectiones pro matutino assignare, modũ canendi in choro pro solemnitate edocere, *c. unic. de offic. primicerii.* ex quo Reginaldus infert, Clericos ad cantum destinatos lectione sacrorum librorum, & optimis moribus à primicerio esse imbuendos. Sed alii apud Barbosam pleniùs describunt officium primicerii, & dicunt, ipsi incumbere regimen omnium divinorum officiorum intra, & extra chorum, in quibus præest: etiam Diaconos, & Acolithos, reliquosque Ecclesiæ inferioris gradus ministros ad divina dirigere officia, eósque docere modum canendi, legendi hymnos, Psalmodiam. Item risus cohibet, colloquia impedit, oculorum va-

ga-

gationes coërcet, curátque, ne quis in Psalendo nimium properet, vel tardet, ac protrahat, ne versus alter ante alterius finem inchoetur, ipse capas partitur, & alia id genus exequitur.

4 Quòd si Archidiaconus absit, ubi consuetudo viget, & moris est, Primicerius ejus vices gerens ordinat quæ ad sacra pertinent: Clericorum delicta punit, quos emendare non potest, eorum excessus ad Episcopum defert. Nonnunquam substitutum habet, qui Succentor vocari solet. An verò officio Primicerii sit annexa dignitas videtur à nonnullis controverti, eò quia jurisdictio, quam habet non excedat directoris officium, & munus: nihilominus in pluribus Ecclesiis dignitatem esse, & quidem primariam nulli est dubium; cùm in templo D. Marci Venetiis Primicerius primam occupet sedem, ac cæteris præsit. Tum quia ubi modò primicerii dignitas viget, æquè in choro, consessu, comitiis Canonicorum, & suffragiis ferendis, gradu, ordinémque honorificum habet, unde quæ statuuntur in *c. de multa. de praben & in extravag. execrabilis de praben Joan. 22. & in c. super specula de Clericis. vel Monachis.* esse intelligenda de primicerio, asserunt, ferè communiter periti juris pontificii.

TITULUS XXVI.

De officio Sacristæ.

Sequitur Primicerium Sacrista suam trahens nomenclationem à rebus sacris, quas custodit: est enim officium Sacristæ vasa sacra, vestes, gemmas, pateras, lances, thuribula, totámque sacram supellectilem diligenter custodire, ne pereat, vel deteratur. Hæc omnia dicuntur esse in thesauro Ecclesiæ *lib. 1. Capit.* Caroli Magni *c. 123.* hinc cum totius thesauri Ecclesiastici cura ipsi incumbat, dicitur etiam Thesaurarius in *can. perlectis in fin. 25. dist.* & *l. 21. sancimus C. de sacrosanct. Eccles.* vocatur custos sacrorum vasorum. Hinc Sacrista, seu Thesaurarius personatum habet, eique tanquam aliqua dignitate prædito solet summus Pontifex etiam delegare cognitionem causarum *c. 32. de offic. Iud. deleg.*

SUMMARIUM EXEGETICUM

Capitis unici, in hoc titulo contenti.

CAP. UT SCIAT unic. h. t. Ex Concilio Toletano statuitur, ut Sacrista subsit Archidiacono, & ad ejus curam pertineat custodia sacrorum vasorum, ac vestimentorum Ecclesiasticorum, seu totius thesauri Ecclesiastici, ut etiam, quæ ad luminaria pertinent, sive in cera, sive in oleo.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§.

1 Sacrista in jure canonico is dicitur, cui in Ecclesiis incumbit res sacras custodire, adeò ut dicatur quasi sacrarius, quia sicut locus, in quo res sacræ reponuntur, & asservantur, dicitur sacrarium. *L. sacra §. sacrarium. ff. de rerum divisione.* ita qui rebus sacris præficitur Sacrista vocatur *c. unico. h. t.* & juxta communiorem sententiam sacrista idem est ac thesaurarius, qui & Cimeliarcha dicitur *L. in fin. C. de bonis author. jud. possiden.* unde utriusque videtur esse idem munus, & officium: id etiam colligitur ex *can. perlectis §. ad thesaurarium*

rarium in fin. dist. 25. & d. c. unico h. t. ubi Sacrista dicitur subjici Archidiacono. Ob hanc rerum sacrarum custodiam olim thesaurarius nullam dignitatem, nec personatum habebat, sed tantùm purum officium Ecclesiasticum, ut notat Rebuffus *in praxi beneficiorum tit. si seculare beneficium quotuplex n. 9.* Progressu tamen temporis contigit ex consuetudine, ut sacrista, seu thesaurarius haberetur inter dignitates, ut notat Abbas in *c. de multa n. 23. V. secus de praeben.*

2 Officium Sacristae esse dignitatem probant plerique apud Barbosam *pag. 44.* & primò ex collationibus tam Apostolica, quàm ordinaria authoritate. Secundò ex declaratione Capituli, visione Bullae electionis thesaurariae, & aliis juribus in protocollo capituli existentibus, ex quibus inferunt, esse tertiam dignitatem post pontificalem. Tertiò ex pluribus actibus, & functionibus Capitularibus, ut convocatione Capituli in absentia obtinentium majores dignitates. Quartò ex communi reputatione, eò quia Capitulum se congreget mandato thesaurarii, ut illius praesidis, in absentia majorum dignitatum, ex quibus omnibus inferunt, esse dignitatem, quapropter inter Ecclesiae dignitates etiam recensetur in *c. 1. h. t.*

Liquet igitur ad officium sacristae pertinere custodiam sacrorum vasorum, vestimentorum Ecclesiasticorum, ac totius Ecclesiastici thesauri, qui magis consistit in vasis sacris aureis, argenteis, ac alia pretiosa supellectili, quàm in numerata pecunia, & in *can. perlectis* etiam dicitur, ad thesaurarium pertinere basilicarum, & ostiarii ordinationem, incensi, & luminariorum praeparationem, curam baptisterii ordinandi, ex quibus liquet, Sacristam ex se esse tantùm nudum officium absque ulla jurisdictione aut praeeminentia, ut notat Rota *tit. de praeben. decis. 153. in novis.* Ex consuetudine tamen, vel privilegio officio Sacristae adnectitur jurisdictio, & dignitas, ut notat Rota ibidem. Idque colligitur ex delegationibus pontificiis thesaurariorum Turonens. *in c. ex tenore 11. inf. de for. compet.* Linconent. in *c. signif. 18. inf. de convers. conjug.* & aliis. 3

TITULUS XXVII.

De Officio Custodis.

PRaecedenti titulo adnectitur praesens de officio Custodis, quia Custos est quasi Minister Sacristae. Licèt custos, & Sacrista videantur idem praestare, eorum tamen functiones sunt diversae, quia officium Sacristae est custodire, quae pertinent ad usum altaris, & ministrorum Ecclesiae: Officium verò Custodis ea custodire, quae ad ipsius Ecclesiae ornatum, & decus spectant, ut sunt linteamina, aulaea, quae appenduntur parietibus, peristromata, tapetes, & alia id genus. Rursus ad ipsum etiam pertinet cura Lampadarum, & ejus diligentiae etiam incumbit, ut panis, & vinum, omni tempore ad missam praeparetur, ac signa pulsentur statis horis.

SUMMARIUM EXEGETICUM

Capitum in hoc titulo contentorum.

CAP. CUSTOS 1. h. t. Ex libro ordinis Romani statuitur, ut Custos obediat Archidiacono circa custodienda ea, quae pertinent ad Ecclesiam, ejusque ornatum, pulset signum pro horis canonicis, custodiat antipendia, linteamina, & alia utensilia; vigilet in accendendis lampadibus, & laternis sine excessu, & defectu, quod si non bene fungitur suo munere, debeat ab Archidiacono corrigi, imò si non se emendet etiam ejici, re priùs delata ad Episcopum, à quo debet de alio idoneo provideri.

C. CUSTOS SOLICITUS 2. h. t. Ex Concilio Toletano Custodi eadem imponuntur, quae in c. 1. & praeterea, ut panem, & vinum semper praeparatum ad missam habeat, & ut oblationes, seu Eleemosynas five decimas, de consensu Archidiaconi dividat. Et demum ut hi tres Archidiaconus, Archipresbyter, & Custos simul juncti uno animo providè, ac perfectè omnia peragant.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

C. QUIA UNIC. h. t. Joannes XXII. statuit, ut Religiosi Ordinum mendicantium in nullo

nullo conventu sue, seu loco, plures habeant campanas sine Sedis Apostolicæ licentia, sed sint contenti unicâ tantùm pro quolibet loco. Sin verò communitas aliqua Ecclesiastica, vel mundana, sive iidem Religiosi pro illis aliam campanam habuerint, non illam, sed aliam suis usibus deputatam pro horis diurnis, & nocturnis, missis, aliisque consuetis pulsent. Quòd si alicubi plures campanas sine lite, & contradictione in proprios usus habent, iisdem etiam possint deinceps liberè uti; & alias quascunque intra tres menses deponant. Verum nomine campanarum non comprehenduntur campanulæ in Refectoriis, Sacristiis, Capitulis, & officiis haberi solita. Quale verò sit officium campanæ, ipsa explicat, dicens:

Laudo Deum verum, plebem voco, convoco clerum.
Defunctos ploro, fulmen fugo, festa decoro.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

1
Custos quasi Minister Sacristæ dicitur, ut notant Glossa, & Panormit. ad Rubricam *tit. de offic. Custodis. c. 1.* ubi habetur: custos Ecclesiæ is dicitur, cui ea, quæ Ecclesiæ competunt custodienda committuntur; oportet, ut sui Archidiaconi jussioni in cunctis obediat: in cunctis horis signa tintinnabulorum pulsanda ipso Archidiacono jubente ab eo pulsentur: Pallia, vel linteamina altaris, seu cuncta utensilia Ecclesiæ indesinenter custodiat; lampades, & laternas in accendendo, seu extinguendo pervigil existat, ne aut supra modum oleum depereat, aut minus lucendo obscurior sit Ecclesia. Hactenus de *offic. custod. in d. c. 1.* Rursus *c. 2. eod. tit.* additur: ipsius etiam est curare, ne desit panis, & vinum, ad sacrosanctam altaris hostiam imolandam: item ne thuris copia unquam desideretur; Archidiacono itidem annuente elemosynas, & cæteras omnes obligationes, dum Episcopus abest, potest in fratres distribuere.

2 Hinc liquet, custodem Ministrum esse Sacristæ, & ad ejus officium pertinere jussu Archidiaconi ad horas canonicas pulsare, pallia, & linteamina altaris, & reliqua utensilia Ecclesiæ diligenter custodire, & quæ ad sacrificium missæ sunt necessaria præstò habere, ut liquet ex *d. c. 1. & 2. de offic. custod.*

Verùm id de jure antiquo, quia nunc in diversis Ecclesiis diversi habentur ritus, & in pluribus officium custodis est præeminentia; & custos est Canonicus, qui ejus officium per Vicarios inferiores, vel etiam Laicos, & Ecclesiæ famulos exerceri finit. Sunt etiam, qui censeant officium Custodis esse idem cum illo Sacristæ, & thesaurarii, eò quia utriusque idem videatur esse munus, & officium: & hoc idem inferunt ex eo, quòd in *c. custos 2. de offic. custod.* habetur, *hi tres, Archidiaconus, Archipresbyter Custos sunt tres Ecclesiæ columnæ*, & cum nulla fiat mentio Sacristæ, nec Thesaurarii inferunt, Sacristam, vel Thesaurarium minimè fecerni à Custode: sed pro varietate Ecclesiarum, & locorum Sacrista, Thesaurarius, & Custos plerumque distinguuntur. & aliquando minimè secernuntur. Unde non est magna vis facienda in nominibus, & eorum officiis de jure statutis: sed omnia pensanda sunt juxta diversas Ecclesiarum consuetudines, pro quarum varietate hæc nomina variantur, ut etiam officia. 3

TITULUS XXVIII.

De Officio Vicarii.

Explicatis officiis eorum, qui nomine proprio inserviunt Ecclesiæ, transit Pontifex ad eos, qui eidem deserviunt nomine alieno, cujusmodi sunt Vicarii dicti à vice, eò quia vices alterius gerant: quando enim non potest quis rebus suis interesse, ac superesse, in iisdem Vicarium sibi constituit, per quem quæcunque gesta fuerint, eandem sortiuntur vim, ac si per ipsum constituentem acta fuissent *c. qui facit. de regul. jur. in 6.* Requiritur tamen, ut Vicarius sistat se in loco beneficii, & munus suum

suum ipse obeat, & Ecclesiæ ministerio adsit semper, nec ei liceat alteri delegare vicem suam, aut Vicarium alium sibi substituere; adeò ut semel quòd beneficium in aliqua Ecclesia obtinet, Vicarius esse desinat. Sumitur tamen Vicarius in hoc titulo strictiùs pro eo, qui officium Ecclesiasticum, quod alteri ordinario jure competit ipsius nomine exercet.

SUMMARIUM EXEGETICUM,

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *AD AUDIENTIAM 1. h. t. Declarat Alexander III. Vicarium eo ipso, quòd Ecclesiam curatam adeptus est, amittere vicariam: idque etiam statuitur jure novo in Tridentino* sess. 5. de reform. c. 17. *hinc ut notat Glossa, qui habens vicariam perpetuam, curam recipit animarum, vel Prælationem, & utrumque si contendit retinere, utrumque perdit.*

C. *PROVIDEAS 2. h. t. Prohibet idem Pontifex, ne Episcopus in suo Episcopatu patiatur, eundem clericum plures habere vicarias, quia cùm vicarii, seu Principales Rectores Ecclesiæ teneantur personis, & Ecclesiis deservire, alienum est ab ordine juris, ut quis habeat plures Vicarias. Cùm non possit quis habere curam animarum in pluribus Ecclesiis, locisque dissitis: unde cum neutri beneficio posset satisfacere, meritò prohibetur quis habere plures vicarias.*

C. *AD HÆC 3. h. t. Rescribit idem Pont. Episcopo Vintoniensi, quòd si persona alicujus Ecclesiæ Vicario, quem in eadem Ecclesia instituit de assensu, & authoritate Diœcesani Episcopi certam assignaverit portionem; is qui personâ illâ defunctâ in vicem, seu personam illius substituitur, non potest eundem ab Ecclesia removere, nec assignatam sibi minuere portionem: nisi aliquid committat, ob quod per judicem in vicaria sit, vel beneficio condemnandus. Ex quo textu liquet, in institutione vicarii perpetui non requiri consensum patroni, quia non censetur Ecclesia vacare. Rursus ex justa causa Vicarium non posse removeri à Prælato Ecclesiæ, sed à legitimo judice.*

C. *CLERICOS 4. h. t. Idem Pont. rescribit Episcopo Norvviensi, Vicarios non posse substituere alios Vicarios, qui vices suas gerant. Idque habetur etiam jure novo in Tridentino* sess. 24. de refor. c. 16. *Imò nec Prælatus Ecclesiæ ut notat Glossa potest Vicarium substituere. Verùm Panormitanus hic* n. 2. *ait esse quid speciale in Vicario, quòd non possit constituere Vicarium ob vitandam infinitatem* argum. c. in multis de rescript. in 6. *Hostiensis tamen docet ad tempus per modicum, & ex magna causa, dummodo rarò contingat, posse Vicarium alium relinquere locò sui, argum.* l. 1. §. 1. de offic. ejus, cui mandata est jurisdictio.

C. *SUA NOBIS 5. h. t. Innocentius III. rescribit Abbati S. Eugenii, & Plebano S. Petri, jurisdictionem Vicarii, quem Pontifex in urbe relinquit, non extendi extra illam, nisi ei sit specialiter concessum. Ubi notat Glossa, litteras per subreptionem obtentas non conferre jurisdictionem.*

C. *EX PARTE TUA 6. h. t. Honorius III. mandat Episcopo Vigorensi, ut compellat perpetuos Vicarios ad residendum in Ecclesiis, ubi habent Vicarias, & etiam ut fiant Presbyteri si curam habeant animarum, & non sint sacerdotes etiam per substractionem proventuum, & vicariarum. Ratio hujus dispositionis ex eo petitur, quia Vicarius perpetuus habetur pro vero curato, & intitulato* c. de multa de præbend. *proinde Vicarii perpetui tenentur residere sicut Parochi, & Rectores Ecclesiarum.*

IN SEXTO.

C. *ROMANA 1. h. t. Innocentius III. declarat, quòd si excommunicetur Officialis, & deinde alius substituatur, substitutus non sit excommunicatus, si non participat in crimine, pro quo fertur excommunicatio. Acta verò substituti tenent; si jurisdictionem non accipit, ab excommunicato: alioquin non tenent, si accipit. Ex quo textu liquet, Officialem Episcopi posse excommunicari sub nomine dignitatis, & excommunicationem non extendi ad successorem.*

C. *LICET 2. h. t. Rescribit Bonifacius VIII. Officialem Episcopi cum commissione generali non posse inquirere, corrigere, nec punire excessus aliquorum, nec eos amovere à suis beneficiis, officiis, administrationibus, nisi specialiter eidem hac committantur. Notat tamen Glossa, Officialem cum commissione generali posse cognoscere de causis, sed non de criminalibus, nec de spiritualibus.*

C. *CUM IN GENERALI 3. h. t. Idem Pont. rescribit, Officialem, & Vicarium Episcopi non posse conferre beneficia si facultas specialiter ei non committatur: quia in generali commissione non comprehenduntur quæ verosimiliter in specie quis non esset concessurus. Tum quia Administrator bonorum regulariter non potest ea dare.*

IN CLEMENTINIS.

C. *QUÆ ECCLESIIS UNIC. h. t. Clemens V. in Concilio Viennensi declarat, quòd sicut qui obtinet Parochiam, si acquirat aliud beneficium simile, vel dignitatem, post pacifi-*

cam

eam possessionem amittit primum, & vacat: eodem modo, ait, id extendi ad Vicarios perpetuos Parochiæ: & sicut Rector Parochiæ infra annum est promovendus ad sacerdotium; ita etiam Vicarius perpetuus. Unde loquitur de vicaria perpetua, non temporanea.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quis, & quotuplex sit Vicarius.

1 Vicarius suam à vice gerenda sortitur nomenclationem, dicitur enim vicarius, eò quia vicem alicujus gerat; siquidem cum non semper possit quis rebus suis interesse, vicarium in iisdem sibi constituit, per quem quæcunque gesta fuerint, perinde rata habeantur, ac si per ipsum constituentem acta fuissent juxta *c. qui facit de reg. jur. in 6.* Unde Vicarius generatim dicitur, qui vices alterius gerit, in cujus locum authoritate legitima substituitur. Pressiùs tamen nomen Vicarii sumitur, ut eos omnes denotet, quibus competit officium Ecclesiasticum exercere, quod alteri jure ordinario convenit; quo pacto dicitur Vicarius Episcopi, quia officium Ecclesiasticum exercet nomine Episcopi, cui jure ordinario convenit.

2 Genera Vicariorum in jure canonico duo potissimùm habentur. Alii enim dicuntur Vicarii perpetui, de quibus in *c. ex parte c. h. t. c. extirpandæ. 30. §. qui verò inf. de præben. & c. G. perpetuus 12. inf. de fide instrument.* Alii dicuntur temporales, de quibus *in c. pervenit inf. de appellat.* Vicarius perpetuus is dicitur, qui Episcopi authoritate vel canonica institutione delectus in parochiali Ecclesia constituitur, cui certa ex annuis Ecclesiæ proventibus portio assignatur pro congrua sustentatione, & tanquam laboris, & operæ merces, juxta ea, quæ dicuntur *in c. extirpandæ, c. qui verò de præben. & in c. ad hæc de offic. vicarii* & Glossa *in c. ex parte de offic. Vicarii in V. perpetuos Vicarios.* Neque potest is sine authoritate Episcopi ab officio, & munere removeri, nec illi assignata portio minui; imò nec Episcopus potest illi administrationem adimere nisi justis, ac debitis causis condemnetur, ut colligitur *ex c. ad hæc de offic. Vicarii.* Vicarius temporarius dicitur, qui authoritate alicujus in locum alterius ad tempus duntaxat sufficitur, & ad nutum illius, qui ipsum substituit, potest revocari.

3 Vicarius authoritate Episcopi instituitur, & in Ecclesia parochiali, quoties beneficium aliquod parochiale habens annexam curam animarum alicui alteri Ecclesiæ, vel Collegio Canonicorum, vel seminario Clericorum, vel Cœnobio Monachorum, vel Academiæ, vel hospitali domui, aut alteri loco pietatis causa extructo, & fundato, vel dignitati, aut præbendæ fuerit annexum *c. extirpandæ 30. §. qui verò de præben.* vel quando in parochia constituitur Capella, eò quia populus numero major non possit omnis in parochiam convenire: tunc enim authoritate Episcopi Capella ædificatur, in qua constituitur Vicarius perpetuus juxta id quod habetur *in can. ad audientiam de Ecclesia ædif.* tum ex tali beneficio detrahitur justa, & idonea portio, quæ Vicario assignatur ob congruam ejus sustentationem *c. extirpandæ §. qui verò de præben. & c. ad hæc de offic. Vicar.* & hæc est ratio, cur plura sint Monachorum cœnobia, ac Religiosorum conventus, quibus ex indulto Romani Pontificis sunt annexa beneficia parochialia deducta portione, qua commode sustentetur Vicarius authoritate Episcopi instituendus in iisdem Ecclesiis, in quibus erant beneficia. Hinc in jure canonico habetur titulus de capellis Monachorum.

Vicarius cùm sit perpetuus debet canonicè à persona Ecclesiastica de authoritate Episcopi institui, ac certa constitui portio, quâ congruè, & honestè possit sustentari: semel postea institutus, non est amovibilis per Rectorem, quia habet jus Vicariæ, licèt non habeat Ecclesiam quoad titulum: imò nec sine justa causa potest expelli per judicem, nec per Prælatum ipsius Ecclesiæ *c. unic. de Capellis Monach. lib. 6.* Rursus Vicarium perpetuum facit authoritas Episcopi; quapropter quoties est quis deputatus authoritate Episcopi Vicarius beneficio curato, eo ipso censetur perpetuus, & immutabilis. Rector autem Ecclesiæ nequit sibi constituere Vicarium perpetuum sine authoritate Episcopi, ut notat Joannes Andreas in *C. Clericos de capell. Monach.* Potest tamen Vicarium temporarium sibi instituere; licèt in certis casibus debeat constitui ab Episcopo Vicarius parochiæ ad tempus, quando Parochus administrare non potest; & tunc Vicarius alendus est sumptibus Parochi: si enim Parochus nondum sit sacerdos, vel ex justa causa absit, vel residere non possit ob inimicitias tunc Episcopus instituit Vicarium, ut etiam quando Ecclesia vacat, ut habetur in Trident. *sess. 24. c. 18. de reformat.* Rursus si Parochus ad Religionem approbatam se transferat intra annum probationis quousque solemnem emittat professionem, Episcopus Vicarium constituit, cui sit curæ loco Parochi sacramenta ministrare, & Ecclesiæ inservire juxta Trident. *sess. 25. c. 15. de regulis, & C. beneficium illis de reg. jur. in 6.* Demùm ob quamlibet causam, vel impedimentum, quo Parochus non potest suæ Ecclesiæ inservire, substituendus est illi Vicarius alendus ex proventu ejusdem Ecclesiæ. 4

5 Potest etiam Episcopus dare coadjutorem sine nova Parochiæ constitutione, si Parochus impediatur, quo minus Parochiæ munera obeat, ut si perpetuo laboret morbo, si paraliticus fit factus, vel furiosus, aut leprosus, vel ultimo senio confectus, ut non valeat amplius suo fungi munere *c. fin. de Cleric. ægrot.* datur etiam ab Episcopo coadjutor ad tempus illiteratis, & imperitis ad officium proprium obeundum; idq; jure delagato, ut liquet ex Tridentino *sess. 21. c. 6. de reformat.* Imò debet etiam Episcopus coadjutores dare, quando Parochus licèt sufficiens, & idoneus, nihilominus non potest ob populi frequentiam, ac majorem numerum omnibus inservire, nec audire confessiones omnium; tunc enim ab Episcopo debent constitui alii sacerdotes, qui sufficiant ad sacramenta omnibus ministranda, ac divinum cultum peragendum ut statuit Trident. *sess. 21. c. 4. de refor. mat.* Hi verò coadjutores debent ab Episcopo probari, num idonei sint ad id muneris, & pro victu debet iisdem assignari pars fructuum ejusdem Ecclesiæ, cui inserviunt. Non tamen hujusmodi coadjutores dantur cum spe futuræ successionis, ut statuit Tridentinum *sess. 25. c. 7. de reformat.*

6 Ad instituendum verò Vicarium perpetuum requiritur consensus Rectoris, & Patroni, quia agitur de præjudicio utriusque eò ipso, quòd in Ecclesia creatur titulus perpetuus: neque Vicarius perpetuus deputari debet, nisi in parochialibus habentibus latitudinem Parochiæ, vel aliam necessitatem; & promovendus in Vicarium perpetuum debet attigisse annum ætatis vigesimum quintum, ac esse sacerdotio initiatus, vel saltem initiandus intra annum, aliàs privatus de facto censetur; nec potest habere duas Vicarias: nec alium Vicarium perpetuum instituere, licèt possit temporalem ad modicum tempus urgente necessitate. Rursus Vicarius perpetuus curam habet animarum indistinctè, quoad omnium effectum, & etiam quoad commoda. Quantum ad exercitium actionum competentium beneficio, decimæ, primitiæ, & oblationes datæ ratione curæ competunt Vicario, & certa portio assignatur Prælato, vel illi, cujus est Vicarius; si est Monachus; tunc cura, & rei vendicatio spectant ad Vicarium: sin autem è contrario, tunc cura, & rei vendicatio, ac fructuum spectant ad principalem.

7 Vicarius temporalis is dicitur, qui legitima authoritate personæ Ecclesiasticæ in locum alterius absque institutione ad tempus sufficitur, eique assignatur certa portio, quâ possit se congruè sustentare, ita tamen, ut ad nutum constituentis amoveri possit. De jure communi plures dantur causæ, quæ approbantur, ut possit quis Vicarium temporalem sibi substituere absque tamen titulo, & jure in parochia, aut beneficio: & per hoc differt vicarius perpetuus à temporali, quia ille acquirit titulum, & jus, non iste, quia jus parochiale, & cura animarum semper inhæret Rectori principali, ex cujus commissione Vicarius temporalis tantùm exercet munia Ecclesiastica, & ejus potestas exercendi hæc munia expirat non solùm per mortem principalis Rectoris, sed etiam per revocationem ipsius constituentis. Rursus Vicarius temporalis simpliciter non potest substituere sibi alium Vicarium, cùm careat jurisdictione ordinaria, ac jure; nisi fortassis habeat à principali Rectore speciale mandatum substituendi, aut aliqua consuetudo, in contrarium fuerit introducta, quia tunc instituens Vicarium temporalem, ac sciens talem consuetudinem implicitè consentit in substitutionem. Rursus si non possit per se totum munus explere, sed tantùm partem; tunc potest coadjutores accire, cum quibus totum valeat munus obire.

Causæ, quibus permittitur, ut ad tempus Vicarius constituatur, in jure plures sunt. Primò cùm quis legitimè plures habet Ecclesias, in quibus servire, commorari, & residere non potest, tunc enim per se ipsum inservit uni, & aliis per Vicarium constitutum, ut colligitur *ex c. si temporis 26. q. 11.* Secundò ratione negotiorum, & aliarum occupationum necessariarum, ac urgentium, quibus Rector nequit in Ecclesia fungi suo munere; quo pacto Episcopus plures instituit Vicarios *c. ad hæc de offic. Archidiac. & c. 1. de celebrat. miss.* Tertiò ratione peregrinationis susceptæ ad pia, ac religiosa loca, ut colligitur ex *c. ult. de voto, & voti redempt.* Quartò ratione ægritudinis, & valetudinis incommodæ ut deluitur ex *tit. de cler. ægrotan.* Quintò ratione justæ absentiæ Episcopi authoritate approbatæ, ut ratione studii litterarii, vel alterius occupationis justæ, & idoneæ *c. relatum. de Clericis non residentibus, & c. non oportet de consec. dist. 5.* Sextò ratione Nationis loquentis alia lingua *c. 5. de offic. Ordinarii.* Septimò ratione Concionum habendarum ad populum si principalis per se non possit hoc munus obire, ut colligitur ex *c. inter cætera de præben. & c. quod Dei timorem de statu Monach.* Siquidem causa necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ Vicarius constituitur *c. exposuisti de præben.* Octavò quando Rector dejicitur è ministerio, vel officio, vel removetur à loco, tunc enim substituitur alius, qui vices suas gerat, ut constat ex *c. ad audientiam de Ecclesiis ædifican.* Nonò quando Rector onus subit approbatæ Religionis, & in probatione versatur, tunc constituitur Vicarius, qui ejus vices gerat per totum annum probationis, donec solemnem emittat professionem, ut habetur in *c. de Monach. & præben.* Decimò tandem quando hæc Vicarii substitutio cedit in maximam Ecclesiæ utilitatem, ut liquet ex *c. illud & c. nihil 9. q. 1.* 8

Cœterum Rector Ecclesiæ, vel alius beneficiarius, cui concredita est cura animarum, tenetur residere in sua Ecclesia, ac consulere saluti sui populi, nec consuetudo in contrarium potest à residentia excusare; sicut excusat in aliis beneficiariis, quibus nulla inest animarum cura, cujusmodi sunt Canonici, ut notat Abbas in *c. extirpandæ §. qui verò de præben.* ubi ait, consuetudinem inolevisse in aliquibus Ecclesiis, ut Canonici per Vicarios iisdem inserviant, & nihilominus fructus percipiant. Imò alicubi usus etiam invaluit, ut sine Vicario canonici ex justa causa absentes fructus percipiant beneficii 9

vel

vel ex toto, vel ex parte juxta consuetudinem locorum. Verùm licet id ante Concilium Tridentinum fuerit ad praxin deductum, attamen omnes hæ consuetudines sunt nunc abrogatæ; quia Concilium Tridentinum *seß.24. c.11.de reformat.* eas abolevit.

10 An verò Vicarius Rectoris censeatur habere beneficium, eo ipso quòd constitutus est Vicarius; Glossa in *c. 1. de offic. Vicar. V.in diversis.* Oldra. *q. 235.* & alii communiter asserunt, Vicarium perpetuum in Ecclesia parochiali ipso jure censeri beneficiarium, & id colligi ex *c. postulâsti de rescript.* Quòd si dicas, Vicarium tantùm gerere vices alterius; proindeque non esse beneficiarium, quia beneficium semper manet penes illum, cujus vices gerit. Contra est, quia in jure Vicarius perpetuus in Ecclesia parochiali, si sit legitimè institutus authoritate Episcopi, habetur pro beneficiario; adeò ut illa portio, quæ ex annuis proventibus ejusdem Ecclesiæ, cui inservit, detrahitur, ac illi destinatur pro congrua sustentatione in jure judicetur beneficium, quia datur in perpetuum, & tantùm vacat per obitum Vicarii. Secus Vicarius ad tempus propriè non est beneficiarius defectu tituli, & juris, nec ipsius obitu beneficium vacat, & per obitum beneficiarii totum ejus munus, & administratio extinguitur. Nec obstat, quòd curam habeat animarum, quia hanc tantùm habet actu, non jure, & habitu: quia jus curæ illius est tantùm penes Rectorem; & penes Vicarium temporalem functio, & administratio.

11 Hinc patet etiam discrimen inter Vicarium perpetuum, & temporalem, quia munus, & officium primi non extinguitur per mortem Rectoris, cujus est Vicarius. Secus totum munus & officium Vicarii temporalis desinit per obitum Rectoris. Ratio discriminis est, quia Vicarius perpetuus institutus authoritate superioris, seu Episcopi; proinde ejus munus, & jurisdictio non extinguitur per obitum Rectoris, cùm non acceperit ab ipso jurisdictionē, nec dependenter ab eodem illam exerceat. Secus Vicarius temporalis dependet ad nutum à Rectore, à quo constituitur, & à quo dependet; proinde ejus munus extinguitur morte Rectoris; perinde ac sublato fundamento curruit ædificium.

12 Hinc Vicarius perpetuus dicitur Vicarius jurisdictionis, & in foro contentioso, & externo jurisdictionem vice aliorum exercet. Ex Vicariis autem jurisdictionis, alii sunt à lege, seu canone constituti, quibus ordinaria jurisdictio competit distincta à jurisdictione principalis, cujus vices gerit, & est Vicarius, cujusmodi sunt Archidiaconi *c. 1. de offic. Archidiaconi* nisi per consuetudinem, aut statuta particularia hujusmodi jurisdictio expiraverit. Alii sunt ab homine, scilicet à superiore, seu ordinario, ut vices illius exerceant circa jurisdictionalia; tales sunt hodie Vicarii generales Episcoporum, qui pro regimine totius Diœcesis ab Episcopis constituuntur. Ut etiam Vicarii foranei, seu rurales qui in certo tantùm Diœcesis districtu jurisdictionem habent. Non tamen officium, quo fungitur Vicarius Episcopi venit nomine beneficii, ut notat Abbas *in c. postulâsti de rescript.* quia hujusmodi Vicarius non est perpetuus.

An verò Vicarius perpetuus in Ecclesia parochiali constitutus possit alium Vicarium sibi subrogare. Respondet Abbas in *c. Clericos de offic. Vicar. n. 2.* Vicarium in sui locum non posse alium substituere, alioquin & ille alius posset quoque alium substituere in suum locum, & hic itidem subvectus alium sibi subrogare, quod jura non permittunt, ut notat Panormitanus *d.c. arg. ex c. cùm in multis de rescript.* unde Vicarius si sit perpetuus non potest alium Vicarium perpetuum sibi substituere, quia Vicarius perpetuus non nisi authoritate Episcopi instituitur. Potest tamen temporalem Vicarium sibi substituere ex justa causa, & ad modicum tempus, ut per unam, vel alteram hebdomadem, cum modicum in jure pro nihilo habeatur, præsertim si rarò contingat. 13

An verò Rector jure revocet Vicarium, quem ad tempus sibi substituit cum sponsione, ac juramento se illum non revocaturum, respondet Abbas in *c. tua nobis de offic Vic[illegible] n. 5.* ex justa, & legitima causa posse Rectorem talem Vicarium revocare; & revocationem esse ratam, & firmam, neque esse perjurum; eò quia jusjurandum censeatur adhibitum sub tacita conditione, si Vicarius ritè, & rectè suo fungatur munere: & quia hæc conditio supponitur deficere, ideò juramentum non tenet, & potest talis Vicarius revocari. Cæterum si non supponeretur conditio, tametsi revocatio vim haberet, adhuc Rector esset perjurus. Episcopus si velit, absque consensu, & consilio Canonicorum, potest sibi Vicarium adsciscere, & illum etiam revocare, id enim dependet ab arbitrio Episcopi, saltem ex insolita consuetudine, quæ approbatur, & servatur. 14

Vicarius summi Pontificis non est Vicarius Papæ, ut Episcopi totius Ecclesiæ Catholicæ, sed tantùm ut Episcopi urbis Romæ: proinde ejus jurisdictio non extenditur extra urbem *c. sua nobis offic. 5. de Vicar.* & ibid. Abbas ubi notat non posse ad ordines promovere eos, qui aliis subjiciuntur Episcopis sine eorundem litteris dimissoriis: quia servare debet de jure communi, quæ habentur in *c. nullus de tempor. ordinat. in 6.* ubi habetur, quòd nullus Episcopus, vel quivis alius absque superioris licentia homini alienæ Diœcesis clericalem præsumat tonsuram conferre. 15

Rursus Vicarius perpetuus dicitur etiam curatus, & eo ipso, quòd dicitur Vicarius curatus intelligitur de perpetuo, non de temporali, eò quia iste non sit curatus, Geminian. *conf. 86. in princ. n. 2. V. nam si ibi est,* & dicitur habere titulum, vel quasi titulum, ut notat Antonius But. *conf. 3.* Tum quia Vicarius perpetuus in exercitio actionis, & cura pœnitentiali præfertur Rectori, ut notat Anchar. *conf. 404. in fin.* Imò Vicariæ perpetuæ reguntur eodem jure, quo parochiales, quibus propterea æquiparantur, & per adeptionem secundæ Vicariæ vacat prima, sicut in parochis; & rursus requiritur ætas requisita, ac tenetur promoveri intra annum; tenetur 16

netur etiam residere, nec potest suo officio destitui mortuo Rectore; & omnes alias secum trahit obligationes, quas curatus, ut observat But. *conf. 51. in V. Vicarii*; & quia quem sequuntur incommoda, debent etiam sequi commoda: ideò debetur etiam Vicario perpetuo quarta canonica, & potest ordinari ad titulum Vicariæ perpetuæ; quo pacto æquiparatur Rectori quoad commoda. Cæterùm Vicarius perpetuus diversus est à Rectore, & habet redditus separatos. Neque recipit titulum à Rectore, sed ab Episcopo, & translato uno remanet alter; & licèt titulus directus sit penes Rectorem; utilis tamen est penes vicarium perpetuum subrogatum ad curam animarum actu, & exercitio, licèt non habitu.

§. II.

De Vicario Generali Episcopi.

1 QUia plerumque Episcopus pluribus est negotiis occupatus, nec potest per se omnibus sufficere, cùm in spiritualibus præsertim debeat intendere; ideò Vicarium sibi constituit unum, vel plures pro ut necessitas postulaverit *can. in nova 16. q. 7. c. quoniam 14. inf. de offic. jud. ordin.* & hic Vicarius Episcopi simpliciter ex more introducto Vicarius vocatur absque addito, & de quo potissimum agunt juris Pontificii periti *in hoc tit.* Quòd si Vicarius Episcopi sit generalis, alia nomenclatione dicitur etiam officialis Episcopi, ut constat ex *d. clement. de rescript.* juncta Glossa ibidem *in V. officialis. & in c. ult. h. t. in 6. & c 1. eod. tit. in 6.* ubi textus illum simpliciter vocat Officialem, & statim *in d. c. fin.* dicitur disjunctivè officialis, aut Vicarius generalis Episcopi. Indiget pro causis expediendis Episcopus Vicario, alioquin si in iisdem deprehendatur negligens hujusmodi deputatio devolvitur ad Metropolitanum ex Concilio Tridentino *sess. 24. c. 16. de reformat.* hinc licèt Capitulum vivente Episcopo, vel eo absente, aut etiam negligente, nequeat Vicarium constituere; potest tamen mortuo Episcopo confirmare jam Electum, vel alium etiam deligere, qui sit vir probus, & ad id munus idoneus: siquidem ex facto Vicarii tenetur Episcopus, qui sibi imputare debet, si malum Vicarium elegit *c. ad hæc sup. de offic. Archidiac.* Rebuffus *in forma Vicariatus n. 188.* Unde Vicarius debet is eligi, quem morum probitas commendat, juris canonici doctrina condecorat, Theologiæ scientia ornat, charitas, prudentia, temperantia, & reliquæ virtutes muniunt, & qui ætatem attigerit annorum quinque supra viginti *argu c. cùm in cunctis 7. §. inferiora supra de elect.*

2 Rursus debet rerum, & causarum forentium esse peritus *L. penult. C. de judiciis L. ad rem publ. ff. de muneribus*, quòd etiam debeat esse Doctor, vel saltem Licentiatus in jure canonico, vel aliàs quantùm fieri potest idoneus, liquet ex Concilio Tridentino *sess. 24. c. 16. de reformat.* Rursus debet esse Clericus saltem prima tonsura initiatus, non conjugatus, nisi fortassis Episcopus jurisdictionem habuerit temporalem, cujus capax est Laicus *c. 2. de judiciis*, vel adsit licentia Papæ, vel necessitas aliqua urgeat. Assessorem Laicum potest Episcopus habere, ut notant Abbas, Felinus, & alii *in c. de his. & c. decernimus inf. de judiciis*: siquidem officium Assessoris est consulere, quod etiam in Ecclesiasticis pote st Laicus præstare, licèt honestiùs sit, magisque conveniens, quòd Assessores Episcopi sint Clerici, & Ecclesiastici, ut rectè notat Felin. in *d. c. decernimus.*

Cæterùm Vicarius tripliciter potest constitui. Primò in spiritualibus tantum, & tunc ejus officium est, Ecclesiasticis censuris delinquentes punire, excommunicare, suspendere, interdicere, ut etiam sacramenta conferre, beneficia visitare, corrigere, & alia id genus exercere ad bonum regimen Diœcesis, de hoc Vicario in spiritualibus loquuntur jura *in c. 3. de tempor. ordinat. in 6.* & *in c. 4. inf. de offic. ordin.* Secundò potest constitui Vicarius in temporalibus tantùm, & tunc ejus administratio consistit in judicio, vel extra judicium. Tertiò potest constitui Vicarius in temporalibus, & spiritualibus simul, & hic propriè dicitur Vicarius Generalis *in c. fin. eod. tit. in 6.* & creatur cum expressione spiritualium, & temporalium simul; alioquin si seorsim in spiritualibus tantùm, vel temporalibus crearetur; non esset generalis, quia illi non committeretur cura omnium *c. si Episcopus, & c. Ecclesia de supplen. neglig. Prælat. in 6.* ut nec etiam diceretur Vicarius generalis, si potestas ei tantùm concederetur ministrandi, ut notat Rebuffus in *praxi beneficiorum tit. de forma vicariatus Archiepisc.* neque ut generalis haberetur; si pro aliquo tantùm Diœcesis districtu concederetur, & non pro tota Diœcesi; quia tunc potius diceretur foraneus, & delegatus. Hinc potest Episcopus unum, vel plures sibi constituere Vicarios juxta locorum consuetudinem, & quando Episcopus ad diversa territoria suam habet diœcesim extensam. 3

Præterea potest constituere unum generalem Vicarium, qui gerat vices in tota Diœcesi Ordinarii constituentis, & dicat jus in tribunali, in quo consueverat ipse Ordinarius jus dicere, ut notat Sanchez. *de matrimon. lib. 3. disput. 29. q. 1.* & tunc Vicarius verè generalis est, & principalis, dicitúrque dignitatem habere, licèt non eam, quæ sit beneficium Ecclesiasticum, aut incompatibilis cum alia dignitate, ut notat Rebuffus in *praxi benefic. tit. de Vicar. Epis.* Potest etiam Episcopus alium constituere Vicarium pro certa aliqua parte Diœcesis, extra civitatem Episcopalem, & hic propriè Vicarius foraneus dicitur. Hinc duplex est Episcopi Vicarius, Generalis, & foraneus, ut dicitur in jure; ille habet potestatem in tota Diœcesi, in qua dicit jus; hic non nisi in certis locis, ut in oppidis extra civitatem, in qua est sedes Episcopi. Et licèt Archidiaconus dicatur Vicarius Episcopi *in cap. 1. Ad hæc 3. de offic. Archidiac.* est tamen Archidiaconus Vicarius, non datus, vel constitutus ab Episcopo, sed ipso jure, & ratione dignitatis, ac officii, quo fungitur: siquidem olim Episcopi uti consueverunt Vicaria Archidiaconorum opera. Vicarius ab Episcopo sibi substitutus 4

stitutus non potest alium Vicarium sibi substituere, ut declaravit Rota in *decis. 381.* & Glossa *in c.1.de offic.Vic.in 6.* quod ita intelligitur, ut Vicarius non possit alium Vicarium sibi substituere; qui generalem habeat potestatem, tametsi unam; vel plures causas possit alteri delegare; quapropter consentiente Episcopo, potest sibi substituere vicesgerentem *c. 1. de offic. Vicar. in 6.* & qui substituitur non Vicarius, sed vicem gerens vocatur, ut notat Panormit. *in c. Clericos 4. de offic. Vicarii.*

5 De Vicarii jurisdictione controvertitur, an sit ordinaria, vel tantùm delegata. Gottoffredus *in sum. tit. de offic. Vicarii* censuit esse delegatam. Communior tamen, & verior sententia asserit esse ordinariam; quia licèt Episcopus Vicarium instituat; & ad solum Principem pertineat jurisdictionem ordinariam dare; adhuc Vicarius institutus ab Episcopo jurisdictionem; & potestatem à jure accipit, quòd verum est de illa jurisdictione; quæ ipsi convenit ex generali mandato; quo ab Episcopo Vicarius generalis creatur: in aliis, quæ ipsi ex speciali mandato Episcopi competunt; non habet jurisdictionem ordinariam, sed tantùm delegatam. Hinc Vicarius Episcopi potest Decretum interponere in alienationibus rerum minorum, & in emancipationibus, ac manumissionibus; simúlque dare tutores, & curatores, & expedire singula; quæ ad jurisdictionem pertinent *l. suggerente C. de offic. ejus, qui vices alicujus judicis, vel præsidis obtinet.* Hinc communiter sentiunt, debere Vicarium generalem creari cum potestate, & jurisdictione in spiritualibus, & temporalibus; ut notat Panormit. *in c. ult. de concess. præben.* & videtur inferri ex *c. si Episcopus, & c. Ecclesiæ. de supplen. neglig. Prælat. in 6.* Administratio spiritualis in eo est sita, ut possit Vicarius generalis excommunicare, suspendere, interdicere, sacramenta conferre, vel conferendi facultatem concedere, conferre beneficia, visitare, inquirere, instituere, eligere, confirmare, præsentare, corrigere, punire, votum, & jusiurandum commutare, relaxare, ut notat Rebuffus. *tit. forma Vicariat. n. 18.* Administratio temporalis consistit in judicio, vel extra judicium: in judicio, quando Vicarius potestatem habet, & jurisdictionem temporalem pleno jure, quod ad merum, & mixtum imperium spectat; *c. conquæstus de foro compet. c. ult. Ne Clerici, vel Monachi in 6. c. cùm contingat de for. compet. c. dilectus de offic. ordinar. & c. ad audientiam de rescript.* Extra judicium administratio temporalis consistit in eo, ut possit bona Ecclesiæ locare, permutare, alienare census, redditus, & pensiones colligere *c. si quis Presbyterorum de rebus Ecclesiasticis non alien. c. vestra de locat. c. 1. nè Prælat. vices suas.* ut notat Rebuffus *in praxi beneficiorum tit. de Vicario Episc. n. 21.*

6 An verò debeat Vicarius generalis in Ecclesia Cathedrali præcedere Archidiaconum difficultas est inter jurisperitos. Menochius integrum *Consilium 51.* scripsit in favorem Archidiaconi; concludit enim præcedentiam pro Archidiacono in ordine ad functiones Ecclesiasticas; seu in loco functionum Ecclesiasticarum; ut in choro; in Ecclesia, in processionibus. Imò in eadam materia scribit aliud consilium, quod est inter ejus consilia 257. & in utroque plura allegat, & fuse probat in favorem Archidiaconi, cui debeatur præcedentia, & nititur præsertim: quia tametsi Vicarius sit principalis, non tamen ejus potestas est ordinaria, sed delegata, eò quià ejus jurisdictio exspiret morte Episcopi; sicut jurisdictio delegati re integra finitur morte delegantis *c. gratum c. licet undique inf. de offic. delegat.* Tum quia Vicarius tantùm vices gerit Episcopi *c. Romanà in princ. de appellat. in 6.* perinde ac delegatus fungitur vice delegantis *l. 1. §. qui mandatum ff. de offic. ejus, & l. solet ff. de jurisdic. omnium judic.* Ordinaria siquidem jurisdictio remanet etiam mortuo concedente *ex c. à judicibus 2. q. 6. l. & quia de jurisdict.*

Communis tamen sententia asserit in favo- 7
rem Vicarii Generalis; cui dat præcedentiam super Archidiaconum, & ita fuit etiam declaratum à sacra congregatione in Mondoviniensi 20. Augusti 1586. & in alia Vicentina 16. Martii 1640. & ratio efficax in favorem Vicarii est; quia Vicarius generalis est superior, & Archidiaconus subditus; siquidem Vicarius generalis constituit unum tribunal cum Episcopo *c. non putamus de consuet. in 6. & c. Romana de appellat. & clement. 2. de rescript.* & ità comuniter docent Canonistæ Felin. *in tit. de major. & obed. n. 10.* Beroius *cons. 21. per totum fol. 221. Cardin. in c. fin. 6.* Rebuffus *in praxi tit. de Vicario Episc. n. 7.* Zerolla *in praxi p. 1. V. Vicarius §. 15.* & communiter alii cum Rota coram Seraphino *decis. 639. n. 10.* Quòd verò Vicarius generalis constituat unicum tribunal cum Episcopo ex eo itidem evincitur, quia utitur eadem authoritate, & potestate Episcopi: adeò ut quotquot subduntur Episcopo, subdantur etiam Vicario: sed Archidiaconus licèt sit prima dignitas subditur Episcopo, non enim debet subditus præcedere superiorem: ergo etiam subditur Vicario generali.

Neque rationes, quibus nititur opposita sen- 9
tentia magni sunt momenti: siquidem Vicarius Generalis eò ipso quòd utitur eadem authoritate Episcopi, cum quo constituit unicum tribunal, est principalis, & habet ordinariam jurisdictionem, perinde ac Episcopus, cujus vices gerit, ut notat Glossa *in c. licèt in officialem eod. 6. c. perlectis dist. 25. in V. jurgia.* Neque obstat, quòd Vicarius eligatur ab Episcopo, quia tametsi ab Episcopo designetur, ac constituatur; non tamen ab ipso accipit jurisdictionem, sed à canone, & jure *c. 2. eod. in 6.* ac proinde non delegata, sed ordinaria est illius jurisdictio *can. à judicibus.* Hinc utriusque Episcopi, & Vicarii est idem tribunal, eadem jurisdictio ut constat ex *c. Romana, & d. c. 2.* & ibi jurisinterpretes *de consuet. in 6.* adeò ut quoad jurisdictionem, & tribunal Episcopus non constituat diversum, & superius tribunal; quapropter sicut jurisdictio Episcopi est ordinaria; ita etiam jurisdictio Vicarii, & non delegata; siquidem à delegato appellatur ad delegantem *c. super quæst. §. porro inf. de offic. delegat.* non ità

à Vi-

à Vicario, seu officiali Episcopi in iis, in quibus est ordinarius appellatur ad Episcopum, ut ad superiorem, sed tantùm ad Archiepiscopum, ut liquet *ex d. c. 2. de consuet. in 6.* idque ne ab eodem ad eundem, aut se ipsum interponi videatur appellatio,

9 Neque obstat, quòd jurisdictio Vicarii extinguatur morte Episcopi, siquidem ejus jurisdictioni adhæret: quinimo est eadem jurisdictio, quia Vicarius vicem gerens Episcopi utitur eadem jurisdictione ordinaria, quam habet Episcopus; licèt illam non accipiat ab Episcopo, sed à jure: hinc est, quòd extincta jurisdictione in Episcopo, extinguitur etiam in ejus Vicario. Cæterum à Vicario Episcopi ad Episcopum appellatur tantùm quoad ea, in quibus est ejus delegatus, ut cum seorsim ab institutione, committit aliquos casus. Cùm igitur jurisdictio Vicarii generalis sit ordinaria ei collata à jure, & eadem cum illa Episcopi, sicut Archidiaconus subjicitur jurisdictioni Episcopi, ita etiam Vicarii generalis; adeò ut ab Archidiacono, aliisque Prælatis inferioribus, ad Vicarium, & Episcopum detur appellatio, Quòd si objicias stylum Curiæ Romanæ, quo testatur Paulus Hyeron. *in practica Cancell.* rescripta Romani Pontificis directa ad Archidiaconum, Archipresbyterum, & Vicarium simul, & conjunctim, prius Archidiaconum, & Archipresbyterum, quàm Vicarium nominare. Respondetur, hunc stylum non obstare, quia consuetudo, & usus sunt in contrarium, ut etiam jura concedentia Vicario generali præcedentiam.

10 Dignum tamen est observatu, quòd in ordine ad distributiones, si Vicarius fuerit etiam Canonicus non poterit eas percipere nisi sedeat, & incedat in loco suo cum habitu canonicali, id enim pluries fuit declaratum à sacra Congregatione, ut in Sutrina 26. Augusti 1594. & in alia Laniconensi 24. Martii 1599. ut notat Barbosa *de potest. Episc. allegat. 54. n. 144.* siquidem Vicarius non habet jus ad percipiendas distributiones, ut Vicarius, sed ut Canonicus: ideóque debet intervenire, ut Canonicus, & quoties intervenit ut talis debet tenere locum, qui eidem ut Canonico convenit, ut notant Felin. *in Rubri. de major. & obed. n. 4.* Menochius *de arbit. cas. 68. n. 23.* & alii plures cum Rota coram Veral. *decis. 306. n. 2. p. 1.* Cæterum hactenus dicta tantùm valent de Vicario generali Capituli sede vacante: non enim hic præcedit Archidiaconum, seu primam dignitatem, ut rescripsit sacra Congregatio in una Assien. de mense Augusti 1630. ut notat Barbosa *de potest. Episc. allegat. 54. n. 167.* quia Vicarius Capituli cùm habeat jurisdictionem á Capitulo, est illo inferior, proinde non debet præcedere primam dignitatem, in qua repræsentatur Capitulum.

11 Hinc debet Vicarius deferre habitum clericalem, ut liquet ex *c. in nov. 16. q. 7.* alioquin si laicales vestes induat, & beneficium conferat alicui, cogitur is, qui beneficium accepit, vel ipse Vicarius probare se Vicarium, & Clericum fuisse, quando beneficium contulit. Non tamen potest Vicarius institui, qui vinculo tegeatur excommunicationis, vel alia censura irretiatur, ut notat Francus *c. 2. de offic. Vicarii in 6.* Imò neque bigamus si legitima authoritate superioris non fuit solutus à canonico impedimento: Secus si fuit solutus, & ad ordinem Ecclesiasticum promotus, dummodò in cœlibatu non in matrimonio vivat; potest tamen Monachus, vel Religiosus ab Episcopo creari Vicarius ex consensu ejus superioris, ut notat Rebuffus *loc. cit. n. 30. & 31.* Glossa *in c. de præsentium 16. q. 1.* & tunc Monachus creatus Vicarius debet socium habere ex eodem cœnobio adscitum, quia Monachus extra cœnobium non permittitur jure canonico solus manere *c. 2. de statu Monach.* Non tamen censet Rebuffus *loc. cit. n. 32.* posse ab Episcopo creari Vicarium professum in Religione mendicantium, idque probat ex *clement. 1. §. ad prioratus de Regul. & clement. in plerisque de elect. & ex Cardin. in c. si quis dist. 58.*

12 Si petas, quibus modis extinguatur potestas Vicarii. Respondetur, extingui, primò per mortem ejusdem Vicarii. Secundò per mortem, vel excommunicationem ipsius constituentis *c. 1. h. t. in 6.* Glossa *Clement. de procurat. V. contestata.* Adeò ut causas inchoatas ante mortem, vel excommunicationem Episcopi, constituentis eo mortuo, vel excommunicato, absolvere, ac perficere non possit, eò quia cessat ejus jurisdictio cum jurisdictione Episcopi, Glossa *in Clement. unic. de offic. Vicarii in 6.* siquidem utriusque est idem tribunal, & utriusque censetur eadem persona *c. 2. de consuet in 6. c. Romana. de appell. 6.* Hinc cessante tribunali Episcopi cessat itidē tribunal, & jurisdictio Vicarii, & in hoc differt Vicarius à legato, quia potestas legati non expirat quoad inchoata per mortem delegantis, sicut per ejusdem excommunicationem, quia delegati, & delegantis non est idem tribunal, ut autem jurisdictio Episcopi cesset per excommunicationem debet esse denuntiatus excommunicatus, aut notorius clerici percussor, & ita dicendum de Episcopo interdicto, vel suspenso; idque post Concilium Constantiense, quia antea retinebat jurisdictionem. Tertiò extinguitur jurisdictio Vicarii, si Episcopus propriam resignet Ecclesiam, vel illâ privetur, vel ad aliam se transferat, vel Religionem ingrediatur, quia tunc cessante jurisdictione Episcopi in tali Ecclesia, cessat etiam in eadem jurisdictio Vicarii. Quartò cessat etiam jurisdictio Vicarii, quando ejus commissio ab Episcopo constituente, vel ejus successore revocatur, etiam absque consensu Capituli, quia sicut sine consensu Capituli potest Vicarius institui ab Episcopo, ita ab eodem independenter à Capitulo potest revocari, ut notat Abbas *in c. sua nobis h. t.* debet tamen revocatio insinuari Vicario; alioquin si Vicarius ignoret revocationem; quæ tunc gerit, valida sunt, donec illi innotescat revocatio, ut notat Garzias *de benefic. p. 5. c. 8. n. 174. sequent.* Quinimò licèt adsit error communis revocationis, adhuc ejus gesta licèt revocationis conscii, valebunt, *arg. l. Barbarius. de offic. Pratoris*, quia non attenditur ignorantia privata, ut gesta valeant: sed sufficit communis.

§. III.

§. III.

De Potestate Vicarii Generalis circa beneficia Ecclesiastica.

1 CErtum est, non posse Vicarium ratione sui officii generalis conferre beneficia, ut liquet ex *c. cùm in generali h. t. in 6.* quia potestas Vicarii, cum ob necessitatem aliquam instituta sit in subsidium Episcopi, non debet se extendere ad liberales donationes, ut sunt beneficiorum collationes : quapropter debet ad id habere specialem commissionem, qua ab Episcopo ei detur potestas conferendi beneficia Ecclesiastica; ut colligitur ex *c. ult. de offic. Vicarii in 6.* potest enim Episcopus per specialem gratiam concedere suo Vicario potestatem conferendi beneficia, vel per totam Diœcesin, dummodo hæc de jure communi spectent ad suam collationem: vel ad certa tantùm beneficia, & intra certum tantùm districtum, id enim dependet ab arbitrio Episcopi. Censet enim Glossa in *c. ult. v. commissa de offic. Vicar. in 6.* posse Episcopum suo Vicario committere potestatem conferendi omnia beneficia, quorum collationes ad ipsum pertinent Episcopum, dummodo non concedat facultatem conferendi beneficia, quæ nondum vacant, nec permittendi beneficium vacaturum, huic, vel illi Clerico.

2 An verò si Episcopus det Vicario specialiter facultatem conferendi beneficia, intelligatur, quòd etiam eidem det potestatem conferendi omnia beneficia, & etiam illa, quæ Episcopus jure speciali, aut privilegio conferre potest, controvertitur. Communior tamen, & verior sententia est, quòd Vicarius per talem facultatem sibi ab Episcopo datam solùm possit ea conferre beneficia, quæ ad Episcopum jure communi pertinent: quia privilegium personæ non transit ad aliam, quia ita est annexum tali personæ, ut in eadem finiat. An saltem censeatur data facultas ea conferendi beneficia, quæ jure devoluto pertinent ad Episcopum ob negligentiam, vel delictum inferiorum, quorum erat jus conferendi, videtur esse major difficultas, & Rebuffus *de officio Vicarii n.88.* censet intelligi datam hanc facultatem, & assignat rationem, quia ob negligentiam, vel delictum inferiorum potestas conferendi beneficia devolvitur ad Episcopum de jure ordinario, & communi; & cùm Episcopus concedat facultatem suo Vicario conferendi ea beneficia, quorum collatio ad ipsum pertinet de jure communi, ideò facultas data Vicario extenditur, etiam ad illa beneficia, quorum collatio ad ipsum pertinet de jure comuni: proinde facultas data Vicario extenditur, etiam ad illa beneficia, quæ jure devoluto pertinent ad Episcopum ob negligentiam, vel delictum inferiorum, ad quos spectabat jus conferendi. Alii verò, & quidem tutiùs asserunt, hanc fatultatem conferendi beneficia ad Episcopum devolutam esse exprimendam in instrumento datæ facultatis Vicario beneficia conferendi, eò quia una facultas distinguatur ab alia; alioquin si non exprimatur in instrumento, non videtur facultas data Vicario se extendere ad collationem talium beneficiorum. Præterea si beneficia sint devoluta ad Episcopum tanquam ad Sedis Apostolicæ delegatum, ut ob negligentiam Regularium, Vicarius non potest ea conferre, ut constat ex *clem. 1. de suppl. neglig. Prælat.*

3 Rursus non potest Vicarius consensum suum præbere, ut Decanus, vel Archidiaconus, aut alius ex Capitulo habeat jus conferendi beneficia, si ad Episcopum pertineat consensum præstare : quia ad id requiritur specialis facultas, vel conferendi, vel consentiendi in collatione beneficii : siquidem, qui donare non potest, neque potest collationi consentire *L. creditor. C. de donat. inter virum & uxorem. L. cùm quis ff. de reg. jur.* qua propter, quando pertinet ad Collegium Canonicorum conferre beneficia obtento prævio consensu Episcopi, non sufficit eius Vicarii consensus, tametsi Episcopus absit, ut notat Federicus *cons. 26.* Potest tamen Vicarius ex generali tantùm mandato Clericos legitimè præsentatos à patronis instituere, ut desumitur ex *c. 1. de institut. in 6. & c. ex frequentibus de instit.* ut notat Panormit. ibid. *n. 7.* ubi ait, esse communem sententiam inter jurispontificii peritos.

4 Quòd si petas, cur Vicarius, cùm non possit conferre beneficia, possit præsentatos instituere, & confirmare electos, respondetur, id provenire, quia conferre sic actus liberalitatis, siquidem qui confert, liberaliter dat : Secus instituere præsentatos, vel confirmare electos, est necessitatis : Episcopus enim dignos, & idoneos præsentatos, ac electos instituere, vel confirmare jure compellitur, proinde Vicarius potest tantùm instituere, vel confirmare legitimè præsentatos à patronis, non verò beneficia conferre. Imò neque potest Vicarius beneficiorum resignationes admittere, aut approbare nisi specialiter fuerit ei ab Episcopo hæc facultas demandata, idque desumitur ex *c. quæsitum de rer. permutat.* Neque potest eas admittere resignationes, quæ fiunt causa permutationis, ut notat Rebuffus. Quòd si Vicarius specialem habeat facultatem admittendi resignationes absolutè & simpliciter factas, non tamen eo ipso intelligitur habere facultatem conferendi eadem beneficia resignata, ut liquet in *c. ult. de offic. Vicar. in 6.* ubi expressè hæc facultas conferendi beneficia resignata ei denegatur, & ita etiam conclusit Rota *decis. 43. in antiquis.* Quòd si Vicarius habeat potestatem approbandi resignationes factàs causa permutationis : tunc habere facultatem conferendi resignata beneficia permutantibus docent Bellamera *decis. 44.* Selva *p. 2. q. 14. n. 1.* & alii; eo quia resignata beneficia causâ permutationis ipso jure debent conferri permutantibus *clement. 1. de rer. permut.* & id videtur juri magis consonum.

5 An verò Vicarius habens specialem facultatem conferendi beneficia, eo ipso censeatur habere potestatem conferendi dignitates; comunior opinio est affirmativa; quia appellatione beneficiorum continentur etiam dignitates, quando materia non est odiosa, ambitiosa, pœnalis, ut notat Glossa in *c. 1. de reg. juris in 6.* quia in simili causa procurator datus ad præstandum consensum in beneficio collato potest consen-

sum præstare etiam in dignitate adepta, ut notat Felin. in *c. postulâsti de rescript.* Cæterum cùm ab Episcopo conceditur suo Vicario Generali potestas conferendi beneficia, debet hæc laxè interpretari; adeò ut comprehendat quælibet beneficia, etiam ea, quæ sunt in Ecclesia Cathedrali, & alia, quibus est annexa cura animarum ut notat Rebuffus *à numero 111. usque ad numerum 118.* Non verò extenditur hæc potestas ad beneficia postmodum erecta,& instituta, quia data potestas Vicario, tantùm fuit ad illa beneficia, quæ tunc existebant, quando Vicarius accepit talem facultatem conferendi beneficia; & quæ postea fuerunt instituta, & recèns erecta, tunc nondum existebant; ergo ad illa non videtur se extendere, idq; non obscurè desumitur ex *Clement. Litteras de rescript.* & Glossa ibid. illa verò beneficia, ad quæ extenditur talis potestas possunt à Vicario conferri etiam cùm existit extra Diœcesin, ut notat Glossa *in c. novit de offic. delegat. V. terminus*: quia licèt judex existens extra territorium nequeat exercere jurisdictionem in iis, quæ postulant in tribunali cognitionem causæ, eò quia ibi non habeat proprium tribunal: potest tamen illam exercere in suos subditos, quando non requiritur talis cognitio in tribunali, ut notat Glossa in *d. c. novit.* Excipiuntur tamen beneficia, quæ vacant in curia Romana, quia hæc non possunt à Vicario, immò neque ab ipso Episcopo Romæ commorante conferri: siquidem sunt Romano Pontifici reservata, ut liquet ex *c. statutum de præben. in 6.*

6 Non tamen potest Vicarius habens potestatem conferendi beneficia, illa unire, & ex pluribus unum constituere, nisi ad id fuerit sibi specialiter facta facultas, ut communiter docent Canonistæ, Geminian *cons. 39.* Paris. *consf. 41. lib. 4.* Rebuffus *n. 102.* ratio est; quia unire beneficia, est quid majus, quàm beneficia conferre, & facultas conferendi minus non includit, nec secum trahit facultatem conferendi majus: tum quia plures inferiores Episcopo jus habent conferendi beneficia *c. cùm, & plantarem. 3. de priv.* quibus tamen nullo modo competit facultas uniendi plura beneficia, etiam in iis, quæ possunt conferre, ut liquet ex *c. sicut unire de excessu Prælat.* Rursus possunt Prælati absque consensu Capituli conferre beneficia, quæ tamen unire nequeunt *c. Pastoralis de donat c. 2. de concess. præben.*

7 Cæterum Episcopus etiam postquam suo Vicario facultatem dedit conferendi beneficia, adhuc potest ipse per se illa conferre, etiam inscio Vicario, antequam hic illa contulerit, idque Rebuffus *de officio Vicarii n. 89.* probat ex *c. constitutus de concess. præben.* siquidem Episcopus semper supponitur majorem sibi retinuisse potestatem, quàm suo dederit Vicario: non enim eò ipso, quòd hanc facultatem dedit Vicario, se ipsum illâ privavit. Quòd si contingat, Episcopum conferre beneficium, quod ejus Vicarius per potestatem sibi datam priùs contulerat, adhuc si cœtera sint paria, jus ad beneficium illi competit, cui Episcopus contulit, ut notat Rebuffus *n. 121.* & dat rationem, quia quod fit ab Episcopo, intelligitur factum ab eo, qui majorem habet potestatem; proinde factum Episcopi cœteris paribus præfertur facto à Vicario, ut liquet ex *c. si à sede. de præben. in 6.* id autem verum censerem, si beneficium simul, & eodem die collatum fuisset ab Episcopo, & Vicario; alioquin si per aliquot dies Vicarius jam contulisset beneficium, is, cui contulit, acquisivit jus ad illud, quo sine justa causa non esset privandus. Unde doctrina communis debet intelligi, quando omnia sunt paria, adeò ut Vicarius, & Episcopus simul eodem tempore conferant beneficium, quia tunc Vicarius censetur revocatus, quoad id, quod pertinet ad illam concessionem beneficii: perinde ac Domino tractante causa intelligitur Procurator revocatus, quoad illa, quæ spectant ad talem causam *c. si quem de procurat. in 6.* Rursus delegatus per se ipsum cognoscens causam eo ipso revocat subdelegatum ex *c. intimâsti de appellat.* Archidiac. in *c. quamvis de offic. delegat.* Rursus ex eo, quòd Vicarius specialem habeat facultatem conferendi beneficia, non tamen eo ipso intelligitur habere facultatem privandi Clericos suis beneficiis, nisi ad id speciale mandatum acceperit ab Episcopo, ut notat Rebuffus *n. 135.* siquidem plures sunt Episcopo inferiores, qui possunt beneficia conferre, licèt non possint eadem adimere. Tum quia jurisdictio voluntaria conferendi beneficia non includit contentiosam, ut docent Felin in *c. auditi. de præscript.* Abbas in *c. accepta. de restit. spoliat.*

Quamvis Vicarius specialem accipiat ab Episcopo facultatem conferendi beneficia, non propterea debet, nec potest ea conferre Episcopo, à quo talem accepit facultatem, ut notat Rebuffus *n. 82.* ratio est perspicua: quia sicut Episcopus non potest sibi ipsi beneficium conferre, eo quia inter dantem, & accipientem debet necessariò dari distinctio *c. vel. de instit.* ita nequit Episcopus dare alteri facultatem, ut sibi beneficium conferat, quia perinde esset, ac dare sibi beneficium. Rursus licèt Vicarius potestatem acceperit conferendi beneficia non tamen potest cui magis placuerit ea conferre, sed tenetur examinare præsentatos antequam instituat eos in beneficiis: siquidem non potest promovere nisi idoneos, ad quos instituendos etiam jure compellitur: alioquin si negligat præsentatos examinare graviter peccat, quia periculo se exponit promovendi ad dignitates Ecclesiasticas indignos, vel minùs idoneos. [illegible] licèt Episcopus aliquem nominaret, ac præsentaret, ut Vicarius illum promoveret ad beneficium, & Vicarius certò illum cognosceret indignum tali beneficio, teneretur Episcopum monere, nec posset salvâ conscientiâ tale beneficium ei conferre: alioquin, uterque Episcopus, & Vicarius graviter delinqueret: sin autem non constaret Vicario de incapacitate præsentati ab Episcopo, teneretur ei conferre beneficium, quia tunc deberet supponere Episcopum examinâsse, & habere certam notitiam de idoneitate præsentati. Hi verò digni, & idonei censentur, qui debitam scientiam requisitam, ætatem, legitimos natales, & probos mores habent. 8

§. IV.

§. IV.

Quidnam juris insit Vicario generali in aliis causis.

1 Certum est, Vicarium generalem ex vi mandati generalis ei ab Episcopo dati, non posse omnia præstare, quæ Episcopus; siquidem pleraque sunt, quæ propter generale mandatum adhucaliud exigunt speciale: unde licèt Episcopus constituens suum Vicarium daret eidem potestatem exercendi omnia in suo nomine, etiam quæ speciale requirunt mandatum; adhuc hæc clausula in jure censeretur nimis generalis, proinde insufficiens, & procederet *regula 81. juris in 6.* quòd in generali concessione non comprehendantur, quæ quis verisimiliter non esset in specie concessurus. Quamobrem ut Episcopus possit cum effectu constituere Vicarium, etiam ad specialia; necesse est, exprimat aliqua specialia, & addat has alias particulas, & *omnia alia, etiam specialia*: tunc Vicarius poterit quidem omnia minora expressa præstare; non ita majora. Argumentum desumitur à pari in mandato Procuratoris, à quo valet illatio ad mandatum Vicarii, cùm sit Vicarius, ut Procurator Episcopi: atqui Procurator non potest, nisi ea specialia, quæ in mandato exprimuntur, ut liquet ex *c. qui ad agendum de procurat. in 6. juxta clement 2. eod. tit.* Garzias *de benefic. p. 5. c. 8. n. 68.*

2 Hinc ut possit Vicarius dispensare in votis, juramentis, impedimentis, & legibus canonicis, specialis ei necessaria est concessio: nisi ab ipso jure commissa sit illi hæc facultas; sicut jura dant potestatem dispensandi in denuntiationibus matrimonialibus, & promulgandi, ac decernendi excommunicationem ad restitutionem inventorum: vel nisi casus frequenter contingant, quo pacto Vicarius generalis frequenter dispensat, quoad jejunia. Tametsi Episcopus possit suo Vicario impertiri potestatem dispensandi in casibus, qui dicuntur per se papales, quique à Pontifice tamen, velConcilio Episcopis ratione suæ dignitatis Episcopalis per generalem concessionem committuntur, ut dispensare in omnibus irregularitatibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, eâ exceptâ, quæ oritur ex homicidio voluntario; non propterea, hi casus censentur comprehendi in generali tantùm commissione facta Vicario dispensandi in omnibus casibus Episcopalibus. Quia verò delegatus à Pontifice potest subdelegare, ideò potest etiam specialiter causas sibi à Pontifice commissas suo Vicario subdelegare, nisi specialis qualitas personæ moverit Pontificem ad talem delegationem eidem faciendam. Quòd si Pontifex eadem ratione Vicario Episcopi delegaret aliquam specialem causam ob idoneitatem particularem personæ, non posset Vicarius alteri talem causam subdelegare: imò nec Episcopus posset se tali causæ immiscere, si delegatio facta sit à Pontifice suo Vicario ob specialem idoneitatem personæ.

3 Quinimò nec in generali concessione facta ab Episcopo suo Vicario comprehenditur potestas absolvendi à casibus Episcopo reservatis in foro interno; sed debet Vicarius speciale ad id habere mandatum, quia ex regula generali 82. *de regulis juris in 6.* hæc talia in concessione generali non comprehenduntur: unde difficulter videtur posse assignari, quænam sint illa omnia, quæ speciale exigunt mandatum ob varias circumstantias, & Doctorum discrepantes sententias. Garzias *de beneficiis p. 5. c. 8. n. 46. & 63.* tradit regulam generalem, & est, quòd quæ sunt de justitia, necessariò debeant administrari, cujusmodi sunt decisiones causarum litigiosarum, institutiones præsentatorum, & alia id genus, quæ regulariter potest Vicarius præstare: non ita, quæ sunt meræ gratiæ, ut dispensare, & conferre beneficia, nisi utrobique speciali jure exceptio ponatur. Verùm hæc regula patitur suas difficultates, nec censenda est infallibilis, nec apud omnes recepta: Siquidem circa actus justitiæ docet Rebuffus *in praxi beneficior. in tit. forma Vicariatus n. 125.* Vicarium à patronis præsentatos non posse absque speciali mandato instituere. Rursus *n. 155.* asserit, causas matrimoniales non posse à Vicario tractari, tametsi utrinque sint opiniones, quas DD. propugnant in partes contrarias, ut apud Barbosam *allegat. 54. n. 90. & 74.* Quinimò etiam circa actus gratiæ, cujusmodi sunt dispensationes, remissiones denuntiationum matrimonialium, non desunt, qui contrarium sentiunt apud Garziam *de benefic. p. 5. c. 8. n. 1.* quamobrem Sanchez de matrimonio *l. 6. dis. 59. q. 2. n. 1.* ait, quòd cùm Vicarius utatur jurisdictione, ac tribunali Episcopali, regulariter, & quæ Episcopo conceduntur, etiam Vicario supponuntur concessa, nisi fuerint specialiter in jure excepta: vel essent res arduæ, quas verisimiliter Episcopus nollet sine suo præscitu, & consensu expediri.

Excipiuntur tamen in jure nonnulla, primò 4 quia tametsi in Vicarium ex generali mandato transferatur cognitio causarum, id nihilominus potiùs de civilibus, quàm de criminalibus intelligitur, adeò ut sine speciali mandato nequeat Vicarius inquirere, punire, beneficiis, officiis, & administrationibus privare Clericos *c. 2. h. t. in 6.* excipitur, secundò collatio beneficiorum, quia sunt quædam donationis species, & Vicarius cùm sit administrator nequit donare rem alienam, tametsi libera illi concedatur administratio *c. 3. eod. tit. in 6.* quod tamen intelligitur de collatione libera, non de institutione; quia institutio non habet speciem donationis, cùm præsupponat jus petendi in præsentato, cui ex patroni præsentatione fuerit jus acquisitum. Unde Vicarius non nisi ex speciali mandato potest beneficia conferre. Tertiò nec potest Vicarius Episcopi sine speciali mandato dare Clericis litteras dimissorias, nisi Episcopo in remotis agente *c. cùm nullus de tempor. ordinat. in 6.* hinc habetur stylus inserendi dimissoriis à Vicario concessis nominatim clausulam *ex speciali mandato Episcopi*, ut autem Episcopus censeatur in remotis agere, sufficit, si moretur extra Provinciam *argu. l. ult. C. de Præscript. 10. vel 20. annorum.* vel si absit ultra duas dietas à sua civitate, seu Cathedrali *argu. c. nonnulli de rescript.* Verùm id potiùs videtur arbitrari-um,

um, ac desumendum à majori, vel minori difficultate conveniendi Episcopum. Quartò quamvis Episcopus possit super omnibus irregularitatibus, & censuris ex delicto occulto provenientibus dispensare, excepta illa, quæ oritur ex homicidio voluntario, & etiam exceptis aliis deductis ad forum contentiosum juxta Tridentinum *sess. 24. de reformat. c. 6.* nihilominus talia non conceduntur ejus Vicario, nisi ex speciali mandato, ut colligitur ex eodem Tridentino *loc. cit.* Rursus idem Concilium solis Episcopis non eorum Vicariis concedit facultatem absolvendi in hæresi occulta: licèt non desint, qui putant apud Sanchez *de matrimon. lib. 2. disput. 4. n. 17.* etiam casum hæresis posse Vicario specialiter delegari, dummodo hujusmodi delegatio sit tantum temporanea, nec se extendat nisi ad unum, vel alterum casum. Quintò nec potest Vicarius absque speciali mandato absolvere à casibus Episcopo reservatis *c. 2. de pœnitent. & remiss. in 6.* quia eo ipso quòd Episcopus eos sibi reservat, censetur nolle, ut ab aliis absolvantur. Sextò non potest Vicarius absque expressa facultate sibi impertita ab Episcopo alium Vicarium substituere, quia is tantum potest alteri dare jurisdictionem, qui eam possidet suo jure; non verò gratia, & beneficio alterius; cujusmodi est Vicarius, qui habet jurisdictionem gratia, & favore Episcopi *l. more majorem ff. de jurisdictione.* Septimò neque absque speciali commissione potest Diœcesin visitare: siquidem id munus Episcopo principaliter incumbit, nisi fortassis aliquo justo detineatur impedimento *c. si Episcopus*, & ibi Glossa *in V. permittitur de offic. ordinarii in 6.* Plura alia recenset Barbosa *de offic. Episc. allegat. 54.* quæ Vicario prohibentur; licèt super iisdem discrepantes etiam sint Doctorum sententiæ.

5 Cæterum inter causas, quæ specialem exigunt commissionem, nec censentur comprehensæ in officio Vicariatûs generaliter commisso, numerantur causæ criminales, idque colligitur *ex c. licèt 2. h. t. in 6.* quia hæ causæ deputantur inter negotia majora, cum in iisdem agatur de pœna gravi infligenda delinquenti; unde Vicario tantum committitur, ut inquirat, & cognoscat de delictis: non verò ut ipse puniat, sed ut ad Episcopum referat, unde potest tantùm inquirere ad emendationem, & scandala avertenda, vel si civiliter tantùm agatur, de aliquo delicto. Quòd ad causas matrimoniales attinet, utrinque sunt opiniones dissentientes, nonnulli censent earum cognitionem pertinere solùm ad Episcopum, non ejus Vicarium, eò quia causæ matrimoniales æquiparentur criminalibus, ac recenseantur inter arduas *c. penult. de in integr. restit.* Alii valdè probabile censent, Vicarium ex officio vicariatûs sibi generaliter commisso habere jus cognoscendi causas matrimoniales, & id etiam desumunt *ex c. de frigidis &c.* juncta Glossa *V. missum*, *& ex c. final. de cognat. spirit.* eò quia causæ matrimoniales non censeantur adeò difficiles, & arduæ, ut à solo Episcopo cognosci, & expediri debeant; imò *in c. penult. de in integ. restit.* æquiparantur criminibus in eo tantùm, quòd per arbitros cognosci possint, imò Tridentinum non adimit Vicario generali jus cognoscendi causas matrimoniales, eo quia sit una, ac eadem cum Episcopo jurisdictio, sed tantùm aliis Prælatis Episcopo inferioribus, quique distinctam ab Episcopo habent jurisdictionem, cujusmodi sunt Archidiaconi, in aliquibus Cathedralibus, ac Decani Rurales.

Non tamen potest Episcopi Vicarius aliquid concedere contra expressam Episcopi voluntatem: unde contigit casus, quo Episcopus inhibuerit cuidam Abbatissæ recipere ad habitum Monachalem certam puellam; & cum ob certa negotia Episcopus absuerit à loco, Abbatissa petiit facultatem à Vicario generali permittendi ad habitum Monachalem eandem puellam: fuit quæsitum quid juris; non defuerunt qui putârint, potuisse Vicarium in absentia Episcopi talem facultatem dare, eò quia talis puella jam erat capitulariter à toto Monasterio accepta: siquidem hujusmodi acceptio ad habitum Religionis ad Monasterium pertinet, nisi aliter per speciales regulas, aut constitutiones, vel privilegia statuatur, ut liquet ex *c. ad Apostolicam, & ex c. porrectum de Regular. & c. vidua. 20. q. 1.* & tradunt communiter juris Pontificii periti cum Glossa in *c. fin. de Regular. in 6.* siquidem cùm admissio ad habitum religiosum, sit quædam inchoatio incorporationis ad religionem, & quidam contractus, quo receptus se offert, & se dat probandum Religioni, & Religio se obligat probare, requiritur consensus utriusque, scilicet Monasterii, & suscipientis habitum monasticum: quia sine consensu contrahentium, nequit contractus subsistere *l. 1. de pactis*, adeò ut si Episcopus velit vi Moniales adigere sibi subditas ad aliquam puellam recipiendam in novitiam, possint Moniales renuere, & appellare ad superiorem, ut docet Bellam. *in c. fin. n. 1. causa 16. q. 71.* siquidem cùm jus acceptandi ad novitiatum pertineat ad Monasterium, non potest hoc illo privari; proinde nec potest Monasterium adigi ad acceptandam puellam, si nolit. E converso potest Episcopus, ut etiam ejus Vicarius recipere ad habitum, vel professionem in Monasteriis Monialium sibi subjectis, ut docent communiter Rodriquez *tom. 3 quæstionum regul. q. 17. art. 4.* Navarrus *lib. 3. consil. 40. n. 2. & sequent.* Armila *V. Novitius n. 11.* Tabiena *q. 8. n. 9.* Cucchus *lib. 3. instit. major. tit. 1. n. 62.* & alii, quod tamen intelligitur de consensu Monasterii: quia cùm Episcopus sit superior Monialium, repræsentat conventum in tali receptione; & quia agitur de re pertinente ad totum conventum, nequit id præstare sine ejus consensu, alioquin Monasterium privaretur suo jure. 6

Respondetur igitur, non posse Vicarium generalem in absententia Episcopi admittere ad habitum puellam à conventu Capitulariter acceptam, si Episcopus id prohibeat Abbatissæ. Quia hæc prohibitio facta Abbatissæ, ne recipiat puellam jam capitulariter acceptam, respicit executionem capitularis determinationis, cui ponit impedimentum, ne ad executionem mandetur; & rursus dirigitur ad Abbatissam, ut 7

ad

ad illam, ad quam pertinet capitulares determinationes executioni mandare: quapropter, quia prohibitio Episcopi injicit obicem cursui determinationis capitularis, nequit hæc executionem habere: siquidem impedita causa inhibetur etiam ejus effectus, quia tunc cessat causatio causæ, sine qua non ponitur effectus *l. adigere §. quamvis ff. de jure patronat. & c. cùm cessant. de appellat.* Quamobrem Vicarius etiam absente Episcopo non potest talem puellam ad habitum recipere ex duplici capite: primò ex defectu capitularis determinationis, cujus cursus impeditur, ne mandetur executioni ob negatum ab Episcopo consensum. Secundò ex defectu jurisdictionis in ipso Vicario, quia eo ipso quòd Episcopus manum apposuit negotio receptionis puellæ ad habitum religiosum, non potest Vicarius ipsius tanquam inferior in eodem negotio se ingerere: quando enim Princeps manum apponit alicui negotio, censetur sibi assumere, ac reservare totam illius cognitionem: adeò ut sibi reservet pro illo casu totam jurisdictionem quoad exercitium, inferior non potest se immiscere in in reservatis ipsi superiori, ut liquet *ex c. ut nostrum de appellat.* & tradunt communiter doctores, Gonzales *de mensibus Gloss. 52. n. 27.* Covarruvias *c. 9. pract. n. 4.* Imola *in l. si expressum ff. de appellat.* Menochius *cons. 301. n. 4.* idque præsertim valet in præsenti casu, in quo jurisdictio Vicarii dependet ab Episcopo, à quo est etiam revocabilis, vel etiam ad libitum restringibilis: unde eo ipso quòd Episcopus prohibet aliquid fieri, quod aliàs posset à Vicario fieri, censetur ejus jurisdictio restricta, quia tunc ad se solum Episcopus trahit tale negotium, ut tradit Innocentius in c. cùm M. Ferrariensis *de constit.* & cum ipso Decius ibid. *n. 36.* Cald. *cons. 7. de præben.*

8 Neque urget, si dicas, prohibitionem Episcopi esse personalem directam ad solam Abbatissam; proinde non esse extendendam, ad alias personas: quia personalia non egrediuntur ipsam personam, ut communiter docent doctores cum Rota. *decis. 397. n. 17. p. 5. recent.* siquidem negatur hanc prohibitionem esse personalem, & factam tantùm intuitu Abbatissæ, quasi intentio Episcopi sit, ut puella non recipiatur ad habitum à tali Abbatissa; non curando, quòd alio modo recipiatur: sed prohibitio Episcopi est realis, ac directa in ipsam receptionem puellæ, & tantùm intimatur Abbatissæ, tanquam cui competit executio recipiendi ad habitum puellam illam: & prohibitio, quæ dirigitur ad rem, est realis, non personalis, ut notat Tuschus *littera P. conclus. 896. n. 6.* Tum quia in prohibitione attenditur potiùs ratio, quâ fit prohibitio, & extenditur juxta exigentiam talis rationis; tametsi aliàs personalis esset, ut docent Bursat. *Consil. 13. n. 5. & consil. 17. n. 13.* Covarruvias *lib. 3. var. resolut. c. 5. n 4.* Pasqualigus *centur. 4. q. 307. n. 10* Grass. *de success. §. fideicommiss. q. 5. n. 11.* Paris. *consil. 32. n. 37.*

9 Rursus nec habet Vicarius potestatem dispensandi in casibus, in quibus dispensat Episcopus, non enim absque speciali facultate sibi ab Episcopo data potest concedere, ut qui caret legitimis natalibus promoveatur ad ordines minores, ut nec adulter notorius, ut notat Glossa *in c. quæ de causa. 2. q. 4.* Neque si Episcopus instituat Vicarium generalem eum, qui jam est in dignitate, & ordine Episcopali constitutus habet hujusmodi Vicarius ex officio suo, & generali mandato ampliorem potestatem, quàm cæteri Vicarii, qui carent charactere Episcopali: quia ut Vicarius non potest exercere ea, quæ sunt ordinis Episcopalis, nisi ex commissione expressa Episcopi, ut notat Rebuffus *n. 168.* adeò ut nequeat Ecclesias, Capellas, & oratoria consecrare, nec Cœmeteria polluta expiare; neque potest ordines conferre, & chrisma conficere, nec infirmorum oleum sacrare, nec sacramentum confirmationis ministrare: imò si sit Vicarius Archiepiscopi, nec potest Abbates electos confirmare, nec eos benedicere, ut notat Rebuf. *de offic. Vicarii n. 32. & 33.* Vicarius tamen generalis Archiepiscopi, licèt præsente in Provincia Archiepiscopo non habeat jurisdictionem in Episcopos suffraganeos: nihilominus eo absente conceditur Vicario, ut possit jus dicere in Episcopos suffraganeos: ut notat Fagnanus *in tract. de Episc. lib. 4. p. 10. n. 12. tit. de Vicario.* Potest etiam Vicarius Episcopi, vel Archiepiscopi cognoscere super causis per appellationem ad Episcopum, vel Archiepiscopum jure ordinario devolutis, ut notat Abbas *in c. cùm ex litteris de restit. in integr.* Non tamen Vicarius generalis potest concedere indulgentias, quas alioquin potest Episcopus ex *c. cùm ex eo de pœnitent.* ad id enim etiam requiritur speciale mandatum: ratio est, quia hic actus est voluntarius, non necessarius, proinde non transit ad Vicarium nisi ex speciali facultate Episcopi.

Quòd si Episcopus det suo Vicario plenam, 9
& liberam potestatem, tunc vi hujus clausulæ potest Vicarius ea omnia facere, quæ in generali mandato continentur, ut liquet ex *l. Procurator cui ff. de Procurat. & c. qui ad agendum & c. sequent. eod. tit. in 6.* non tamen obire, vel exequi, quæ speciale postulant mandatum *c. cui generaliter de Procurat. in 6.* Hinc quia ad Episcopum jure communi pertinet confirmare Abbates, & priores sibi subjectos, & non exemptos *c. nullus 16. q. 7. c. cum ex injuncto ad finem c. Abbatem 6. de elect. in 6. c. cum venerabilis, & c. significaverunt de exceptionibus*, ideò Episcopus, si Vicarium generalem sibi constituat concedere eidem solet facultatem confirmandi Abbates, & priores. Consecrare tamen Episcopos, licèt conveniat Episcopo non tamen potest convenire ejus Vicario, nisi hic fuerit etiam Episcopali charactere insignitus, ut liquet ex *c. Episc. dist. 80.* Quòd si Vicarius sit etiam Episcopus titularis datur ei facultas Episcopos consecrandi. Rursus solet Vicario dari ex speciali mandato facultas Abbates, Abbatissam, & Moniales benedicendi, quia jure communi ad Episcopum pertinent hæ benedictiones. Non tamen potest dari facultas Vicario confirmandi pueros, & puellas, nisi fuerit & ipse Episcopus, quia Minister ordinarius sacramenti confirmationis est solus Episcopus *c. de his, & c. Episcopi*

de consec. dist. 5. Neque datur Vicario facultas conficiendi chrisma, neque benedicendi, nec sacrandi oleum Cathecumenorum, & infirmorum, nisi & ipse fuerit Episcopus: alioquin tantùm illi conceditur, ut chrisma conficiat per aliquem Episcopum ad id vocatum. Neque in generali mandato transfertur ad Vicarium facultas dispensandi super illegitimè natis, ut possint promoveri ad ordines Ecclesiasticos *c. cum authorit. de privileg. in 6.* Neque litteras commendatitias, & dimissorias ex suo generali mandato potest aliis concedere, nisi cum Episcopus fuerit in remotis partibus *c. cùm nullus de tempor. ordinat. in 6.*

11 Neque ex vi generalis mandati accipit Vicarius ab Episcopo potestatem conferendi beneficia, & officia, quorum conferendorum jus pertinet ad Episcopum; sed ad id necesse est habeat specialem facultatem conferendi; & tunc potest instituere, nominare, confirmare, præsentare; quia datur facultas conferendi beneficia absque diminutione, ut notat Glossa *in clement. ult. de Elect.* Sin autem concederetur Vicario facultas instituendi, vel præsentandi, non censeretur data potestas conferendi; quia una specialis facultas non comprehendit aliam *cap. cum in illis §. cum autem de præben. in 6.* Neque ex generali mandato potest Vicarius commendare. Neque unire beneficia. Neque visitare Diœcesin, quia Episcopus quotannis eam visitare jure communi compellitur. Quòd si morbo, aut alio impedimento legitimè præpeditus, idque per se ipsum præstare nequeat, tenetur ad id Presbyteros probatæ vitæ, & doctrinæ, aut Diaconos deligere, ac mittere *c. Episcopus 10. q. 1. c. inter cætera de offic. jud. ordinar. c si. Episcopus eod. tit. in 6.* non enim hæc potestas visitandi Diœcesin continetur in generali mandato Vicarii, ut docent communiter juris pontificii periti cum Glossa in *clement. de hæret.* Unde hæc potestas ex speciali mandato debet committi Vicario, ut etiam facultas celebrandi synodum *c. si Episcopus de offic. jud. ordinar. in 6.* ut etiam cognoscendi causas criminales, & civiles per se: siquidem Vicarius virtute sui generalis mandati non potest eas committere, nec cognoscere, nec pœnam corporalem jure constitutam commutare in pœnam pecuniariam, cùm id pertineat ad habentes potestatem ordinariam cognoscendi crimina, condemnandi, & absolvendi, ut notat Glossa *in c. licèt de pœnis, & c. in Archiepiscopatu de Raptoribus.* Neque potest sine speciali mandato cognoscere causas matrimoniales, & beneficiales, sine speciali mandato, quia illarum cognitio ad Episcopum pertinet *c. ex litteris de in integr. restitut. c. 1. de consanguinit. & affinit.* Panormit. tamen, & Covarr. censent hanc potestatem convenire Vicario ex solo generali mandato; & quia plures oppositum sentiunt: ideò tutiùs exprimitur hæc potestas in speciali mandato. Sunt etiam pleraque alia, quæ non nisi ex speciali mandato possunt Vicarii exercere, ut est facultas inquirendi in criminosos, puniendi, corrigendi, privandi beneficiis Clericos subditos Episcopo, hæc enim non includuntur in generali mandato, ut liquet ex *c. licèt de officio Vicarii in 6.* ut nec etiam facultas mittendi reos in carceres in perpetuum, vel ad tempus. Nec facultas absolvendi à casibus Episcopo reservatis, & quâ possit dispensare, vel absolvere in criminibus, in quibus potest ipse Episcopus.

12 Quamobrem cùm quæ includuntur in generali mandato sint perpauca; ideò Episcopus solet speciali mandato suo Vicario impertiri facultatem exercendi, & administrandi tam spiritualia cujusmodi sunt excommunicare, suspendere, interdicere, conferre, instituere, confirmare, eligere, præsentare, visitare, corrigere, punire, dispensare, vota commutare, & alia id genus; quàm temporalia, ut jurisdictionem tam meri, quàm mixti imperii, & actus quosdam extrajudiciales exercere; ut alienare, ad firmam concedere, census, redditus, pensiones exigere, ut notat Rebuffus in *praxi forma Vicarii Episc.* & hæc jurisdictio ut superiùs diximus non est delegata, sed ordinaria, & eadem cum illa Episcopi *c. 2. de consuet. in 6.* Quapropter non appellatur à Vicarii sententia ad Episcopum, sed ad Archiepiscopum; quamvis ab Archidiacono, & aliis inferioribus Prælatis appelletur ad Episcopum *c. 3. in princ. & §. 1. de appellat. in 6.* Vicarii etiam foranei, quia non habent idem, sed diversum ab Episcopo consistorium, rectè ab illis ad Consistorium Episcopi fit provocatio *c. 2.* & ibi Glossa, & Panormit. *de rescript. in clement.*

13 Si petas ad quem pertineat cognoscere de delicto, aut negligentia Vicarii generalis Episcopalis. Respondetur cum distinctione, vel enim Vicarius delinquit, ut persona privata, & tunc Episcopus ut judex potest eum punire, quia in iis, quæ agit ut persona privata, non gerit vices Episcopi. Vel delinquit in rebus ad officium suum pertinentibus; ita tamen, ut Episcopus non censeatur esse in culpa, & tunc etiam ad ipsum pertinet de tali delicto, & negligentia cognoscere, eúmque punire; vel ipse Episcopus est etiam in culpa cum Vicario, & tunc, quia uterque idem constituit tribunal, cognoscere talem causam, ac punire Vicarium pertinet ad Archiepiscopum, prout desumitur *ex c. 1. h. t. in 6. juncta Glossa V. rationabili causa.* Tunc enim delictum Vicarii censetur etiam delictum Episcopi, proinde ne dicatur Episcopus esse judex in propria causa, cognitio talis delicti ad Archiepiscopum pertinet, cui tenetur Episcopus Vicarium etiam sistere, si postuletur.

14 Præter Vicarium generalem Episcopi datur etiam Vicarius Capituli eligendus à Canonicis, sede episcopali vacante. Capitulum enim Ecclesiæ Cathedralis vacante, aut quasi vacante sede episcopali debet intra octiduum ab obitu Episcopi Vicarium constituere; vel constitutum ab Episcopo defuncto confirmare ex jure novissimo Concilii Tridentini *sess. 24. c. 16. de reformat.* adeò ut in casu negligentiæ ipsius Capituli Vicarii constitutio devolvatur ad Metropolitanum: & in casu Ecclesiæ exemptæ ad seniorem, aut propinquiorem Episcopum. Eadem est Vicarii Capitularis jurisdictio, quæ Vicarii Episcopalis: siquidem cum omnis jurisdictio Episcopi devolvatur in Capitulum, & jurisdi-

ctio

ctio Capituli fiat una cum jurisdictione Vicarii, idem poterit Vicarius Capitularis, ac Episcopalis; adeò ut etiam de speciali mandato debeat ipsi dari facultas ad plura; sicut etiam datur Vicario Episcopali; ut liquet ex prærecensitis. Neque plus potest quàm ipsum Capitulum: non enim ejus potestas potest esse major potestate Capituli cum tota dependeat tam quoad restrictionem, quam ampliationem à Capituli potestate, & exspiret ejus potestas, quando novus Episcopus confirmatur, & possessionem accipit Episcopatûs, nisi prius revocetur.

15 Datur etiam præter Vicarium nonnunquam Episcopo in subsidium sui officii coadjutor, ex nonnullis causis, quæ explicantur in *c. unico de Cler. ægrot. in 6.* Quinimò non solùm Episcopo, sed etiam aliis inferioribus si necessitas exigat, datur coadjutor, ut si morbo ita detineantur, ut nequeant proprio munere fungi: ut de Rectore Ecclesiæ leprâ; de Archidiacono paralisi laborantibus rescriptum deprehenditur in *c. 3. & fin.* ubi latè Abbas *ins. de cler. ægrot.* Non enim infirmitate, & ægritudine detentus debet suo beneficio privari, ne afflicto addatur afflictio. Non tamen Coadjutor datur cum futura successione ut statuit Concilium Tridentinum *sess. 25. c. 7. de refor.* ne detur occasio desiderandi mortem proximi. Cæterum cum futura successione datur coadjutor à summo Pontifice causâ priùs diligenter cognitâ, & concurrentib⁹ qualitatibus, quæ à jure, & decretis Concilii Trid. in Episcopo, & Prælato desiderantur, alioquin concessio coadjutoris esset subreptitia. Coadjutor verò vices gerit Episcopi, vel alterius inferioris, cujus est Coadjutor, & qui suis muneribus obeundis non est idoneus; præsertim Verbo Dei ad populum dicendo, ecclesiis invisendis, reatibus subditorum audiendis, pœnis inurendis, vel aliqua justa causa sit in perpetuò impeditus, vel extremo senio confectus ut habetur *tot. tit. de Cler. ægrotante, & c. unic. eod. tit. in 6.* Pro Coadjutore Episcopus eum sibi adsciscit ex Capituli consensu, & authoritate Pontificis, qui ad Episcopalia munia obeunda idoneus sit; eique congruam sustentationem ex propriis proventibus Episcopus assignat, ut habetur in *d. c. unic. eod. tit. in 6.*

§. V.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones.

1 Quæritur primò, an dentur casus, in quibus vigore Concilii Tridentini *sess. 7. c. 7. de reform.* Episcopus non possit Vicarium perpetuum constituere. Ex Vicariis alii sunt perpetui, qui authoritate Episcopi canonicè sunt instituti, ut locò principalis Rectoris inserviant alicui Ecclesiæ cum assignatione congruæ portionis fructuum, quos inde percipere debent, ut notat Glossa *in c. ult. V. perpetuos Vicarios b. t.* Alii temporales, qui authoritate legitimi superioris pro agendo ecclesiastico servitio sufficiuntur ad tempus, seu ad voluntatem constituentis in locum alterius, cujusmodi sunt Vicarii temporales constituti in Ecclesiis parochialibus *c. cum ex eo 34. de elect. in 6.* sive deputentur pro foro contentioso, ut Vicarii generales. Certum est, Vicarios perpetuos esse instituendos ab Episcopo, licèt regulariter ad præsentationem, seu nominationem Rectoris principalis, vel illorum quorum dignitati, vel capitulo Ecclesia parochialis, vel alterius fuit perpetuò unita, ut notat Pirhing. *b. t. n. 3.* ubi etiam allegat declarationem sacræ Congregationis Cardinal. Concil. Tridentini *sess. 7. c. 7. de refor.* Et hujusmodi Vicarii perpetui institui solent in parochialibus, & aliis beneficiis curatis perpetuò annexis, ut unitis cathedrali, collegiatæ, vel alteri Ecclesiæ, vel Monasterio, aut Collegio, aut piis locis *c. extirpandæ 30. §. qui verò de præbend.* & decisum est in Concilio Tridentino *sess. 7. c. 7. de reform* quia ibi ponitur limitatio: *nisi ipsis ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur*, ideò meritò quæritur, in quibusnam casibus vigore Concilii Tridentini possit Episcopus non constituere Vicarium perpetuum, sed tantùm temporalem. Respondetur, tunc non posse Episcopum Vicarium perpetuum constituere; si talis unio à tempore immemoriali facta fuit, & ex tunc constet, Vicarios fuisse ad nutum amovibiles scientibus, & consentientious ordinariis. Secundò si unio facta sit per viam pacti à Sede Apostolica approbati. Tertiò si ex privilegio concesso causa remunerationis cum clausula inserta de serviendo beneficio per Vicarium ad nutum amovibilem. Alios casus etiam recenset Barbosa *lib. 3. juris Ecclesf. unive f. c. 6. n. 6.* in quibus non potest Episcopus in beneficio unito ponere Vicarium perpetuum, quia Concilium Tridentinum derogat juribus antiquis, consuetudinibus, & privilegiis. Tum quia Concilium Tridentinum id relinquit liberæ voluntati Episcopi; ait enim: nisi aliter expedire videbitur. Quòd si parochia sit nimis ampla, & populus frequentior, potest præter Ecclesiam parochialem alia filialis ædificari, quæ sit unita, & subjecta Ecclesiæ parochiali: & potest in hac Ecclesia filiali ad præsentationem Rectoris Ecclesiæ majoris, & institutionem Episcopi unà cum congrua proventuum assignatione poni perpetuus Vicarius *c. ad audientiam 3. de Ecclesf. ædific.*

2 Quæritur secundò, quæ jura competant perpetuis Ecclesiarum Vicariis? Respondetur, illis competere jus in re, ac verum titulum canonicum in tali beneficio, ut notant Fagnanus in *c. ex parte n. 19. & 20. b. t.* Pyrrhus Corradus in *prax. benefic. lib. 3. n. 1. & 2.* hinc habens Vicariam perpetuam est beneficiatus *c. postulasti 27. de rescript.* quinimò Vicaria perpetua æquiparatur beneficio curato, seu parochiali; & quod statuitur de Ecclesiis habentibus curam animarum, & de earum Rectoribus; hoc idem etiam statuitur de perpetuis Ecclesiarum parochialium Vicariis & assumptis ad eas *clement. unic. b. t.* ubi dicitur, quòd sicut qui obtinet parochiam si acquirat aliud beneficium simile, vel dignitatem post pacificam possessionem secundi amittit primum, & vacat: eodem modo extenditur ad Vicarios perpetuos Parochiæ & sicut Rector parochiæ intra annum est promovendus ad

ad sacerdotium, ita etiam Vicarius perpetuus. Ubi notat Glossa, textum loqui de Vicaria perpetua non temporanea. Notandum tamen est, quòd titulus, quem habet Vicarius perpetuus in beneficio curato non est directus, quia hic est tantùm penes Rectorem principalem; sicut dominium directum in feudum non est in feudatario, sed in Domino directo feudi: & sicut feudatarius habet tantùm dominium utile; ita etiam Vicarius perpetuus habet titulum utilem, seu jus portionis ex annuis reditibus sibi assignatæ ob ministerium capiendæ, ut notat Pirh. *h.t.n.8.* imò hæc congrua portio ex annuis reditibus assignatur authoritate Ordinarii, & de ejus arbitrio, & licèt Pius V. in sua Bulla cui initium est *ad exequendum* estq; 47. ejusdem Pontificis *in tom. 2. Bullar. Roman.* statuerit, hanc portionem assignandam Vicariis parochialium Ecclesiarum, non debere esse majorem centum, nec minorem quinquaginta scutorum annuorum summâ, computatis omnibus etiam incertis emolumentis: nihilominus Gregorius XIII. id reduxit ad terminos juris communis, & Concilii Tridentini, ut refert Barbosa *lib. 3. jur. Eccles. univers. c.6. n.44.* ut notat Reiffenstuel *h.t. n. 38.* Cæterum Vicarius perpetuus in sua Ecclesia habet eandem potestatem, quàm verus Parochus, ita tamen ut tota cura actualis competat quidem quoad exercitium Vicario, sed Rector principalis habitu retineat totam curam: ut enim notat Glossa Margin. *in c. super eo. V. annexa de præbend. in 6.* Vicarius perpetuus habet curam in actu quoad forum pœnitentiale, sed principalis Rector in habitu: & ratio est, quia eo ipso, quòd quis est Vicarius tametsi perpetuus vices gerit alterius, seu Rectoris principalis, qui propterea semper retinet curam illam in habitu, licèt ejus Vicarius habeat in actu, & quoad actuale exercitium, hinc notat Fagnanus *in c. ex parte n.19. h.t.* Vicarios perpetuos propriè non dici Rectores Ecclesiarum, licèt curam habeant animarum. Cæterum quia Vicarius est perpetuus, si principalis Rector decedat, non expirat ejus officium *argum. c. ad hæc 3. h.t.*

3 Quæritur tertiò, an Vicarii temporanei propriè sint beneficiarii? Respondetur negativè, & desumitur ex *clement. unic. h.t.* siquidem cùm sint ad nutum amovibiles, nullúmque habeant titulum in beneficio, nec in eo investiantur; tametsi ipsis demandetur cura animarum; non tamen habent jus curæ, sed tantùm exercitium, & administrationem: quia jus in re respectu ipsius remanet penes Rectorem: quapropter mortuo Vicario temporali non vacat beneficium ex ejus obitu, quia tantùm cessat administratio ipsius, non verò ipsum beneficium: unde Vicaria temporalis non comparatur beneficio. Neque jure statuta de Vicariis perpetuis extenduntur ad Vicarios temporales, qui cùm sint ad nutum amovibiles, se potiùs habent instar Mercenariorum assumptorum à Prælatis ad tempus sub assignatione congrui stipendii, ut ipsos juvent in cura animarum, aliisque spiritualibus officiis obeundis, si ob debilitatem corporis, vel ex alia justa causa non possint Prælati per se ipsos immediatè satisfacere suis obligationibus, ut notat Barbosa *lib. 3. jur. Eccles. univers. c. 6. n. 57.* Hinc nominantur Vicarii temporales à Principalibus Rectoribus, adeò ut Episcopus ipsum tantùm approbet, détque licentiam administrandi Sacramenta, & exercendi curam animarum, si hujusmodi Vicarii per prævium examen fuerint deprehensi idonei, ut notat Garcias *p.1. de benefic. c.2. n.93.* ubi etiam adsert declarationem sacræ Congregationis Concil. Trid.

Quæritur quartò, an Vicarius possit substituere alium Vicarium? Respondetur negativè, & desumitur *ex c. Clericos 4. h. t.* ubi expressè statuitur, non esse permittendum, ut Vicarius alium sibi Vicarium constituat, adeò ut Vicarius quamvis perpetuus, & habens titulum non possit alium Vicarium perpetuum instituere, quia nec ipse Parochus, seu Rector Ordinarius Ecclesiæ potest talem Vicarium instituere. Ratio itidem ex eo desumitur, quia in Vicario censetur electa industria personæ, ut serviat loco principalis Rectoris, proinde ipse non habet jus substituendi alium Vicarium, ratione vicariatûs, alioquin hic alius Vicarius posset & ipse alium instituere; & hic alius alium in infinitum, quia semper ratio vicariatus in uno quoque esset eadem. Verùm Vicarius perpetuus non prohibetur Vicarium temporalem ex justa causa substituere ad breve tempus committendo etiam eidem totam administrationem sui officii, ut notat Hostiensis in *c. Clericos 4. n. 5. h. t.* quia Vicarius perpetuus habet veluti ordinariam curam, & jurisdictionem *argum. l. 2. C. de officio ejus qui vicem alicujus judicis, vel Præsidis obtinet,* unde sicut aliis Parochis, seu curatis, ita & Vicario perpetuo concessum est ob necessariam absentiam, vel infirmitatem, ut possit ad tempus breve alium idoneum sacerdotem substituere: dixi ad tempus breve, quia si impedimentum esset diuturnum Episcopus deberet admoneri, ut interim Vicarium constituat *argum. c. cum ex eo de elect. in 6.* Tempus autem breve censetur infra bimestre, & longum ultra duos menses, ut expressè habetur in Tridentino *sess. 23. c.1. de refor.* 4

Quæritur quintò, an Vicarius temporaneus ab Episcopo constitutus ad tempus, si officium suum solus explere non valeat, possit Coadjutorem sibi adsciscere? Respondetur cum distinctione, si totum Vicariæ officium alteri velit demandare, tunc expectato jure communi non potest uti Coadjutore: sin verò labores sint nimii, & cura animarum ingens, cui ipse solus non possit plenè satisfacere, tunc non prohibetur sibi adsciscere Coadjutorem in partem laborum, & curæ; quia sicut delegatus ad universitatem causarum cum ordinariam quasi habeat jurisdictionem, unam vel alteram causam, vel partem jurisdictionis delegare potest *l. 1. §. ab eo ff. quis & à quo,* & docet Glossa communiter recepta *in l. à Judic. 5. V. non habet C. de judic.* ita Vicarius temporalis, cùm & ipse jurisdictione sibi commendata, seu concessa utatur, potest alterum vocare, non quidem in totum ministerium, sed in partem ejus ex justa causa: in totum autem non potest, quia Vicarius prohibetur alium Vicarium sibi substituere, ut superiùs diximus. 5

Quæ-

6 Quæritur sextò, quónam sit discrimen inter Vicarium Generalem Episcopi, & ejusdem Officialem? Respondetur, differre Officialem à Vicario Generali, quia nomen Officialis latius patet, quàm nomen Vicarii Generalis, quia illud convenit etiam Vicario foraneo, *argum. element. etsi Principalis V. Officialis de rescript.* Rursus quamvis quicquid potest Officialis, hoc idem etiam possit Vicarius Generalis, non tamen è contra: adeò ut authoritas Vicarii Generalis, sit amplior, & major authoritate Officialis: hinc *in c. ult. h. t. in 6.* hæc duo nomina ponuntur veluti distincta, dicitur enim: Officialis, vel Vicarius Episcopi non potest conferre beneficia nisi specialiter ei committatur, quia in generali commissione non veniunt, quæ verisimiliter in specie quis non esset concessurus, illa autem particula *Vel* propriè est disjunctiva, & ponitur inter diversa, ut notat Barbosa *dist. 46. n. 1. & 6.* & desumitur etiam ex Conclio Tridentino *sess. 24. c. 16. de refor.* ubi hæc duo nomina ponuntur tanquam distincta, ibi: *Item Officialem, seu Vicarium.* Rursus aliud discrimen inter Officialem, & Vicarium Generalem Episcopi notat Glossa *in d. c. cum in generali 3. h. t.* eò quia Officiali commissione detur jurisdictio in causis civilibus tantùm, non verò in criminalibus, cum Vicario Generali committatur tota jurisdictio. Verùm tamen est, Officialem, & Vicarium Generalem plerumque esse unam, & eandem personam, quæ propterea absque ulla distinctione dicitur Officialis, & Vicarius Generalis. Hinc *in c. cùm nullus de tempor. ordinat. in 6.* qui antea dicebatur Officialis Episcopi, paucis interjectis vocatur postea Vicarius Generalis, & hæc est ratio, cur aliqui non distinguant Officialem à Vicario Generali. Tum quia qui juxta stylum curiæ vocatur officialis in pluribus Locis ultra montes audit Vicarius Generalis.

7 Quæritur septimò, an potestas Vicarii Generalis sit ordinaria, vel delegata? Respondetur, Vicarium Generalem juxta probabiliorem sententiam habere jurisdictionem ordinariam, non delegatam, & desumitur *ex c. Romana de appellat. in 6.* ut notat Glossa ibid. *V. generalem.* & docent Sperellus *decis. 97. fori eccles. n. 3.* Pirhing, *h. t. n. 35.* Covarruvias *lib. 3. variar. resol. c. 20. n. 20. n. 4.* Ratio est, quia quando jurisdictio datur à canone ratione officii, tunc est ordinaria *l. & quia ff. de jurisdict. om. jud.* sed Vicarius Generalis Episcopi à canone habet jurisdictionem sibi concessam ratione sui officii *c. licet 2. h. t.* proinde ejus jurisdictio est ordinaria non delegata. Et quamvis Episcopus sibi constituat Vicarium Generalem, eo tamen ipso, quòd illum constituit, tribuit eidem jurisdictionem, & quidem immediatè, quia tamersi Episcopus mediet, quasi instituens, non tamen mediat quasi dans jurisdictionem, ut contingit in aliis judicibus habentibus ordinariam jurisdictionem: & nihilominus deputantur à Principe ad officium Judicis: unde sicut Princeps deputans aliquem ad tale officium dat illi jurisdictionem ordinariam, ita etiam Episcopus instituens suum Vicarium Generalem dat illi jurisdictionem ordinariam. Unde est idem tribunal, & eadem jurisdictio Episcopi, & Vicarii sui Generalis, & cum jurisdictio Episcopi sit ordinaria, ita etiam jurisdictio sui Vicarii Generalis. Idque procedit non solùm in iis, quæ ipso jure competunt Vicario ex generali commissione sui officii; verùm etiam quoad alia negotia requirentia speciale mandatum, si hæc in prima collatione vicariatûs specialiter exprimantur, ut notat Pirhing. *h. t. n. 4.* & Sprozius *lib. 1. q. 67. n. 3.* quia connexorum est idem judicium *c. translato 3. de constitut.* & causæ specialiter commissæ sunt annexæ jurisdictioni in prima collatione datæ. Id tamen non procedit de illis causis, quæ non solùm exigunt speciale mandatum, verùm etiam ut seorsim, & singulariter eidem committantur; quia in istis jurisdictio est delegata, ut notat Sprozius *lib. 1. q. 67.* Pirhing. *h. t. n. 20.* tum quia cùm hæc non sint simul connexa, nec se habeant ut accessorium, & principale; sequitur, quòd concessa jurisdictione ad unum non censeatur concessa eadem jurisdictio ad aliud, cùm non simus in connexis. Neque obstat quòd Episcopus habeat jurisdictionem ordinariam, quia licèt sit eadem jurisdictio ordinaria in Episcopo, & suo Vicario Generali: nihilominus in Episcopo est primariò, & principaliter ratione dignitatis, & in ejus Vicario solùm secundariò, seu accessoriè, proinde in Episcopo potest habere majorem extensionem.

8 Quæritur octavò, quot modis cesset officium, ac jurisdictio Vicarii Generalis? Respondetur 1. per mortem ipsius Vicarii, quia hæc omnia solvit. 2. per renuntiationem expressam, vel tacitam: si enim Vicarius egrediatur è loco vicariatûs animo non revertendi, tacitè censetur tunc renuntiâsse. 3. per mortem Episcopi, vel ejus depositionem, quia Vicarius habet eandem jurisdictionem cum Episcopo, valent tamen gesta tunc à Vicario ignorante mortem Episcopi longè distantis. 4. si jurisdictio Episcopi impediatur, vel suspendatur. 5. per revocationem.

TITULUS XXIX.

De Officio, & potestate Judicis Delegati.

Dixit Pontifex in præcedenti titulo de iis, qui alienas vices gerunt in divinis officiis, & jurisdictione voluntaria. Nunc agit de iis, qui gerunt vices alienas in judiciis, & jurisdictione,

ne contentiosa, idque vel in una tantùm, vel in certis causis; quales in primis sunt Judices Delegati, qui propterea plurimum habent affinitatis cum Vicariis foraneis. Sunt enim Judices Delegati; qui extra ordinem à Principe, vel summo Pontifice dantur ad lites discindendas: & ideò dicuntur divini arbitri *l. 12. C. de judic. l. 5. C. de fruct.* Dicuntur etiam Principalis disceptationis imaginem habere *l. 16. C. de appellat.* & vice sacra judicare *l. 16. C. Theod. eod. tit.* Unde habent jurisdictionem, cum ab aliis, veluti Magistratibus, delegentur, ut etiam notionem, seu judicandi facultatem.

SUMMARIUM EXEGETICUM

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *QUIA QUÆSITUM 1. h. t. Alexander III. rescribit Episcopo Londonensi, delegatum Papæ posse procedere non solùm contra partes, sed etiam contra eos, qui manifestè impediunt suam jurisdictionem, deterrendo minis partes, ut taceant. Hinc notat Glossa, jurisdictionem judicis ad eos etiam extendi, qui impediunt suam jurisdictionem, tametsi in litteris nulla de his mentio fiat, quia qui dat jurisdictionem præsumitur dare etiam media necessaria ad eam exercendam. Notat etiam Panormitanus hic, delegatum Principis posse ex privilegio etiam qualibet necessitate cessante, causam sibi commissam alteri subdelegare; ad hoc tamen ut possit subdelegatum compellere ad acceptandum, ait, inspiciendam esse necessitatem.*

C. *SANE 2. h. t. Idem Pont. rescribit Episcopo Bononiensi, quòd si super aliqua causa litteræ à Papa impetrentur; & aliæ postea, non facta mentione priorum litteræ opponantur, Judices donec Romanum Pontificem consulant, debeant ab utrarumque executione supersedere, ne pro varietate litterarum, causarum fines valeant impedire. In hoc textu non est sermo de diversis, & contrariis litteris sub eadem data, quia tunc neutræ essent priores: quia Pontifex clarè loquitur de variis litteris, quarum posteriores non faciant mentionem de prioribus. Quamobrem ex hoc textu rectè deducitur, quòd si oriatur probabile dubium de validitate litterarum diversarum, quod Judices reddat perplexos, consulendus sit Pontifex: unde pro varietate litterarum, series causarum non debent impediri, sed recursus haberi debet ad superiorem. Verùm id hodie non ampliùs locum habet, quia Judices debent procedere per formam primò datam, ex qua secunda littera non faciunt mentionem de primis* c. Capitulum S. Crucis de rescript. c. ut debitus 59. de appell.

C. *SI PRO DEBILITATE 3. h. t. Idem Pont rescribit episcopo Londonensi, delegatum legitimè impeditum in causis, quæ sine sua præsentia commodè terminari possunt, dummodo non sint causæ graves, posse alium subdelegare; imò ut notat Glossa etiam invitis partibus. Ceterum potest in subdelegatione delegatus reservare sibi consilium, ut apparet ex textu. Quòd si subdelegatus negligat illud requirere, ejus sententia non tenet, ut censet Panormitanus hic* n. 7. *quia subdelegatus tenetur servare formam mandati* c. dilecti de rescript.

C. *DE CAUSIS 4. h. t. Idem Pont. rescribit Carnotensi Electo, quòd si causæ infra certum terminum decidendæ committantur; nisi dies præfixus de communi consensu partium prorogetur, eo transacto mandatum expiret; proinde etiam jurisdictio. Item posse delegatum punire pœna juris non obtemperantes, & si a jure non sit pœna statuta, potest delegatus eos punire pœnâ arbitrariâ. Ex quo textu liquet, causam commissam intra certum terminum posse prorogari ex consensu partium: & ratio est, quia terminus est assignatus ad illorum commodum, unde possunt partes eum prorogare, si judicaverint id esse sibi utile.*

C. *PRÆTEREA 5. h. t. rescribit idem Pont. Archiepiscopo Senonensi, quod postquam alicui causa, quamvis simplex delegatur, possit authoritate Apostolica partes compellere, & contumaces Ecclesiasticâ sæveritate coërcere; tametsi litteræ commissionis id non contineant; vel partes mandatum non habeant accedendi; quia ex quo committitur causa, super omnibus, quæ ad ipsam spectant, plenariam recipit potestatem; & hæc ratio assignata à Pontifice habetur instar regulæ, ut uno commisso omnia videantur commissa, sine quibus illud non potest explicari. Notandum est, sæveritatem Ecclesiasticam in hoc textu non solùm comprehendere censuras, verùm etiam facultatem puniendi modo extraordinario. Cæterùm si aliqua forma exprimitur, ea servanda est: si non exprimitur, tunc valet regula, quòd concesso principali censeatur etiam concessum accessorium, sine quo non potest quis principale exequi.*

C. *QUAMVIS 6. h. t. rescribit idem Pont. Episcopo Vintoniensi, quòd si causa committatur duobus simpliciter, possit alter suas vices delegare Conjudici, vel alteri, quia judex delegatus potest committere suas vices alteri nisi prohibeatur. Non tamen tunc subdelegatus potest diversas sententias ferre, unam ut delegatus, & alteram ut subdelegatus, ut notat Panormitanus hic* n. 2.

C. *SIGNIFICASTI 7. h. t. rescribit idem Pont. Episcopo Norvicensi, quòd si judex ordinarius ad*

man-

mandatum Judicis Delegati à Papa non vult, vel non potest sententiam ab eo latam exequi; possit delegatus authoritate Apostolica eam executioni mandare, & impedientes censuris coercere. Ex quo textu liquet, executionem sententiæ delegati primo loco spectare ad Ordinarium. Rursus delegatum posse punire impedientes suum officium, tam in cognoscendo, quam in exequendo

C. *SI QUANDO 8. h. t. Declarat idem Pont. quòd si clerici trahant Episcopum ad Judicem delegatum super causa alicujus Ecclesiæ, in qua non sunt canonici instituti, vel non sunt in possessione: si delegatus per transactionem, vel alio modo conferat Ecclesiam, non debeat Episcopus violenter resistere delegato; sed tantùm precibus instare, ut differat possessionem; donec Papa informetur. Hinc liquet, Ordinarium non debere violenter Delegato resistere, nec ejus impedire officium*

C. *IN LITTERIS 9. h. t. idem Pont. declarat, quòd statim ac delegatus per se, vel per alium sententiam exequitur, vel precepit exequi, ejus jurisdictio cesset, eò quià jam sit suo functus officio. Notandum tamen est, quod judex ferendo duntaxat sententiam non dicitur plenè suo officio functus, nisi quoad cognitionem causæ in qua non potest se amplius intromittere* l. cum quærebatur. ff. de re jud. *post verò executionem factam tunc dicitur plenè functus suo officio, & totaliter cessat ejus jurisdictio. Hinc jurisdictio delegati multipliciter cessat. Primò per sententiam datam executioni; secundò per mortem judicis proprii. Tertiò per necem illius contra quem sunt litteræ, re tamen adhuc integra. Quartò per revocationem mandati, per secundas litteras expressè loquentes de primis. Quintò si judex remittat causâ superiori. Sextò si terminus comissionis sit elapsus. Septimò si re integra moriatur delegans. Octavò per legitimam recusationem. Nonò per legitimam appellationem. Decimò per appellationis delationem.*

C. *CONSULTATIONIBUS 10. h. t. rescribit idem Pont. Abbati S. Albini quòd si spoliatus aliqua possessione sine judicio, & causa rationabili litteras à Papa impetret, ut infra certum tempus restituatur; & judici constet, taliter esse spoliatum; & possessor antequam de litteris mentio fieret, ex justa causa se absentaverit, nec infra præfixum tempus possit comparere, non debeat ejusmodi spoliatus restitui, quamvis paratus sit testibus idoneis possessionem, & dejectionem probare, nisi possessor per contumaciam se absentaverit. Ubi notat Glossa, contra absentem causa studii, vel peregrinationis, aut alia simili, non esse procedendum definitivè; nec absentem esse reputandum contumacem: unde contra absentem non debet procedi, etiam quando agitur in possessorio, in quo duo probanda sunt, scilicet possessio priùs habita, & dejectio, seu spoliatio secuta.*

C. *SANE QUIA 11. h. t. idem Pont rescribit Episcopo Carnotensi, quòd delegatus Papæ vices ipsius gerit, ac proinde in causa illa superior sit, ac major illis, quorum causam terminandam suscepit: adeò ut si Episcopus, vel alius ipsi non subjectus in causa delegata rebellis, aut contumax fuerit, possit juxta qualitatem facti à delegato per censuram compelli. Ex quo textu liquet, delegatum non habere jurisdictionem nomine proprio, sicut Judex Ordinarius; sed potiùs nomine delegantis, & esse majorem illis, quorum causam terminat*

C. *EX PARTE 12. h. t. Idem Pont rescribit Archiepiscopo Eboracensi, quòd si unus impetret primam dignitatem in Ecclesia vacaturam, & primum diaconatum, & alter impetret litteras pro certa dignitate in eadem Ecclesia vacatura; non facta mentione de prima impetratione, si vacet hæc certa dignitas danda sit primo, non secundo. Verùm hodie litteræ, quæ primò præsentantur pro beneficio obtinendo, prævalent.* c. capitulum Sanctæ crucis de rescript.

C. *EX PARTE TUA 13. h. t. Idem Pont. declarat, quòd quando Papa non explicat oppositum, delegatus debeat servare formam juris, simulque admittere rationabiles exceptiones. Quia data quæcunque forma mandati semper admittuntur exceptiones juris, & si forma rescripti contradicit juri, servatur jus, nisi expressè constet de contraria intentione Papæ.*

C. *QUONIAM ABBAS 14. h. t. declarat idem Pont. quòd quando causa delegatur alicui dignitati, ut Abbati, non expresso Abbatis nomine, si moriatur Abbas delegatus, ejus successor debeat ut delegatus eandem causam prosequi. Notandum est, delegationem aliquando fieri expresso nomine proprio, ut Sylverio Episcopo Bononiensi, aliquando expresso tantùm nomine appellativo, sive officii, sive dignitatis: & hoc posteriori modo; quia eligitur talis dignitas transit ad successorem, etiam re integra, non ita si fiat expresso nomine proprio, quia tunc eligitur industria personæ.*

C. *SUPER EO 15. h. t. declarat idem Pont. quòd si quæstio sit de jure præsentandi inter partes, & causa delegetur alicui, ubi constiterit, cujus partis sit jus præsentandi debeat delegatus terminare quæstionem postpositâ appellatione, & ferre sententiam; scilicet Ecclesiam esse ordinandam secundùm præsentationem illius, qui probavit jus ad se pertinere; non tamen debeat ipsum instituere seu mittere in possessionem, quia id pertinet ad Episcopum, vel Archidiaconum, vel Archipresbyterum, qui licitè possunt appellare, si præjudicium sibi inferatur. Hinc liquet, verba commissionum, & delegationum esse strictè intelligenda, ut vitetur præjudicium tertii, cujus juri non censetur Princeps velle præjudicare, nisi id exprimat.*

C. *CAUSAM 16. Idem Pontifex declarat, quòd si causa aliqua, ut an matrimonium sit validum, delegetur duobus; & unus tantùm eam definiat, sententia nullum sortiatur valorem. Ex quo textu constat, plures delegatos simpliciter datos non habere jurisdictionem in solidum. nec posse unum sine altero procedere, nec ferre sententiam inter-*

locutoriam, vel definitivam, quia utraque continetur nomine sententiæ, nisi sequeretur absurditas. Cæterum causæ matrimoniales in jure tametsi reperiantur commissæ etiam non Episcopis c. proposuisti de probat. *regulariter tamen, & juxta stylum Curiæ committuntur solis Episcopis.*

C. *CAUSAM QUÆ 17. h. t. Idem Pont. declarat, quòd quando delegatus est Dominus impetrantis delegationem sit amovendus, ut suspectus, & alius subrogandus. Causæ verò rationabiles suspicionis sunt, si sit Dominus adversarii, si sit vasallus impetrantis, si consanguineus, vel advocatus in eadem causa pro ipso; vel si habeat consimilem causam. Hinc deducitur, posse Judicem recusari ut suspectum ex probabili causa, ut est, si sit Dominus adversæ partis. Et id etiam procedit, tametsi Judex suspectus habeat alios collegas non suspectos, ut notat Panormitanus hic* num. 1.

C. *CUM TE 18. h. t. Idem Pont. declarat, quòd si delegatus committat alicui causam non totam, sed sibi aliquid reservet, ut sententiam; si appelletur ad Papam; delegatus non obstante appellatione debeat causam prosequi. Quando autem delegatus solam cognitionem causæ alicui committit, & sententiam sibi reservat, non censetur tunc subdelegatio plenè facta, & in totum; proinde nec jurisdictio pro hac causa est totaliter à delegato abdicata. Hinc si appellationem à subdelegato recipere nolit, adhuc potest in causa procedere, & sententiam ferre: non enim à subdelegato ad Papam, sed ad ipsum debet fieri appellatio.*

C. *RELATUM 19. h. t. rescribit Lucius III. Archiepiscopo Cantuariensi, per mortem delegantis si lis sit contestata jurisdictionem delegati non expirare: secus tamen si lis non sit contestata. Notat tamen Glossa, hunc textum procedere secundùm leges civiles, juxta quas lis non dicitur inchoata, nisi per litis contestationem* l. amplius ff. rem ratam habere. Authent. de litig. §. omnem collat. 8. *siquidem juxta canones sufficit sola citatio. Rursus ex dicto textu constat, jurisdictionem ordinariam non extingui per mortem mandatoris etiam re integra* l. & quia de jurisdict. om. judic. *siquidem per concessionem ordinariam jurisdictionis conceditur simul dignitas, quæ radicatur in persona illius, cui conceditur, quo fit, ut per mortem concedentis non expiret: siquidem quod nostrum est, sine facto nostro à nobis avelli non potest* l. id quod nostrum ff. de regul. juris. *Secus jurisdictio delegata, ideò per mortem mandantis extinguitur etiam re integra; quia per delegationem non transfertur efficaciter, seu independenter jurisdictio in delegatum, adeò ut possit delegans commissionem etiam re integra revocare* c. quamvis h. t. in 6.

C. *GRATUM 20. h. t. Urbanus III. declarat, quòd si ante obitum delegantis fuit pars citata, tametsi post obitum contestetur lis, delegatio non expirat. Item si quis appellat, & deinde petit inducias ad testes producendos, dicitur renuntiâsse appellationi. Notat enim Glossa per contrarium factum tacitè renuntiari proprio.*

C. *PRUDENTIAM 21. h. t. rescribit Cœlestinus III. quòd si causa delegetur tribus adjectâ clausulâ, si unus nequiverit, vel noluerit adesse, alii duo expediant causam; si non constet de impotentia tertii per Nuntium, vel per litteras, non possint alii duo procedere in causa, et si quid fecerint, habeatur irritum. Item, si dicatur, si interesse nequiverit, vel unus licèt possit, non tamen vult interesse, tunc declarat Pontifex, posse alios duos prosequi causam, & tertium esse redarguendum, eò quia subterfugerit exequi mandatum Ecclesiæ. Item, si Reus objiciat, Actorem esse excommunicatum, & intra competentem terminum id non legitimè probat, declarat Pontifex, ut Actor sit admittendus contra Reum. Quòd si constet per confessionem Actoris, vel alio modo esse excommunicatum propter causam, de qua agitur; debeat delegatus eum absolvere, sin verò ob aliam causam, debeat mitti ad excommunicatorem qui si ex malitia noluerit eum absolvere tunc delegatus debeat ipsum absolvere: dummodo excommunicatio non sit reservata Papæ. Rursus quia absolutus à delegato ex juramento debet stare mandato Ecclesiæ super causa excommunicationis; ideò debet comparere coram Excommunicatore, ut judicet de causa excommunicationis, nisi Papa alteri eam committat: quòd si Excommunicator malitiosè differat cognitionem talis causæ, tunc delegatus debet de illa cognoscere, ut de accessoria ad principalem.*

C. *CUM CAUSA 22. h. t. Innocentius III. rescribit Archiepiscopo Reginensi, quòd si causa delegetur tribus, si tertius non committat suas vices, nec se excuset, duo citant, & ferunt sententiam, citatus non tenetur obedire; & quicquid fit, est invalidum, & potest appellare, ut etiam, si ante citationem mittit Romam pro jure suo, & delegati volunt procedere, adhuc potest appellare. Hodie verò ut appellatio valeat, tenetur appellans propositæ exceptioni adjicere, paratum se esse ad eam probandam* c. interposita de appellat.

C. *CUM SEMPER 23. h. t. idem Pont. rescribit conventui de Conchis, quòd si causa delegetur duobus cum clausula,* quòd unus altero impedito possit; *si unus per exceptionem recusetur, possit alter quamvis solus, procedere; non tamen cum recusato, quia tunc processus esset irritus. Hinc sumitur regula generalis ex Panormitano, quæ inserta est corpori juris.* Uno recusato potest alter quidem procedere: sed si cum recusato procedat, processus non tenet; *quia per recusationem, & appellationem suspenditur jurisdictio recusati, & irritum est, quod fit, unde si alter cum illo procedat, totus processus inficitur, quia*

malum ex quovis defectu; sicut bonum ex integra causa.

C. *CONSULUIT 24. h. t. idem Pont. rescribit Archiepiscopo Toletano quòd si pars citata die statuto non compareat, & in termino potestas judicis non expiret, potest Iudex de æquitate expectare sequentem diem, & pars contumax elapso peremptorio non est iterum citanda, nisi judicis benignitas hanc velit eidem gratiam impertiri. Quòd si potestas expiret in eadem hora termini peremptorii, judex debet procedere. Rursus quamvis dies Romanus computetur à media nocte in mediam noctem, attamen judex Ecclesiasticus debet ante tenebras judicare, & non arctare suam jurisdictionem tempore. Hinc patet, jurisdictionem Iudicis delegati aliquando esse indeterminatam ratione temporis, & interdum determinatam: nimirum ut procedat infra tres menses, & tum lapso trimestri expirat jurisdictio ejusdem. Unde si partibus præfigat terminum infra tres menses, ante illorum lapsum durat ejus jurisdictio ultra dictum terminum: sin verò peremptorie partes citet pro ultima die trimestris, tunc expirat jurisdictio simul cum tali die. Bene tamen monet Pontifex, non debere Iudicem suam jurisdictionem ita coarctare, sed aliquod relinquere spatium, in quo possit commode post elapsum terminum peremptorium suam exercere jurisdictionem intra terminum à delegante præfixum, ne ejus jurisdictio evanescat sine effectu.*

C. *INSINUANTE 25. idem Pont. rescribit Abbati de Bordeltia, quòd si deputetur judex in lite contestata, & ante datam sententiam definitivam oriatur nova causa refutandi judicem tanquam suspectum, possit is recusari, ac mutari; ut si pars litigans fiat familiaris, & contrahat amicitiam cum Iudice. Sin verò post novam causam ortam pars contraria est contenta prosequi litem coram illo judice, & prosequitur; tunc non potest amplius eum accusare suspectum. Hinc habetur regula:* Ut delegatus ex nova causa superveniente possit recusari, ac removeri etiam post litem contestatam: *& quòd Episcopus possit recusari in causa suorum familiarium, adeò ut familiaris Episcopi non possit conveniri coram Episcopo, etiam cessante recusatione, argum.* L. qui jurisdictioni præest de jurisdic. omn. judic. *ubi habetur: quòd qui jurisdictioni præest, nec sibi, nec suis possit jus dicere.*

C. *QUÆRENTI 26. h. t. idem Pont. declarat, ut delegatus Sedis Apostolicæ non solùm usque ad quadrimestre tempus, quod ad solvendum debitum à lege reo conceditur: sed usque ad integrum annum possit exercere jurisdictionem sibi commissam, ad exequendam sententiam; sicut observatur in eo, qui ante litis contestationem deprehenditur contumax. Hinc liquet, præter tempus quadrimestre concessum à jure in actione personali ipsi reo ad solvendum* L. 2. & 3. C. de usu rei judic. *Pontificem ampliare potestatem delegati Apostolici: usque ad annum: id autem intelligitur de anno continuo currente omni tempore: siquidem omne tempus debet intelligi continuum, nisi reperiatur contrarium, ut notat Panormitanus hic* num. 4. *Quòd si intra annum victus vexet victorem, potest delegatus compescere contradictores, & censuris punire eos, qui non patiuntur Victorem quietè possidere: non tamen potest iterum assumere causam, quia Iudex delegatus post sententiam datam non potest amplius cognoscere, sed tantùm eandem executioni mandare*

C. *SUPER QUÆSTIONEM 27. h. t. idem Pont. rescribit Archiepiscopo Cantuariensi, Iudicem delegatum Papæ posse subdelegare aliis cognitionem causæ, & testium examinationem, reservatâ sibi sententiâ, ad quam potest procedere, quamvis interposita fuerit appellatio. Quinimò si executor fuerit ad aliquem certum articulum de consensu partium deputatus; non licet ab eo appellare (dummodo modum non excesserit) si vel litis exordium, vel causæ finis, vel totum negotium fuerit eidem subdelegatum, quia tunc potest ab illo tanquam à Iudice appellari. Rursus declarat Pontifex, posse ejus delegatum non solùm principium, medium, & finem causæ conjunctim, sed etiam divisim alteri subdelegare, dummodo antequam sententiam ferat, inquirat diligenter de universis, quæ acta sunt in judicio. In hoc textu Executor non dicitur, qui rem judicatam ducit ad effectum, & non habet ullam causæ cognitionem: sed is dicitur, qui aliquem certum articulum examinat, & de eo cognoscit, & ab hoc non potest appellari nisi modum excedat. Rursus per exordium litis intelligitur vel oblatio libelli, vel litis contestatio: & finis litis est cognitio causæ cum calculo sententiæ. Demum quamvis secundùm leges civiles Iudex deleget causam tantùm suis Consiliariis; juxta canones tamen potest cuique eam delegare. Rursus si delegatus delegat Principium, vel finem causæ, à suo delegato potest licitè appellari, ut à judice; sed si medium tantùm, ab ipso tanquam ab Auditore non potest appellari, si detur, vel recipiatur de consensu partium, nisi excedat fines mandati. Cæterum à subdelegato in totum appellatur ad Papam, & à subdelegato in partem appellatur ad Delegatum.*

C. *PASTORALIS 28. h. t. idem Pont. rescribit Episcopo Heliensi, delegatum posse compellere aliquos, ut recipiant subdelegationem habita ratione personarum. Rursus posse committere totam causam, sic & solam citationem, & punire contemptorem. Rursus quòd si Papa scienter admittat appellationem contra Iudicem habentem potestatem remotâ appellatione, appellatio valet, & sententia Iudicis suspenditur. Verùm hodie delegatus Papæ non potest subdelegare nisi in iis personis, quibus Papa delegat* c. statutum de rescript. in 6. *Notandum est, executionem aliam esse meram, & aliam mixtam; illa dicitur quando partibus præsentibus, vel alterâ contumaciter absente, Iudex cognoscit de causa servato*

ordine judiciario, & mandat alicui, ut suam exequatur sententiam L. executio C. de except. rei judic & hic Executor non debet audire exceptiones. Executio mixta dicitur, quæ habet cognitionem annexam, ut quando Papa mandat alicui restitui rem suam, & coram tali Executore; & tunc admittuntur legitimæ exceptiones.

C. EX LITTERIS 29. h. t. idem Pont. rescribit Abbati S. Hilarii, & declarat, subdelegatum à delegato Papæ posse coercere impedimentum: alioquin demandata jurisdictio redderetur delusoria.

C. LICET UNDIQUE 30. h. t. idem Pont. rescribit Episcopo Pictaviensi, quòd si causa delegetur tribus judicibus cum hac clausula: si non omnes his exequendis poteritis interesse, duo vestrûm nihilominus eam exequantur: & contingat unum post commissas alteri vices suas mori; si superstes jurisdictione à suo Collega sibi delegata eo vivente uti non cœperit, non habere solum officium judicandi, eò quia mandatum hujusmodi re integra per mortem mandantis expiraverit: sin verò ante ejus mortem cœperit uti jurisdictione posse suo nomine, & defuncti definire negotium. Hinc liquet, per mortem mandantis re integra, hoc est si citatio non præcesserit, expirare mandatum, nisi tale sit; ut post mortem necesse sit illud impleri.

C. CUM IN IURE 31. h. t. Idem Pont. rescribit Episcopo Baiocensi. neminem compelli exequi, quæ mandantur à delegato, nisi probetur de delegatione Sedis Apostolicæ Quia ut notat Glossa, non creditur Iudici dicenti se delegatum, nec præsumitur pro ejus sententia nisi ostendatur commissio c. cum à nobis inf. de testam. Hodie tamen sufficit solum Tabellio, ut detur fides sententiæ Verùm ut nulla sit dubitatio debet auctoritate Iudicis rescriptum Papæ in publica forma inseri in sententia.

C. CUM OLIM 37. h. t. Idem Pont rescribit Episcopo Parisiensi, delegatum intelligi institutum ad ea tantùm, quæ in litteris exprimuntur; & ejus jurisdictionem non extendi ad alia; atque propterea si reus non compareat, nec respondeat non potest ob id excommunicari; hinc constat, jurisdictionem delegati non extendi ultra contenta in rescripto. Verùm licèt Procuratores, ut notat Glossa hic non possint prorogare jurisdictionem, possunt nihilominus mandatum ad ea extendere, quæ sunt peremptoria, & accessoria mandati.

C. CUM OLIM MAGISTER 33. h. t. rescribit idem Pont. Episcopo Senonensi, eum, qui violando sigilla aperit acta, causâ relationis Iudicum, non esse audiendum contra acta Iudicis, quæ aperuit Ubi notat Glossa. Iudices teneri ostendere partibus relationem. quam faciunt superiori: alioquin datur locus appellationi. Rursus notandum est, non facile ei credi, qui deprehenditur in aliquo culpabilis; ut iste in aperitione litterarum, quia juxta regul. jur. in 6. semel malus semper præsumitur malus, quod intelligitur in eodem genere, & donec probetur bonus.

C. CORAM DILECTO 34. h. t. Idem Pont. declarat, quòd si causa delegetur duobus cum clausula, quòd si ambo interesse non possint, unus procedat, & unus non possit interesse, sed subdeleget alterum, possit alter delegatus ferre sententiam sine subdelegato: quia clausula: si ambo: non intelligitur per se, vel per alium; sed per se, præsertim, quando secundus delegatus obtinuit litteras subreptitias. Hinc ut notat Glossa, quamvis delegatus à Principe possit alteri causam subdelegare, & teneatur alter delegatus eum recipere. In hoc tamen textu subdelegatus à delegato Papæ ideò non fuit admissus, quia habuit litteras subreptitias.

C. CUM CANONICUS 35. h. t. Idem Pont. rescribit Præposito sancti Dominici, quòd si locus sit suspectus parti, possit Delegatus delegare alium in loco non suspecto: & canonicum posse recusare Iudicem in causa alterius canonici. Verùm ut notat Glossa, quamvis Canonicus non possit esse Iudex in causa alterius canonici propter familiaritatem, potest tamen esse testis, perinde ac frater pro fratre. Causæ verò, ex quibus possunt Iudices recusari, continentur his versibus.

Subjectus, Dominus, & commensalis, amicus,
Incola, canonicus, & attingens, inimicus.
Si causam similem delegatus tueatur.
Vel si Patronus fuit olim, tunc moveatur.

C. CUM CONTINGAT 36. h. t. rescribit idem Pont. Archiepiscopo Rotomagensi, quòd si quis conqueratur se post appellationem ad Papam fuisse excommunicatum, antequam absolvatur, debeant admitti probationes excommunicati, & excommunicantis, ut cognoscatur. an debeat absolvi; vel declarari, quòd non sit excommunicatus. Sin verò conqueratur, se injustè excommunicatum, tunc sit priùs absolvendus, & postea admittendæ sint ejus probationes.

C. VENERABILI 37. h. t. Honorius III. declarat, non servantem formam rescripti, vel non restituentem Episcopum loco suo, antequam inquirat de dilapidatione contra Episcopum invalidè procedere. Rursus eum non posse amplius alteri subdelegare, qui vices suas subdelegavit uni, quia jam incæpit processum. Benè tamen potuisset subdelegare, antequam incepisset processum, ut notat Glossa. Ex hoc textu liquet, spoliatum esse priùs restituendum antequam contra ipsum quicquam objiciatur, & formam mandati esse omninò servandam. Rursus suspectum de dilapidatione non esse illicò removendum, sed dandum ei coadjutorem, prohibita interim omni alienatione. Quòd si apertis argumentis aliquis probetur suspectus de dilapidatione, potest judex sine excusatore eum removere.

C. SIGNIFICANTIBUS 38. h. t. Gregorius IX. rescribit Præcentori, & Canonico Ambianensi, Iudices pronunciantes, se non habere jurisdictionem ex rescriptis in tali causa non posse postea jurisdictionem reassumere, tametsi partes assentiantur

tiantur, *ubi notat Panormitanus hic* num. 3: *sententiam per quam quis se pronunciat non esse Judicem esse interlocutoriam, habere tamen vim definitivæ; proinde hæc interlocutoria per quam finitur jurisdictio Judicis non potest per eundem judicem revocari: potest tamen ab illo appellari, quia habet vim definitivæ etiam in jure civili.*

C. *SUSPICIONIS* 39. *h. t. idem Pont. declarat, quòd si Reus assignet justam causam suspicionis, debeant eli i arbitri, qui assignent tempus ad cognoscendam hanc suspicionem: & licèt non possit eligi ad id judex; potest tamen hic arbitros compellere, ut solicitent. Verùm hic textus correctus fuit per Innocentium IV. adeò ut hodie judex totum id præstet.*

C. *P. ET G. PER LITTERAS* 40. *h. t. idem Pont. rescribit Abbati S. Genovefæ, jurisdictionem delegatam non extendi ad alias personas, de quibus nulla fit in rescripto mentio. Notat tamen Glossa, aliquando de consensu partium posse fieri prorogationem de tempore ad tempus, de re ad rem, & de persona ad personam, sed semper præsupponi jurisdictionem ordinariam; adeò ut delegata non sufficiat.*

C. *CUM VIGESIMUM* 41. *h. t. idem Pont. declarat judicem delegatum debere dari, qui sit major viginti annis; sed de consensu partium posse dari majorem octodecim annis; minorem verò non posse dari nisi à Principe. Ubi notat Glossa annum debere esse expletum.*

C. *UNO DELEGATORUM* 42. *h. t. declarat idem Pont. quòd si dentur plures delegati, vel arbitri simpliciter sine clausula:* quòd si unus: *mortuo uno expirat authoritas in aliis, & id extenditur etiam ad casum, si unus efficiatur infamis, vel si removeatur, aut recusetur ut suspectus: quia plures delegati ad unam causam, se habent locò unius tantùm, & omnes jubentur judicare* §. de re jud. L. si duo ex tribus: *hinc si unus impediatur, judicare ampliùs non possunt, quia delegatio non est aliter facta, quam omnibus simul, & nulli in solidum. Potest nihilominus unus committere vices suas alteri* c. quamvis eod. *& si eo vivente alter cœpit jurisdictione sibi commissa uti, poterit solus postea procedere.* c. licèt 30. h. t.

C. *QUONIAM APOSTOLICA* 43. *h. t. idem Pont. declarat, quòd delegatus Papæ licèt sit datus ex officio Papæ, vel de consensu partium, possit nihilominus subdelegare, vel committere vices suas alteri de jure communi, imò etiam invitis partibus, ut notat Glossa, ubi etiam ait: quòd si causa delegetur Episcopo cum duobus aliis conjunctim, & Episcopus subdeleget, non possint alii duo sine subdelegato Episcopi judicare. Cæterum si mandetur alicui, ut personaliter faciat, non potest per alium id præstare, nisi partes consentiant: præsertim si committatur res ardua, & expeditu difficilis, quia tunc censetur electa industria personæ.*

IN SEXTO.

CAP. *STATUIMUS* 1. *h. t. declarat Innocentius IV. conservatores posse solùm defendere sibi commissos à manifestis injuriis & violentiis, & eorum potestatem non extendi ad alia exigentia judiciariam indaginem, nisi id exprimatur in privilegiis.*

C. *QUIA PONTIFICALI* 2. *h. t. Alexander IV statuit, ut judices, & conservatores Papæ, si veniendum sit ad coactiones, vel pœnas contra Episcopos debeant eis deferre, & honorare illam dignitatem; adeò ut priùs interdicant eis ingressum Ecclesiæ, vel sacerdotale ministerium; deinde suspendant ab officio, & tandem puniant Ecclesiasticâ censura, nisi fortassis contumacia aliud persuaserit. Ex quo textu liquet, velle Pontificem dignitati Episcopali tantùm deferri; ut etiam judices & Conservatores Apostolici moderationem erga Episcopos, & gradus hic præscriptos observent. Nomine tamen judicis in jure non venit conservator, ut notat Glossa, ubi etiam observat, quòd si Judex non servet ordinem hujus decretalis, adhuc factum tenet, licèt ipse sit reprehendendus: eò quia textus tantùm loquatur de decentia*

C. *SI DUO* 3 *h. t. Bonifacius VIII declarat, quòd si Papa tres delegaverit, & duo subdelegentur in partem, non in totum; si in processu Causæ appelletur ab his subdelegatis, & Delegato; sit appellandum ad Papam, & non ad Condelegatos; & ratio assignatur à Glossa, quia cum ibi sit unus delegatus, non potest appellari ad æqualem, sed ad superiorem. Quando verò delegatus in partem tantùm delegat, & non in totum appellatio est facienda ad delegatum. Cæterùm delegatus ab alio, quam à Papa non delegat. Ex hoc textu desumitur regula,* quòd ubi duo permiscentur, quorum unum sit potentius altero, ut in hoc textu, delegatus tertius duobus subdelegatis, potentius attrahit ad se naturam minus potentis, tametsi in numero sit minus potens.

C. *SI CONTRA* 4. *h. t idem Pont. declarat, quòd si duo Delegati a Papa cum clausula* quòd si ambo non possunt, unus cognoscat; *& opponitur causa legitima suspicionis contra unum; alter debeat cognoscere, & expedire causam suspicionis, non verò arbiter. Sin autem præfata clausula non adjiciatur recurrendum sit ad arbitros. Rursus si delegatus Episcopi recusetur, debeat causa recusationis probari coram Episcopo; ut etiam si recusetur ejus Officialis, qui tamen non est delegatus, sed Ordinarius, à quo non appellatur ad Episcopum, nisi in causa prædicta; & tunc causa reprobationis est exprimenda coram judice; licèt coram eodem non sit probanda.*

C. *IUDEX* 5. *h. t. idem Pont. rescribit, quòd Iudex Apostolicus, quamvis possit legitimè recusari, potest committere nihilominus licitè vices suas alteri, antequam recusatio coram ipso proponatur; & si in totum commiserit, commissio facta impugnari non possit; secus tamen si in parte commisisset; tunc enim posset impugnari. Rursus post propositam recusationem, si non sit pronunciatum super ea, consentiente recusatore possit committere, secus non. Postquam verò pronunciatum est, eum esse suspectum*

Eum etiam volente recusatore non possit amplius committere.

C. *QUAMVIS 6. h. t. idem Pont. declarat, quòd quamvis delegatus Papæ causam sibi delegatam in totum alicui commiserit, si tamen ille antequam uteretur jurisdictione mortuus fuerit, possit delegatus causam resumere: quia jurisdictio quâ subdelegatus non fuit usus, non censetur in ipsum efficaciter transiisse. Ratio est quam assignat Glossa, quia committens alicui in totum causam, videtur in totum jurisdictionem abdicare, posito, quòd subdelegatus velit illâ uti, vel incipiat eâ uti: retinet nihilominus sibi potestatem resumendi, si subdelegatus jurisdictione prorsus non utatur.*

C. *SI DELEGATUS 7 h. t. idem Pont. declarat, quòd quando delegatus subdelegat sub hac forma*, quoties eum abesse contigerit: *vel* donec duxerit delegationem revocandam *& moritur, si subdelegatus cœpit uti jurisdictione, non amittit jurisdictionem, proinde debet prosequi. Rursus si contigeirt appellari appellandum est ad subdelegantem, si aliquid in subdelegatione sibi reservavit, & non ad primum delegantem, seu Papam: Ex quo textu liquet, delegatum posse subdelegare sub conditione.*

C. *CUM PLURES 8. h. t. idem Pont. declarat, quòd si pluribus delegetur causa à Papa in solidum, quilibet per se solùm potest procedere & si unus eorum causam semel inceperit, non debet alter se in eadem immiscere, nisi prius sit impeditus justâ causâ; vel nolit, vel malitiosè recuset procedere. Præterea si decedat Papa mandans, & etiam Delegatus, qui causam incepit, potest unus ex aliis eam prosequi, quia causa perpetuatur, quamvis res videatur integra*

C. *SI SUPER 9 h. t. rescribit idem Pont. quòd si super gratia Apostolica Executores deputentur; æquum sit, ut sicut ipsa gratia morte non perimitur concedentis: sic nec etiam re integra perimatur Executoribus data potestas, quia cùm sit accessoria gratiæ, sequitur naturam sui principalis: ne gratia eadem reddatur omninò inutilis; vel ejus effectus cum dispendio illius, cui facta est, differatur. Hinc si moriatur Papa post gratiam concessam, & datos Executores; hi possunt adhuc fungi suo officio, quia gratia, quæ est principalis non expirat: consequenter neque potestas Executorum cum sit accessoria. Quòd si gratia non esset facta, sed facienda, & res esset integra, spiraret mandatum Executoris.*

C. *SI IS CUI 10. h t. idem Pont. statuit, quòd si delegatus Papæ subdelegaverit alicui non in totum vices suas, & moriatur, vel excommunicetur, durante tali impedimento appellandum sit ad Papam.*

C. *AB ARBITRIS 11. h. t. idem Pont declarat ab arbitris, qui secundùm formam juris contra Iudicem de causa suspicionis cognoscunt vel ad judicum concertationem sopiendam eliguntur, esse ad Pontificem appellandum. Notat Glossa ab arbitris compromissariis, qui voluntariè, & liberè eliguntur, non appellari; benè tamen ab arbitris juris.*

C. *IS CUI 12. h. t. idem Pont. declarat, quòd quando Papa committit alicui, ut provideat tali certæ personæ de beneficio in aliqua particulari Ecclesia, tunc is potest demandare alteri hoc officium sin verò mandet, ut provideat, Ecclesiæ de persona, non exprimendo aliquam, non potest hoc demandari alicui, quia committitur ejus industriæ ad eligendam personam, nisi in rescripto exprimatur* per se, vel per alium.

C. *STATUIMUS 13. h. t. rescribit idem Pont. quòd tametsi Papa mandet alicui expedire causam in certo loco, possit delegatus, dummodo habeat justam causam eam expedire in alio loco* c. statutum de rescript. in 6. *notat tamen Glossa; id valere in delegato Papæ, non verò in delegato Ordinarii.*

C. *SI A SUBDELEGATO 14. h. t. idem Pont. rescribit, quòd si Delegatus subdelegaverit non in totum sed in partem, tametsi regulariter appellandum sit ad delegatum; si tamen excipiatur re integra decessisse primum delegantem, & hæc exceptio non admittatur, appellandum sit ad Papam. Ut etiam quando appellatur ex eo quia Iudex non habet potestatem; tunc etiam appellandum est ad Papam.*

C. *HAC CONSTITUTIONE 15. h. t. Idem Pont. plura sancit. Primò ut Conservatores, qui aliquibus (ut manifestis injuriis eos tueantur) à Sede Apostolica conceduntur, non possint de cætero deputari nisi Episcopi, vel eorum superiores, aut Abbates, seu dignitates, vel personatus in chatedralibus, vel collegiatis Ecclesiis obtinentes; adeò ut Conservatores non possint esse nisi Episcopi, & iis superiores: vel Abbates, & habentes dignitatem, vel personatum in Cathedrali, vel collegiata; adeò ut alii excludantur etiam Canonici. Secundò ut nullus possit habere pro conservatore suum subditum, vel eum, qui consistit in districtu Ecclesiastico suo, vel temporali. Excipiuntur tamen Reges, & Reginæ. Tertiò ut conservatores non præsumant procedere extra civitates, seu Diœceses suas, in quibus sunt deputati contra quoscunque, nec trahant aliquid à fine Diœcesis ultra unam dietam. Quartò ut vices suas nulli committant nisi expressum sit in litteris, & tunc nisi intra civitates, & suas Diœceses, & personis tantùm superiùs expressis, possint tamen citare, & denuntiare sententiam per alios. Quintò quòd si conservatores scienter se immisceant in aliis quàm in manifestis injuriis & violentiis, eo ipso per unum annum sint suspensi: & qui hoc fieri procuravit, incurrat excommunicationem, à qua non absolvitur nisi priùs integrè satisfecerit parti indebitè fatigatæ de expensis. Sextò ut officium Conservatoris ipso jure expiret in negotiis nondum cœptis per mortem concedentis, Septimò ut quoad munera, & expensas observetur constitutio de rescriptis* c. statutum §. insuper. *Octavò ut si quis aliquid contra hæc attentare præsumpserit omninò irritum sit, & inane. Hinc licèt Conservator sit judex delegatus, multa tamen peculiaria habet, in quibus ab aliis delegatis differt. Nam delegatus potest esse Canonicus Ecclesiæ cathedralis; non item Conservator.*

IN

IN CLEMENTINIS.

C. *JUDICES UNIC. h. t. Clemens V in Concilio Viennensi decernit, ut Judices delegati Papæ sui, et receptione testium in causa civili, ut etiam Executores deputati à sede Apostolica ad providendum alicui de beneficiis, si eos per diligens examen reperierint esse laudabilis vitæ, & honestæ conversationis, possint licitè aliis committere vices suas; dummodo sit judex, & non nudus Minister: quia ut notat Glossa, non fuit delegatum nudum ministerium ut ad solum examinandum; sed ulterius habet potestatem ad recipiendum testes, citandum partes, & danda interrogatoria, quæ omnia supponunt jurisdictionem.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

C. *SEDES APOSTOLICA UNIC. h. t. declarat Joannes XXII quòd si litteris Apostolicis impetratis ad gratias, vel beneficia vacatura, vel ad lites pro aliqua diœcesi, contigerit ante effectum litterarum illam Diœcesin de mandato Papæ dividi in plures Diœceses, præfatæ litteræ habeant eandem vim in singulis divisis; perinde ac si esset unica tantùm Diœcesis: hinc Executores, & judices deputati debent easdem mandare executioni: quia impetrantes habebant jus ad rem. Hinc notat Glossa constitutionem principis per non obstantia non tollere privilegia, statuta, & constitutiones speciales, nisi specialiter, & expressè expliceantur.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quis, & quotuplex sit Judex delegatus.

1 Xpendimus in præcedenti titulo, quæ ad Vicarium pertinent, & quia is alienas vices in divinis officiis, & voluntaria jurisdictione gerit; ideò in hoc titulo, de eo agitur, qui vices alienas gerit in judiciis, & jurisdictione contentiosa. Est enim delegare perinde ac vices suas alteri in locum suum committere, adeò ut judex delegatus dicatur *Judex datus*, eò quia ex commissione alterius consequitur judicialem cognitionem alicujus causæ: adeò ut Judex delegatus, qui & extraordinarius dicitur, & vulgò Commissarius, is sit, qui non ex proprio munere, & officio; sed duntaxat ex cognitione, vel ipsius juris, vel alterius hominis habentis jurisdictionem propriam, potestatem accipit jurisdictionem exercendi imediatè, vel mediatè, licèt habeat distinctam jurisdictionem derivatam ab ipso delegante. Tunc creatur delegatus, quando Judex ordinarius, coram quo jure ordinario deberet instari, non potest causam per se tractare, quam propterea alteri tractandam committit; & hic alius dicitur Judex delegatus, vel commissarius.

2 Propriè Judex delegatus dicitur, cui à Principe committitur causa decidenda, ut communiter asserunt doctores *in Rubr. de offic. jud. delegat.* Potest autem multipliciter à Principe aliis committi causa aliqua: nonnunquam negotia committuntur, ut judicibus, de quibus *tot. tit. de offic. jud. del.* subinde ut Ministris *c. fin. de offic. jud deleg.* aliquando, ut executoribus meris, vel mixtis *clement. 1. eod. tit.* aliàs ut denuntiatoribus *c. venerabil. de elect.* differentias, has inter delegationes luculenter, & fusè explicat Anchar. *conf. 297.* Si enim in commissione apponantur hæc verba: *si constiterit de reservatione, & collatione partis, moneat, inhibeat, declaret, ut petitur: & justitiam faciat*: important, quòd censeatur datus merus executor, qui de assertis nil agit, nisi ut faciat commissa, Anchar. *d. conf. 297. n. 8. & sequent. V. si constiterit.* Sin verò ponantur hæc verba: *si constiterit, & justitiam faciat*, de se important, quòd sit Judex, vel saltem quatenus executor sit cum causæ cognitione, ut notat Anchar. *d. conf. num. 9. in princ.* nisi tamen principaliter detur executor, quia tametsi præfata verba *si constiterit* importent causæ cognitionem, id tamen intelligitur, quando executor aliàs non posset sine citatione exequi: secùs, si posset aliàs de jure exequi sine citatione, ut notat Ancharanus *d. conf. n. 10.* aliquando quis etiam delegatur ad cognitionem totius causæ processûs, & quandoque ad examinandum, quæ per testes deponuntur. Subinde tantùm ad conficiendum processum, vel ad referendum. Nonnunquam ad solam sententiam proferendam, & tunc delegatus tenetur citare partem, vel cum insertione suæ delegationis; vel priùs ad dicendum, quidquid velit contra suam delegationem; aliàs si citavit ad sententiam, quam post unicam citationem tulit, hæc habetur irrita, quia citatus non tenebatur comparare, nec credere Cast. *conf. 81. in causa, quæ vertitur c. 4. V. est etiam alius lib. 2.* Solet etiam nonnunquam aliquis delegari, ut adjunctus alteri judici suspecto. Aliquando fit etiam delegatio ad universitatem causarum, & personarum in certo loco, & tunc delegatus habetur instar judicis Ordinarii, & potest sua jurisdictio provocari à partibus.

Rursus alii dicuntur delegati à jure, scilicet ex ipsius juris commissione, vel ex recepta consuetudine, habente vim juris, quam jurisdictionem delegatam habent Episcopi in quibusdam casibus Papæ reservatis, & Confessarii, quorum pœnitentes habent facultatem sibi eligendi Con- 3

fessarium. Alii dicuntur delegati ab homine, & hi dicuntur delegati, vel à supremo Principe Ecclesiastico, vel temporali. Alii dicuntur delegati ab inferioribus Principibus, & magistratibus. Alii ad universitatem causarum, ad quos pertinet generatim omnes illius territorii causas cognoscere, vel saltem omnes in certo quodam genere subalterno, ut sunt omnes causæ decimarum, omnes causæ mutui. Alii ad certam tantùm particularem causam. Alii etiam dicuntur delegati ratione certæ dignitatis, quâ insigniuntur, ut cum delegatio fit Abbati, vel Episcopo certi loci.

4 Hoc tamen est discrimen inter delegatos ab ipso jure, & ab homine: quia illi absque alio expresso mandato possunt jurisdictionem exercere sibi delegatam; sic à jure censentur constituti delegati Episcopi, quibus jus in certis casibus contra exemptos, & privilegiatos, ad conservandam disciplinam jus concedit jurisdictionem Ecclesiasticam delegatam *delegatione clausa in corpore juris*; & exstant plura exempla in jure antiquo *in c. irrefragibili §. cæterum de officio ordinar. clement. 1. de supplen. neglig. Prælat.* & etiam in Concilio Tridentino *sess. 5. c. 2. & sess. 6. c. 2. & sequent. ut etiam in aliis pluribus sessionibus.* Juvat observare, multipliciter tribui Episcopo specialem jurisdictionem à jure. Primò simpliciter cum clausula *Authoritate Apostolica*; vel cum apponuntur verba *tanquam sedis Apostolicæ delegato*, & tunc Episcopus, est delegatus, & ab illo ad Pontificem delegantem datur appellatio. Secundò quando clausulæ adjicitur particula *etiam*, ut si dicatur, ut procedere possit *etiam tanquam sedis Apostolicæ delegatus*. Ut in Tridentino *sess. 6. de reform. c. 4.* & tunc per has particulas censetur data Episcopo utraq. potestas ordinaria, & delegata, ut ea utatur prout ipsi magis placuerit; licèt Jurispontificii interpretes censeant in dubiis esse supponendum, quòd utatur potestate delegata propter appellationem ad summum Pontificem. Tertiò ita conceditur jurisdictio, ut quandoque sola removeantur obstacula ordinariæ jurisdictionis, ut cùm dicitur *non obstantibus privilegiis. clement. 1. de testamentis*, & tunc non censetur facta delegatio, sed revocata intelliguntur privilegia, & excitata jurisdictio ordinaria. Quartò demum datur quandóque Episcopis potestas absolvendi, & dispensandi absque ulla clausula adjecta, ut in Tridentino *c. 6. sess. 24. de reformat.* & tunc censetur illi data potestas ex speciali jure ordinario, ut notat Barbosa *de offic. Episc. p. 3 allegat. 92.*

5 Quando verò ab homine constituuntur Judices delegati, quia jurisdictio tunc ab homine data non est in jure fundata, sed per specialem delegationem concessa, ideò non priùs arctat citatum, quàm si Judex delegatus citans copiam saltem authenticam suæ comissionis transmiserit citato, & comparenti, ac petenti originale exhibuerit. Ratio est, quia aliquem esse delegatum censetur, quid facti; & facta non præsumuntur, nisi probentur, ut notat Mynſ. *cent. 3. obs. 1.* Cæterum citatus ab ordinario magistratu de delegato à jure constituto, seu cujus jurisdictio est in jure fundata, tenetur simpliciter comparere, & exceptionem declaratoriam fori, si quam fortassis habet, exhibere *l. si quis ex aliena. ff. de judiciis.* nisi hæc ipsa exceptio fuerit in jure comuni fundata, ut est exceptio Clericorum respectu judicis sæcularis, coram quo non tenentur Clerici etiam citati comparere.

6 Cæterum Judex delegatus non potest cognoscere, nisi de re sibi comissa *c. cùm olim de offic. delegat.* hinc si illi comittatur, ut cognoscat de uno modo agendi super una re, si varietur modus agendi, quamvis ad eandem rem; jam deficit potestas cognoscendi, quia non se extendit ad hunc secundum modum *c. prudent. §. si verò de offic. delegat.* Rom. *cons. 330. n. 10.* Rursus nec habet jurisdictionem nisi in personas expressas in rescripto, nec ejus potestas se extendit ad personas extraneas extra nominatas *c. P. & G. 40. de offiic. jud. deleg. in fin* ut latè declarant Bart. & alii *in l. 1. & 2 ff. de jud.* quòd si in personas extraneas judex ferret sententiã, hæc esset nulla ex defectu jurisdictionis, non enim potest egredi limites authoritatis sibi commissæ, ut notat Bart. *in l. leg. q. 1. §. si cert. pet.* Potest tamen Judex delegatus cognoscere de causis accessoriis ad causam principalem sibi commissam: imò etiam de iis, quæ accedunt ipsis accessoriis, ut notat Abbas *in c. prudentiam §. si verò in 2. not. per illum text. de offic. del.* siquidem delegatus cognoscit de appendicibus causæ Abbas *in c. cum olim 32. de offic. delegat.* Ratio est, quia quando committitur causa delegato, censentur commissa omnia, sine quibus non posset delegatio suum effectum sortiri. *l. 2 ff. de jurisdictione om. judic.* id enim procedit etiam in delegato, ut communiter docent DD. licèt Judex delegatus de jure communi possit suam sententiam exequi, id tamen in Curia Romana non permittitur, ubi Auditores Rotæ non exequuntur suas sententias sine prævia comissione, ut notant Ægidius. Bellam. *cons. 18. n. 11. in fin. & n. 12.*

7 Præterea Judex delegatus non censetur habere jurisdictionem nisi post præsentatas litteras suæ delegationis *l. qui absenti in princ. ff. de acquir. possess. c. super eo de appall.* Old. *cons. 324. n. 5.* quod etiam intelligitur de executore delegato ad recipiendam beneficii resignationem; eò quia recipere resignationem sit actus jurisdictionis: verum tamen est, quod à die datæ litterarum delegatus verè est judex, quamvis non habeat executionem jurisdictionis ante præsentationem litterarum: neque valet argumentum à mandato procuratoris ad mandatum judicis ob discrimen, quia munus Procuratoris sit voluntarium, & illud judicis necessarium. Imò, etiamsi delegatus præsentaverit litteras; si pars citata absit, non habet jurisdictionem, antequam fuerit pars citata ad dicendum, quia si non est servatus terminus reproductionis, non valet sententia Bald. *cons. 361. num. 2. in fin. V. nec obstat. si pars lib. 3.*

8 Si quæratur quódnam intersit discrimen inter jurisdictionem mandatam, & delegatam. Respondetur id esse discriminis, quia habentes mandatam jurisdictionem magis comparantur judicibus ordinariis. Tum quia alii sunt effectus mandatæ, & alii delegatæ jurisdictionis, ut

liquet

liquet *in l. fin. ff. de officio ejus. cui mandata est jurisdictio,& ex l. more majorum ff. de jurisdictione* ubi dicitur, quòd mandare jurisdictionem nequeat qui mandatam tantùm habet jurisdictionem: sed *in l. cùm Prætor 12. §. 2. ff. de judic.* conceditur potestas dandi judicem, seu delegandi ad causam particularem etiam habenti jurisdictionem delegatam. Rursus *in l. 1. ff. quis, & à quo appellatur* non rectè ab habente mandatam jurisdictionem appellatur ad mandantem, sed ad ejus superiorem. At *in l. 1. c. qui pro sua jurisdictione* conceditur appellatio à delegato ad delegantem; ut probat Fachinæus *lib. 1. controversiarum. c. 25 & lib. 12. c. 89.*

9 Cæterum quoad punctum appellationis probabilius censent plures, textum esse intelligendum de jurisdictione mandata universali, quæ exercetur in tribunali mandantis, sicut habet Vicarius generalis, ne ab eodem tribunali ad idem detur appellatio; non verò de particulari, quæ solet exerceri in separato tribunali, qualis est illud Vicarii foranei, cùm enim distinguatur ab illa Episcopi, cui subjicitur, ideò datur à Vicario foraneo ad Vicarium generalem appellatio.

§. II.

De illis, qui habent Potestatem delegandi, & subdelegandi.

1 Delegandi potestatem regulariter habent omnes Magistratus gaudentes ordinaria jurisdictione, prout sumitur *ex c. cùm Episcopus 7 de offic. jud. Ordinar. in 6.* & ratio desumitur ex *regula 68. in 6.* quâ dicitur: *posse quemlibet per alium præstare, quod per se ipsum facere potest*; quod tamen non ita debet intelligi, quasi quilibet judex Principe inferior possit totum suum officium alteri committere: quidem id potius esset se suo officio abdicare, & in alium illud transferre, quod absque consensu Principis nequit inferior judex facere *ex l. penult.* juncta Glossa *V. abdicando ff. de offic Præsid.* unde debet intelligi, ut judex aliquas duntaxat speciales causas possit delegare. Is enim delegat, ad quem ordinario jure spectat causæ definitio *c. cum Vigesimum 41. h. t. l. 1. C. qui pro sua jurisdictione.* Hinc delegare in primis potest supremus Princeps, ac summus Pontifex, ut de facto frequentissimè delegat: quia cùm Pontifex sit judex omnium Christianorum in causis Ecclesiasticis; & unus omnibus audiendis ubique locorum minimè sufficiens sit; & expensæ nimis excrescerent, si ex omnibus Christiani orbis partibus deberent Christi fideles semper Romam proficisci ad proprias agendas causas; ideò summus Pontifex consulens utilitati, & commodo fidelium, suam delegat jurisdictionem inferioribus Prælatis ubique terrarum degentibus, ut causas fidelium cognoscant, & justitiam administrent.

2 Præterea delegare etiam potest, qui à summo Principe, vel summo Pontifice delegatus est, si fortassis causam sibi delegatam, vel per contractam ægritudinem, vel ex alio impedimento nequeat per se ipsum cognoscere, ut liquet *ex c. si pro debilitate 3. & aliis. h. t. l. à judic. C. de judiciis.* & tunc potest vices suas committere suo conjudici, seu sibi adjuncto delegato, vel etiam judici extraneo *c. quamvis in 6. h. t.* Imò potest subdelegare partem causæ sibi commissæ, ut initium, medium, vel finem, idq; conjunctim, vel divisim subdelegando unam partem uni judici, & aliam alteri, vel omnes simul, & totam causam eidem judici *c. super quæst. 27. in princ. vers. quod si delegatus h. t.* siquidem delegatus à summo Pontifice habet à jure hanc potestatem subdelegandi, ut liquet ex *c. pastoralis 28 eod. c. si duo cod. in 6. text. in l. unic. in fin. cod. qui pro sua jurisdictione.* Imò si subdelegatus detrectet causam sibi commissam cognoscere, nolitque injuncto sibi munere fungi, potest ad id etiam compelli, dummodo delegatus non studeat se ipsum dolosè exonerare. Potest etiã delegatus à summo Pontifice subdelegare præstantiorem se in dignitate; adeò ut si summus Pontifex deleget pro toto Notarium, possit hic Episcopum subdelegare quamvis sit major, & excellentior delegato, imò potest etiam ipsum subdelegare invitum, ac renuentem, ut liquet *ex d. c. pastoralis 28. in princ.* Ratio est, quia in ea causa delegans, quà talis est major Episcopo suo, eò quia repræsentat personam summi Pontificis delegantis.

Habenda tamen est ratio in compellendo Episcopo, ne ejus honori detrahatur, ut habetur *in d. c. pastoralis. & c. sanè 11. eod. tit.* An verò delegatus à summo Pontifice possit subdelegare, quando Pontifex illi injungit, ut personaliter negotium exequatur. Respondetur adhuc posse subdelegare, si partes consenserint, & summus Pontifex in delegatione expressè non mandaverit inquisitionem fieri; vel Ecclesiis de Prælatis, aliisque ministris provideri; quia tunc censetur electa industria, & fides talis specialis personæ: & cum eandem industriam non habeat alius; ideò non potest eidem à delegato eadem causa subdelegari *c. fin. §. is autem h. t. & c. is cui 12. eod tit. in 6.* Neque potest subdelegare, quando nudum ministerium eidem committitur, ut est excommunicare, absolvere, dispensare, pœnitentiam injungere, in possessionem inducere, & alia id genus præstare, quia tunc excepto legato sedis Apostolicæ non potest alius delegatus vices suas alteri subdelegare: Ratio est, quia tunc Pontifex non censetur illi delegare suam jurisdictionem, sed tantùm committere tale speciale ministerium præstandum per se ipsum, non per alium *d. c. fin h. t.* 3

4 Non tamen delegatus Principis facultatem habet subdelegandi cum potestate, ut taliter à se subdelegatus possit etiam subdelegare: quia licèt in jure reperiatur ei concessa facultas subdelegandi, non tamen reperitur concessa potestas dandi facultatem subdelegandi: quo pacto delegatus à Principe distinguitur ab ordinario, qui licèt sit minor, habet tamen potestatem subdelegandi. Potest etiam supremus Princeps suis delegatis jam constitutis in ordine ad cognoscendam aliquam causam alios superaddere, vel ex communi consensu partium; vel si hæ consentire detrectent ex officio: siquidem pertinet ad Principem non tam partibus, quàm causis providere. Imò si causa commissa fuerit

dignitas, ut liquet ex *c. statutum in princ.* & *in* §. *In nullo de rescript. in 6.* ubi habetur, quòd causæ non possint delegari nisi habenti dignitatem, vel personatum, vel Canonicatum in Cathedrali, unde habenti tantùm officium non fit delegatio causæ Ecclesiasticæ, ut notat Abbas *cons. 93. in prin. lib. 1.* Neque requiritur, quòd expressè fiat mentio canonicatûs, sed sufficit, si tempore rescripti persona, cui fit commissio, sit revera canonicus.

2 Regulariter qui possunt esse judices ordinarii, possunt etiam esse delegati, nisi defectu naturæ impediantur, ut surdi, muti, perpetuò furiosi, impuberes, stulti, & carentes perfecto usu rationis; vel jure censeantur infames. Excluduntur etiam à munere subdelegati judicis, fœminæ, servi, & qui non sunt sui juris: imò de jure canonico non potest constitui judex delegatus, qui vigesimum ætatis annum nondum impleverit *c. qui vigesimum 41. h. t.* nisi à Principe dispensetur, aut partes ipsum desiderent, & tunc debet saltem attigisse annum 18. Minori autem annis viginti si fiat delegatio ab alio, quàm à Principe non jurante, quòd sit minor, nullum sortitur valorem, ut liquet ex *c. qui vigesimum 41. h. t.* quia eo ipso quòd Pontifex dat judicem, quem scit esse minorem, intelligitur eum habere pro idoneo, ut valeat judicare in causa, quæ eidem committitur *L. quidem consulebat 17. ff. de re judic.*

3 Ut autem delegatio à summo Pontifice, vel ejus Legato vim sortiatur, præter ætatem adhuc requiritur in judice delegato, ut non solùm sit jurisperitus, sed etiam non suspectus parti *c. cùm canonicus 35. h. t.* ut etiam sit in aliqua dignitate, vel personatu constitutus; tametsi nil referat, an sit titularis, vel commendatarius, ut notat Cissan. *ad consuet. Burgund. tit. de success. superioris num. 58.* vel saltem sit aliquo canonicatu potitus in aliqua Cathedrali Ecclesia *c. statutum 11. in princip. de rescript. in 6.* vel saltem sit prior conventualis, qui ad eum prioratum non consueverit per electionem assumi, vel saltem officialis Episcopi, seu ejus Vicarius generalis: Secus foraneus non potest delegari, ut nec etiam Religiosus, nec prior claustralis Monasterii *clement. 2. de rescript.* & *d. c. statutum.* Nec potest delegari excommunicatus, qui non sit capax jurisdictionis. Laicus in spiritualibus non delegatur, nec ad ea, quæ sunt ordinis, qua ratione Bonifacius VIII. decrevit, ut nullus, nisi in Ecclesiastica dignitate, aut Ecclesiæ cathedralis canonicatu insignitus delegetur à sede *cap. 1. in princip. de rescript. in 6.* Concilium tamen Tridentinum *sess. 25. cap. 10. de reformation.* statuit, ut certæ, ac insignes personæ deputarentur in singulis Conciliis Provincialibus, aut Diœcesanis, quæ ad judicium ferendum in causis Ecclesiasticorum, idoneæ sint, & quibus causæ ad forum Ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandæ committantur à legato, vel nuntio, vel etiam à sede Apostolica. Quòd si ordinarius aliquem delegaverit, qui suum obierit diem, tunc loco defuncti sufficitur alius cum consilio Capituli. Si verò designatus dignitatem mutet, non est alius ei substituendus, quia sufficit, illum fuisse capacē tempore designationis: non tamen hæc designatio impedit Episcopum, quò minus possit alium delegare. Potest Episcopus causam aliquam delegare etiam simplici Clerico suæ Diœcesis *c. cùm Episcopus 7. de offic. ordinar.* quia Episcopus utpote præsens in sua Diœcesi exactiùs potest capacitatem, & industriam suorum Clericorum cognoscere, quàm summus Pontifex, vel ejus legatus: & subinde potest contingere, ut simplex Clericus sit multò doctior, magisque idoneus ad judicium ferendum in aliqua speciali causa, quàm sit alius etiam in dignitate, vel personatu constitutus. Secus summus Pontifex cùm longè absit, nec illi innotescant singulorum Clericorum conditiones, & debet de idoneitate eorundem judicare ex præsumptione, ideò præsumit promotos ad dignitatem, moribus, & scientia antecellere cæteris: quia ad dignitates promovendi sunt, qui vitæ probitate, & doctrinæ laude cœteros antecellunt, & tales præsumuntur in dignitate constituti.

Ad evitandos sumptus statutum est etiam, ut intra Diœcesin litigantium judices constituantur; nisi fortassis inter superiorem, & subditum lis agatur; vel contra Episcopum ac loci universitatem; aut actor ingredi non audeat ob inimicitias, vel potentiam adversariorum suam Diœcesin, aut civitatem: in his enim, & similibus occurrentibus casibus extra proprium locum potest quis impetrare causam delegari: debet tamen tunc in impetratione fieri mentio metûs. Et tunc non potest adversarium à fine suæ Diœcesis extrahere ultra unam dietam, seu unius diei iter *c. 11. §. cùm verò.* Facit etiam metus probatus, ut post rescripti impetrationem possit etiam peti à delegato, ut causam alteri subdeleget extra Diœcesin; siquidem id videtur postulare æquitas & exigere judiciorum securitas, dumodo tempore impetrationis causa metûs non abfuerit, ut notat Antonius de Butrio *d. c. 11. §. cùm verò n. 16.* 4

An verò possit causa ei etiam delegari, qui non est de jurisdictione delegantis. Respondetur affirmativè, quia id colligitur ex *L unic. qui pro sua jurisdictione*, quia ibi tantùm est sermo de causa aliena non committenda alteri; non verò de persona aliena, quæ tamen non cogitur parere deleganti *arg. L. fin. ff. de jurisdictione.* Siquidem præcipienti extra suum territorium, dicitur quis impunè non parere: qui verò assumitur ut judex, sive in propria, sive in aliena Diœcesi debet esse persona discreta, & idonea, ut possit rectum ferre judicium in causa, quæ ei delegatur, *c. si pro debilitate h. t.* quando verò delegantur non subditi, debet causa pertinere ad jurisdictionem delegantis. 5

Possunt etiam plures judices pro eadem causa simul delegari, adeò ut non habeant singuli jurisdictionem in solidum; nec unus sine altero validè procedere possit, nisi aliter in forma concessionis exprimatur, ut desumitur ex *c. causam 16. h. t.* Quòd si in forma concessionis inferatur hæc clausula: 6

ut si nequeant, aut nolint omnes interesse, duo, vel unus eam cognoscant, & exequantur; tunc ex illis judicibus delegatis duo tantùm, vel etiam unus possunt procedere ad judicium causæ, & sententiam ferendam, dummodò per certum nuntium, & non aliunde illis constet certò, vel per litteras submissas, vel per testes fide dignos, quòd alii delegati judices adesse non possint, vel nolint, ut declaratur in *c. prudentiam 21. h. t.* Quòd si in forma concessionis inferatur hæc alia clausula, *ut omnes aut duo, vel unus eorum procedant, aut mandatum exequantur*; tunc ex vi particulæ disjunctivæ censetur quilibet eorum habere jurisdictionem in solidum; & datur inter eos locus præventioni: adeò ut etiam unus solus, qui alios prævenit, possit negotium commissum expedire: nec alii causæ jam inchoatæ, possint ampliùs se immiscere; nisi, qui causam præoccupaverat, & inchoaverat aliqua justa causa impeditus, non possit, vel nolit eam prosequi, ut desumitur ex *c. cùm plures 8. h. t.* hoc enim pacto servatur forma mandati: & causæ absque injuria litigantium citiùs expediuntur.

7 Potest etiam judex delegatus à Principe, vel summo Pontifice, qui propterea potestatem habet subdelegandi, causam sibi delegatam pluribus aliis subdelegare, dummodò sint personæ idoneæ, ut constat ex *c. cum te 18. h. t.* Quòd si subdelegati à delegato in sententia ferenda discrepent, tunc standum est judicio majoris partis. Quòd si quilibet subdelegatus suam peculiarem agat sententiam, & inter se differentiant: tunc recurrendum est ad subdelegantem *arg. c. fin. de sententia, & re jud. c.* quòd si subdelegans totam suam jurisdictionem commisisset subdelegatis, recurrendum tunc esset ad primum delegantem.

8 Delegatio autem non fit nisi stipulatione, vel litis contestatione, ut communiter asserunt jurisperiti: sufficit tamen stipulatio interpretata, vel præsumpta, ut si scripsit delegatus in suo libro, quòd *promisit*, quia verbũ promittere in scriptis redactum importat stipulationem Alex. *cons. 163. n. 5. lib. 7.* unde quando obligatio fit in scriptis per verbum *promitto*, semper inest stipulatio. Potest tamen de jure canonico fieri delegatio etiam pacto nullo si constet de mente, vel agatur, quia partes velint ex pacto fieri novationem Gabriel *cons. 155. n. 13.* unde ad delegationem duo requiruntur, quod delegator sit debitor delegantis, & quòd interveniat stipulatio. Censetur delegatio stricti juris, proinde strictè debet interpretari, ut notat Cephal. *cons. 284. n. 12. lib. 2.* Cæterum delegato non creditur, nisi constet de delegatione; adeò ut teneatur mittere copiam suæ delegationis in præcepto, vel citatorio per eum emanato: cæteroquin illi impunè non paretur *c. 2. de dilat.* Hinc litteræ delegationis debent judici delegato, & executori originales præsentari; adeò ut non sufficiat transumptum. Rom. *cons. 336. n. 5. Vers. cæterum* ubi Apostil. *in V. originale* allegat simile de intimatione appellationis extrajudicialis, vel alterius actûs explicandi; quia debet intimatio fieri cum instrumento appellationis authentico, alioquin non sortitur suum valorem. Hinc delegatus ante præsentationem suæ delegationis non potest exercere ex vi delegationis suam jurisdictionem; quo pacto judex delegatus nullam habet jurisdictionem antequam sibi litteræ suæ delegationis præsententur *L. qui absenti in princ. ff. de acquir. poss. super eo de appellat.* Old. *cons. 324. n. 5.* & idem dicitur de executore delegato ad recipiendam resignationem beneficii, quia recipere resignationem est actus jurisdictionis Old. *d. cons. 324. n. 5. V. quarto*, & licèt à die datæ litterarum sit judex, non tamen habet executionem jurisdictionis, antequam litteræ sint præsentatæ.

Rursus judex delegatus non habet jurisdictionem extra commissionem, quia delegatus non potest cognoscere, nisi de re sibi commissa: hinc si illi committatur, ut cognoscat de uno modo agendi super re una, si postea varietur modus agendi, quamvis ad eandem rem, non poterit ampliùs cognoscere, ut desumitur ex *c. prudentiam §. si verò.* nec habet jurisdictionem nisi inter personas in rescripto expressas, non verò ad extraneas; quo pacto dicitur delegatio strictæ interpretationis. 9

§. IV.

Quæ causæ delegari possint, vel non.

CONveniunt jurisperiti, omnes illas causas, quæ ad ordinariam pertinent delegantis jurisdictionem posse delegari, non verò alias, quæ sunt alienæ jurisdictionis: quia sicut ordinarius potest tantùm judicare, quæ pertinent ad ejus jurisdictionem, non verò alia, quæ sunt alterius jurisdictionis: ita illas tantùm, non has, potest delegare, seu aliis judicandas suo nomine committere. Imò non tantùm potest ea delegare, quæ sunt suæ jurisdictionis, verùm etiam alia, quæ sunt ordinis, dummodò delegatus habeat omnia requisita, ac competentem ordinem: siquidem potestas exercendi ea, quæ sunt ordinis non oritur ex sola verbali commissione, sed etiam dependet ex reali consecratione: & licèt de jure scripto causæ, quæ sunt meri, vel mixti imperii videantur non posse delegari: nihilominus consuetudo invaluit, & usus obtinuit, ut hodiè indistinctè omnes causæ etiam meri, & mixti imperii soleant delegari, etiam capitales, ut refert Julius Clarus in *§. fin. q. 41. in princ.* adeò ut illis delegatis, quibus subdelegandi potestas convenit, has sibi delegatas omnes criminales causas competat subdelegare; nisi constet, fuisse ad id selectam non personam simpliciter, sed personæ industriam; quam putant plures semper in causis criminalibus commissis, & delegatis speciatim electam; adeò ut in praxi nunquam hæ causæ à delegatis subdelegentur; idque ob earum difficultatem: qua ratione nunquam censentur hujusmodi causæ in generali concessione totius jurisdictionis civilis, & criminalis, & cum mero, & mixto imperio à Principe facta comprehensæ, præsertim, quæ ad primum gradum meri, & mixti imperii perti- 1

pertinent juxta *regulam juris 18. n. 6.* Cæterum etiam reservata Principi, cujusmodi sunt facultas legitimandi, & alia similia, possunt alteri delegari, ut notat Alex. *consil. 138.* etenim Princeps potest etiam privato delegare facultatem legitimandi, & alia sibi reservata, ut notat Alex. *d. cons. in princ. lib. 1.* imò potest hæc facultas legitimandi concedi etiam cum facultate præjudicandi legitimis, & naturalibus, ut probat idem Alex. *loc. cit. V. & potest etiam.* hinc data hac facultate legitimati admittuntur cum legitimis naturalibus. Et si non adesset talis facultas præjudicandi filiis legitimis naturalibus; si legitimatio facta esset per comitem Palatinum habentem generalem facultatem legitimandi, tales legitimati non perdunt suam legitimationem.

2 Regulariter tamen causæ meri, & mixti imperii non solent delegari, nec subdelegari, quia censetur electa industria personæ, proinde conceduntur majoribus judicibus. Tum quia in casibus, in quibus possunt delegari causæ meri, & mixti fori, delegatus potest imponere pœnam ultimi supplicii, ut communiter censent jurisperiti cum Julio Claro *d. §. fin. q. 41. n. 4. V. sed nunquid.* ubi ait: tutiùs, & meliùs esse, quòd certiorem priùs faciat delegantem. Cæterum à Principe ex generali consuetudine omnes causæ meri, & mixti imperii, etiamsi agatur de ultimo supplicio delegantur. Non tamen potest Episcopus delegare Laico causas criminales clericorum, ut notat Julius Clarus in *d. §. fin. q. 49. n. 5. V. quæro nunquid.* ubi ait, esse sententiam communem inter jurisperitos. Imò neque potest Episcopus eas delegare Clerico, & Laico simul, ut notat idem Clarus in *loc. cit.* nec etiam potest illas delegare Clerico conjugato, quia reputatur tanquam Laicus in *c. decernimus,* Neque potest Episcopus deputare Laicum ad torquendum Clericum, in casu, quo de jure possit torqueri, ut notat idem Clarus in *d. §. fin. q. 64. n. 25. V. sed hic quæro* Consuetudo tamen subinde videtur contraria. Papa itidem causas criminales Clericorum potest delegare Laico: notat tamen Clarus *d. §. fin. q. 41. n. 8.* neque Papam posse delegare universaliter causas Clericorum principibus sæcularibus secundùm communem sententiam.

3 Cui verò facta est delegatio causarum, quæ summo Pontifici etiam reservantur sive voluntariæ, sive contentiosæ illæ sint jurisdictionis, ratione officii sui ordinarii, aut dignitatis; adeò ut hæc potestas, sit perpetua annexa tali officio, aut dignitati; potest illam non tantùm in casibus particularibus, sed etiam generaliter alteri committere, nisi aliud deprehendatur quod fuerit electa industria personæ: vel illud negotium magnis adminiculis opus habeat, ut colligitur ex *c. ult. de officio jud. ordinar.* juncta Glossa. *V. casibus* quia hæc potestas concessa dignitati, aut officio censetur quasi ordinaria, quæ propterea delegari potest.

4 Quòd verò ad interpretationem, & probationem mandati delegantis pertinet, non tam verba, quàm mens delegantis attendi debet in explicatione litterarum commissionis. Hinc talia mandata non debent ita explicari, ut alteri inferatur præjudicium; & potiùs impropriè debent verba intelligi, quàm ut alteri fiat præjudicium (nisi expressè & cùm derogatione juris alicui fiat commissio) tametsi motu proprio, litteræ dicantur emanare, & agatur tantùm de jure ad rem alteri adimendo: neque excluduntur legitimæ, ac rationabiles exceptiones, quamvis in forma mandati injungatur judici delegato procedere, & judicare, nulla admissa exceptione: quia per hæc mandata generalia non tollitur ordo juris, nec Princeps præsupponitur, velle præjudicare juri partium, unde clausula tantùm intelligitur de irrationabilibus exceptionibus, quæ parvi, vel nullius censentur momenti. Quæque tamen ad remorandum judicium interponuntur.

Quòd si Princeps in commissione litterarum insereret clausulam, quæ expressè diceret servandam esse formam talis mandati, nec ullam esse admittendam exceptionem, quantumvis rationabilem; tunc servanda esset forma mandati, & nulla esset admittenda exceptio: quia apertè constaret, de expressa voluntate principis delegantis; cùm enim de plenitudine potestatis possit derogare juri communi, ideò servandum est mandatum juxta ejus expressam intentionem. 5

Judex etiam delegatus à principe potest subdelegare causas meri, & mixti imperii, & tam per se, quàm per substitutum cognoscere de crimine, & causa criminali sibi demandata, idque de jure canonico *c. venerabili de offic. delegat.* & delegatus à Principe etiam dicitur, qui est delegatus à populo habente jura imperii. Castr. *cons. 118. quod dicti Domini in V. breviter lib. 1.* Quòd si delegatus à Principe habeat facultatem procedendi summariè, & sine figura judicii, subdelegando dicitur subdelegasse, etiam quoad summam cognitionem: quia qui potest delegare, potest quoad omnia, & si non reservat sibi aliquia, subdelegatio censetur se extendere ad omnia Castr. *cons. 66. dub. supradic. n. 3. V. ex quibus infertur lib. 1.* delegatus tamen à principe semel tantùm potest subdelegare, etiam antequàm sit functus officio Castr. *cons. 118. V. præterea l. 1.* non tamen procedit quando delegatus in rem suam est delegatus, ut si fiat delegatio in dignitatem, vel officium: quia dicitur in rem suam habere mandatum, & sicut procurator in rem suam constitutus potest substituere, absolvere, ita etiam delegatus Cast. *d. cons. 118. in princ. lib. 1.* sin autem esset delegatus in negotium universale inter personas incertas; tunc dicitur potiùs ordinarius, qui potest subdelegare. Licèt delegatus à Principe possit subdelegare, non tamen id debet intelligi de articulo jurisdictionali, quia hunc alteri committere non potest Abbas *cons. 31. coll. 2. V. secundo dicta sententia.* Potest etiam delegatus à Principe subdelegare solus, secus si delegatus sit ab inferiore: & id etiam procedit in revocatione; quia delegatus subdelegando quoad aliqua potest semper etiam re non integra revocare subdelegatum; idque expressè, vel tacitè, ut notat Bald. *cons. 449. in prin. lib. 1.* imò procedit etiam in delegato, qui 6

qui ad totam causam alium subdelegavit, potest enim & is re integra revocare subdelegatum, non ita si res non sit integra, ut notat Franc. *c. quamvis n. 2. in 6. de offic. delegat.*

2 Cæterum in casibus, in quibus delegatus potest reassumere jurisdictionem, in iisdem casibus potest etiam appellari ad ipsum delegatum, qui subdelegavit, ut notat Bald. *cons. 449. per totum lib. 1.* Quòd si delegatus subdelegaverit alium, donec duxerit revocandum, potest revocare, quia non censetur subdelegâsse executionem, proinde ad ipsum poterit appellari, ut notat Franc. *in c. si delegatus n. 6. V. in ea* Gloss. *offic. delegat. in 6.*

3 Quòd si delegatus Principis subdelegâsset totâ suam jurisdictionem tam in judicando, quàm in exequendo, tunc non posset jurisdictionem reassumere, si subdelegatus negotium inchoâsset, ut ait Baldus *cons. 449. delegatus Domini Papæ, V. & ad declarationem lib. 1.* subdelegatus tamen à delegato Principis non potest committere Notario examen, nec delationem juramenti testium *c. cùm Causam de appellat.* & quamvis subdelegatus à delegato Principis non possit subdelegare; proinde nec committere examen, & juramentum testium alteri, si tamen pars adversa fuit præsens dilationi juramenti factæ à Notario convalidatur, quia tametsi præsentia non requirat citationem, sed solùm declarationem animi judicis, tamen si præsentia est deliberata sufficit ad actum illum Aret. *cons. 13. viso diligenter n. 18. & sequent. v. sed obijcitur.*

§. V.

De officio Judicis delegati, & de appellatione in causis delegatis.

1 Officium, & potestas judicis delegati in eo potissimùm consistit, ut procedat nomine delegantis, cujus vices in negotio sibi delegato gerit. Non tamen debet procedere ante præsentationem rescripti delegatorii, tametsi sciat, se esse constitutum à delegante judicem delegatum, adeò ut non procedat, nec inchoet, causam, nisi post datam rescripti: siquidem ante illius præsentationem non intelligitur habere exercitium jurisdictionis, ut liquet ex *c. super eo 11. inf. de appellat.* Felin. *in c. scissitatus 13. coll. 8. sup. de rescript.* Rota *decis. 19. de præben. in novis.* quapropter si Judex delegatus ante præsentationem rescripti delegatorii inchoet causam, & procedat in illa, processus nullius est efficaciæ, nec validatur, licèt postea superveniat rescriptum; quia ante præsentationem rescripti totus processus censetur factus à persona privata. Quod intelligitur, dummodo pars opponat, & excipiat de rescripto non præsentato, alioquin processus suum sortiretur valorem, ut probat Marant. *p. 4. spec. dist. 14. n. 8.*

2 Rursus debet judex delegatus diligenter servare formam, ac tenorem suæ delegationis, quia cum hæc sit stricti juris, & extraordinariæ jurisdictionis, non debet extendi ultra personas, vel causas in mandato delegationis expressas, ut desumitur ex *c. super eo de appellat.* unde constare de eo debet inserto tenore suæ delegationis: nec tenetur quis parere nisi ostenso, & probato mandato delegationis, nec sufficit simplex copia, ut habetur in *c. cum jure 31.* & si delegatus agat contra tenorem rescripti, quod agit nullius est valoris, ut liquet ex *c. cum dilecta sup. de rescript.* eò quia habeatur tanquam factum à privato *c. cùm olim 32. h. t.*

3 Extenditur tamen rescriptum delegatorium ad connexa, & accessoria, tametsi in rescripto non sint expressa; quia connexorum idem est judicium *c. translato sup. de constitut.* hinc semel quòd datur alicui jurisdictio, intelliguntur etiam concessa illa, sine quibus jurisdictio nec exerceri, nec explicari potest *l. 3. ff. de jurisdic. om. judic.* unde si alicui delegetur causa specialiter, poterit delegatus citare partes, punire contumaces, eligere nuntium, eundémque si falsum retulerit, punire, ut etiam coërcere quemlibet alium impedientem exercitium suæ jurisdictionis, ac ponentem obstaculum, quo minùs causa habeat suum exitum *c. 1. & c. Præterea 5. h. t.*

4 Quòd si coram delegato probetur, actorem, qui in tali causa delegationem impetravit, fuisse ante impetrationem delegationis anathemate percussum, vel aliâ censurâ illaqueatum, tunc delegatus nequit procedere; quia rescriptum ab excommunicato impetratum nullius est valoris *c. 1. de rescript. in 6.* quòd si probetur, incurrisse excommunicationem post impetrationem delegationis, tunc absolvitur à delegato, ut possit agere, si ob causam sibi commissam fuerit excommunicatus: alioquin si ob aliam causam, debet absolvi ab eo, qui illum excommunicavit; qui si malitiosè detrectet illum absolvere, tunc delegatus Papæ ipsum absolvit, nisi excommunicatio sit reservata, ut desumitur ex *c. prudentiam 21. §. 6. h. t.*

5 Cum delegato à summo Pontifice debet ordinarius localis, seu Episcopus, contra quem est facta delegatio, cautè procedere, adeò ut non facilè violenter agat contra delegatum Papæ, si in possessionem mittere velit aliquem virtute suæ commissionis, quamvis Episcopus sciat, eum non esse legitimè institutum, qui mittendus est in possessionem; sed precibus potiùs instare debet apud delegatum, eúmque rogare, ne tali immissio fiat, priusquam de toto negotio consulatur Pontifex *c. si quando 8. h. t.* Potest enim delegatus à Pontifice in omnes illos exercere suam potestatem, qui jurisdictionem sibi delegatam, causæque processum impedire, vel turbare audent, tametsi in ejus rescripto delegatorio, hæc minimè continenatur expressa *c. quia 1. h. t.* junctâ Glossâ *V. in casu.* Imò partes contumaces si citatæ detrectent comparere, potest eas anathemate percutere, ac punire *c. Præterea 4. h. t.* quia semel commissâ causâ censentur etiam commissa alia connexa, & accessoria, quæ pertinent ad causæ expeditionem. Habet etiam delegatus à Papa potestatem exequendi per se, vel per proprios Ministros, vel etiam per alios sententi-

am à se latam; quam propterea potest etiam judici ordinario committere quoad ejus executionem; & si detrectet illam exequi, potest etiam illum adigere, ac punire *c. significasti 7. h.t.* quia in ordine ad causam sibi commissam est superior, & potest jurisdictionem exercere, etiam in judicem ordinarium, qui si constituatur executor, tenetur judici delegato parere, idque tametsi eidem innotesceret injustitia sententiæ contra jus partis, ut liquet ex *c. pastoralis 28. §. quia verò h.t.* non ita si sciret, illam nullam esse, eò quia lata sit authoritate falsarum litterarum.

6 Delegatus tamen ita debet servare formam mandati, ut intentionem potiùs mandantis, quàm verborum superficiem attendere debeat, *c. super eo 15. h.t.* non enim actus debet extendi ad incognita, & non cogitata à delegante. Hinc si delegans tres deleget in cognitionem alicujus causæ; adeò ut tres simul debeant agere, & non aliter; tunc uno absente, vel mortuo, alii nihil possunt validè agere *c. prudentiam 21. h.t. L. uno ex tribus. ff. de re judic.* quia jurisdictionem non habent nisi omnes simul *c. cùm causa 22. & c. uno delegatorum 42. h.t.* Quòd si in rescripto delegatorio contineatur hæc clausula, *quod si non omnes interesse possint, alii nihilominus in causa procedant*, tunc uno absente, vel mortuo validè procederent alii; debet tamen absens notificare suum impedimentum, alioquin, si alii procederent ante hanc notitiam, processus esset nullus. Quòd si in rescripto delegatorio apponatur clausula, *ut omnes, aut duo, vel unus procedat*, tunc datur singulis facultas procedendi in solidum *c. cùm super 23. h.t.* adeò ut detur etiam locus præventioni. Quòd si forma certa non fuerit in delegatione præscripta; tunc servari debet forma præscripta in jure communi, quia in dubiis præsumitur Pontifex nolle derogare juri communi *c. ex parte 13. h.t.*

7 Delegatus à Papa potestatem habet latam per se sententiam exequendi intra annum, ut constat ex *c. quærenti 26. h. t.* intra quem terminum si condemnatus paulò post executionem factam iterum turbat illum, qui in causa vicit, potest delegatus jurisdictionem reassumere, & compellere reum ad executionem integrè, & stabiliter perficiendam, ut notat Glossa. *d. c. 26. h.t. V. ad integrum annum.* Hoc idem etiam præstare potest alius judex delegatus cum universitate causarum, sicut etiam delegatus summi Pontificis potest illam executionem ordinario judici demandare, ut liquet ex *c. significasti 7. c. sanè 11. h. t.* ut autem hoc præstet ab alio judice debet hic esse delegatus cum universitate causarum; siquidem delegatus ab aliquo ordinario, seu inferiore summo Pontifice, ut Archiepiscopo, Episcopo, absque universitate causarum, nequit suam sententiam exequi, ut putant aliqui ob aliquos juris civilis textus: nihilominus probabilius censent alii, quòd licet de jure civili id non liceat ob textum legis *L. A. D. Pio 15. ff. de judiciis c. 4.* & ibi jurisperiti *inf. de foro compet.* de jure tamen canonico id potest, ut censet Glossa *in c. si quis 5. V. ipsius solicitudine de foro competenti*: quia si de jure canonico potestatem habet exequendi, prout eodem jure habere potest quoad ea, quæ sunt mixti imperii, qualis est executio sententiæ, hæc potest delegari.

A Judice subdelegato, cui causa, vel pars causæ cognoscenda commissa est appellari potest, non autem à mero auditore, cui nudum tantùm ministerium commissum est. *c. super quæst. 27. h.t.* siquidem appellatio cùm debeat fieri à judice aggravante, & non à nudo executore, qui judex non est, ab hoc appellari nequit, nisi fortassis limites mandati excedat. In appellationibus autem est ordo servandus: etenim appellationem in causis delegatis faciendam esse à delegato ad delegantem jura civilia expressè asserunt; quòd si delegatus Papæ subdelegaverit, tunc de jure canonico appellatio à subdelegato fit ad delegatum, nisi taliter totam causam alteri subdelegaverit, ut nullam sibi circa eam jurisdictionem reservaverit, tunc enim appellatio deberet fieri ad primum delegantem, ut desumitur ex *c. super quæst. 27. §. porrò h.t.* quia cùm nihil jurisdictionis delegatus à Pontifice sibi reservaverit, circa talem causam, non potest ad ipsum fieri appellatio defectu jurisdictionis in tali causa. Quòd si à summo Pontifice aliqua causa fuit duobus delegata cum clausula *appellatione remota*, & unus eorum alteri condelegato totam suam dederit jurisdictionem, non potest hic, qui vices suas alteri commisit, procedere appellatione remota, nec alteri subdelegare, ut desumitur ex *d. c. super quæst. §. si verò*; quia tunc non procederet tantùm ut delegatus Pontificis, ut sub qua qualitate, appellatione remota; posset procedere, & subdelegare; sed procederet etiam ut subdelegatus à socio condelegato, à quo non potest accipere potestatem appellatione remota procedendi, aut subdelegandi.

8 Sunt tamen aliqui casus, in quibus à subdelegato non potest ad immediatè delegatum appellari. Primò si post subdelegationem cum certæ jurisdictionis reservatione factam delegatus è vita decedat, aut excommunicetur, ut liquet ex *c. si is cui 10. h.t. in 6.* quia in utroque casu, ne causa diutiùs protrahatur, donec alius substituatur, vel excommunicatus absolvatur à vinculo, quo detinetur, appellatio fieri potest ad summum Pontificem; ut etiam, si delegatus à Pontifice plurimum distet sine spe, quòd brevi sit venturus: vel si sit suspectus; vel si detineatur aliquo impedimento, ratione cujus ad ipsum non pateat accessus; tunc enim appellatio potest immediatè fieri à subdelegato ad summum Pontificem. Secundò si ex pluribus delegatis à Sede Apostolica, aliqui partem duntaxat causæ sibi delegatæ aliis subdelegaverint; tunc à subdelegatis non fit appellatio ad delegatos, sed ad primum delegantem, seu summum Pontificem. *c. si duo 3. h.t. in 6.* ratio est, quia appellatio debet fieri ad superiorem, & nullus delegatorum respectu alterius in eadem prorsus causa est superior consequenter

tet ad parem condelegatum non fit appellatio. Tertiò si quis excipiat contra delegatum partem causæ, & quòd jurisdictionem non habeat, eò quia mortuus fuerit Papa delegans priusquam causa commissa per delegatum inchoata fuerit; in hoc etiam casu non fit appellatio ad delegatum, qui negatur habere jurisdictionem, sed ad primum delegantem, ut liquet ex *c. si à subdelegato 14. h. t. in 6.*

§. VI.

Donantur explicatu reliqua pertinentia ad iudicem delegatum.

1 Judex delegatus sive unus, sive multiplex fuerit concurrente justa causa, potest recusari: recensetur autem inter causas recusandi judicem delegatum probabilis suspicio *c. suspicionis 29. h. t.* si enim delegatus sit consanguineus; vel etiam Dominus adversarii, cum quo debet quis litem incipere, tunc oritur suspicio, ne debeat potiùs favere adversario, quàm ministrare justitiam, proinde potest recusari, ut liquet ex *c. causam quæ 15. h. t.* Ut etiam si post inchoatam, & contestatam litem adversarius factus sit domesticus, aut familiaris judicis delegati *c. insinuante 25. h. t.* vel si delegatus sit de familia adversarii: tunc ob affectum ad familiam oritur etiam justa suspicio, ne debeat favere adversario, & propriæ familiæ, *c. litteras 14. de præsumpt.* quando autem ob legitimam causam judex delegatus à Pontifice recusatur ut suspectus, sunt ex consensu partium tunc arbitri eligendi, qui probationes recipiant, & cognoscant de tota causa recusationis, ex vi potestatis ipsis à jure concessæ, ut desumitur ex *c. suspicionis 39. h. t.* Ne judex delegatus injustè gravetur: alioquin si ob rationem nullius momenti, vel quæ nullo nitatur fundamento, judex delegatus recusetur, potest hic recusationem rejicere, & procedere in sua causa.

2 Quòd si plures à summo Pontifice delegentur judices cum clausula: *quòd si omnes non possint unus etiam in causa procedat*, tunc si contra unum delegatum objiciatur legitima recusationis causa, hæc potest expediri ab aliis, qui à parte non recusantur, ut habetur in *c. si contra 4. h. t. in 6.* Imò non solùm partes litigantes possunt justis de causis judicem delegatum recusare, sed etiam alius tertius interveniens, & ad quem etiam pertinet causa illa, si judicem habeat suspectum, *c. cùm super 23. h. t.* ubi assignatur triplex causa recusandi judicem tam ordinarium, quàm delegatum; quarum prima est, si altera pars habeat litem judicialem cum eodem judice; siquidem ex litibus oriuntur inimicitiæ, propterea judex delegatus posset nolle ministrare justitiam cum parte illa, cum qua judicialem aliam habet litem. Secunda est, si judex signum benevolentiæ, vel amicitiæ alicui deneget, & aliis ejusdem conditionis, ac status, exhibeat, quia tunc negatio signi benevolentiæ indicat aliquam animi saltem alienationem, vel etiam inimicitiam. Tertia est si judex delegatus minatus sit alicui, quòd datâ occasione velit ipsi damnum inferre, quia tunc habetur etiam justa suspicio, quòd non sit ministraturus justitiam.

Juvat tamen animadvertere, quòd si delegatus à Pontifice priusquam recusetur causam in totum subdelegavit, recusari ulteriùs non potest, ut nec subdelegatio ab illo facta impugnari, si subdelegatus jam cœpit sua jurisdictione uti: quia cum causa suspicionis ad recusandum delegatum non pertineat ad subdelegatum, qui aliàs vir censetur probus, ac timoratæ conscientiæ, ideò non est, cur hic debeat cessare à causa jam inchoata. Quòd si delegatus aliquam tantùm partem causæ sibi commissæ alteri delegavit, sibique reservavit aliam partem cum jurisdictione; tunc potest recusari, & ejus commissio facta subdelegato impugnari: quia quoad illam causæ partem, quam sibi retinuit, adhuc est judex; consequenter non minùs potest recusari, quàm alius judex, de quo habeatur justa suspicio, ut desumitur *ex c. Judex 5. h. t. in 6.* ubi habetur etiam, quòd post exhibitas rationes recusationis possit judex delegatus, si pars recusans consentiat, vices suas alteri committere, tametsi causæ recusationis probatæ sint, dummodo supra iis nondum sit quidquam pronuntiatum; quia ante sententiam recusationis latam viget delegati jurisdictio, licet impedita, & suspensa; proinde in causa sibi commissa non potest ulteriùs procedere, nec subdelegare, nisi ex consensu partis recusantis. Quòd si contra judicem lata sit sententia, tunc ejus jurisdictio censetur prorsus extincta; & non potest, etiam ex consensu partis ulteriùs procedere, ac subdelegare. 3

Imò non solùm judex delegatus potest recusari ut suspectus, sed etiam ipse locus, in quo agitatur causa, si pars citata illuc minus securè possit comparere ob inimicitias privatas, vel publicas, ut desumitur ex *c. cum Raphael 35. h. t.* si enim pars in obtinenda justitia grave patiatur incommodum, potest à delegante petere, ut sibi constituatur judex in loco tuto, ubi possit sine periculo vitæ comparere. Si tamen utraque pars sit in Curia, non datur judex ad instantiam unius tantùm partis, nisi etiam altera consentiat: quòd si una pars absit, datur illi judex delegatus, dummodo contraria pars non contradicat.

Jurisdictio judicis delegati pluribus modis intelligitur cessare. Primò per mortem ipsius delegantis re integra *c. relatum 19. c. gratum 20. c. licèt undique 30. h. t.* quòd si res non ampliùs sit integra non exspirat jurisdictio judicis delegati: unde generatim jurisdictio delegati cessat per obitum delegantis, nisi aliter fuerit in jure statutum, vel in litteris commissionis expressum. Quid verò intelligatur pro re integra, non conveniunt jurisperiti Glossa in *L. & quia ff. de jurisdic. om. judic.* ait rem in- 5

tegram esse, quando ante mortem delegantis facta non est litis contestatio, & vult secundùm leges civiles ad rem integram requiri, ut non sit facta litis contestatio. Hostiensis autem in *c. licèt de offic. jud. delegat.* asserit rem tunc integram dici, quando delegatus nondum cœpit uti jurisdictione; & dicit, cœpisse etiam, quando vocavit tabellionem, & testes, ac publicavit commissionem sibi factam. Alii dicunt, delegatum tunc cæpisse uti sua jurisdictione, quando alteri suas commisit vices: adeò ut si ante mortem delegantis delegatus alterum sibi substituerit, res non sit ampliùs integra.

6 Has tamen opiniones rejicit Panormit. *in c. relatum, & c. gratum & c. licèt de offic. jud. delegat.* ubi cum aliis jurisperitis ait, tunc dici rem integram, & usum jurisdictionis non esse cæptum, quando nondum est facta partis citatio, sive Rei, etiamsi non sit facta litis contestatio, quia ex *c. fin. de offic. legat. & c. gratum. de offic. jud. delegat.* judicium intelligitur inchoatum, quando judex citavit partem, quia per solum mandatum de citando desinit esse res integra. Secundò cessat jurisdictio judicis delegati per obitum ipsius delegati, quando delegatio facta est personæ cum expressione ejus nominis, ut notat Glossa in *c. quoniam* alioquin si facta sit non personæ, sed dignitati, vel sub nomine dignitatis perpetuæ, ut Rectori universitatis, Decano, vel Præposito talis Ecclesiæ obitu delegati non extinguitur jurisdictio, sed transit ad successorem, ut desumitur ex *d. c. quoniam.* Tertiò etiam cessat jurisdictio per revocationem re integra, quia ex *c. venerabili 37. h. t.* regulariter omne mandatum potest revocari si res sit integra. Quartò etiam cessat jurisdictio lapsu temporis præstituti ad decisionem causæ, nisi de consensu partium fuerit tempus prorogatum, & causa in longiùs producta, ut liquet ex *c. de causis 4. & c. consuluit 24. h. t.* quamvis enim consensus privatorum nequeat constituere judicem *L. privatorum 3. & l. de jurisdic. om. judic.* nihilominus potest jurisdictionem veri judicis priusquam illa exspiraverit prorogare, *l. 2. §. sed si judex ff. de judiciis.* Quintò cessat jurisdictio si judex delegatus deponatur, quia depositus æquiparatur mortuo *dist. 16. q. 16. c. adijcimus* Abbas in *c. licèt de offic. jud. delegat.* Sextò etiam cessat si delegans excommunicetur publicè, quia occultè non sufficit, ut notant Hostiensis, & Abbas in *c. licèt.* Septimò absoluto negotio, seu postquam delegatus functus est proprio officio, & sententia judicis delegati mandata est executioni *c. in litteris 9. h. t.* vel etiam quando sententia est lata, & executioni non potest mandari.

7 Delegata jurisdictio est etiam, quæ inest judicibus conservatoribus: siquidem conservator de jure communi est judex delegatus à Papa ad defendendum aliquos adversus injurias, ac violentias manifestas, ac habet delegatam jurisdictionem ut colligitur ex *c. 1. 2. & ult. de offic. jud. delegat. in 6.* solent interdum concedi hujusmodi conservatores in defensionem contra latrones, & prædones: quandóque contra eos, qui privilegia quibusdam concessa violant, & nonnunquam contra injurias, & offensas manifestas; ut contra eas defendantur Innocentes, deputantur conservatores Episcopi, vel Abbates; vel qui dignitatem, aut personatum in Ecclesiá cathedrali, aut collegiata obtinent, ut liquet ex *c. ult. h. t. in 6.* Potest conservator cognoscere de manifestis tantùm injuriis, & violentiis factis; seu inferendis, si jus commune attendatur; ita tamen ut ad illius etiam cognitionem pertineat, utrum injuria sit notoria, & de hoc probationes accipere possit; ne ejus potestas facilè eludatur: quòd si deprehendat injuriam non esse notoriam, debet ulteriùs progredi. Neque conservator revocari potest tamquam suspectus, si alias fuerit idoneus, nec potest ab illo appellari, cum non procedat nisi in notoriis *arg. c. cùm sit 5. §. Præterea* juncta Glossa *V. manifesta de appellat.* Exspirat autem potestas conservatoris obitu Papæ concedentis, ut habetur in *c. ult. §. officium* juncta Glossa *V. quorumcunque* quoad negotia nondum inchoata: cœterum quoad alia jam cæpta non cessat, ut notat Glossa & communiter jurisperiti.

§. VII.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selecta quæstiones.

Quæritur primò, quotuplex sit jurisdictio. 1
Definitur jurisdictio à jurisconsultis in *l. 1 ff. de jurisd. om. jud. V. potest.* ut sit *potestas de publico introducta cum necessitate juris dicendi & æquitatis statuendæ,* quia tamen hæc definitio non convenit jurisdictioni Ecclesiasticæ, quæ non authoritate humanæ Reipublicæ, sed immediatè à Christo introducta fuit *c. solitæ de majorit. & obed.* ideò exactiùs definitur à Canonistis, præsertim Pirh. *h. t. n. 1.* ut sit *potestas publica circa aliorum regimen, seu gubernationem:* sumitur autem potestas non pro actu, seu exercitio jurisdictionis, sed pro facultate & potentia eam exercendi, dicitur etiam publica ad excludendam potestatem, seu authoritatem, quam habet maritus in conjugem, Dominus in servum; pater in filium, Tutor in pupillum: quia hæc potestas utpote privata est tantùm domestica, & œconomica; non verò publica: proinde non est jurisdictio, quæ convenit superiori, ex publico munere, seu potestate in subditos, seu prout exercetur à publica persona in subditos, quapropter in definitione adjiciuntur illa verba *circa aliorum regimen, seu gubernationem.* Respondetur igitur jurisdictionẽ dividi. Primò in Ecclesiasticam, & civilem, illa est, quæ versatur circa causas pertinentes ad Dei cultum; & spiritualem animarum salutem, & subdividitur in eam, quæ in foro externo, & in eam quæ in foro interno, seu conscientia, & circa sacramentalia exercetur; jurisdictio civilis; quæ & politica dicitur, versatur circa causas profanas, & sæculares, & respicit proximè temporale Reipublicæ regimen. Rursus jurisdictio alia est voluntaria,

quæ

quæ inter volentes tantùm exercetur, & ad hanc in civilibus spectat manumissio, & adoptio ; in Ecclesiasticis ordinatio, consecratio, collatio beneficiorum, & alia id genus : unde dicitur voluntaria non ex parte Magistratûs, quia hic imploranti suum officium tenetur illud impertiri : sed ex parte illius, qui adit Magistratum, & petit, quod illi suppositis omnibus requisitis debet concedi. Alia est contentiosa, quæ exercetur in invitum, ut in jus vocando, puniendo, & alia id genus exercendo, quæ non expediuntur, nisi Judice sedente pro tribunali, quando plures inter se contendunt *argum. l. inter stipulantem §. 2. ff. de V. O.* ibi : Judicium autem etiam in invitum redditur. Præterea alia est jurisdictio ordinaria, quæ cuipiam convenit ratione proprii officii juxta legem, Canonem, vel consuetudinem *l. mo. majorum, & l. & quia ff. de jurisdict. om. Judic.* ubi is censetur jurisdictionem ordinariam habere, ac posse eam delegare, qui eam suo jure, seu ex vi proprii officii, vel dignitatis habet : & hoc pacto Fagnanus *in c. cum olim. num. 65. de major. & obed.* asserit, jurisdictionem, quæ defertur à lege, vel statuto, aut quæ datur ad universitatem causarum, esse ordinariam : jurisdictio delegata è contra est, quam quis non habet jure proprio, seu non ratione proprii officii, vel dignitatis, nec à lege, canone, vel consuetudine, sed solùm ex commissione alterius, cujus vice fungitur.

2 Quæritur secundò, quomodo jurisdictio dividatur in simplicem, & habentem imperium? Respondetur, jurisdictionem simplicem sitam esse in sola causarum cognitione, ac decisione absq; jure exequendi: hæcq; simplex jurisdictio, conferri solet Judici delegato, cui licèt detur potestas cognoscendi, & decidendi causam, seu ferendi sententiam : hujus tamen executio deleganti reservatur *l. à divo Pio §. 1. de re jud.* Jurisdictio habens imperium est, cui convenit potestas exequendi suam sententiam, & utendi sua potestate in debitã coercitionem reorum : judex enim habens hanc potestatem exequendi suam sententiã, & coercendi reos, dicitur habere imperium: siquidem potestas Judicis secundùm actum cognoscendi, & pronuntiandi, dicitur jurisdictio : & secundùm actum coercendi vocatur imperium, quod subdividitur in mixtum, & merũ. Mixtum consistit in causarum civilium executione, & se extendit etiam ad modicam coercitionem. Imperium merum consistit in coercitione, ac punitione publicorum criminum. Rursus imperium mixtum dicitur etiam jurisdictio bassa, quæ convenit cuilibet Magistratui, licèt non semper quoad omnes actus, & huic spectat interponere authoritatem manumissionis, vel emancipationis, dare possessionem bonorum, Tutores pupillis constituere, & subinde etiam modicam coercitionem imponere per pœnam tamen levem. Imperium merum è contra vocatur jurisdictio alta, seu criminalis *l. imper. 3. ff. de jurisd. om. jud.* ibi : *Merum imperum est, habere jus gladii ad animadvertendum in facinorosos homines* ; & hujus imperii in jure civili tres dantur gradus; supremus qui continet pœnas mortis naturalis, ut combustionis, rotæ, suspensionis è patibulo, decapitationis : Medius qui complectitur pœnam mortis civilis: olim deportationis, hodie banni imperialis : tertius est infimus, & respicit pœnas non capitales, tum corporis afflictivas, tum famosas, ut amputationis manûs, fustigationis, sustinentiæ ad Numellas, ut notat Engel. *tit. de offic. judic. n. 17.*

Quæritur tertiò ; an de jure canonico detur imperium merum ? Respondetur, duas esse sententias; negativam unam, quæ nititur, eò quia merum imperium sit habere jus gladii ad animadvertendum in facinorosos, & infligit pœnã mortis corporalis per combustionem, rotam, patibulum, gladiũ, & alia instrumenta, quibus torquentur rei, donec anima separetur à corpore : Ecclesia autem, cùm sit pia Mater abhorret ab istis pœnis mortem corporalem afferentibus, & tantùm utitur gladio spirituali, & medicinali, qui potiùs est ad vitam, quàm ad mortem ; ut nimirum delinquentes resipiscant *can. inter hæc 33. q. 2.* Secunda sententia asserit de jure canonico etiam dari imperium merum, ita Glossa magna, & Abbas in *c. quod sedem n. 5. de offic. ordin.* Et huic sententiæ adhærendum puto, quia imperium merum tres continet gradus, supremum, medium, & infimum : & quamvis Ecclesia non habeat primum gradum imperii meri, seu potestatem gladii, & fundendi sanguinem ; seu inferendi mortem naturalem ; non tamen inde sequitur, Ecclesiam non habere alios grad' imperii meri : potest enim infligere pœnas delinquentibus, ut intrusionem carceris, jejunia, flagellationes citra sanguinem, & alia id genus. Cæterũ Ecclesiæ gladius quamvis sit spiritualis infligit tamen pœnas respondentes illis, quæ infliguntur per gladium naturalem ; etenim ad jus canonicum pertinet infligere pœnam mortis spiritualis, seu excommunicatione, & anathemate percutere delinquentes: hæc enim pœna spiritualis comparatur capitali, quæ infligitur in jure civili *c. per venerabilem §. sunt autem qui filii sint legit.* Rursus potestas degradandi, & tradendi Curiæ sæculari, juxta Glossam *in c. quod sedem V. committere de offic. ordin.* æquiparatur ultimo supplicio, ut notat Innocentius, *c. qualiter, & quando de accusat.* 3

Quæritur quartò, an quando causa delegatur duobus cum clausula : *quòd si ambo interesse non possunt, unus procedat*, si unus ex delegatis sit impeditus, possit alteri causam subdelegare, & vices suas committere ? Respondetur, posse quidem suas vices alteri committere, si sit delegatus Principis, sed alterum delegatum non teneri subdelegatum recipere, & posse illum per exceptionem repellere, idq; desumitur ex *c. coram dilecto 34. h. t.* ubi dicitur, quòd si causa delegatur duobus cum clausula, si unus non possit interesse, tum alter solus procedat ; possit alter delegatus sententiam proferre sine subdelegato : adeò ut si impedimentum incidat non voluntarium, sed necessarium, ac inevitabile, quo unus delegatus possit procedere; statim censeatur purificata clausula, & totum præcedendi jus alteri acquisitum; proinde impeditus non potest subdelegare, & si suas vices alteri comittat, potest subdelegatus ab altero delegato per exceptionem repelli ; ut 4

ordine judiciario, & mandat alicui, ut suam exequatur sententiam L. executio C. de except. rei judic *& hic Executor non debet audire exceptiones. Executio mixta dicitur, quæ habet cognitionem annexam, ut quando Papa mandat alicui restitui rem suam, & coram tali Executore; & tunc admittuntur legitimæ exceptiones.*

C. *EX LITTERIS 29. h. t. idem Pont. rescribit Abbati S. Hilarii, & declarat, subdelegatum à delegato Papæ posse coercere impedimentum: alioquin demandata jurisdictio redderetur delusoria.*

C. *LICET UNDIQUE 30. h. t. idem Pont. rescribit Episcopo Pictaviensi, quòd si causa delegetur tribus judicibus cum hac clausula:* si non omnes his exequendis poteritis interesse, duo vestrûm nihilominus eam exequantur: *& contingat unum post commissas alteri vices suas mori; si superstes jurisdictione à suo Collega sibi delegatâ eo vivente uti non cœperit, non habere solum officium judicandi, eò quia mandatum hujusmodi re integra per mortem mandantis expiraverit: sin verò ante ejus mortem cœperit uti jurisdictione posse suo nomine, & defuncti definire negotium. Hinc liquet, per mortem mandantis re integra, hoc est si citatio non præcesserit, expirare mandatum, nisi tale sit; ut post mortem necesse sit illud impleri.*

C. *CUM IN JURE 31. h. t. Idem Pont. rescribit Episcopo Baiocensi, neminem compelli exequi, quæ mandantur a delegato, nisi probetur de delegatione Sedis Apostolicæ. Quia ut notat Glossa, non creditur Judici dicenti se delegatum, nec præsumitur pro ejus sententia nisi ostendatur commissio* c. cum à nobis inf. de testam. *Hodie tamen sufficit solum Tabellio, ut detur fides sententiæ. Verùm ut nulla sit dubitatio debet auctoritate Judicis rescriptum Papæ in publica forma inseri in sententia.*

C. *CUM OLIM 37. h. t. Idem Pont. rescribit Episcopo Parisiensi, delegatum intelligi institutum ad ea tantùm, quæ in litteris exprimuntur; & ejus jurisdictionem non extendi ad alia; atque propterea si reus non compareat, nec respondeat, non potest ob id excommunicari; hinc constat, jurisdictionem delegati non extendi ultra contenta in rescripto. Verùm licèt Procuratores, ut notat Glossa hic non possint prorogare jurisdictionem, possunt nihilominus mandatum ad ea extendere, quæ sunt peremptoria, & accessoria mandati.*

C. *CUM OLIM MAGISTER 33. h. t. rescribit idem Pont. Episcopo Senonensi, eum, qui violando sigilla aperit acta, causâ relationis Judicum, non esse audiendum contra acta Judicis, quæ aperuit Ubi notat Glossa, Judices teneri ostendere partibus relationem, quam faciunt superiori: alioquin datur locus appellationi. Rursus notandum est, non facile ei credi, qui deprehenditur in aliquo culpabilis; ut iste in apertione litterarum, quia juxta* regul. jur. in 6. semel malus semper præsumitur malus, *quod intelligitur in eodem genere, & donec probetur bonus.*

C. *CORAM DILECTO 34. h. t. Idem Pont. declarat, quòd si causa delegetur duobus cum clausula,* quòd si ambo interesse non possint, unus procedat, *& unus non possit interesse, sed subdeleget alterum, possit alter delegatus ferre sententiam sine subdelegato: quia clausula:* si ambo: *non intelligitur per se, vel per alium, sed per se, præsertim, quando secundus delegatus obtinuit litteras subreptitias. Hinc ut notat Glossa, quamvis delegatus à Principe possit alteri causam subdelegare, & teneatur alter delegatus eum recipere. In hoc tamen textu subdelegatus à delegato Papæ ideò non fuit admissus, quia habuit litteras subreptitias.*

C. *CUM CANONICIS 35. h. t. Idem Pont. rescribit Præposito sancti Dominici, quòd si locus sit suspectus parti, possit Delegatus delegare alium in loco non suspecto: & canonicum posse recusare Judicem in causa alterius canonici. Verùm ut notat Glossa, quamvis Canonicus non possit esse Judex in causa alterius canonici propter familiaritatem, potest tamen esse testis, perinde ac frater pro fratre. Causæ verò, ex quibus possunt Judices recusari, continentur his versibus.*

Subjectus, Dominus, & commensalis, amicus,
Incola, canonicus, & attingens, inimicus.
Si causam similem delegatus tueatur.
Vel si Patronus fuit olim, tunc moveatur.

C. *CUM CONTINGAT 36. h. t. rescribit idem Pont. Archiepiscopo Rotemagensi, quòd si quis conqueratur se post appellationem ad Papam fuisse excommunicatum, antequam absolvatur, debeant admitti probationes excommunicati, & excommunicantis, ut cognoscatur, an debeat absolvi, vel declarari, quòd non sit excommunicatus. Sin verò conqueratur, se injustè excommunicatum, tunc sit priùs absolvendus, & postea admittendæ sint ejus probationes.*

C. *VENERABILI 37. h. t. Honorius III. declarat, non servantem formam rescripti, vel non restituentem Episcopum loco suo, antequam inquirat de dilapidatione contra Episcopum invalidè procedere. Rursus eum non posse amplius alteri subdelegare, qui vices suas subdelegavit uni, quia jam incæpit processum. Benè tamen potuisset subdelegare, antequam incæpisset processum, ut notat Glossa. Ex hoc textu liquet, spoliatum esse priùs restituendum antequam contra ipsum quicquam objiciatur, & formam mandati esse omninò servandam. Rursus suspectum de dilapidatione non esse illicò removendum, sed dandum ei coadjutorem, prohibita interim omni alienatione. Quòd si apertis argumentis aliquis probetur suspectus de dilapidatione, potest judex sine excusatore eum removere.*

C. *SIGNIFICANTIBUS 38. h. t. Gregorius IX. rescribit Præcentori, & Canonico Ambianensi, Judices pronunciantes, se non habere jurisdictionem ex rescriptis in tali causa non posse postea jurisdictionem reassumere, tametsi partes assentiantur*

tiantur, ubi notat Panormitanus hic num. 3. *ſententiam, per quam quis ſe pronunciat non eſſe Judicem eſſe interlocutoriam, habere tamen vim definitivæ; proinde hæc interlocutoria per quam finitur juriſdictio Judicis non poteſt per eundem judicem revocari: poteſt tamen ab illo appellari, quia habet vim definitivæ etiam in jure civili.*

C. *SUSPICIONIS 39. h. t. idem Pont. declarat, quòd ſi Reus aſſignet juſtam cauſam ſuſpicionis, debeant eligi arbitri, qui aſſignent tempus ad cognoſcendam hanc ſuſpicionem: & licèt non poſſit eligi ad id judex; poteſt tamen hic arbitros compellere, ut ſolicitent. Verùm hic textus correctus fuit per Innocentium IV. adeò ut hodie judex totum id præſtet.*

C. *P. ET G. PER LITTERAS 40. h. t. idem Pont. reſcribit Abbati S. Genovefæ, juriſdictionem delegatam non extendi ad alias perſonas, de quibus nulla fit in reſcripto mentio. Notat tamen Gloſſa, aliquando de conſenſu partium poſſe fieri prorogationem de tempore ad tempus, de re ad rem, & de perſona ad perſonam, ſed ſemper præſupponi juriſdictionem ordinariam; adeò ut delegata non ſufficiat.*

C. *CUM VIGESIMUM 41. h. t. idem Pont. declarat judicem delegatum debere dari, qui ſit major viginti annis; ſed de conſenſu partium poſſe dari majorem octodecim annis; minorem verò non poſſe dari niſi à Principe. Ubi notat Gloſſa annum debere eſſe expletum.*

C. *UNO DELEGATORUM 42. h. t. declarat idem Pont. quòd ſi dentur plures delegati, vel arbitri ſimpliciter ſine clauſula:* quòd ſi unus: *mortuo uno expirat authoritas in aliis, & id extenditur etiam ad caſum, ſi unus efficiatur infamis, vel ſi removeatur, aut recuſetur ut ſuſpectus: quia plures delegati ad unam cauſam, ſe habent locò unius tantùm, & omnes jubentur judicare* §. de re jud. L. ſi duo ex tribus: *hinc ſi unus impediatur, judicare ampliùs non poſſunt, quia delegatio non eſt aliter facta, quam omnibus ſimul, & nulli in ſolidum. Poteſt nihilominus unus committere vices ſuas alteri* c. quamvis eod. *& ſi eo vivente alter cœpit juriſdictione ſibi commiſſa uti, poterit ſolus poſtea procedere.* c. licèt 30. h. t.

C. *QUONIAM APOSTOLICA 43. h. t. idem Pont. declarat, quòd delegatus Papæ licèt ſit datus ex officio Papæ, vel de conſenſu partium, poſſit nihilominus ſubdelegare, vel committere vices ſuas alteri de jure communi, imò etiam invitis partibus, ut notat Gloſſa, ubi etiam ait: quòd ſi cauſa delegetur Epiſcopo cum duobus aliis conjunctim, & Epiſcopus ſubdeleget, non poſſint alii duo ſine ſubdelegato Epiſcopi judicare. Cæterum ſi mandetur alicui, ut perſonaliter faciat, non poteſt per alium id præſtare, niſi partes conſentiant: præſertim ſi committatur res ardua, & expediens difficilis, quia tunc cenſetur electa induſtria perſonæ.*

IN SEXTO.

CAP. STATUIMUS 1. h. t. declarat Innocentius IV. conſervatores poſſe ſolùm defendere ſibi commiſſos à manifeſtis injuriis, & violentiis, & eorum poteſtatem non extendi ad alia exigentia judiciariam indaginem, niſi id exprimatur in privilegiis.

C. *QUIA PONTIFICALI 2. h. t. Alexander IV ſtatuit, ut judices, & conſervatores Papæ, ſi veniendum ſit ad coactiones, vel pœnas contra Epiſcopos debeant eis deferre, & honorare illam dignitatem; adeò ut priùs interdicant eis ingreſſum Eccleſiæ, vel ſacerdotale miniſterium; deinde ſuſpendant ab officio, & tandem puniant Eccleſiaſticâ cenſura, niſi fortaſſis contumacia aliud perſuaſerit. Ex quo textu liquet, velle Pontificem dignitati Epiſcopali tantùm deferri; ut etiam judices & Conſervatores Apoſtolici moderationem erga Epiſcopos, & gradus hic præſcriptos obſervent. Nomine tamen judicis in jure non venit conſervator, ut notat Gloſſa, ubi etiam obſervat, quòd ſi Iudex non ſervet ordinem hujus decretalis, adhuc factum tenet, licèt ipſe ſit reprehendendus: eò quia textus tantùm loquatur de decentia*

C. *SI DUO 3. h. t. Bonifacius VIII declarat, quòd ſi Papa tres delegaverit, & duo ſubdelegentur in partem, non in totum; ſi in proceſſu Cauſæ appelletur ab his ſubdelegatis, & Delegato; ſit appellandum ad Papam, & non ad Condelegatos; & ratio aſſignatur à Gloſſa, quia cum ibi ſit unus delegatus, non poteſt appellari ad æqualem, ſed ad ſuperiorem. Quando verò delegatus in partem tantùm delegat, & non in totum appellatio eſt facienda ad delegatum. Ceterùm delegatus ab alio, quam à Papa non delegat. Ex hoc textu deſumitur regula,* quòd ubi duo permiſcentur, quorum unum ſit potentius altero, ut in hoc textu, delegatus tertius duobus ſubdelegatis, potentius attrahit ad ſe naturam minus potentis, tametſi in numero ſit minus potens.

C. *SI CONTRA 4. h. t. idem Pont. declarat, quòd ſi duo Delegati à Papa cum clauſula* quòd ſi ambo non poſſunt, unus cognoſcat; *& opponitur cauſa legitima ſuſpicionis contra unum; alter debeat cognoſcere, & expedire cauſam ſuſpicionis, non verò arbiter. Sin autem præfata clauſula non adjiciatur recurrendum ſit ad arbitros. Rurſus ſi delegatus Epiſcopi recuſetur, debeat cauſa recuſationis probari coram Epiſcopo; ut etiam ſi recuſetur ejus Officialis, qui tamen non eſt delegatus, ſed Ordinarius, à quo non appellatur ad Epiſcopum, niſi in cauſa prædicta; & tunc cauſa reprobationis eſt exprimenda coram judice; licèt coram eodem non ſit probanda.*

C. *IUDEX 5. h. t. idem Pont. reſcribit, quòd Iudex Apoſtolicus, quamvis poſſit legitime recuſari, poteſt committere nihilominus licite vices ſuas alteri, antequam recuſatio coram ipſo proponatur; & ſi in totum commiſerit, commiſſio facta impugnari non poſſit; ſecus tamen ſi in parte commiſiſſet; tunc enim poſſet impugnari. Rurſus poſt propoſitam recuſationem, ſi non ſit pronuntiatum ſuper ea, conſentiente recuſatore poſſit committere, ſecus non. Poſtquam verò pronunciatum eſt, eum eſſe ſuſpe-*

ctum

ctum etiam volente recusatore non possit amplius committere.

C. QUAMVIS 6. h. t. idem Pont. declarat, quòd quamvis delegatus Papæ causam sibi delegatam in totum alicui commiserit, si tamen ille antequam utereetur jurisdictione mortuus fuerit, possit delegatus causam resumere: quia jurisdictio quâ subdelegatus non fuit usus, non censetur in ipsum efficaciter transiisse. Ratio est quam assignat Glossa, quia committens alicui in totum causam, videtur in totum jurisdictionem abdicare, posito, quòd subdelegatus velit illâ uti, vel incipiat eâ uti: retinet nihilominus sibi potestatem resumendi, si subdelegatus jurisdictione prorsus non utatur.

C. SI DELEGATUS 7 h. t. idem Pont. declarat, quòd quando delegatus subdelegat sub hac forma, quoties eum abesse contigerit: vel donec duxerit delegationem revocandam & moritur, si subdelegatus cœpit uti jurisdictione, non amittit jurisdictionem, proinde debet prosequi. Rursus si contigeirt appellari appellandum est ad subdelegantem, si aliquid in subdelegatione sibi reservavit, & non ad primum delegantem, seu Papam: Ex quo textu liquet, delegatum posse subdelegare sub conditione.

C. CUM PLURES 8. h. t. idem Pont. declarat, quòd si pluribus delegetur causa à Papa in solidum, quilibet per se solum potest procedere & si unus eorum causam semel inceperit, non debet alter se in eadem immiscere, nisi priùs sit impeditus justâ causâ; vel nolit, vel malitiosè recuset procedere. Præterea si decedat Papa mandans, & etiam Delegatus, qui causam incepit, potest unus ex aliis eam prosequi, quia causa perpetuatur, quamvis res videatur integra

C. SI SUPER 9. h. t. rescribit idem Pont. quòd si super gratia Apostolica Executores deputentur; æquum sit, ut sicut ipsa gratia morte non perimitur concedentis: sic nec etiam re integra perimatur Executoribus data potestas, quia cùm sit accessoria gratiæ, sequitur naturam sui principalis: ne gratia eadem reddatur omninò inutilis; vel ejus effectus cum dispendio illius, cui facta est, differatur. Hinc si moriatur Papa post gratiam concessam, & datos Executores; hi possunt adhuc fungi suo officio, quia gratia, quæ est principalis non expirat: consequenter neque potestas Executorum cum sit accessoria. Quòd si gratia non esset facta, sed facienda, & res esset integra, spiraret mandatum Executoris.

C. SI IS CUI 10. h. t. idem Pont. statuit, quòd si delegatus Papæ subdelegaverit alicui non in totum vices suas, & moriatur, vel excommunicetur, durante tali impedimento appellandum sit ad Papam.

C. AB ARBITRIS 11. h. t. idem Pont. declarat ab arbitris, qui secundùm formam juris contra Iudicem de causa suspicionis cognoscunt, vel ad judicum concertationem sopiendam eliguntur, esse ad Pontificem appellandum. Notat Glossa ab arbitris compromissariis, qui voluntariè, & liberè eliguntur, non appellari; benè tamen ab arbitris juris.

C. IS CUI 12. h. t. idem Pont. declarat, quòd quando Papa committit alicui, ut provideat tali certæ personæ de beneficio in aliqua particulari Ecclesia, tunc is potest demandare alteri hoc officium: sin verò mandet, ut provideat, Ecclesiæ de persona, non exprimendo aliquam, non potest hoc demandari alicui, quia committitur ejus industriæ, ad eligendam personam, nisi in rescripto exprimatur per se, vel per alium.

C. STATUIMUS 13. h. t. rescribit idem Pont. quòd tametsi Papa mandet alicui expedire causam in certo loco, possit delegatus, dummodo habeat justam causam eam expedire in alio loco c. statutum de rescript. in 6. notat tamen Glossa; id valere in delegato Papæ, non verò in delegato Ordinarii.

C. SI A SUBDELEGATO 14. h. t. idem Pont. rescribit, quòd si Delegatus subdelegaverit non in totum sed in partem, tametsi regulariter appellandum sit ad delegatum; si tamen excipiatur re integra decessisse primum delegantem, & hæc exceptio non admittatur, appellandum sit ad Papam. Ut etiam quando appellatur ex eo quia Iudex non habet potestatem; tunc etiam appellandum est ad Papam.

C. HAC CONSTITUTIONE 15. h. t. Idem Pont. plura sancit. Primò ut Conservatores, qui aliquibus (ut manifestis injuriis eos tueantur) à sede Apostolica conceduntur, non possint de cætero deputari nisi Episcopi, vel eorum superiores, aut Abbates, seu dignitates, vel personatus in chatedralibus, vel collegiatis Ecclesiis obtinentes; adeò ut Conservatores non possint esse nisi Episcopi, & iis superiores: vel Abbates, & habentes dignitatem, vel personatum in Cathedrali, vel collegiata; adeò ut alii excludantur etiam Canonici. Secundò ut nullus possit habere pro conservatore suum subditum, vel eum, qui consistit in districtu Ecclesiastico suo, vel temporali. Excipiuntur tamen Reges, & Reginæ. Tertiò ut conservatores non præsumant procedere extra civitates, seu Diœceses suas, in quibus sunt deputati contra quoscunque, nec trahant aliquid à fine Diœcesis ultra unam dietam. Quartò ut vices suas nulli committant nisi expressum sit in litteris, & tunc nisi intra civitates, & suas Diœceses, & personis tantùm superiùs expressis, possint tamen citare, & denuntiare sententiam per alios. Quintò quòd si conservatores scienter se immisceant in aliis quàm in manifestis injuriis & violentiis, eo ipso per unum annum sint suspensi: & qui hoc fieri procuravit, incurrat excommunicationem, à qua non absolvitur nisi priùs integrè satisfecerit parti indebitè fatigatæ de expensis. Sextò ut officium Conservatoris ipso jure expiret in negotiis nondum cœptis per mortem concedentis, Septimò ut quoad munera, & expensas observetur constitutio de rescriptis c. statutum §. insuper. Octavò ut si quis aliquid contra hæc attentare præsumpserit omninò irritum sit, & inane. Hinc licèt Conservator sit judex delegatus, multa tamen peculiaria habet, in quibus ab aliis delegatis differt. Nam delegatus potest esse Canonicus Ecclesiæ cathedralis; non item Conservator.

IN

IN CLEMENTINIS.

C. JUDICES UNIC. h. t. Clemens V in Concilio Viennensi decernit, ut Judices delegati Papæ super receptione testium in causa civili, ut etiam Executores deputati à sede Apostolica ad providendum alicui de beneficiis, si eos per diligens examen repererint esse laudabilis vitæ, & honestæ conversationis, possint licitè aliis committere vices suas; dummodo sit judex, & non nullius Minister: quia ut notat Glossa, non fuit delegatum nudum ministerium ut ad solùm examinandum; sed ulterius habet potestatem ad recipiendum testes, citandum partes, & danda interrogatoria, quæ omnia supponunt jurisdictionem.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

C. SEDES APOSTOLICA UNIC. h. t. declarat Joannes XXII quòd si litteris Apostolicis impetratis ad gratias, vel beneficia vacatura, vel ad lites pro aliqua diœcesi, contigerit ante effectum litterarum illam Diœcesin de mandato Papæ dividi in plures Diœceses, præfatæ litteræ habeant eandem vim in singulis divisis; perinde ac si esset unica tantùm Diœcesis: hinc Executores, & judices deputati debent easdem mandare executioni: quia impetrantes habebant jus ad rem. Hinc notat Glossa constitutionem principis per non obstantia non tollere privilegia, statuta, & constitutiones speciales, nisi specialiter, & expresè explicentur.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quis, & quotuplex sit Judex delegatus.

1 Xpendimus in præcedenti titulo, quæ ad Vicarium pertinent, & quia is alienas vices in divinis officiis, & voluntaria jurisdictione gerit; ideò in hoc titulo, de eo agitur, qui vices alienas gerit in judiciis, & jurisdictione contentiosa. Est enim delegare perinde ac vices suas alteri in locum suum committere, adeò ut judex delegatus dicatur *Judex datus*, eò quia ex commissione alterius consequitur judicialem cognitionem alicujus causæ: adeò ut Judex delegatus, qui & extraordinarius dicitur, & vulgò Commissarius, is sit, qui non ex proprio munere, & officio; sed duntaxat ex cognitione, vel ipsius juris, vel alterius hominis habentis jurisdictionem propriam, potestatem accipit jurisdictionem exercendi imediatè, vel mediatè, licèt habeat distinctam jurisdictionem derivatam ab ipso delegante. Tunc creatur delegatus, quando Judex ordinarius, coram quo jure ordinario deberet instari, non potest causam per se tractare, quam propterea alteri tractandam comittit, & hic alius dicitur Judex delegatus, vel commissarius.

2 Propriè Judex delegatus dicitur, cui à Principe committitur causa decidenda, ut communiter asserunt doctores *in Rubr. de offic. jud. delegat.* Potest autem multipliciter à Principe aliis committi causa aliqua: nonnunquam negotia committuntur, ut judicibus, de quibus *tot. tit. de offic. jud. del.* subinde ut Ministris *c. fin. de offic. jud deleg.* aliquando, ut executoribus meris, vel mixtis *clement. 1. eod. tit.* aliàs ut denuntiatoribus *c. venerabil. de elect.* differentias, has inter delegationes luculenter, & fusè explicat Anchar. *cons. 297.* Si enim in commissione apponantur hæc verba: *si constiterit de reservatione, & collatione partis, moneat, inhibeat, declaret, ut petitur: & justitiam faciat*: important, quòd censeatur datus merus executor, qui de assertis nil agit, nisi ut faciat commissa, Anchar. *d. cons. 297. n. 8. & sequent. V. si constiterit.* Sin verò ponantur hæc verba: *si constiterit, & justitiam faciat*, de se important, quòd sit Judex, vel saltem quatenus executor sit cum causæ cognitione, ut notat Anchar. *d. cons. num. 9. in princ.* nisi tamen principaliter detur executor, quia tametsi præfata verba *si constiterit* importent causæ cognitionem, id tamen intelligitur, quando executor aliàs non posset sine citatione exequi: secus, si posset aliàs de jure exequi sine citatione, ut notat Ancharanus *d. cons. n. 10.* aliquando quis etiam delegatur ad cognitionem totius causæ processûs, & quandóque ad examinandum, quæ per testes deponuntur. Subinde tantùm ad conficiendum processum, vel ad referendum. Nonnunquam ad solam sententiam proferendam, & tunc delegatus tenetur citare partem, vel cum insertione suæ delegationis; vel priùs ad dicendum, quidquid velit contra suam delegationem; aliàs si citavit ad sententiam, quam post unicam citationem tulit, hæc habetur irrita, quia citatus non tenebatur comparare, nec credere Cast. *cons. 81. in causa, quæ vertitur c. 4. V. est etiam alius lib. 2.* Solet etiam nonnunquam aliquis delegari, ut adjunctus alteri judici suspecto. Aliquando fit etiam delegatio ad universitatem causarum, & personarum in certo loco, & tunc delegatus habetur instar judicis Ordinarii, & potest sua jurisdictio provocari à partibus.

Rursus alii dicuntur delegati à jure, scilicet ex ipsius juris commissione, vel ex recepta consuetudine, habente vim juris, quam jurisdictionem delegatam habent Episcopi in quibusdam casibus Papæ reservatis, & Confessarii, quorum pœnitentes habent facultatem sibi eligendi Confessa- 3

ſeſſarium. Alii dicuntur delegati ab homine, & hi dicuntur delegati, vel à ſupremo Principe Eccleſiaſtico, vel temporali. Alii dicuntur delegati ab inferioribus Principibus, & magiſtratibus. Alii ad univerſitatem cauſarum, ad quos pertinet generatim omnes illius territorii cauſas cognoſcere, vel ſaltem omnes in certo quodam genere ſubalterno, ut ſunt omnes cauſæ decimarum, omnes cauſæ mutui. Alii ad certam tantùm particularem cauſam. Alii etiam dicuntur delegati ratione certæ dignitatis, quâ inſigniuntur, ut cum delegatio fit Abbati, vel Epiſcopo certi loci.

4 Hoc tamen eſt diſcrimen inter delegatos ab ipſo jure, & ab homine: quia illi abſque alio expreſſo mandato poſſunt juriſdictionem exercere ſibi delegatam; ſic à jure cenſentur conſtituti delegati Epiſcopi, quibus jus in certis caſibus contra exemptos, & privilegiatos, ad conſervandam diſciplinam jus concedit juriſdictionem Eccleſiaſticam delegatam *delegatione clauſa in corpore juris*; & extant plura exempla in jure antiquo *in c. irrefragibili §. caterum de officio ordinar. clement. 1. de ſupplen. neglig. Prælat.* & etiam in Concilio Tridentino *ſeſſ. 5. c. 2. & ſeſſ. 6. c. 2. & ſequent. ut etiam in aliis pluribus ſeſſionibus.* Juvat obſervare, multipliciter tribui Epiſcopo ſpecialem juriſdictionem à jure. Primò ſimpliciter cum clauſula *Authoritate Apoſtolica*; vel cum apponuntur verba *tanquam ſedis Apoſtolica delegato*, & tunc Epiſcopus, eſt delegatus, & ab illo ad Pontificem delegantem datur appellatio. Secundò quando clauſulæ adjicitur particula *etiam*, ut ſi dicatur, ut procedere poſſit *etiam tanquam ſedis Apoſtolica delegatus.* Ut in Tridentino *ſeſſ. 6. de reform. c. 4.* & tunc per has particulas cenſetur data Epiſcopo utraq; poteſtas ordinaria, & delegata, ut ea utatur prout ipſi magis placuerit; licèt Juriſpontificii interpretes cenſeant in dubiis eſſe ſupponendum, quòd utatur poteſtate delegata propter appellationem ad ſummum Pontificem. Tertiò ita conceditur juriſdictio, ut quandoque ſola removeantur obſtacula ordinariæ juriſdictionis, ut cùm dicitur *non obſtantibus privilegiis. clement. 1. de teſtamentis*, & tunc non cenſetur facta delegatio, ſed revocata intelliguntur privilegia, & excitata juriſdictio ordinaria. Quartò demum datur quandóque Epiſcopis poteſtas abſolvendi, & diſpenſandi abſque ulla clauſula adjecta, ut in Tridentino *c. 6. ſeſſ. 24. de reformat.* & tunc cenſetur illi data poteſtas ex ſpeciali jure ordinario, ut notat Barboſa *de offic. Epiſc. p. 3 allegat. 92.*

5 Quando verò ab homine conſtituuntur Judices delegati, quia juriſdictio tunc ab homine data non eſt in jure fundata, ſed per ſpecialem delegationem conceſſa, ideò non priùs arctat citatum, quàm ſi Judex delegatus citans copiam ſaltem authenticam ſuæ commiſſionis tranſmiſerit citato, & comparenti, ac petenti originale exhibuerit. Ratio eſt, quia aliquem eſſe delegatum cenſetur, quid facti; & facta non præſumuntur, niſi probentur, ut notat Mynſ. *cent. 3. obſ. 1.* Cæterum citatus ab ordinario magiſtratu de delegato à jure conſtituto, ſeu cujus juriſdictio eſt in jure fundata, tenetur ſimpliciter comparere, & exceptionem declaratoriam fori, ſi quam fortaſſis habet, exhibere *l. ſi quis ex aliena. ff. de judiciis.* niſi hæc ipſa exceptio fuerit in jure comuni fundata, ut eſt exceptio Clericorum reſpectu judicis ſæcularis, coram quo non tenentur Clerici etiam citati comparere.

Cæterum Judex delegatus non poteſt cognoſcere, niſi de re ſibi comiſſa *c. cùm olim de offic. delegat.* hinc ſi illi comittatur, ut cognoſcat de uno modo agendi ſuper una re, ſi varietur modus agendi, quamvis ad eandem rem; jam deficit poteſtas cognoſcendi, quia non ſe extendit ad hunc ſecundum modum *c. prudent. §. ſi verò de offic. delegat.* Rom. *conſ. 330. n. 10.* Rurſus nec habet juriſdictionem niſi in perſonas expreſſas in reſcripto, nec ejus poteſtas ſe extendit ad perſonas extraneas extra nominatas *c. P. & G. 40. de offic. jud. deleg. in fin* ut latè declarant Bart. & alii *in l. 1. & 2 ff. de jud.* quòd ſi in perſonas extraneas judex ferret ſententiã, hæc eſſet nulla ex defectu juriſdictionis, non enim poteſt egredi limites authoritatis ſibi commiſſæ, ut notat Bart. *in l. leg. 41. §. ſi cert. pet.* Poteſt tamen Judex delegatus cognoſcere de cauſis acceſſoriis ad cauſam principalem ſibi commiſſam: imò etiam de iis, quæ accedunt ipſis acceſſoriis, ut notat Abbas *in c. prudentiam §. ſi verò in 2. not. per illum text. de offic. del.* ſiquidem delegatus cognoſcit de appendicibus cauſæ Abbas *in c. cum olim 32. de offic. delegat.* Ratio eſt, quia quando committitur cauſa delegato, cenſentur commiſſa omnia, ſine quibus non poſſet delegatio ſuum effectum ſortiri. *l. 2 ff. de juriſdictione om. judic.* id enim procedit etiam in delegato, ut communiter docent DD. licèt Judex delegatus de jure communi poſſit ſuam ſententiam exequi, id tamen in Curia Romana non permittitur, ubi Auditores Rotæ non exequuntur ſuas ſententias ſine prævia comiſſione, ut notant Ægidius. Bellam. *conſ. 18. n. 11. in fin. & n. 12.* 6

Præterea Judex delegatus non cenſetur habere juriſdictionem niſi poſt præſentatas litteras ſuæ delegationis *l. qui abſenti in princ. ff. de acquir. poſſeſſ. c. ſuper eo de appell.* Old. *conſ. 324. n. 5.* quod etiam intelligitur de executore delegato ad recipiendam beneficii reſignationem; eò quia recipere reſignationem ſit actus juriſdictionis: verum tamen eſt, quod à die datæ litterarum delegatus verè eſt judex, quamvis non habeat executionem juriſdictionis ante præſentationem litterarum: neque valet argumentum à mandato procuratoris ad mandatum judicis ob diſcrimen, quia munus Procuratoris ſit voluntarium, & illud judicis neceſſarium. Imò, etiamſi delegatus præſentaverit litteras, ſi pars citata abſit, non habet juriſdictionem, antequam fuerit pars citata ad dicendum, quia ſi non eſt ſervatus terminus reproductionis, non valet ſententia Bald. *conſ. 361. num. 2. in fin. V. nec obſtat. ſi pars lib. 3.* 7

Si quæratur quódnam interſit diſcrimen inter juriſdictionem mandatam, & delegatam. Reſpondetur id eſſe diſcriminis, quia habentes mandatam juriſdictionem magis comparantur judicibus ordinariis. Tum quia alii ſunt effectus mandatæ, & alii delegatæ juriſdictionis, ut liquet 8

liquet *in l. fin. ff. de officio ejus. cui mandata est jurisdictio*, *& ex l. more majorum ff. de jurisdictione* ubi dicitur, quòd mandare jurisdictionem nequeat qui mandatam tantùm habet jurisdictionem: sed *in l. cùm Prætor 12. §. 2. ff. de judic.* conceditur potestas dandi judicem, seu delegandi ad causam particularem etiam habenti jurisdictionem delegatam. Rursus *in l. 1. ff. quis, & à quo appelletur* non rectè ab habente mandatam jurisdictionem appellatur ad mandantem, sed ad ejus superiorem. At *in l. 1. c. qui pro sua jurisdictione* conceditur appellatio à delegato ad delegantem; ut probat Fachinæus *lib. 1. controversiarum. c. 28 & lib. 12. c. 89.*

9 Cæterum quoad punctum appellationis probabilius censeat plures, textum esse intelligendum de jurisdictione mandata universali, quæ exercetur in tribunali mandantis, sicut habet Vicarius generalis, ne ab eodem tribunali ad idem detur appellatio; non verò de particulari, quæ solet exerceri in separato tribunali, quale est illud Vicarii foranei, cùm enim distinguatur ab illa Episcopi, cui subjicitur, ideò datur à Vicario foraneo ad Vicarium generalem appellatio.

§. II.

De illis, qui habent Potestatem delegandi, & subdelegandi.

1 DElegandi potestatem regulariter habent omnes Magistratus gaudentes ordinaria jurisdictione, prout sumitur *ex c. cùm Episcopus 7 de offic. jud. Ordinar. in 6.* & ratio desumitur ex *regula 68. in 6.* quâ dicitur: *posse quemlibet per alium præstare, quod per se ipsum facere potest*; quod tamen non ita debet intelligi, quasi quilibet judex Principe inferior possit totum suum officium alteri committere: siquidem id potius esset se suo officio abdicare, & in alium illud transferre, quod absque consensu Principis nequit inferior judex facere *ex l. penult.* juncta Glossa *V. abdicando ff. de offic Præsid.* unde debet intelligi, ut judex aliquas duntaxat speciales causas possit delegare. Is enim delegat, ad quem ordinario jure spectat causæ definitio *c. cum Vigesimum 41. h. t. l. 1. C. qui pro sua jurisdictione.* Hinc delegare in primis potest supremus Princeps, ac summus Pontifex, ut de factò frequentissimè delegat: quia cùm Pontifex sit judex omnium Christianorum in causis Ecclesiasticis; & unus omnibus audiendis ubique locorum minimè sufficiens sit; & expensæ nimis excrescerent, si ex omnibus Christiani orbis partibus deberent Christi fideles semper Romam proficisci ad proprias agendas causas; ideò summus Pontifex consulens utilitati, & commodo fidelium, suam delegat jurisdictionem inferioribus Prælatis ubique terrarum degentibus, ut causas fidelium cognoscant, & justitiam administrent.

2 Præterea delegare etiam potest, qui à sum̃o Principe, vel summo Pontifice delegatus est, si fortassis causam sibi delegatam, vel per contractam ægritudinem, vel ex alio impedimento nequeat per se ipsum cognoscere, ut liquet *ex c. si pro debilitate 3. & aliis. h. t. l. a judic. C. de judiciis.* & tunc potest vices suas com̃ittere suo conjudici, seu sibi adjuncto delegato, vel etiam judici extraneo *c. quamvis in 6. h. t.* Imò potest subdelegare partem causæ sibi commissæ, ut initium, medium, vel finem, idq; conjunctim, vel divisim subdelegando unam partem uni judici, & aliam alteri, vel omnes simul, & totam causam eidem judici *c. super quæst. 27. in princ. vers. quòd si delegatus h. t* siquidem delegatus à sum̃o Pontifice habet à jure hanc potestatem subdelegandi, ut liquet ex *c. pastoralis 28 eod. c. si duo eod. in 6. text. in l. unic. in fin. cod. qui pro sua jurisdictione.* Imò si subdelegatus detrectet causam sibi commissam cognoscere, nolitque injuncto sibi munere fungi, potest ad id etiam compelli, dum̃odo delegatus non studeat se ipsum dolosè exonerare. Potest etiã delegatus à sum̃o Pontifice subdelegare præstantiorem se in dignitate; adeò ut si sum̃us Pontifex deleget pro toto Notarium, possit hic Episcopum subdelegare quamvis sit major, & excellentior delegato, imò potest etiam ipsum subdelegare invitum, ac renuentem, ut liquet *ex d. c. pastoralis 28. in princ.* Ratio est, quia in ea causa delegans, quà talis est major Episcopo suo, eò quia repræsentat personam summi Pontificis delegantis.

Habenda tamen est ratio in compellendo Episcopo, ne ejus honori detrahatur, ut habetur *in d. c. pastoralis. & c. sanè 11. eod. tit.* An verò delegatus à summo Pontifice possit subdelegare, quando Pontifex illi injungit, ut personaliter negotium exequatur. Respondetur adhuc posse subdelegare, si partes consenserint, & sum̃us Pontifex in delegatione expressè non mandaverit inquisitionem fieri; vel Ecclesiis de Prælatis, alisque ministris provideri; quia tunc censetur electa industria, & fides talis specialis personæ: & cum eandem industriam non habeat alia; ideò non potest eidem à delegato eadem causa subdelegari *c. fin. §. is autem h. t. & c. is cui 12. eod tit. in 6.* Neque potest subdelegare, quando nudum ministerium eidem committitur, ut est excommunicare, absolvere, dispensare, pœnitentiam injungere, in possessionem inducere, & alia id genus præstare, quia tunc excepto legato sedis Apostolicæ non potest alius delegatus vices suas alteri subdelegare: Ratio est, quia tunc Pontifex non censetur illi delegare suam jurisdictionem, sed tantùm committere tale speciale ministerium præstandum per se ipsum, non per alium *d. c. fin h. t.* 3

Non tamen delegatus Principis facultatem habet subdelegandi cum potestate, ut taliter à se subdelegatus possit etiam subdelegare: quia licèt in jure reperiatur ei concessa facultas subdelegandi, non tamen reperitur concessa potestas dandi facultatem subdelegandi: quo pacto delegatus à Principe distinguitur ab ordinario, qui licèt sit minor, habet tamen potestatem subdelegandi. Potest etiam supremus Princeps suis delegatis jam constitutis in ordine ad cognoscendam aliquam causam alios superaddere, vel ex communi consensu partium; vel si hæ consentire detrectent ex officio: siquidem pertinet ad Principem non tam partibus, quàm causis providere. Imò si causa commissa fuerit 4

pliciter duobus absque alia adjecta clausula; adhuc potest unus ex illis suo condelegato vices suas comittere, seu delegare, ut constat ex *c. quamvis 6. h. t.* ubi habetur, quòd condelegatus tam suo, quàm socii nomine possit judicare, & sententiam dicere super eadem causa. Cæterum subdelegatus non tenetur admittere alium, si causa fuerit duobus commissa cum adjecta clausula: *quòd si ambo interesse non possint, alter solus procedat*, potest enim per exceptionem eum repellere, ac solus procedere in causa sibi commissa, ut desumitur *ex c. coram dilecto 34. h. t.*

5 Rursus potest etiam quilibet judex ordinarius delegare, eò quia jure proprio, & in se ipso radicatam habeat jurisdictionem *c. cùm Episcopus ff. de offic. ordinar. in 6. l. more majorum. ff. de jurisdict. om. judic. l. conjicio 4. §. cùm propriam. ff. de officio ejus, cui mandat.* Cæterum delegatus ab alio, quàm à Principe non agnoscente superiorem, vel ab habente jurisdictionem ordinariam, non potest causam sibi commissam regulariter alteri committere, ut liquet ex *c. cùm causam 66. de appellatione*: quia delegatus non habet plus juris, quàm ipsi à lege concedatur, vel ab homine sit commissum: & nullibi legitur, quòd hæc subdelegandi potestas concedatur alteri non habenti à Principe jurisdictionem ordinariam, sed tantùm exercitium ejusdem; ut est subdelegatus à delegato Principis, cui tametsi detur facultas exercendi jurisdictionem, non tamen datur potestas subdelegandi: propterea non potest subdelegare. Qui verò ad universitatem causarum est delegatus, quia censetur quasi ordinariam jurisdictionem habere, potest unam, vel alteram causam, vel causæ articulum subdelegare *l. 1. §. ab eo ff. quis, & à quo appelletur* juncta Glossa *V. non ipse*, & Glossa *fin.*

6 Delegatus à supremo Principe, vel Pontifice subdelegat etiam in his, quæ sunt meri, & mixti Imperii *l. 1. C. qui pro sua jurisdictione* Bartolus, & alii *in l. 1. ff. de offico ejus.* Et sententia lata per delegatum Principis non potest retractari, nec revideri, nisi partes adeant Principem delegantem, Bald. in *l. si ut proponis*, & Rota *decis. 341. in novis.* Felin. in *c. quoniam.* Idque procedit etiam in causa connexa, & dependente ab ea, quæ fuerat principaliter commissa, ut notat Felin. in *c. ex tenore de rescript.* potest judex à Principe delegatus exequi suam sententiam intra annum, non post, ut notat Imola *cons. 227. num. 3.* Roman. *cons. 160. V. breviter in fin.* id tamen excipitur in curia Romana, ubi nullus delegatus exequitur suam sententiam sine nova commissione, Bellam. *cons. 18. num. 11. in fin. & num. 12.*

7 Tenetur delegatus stylum sequi delegantis, ut tradunt Ferret. *cons. 190. num. 4.* Lotter. *de re benefic. lib. 1. in appar. num. 73.* Rota coram Puteo *decis. 112. num. 1. lib. 1.* hinc Prælati signaturæ justitiæ tenentur sequi stylum ejusdem signaturæ in causis sibi ab eadem delegatis; siquidem signatura justitiæ intendit jus partium, & quòd unicuique detur quod illi competit: proinde in judicando specialem servat stylum, qui plerumque differt à stylo servando de jure communi: eò quia sit stylus magis aptus ad reddendum compendiosè unicuique jus suum: quapropter si signatura justitiæ committat aliquam causam alicui Prælato, tenetur is, ut delegatus sequi stylum signaturæ delegantis, quia delegatus utitur jurisdictione delegantis, cujus nomine procedit *l. 1. §. qui mandatum ff. de offic. ejus, cui mand. est jurisdict.* ubi habetur, qui mandatam jurisdictionem suscepit, proprium nihil habet, sed ejus, qui mandavit, jurisdictione utitur, ut communiter docent jurisperiti Angel. *in l. more majorum num. 1 ff. de jurisdict. om. judic.* Decius in *c. cùm causam in fin. de appellat.* Quamobrem cum delegatus utatur eadem jurisdictione, debet etiam uti eodem delegantis stylo, ne in usu jurisdictionis videatur discrepare à delegante, cujus exercet jurisdictionem. Hinc si causa aliqua delegatur extra curiam, tenetur delegatus servare stylum curiæ; non ita loci statuta, ubi nomine Curiæ causam agit, ut specialiter notavit Rota in *decis. 251. n. 11. coram Ludovisio.*

An verò pœnitentiarii, & alii deputati ad absolvendum generaliter à reservatis possint subdelegare aliquem ad absolvendum in speciali casu, affirmant Piasecius *p. 2. prax. Episcop. c. 1. n. 15.* Riccius *p. 1. fori Ecclesiastici resolut. 419. num. 15.* Zerola *in praxi pœnit. c. 25 q. 17.* & alii plures nitentes ea ratione: quia delegatus ad universitatem causarum possit subdelegare, *l. à judice §. à Principe C. de judicibus. & l. 1. §. 1. ff. quis, & à quo, l. cùm Prætor. §. lege ff. de jud. & c. super quæst. §. si verò de offic. delegat.* ut cum communi notant Covarruvias *lib. 3. variarum c. 20. num. 11.* Barbosa *tom. 1. collect. in d. c. cum causam de appellatio. num. 5.* Verùm præfato fundamento obstat textus *c. fin. §. cæterum de officio delegat.* ubi hæc doctrina de subdelegatione delegati ad universitatem causarum restringitur, & inter alias limitationes, hæc ponitur: *pœnitentias injungere, & aliquos absolvere*, & ibidem assignatur ratio; quia in hac delegatione non jurisdictio, sed certum potiùs committitur ministerium, & quia Pœnitentiarii habent tantùm ministerium jurisdictionis; non jurisdictionem, ideò non possunt ipsi subdelegare; adeò ut Pœnitentiarii deputati ad absolvendum ab omnibus reservatis nequeant deputare alios, etiam ad absolutionem casûs particularis, ut notat Vallerus *in different. utriusque fori. V. jurisdictio. different. 3. num. 2.* Lezana *in sum. V. casus reservati n. 29. in fin.* 8

Neque obstat, quod Pœnitentiarii dicantur subdelegati ad universitatem causarum. Nam contra est, quia non sunt delegati ad illas causas universales jurisdictionaliter, sed tantùm ministerialiter, eò quia pro tali minsterio censetur potiùs electa industria personæ, quàm persona ipsa simpliciter, ut constat ex prævio examine: & in delegatione etiam non ministeriali, ubi eligitur industria personæ, non 9

habet

habet locum subdelegatio ex *eod. c. fin. §. is autem. de offic. delegati*; quapropter in pœnitentiariis non valet regula, quâ delegatus ad universitatem causarum dicitur posse subdelegare, quia hæc regula tantùm valet de subdelegato jurisdictionaliter; non verò de subdelegato ministerialiter. Quinimò neque Pœnitentiarii, qui sunt tales ex officio perpetuo, cujusmodi sunt in aliquibus cathedralibus nonnulli Canonici, possunt subdelegare; quia in illis militat eadem ratio, quia non confertur ipsis jurisdictio, sed nudum ministerium generale, in quo *per c. finale de offic. delegat.* non habet locum subdelegatio, eò quia in tali ministerio delegatur etiam industria personæ, ut notat Vallerus *loc. cit.*

10 Romæ tamen summus Pœnitentiarius potest delegare, ut etiam præses pœnitentiariæ ex speciali indulto, ut liquet ex praxi, quia uterque committit suas vices pro casibus particularibus unicuique Confessario Doctori, discreto, prudenti, approbato ab ordinario tam Romæ, quàm extra urbem: siquidem summus Pœnitentiarius, & Præses pœnitentiariæ constituunt tribunal cum delegata jurisdictione à summo Pontifice. Imò etiam committunt ministerium cum aliqua universitate reservatorum Pœnitentiariis basilicæ S. Petri per octiduum ante festum resurrectionis Dominicæ.

11 Quid verò dicendum sit de delegatis à summo Pontifice ad applicandas indulgentias Numismatis, imaginibus, coronis precariis, num etiam ipsi possint alium subdelegare in ordine ad applicandas easdem indulgentias. Respondetur, generatim posse alium subdelegare, dummodo in concessione facta à summo Pontifice non sit specialiter aliud statutum; siquidem loquendo de jure communi accipiens facultatem applicandi tales indulgentias, non solùm accipit ipsas indulgentias, sed etiam facultatem eas applicandi, quibus precariis coronis, & imaginibus voluerit; adeò ut censeatur ad hoc munus delegatus à summoPontifice: & ut superiùs diximus, delegatus à summoPontifice potest subdelegare, ut liquet ex *c. fin. de offic. jud. deleg. & c. cùm causam de appell.* proinde cùm censeatur delegatus ad applicandas tales indulgentias, potest alium subdelegare, qui eas suo nomine applicet, quibus precariis coronis, vel numismatis placuerit. Secus qui non accipit talem facultatem immediatè à summo Pontifice non potest alium delegare; nec in alium transferre potestatem applicandi indulgentias; quia ex vi subdelegationis finitur ipsa facultas, & valet regula juris, quòd delegatus nequeat subdelegare. Sin autem quis peteret à summo Pontifice has indulgentias applicandas nomine alterius, tunc cùm intelligantur concessæ ipsi personæ, cujus nomine petuntur, ideò hæc persona, & non ille, qui petit, censeretur delegari à Pontifice: proinde non petens, sed persona, pro qua petitur, posset alterum subdelegare.

12 Quòd si Pontifex ita concederet facultatem applicandi indulgentias, ut diceret, se velle, ut à nullo alio, quàm ab ipso, cui concedit, applicentur, adhuc posset dubitari, an delegatus ad hanc applicationem cum tali limitatione posset eandem potestatem alteri subdelegare. In hoc enim casu concurrit voluntas privata Pontificis cum jure communi, & ex una parte ratione juris communis possunt hujusmodi indulgentiæ applicari per alium subdelegatum, & ex alia parte voluntas Pontificis videtur obstare. Verùm quia privata voluntas non prævalet juri communi, nec eidem derogat; ideò non videretur improbabile, quòd accipiens potestatem à summo Pontifice cum illa limitatione procedente à persona privata fortassis posset eam subdelegare alteri, quia gratiæ extenduntur juxta formam juris communis, & consequuntur effectum, quem possunt, amplissimum, ut declaravit Rota *decis. 458. ex novis*, quapropter cum facultas applicandi indulgentias sit gratia, debet extendi juxta formam juris communis, juxta quam potest alteri communicari non obstante illa privata declaratione summi Pontificis, quæ non videtur derogare in hoc juri communi. Verùm totum hoc potest facilè concedi, si voluntas Pontificis non sit voluntas legislatoris, neque æquivaleat voluntati publicæ, quâ lex sancitur.

§. III.

Quinam esse possint Iudices delegati.

Certum est, de jure canonico non posse esse judices delegatos, nisi habentes Ecclesiasticam dignitatem, adeò ut, qui solùm habent officium, non possint esse delegati, & processus coram eis factus nullum sortiatur valorem, ut probat Alex. *cons. 77. in causa & lite. n. 4. & sequent. lib. 2.* quod etiam procedit in subdelegatis, qui nequeunt esse subdelegati, nisi etiam insigniantur dignitate Ecclesiastica, ut notat Cast. *cons. 66. dubio supradicto n. 4. V. ad tertium lib. 1.* Imò nec partium consensus quidquam operatur Alex *d. cons. 77. n. 5. V. nec partes lib. 2.* etiam si essent judices inter Laicos; & delegatio fiat à delegato, nisi tamen delegatus communi opinione judicaretur esse constitutus in dignitate, tametsi non esset, Alex. *d. cons. 77. n. 6. V. nec prædictis obstat lib. 2.* & nisi summus Pontifex ipse immediatè delegaret, quia cum sit supra jus potest etiam simplici Clerico nulla dignitate insignito causam delegare Alex. *loc. cit. V. præterea advertatur lib. 2.* Inter Laicos etiam, cùm causa est criminalis, potest delegatio fieri non existenti in dignitate Ecclesiastica, ut notat idem Alex *loc. cit. num. 6.* Valet etiam delegatio per Papam facta Laico de causa Ecclesiastica, quando id Papa facit ex certa scientia, prout censetur facere, quando habet notam personam, & quando non appellavit eum Clericum, nec Magistrum, prout solet de stylo, ut notat Abbas *cons. 62. illud de jure coll. fin. V. dico quòd delegatio lib. 1.* ubi ait, non requiri expressionem quòd ex certa scientia deleget talem personam: ut etiam esset Laicus legitimè delegatus, quando in sua delegatione adesset clausula *supplentes omnes defectus*. Potest etiam causa Ecclesiastica delegari Canonico Ecclesiæ Cathedralis, tametsi canonicatus propriè non sit digni-

dignitas, utliquet ex *c. statutum in princ. & in §. In nullo de rescript. in 6.* ubi habetur, quòd causæ non possint delegari nisi habenti dignitatem, vel personatum, vel Canonicatum in Cathedrali, unde habenti tantùm officium non fit delegatio causæ Ecclesiasticæ, ut notat Abbas *cons. 93. in prin. lib. 1.* Neque requiritur, quòd expressè fiat mentio canonicatûs, sed sufficit, si tempore rescripti persona, cui fit commissio, sit revera canonicus.

2 Regulariter qui possunt esse judices ordinarii, possunt etiam esse delegati, nisi defectu naturæ impediantur, ut surdi, muti, perpetuò furiosi, impuberes, stulti, & carentes perfecto usu rationis; vel jure censeantur infames. Excluduntur etiam à munere subdelegati judicis, fœminæ, servi, & qui non sunt sui juris: imò de jure canonico non potest constitui judex delegatus, qui vigesimum ætatis annum nondum impleverit *c. qui vigesimum 41. h. t.* nisi à Principe dispensetur, aut partes ipsum desiderent, & tunc debet saltem attigisse annum 18. Minori autem annis viginti si fiat delegatio ab alio, quàm à Principe non jurante, quòd sit minor, nullum sortitur valorem, ut liquet ex *c. qui vigesimum 41. h. t.* quia eò ipso quòd Pontifex dat judicem, quem scit esse minorem, intelligitur eum habere pro idoneo, ut valeat judicare in causa, quæ eidem committitur *L. quidem consulebat 57. ff. de re judic.*

3 Ut autem delegatio à summo Pontifice, vel ejus Legato vim sortiatur, præter ætatem adhuc requiritur in judice delegato, ut non solùm sit jurisperitus, sed etiam non suspectus parti *c. cùm canonicus 35. h. t.* ut etiam sit in aliqua dignitate, vel personatu constitutus; tametsi nil referat, an sit titularis, vel commendatarius, ut notat Cassan. *ad consuet. Burgund. tit. de success. superioris num. 58.* vel saltem sit aliquo canonicatu potitus in aliqua Cathedrali Ecclesia *c. statutum 11. in princip. de rescript. in 6.* vel saltem sit prior conventualis, qui ad eum prioratum non consueverit per electionem assumi, vel saltem officialis Episcopi, seu ejus Vicarius generalis: Secùs foraneus non potest delegari, ut nec etiam Religiosus, nec prior claustralis Monasterii *clement. 2. de rescript. & d. c. statutum.* Nec potest delegari excommunicatus, qui non sit capax jurisdictionis. Laicus in spiritualibus non delegatur, nec ad ea, quæ sunt ordinis, qua ratione Bonifacius VIII. decrevit, ut nullus, nisi in Ecclesiastica dignitate, aut Ecclesiæ cathedralis canonicatu insignitus delegetur à sede *cap. 1. in princip. de rescript. in 6.* Concilium tamen Tridentinum *sess. 25. cap. 10. de reformation.* statuit, ut certæ, ac insignes personæ deputarentur in singulis Conciliis Provincialibus, aut Diœcesanis, quæ ad judicium ferendum in causis Ecclesiasticorum, idoneæ fiant, & quibus causæ ad forum Ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandæ committantur à legato, vel nuntio, vel etiam à sede Apostolica. Quòd si ordinarius aliquem delegaverit, qui suum obierit diem, tunc loco defuncti sufficitur alius cum consilio Capituli. Si verò designatus dignitatem mutet, non est alius ei substituendus, quia sufficit, illum fuisse capacē tempore designationis: non tamen hæc designatio impedit Episcopum, quò minus possit alium delegare. Potest Episcopus causam aliquam delegare etiam simplici Clerico suæ Diœcesis *c. cùm Episcopus 7. de offic. ordinar.* quia Episcopus utpote præsens in sua Diœcesi exactiùs potest capacitatem, & industriam suorum Clericorum cognoscere, quàm summus Pontifex, vel ejus legatus: & subinde potest contingere, ut simplex Clericus sit multò doctior, magisque idoneus ad judicium ferendum in aliqua speciali causa, quàm sit alius etiam in dignitate, vel personatu constitutus. Secus summus Pontifex cùm longè absit, nec illi innotescant singulorum Clericorum conditiones, & debet de idoneitate eorundem judicare ex præsumptione, ideò præsumit promotos ad dignitatem, moribus, & scientia antecellere cæteris: quia ad dignitates promovendi sunt, qui vitæ probitate, & doctrinæ laude cœteros antecellunt, & tales præsumuntur in dignitate constituti.

Ad evitandos sumptus statutum est etiam, ut intra Diœcesin litigantium judices constituantur; nisi fortassis inter superiorem, & subditum lis agatur; vel contra Episcopum ac loci universitatem; aut actor ingredi non audeat ob inimicitias, vel potentiam adversariorum suam Diœcesin, aut civitatem: in his enim, & similibus occurrentibus casibus extra proprium locum potest quis impetrare causam delegari: debet tamen tunc in impetratione fieri mentio metûs. Et tunc non potest adversarium à fine suæ Diœcesis extrahere ultra unam dietam, seu unius diei iter *c. 11. §. cùm verò.* Facit etiam metus probatus, ut post rescripti impetrationem possit etiam peti à delegato, ut causam alteri subdeleget extra Diœcesin; siquidem id videtur postulare æquitas & exigere judiciorum securitas, dummodo tempore impetrationis causa metûs non abfuerit, ut notat Antonius de Butrio *d. c. 11. §. cùm verò n. 16.* 4

An verò possit causa et etiam delegari, qui non est de jurisdictione delegantis. Respondetur affirmativè, quia id colligitur ex *L. unic. qui pro sua jurisdictione*, quia ibi tantùm est sermo de causa aliena non committenda alteri; non verò de persona aliena, quæ tamen non cogitur parere deleganti *arg. L. fin. ff. de jurisdictione.* Siquidem præcipienti extra suum territorium, dicitur quis impunè non parere: qui verò assumitur ut judex, sive in propria, sive in aliena Diœcesi debet esse persona discreta, & idonea, ut possit rectùm ferre judicium in causa, quæ ei delegatur, *c. si pro debilitate h. t.* quando verò delegantur non subditi, debet causa pertinere ad jurisdictionem delegantis. 5

Possunt etiam plures judices pro eadem causa simul delegari, adeò ut non habeant singuli jurisdictionem in solidum; nec unus sine altero validè procedere possit, nisi aliter in forma concessionis exprimatur, ut desumitur ex *c. causam 16. h. t.* Quòd si in forma concessionis inseratur hæc clausula: 6

ut si nequeant, aut nolint omnes interesse, duo, vel unus eam cognoscant, & exequantur; tunc ex illis judicibus delegatis duo tantùm, vel etiam unus possunt procedere ad judicium causæ, & sententiam ferendam, dummodò per certum nuntium, & non aliunde illis constet certò, vel per litteras submissas, vel per testes fide dignos, quòd alii delegati judices adesse non possint, vel nolint, ut declaratur in *c. prudentiam 21. h. t.* Quòd si in forma concessionis inferatur hæc alia clausula, *ut omnes aut duo, vel unus eorum procedant, aut mandatum exequantur*; tunc ex vi particulæ disjunctivæ censetur quilibet eorum habere jurisdictionem in solidum; & datur inter eos locus præventioni: adeò ut etiam unus solus, qui alios prævenit, possit negotium commissum expedire: nec alii causæ jam inchoatæ, possint ampliùs se immiscere; nisi, qui causam præoccupaverat, & inchoaverat aliqua justa causa impeditus, non possit, vel nolit eam prosequi, ut desumitur ex *c. cùm plures 8. h. t.* hoc enim pacto servatur forma mandati: & causæ absque injuria litigantium citiùs expediuntur.

7 Potest etiam judex delegatus à Principe, vel summo Pontifice, qui propterea potestatem habet subdelegandi, causam sibi delegatam pluribus aliis subdelegare, dummodò sint personæ idoneæ, ut constat ex *c. cum te 18. h. t.* Quòd si subdelegati à delegato in sententia ferenda discrepent, tunc standum est judicio majoris partis. Quòd si quilibet subdelegatus suam peculiarem agat sententiam, & inter se dissentiant: tunc recurrendum est ad subdelegantem *arg. c. fin. de sententia, & re jud. c.* quòd si subdelegans totam suam jurisdictionem commisisset subdelegatis, recurrendum tunc esset ad primum delegantem.

8 Delegatio autem non fit nisi stipulatione, vel litis contestatione, ut communiter asserunt jurisperiti: sufficit tamen stipulatio interpretata, vel præsumpta, ut si scripsit delegatus in suo libro, quòd *promisit*, quia verbû promittere in scriptis redactum importat stipulationem Alex. *cons. 163. n. 5. lib. 7.* unde quando obligatio fit in scriptis per verbum *promitto*, semper inest stipulatio. Potest tamen de jure canonico fieri delegatio etiam pacto nullo si constet de mente, vel agatur, quia partes velint ex pacto fieri novationem Gabriel *cons. 155. n. 13.* unde ad delegationem duo requiruntur, quod delegator sit debitor deleganti, & quòd interveniat stipulatio. Censetur delegatio stricti juris, proinde strictè debet interpretari, ut notat Cephal. *cons. 284. n. 12. lib. 2.* Cæterum delegato non creditur, nisi constet de delegatione; adeò ut teneatur mittere copiam suæ delegationis in præcepto, vel citatorio per eum emanato: cæteroquin illi impunè non paretur *c. 2. de dilat.* Hinc litteræ delegationis debent judici delegato, & executori originales præsentari; adeò ut non sufficiat transumptum. Rom. *cons. 330. n. 5. Vers. cæterum* ubi Apostil. *in V. originale* allegat simile de intimatione appellationis extrajudicialis, vel alterius actûs explicandi; quia debet intimatio fieri cum instrumento appellationis authentico, alioquin non sortitur suum valorem. Hinc delegatus ante præsentationem suæ delegationis non potest exercere ex vi delegationis suam jurisdictionem; quo pacto judex delegatus nullam habet jurisdictionem antequam sibi litteræ suæ delegationis præsententur *L. qui absenti in princ. ff. de acquir. poss. super eo de appellat.* Old. *cons. 324. n. 5.* & idem dicitur de executore delegato ad recipiendam resignationem beneficii, quia recipere resignationem est actus jurisdictionis Old. *d. cons. 324. n. 5. V. quarto*, & licèt à die datæ litterarum sit judex, non tamen habet executionem jurisdictionis, antequam litteræ sint præsentatæ.

Rursus judex delegatus non habet jurisdictionem extra commissionem, quia delegatus non potest cognoscere, nisi de re sibi commissa: hinc si illi committatur, ut cognoscat de uno modo agendi super re una, si postea varietur modus agendi, quamvis ad eandem rem, non poterit ampliùs cognoscere, ut desumitur ex *c. prudentiam §. si verò.* nec habet jurisdictionem nisi inter personas in rescripto expressas, non verò ad extraneas; quo pacto dicitur delegatio strictæ interpretationis. 9

§. IV.

Quæ causæ delegari possint, vel non.

Conveniunt jurisperiti, omnes illas causas, quæ ad ordinariam pertinent delegantis jurisdictionem posse delegari, non verò alias, quæ sunt alienæ jurisdictionis: quia sicut ordinarius potest tantùm judicare, quæ pertinent ad ejus jurisdictionem, non verò alia, quæ sunt alterius jurisdictionis: ita illas tantùm, non has, potest delegare, seu aliis judicandas suo nomine committere. Imò non tantùm potest ea delegare, quæ sunt suæ jurisdictionis, verùm etiam alia, quæ sunt ordinis, dummodò delegatus habeat omnia requisita, ac competentem ordinem: siquidem potestas exercendi ea, quæ sunt ordinis non oritur ex sola verbali commissione, sed etiam dependet ex reali consecratione: & licèt de jure scripto causæ, quæ sunt meri, vel mixti imperii videantur non posse delegari: nihilominus consuetudo invaluit, & usus obtinuit, ut hodiè indistinctè omnes causæ etiam meri, & mixti imperii soleant delegari, etiam capitales, ut refert Julius Clarus in *§. fin. q. 41. in princ.* adeò ut illis delegatis, quibus subdelegandi potestas convenit, has sibi delegatas omnes criminales causas competat subdelegare; nisi constet, fuisse ad id selectam non personam simpliciter, sed personæ industriam; quam putant plures semper in causis criminalibus commissis, & delegatis speciatim electam; adeò ut in praxi nunquam hæ causæ à delegatis subdelegentur; idque ob earum difficultatem: qua ratione nunquam censentur hujusmodi causæ in generali concessione totius jurisdictionis civilis, & criminalis, & cum mero, & mixto imperio à Principe facta comprehensæ, præsertim, quæ ad primum gradum meri, & mixti imperii perti- 1

pertinent juxta *regulam juris 18. n. 6.* Cæterum etiam reservata Principi, cujusmodi sunt facultas legitimandi, & alia similia, possunt alteri delegari, ut notat Alex. *cons. 138.* etenim Princeps potest etiam privato delegare facultatem legitimandi, & alia sibi reservata, ut notat Alex. *d. cons. in princ. lib. 1.* imò potest hæc facultas legitimandi concedi etiam cum facultate præjudicandi legitimis, & naturalibus, ut probat idem Alex. *loc. cit. V. & potest etiam.* hinc data hac facultate legitimati admittuntur cum legitimis naturalibus. Et si non adesset talis facultas præjudicandi filiis legitimis naturalibus; si legitimatio facta esset per comitem Palatinum habentem generalem facultatem legitimandi, tales legitimati non perdunt suam legitimationem.

2 Regulariter tamen causæ meri, & mixti imperii non solent delegari, nec subdelegari, quia censetur electa industria personæ, proinde conceduntur majoribus judicibus. Tum quia in casibus, in quibus possunt delegari causæ meri, & mixti fori, delegatus potest imponere pœnam ultimi supplicii, ut communiter censent jurisperiti cum Julio Claro *d. §. fin. q. 41. n. 4. V. sed nunquid.* ubi ait: tutius, & melius esse, quòd certiorem priùs faciat delegantem. Cæterum à Principe ex generali consuetudine omnes causæ meri, & mixti imperii, etiamsi agatur de ultimo supplicio delegantur. Non tamen potest Episcopus delegare Laico causas criminales clericorum, ut notat Julius Clarus in *d. §. fin. q. 49. n. 5. V. quæro nunquid.* ubi ait, esse sententiam communem inter jurisperitos. Imò neque potest Episcopus eas delegare Clerico, & Laico simul, ut notat idem Clarus in *loc. cit.* nec etiam potest illas delegare Clerico conjugato, quia reputatur tanquam Laicus in *c. decernimus,* Neque potest Episcopus deputare Laicum ad torquendum Clericum, in casu, quo de jure possit torqueri, ut notat idem Clarus in *d. §. fin. q. 64. n. 25. V. sed hic quæro* Consuetudo tamen subinde videtur contraria. Papa itidem causas criminales Clericorum potest delegare Laico: notat tamen Clarus *d. §. fin. q. 41. n. 8.* neque Papam posse delegare universaliter causas Clericorum principibus sæcularibus secundùm communem sententiam.

3 Cui verò facta est delegatio causarum, quæ summo Pontifici etiam reservantur sive voluntariæ, sive contentiosæ illæ sint jurisdictionis, ratione officii sui ordinarii, aut dignitatis; adeò ut hæc potestas, sit perpetua annexa tali officio, aut dignitati; potest illam non tantùm in casibus particularibus, sed etiam generaliter alteri committere, nisi aliud deprehendatur quod fuerit electa industria personæ: vel illud negotium magnis adminiculis opus habeat, ut colligitur ex *c. ult. de officio jud. ordinar.* juncta Glossa. *V. casibus* quia hæc potestas concessa dignitati, aut officio censetur quasi ordinaria, quæ propterea delegari potest.

4 Quòd verò ad interpretationem, & probationem mandati delegantis pertinet, non tam verba, quàm mens delegantis attendi debet in explicatione litterarum commissionis. Hinc talia mandata non debent ita explicari, ut alteri inferatur præjudicium; & potiùs impropriè debent verba intelligi, quàm ut alteri fiat præjudicium (nisi expresse & cùm derogatione juris alicui fiat commissio) tametsi motu proprio, litteræ dicantur emanare, & agatur tantùm de jure ad rem alteri adimendo: neque excluduntur legitimæ, ac rationabiles exceptiones, quamvis in forma mandati injungatur judici delegato procedere, & judicare, nulla admissa exceptione: quia per hæc mandata generalia non tollitur ordo juris, nec Princeps præsupponitur, velle præjudicare juri partium, unde clausula tantùm intelligitur de irrationabilibus exceptionibus, quæ parvi, vel nullius censentur momenti. Quæque tamen ad remorandum judicium interponuntur.

Quòd si Princeps in commissione litterarum insereret clausulam, quæ expresse diceret servandam esse formam talis mandati, nec ullam esse admittendam exceptionem, quantumvis rationabilem; tunc servanda esset forma mandati, & nulla esset admittenda exceptio: quia apertè constaret, de expressa voluntate principis delegantis; cùm enim de plenitudine potestatis possit derogare juri communi, ideò servandum est mandatum juxta ejus expressam intentionem. 5

Judex etiam delegatus à principe potest subdelegare causas meri, & mixti imperii, & tam per se, quàm per substitutum cognoscere de crimine, & causa criminali sibi demandata, idque de jure canonico *c. venerabili de offic. delegat.* & delegatus à Principe etiam dicitur, qui est delegatus à populo habente jura imperii. Castr. *cons. 118. quod dicti Domini in V. breviter lib. 1.* Quòd si delegatus à Principe habeat facultatem procedendi summariè, & sine figura judicii, subdelegando dicitur subdelegasse, etiam quoad summam cognitionem: quia qui potest delegare, potest quoad omnia, & si non reservat sibi aliquâ, subdelegatio censetur se extendere ad omnia Castr. *cons. 66. dub. supradic. n. 3. V. ex quibus infertur lib. 1.* delegatus tamen à principe semel tantùm potest subdelegare, etiam antequam sit functus officio Castr. *cons. 118. V. præterea l. 1.* non tamen procedit quando delegatus in rem suam est delegatus, ut si fiat delegatio in dignitatem, vel officium: quia dicitur in rem suam habere mandatum, & sicut procurator in rem suam constitutus potest substituere, absolvere, ita etiam delegatus Cast. *d. cons. 118. in princ. lib. 1.* sin autem esset delegatus in negotium universale inter personas incertas, tunc dicitur potiùs ordinarius, qui potest subdelegare. Licèt delegatus à Principe possit subdelegare, non tamen id debet intelligi de articulo jurisdictionali, quia hunc alteri committere non potest Abbas *cons. 31. coll. 2. V. secundo dicta sententia.* Potest etiam delegatus à Principe subdelegare solus, secus si delegatus sit ab inferiore: & id etiam procedit in revocatione; quia delegatus subdelegando quoad aliqua potest semper etiam re non integra revocare subdelegatum; idque expresse, vel tacitè, ut notat Bald. *cons. 449. in prin. lib. 1.* imò procedit etiam in delegato, 6 qui

qui ad totam causam alium subdelegavit, potest enim & is re integra revocare subdelegatum, non ita si res non sit integra, ut notat Franc. *c. quamvis n. 2. in 6. de offic. delegat.*

7 Cæterum in casibus, in quibus delegatus potest reassumere jurisdictionem, in iisdem casibus potest etiam appellari ad ipsum delegatum, qui subdelegavit, ut notat Bald. *consf. 449. per totum lib. 1.* Quòd si delegatus subdelegaverit alium, donec duxerit revocandum, potest revocare, quia non censetur subdelegâsse executionem, proinde ad ipsum poterit appellari, ut notat Franc. *in c. si delegatus n. 6. V. in ea* Gloss. *offic. delegat. in 6.*

8 Quòd si delegatus Principis subdelegâsset totã suam jurisdictionem tam in judicando, quàm in exequendo, tunc non posset jurisdictionem reassumere, si subdelegatus negotium inchoâset, ut ait Baldus *cons. 449. delegatus Domini Papæ, V. & ad declarationem lib. 1.* subdelegatus tamen à delegato Principis non potest committere Notario examen, nec delationem juramenti testium *c. cùm Causam de appellat.* & quamvis subdelegatus à delegato Principis non possit subdelegare; proinde nec committere examen, & juramentum testium alteri, si tamen pars adversa fuit præsens dilationi juramenti factæ à Notario convalidatur, quia tametsi præsentia non requirat citationem, sed solùm declarationem animi judicis, tamen si præsentia est deliberata sufficit ad actum illum Aret. *cons. 13. viso diligenter n. 18. & sequent. v. sed obijcitur.*

§. V.

De officio Judicis delegati, & de appellatione in causis delegatis.

1 Officium, & potestas judicis delegati in eo potissimùm consistit, ut procedat nomine delegantis, cujus vices in negotio sibi delegato gerit. Non tamen debet procedere ante præsentationem rescripti delegatorii, tametsi sciat, se esse constitutum à delegante judicem delegatum, adeò ut non procedat, nec inchoet, causam, nisi post datam rescripti: siquidem ante illius præsentationem non intelligitur habere exercitium jurisdictionis, ut liquet ex *c. super eo 11. inf. de appellat.* Felin. *in c. scissitatus 13. coll. 8. sup. de rescript.* Rota *decis. 19. de præben. in novis.* quapropter si Judex delegatus ante præsentationem rescripti delegatorii inchoet causam, & procedat in illa, processus nullius est efficaciæ, nec validatur, licèt postea supervenìat rescriptum; quia ante præsentationem rescripti totus processus censetur factus à persona privata. Quod intelligitur, dummodo pars opponat, & excipiat de rescripto non præsentato, alioquin processus suum fortiretur valorem, ut probat Marant. *p. 4. spec. dist. 14. n. 8.*

2 Rursus debet judex delegatus diligenter servare formam, ac tenorem suæ delegationis, quia cum hæc sit stricti juris, & extraordinariæ jurisdictionis, non debet extendi ultra personas, vel causas in mandato delegationis expressas, ut desumitur ex *c. super eo de appellat.* unde constare de eo debet inserto tenore suæ delegationis: nec tenetur quis parere nisi ostenso, & probato mandato delegationis, nec sufficit simplex copia, ut habetur in *c. cum jure 31.* & si delegatus agat contra tenorem rescripti, quod agit nullius est valoris, ut liquet ex *c. cum dilecta sup. de rescript.* eò quia habeatur tanquam factum à privato *c. cùm olim 32. h. t.*

3 Extenditur tamen rescriptum delegatorium ad connexa, & accessoria, tametsi in rescripto non sint expressa; quia connexorum idem est judicium *c. translato sup. de constitut.* hinc semel quòd datur alicui jurisdictio, intelligitur etiam concessa illa, sine quibus jurisdictio nec exerceri, nec explicari potest *l. 3. ff. de jurisdic. om. judic.* unde si alicui delegetur causa specialiter, poterit delegatus citare partes, punire contumaces, eligere nuntium, eundémque si falsum retulerit, punire, ut etiam coërcere quemlibet alium impedientem exercitium suæ jurisdictionis, ac ponentem obstaculum, quo minùs causa habeat suum exitum *c. 1. & c. Præterea 5. h. t.*

4 Quòd si coram delegato probetur, actorem, qui in tali causa delegationem impetravit, fuisse ante impetrationem delegationis anathemate percussum, vel aliâ censurâ illaqueatum, tunc delegatus nequit procedere; quia rescriptum ab excommunicato impetratum nullius est valoris *c. 1. de rescript. in 6.* quòd si probetur, incurrisse excommunicationem post impetrationem delegationis, tunc absolvitur à delegato, ut possit agere, si ob causam sibi commissam fuerit excommunicatus: alioquin si ob aliam causam, debet absolvi ab eo, qui illum excommunicavit; qui si malitiosè detrectet illum absolvere, tunc delegatus Papæ ipsum absolvit, nisi excommunicatio sit reservata, ut desumitur ex *c. prudentiam 21. §. 6. h. t.*

5 Cum delegato à summo Pontifice debet ordinarius localis, seu Episcopus, contra quem est facta delegatio, cautè procedere, adeò ut non facilè violenter agat contra delegatum Papæ, si in possessionem mittere velit aliquem virtute suæ commissionis, quamvis Episcopus sciat, eum non esse legitimè institutum, qui mittendus est in possessionem; sed precibus potiùs instare debet apud delegatum, eúmque rogare, ne tali immissio fiat, priusquam de toto negotio consulatur Pontifex *c. si quando 8. h. t.* Potest enim delegatus à Pontifice in omnes illos exercere suam potestatem, qui jurisdictionem sibi delegatam, causæque processum impedire, vel turbare audent, tametsi in ejus rescripto delegatorio, hæc minimè contineantur expressa *c. quia 1. h. t.* junctâ Glossâ *V. in casu.* Imò partes contumaces si citatæ detrectent comparere, potest eas anathemate percutere, ac punire *c. Præterea 4. h. t.* quia semel commissâ causâ censentur etiam commissa alia connexa, & accessoria, quæ pertinent ad causæ expeditionem. Habet etiam delegatus à Papa potestatem exequendi per se, vel per proprios Ministros, vel etiam per alios sententiam

am à se datam; quam propterea potest etiam judici ordinario committere quoad ejus executionem; & si detrectet illam exequi, potest etiam illum a ligere, ac punire. *c. significasti 7. h. t.* quia in ordine ad causam sibi commissam est superior, & potest jurisdictionem exercere, etiam in judicem ordinarium, qui si constituatur executor, tenetur judici delegato parere, idque tametsi eidem innotesceret injustitia sententiæ contra jus partis, ut liquet ex *c. pastoralis 28. §. quia verò h. t.* non ita si sciret, illam nullam esse, eò quia lata sit authoritate falsarum litterarum.

6 Delegatus tamen ita debet servare formam mandati, ut intentionem potiùs mandantis, quàm verborum superficiem attendere debeat, *c. super eo 15. h. t.* non enim actus debet extendi ad incognita, & non cogitata à delegante. Hinc si delegans tres deleget in cognitionem alicujus causæ; adeò ut tres simul debeant agere, & non aliter; tunc uno absente, vel mortuo, alii nihil possunt validè agere *c. prudentiam 21. h. t. L. uno ex tribus. ff. de re judic.* quia jurisdictionem non habent nisi omnes simul *c. cùm causa 22. & c. uno delegatorum 42. h. t.* Quòd si in rescripto delegatorio contineatur hæc clausula, *quòd si non omnes interesse possint, alii nihilominus in causa procedant*, tunc uno absente, vel mortuo validè procederent alii; debet tamen absens notificare suum impedimentum, alioquin, si alii procederent ante hanc notitiam, processus esset nullus. Quòd si in rescripto delegatorio apponatur clausula, *ut omnes, aut duo, vel unus procedat*, tunc datur singulis facultas procedendi in solidum *c. cùm super 23. h. t.* adeò ut detur etiam locus præventioni. Quòd si forma certa non fuerit in delegatione præscripta; tunc servari debet forma præscripta in jure communi, quia in dubiis præsumitur Pontifex nolle derogare juri communi *c. ex parte 13. h. t.*

7 Delegatus à Papa potestatem habet latam per se sententiam exequendi intra annum, ut constat ex *c. quærenti 26. h. t.* intra quem terminum si condemnatus paulò post executionem factam iterum turbat illum, qui in causa vicit, potest delegatus jurisdictionem reassumere, & compellere reum ad executionem integrè, & stabiliter perficiendam, ut notat Glossa *d. c. 26. h. t. V. ad integrum annum.* Hoc idem etiam præstare potest alius judex delegatus cum universitate causarum, sicut etiam delegatus summi Pontificis potest illam executionem ordinario judici demandare, ut liquet ex *c. significasti 7. c. sanè 11. h. t.* ut autem hoc præstetur ab alio judice debet hic esse delegatus cum universitate causarum; siquidem delegatus ab aliquo ordinario, seu inferiore summo Pontifice, ut Archiepiscopo, Episcopo, absque universitate causarum, nequit suam sententiam exequi, ut putant aliqui ob aliquos juris civilis textus: nihilominus probabilius censent alii, quòd liceat de jure civili id non liceat ob textum legis *L. A. D. Pio 15. ff. de judiciis c. 4.* & ibi jurisperiti *inf. de foro compet.* de jure tamen canonico id potest, ut censet Glossa *in c. si quis 5. V. ipsius solicitudine de foro competenti*: quia si de jure canonico potestatem habet exequendi, prout eodem jure habere potest quoad ea, quæ sunt mixti imperii, qualis est executio sententiæ, hæc potest delegari.

8 A Judice subdelegato, cui causa, vel pars causæ cognoscenda commissa est appellari potest, non autem à mero auditore, cui nudum tantùm ministerium commissum est. *c. super quæst. 27. h. t.* siquidem appellatio cùm debeat fieri à judice aggravante, & non à nudo executore, qui judex non est, ab hoc appellari nequit, nisi fortassis limites mandati excedat. In appellationibus autem est ordo servandus: etenim appellationem in causis delegatis faciendam esse à delegato ad delegantem jura civilia expressè asserunt; quòd si delegatus Papæ subdelegaverit, tunc de jure canonico appellatio à subdelegato fit ad delegatum, nisi taliter totam causam alteri subdelegaverit, ut nullam sibi circa eam jurisdictionem reservaverit, tunc enim appellatio deberet fieri ad primum delegantem, ut desumitur ex *c. super quæst. 27. §. porrò h. t.* quia cùm nihil jurisdictionis delegatus à Pontifice sibi reservaverit, circa talem causam, non potest ad ipsum fieri appellatio defectu jurisdictionis in tali causa. Quòd si à summo Pontifice aliqua causa fuit duobus delegata cum clausula *appellatione remota*, & unus eorum alteri condelegato totam suam dederit jurisdictionem, non potest hic, qui vices suas alteri commisit, procedere appellatione remota, nec alteri subdelegare, ut desumitur ex *d. c. super quæst. §. si verò*; quia tunc non procederet tantùm ut delegatus Pontificis, ut sub qua qualitate, appellatione remota, posset procedere, & subdelegare; sed procederet etiam ut subdelegatus à socio condelegato, à quo non potest accipere potestatem appellatione remota procedendi, aut subdelegandi.

9 Sunt tamen aliqui casus, in quibus à subdelegato non potest ad immediatè delegatum appellari. Primò si post subdelegationem cum certæ jurisdictionis reservatione factam delegatus è vita decedat, aut excommunicetur, ut liquet ex *c. si is cui 10. h. t. in 6.* quia in utroque casu, ne causa diutiùs protrahatur, donec alius substituatur, vel excommunicatus absolvatur à vinculo, quo detinetur, appellatio fieri potest ad summum Pontificem; ut etiam, si delegatus à Pontifice plurimum distet sine spe, quòd brevi sit venturus: vel si sit suspectus; vel si detineatur aliquo impedimento, ratione cujus ad ipsum non pateat accessus; tunc enim appellatio potest immediatè fieri à subdelegato ad summum Pontificem. Secundò si ex pluribus delegatis à Sede Apostolica, aliqui partem duntaxat causæ sibi delegatæ aliis subdelegaverint; tunc à subdelegatis non fit appellatio ad delegatos, sed ad primum delegantem, seu summum Pontificem. *c. si duo 3. h. t. in 6.* ratio est, quia appellatio debet fieri ad superiorem, & nullus delegatorum respectu alterius in eadem prorsus causa est superior consequen-

ter ad parem condelegatum non fit appellatio. Tertiò si quis excipiat contra delegatum partem causæ, & quòd jurisdictionem non habeat, eò quia mortuus fuerit Papa delegans priusquam causa commissa per delegatum inchoata fuerit; in hoc etiam casu non fit appellatio ad delegatum, qui negatur habere jurisdictionem, sed ad primum delegantem, ut liquet ex *c. si à subdelegato 14. b. t. in 6.*

§. VI.

Donantur explicatu reliqua pertinentia ad Iudicem delegatum.

1 IUdex delegatus sive unus, sive multiplex fuerit concurrente justa causa, potest recusari: recensetur autem inter causas recusandi judicem delegatum probabilis suspicio *c. suspicionis 29. b. t.* si enim delegatus sit consanguineus; vel etiam Dominus adversarii, cum quo debet quis litem incipere, tunc oritur suspicio, ne debeat potiùs favere adversario, quàm ministrare justitiam, proinde potest recusari, ut liquet ex *c. causam quæ 15. b. t.* Ut etiam si post inchoatam, & contestatam litem adversarius factus sit domesticus, aut familiaris judicis delegati *c. insinuante 25. b. t.* vel si delegatus sit de familia adversarii: tunc ob affectum ad familiam oritur etiam justa suspicio, ne debeat favere adversario, & propriæ familiæ, *c. litteras 14. de præsumpt.* quando autem ob legitimam causam judex delegatus à Pontifice recusatur ut suspectus, sunt ex consensu partium tunc arbitri eligendi, qui probationes recipiant, & cognoscant de tota causa recusationis, ex vi potestatis ipsis à jure concessæ, ut desumitur ex *c. suspicionis 39. b. t.* Ne judex delegatus injustè gravetur: alioquin si ob rationem nullius momenti, vel quæ nullo nitatur fundamento, judex delegatus recusetur, potest hic recusationem rejicere, & procedere in sua causa.

2 Quòd si plures à summo Pontifice delegentur judices cum clausula: *quòd si omnes non possint unus etiam in causa procedat,* tunc si contra unum delegatum objiciatur legitima recusationis causa, hæc potest expediri ab aliis, qui à parte non recusantur, ut habetur in *c. si contra 4. b. t. in 6.* Imò non solùm partes litigantes possunt justis de causis judicem delegatum recusare, sed etiam alius tertius interveniens, & ad quem etiam pertinet causa illa, si judicem habeat suspectum, *c. cùm super 23. b. t.* ubi assignatur triplex causa recusandi judicem tam ordinarium, quàm delegatum; quarum prima est, si altera pars habeat litem judicialem cum eodem judice; siquidem ex litibus oriuntur inimicitiæ, propterea judex delegatus posset nolle ministrare justitiam cum parte illa, cum qua judicialem aliam habet litem. Secunda est, si judex signum benevolentiæ, vel amicitiæ alicui deneget, & aliis ejusdem conditionis, ac status, exhibeat, quia tunc negatio signi benevolentiæ indicat aliquam animi saltem alienationem, vel etiam inimicitiam. Tertia est si judex delegatus minatus sit alicui, quòd datâ occasione velit ipsi damnum inferre, quia tunc habetur etiam justa suspicio, quòd non sit ministraturus justitiam.

Juvat tamen animadvertere, quòd si delegatus à Pontifice priusquam recusetur causam in totum subdelegavit, recusari ulteriùs non potest, ut nec subdelegatio ab illo facta impugnari, si subdelegatus jam cœpit sua jurisdictione uti: quia cum causa suspicionis ad recusandum delegatum non pertineat ad subdelegatum, qui aliàs vir censetur probus, ac timoratæ conscientiæ, ideò non est, cur hic debeat cessare à causa jam inchoata. Quòd si delegatus aliquam tantùm partem causæ sibi commissæ alteri delegavit, sibique reservavit aliam partem cum jurisdictione; tunc potest recusari, & ejus commissio facta subdelegato impugnari: quia quoad illam causæ partem, quam sibi retinuit, adhuc est judex; consequenter non minùs potest recusari, quàm alius judex, de quo habeatur justa suspicio, ut desumitur *ex c. Judex 5. b. t. in 6.* ubi habetur etiam, quòd post exhibitas rationes recusationis possit judex delegatus, si pars recusans consentiat, vices suas alteri committere, tametsi causæ recusationis probatæ sint, dummodo supra iis nondum sit quidquam pronuntiatum; quia ante sententiam recusationis latam viget delegati jurisdictio, licèt impedita, & suspensa; proinde in causa sibi commissa non potest ulteriùs procedere, nec subdelegare, nisi ex consensu partis recusantis. Quòd si contra judicem lata sit sententia, tunc ejus jurisdictio censetur prorsus extincta; & non potest, etiam ex consensu partis ulteriùs procedere, ac subdelegare. 3

4 Imò non solùm judex delegatus potest recusari ut suspectus, sed etiam ipse locus, in quo agitatur causa, si pars citata illuc minus securè possit comparere ob inimicitias privatas, vel publicas, ut desumitur ex *c. cum Raphael 35. b. t.* si enim pars in obtinenda justitia grave patiatur incommodum, potest à delegante petere, ut sibi constituatur judex in loco tuto, ubi possit sine periculo vitæ comparere. Si tamen utraque pars sit in Curia, non datur judex ad instantiam unius tantùm partis, nisi etiam altera consentiat: quòd si una pars absit, datur illi judex delegatus, dummodo contraria pars non contradicat.

5 Jurisdictio judicis delegati pluribus modis intelligitur cessare. Primò per mortem ipsius delegantis re integra *c. relatum 19. c. gratum 20. c. licèt undique 30. b. t.* quòd si res non ampliùs sit integra non exspirat jurisdictio judicis delegati: unde generatim jurisdictio delegati cessat per obitum delegantis, nisi aliter fuerit in jure statutum, vel in litteris commissionis expressum. Quid verò intelligatur pro re integra, non conveniunt jurisperiti Glossa in *L. & quia ff. de jurisdic. om. judic.* ait rem in-

tegram esse, quando ante mortem delegantis facta non est litis contestatio; & vult secundùm leges civiles ad rem integram requiri, ut non sit facta litis contestatio. Hostiensis autem in *c. licèt de offic. jud. delegat.* asserit rem tunc integram dici, quando delegatus nondum cœpit uti jurisdictione; & dicit, cœpisse etiam, quando vocavit tabellionem, & testes, ac publicavit commissionem sibi factam. Alii dicunt, delegatum tunc cœpisse uti sua jurisdictione, quando alteri suas commisit vices: adeò ut si ante mortem delegantis delegatus alterum sibi substituerit, res non sit ampliùs integra.

6 Has tamen opiniones rejicit Panormit. *in c. relatum, & c. gratum & c. licèt de offic. jud. delegat.* ubi cum aliis jurisperitis ait, tunc dici rem integram, & usum jurisdictionis non esse cæptum, quando nondum est facta partis citatio, sive Rei, etiamsi non sit facta litis contestatio, quia ex *c. fin. de offic. legat. & c. gratum. de offic. jud. delegat.* judicium intelligitur inchoatum, quando judex citavit partem, quia per solum mandatum de citando desinit esse res integra. Secundò cessat jurisdictio judicis delegati per obitum ipsius delegati, quando delegatio facta est personæ cum expressione ejus nominis, ut notat Glossa in *c. quoniam* alioquin si facta sit non personæ, sed dignitati, vel sub nomine dignitatis perpetuæ, ut Rectori universitatis, Decano, vel Præposito talis Ecclesiæ obitu delegati non extinguitur jurisdictio, sed transit ad successorem, ut desumitur ex *d. c. quoniam.* Tertiò etiam cessat jurisdictio per revocationem re integra, quia ex *c. venerabili 37. h. t.* regulariter omne mandatum potest revocari si res sit integra. Quartò etiam cessat jurisdictio lapsu temporis præstituti ad decisionem causæ, nisi de consensu partium fuerit tempus prorogatum, & causa in longiùs producta, ut liquet ex *c. de causis 4. & c. consuluit 24. h. t.* quamvis enim consensus privatorum nequeat constituere judicem *L. privatorum 3. & l. de jurisdic. om. judic.* nihilominus potest jurisdictionem veri judicis priusquam illa exspiraverit prorogare, *l. 2. §. sed si judex ff. de judiciis.* Quintò cessat jurisdictio si judex delegatus deponatur, quia depositus æquiparatur mortuo *dist. 16. q. 16. c. adijcimus* Abbas in *c. licèt de offic. jud. delegat.* Sextò etiam cessat si delegans excommunicetur publicè, quia occultè non sufficit, ut notant Hostiensis, & Abbas in *c. licèt.* Septimò absoluto negotio, seu postquam delegatus functus est proprio officio, & sententia judicis delegati mandata est executioni *c. in litteris 9. h. t.* vel etiam quando sententia est lata, & executioni non potest mandari.

7 Delegata jurisdictio est etiam, quæ inest judicibus conservatoribus: siquidem conservator de jure communi est judex delegatus à Papa ad defendendum aliquos adversus injurias, ac violentias manifestas, ac habet delegatam jurisdictionem ut colligitur ex *c. 1. 2. & ult. de offic. jud. delegat. in 6.* solent interdum concedi hujusmodi conservatores in defensionem contra latrones, & prædones: quandoque contra eos, qui privilegia quibusdam concessa violant, & nonnunquam contra injurias, & offensas manifestas; ut contra eas defendantur Innocentes, deputantur conservatores Episcopi, vel Abbates, vel qui dignitatem, aut personatum in Ecclesia cathedrali, aut collegiata obtinent, ut liquet ex *c. ult. h. t. in 6.* Potest conservator cognoscere de manifestis tantum injuriis, & violentiis factis, seu inferendis, si jus commune attendatur; ita tamen ut ad illius etiam cognitionem pertineat, utrum injuria sit notoria, & de hoc probationes accipere possit; ne ejus potestas facilè eludatur: quòd si deprehendat injuriam non esse notoriam, debet ulteriùs progredi. Neque conservator revocari potest tamquam suspectus, si alias fuerit idoneus, nec potest ab illo appellari, cum non procedat nisi in notoriis *arg. c. cùm sit 5. §. Præterea* juncta Glossa *V. manifesta de appellat.* Exspirat autem potestas conservatoris obitu Papæ concedentis, ut habetur in *c. ult. §. officium* juncta Glossa *V. quorumcunque* quoad negotia nondum inchoata; cœterum quoad alia jam cæpta non cessat, ut notat Glossa & communiter jurisperiti.

§. VII.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selecta quæstiones.

Quæritur primò, quotuplex sit jurisdictio. 1
Definitur jurisdictio à jurisconsultis in *l. 1 ff. de jurisd. om. jud. V. potest.* ut sit *potestas de publico introducta cum necessitate juris dicendi & æquitatis statuendæ*, quia tamen hæc definitio non convenit jurisdictioni Ecclesiasticæ, quæ non authoritate humanæ Reipublicæ, sed immediatè à Christo introducta fuit *c. solitæ de majorit. & obed.* ideò exactiùs definitur à Canonistis, præsertim Pirh. *h. t. n. 1.* ut sit *potestas publica circa aliorum regimen, seu gubernationem:* sumitur autem potestas non pro actu, seu exercitio jurisdictionis, sed pro facultate & potentia eam exercendi, dicitur etiam publica ad excludendam potestatem, seu authoritatem, quam habet maritus in conjugem, Dominus in servum; pater in filium, Tutor in pupillum: quia hæc potestas utpote privata est tantùm domestica, & œconomica; non verò publica: proinde non est jurisdictio, quæ convenit superiori, ex publico munere, seu potestate in subditos, seu prout exercetur à publica persona in subditos, quapropter in definitione adjiciuntur illa verba *circa aliorum regimen, seu gubernationem.* Respondetur igitur jurisdictionē dividi. Primò in Ecclesiasticam, & civilem, illa est, quæ versatur circa causas pertinentes ad Dei cultum; & spiritualem animarum salutem, & subdividitur in eam, quæ in foro externo, & in eam quæ in foro interno, seu conscientia, & circa sacramentalia exercetur; jurisdictio civilis, quæ & politica dicitur, versatur circa causas profanas, & sæculares, & respicit proximè temporale Reipublicæ regimen. Rursus jurisdictio alia est voluntaria, quæ

quæ inter volentes tantùm exercetur,& ad hanc in civilibus spectat manumissio, & adoptio; in Ecclesiasticis ordinatio,consecratio,collatio beneficiorum, & alia id genus: unde dicitur voluntaria non ex parte Magistratus, quia hic imploranti suum officium tenetur illud impertiri: sed ex parte illius,qui adit Magistratum,& petit, quod illi suppositis omnibus requisitis debet concedi. Alia est contentiosa, quæ exercetur in invitum, ut in jus vocando, puniendo, & alia id genus exercendo,quæ non expediuntur, nisi Judice sedente pro tribunali,quando plures inter se contendunt *argum. l. inter stipulantem §. 2. ff. de V. O.* ibi: Judicium autem etiam in invitum redditur. Præterea alia est jurisdictio ordinaria, quæ cuipiam convenit ratione proprii officii juxta legem, Canonem,vel consuetudinem *l. mo. majorum, & l. & quia ff. de jurisdict. om. judic.* ubi is censetur jurisdictionem ordinariam habere, ac posse eam delegare, qui eam suo jure, seu ex vi proprii officii,vel dignitatis habet: & hoc pacto Fagnanus *in c. cum olim. num. 65. de major. & obed.* asserit, jurisdictionem, quæ defertur à lege, vel statuto, aut quæ datur ad universitatem causarum, esse ordinariam: jurisdictio delegata è contra est, quam quis non habet jure proprio, seu non ratione proprii officii,vel dignitatis, nec à lege, canone, vel consuetudine, sed solùm ex commissione alterius, cujus vice fungitur.

2 Quæritur secundò, quomodo jurisdictio dividatur in simplicem, & habentem imperium? Respondetur, jurisdictionem simplicem sitam esse in sola causarum cognitione, ac decisione absq; jure exequendi: hæcq; simplex jurisdictio, conferri solet Judici delegato, cui licet detur potestas cognoscendi, & decidendi causam, seu ferendi sententiam: hujus tamen executio delegantí reservatur *l. à divo Pio §. 1. de re jud.* Jurisdictio habens imperium est, cui convenit potestas exequendi suam sententiam, & utendi sua potestate in debitâ coercitionem reorum: Judex enim habens hanc potestatem exequendi suam sententiâ,& coercendi reos,dicitur habere imperium:siquidem potestas Judicis secundùm actum cognoscendi, & pronuntiandi, dicitur jurisdictio: & secundùm actum coercendi vocatur imperium, quod subdividitur in mixtum,& merû. Mixtum consistit in causarum civilium executione,& se extendit etiam ad modicam coercitionem. Imperium merum consistit in coercitione, ac punitione publicorum criminum. Rursus imperium mixtum dicitur etiam jurisdictio bassa, quæ convenit cuilibet Magistratui, licèt non semper quoad omnes actus, & huic spectat interponere authoritatem manumissionis, vel emancipationis,dare possessionem bonorum,Tutores pupillis constituere, & subinde etiam modicam coercitionem imponere per pœnam tamen levem. Imperium merum è contra vocatur jurisdictio alta,seu criminalis *l. imper. 3. ff. de jurisd. om. jud.* ibi: *Merum imperium est, habere jus gladii ad animadvertendum in facinorosos homines*; & hujus imperii in jure civili tres dantur gradus;supremus quî continet pœnas mortis naturalis,ut combustionis,rotæ,suspensionis è patibulo, decapitationis: Medius qui complectitur pœnam mortis civilis: olim deportationis,hodie banni imperialis: tertius est infimus, & respicit pœnas non capitales, tum corporis afflictivas, tum famosas,ut amputationis manûs,fustigationis,sustinentiæ ad Numellas, ut notat Engel. *tit. de offic. judic. n. 17.*

Quæritur tertiò, an de jure canonico detur imperium merum? Respondetur, duas esse sententias;negativam unam,quæ nititur,eò quia merum imperium sit habere jus gladii ad animadvertendum in facinorosos,& infligit pœnâ mortis corporalis per combustionem,rotam,patibulum,gladiû,& alia instrumenta,quibus torquentur rei, donec anima separetur à corpore: Ecclesia autem, cùm sit pia Mater abhorret ab istis pœnis mortem corporalem afferentibus, & tantùm utitur gladio spirituali, & medicinali, qui potiùs est ad vitam, quàm ad mortem; ut nimirum delinquentes resipiscant *can. inter hæc 33. q. 2.* Secunda sententia asserit de jure canonico etiam dari imperium merum,ita Glossa magna,& Abbas in *c. quod sedem n. 5. de offic. ordin.* Et huic sententiæ adhærendum puto, quia imperium merum tres continet gradus, supremum, medium,& infimum: & quamvis Ecclesia non habeat primum gradum imperii meri, seu potestatem gladii, & fundendi sanguinem; seu inferendi mortem naturalem; non tamen inde sequitur, Ecclesiam non habere alios grad⁹ imperii meri: potest enim infligere pœnas delinquentibus,ut intrusionem carceris,jejunia, flagellationes citra sanguinem,& alia id genus. Cæterû Ecclesiæ gladius quamvis sit spiritualis infligit tamen pœnas respondentes illis, quæ infliguntur per gladium naturalem; etenim ad jus canonicum pertinet infligere pœnam mortis spiritualis, seu excommunicatione, & anathemate percutere delinquentes: hæc enim pœna spiritualis comparatur capitali,quæ infligitur in jure civili *c. per venerabilem §. sunt autem qui filii sint legit.* Rursus potestas degradandi,& tradendi Curiæ sæculari, juxta Glossam *in c. quod sedem V. committere de offic. ordin.* æquiparatur ultimo supplicio, ut notat Innocentius, *c. qualiter, & quando de accusat.*

4 Quæritur quartò, an quando causa delegatur duobus cum clausula: *quod si ambo interesse non possunt, unus procedat*, si unus ex delegatis sit impeditus, possit alteri causam subdelegare, & vices suas committere? Respondetur, posse quidem suas vices alteri committere, si sit delegatus Principis,sed alterum delegatum non teneri subdelegatum recipere; & posse illum per exceptionem repellere,idq; desumitur ex *c. coram dilecto 34. h. t.* ubi dicitur,quòd si causa delegatur duobus cum clausula, si unus non possit interesse, tum alter solus procedat; possit alter delegatus sententiam proferre sine subdelegato: adeò ut si impedimentum incidat non voluntarium, sed necessarium,ac inevitabile, quo unus delegatus possit procedere;statim censeatur purificata clausula,& totum præcedendi jus alteri acquisitum: proinde impeditus non potest subdelegare, & si suas vices alteri committat,potest subdelegatus ab altero delegato per exceptionem repelli; ut de-

docent Glossa in *d. c. coram dilecto V. quod non intelligitur.* Inocentius *in d.c.n.2.* ubi addit, quòd in hoc casu delegatus impeditus subdelegare quidem possit, sed quòd ejus collega eum non teneatur recipere. Ratio petitur ex eo, quia rescripta Principum intelligi debent secundùm ea, quæ frequenter contingunt, & non juxta ea, quæ tantùm rarò *l. nam ad ea 5. ff. de legib.* frequens autem est, ut delegatus ipsemet causam cognoscere nequeat: & perraro accidit, quòd Judex nec per se, nec per alium cognoscere possit: qua propter illa clausula *si ambo* intelligi debet secundùm priorem sensum, non posteriorem: excipitur tamen delegatus Principis, quia cum is jus habeat causam subdelegandi alteri, si impeditus sit, potest hoc jure uti, nisi ob illam clausulam: *si ambo*: quæ in favorē collegæ adjecta est, contra delegationem excipiatur. Verùm delegatus Principis non potest ita subdelegare, ut simul det subdelegato à se potestatem alterum subdelegandi, idque habetur in *c. super quæstionem 27. §. si verò h. t.* ubi dicitur, quòd tametsi delegatus Principis possit subdelegare; non possit hanc iterum subdelegandi potestatem in subdelegatum transfundere: & ratio est, quia facultas subdelegandi est privilegium personale Principis, specialiter concessum delegato, proinde cum adhæreat ipsi personæ, non potest in aliam transfundi. Præterea, quia privilegium non debet extendi ad casum diversum: atqui subdelegare est quid diversum ab eo, quod est dare facultatem subdelegandi: licèt Princeps det suo delegato potestatem, quòd possit subdelegare, non tamen dat illi potestatē, ut possit simul subdelegare, & dare facultatem subdelegandi: unde ex eo, quòd Princeps det suo delegato potestatem subdelegandi, non inde sequitur, quòd det subdelegato ab ipso facultatem subdelegandi.

5 Quæritur quintò, an delegatus à judice inferiori, ut ab ordinario, seu Episcopo, possit subdelegare. Respondetur regulariter, & ordinariè non posse subdelegare, seu causam sibi commissam alteri committere *c. cum causam 62. in fin. de appellat.* & ratio desumitur ex eo, quia delegatus non habet plus juris, quàm ipsi detur à delegante: atqui delegans tantùm committit delegato facultatem exercendi jurisdictionem, non verò committendi alteri jurisdictionem: aliud enim est posse ex se exercere jurisdictionem; & aliud posse alteri dare facultatem exercendi jurisdictionem: primùm conceditur delegato à delegante, non secundum; proinde non potest delegatus hanc facultatem exercendi jurisdictionem sibi comissam alteri subdelegare. Tum quia si quilibet subdelegatus etiam à delegato posset causam sibi comissam alteri committere procederetur in infinitum: unde ad declinandum hoc incomodum in *d.c. cum causam 62. V. delegatus.* ut notat Glossa *de appell.* statuitur, ut subdelegatus à delegato non possit subdelegare. Excipitur tamen delegatus ad universitatem causarum, & ad omnes causas cognoscendas certi generis, ut decimales, matrimoniales, vel etiam generatim quoad causas, sed in certo loco tantùm, quia is censetur ordinariam jurisdictionem habere, proinde potest unam, vel plures causas in particulari subdelegare *l. 1. §. ab eo ff. quis & à quo appelletur.* Excipitur etiam delegatus judicis ordinarii inferioris Principe, si ipsi ab ordinario delegante expresšè, vel tacitè concedatur, ut possit subdelegare, ut notat Glossa *in c. is cui 12. V. per alium h.t. in 6.* ubi dicitur, quòd si cui Papa commiserit, ut certæ personæ in quadā Ecclesia, Diœcesi, aut Provincia beneficia provideat, possit is provisionem hanc alteri committere: si verò nulla certa persona nominata alicui mandetur, ut personæ idoneæ certam Ecclesiam, vel beneficium provideat, non potest provisionem alteri demandare; quia tunc specialiter ejus industria censetur electā: excipitur tamen nisi in forma commissionis ipsi factæ exprimatur, ut id exequatur, per se, vel per aliū: ex quo textu liquet, Executorem datum à Papa posse vices suas alteri comittere, dumodo industria personæ electa non fuerit, quia ex consensu ordinarii potest delegatus, alteri subdelegare, quia tunc non est delegatus qui subdelegat, sed est ipse ordinarius, qui assentitur subdelegationi: sicut arbiter licèt non possit alteri delegare suum arbitrium, ne in infinitū procedatur, potest tamen ex consensu partium alteri committere, ut arbitrium pronuntiet *L. non distinguemus 32. §. quæsitum ff. de receptis, & arbit.* ita à paritate rationis delegatus ab inferiore Papæ ex consensu ordinarii, à quo jurisdictionem accepit, potest alteri comittere causam cognoscendam, imò ad id sufficit tacita ordinarii judicis licentia, sita in eo, quòd ipso sciente, & patiente ejus delegatus subdeleget, quia hæc patientia habetur pro mandato, seu præsenti ratihabitione, perquam confertur jurisdictio, si tamen adsint alia sufficientia indicia, ex quibus conjiciatur voluntas ordinarii.

Quæritur sextò, an delegatus ab Ordinario ad unā tantùm causam, possit illam subdelegare alteri quoad partem, si causa sit dividua? Respondetur, non posse totam illam causam, nec partem, seu articulum causæ jurisdictionalem alteri subdelegare: benè tamen aliquem articulum, non jurisdictionalem, ut est nudum ministerium, vel simplex executio, Glossa fin. in *clement. unic. h.t.* & desumitur ex *c. super quæstionem 27. §. vos autem h.t.* ubi dicitur, quòd non solùm delegatus à Papa, sed quicunque judex ad certum aliquem causæ articulum possit Executorem constituere, dummodo articulus ille non sit jurisdictionalis, quia ad articulos jurisdictionales cognoscendos solus delegatus assumitur. Ratio autem discriminis inter articulos jurisdictionales, qui non possunt subdelegari, & articulos non jurisdictionales, qui delegari possunt est, quia quando committitur articulus jurisdictionalis, Commissarius habetur ut judex delegatus, quando verò committitur articulus non jurisdictionalis, Comissarius non est judex, sed merus Executor, vel auditor. Articulus jurisdictionalis dicitur, ad quem causæ cognitio requiritur, consequenter etiam persona Judicis: sunt autem articuli jurisdictionales in causis cognoscendis à Judice, litis contestatio, testium receptio, quando nondum sunt approbati, nec interrogatoria formata, seu articuli, de quibus sunt examinandi: & hunc articulum jurisdictionalem non potest

Judex

Judex committere alteri, nisi sit Ordinarius, vel delegatus à Principe, ut notat Glossa communiter recepta *in element. unic. V. Judicis. h.t.* Articulus non jurisdictionalis dicitur, qui nudum ministerium, vel puram executionem continet, & proinde non exigit personam judicis: talis articulus non jurisdictionalis est auditio ipsorum testium, postquam illi coram Judice recepti sunt, ac jurârunt: quia talis actus continet purum ministerium, quod à Judice potest alteri committi, tametsi nulla eidem detur jurisdictio.

7 Quæritur septimò, per quid Judex differat ab Executore? Respondetur, in eo differre, quia Judex principaliter datur ad cognoscendum, & ferendam sententiam: accessoriè autem, & consequenter ad eam exequendam: secus Executor principaliter datur ad exequendum, & interdum accessoriè ad cognoscendum. Hinc Executor alius dicitur merus, & alius mistus, ut notat Glossa *in d.c. pastoralis 28. V. etsi sciat h.t.*: merus Executor dicitur, cui nulla cognitio, sed sola executio causæ plenè cognitæ, & decisæ committitur; nec ipse ullas potest exceptiones admittere *l. sicut proponis 6. c. de executione rei judic.* Sin autem merus executor manifestè deprehenderet errorem esse commissum, vel intervenisse fraudem; tunc non deberet exequi, sed errorem, vel fraudem manifestare superiori *c. 2. de crimine falsi.* Executor mistus dicitur, cui non mera executio, sed etiam cognitio de facienda executione committitur *l. 4. c. si contra jus* ibi: *& si non cognitio* (causæ principalis) *sed executio mandetur de veritate precum inquiri oportet, ut si fraus intervenerit.* Executor mistus est, qui à Papa deputatur per rescriptum ad conferendum alicui beneficium, non enim exequitur tantùm, sed etiam cognoscit super rescripto, an sit ob- vel subreptitium: & hujusmodi Executores misti juxta Glossa *in clement. unic. h.t.* habent jurisdictionem delegatam, possúntque exceptiones admittere, & de iis cognoscere, quæ sunt ad impediendam, aut diminuendam executionem: ut si quis deputatus sit ad executionem imperatæ solutionis; & reus conventus objiciat exceptionem factæ compensationis: de hac potest tunc Executor mistus cognoscere: alioquin ejus mandatum de exequendo foret inefficax, quia posset quis semper objicere aliquam exceptionem ad impediendam executionem. Id tamen limitatur quoad exceptiones, quæ sunt de justitia causæ, quia de ipsis non potest cognoscere, nisi in eum finem, ut intelligat, an ob eandem causam debeat ad superiorem illam remittere *c. de cætero 5. de re judic.* Sin verò Judex de statu rei certior factus adhuc executionem imperet, tenetur tunc Executor mistus suo fungi officio, & exequi: quia tunc non cognitio causæ, sed mera executio illi demandatur, proinde tenetur parere superiori. Sin autem sententia foret injusta, & Executor cognosceret ejus injustitiam, tunc procedendum est cum distinctione: vel enim sententia injustè lata est in causa criminali, & agitur de occisione, mutilatione hominis innocentis, & tum non potest Executor, nec etiam ut minister Judicis exequi sententiam injustam, ut notat Felinus in *d. c. pastoralis 82 n. 24. h. t.* vel sententia non solùm injusta est, sed etiam irrita, quia lata contra jura manifesta, & non observato juris ordine, & tum nec potest executioni mandari ab Executore *argum. c. forus 10. de V. S.* Ratio est, quia tunc Judex non procedit ut Judex, cùm non servaverit ordinem juris; & contra jus sententiam injustam dixerit. Vel sententia lata valida est, licèt injusta, & contra jus partis litigantis: & iterum distinguendum est, quia vel sententia est tantùm materialiter injusta, eò quia Judex secundùm probata, & allegata processerit, & judicaverit; & tum si Executor non possit facilè errorem ostendere, docent plures, posse sententiam illam exequi: idque exemplificatur de sententia excommunicationis, quæ si Executori mandetur, ut eam denuntiet, quamvis is sciat esse materialiter injustam, sed fuisse tamen latam secundùm allegata, & probata, potest illam denuntiare. Quòd si de injustitia causæ Executor dubitat, tunc tenetur parere superiori, quia in causa dubia obediendum est superiori *arg. c. pastoralis.* Vel est formaliter injusta, eò quia Judex ex imperitia, vel dolo injustè judicaverit, & tum deputatum ad exequendum, si onus à se non possit rejicere, nec etiam tanquam gravatus possit facilè ad superiorem appellare, posse sententiam illam exequi, censent plures; ea innixi ratione, quia jure debitum sit, ut postquam sententia in rem judicatam transierit, mandetur executioni, & dicunt condemnatum tum debere sibi imputare, quòd intra tempus ipsi concessum non appellaverit: & quòd adhuc illi supersit remedium evadendi executionem injustæ sententiæ, si nimirum contra Judicem agat, ut sibi resarciatur damnum illatum, quia sententia Judicis, à qua appellatum non est, non ita transit in rem judicatam, ut tollatur naturalis obligatio *l. Julianus 60. ff. de condict. indeb.* Verùm putârim, sententiam injustam cognitam ut talem, nunquam esse executioni mandandam, quia id videtur iniquum, quod nunquam est licitum.

8 Quæritur octavò, an delagatus Episcopi, vel alterius inferioris ordinarii possit esse simplex Clericus, quamvis in dignitate non sit constitutus, nec sit Canonicus Ecclesiæ Cathedralis? Respondetur affirmativè, & desumitur ex *c. statutum 11. de rescript.* & notat Glossa ibid. *V. sedis* & ratio est, quia tantùm delegati Papæ debent esse constituti in dignitate aliqua Ecclesiastica, ut dicitur *in d. c. statutum* habetur enim, quòd causæ authoritate sedis Apostolicæ, aut ejus Legatorum non possint aliis committi præter gerentes dignitatem Ecclesiasticam, aut personatum, vel sint Cathedralium Ecclesiarum Canonici. Id tamen procedit de delegationibus quæ fiunt cum annexa jurisdictione; ita enim accipitur nomen causæ, ut jurisdictionem involvat *c. super quæstionem 27. de offic. deleg.* Secus in causis extrajudicialibus, quando mera executio sine causæ cognitione, seu jurisdictioni annexa committitur, vel etiam subdelegatur, ut quis beneficium conferat, vel provisum in possessionem mittat, nemine se opponente, vel articulus non juris-

jurisdictionalis, sed nudum ministerium, ut testium jam approbatorum receptio: in his, & similibus causis, seu commissionibus etiam aliæ personæ idoneæ possunt esse delegatæ Papæ, ut etiam subdelegatæ delegati ejusdem, tametsi non sint constitutæ in dignitate, nec sint canonici Cathedrales, quia jure antiquo hujusmodi qualitates non requirebantur in delegatis Sedis Apostolicæ, ut liquet in *c. cum in veteri 52. de elect.* ubi causa electionis faciendæ, seu extrajudicialis delegata fuit simplici Religioso: quando autem jure novo nil reperitur immutatum, non est recedendum à jure antiquo in causis extrajudicialibus, quæ sine judiciali cognitione possunt expediri. Imò neque in dubio correctio juris antiqui præsumenda est, sed potiùs vitari debet *argum. l. præcipimus 32. C. de appellatione.* Cæterum quamvis delegatus Episcopi, vel alterius inferioris Ordinarii possit esse simplex Clericus non constitutus in dignitate, debet tamen delegatio fieri in personis discretis, ut habetur *in c. si pro debilitate 3. h. t.* ubi dicitur, quòd delegatus debeat subdelegare personis discretis, & idoneis: nomine autem viri discreti intelliguntur viri probi, prudentes, jurium, rerúmque periti: idoneitas enim, ut ad præsens facit institutum, importat peritiam jurium, & experientiam rerum. In Judice enim hæc duo præsertim requiruntur bona conscientia, & rerum, juriúmque peritia, ut notat Baldus *l. hac lege C. de sententiis ex periculo recitandis.*

9 Quæritur nonò, an superior, seu Judex Ordinarius possit causas suas delegare etiam non subditis? Respondetur affirmativè, quia si causa pertineat ad jurisdictionem delegantis, ut delegatus possit de illa cognoscere, potest de hac cognoscere nō subditus ut desumitur *ex l. unic. C. qui pro jurisd. jud. dare* ibi enim tantùm prohibetur, ne causa aliena, seu non pertinens ad jurisdictionē delegantis alteri cōmittatur: unde à sensu contrario si causa nō sit aliena, sed pertineat ad jurisdictionem delegantis, poterit alteri cōmitti etiā non subdito, quia ibi non prohibetur, nec jura exigunt, ut delegatus sit semper Judex, sed tantùm exigunt, ut sit discretus, & idoneus, possítq; suo ritè officio fungi. Verùm hoc est discrimen inter delegatum subditum, & non subditum, quia Judex ordinarius, si deleget sibi subditum, potest eum adigere etiam ad acceptandam delegationem: secus non potest compellere non subditum, quia præcipienti extra suum territorium impunè non paretur *l. eum qui 13. & l. ult. ff. de jurisdict.* Sin verò non subditus semel delegationem acceptavit, potest tunc à delegante cogi, ut in causa procedat, quia ratione acceptæ delegationis se subjecit deleganti, cui tenetur parere in ordine ad causam sibi delegatam. Cæterum subditus delegantis, si non possit sine suo gravi detrimento acceptare delegationem, non potest ad id cogi: quia regulariter non censetur superior velle subdito mandare, quod sine gravi periculo exequi non potest, ut notat Glossa *in c. prudentiam 21. §. adjicimus. V. cum possit. h. t.* Secus delegatus Papæ potest quemcunque sine justa causa recusantem adigere, ut munus suscipiat delegati: Ratio est, quia delegato Papæ omnes Christiani, cùm subsint Papæ, tenentur parere *c. pastoralis 28. h. t.*

Quæritur decimò, an causæ juris patronatus 10
possint laicis delegari? Respondetur negativè: ratio est, quia causæ juris patronatus sunt Ecclesiasticæ, & negotia Ecclesiastica non debent à laicis tractari. *c. 2. de judic.* Tum quia si in rebus Ecclesiasticis non potest compromitti in laicum, cùm non deceat, laicum in talibus arbitrari *c. contingit 8. de Arbit.* multò minùs causæ Ecclesiasticæ possunt laico delegari, cùm sit major potestas Judicis Delegati, quàm simplicis Arbitri: hæcque est ratio, cur delegatus Papæ non possit causam sibi commissam laicis delegare *argum. c. cum te 18.* juncta Glossa *V. personis Ecclesiasticis h. t.* Possunt tamen causæ merè civiles Clericorum, cujusmodi sunt pecuniariæ, & aliæ id genus delegari laicis, ut notat Glossa *in c. secundum de Judic. V. non præsumant.* Non tamen possunt laicis delegari causæ criminales Clericorum, ut docent communiter cum Julio Claro *lib. 5. sent. §. fin. q. 31. n. 5.* & ratio est, quia causæ criminales sunt graves, & præjudiciales personis Clericorum, quæ propterea non debent judicari nisi à Clericis. Id tamen limitatur, quia Papa ex certa scientia potest non solùm causas civiles, & criminales, verùm etiam Ecclesiasticas delegare laico: non ita inferior Prælatus, ut notat Glossa *in c. contingit 8. V. spiritualibus de arbit.* Neq; obstat, quòd causa Ecclesiastica accedente Prælati Ecclesiastici consensu possit compromitti in unum, vel plures laicos tanquam Arbitros *c. per tuos 9. de Arbit.* quia aliud est cōmittere causam Ecclesiasticam laico, ut Arbitro; & aliud ut Judici: ratio discriminis est, quia arbitrium proferre, ut etiam consilium dare in causa Ecclesiastica, non est actus jurisdictionis spiritualis, & jura non prohibent posse Clericos etiam circa causas Ecclesiasticas laicos discretos, & idoneos consulere. Secus judicare in causa Ecclesiastica est actus jurisdictionis, cujus laicus non est capax: hinc possunt laici esse Consiliarii, & assessores in Consistoriis Episcoporum, non tamen Judices, quia non possunt laici jurisdictionem exercere in clericos.

Quæritur undecimò, quomodo delegatus 11
teneatur interpretari formam mandati suæ delegationis? Respondetur, delegatum teneri observare formam mandati, ut non tam verba, quàm intentionem mandantis respiciat, & desumitur *ex c. super eo 15. h. t.* ubi habetur, quòd rescriptum Principis non debeat ita intelligi, ut alteri præjudicium inferatur, nisi id exprimatur, & habetur etiam *l. 2. §. si quis à Principe ff. ne quis in loco publico,* ubi Decius *col. 1.* id ampliat, tametsi Princeps motu proprio, seu ex certa scientia rescribat, imò quamvis tantùm agatur de jure ad rem, seu de jure nondum plenè acquisito. Cæterum verba mandati potiùs impropriè accipi debent, quàm ut juri alterius derogetur. Verùm necessè est, ut verba mandati retineant saltem impropriam significationem: alioquin standum est formæ mandati etiam cum præjudicio juris alterius: quia tunc Princeps ex plenitudine potestatis censetur voluisse

de-

rogare, si aliàs rescriptum deberet inutile reddi, & nihil operari, & id vel maximè procedit, quando mandatum emanavit ex certa scientia. Cæterum si Judici delegato à Papa præscripta sit certa forma procedendi, vel judicandi potest nihilominus Judex adhuc rationabiles, & legitimas exceptiones admittere, & procedere in causa secundùm juris æquitatem, nisi in litteris Sedis Apostolicæ expressè dicatur, ut nullæ admittantur exceptiones, ut habetur *in c. ex parte 13. h. t.* Ratio est, quia Papa per verba tantùm generalia non censetur velle tollere juris ordinem, & graviter præjudicare juri partium, proinde nec tollere exceptiones legitimas, quæ sunt juri conformes, & præsertim eas, quæ pertinent ad defensionem naturalem. Hinc si Judici delegato certa forma procedendi præscripta sit, non debet eam observare cum magno partis præjudicio; ut si Judici tempus præfixum sit, intra quod causam definire debeat, reus autem dilationem petat, eò quia ob gravem, quâ laborat, infirmitatem instruere causam non possit: quia Pontifex non præsumitur velle præjudicare juri partium, præsertim juri naturalis defensionis *c. super eo 15. h. t.* Quòd si Princeps scribat in causa esse procedendum nulla admissa exceptione, debet id intelligi de exceptione irrationabili; & quæ solùm ad irrogandum præjudicium videatur apposita. Sin verò addat clausulam, & expressè dicat, *nulla quamvis rationabili exceptione admissâ*, tum servari debet forma mandati, si nullus dubitandi locus sit relictus, quia tunc Princeps ex plenitudine potestatis censetur derogare juri communi, & partis.

81 Quæritur duocedimò, an delegatus Papæ possit eum absolvere, qui dicit, se ab Ordinario suo injustè vel post legitimam appellationem excommunicatum esse? Respondetur, quòd si conqueratur, se injustè excommunicatum esse, tunc priùs absolvendus est, & deinde admittendæ sunt probationes. Si verò conqueratur se post appellationem ad Papam fuisse excommunicatum, tunc ante absolutionem sunt admittendæ probationes excommunicati, & excommunicantis; ut cognoscatur, an absolvi debeat; vel declarari, non esse excommunicatum, ut desumitur ex *c. cum contingat 36. h. t.* excommunicatus triplicem potest proponere petitionem super sententia excommunicationis. Primò si dicat, sententiam esse ipso jure nullam, eò quia post interpositam appellationem lata fuit, vel quia injustitiam contineat: & in hoc casu ante omnia debet Judex cognoscere de valore excommunicationis, quia si hæc irrita sit frustra absolutio confertur. Secundò si dicat, sententiam esse injustè, seu illicitè latam, & non neget esse validam; & tunc ante omnia debet à Judice absolvi, dummodo promittat se pariturum Ecclesiæ mandatis: & postea receptis utrinque probationibus cognoscere debet, an justè, vel injustè fuerit excomunicatus: quia sive unum, sive alterum ostendatur, parùm refert ad absolutionem; utroque enim casu conferenda est, si reus paratus sit satisfacere, & parere Ecclesiæ mandatis. Tertiò si simpliciter petat absolutionem non allegando, an hæc justè, vel injustè, validè, vel invalidè lata fuerit: & in hoc ultimo casu censetur supplicans fateri suam excommunicationem *argum. l. ad absolutionem 5. C. de re judic.* ubi dicitur; quòd petens à Judice dilationem solutionis convincitur acquiescere ejus sententiæ. Cæterum exceptiones, & probationes tunc non admittuntur, si vel inutiles sint; vel censeantur nil profuturæ *l. ad probationem 21. C. de probat.* nec admittuntur si tempore non competente proponantur. Quòd si Judex exceptiones; quæ suapte natura prosunt, admittat, licèt afferantur tempore non debito, & sine protestatione, debet tum super iis sententiam proferre, ut notat Abbas *in d. c. cùm contingat n. 8. h. t.*

TITULUS XXX.

De officio Legati.

Sicut Judex delegatus vice, & munere fungitur delegantis; ita Legatus Vicariam, seu fiduciariam pro summo Pontifice operam præbet in Provincia, vel Regno sibi commisso: nam cum summus Pontifex non possit omnibus adesse, qui in Provinciis eum præsentem exigunt, ideò Legatos mittit suo nomine, quorum potestas major est, quàm illa delegatorum Judicum, quia non ad unam tantùm causam dati sunt; sed ad unius Provinciæ negotia omnia explicanda: unde cùm in præcedenti titulo Pontifex egisset de officio, & potestate Judicis delegati, rectè nunc agit de officio Legati, quia Legatus Sedis Apostolicæ partim convenit cum Judice delegato,

& partim cum ordinario, tametsi ejus jurisdictio sit potiùs ordinaria, & inter ordinarios Judices numeretur, sicut olim Proconsules, & Præsides Provinciæ Judices ordinarii habebantur *c. 2. h. t. in 6.* hinc est, quòd inter titulum præcedentem de officio Judicis delegati, & sequentem de officio Judicis ordinarii mediet præsens titulus.

SUMMARIUM EXEGETICUM

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *CUM NON IGNORETIS 1. h. t. Alexander III. rescribit universis suffraganeis ecclesiæ Cantuariensis, ad Legatum Papæ posse deferri causas, non solùm per appellationem, verùm etiam per simplicem querelam, eò quia in sua Provincia vices gerat Papæ. Hinc quamvis Archiepiscopus non possit cognoscere causas suffraganeorum nisi per appelationem; potest nihilominus Legatus Papæ deponere Episcopum, si specialiter ei sit demandatum; alioquin non potest Episcopum deponere: quia id est de specialiter reservatis Papæ: proinde nisi specialiter mandetur non intelligitur concessum in generali Legatione. Immo nec potest Legatus cogere eum, qui ad Papam appellat, nec potest contra exemptos, nisi Legatus sit simul Cardinalis.*

C. *STUDUISTI 2. h. t. Declarat Cælestinus III. quòd si Papa specialiter deleget Causam alicui, Legatus in illa Regione non potest se in illa causa immiscere, nec potest impedire processum, vel sententiam irritare, sed possit illam si rationabiliter est lata, confirmare, & mandare executioni: ratio etiam assignatur in textu, quia mandatum speciale derogat generali. Ex quo textu notat Glossa, confirmationem sententiæ esse quid facti, & non juris, & Delegatum in hoc particulari esse superiorem Legato.*

C. *NISI 3 h. t. Innocentius III declarat, Legatum etiam Cardinalem non posse transferre Episcopum ab una ecclesia ad aliam, sine speciali commissione, & mandato.*

C. *QUOD TRANSLATIONEM 4. h. t. idem Pont. statuit Legatum etiam Cardinalem non posse subjicere unum Episcopatum alteri, nec unire duos Episcopatus, nec unum dividere, quia commissio generalis non extenditur ad ea, quæ in signum Privilegii singularis sunt reservata Papæ. Cæterum Legatus Cardinalis potest absolvere excommunicatos etiam ob violentas manuum injectiones in Clericum. Et notat Glossa, nullum Legatum ex generali legatione posse ea, quæ sunt Papæ reservata præter absolutionem ob violentam manuum injectionem in Clericos.*

C. *LICET 5. h. t. Declarat idem Pont. quòd postquam Legatus transmisit causam Papæ examinandam, cessat ejus jurisdictio, nec est ampliùs judex, adeò ut irritum sit, si quid aliud agat. Ratio est, quia ex quo Causa ad Papam remittitur, Legatus in illa desinit esse judex.*

C. *DILECTUS 6. h. t. idem Pont. declarat, Legatum Papæ posse conferre ecclesiam, vel beneficium vacans etiam inconsulto patrono, seu eo, ad quem pertinet præsentare, eò quia plus juris habeat in concessione Prælatus, quàm in præsentatione Patronus. Tum quia provisus habet jus in re, & præsentatus tantùm jus ad rem, proinde provisus habet jus plenius.*

C. *NOVIT ILLE 7. h. t. Declarat idem Pont. posse Legatum pro multis locis in uno loco exercere jus suum circa causas pertinentes ad alia loca suæ legationis; non tamen posse extra Provinciam suæ legationis cognoscere causas, nec excommunicare, vel absolvere; sed posse delegare suas vices, & conferre beneficia, quia fiunt sine cognitione causæ.*

C. *VOLENTES 8. h. t. Gregorius IX. rescribit Patriarchæ Jerosolymitano, Legatum alicujus Provinciæ non posse exercere suum officium si adsit Legatus à latere Papæ; quia præsente Legato à latere suspenditur officium simplicis Legati: ut enim notat Glossa hic, jurisdictio minoris impeditur præsente majore: quòd si jurisdictiones sint æquales secunda derogat primæ.*

C. *EXCOMMUNICATIS 9. h. t. Idem Pont. declarat, Legatum de latere ad tempus tantùm, non posse ratione personæ absolvere excommunicatos ob injectionem manuum, etiam sibi subditos & in sua Provincia, nisi ei specialis potestas concedatur à Papa. Hinc notat Glossa concessiones factas Cardinalibus de latere non extendi ad alios Legatos non Cardinales, aut qui non sint de latere.*

C. *NEMINI 10. h. t. Idem Pont. declarat, statuta Legati Papæ esse perpetua, & durare in Provincia etiam post suum discessum, & finita legatione. Rursus declarat, expirare jurisdictionem delegati, si Legatus delegavit causas, & ante discessum non præcessit citatio: secus verò si hæc præcessit: ratio est, quam adfert Glossa, quia discessus Legati à Provincia est mors civilis, proinde expirat potestas sicut in morte naturali.*

IN SEXTO.

C. *OFFICII 1. h. t. Innocentius IV. statuit, solos Legatos Cardinales posse conferre beneficia, & alios nonnisi de speciali licentia.*

C. *LEGATOS 2. h. t. Clemens IV. declarat, officium Legati non expirare per mortem Papæ. Imò tametsi moriatur Papa ante ingressum Provinciæ.*

C. *PRÆSENTI 3. h. t. Bonifacius VIII. declarat, reservationem beneficiorum factam à Legato à latere, & etiam decreta super ipsis interposita, ut denunciationes, & inhibitiones, processus,*

sus & alia his similia per se, vel per deputatos à ad hunc effectum si nondum sit collatum beneficium, esse invalida & ejus legationem expirare. Rursus prohibet, ne Legatus postquam in aliqua Cathedrali Ecclesia sibi reservavit aliquod beneficium, cujus collatio pertinebat ad aliquem, non possit ea pendente aliud reservare.

C *DELIBERATIONEM 4. h. t. idem Pont. inhibet, ne aliquis Sedis Apostolicæ Legatus dignitates majores post Pontificales, & electivas in Ecclesiis cathedralibus, vel collegiatis sibi reservet, nec in ipsis se immisceat.*

C. *COLLATIO 5. h. t. idem Pont. declarat, collationem beneficii factam à Legato ei, qui tacet se habere aliud beneficium, esse subreptitiam, & nullam.*

IN SEPTIMO.

C. *NULLIS unic. h. t. Leo X. in Concilio Lateranensi statuit, Legatos teneri in suis Provinciis, vel Regnis ad quæ deputantur, residere, & personaliter pro majori parte temporis adesse, & populos illos omni vigilantia regere, & gubernare: & eos qui titulum legationis obtinent, si in Italia intra tres menses; si extra Italiam intra quinque à die hujus publicationis ad suas Provincias ire nolint, ac majorem temporis partem ibi residere nisi de mandato Pontificis pro gravioribus negotiis in Romana curia detineantur; vel ad alia loca, prout necessitas postulat, mittantur.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§.

1 Egatus, ut tradit Varro suam sortitur nomenclationem, eò quia publicè legatur, ac mittur: hinc legati in jure civili dicuntur non tantùm selecti, & missi ad pacem, vel aliud arduum negotium apud Principes peragendum; verùm etiam Vicarii Præsidum & Proconsulum, quibus ab ipsis Præsidibus & Proconsulibus fuerit jurisdictio mandata. *L. Vicarius 23. ff. deleg. & tot tit. ff. de legat. Proconf.* Violatio legatorum adversatur juri gentium, ut liquet ex *c. jus gentium dist. 1* adeò ut Legati ubique locorum sint tutissimi jure canonico Legati Pontificis non tantùm mandatam, & vicariam, sed etiam ordinariam habent jurisdictionem; sicut judex delegatus vice, ac munere fungitur delegantis, ita Legatus summi Pontificis in Regno sibi commisso, vel Provincia vices gerit summi Pontificis, qui cum non possit ubique terrarum esse præsens, ideò mittit suos Legatos, qui in nomine suo in iisdem agant, vicésque Pontificis gerant, ut liquet ex *c. 1. & 4. hujus tit.*

2 Ex Legatis ut colligitur ex *c. penult. hujus tit. & cap. 1. eod. in 6.* alii dicuntur à latere, alii missi, alii nati. Legati à latere ex usu Curiæ Romanæ dicuntur soli Cardinales ab ipso summo Pontifice ex urbe, & Curia Romana missi ad certam Provinciam administrandam, vel ad negotia cum Principibus tractanda: dicuntur Legati à latere; eò quia Cardinales utpote consiliarii summi Pontificis censentur ejus lateribus adsistere: proinde quasi desumpti è latere, seu ex Collegio Cardinalium vocantur Legati à latere *c. volentes 8. h. t.* In aliquo casu extraordinario etiam Prælati non Cardinales instituuntur Legati à latere: & Clemens XI. instituit Prælatum de Turnum missum ad Imperatorem Sinarum, ut Visitatorem Generalem. Legati missi dicuntur qui non mittuntur de latere Pontificis; eò quia non sint de Collegio Cardinalium; sed à summo Pontifice speciatim constituuntur de consilio tamen Cardinalium, tametsi possit Pontifex independenter à Cardinalibus immediatè legationis officium alicui committere, qui sit ad id idoneus, ut liquet ex *c. novit. 7.* & ibi Abbas *h. t.* & quamvis possint Legati missi assumi à quovis ordine Clericorum infra Collegium Cardinalium; consuetudo tamen invaluit, ut Pontifex nonnisi Prælatos prudentiâ, & doctrinâ pollentes ad id munus obeundum eligat, Legati nati sunt, qui dignitati suæ Ecclesiasticæ officium, ac munus Legati Apostolici adnexum habent; quapropter dicuntur Legati nati, quia statim, ac eliguntur ad talem dignitatem, eique præficiuntur, quasi recens nati ad talem dignitatem nascuntur etiam Legati, quatenus unâ cum dignitate nanciscuntur etiam officium, & munus Legati Apostolici, eò quia sit id annexum tali dignitati. In Germania Archiepiscopus Salisburgensis est Legatus natus; in Gallia Archiepiscopus Rhemensis, ad quem pertinet Reges Galliæ ungere, de quo habetur in *c. per venerabilem §. verùm infra qui filii sunt legitimi.* In Aquitania superiori Archiepiscopus Bituricensis est etiam Legatus natus, de quo in *c. ult. de majorit. & obed.* In Aquitania inferiori Archiepiscopus Burdegalensis; in Provincia Viennensi Archiepiscopus Viennensis; olim in Anglia erat Legatus natus Episcopus Cantuariensis, de quo habetur in *cap. 1. de offic. Legat. & c. penultim. de filiis Presbyterorum* temporibus Bonifacii I. & Gregorii I. Arelatensis Episcopus fuit in Provincia Legatus Apostolicus, & consueverat pallium à Romano Pontifice accipere. In Pollonia Gnesnensis Archiepiscopus est Legatus natus: ut in Hungaria Strigoniensis, & etiam in Hispania Toletanus, in Africa olim Carthaginensis.

Conveniunt inter se Legati, quia omnes cu- 3
juscunque sint generis gaudent hoc nomine Le-

gati Glossa in *c. statutum de rescript. in 6. c. privilegium de verborum significatione eod. tit.* Ut etiam, quia statim ac sunt ex urbe Roma egressi omnes accipiunt insignia Legationis, suntque equus albus, vestes rubeæ, frœnum, & calcaria deaurata, quibus possunt uti quando ab urbe mittuntur, sicut olim Proconsules, quibus æquiparantur *c. 2. eod. in 6.* hi enim urbem egressi insignibus Proconsularibus poterant uti, & exercere jurisdictionem, non tamen contentiosam, sed voluntariam, *l. 8. ff. de offic. Proconf.* Rursus cum ad urbem revertuntur, & ingrediuntur Romam eadem insignia deponunt, ut notat Hostiensis in *c. antiqua inf. de privileg.* Possunt omnes Legati in Provinciis sibi demandatis hoc idem, quod in sua Diœcesi Episcopus, & habent ordinariam jurisdictionem, quam exercent jure suo, ut patet ex *cap. 2. eod. tit. in 6.* Cujusvis Legati officium est vice summi Pontificis noxia evellere, & dissipare; studia virtutum, & media ad salutem æternam promovere; causas provincialium, quæ per appellationem, aut simplicem querimoniam ad eos deferuntur tanquam ad judices ordinarios, audire, & cognoscere, ut liquet ex *cap. 1. hujus tit.* Imò in Provinciis sibi commissis in iis, quæ pertinent ad Legatorum jurisdictionem possunt ad vitia corrigenda, & errores arcendos, morésque componendos, statuta condere perpetuò duratura *c. ult. hujus tit.* Possunt etiam causas ad se pertinentes aliis delegare, ita tamen, ut hujus delegati jurisdictio cesset una cum officio Legati, nisi quid aliud adjiciatur.

4 Cæterùm potestas omnium Legatorum dependet potissimùm ex tenore litterarum suæ commissionis; adeò ut Legato constituto non credatur, nisi suæ commissionis litteras ostenderit *can. fin. dist. 97.* Secùs Legato à latere etiam non ostensis litteris creditur, nisi fortassis assereret, habere se à summo Pontifice majorem potestatem, quæ ex jure communi competat Legato à latere; vel etiam eam, quæ alteri præjudicet. Cæterùm cùm constiterit de Legatione, & adventu Legati, is benignè recipiendus est, ac honorificè tractandus, cùm vices gerat summi Pontificis *c. cùm venerabilis sup. de consuet.* suntque etiam Legatis suppeditanda necessaria in sua Legatione, proùt in consecratione, se facturos jurant Episcopi, ut liquet ex *c. ego inf. de jurejurando.* adeò ut nulla ipsis in oppositum suffragetur rescriptio *c. accedentes inf. de præscript.* alioquin impedientes Legatos Apostolicos, vel eos non acceptantes ipso facto excommunicationem incurrunt, ut etiam loca eis subjecta incurrunt interdictum, cui tamdiu subjacent, quamdiu in ea contumacia quis perseverat, & desumitur ex *cap. 1. de consuet. inextravag. commun.*

5 Differunt verò Legati à latere, missi, & nati, quia primi ex sua dignitate habent præeminentiam, majúsque imperium in Regno sibi commisso, quàm alii ut liquet ex *c. si Abbatem 36. c. hujusmodi de elect. in 6.* quapropter præsente Legato à latere alii Legati inferiores sive Missi, sive Nati non habent executionem suæ Legationis, neque insignibus utuntur Legationis, ut constat ex *c. volentes 8. hujus tit.* & sic nec legatus natus suam exercet jurisdictionem cum præsens adest Legatus missus cum hic præcedat, & majoris sit potestatis. Differunt etiam quoad collationem beneficiorum, causarum exemptarum cognitionem, & confirmationem Episcoporum, Prælatorum exemptorum, ut liquet ex *c. si Abbatem 36. §. hujusmodi de elect. in 6.* ut etiam in ordine ad absolvendos excommunicatos ob Clerici percussionem. Etenim Legatus à latere potest conferre beneficia propriè dicta in Provincia sibi delegata, quæ vacant tempore suæ Legationis *c. 1. & 2. eod. in 6. & c. si sede de preben. in 6.* etiam Canonicatus in Cathedralibus Ecclesiis, & alia beneficia, quæ nuncupantur minores dignitates, & non conferuntur per electionem, & quidem absque consensu, imò etiam inconsulto Patrono, ad quem alias pertineret præsentatio, dummodò is sit Ecclesiasticus *C. dilectus 6. h. t. & c. dilectus inf. de jur. Patron.* idque etiam quando collatio spectat ad Clericos existentes extra suam Provinciam: quia in collationibus locus attenditur beneficii, ut liquet ex *clement. 1. de supplenda. neglig. Prælat.* Secus Legatus natus non potest conferre beneficia suæ Legationis, nisi id fuerit illi specialiter indultum à summo Pontifice, ut liquet ex *cap. 1. eod. in 6.*

Rursus potest Legatus à latere reservare suæ 6 collationi beneficia non vacantia etiam in favorem alicujus Clerici, tametsi non possit tribuere jus ad beneficium vacaturum, ut notat Glossa in *cap. 1. hujus tit.* Potest etiam non obstante reservatione voluntatem mutare, & alteri beneficium conferre, non tamen promittere, nec conferre beneficium vacaturum, ut liquet ex *c. 2. inf. de concess. preben.* Nec potest sibi reservare, nec conferre beneficium juris patronatus Laici Patrono Laico invito, quando jus patronatus competit ratione dotationis, fundationis, extructionis, ut habetur in *c. cùm dilectus inf. de jur. patron.* alioquin Laici averterentur à fundandis, & dotandis Ecclesiis: nisi tamen ex præscriptione, consuetudine insolita, vel speciali privilegio tale jus competat Legato à latere, ut notat Gambarus. *de offic. legat. lib. 3. n. 542.*

Demum Legatus à latere potest in Provincia 7 sibi commissa quidquid Ordinarius in sua propria Diœcesi, cum quo etiam concurrit in collatione beneficiorum, ut desumitur ex *c. si à sede de preben. in 6.* & omnia etiam exequitur, quæ speciatim non sunt reservata summo Pontifici: non enim hæc censentur comprehensa in generali mandato Legati à latere, qui proinde exigit ad id specialem facultatem: hinc non potest Legatus à latere Episcopum de una in aliam Ecclesiam transferre, nec unam Ecclesiam cathedralem alteri subjicere, nec plures Episcopatus simul unire, vel unum in plures dividere, quia hæc omnia sunt reservata

summo

summo Pontifici, & sine speciali potestate non potest legatus à latere eadem consequi, nec de ea cognoscere, si causa fuerit remissa ad summum Pontificem. Legati tamen ex Concilio Tridentino non possunt Episcopos in causis spectantibus ad eorum forum impedire, aut turbare, imò neque contra personas Ecclesiasticas procedere, nisi priùs requisito Episcopo.

8 An verò legatus ad plures Provincias missus possit in earum una alterius causas expedire. Respondendum est cum distinctione; vel enim causæ illæ sunt voluntariæ jurisdictionis, & tunc potest eas expedire, quia illas extra Provinciam poterat olim etiam Proconsul pertractare, ut constat ex *l. 2. ff. de offic. Proconſ.* Legatus enim Proconsuli æquiparatur *c. 2. de offic. legat. in 6.* vel causæ sunt jurisdictionis contentiosæ, & plures negant, posse legatum extra Provinciam eas exequi: quia nemo potest extra provinciam invitus ad judicium trahi *c. neminem 3. q. 6.* Nihilominus contraria sententia est communior, & desumitur ex *c. olim de injuriis & c. ult. de judiciis*, ubi habetur, quòd coram delegato à Romano Pontifice, possit quisque extra provinciam sisti in judicio. Quia tametsi nequeat quis invitus ad judicem trahi: ubi tamen Princeps, qui est Legislator id voluerit, potest etiam invitus trahi: quia in hac parte Princeps non derogat juri naturali, aut divino, sed tantùm juri communi.

9 Legatorum jurisdictio est ordinaria, non delegata, idque desumitur ex *c. legatos de officio legat. in 6.* ubi legati dicuntur esse ordinarii non delegati, perinde ac olim Proconsules erant præsides ordinarii, non delegati, neque ullum facessit negotium, quòd Provincia dicatur committi legato, quia verbum committendi significat etiam destinare, & decernere.

10 An verò possit Legatus conferre beneficia, quæ dicuntur monocularia, communior sententia negat, & videtur id desumi ex *c. generali de reg. jur. in 6.* quia ut notat Archidiaconus *in c. si pro Clericis de præben. in 6.* mandatum Apostolicum de providendo non comprehendit beneficium, cujus conferendi jus ad illum pertinet, qui tantùm unum beneficium habet, quod potest conferre; & sic videtur etiam asseruisse Rota *decis. 216. in novis.* Non tamen desunt, qui asserant, posse Legatum etiam beneficia monocularia conferre ea nixi ratione, quia ex vi juris, datur illi facultas conferendi quæcunque beneficia, & ubi jus non distinguit, nec nos debemus distinguere. Verùm standum est communi sententiæ, quia mandatum de providendo non comprehendit beneficium monoculare. De beneficiis manualibus videtur etiam esse aliqua difficultas: dicuntur beneficia manualia, quæ ad nutum superioris auferri, & adimi possunt. Gambarus *lib. 4. de officio legati n. 6. & sequent.* negat, posse legatum conferre hujusmodi beneficia manualia, & nititur ea ratione; quia cùm non sint beneficia perpetua, sed ad nutum superioris removeri possint, non sunt propriè beneficia; & qui illa possident, videntur potiùs eorundem esse custodes. Communior tamen sententia asserit, posse Legatum Pontificis etiam beneficia manualia conferre ut notat Bonifacius Vitalin. *in clementin. 1. §. in quibus de supplen. neglig. Prælat.* Neque obstat, quòd sint amovibilia ad nutum superioris, quia licèt id verum sit, nihilominus sicut possunt auferri, ita possunt etiam non auferri, quo pacto induunt perpetuitatem licèt per accidens.

11 Potest etiam legatus in Cathedrali Ecclesia Canonicum instituere ultra numerum consuetum, si numerus Canonicorum non sit authoritate Pontificis confirmatus, ut notat Abbas *c. pro illorum de præben. in V. recepisse.* & Panormitanus in *c. cùm M. Ferar. de constitut.* idque etiam contradicentibus canonicis, ut censent Lignanus, Lappus, & alii *in c. si eum de præben. in 6.* potest etiam Legatus præcipere, ut quis recipiatur in canonicum antequam præbenda vacet, quia si id potest, non solùm Episcopus, sed etiam Collegium Canonicorum à fortiori id poterit etiam Legatus. Quòd si canonici juraverint, se nunquam recepturos quemquam in canonicum ultra numerũ; adhuc potest Legatus Canonicum instituere & numerum augere, quia jusjurandum canonicorum obstringit tantùm ipsos Canonicos, non verò legatum. Tum quia in jurejurando semper intelligitur excepta authoritas superioris *c. venientes, & c. eam de jurejurando.* unde Canonici admittentes ultra numerum Canonicum à legato institutum, non sunt perjurii, quia illum recipiunt ex mandato Legati, proinde id faciunt necessitate coacti. *c. querelam. de jure jurando.* tunc Canonicus recens institutus tantùm acquirit jus, ut possit judicis officium implorare, ut aliqua præbenda, quæ sit vacatura, ei conferatur, ut notat Abbas *in c. dilectus 1. & c. relatum n. 7. de præben.* & probat ex *c. hi, qui de præben. in 6.* ubi ait: alicui in Canonicum recepto dari postea præbendam, non vi promissionis, sed ratione Canonicatus, ad quem fuit admissus initio sine præbenda.

12 Hinc Canonicus ultra numerum institutus habet quidem Canonicatum, non tamen præbendam, & ratione Canonicatus habet jus percipiendi quotidianas distributiones, si præsens adsit in Ecclesia, & in Choro sedem inter Canonicos teneat, & suffragium in Capitulo habeat, ac si ordinibus sacris initiatus. Non tamen potest legatus conferre Clerico beneficium Ecclesiasticum, in quo proximè ejus Pater ministravit, cùm id prohibeatur jure communi, ut liquet *ex c. ad extirpandas. c. Michael. dilectus de fil. Presbyt.* idque ne videatur in beneficiis Ecclesiasticis dari successio Patris in filium.

13 An verò possit Legatus conferre beneficia devoluta ad Prælatum Ordinarium ob negligentiam eorum, quibus inerat jus eligendi, procedendum est cum distinctione: vel enim hujusmodi beneficia sunt devoluta ad Prælatum Provinciæ, quæ comprehehenditur intra terminos legationis ob negligentiam Prælati existentis extra provinciam legationis: aut ob negligentiam Prælati intra Provinciam Legationis, si beneficia sint devoluta priori modo Archi-

diaconus *in c. deliberationem in 6. de officio legat.* affirmat, posse conferri, sed alii præsertim Dominicus, & Laurentius id negant *argum. sumpto ex clement. si de benefic. de præben.* ubi habetur, quòd quando datur potestas conferendi beneficium spectans ad jus Episcopi, intelligitur quando jus illud est proprium Episcopi, non devolutum: ergo Legatus potest conferre beneficia, quæ pertinent ad Episcopum jure proprio; non devoluto. Nihilominus Gambara, & alii censent probabiliorem sententiam Archidiaconi, eo quia videatur rationi magis consonum, quòd legatus conferre possit omnia beneficia, quæ Episcopus dare potest. Quòd si beneficia devoluta ad Prælatum Provinciæ sint intra limites legationis ob negligentiam Prælati intra eandem Provinciam, tunc concedunt communiter posse hujusmodi beneficia à legato conferri.

14 Potest etiam Legatus legitimare spurios, eosque habilitare ad ordines Ecclesiasticos; non tamen spurius, qui per Legatum restitutus est legitimis natalibus supponitur factus habilis, ut possit promoveri ad Episcopatum, ut notat Hostiensis *c. innotuit de elect.* Cæterum si Legatus dispenset cum spurio, ut possit ad omnes ordines promoveri, ac beneficium Ecclesiasticum obtinere, tunc fit capax beneficii, cui est annexa cura animarũ. & colligitur ex *c. cùm olim de præben.* Non tamen ex probabiliore sententia potest Legatus, vel Episcopus spurium ad personatus, vel dignitates habilem reddere, ut notat Glossa *ex c. 1. de fil. Presbyt. in 6. & in c. dudum 2. de elect. & in c. de multa de præben.* beneficia siquidem habentia curam animarum æquiparantur dignitatibus. Hostiensis tamen, & alii censent, posse Legatum indulgere spurio, ut habeat beneficium conjunctum Curæ animarum habitu tantùm, non actu, & id colligunt ex *c. de multa de præben.* Quia jura, quibus cavetur, ne quis simul habeat duo beneficia cum cura animarum non comprehendunt habentia curam animarum habitu tantùm; unde jus, quo prohibetur, ne spurius habeat beneficia curæ animarum conjuncta, est intelligendum de beneficio habente actu, non verò habitu curam animarum.

15 Si quæras, quænam sint privilegia, quibus gaudent legati. Respondet Selva *de beneficiis p. 2. q. 3. n. 13.* plura esse legatorum privilegia, quorum primum est, ut, qui ipsi sunt molesti, eosque persequuntur in septem supra triginta incurrant pœnas, ut colligitur ex *c. felicis de pœn. in 6.* Secundum, quia Legati à latere, seu Cardinales possunt conferre beneficia etiam ad Papam devoluta, ut notat Glossa *in extravag. Joannis XXII. quæ incipit execrabilis, de præben. V. sublimitatem.* Tertium quia possunt Legati eos absolvere, qui sunt excommunicati, eò quia manus violentas in Clericum injecerint *c. ad eminentiam de sent. excommun.* Quartum est, ut urbem egressi possint statim uti insignibus Apostolicæ dignitatis. Quintum, ut possint vocari patritii, ut notat Glossa *in d. extravag. execrabilis.* Sextum ut Legati Cardinales à latere censeantur pars corporis Papæ instar Senatorum. Septimum, ut cum est creatus Legatus censeatur solutus omni vinculo patriæ potestatis. Octavum ut Legato à latere, seu Cardinali asserenti se esse Legatum Apostolicæ Sedis credatur, tametsi litteras non ostendat.

Cæterum officium Legati multipliciter cessat. 16 Primò per obitum ejusdem Legati quando ejus personæ nominatim munus legationis est commissum, quia tunc commissio censetur personalis, & extinguitur cum persona, nisi quid aliud specialius ex verbis commissionis colligatur. Secus si commissio fiat nomine dignitatis, vel officii perpetui, tunc non censetur personalis, sed realis, neque extinguitur per obitum Legati; sed transit ad successorem in eadem dignitate, vel officio, ut colligitur *ex c. quoniam.* Abbas *14. sup. de offic. delegat.* Quia verò jurisdictio Legati est ordinaria, & non delegata, ideò per obitum Papæ non extinguitur ejus officium, ut liquet ex *c. legatos 2. eod. in 6.* nisi legatus missus fuerit, ad placitum Papæ, & quòd ejus morte ejus officium extinguatur *c. si gratiosè de rescript. in 6.* multò minus extinguitur per mortem Papæ, si à sede Apostolica, quæ nunquam moritur, mittatur Legatus *d. c. legatos.* ut nec etiam extingitur si officium Legati conveniat alicui ratione propriæ dignitatis, vel officii, quod non cessat per obitum Papæ. Secundò cessat officium Legati, si à Papa revocetur, *c. novit & c. fin. h. t.* Quòd si ante egressum è Provincia causas aliquas delegaverit, aut delegatus judicium jam inceperit, poterit tunc procedere, & appellatio ab eo fit ad Papam, vel ad successorem ipsius Legati. Causa verò à se, vel suo auditore inchoata non absolvitur post suum egressum, sed pertinet ad successorem eam perficere, vel potest recurri ad Papam. Licèt Papa possit revocare suos legatos prout ipsi magis libuerit: non tamen id præstat collegium Cardinalium, nisi ex graviori causa. Tertiò cessat etiam officium Legati, quando tempus legationis est elapsum *c. de causis 4. sup. de offic. delegat.* ut etiam cessat expleta causa, ob quam fuerat specialiter constitutus Legatus. Cæterum Legatus è Provincia sibi commissa nunquam post discedere absque speciali facultate Pontificis: ut neque revocatus à Papa, & è Provincia egressus potest ad illam redire sine novo mandato.

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones.

Quæritur primò, an Legatus sedis Apostolicæ possit in ordine ad mores reformandos, & vitia corrigenda statuta condere perpetuò duratura, etiam post finitum Legationis officium? Respondetur affirmativè, & desumitur *ex c. nemini 10. h. t.* ubi declaratur, quòd statuta, quæ Legatus in sua Provincia condidit, durent tanquam perpetua, quamvis Legatus recesserit. Ratio desumitur ex eo, quia Legati Papæ habent jurisdictionem ordinariam in Provincia sibi cõmissa, & æquiparantur Proconsulibus, & Præ- 1

Præsidibus Provinciarum *c. 2. h.t. in 6.* ubi dicitur, quòd Legati, qui à sede Apostolica ad Provincias destinantur, sicut olim Proconsules, ac Præsides inter Ordinarios Judices sint numerandi, ex quo textu liquet, Legatũ Pontificium ad Provinciam destinatum habere jurisdictionem ordinariam, & propriam, quæ morte Pontificis legantis non extinguitur: sicut igitur Proconsules, & Præsides Provinciarum possunt leges condere, & statuta perpetuò duratura; ita etiam Legati Papæ. Tum quia Episcopus tametsi minoris sit authoritatis potest nihilominus statuta condere in sua Diœcesi perpetua, donec à successore revocentur: proinde multò magis poterit Legatus Papæ hujusmodi statuta condere, ut notat Glossa *in d. c. nemini V. statuta ult. h. t.* non tamen potest Legatus Papæ facere statuta contra jus comune canonicum, quia inferior non habet potestatem abrogandi legẽ superioris *arg. c. inferior. 4. dist. 21.* Potest tamen legatus statuta condere præter jus comune, cùm sit Judex Ordinarius in sua Provincia: in rebus tamen pertinentibus ad suam jurisdictionem non requisitis Prælatis Provinciæ, nec populo, nisi tamen vellet aliquid statuere quod in præjudicium aliorum vergeret, quia tunc eorum consensus requireretur.

2 Quæritur secundò, quomodo Legatus Sedis Apostolicæ possit super causa electionis Episcopi examen instituere? Respondetur, posse Legatũ sedis Apostolicæ examen quidem instituere super causa electionis Episcopi; ita tamen, ut tam examen, quàm informationes debeat ad Papã mittere, & ex eo tempore cesset à cognitione causæ, eò quia tunc suspensa manet ejus jurisdictio, idque desumitur *ex c. licèt 5. h. t.* ubi cùm Canonici Tranenses in Episcopum elegissent Guilelmum fratrem Abbatis Cassinensis: eam electionem Legatus Apostolicus examinavit; & examen etiam ad Pontificem transmisit: sed quia novum super eadem electione examen postea instituerit; Innocentius III. rescribit posterius examen irritum esse, eò quia legatus super causa electionis postquam ad sedem Apostolicam transmisit, non habet ampliùs jurisdictionem super eadem causa, quia tunc causa est devoluta ad superiorem: semel enim quòd Judex examen causæ, seu causam instructam ad Principem, seu superiorem referre decrevit cum partium approbatione, & pendente relatione, si procedat, irritus est processus, utpote factus à Judice incompetente ob jurisdictionem à se ad superiorem devolutam, quoad talem specialem causam.

3 Tum quia si legatus Papæ interim posset validè in tali causa procedere illuderet authoritati superioris: posset interim causam finire etiam contra statutum à superiore in eadem causa; ut desumitur *ex l. ex illo 13. C. de appellat.* Ex partium tamen consensu potest Judex causam instructam ad superiorem transmissam iterum cognoscere, ut notat Glossa *in d. c. licèt. 5. V. transtulerat h. t.* dummodo causa instructa nondum sit Principi præsentata; alioquin si præsentatio facta fuerit, tum neque ex partium consensu potest legatus cognoscere, nec quidpiam immutare, ne illudatur superiori *c. bona 4. de postul. Prel.* Plura de hac materia habet Joannes Andreas in *c. intimasti 68. de appellat.*

Quæritur tertiò, an legatus natus possit cognoscere omnes causas Provincialium? Respondetur, Legatum sedis Apostolicæ sive missum, sive natum, ut Archiepiscopum, cujus dignitati, & sedi munus Legati Apostolici est annexum, posse omnes causas Provincialium sive per appellationem, sive per simplicem querelam, si ad ipsum deferantur audire, & cognoscere, imò debere, & desumitur ex *c. cum non ignoretis 1. h. t.* ubi habetur, quòd si Archiepiscopus aliquis, dignitati, ac sedi suæ, Apostolici legati munus adnexũ habeat, quamvis ut Metropolitanus causas eorum, qui suffraganeis suis subditi sunt cognoscere nequeat nisi per appellationem: nihilominus ut Legatus Apostolicæ sedis in omnibus causis sive per appellationem, sive per simplicem querelam, si ad ipsum deferantur, procedere potest. Et ratio etiam ibi assignatur, quia Legatus Apostolicæ sedis in sua Provincia vices gerit Papæ. Ex quo textu liquet, Legatos Apostolicos in sua Provincia, ad quam deputati sunt, dici posse Vicarios Papæ, eò quia in iis locis Apostolica authoritate funguntur: etenim cum sumus Pontifex per totum Christianum orbem jurisdictionem exerceat *c. cuncta 17. caus. 9. q. 3.* ideò in partibus remotioribus Vicarios suos statuit, ac ponit, qui vice ipsius exerceant jurisdictionem in omnes existentes in tali Provincia, ut constat *ex epist.* Leonis I. & ex *Novel. 131.* Justinian. *collat. 9. tit. 14.* Quinimo Legatus à latere, vel etiam qui cùm simili potestate missus est, potest etiam in exemptos jurisdictionem exercere exceptis casibus Sedi Apostolicæ specialiter reservatis. Alii tamen Legati hanc non habent potestatem, & desumitur ex *c. 1. de V. S. in 6. c. si Abbatem 16. de elect. in 6.* Hinc potest Legatus à latere conferre beneficia spectantia ad collationem exemptorum, tametsi ipsa beneficia sint exempta, ut notat Garzias *p. 5. c. 3. n. 19.* non tamen potest ea beneficia conferre, quæ Episcopus confert ex Apostolica delegatione, & authoritate, scilicet quæ ad ipsum devoluta sunt ob negligentiam Prælati Regularis exempti *clement. 1. de supplen. neglig. Prelat.* Rursus Legatus in sua Provincia est Judex Ordinarius, adeò ut concurrat cum Episcopo in omnibus causis subditorum, & ab inferioribus judicibus sub Episcopo constitutis possit ad Legatum appellari, perinde ac ad ipsum Episcopum, ut notat Joannes Andreas *in c. quod translationem n. 10. h. t.* 4

Sed notandum est, quòd jure novo Concili Tridentini *sess. 24. c. 20. de refor.* hæc Legatorum potestas restringitur, ut Legati Apostolici etiam de latere, non possint cognoscere causas subditorum Provincialium, nisi Ordinarius intra biennium à die motæ litis numerandum negligat: vel nisi per appellationem à sententia definitiva ad Legatum devolvantur, & rursus statuitur, ut in ipso appellationis processu servetur constitutio in *c. Romana 3. de appellat in 6.* idque habetur *sess. 22. c. 3.* quinimò quoad appellationem in causis criminalibus observandum est decretum ejusdem Concilii *sess. 13. c. 3. de refor.* 5

Quæritur quartò, an Legatus Generalis destinatus ad Provinciam possit ad suam cognitionem trahere causam specialiter alteri delegatam à sumo Pontifice? Respondetur, Legatum generalem

lem etiam à latere non posse talem causam à Sede Apostolica specialiter alteri delegatam ad suam trahere cognitionem, nec sententiam à delegato in causa speciali secundùm formam mandati latam irritare, idq; desumitur *ex c. studuisti 2. h. t.* ubi cum quæreretur, an Legatus Generalis in causa speciali, & alteri specialiter delegata se immiscere posset, Cœlestinus III. negavit, ea motus ratione, quia mandatum speciale derogat generali. Idque ita debet intelligi, ut si aliquis generalem facultatem habeat omnia negotia exequendi, vel causas omnes cognoscendi: & alius habeat commissionem specialem super certas causas; specialis hic Commissarius superet generalem, adeò ut is immiscere se non debeat, nec impedire specialem *c. specialis 14.* ubi dicitur, quòd rescriptum speciale deroget generali, quamvis de eo mentionem non faciat. Verùm id limitatur, ut superveniente causa nova Procurator, aut Commissarius Generalis possit prohibere speciali, ne procedat, aut formam procedendi ei præscribere *argum. L. si hominem 30. ff. mandati.* Si enim causa nova, vel antea non prævisa à delegante superveniat, & quâ cognitâ verisimiliter non emanâsset illa specialis commissio, tum Legatus Generalis potest prohibere speciali delegato, ne in negotio sibi commisso, procedat. Imò limitatur etiam nisi Legatus specialis contra formam mandati Apostolici procedat, quia tunc Legatus Generalis potest se immiscere, & ejus acta rescindere, & irrita declarare, eo quia habitualiter retinet jurisdictionem super causa specialiter commissa, ut notat Imola in *d. c. studuisti 2. n. 3. h. t.* idque desumitur etiam à contrario sensu: siquidem in *d. c.* dicitur, quòd Legatus Generalis non possit irritare sententiam Legati specialis latam secundùm formam juris: ex quo à contrario sensu infertur, quòd si sententia lata sit contra formam mandati possit illam irritare. Imò id etiam procedit, si sententia delegati ex alio capite sit nulla, quia lata contra jus constitutionis: etenim tunc Legatus Generalis non prohibetur cognoscere, & declarare illam esse nullam, quia inferior non prohibetur cognoscere de actis per superiorem, si hæc sint irrita: unde quamvis Legatus Generalis quoad causam illam specialem commissam sit inferior delegato Papæ, eò quia delegatus in tali speciali causa vices gerat Papæ, potest nihilominus Legatus Generalis cognoscere super nullitate latæ sententiæ, non ita tamen si sententia delegati sit valida, licèt aliàs injusta sit; quia tunc Legatus non potest se immiscere contra jus litigatoris.

7 Imò limitatur etiam, quando Legatus Generalis prævenit in causa delegati, & causam contra impetrantem mandatum, seu commissionem specialem cœpit cognoscere, antequam litteræ commissionis sint præsentatæ Judici delegato; quia tunc potest Legatus progredi in causa jam inchoata, non ita tamen si litteræ commissionis sint jam præsentatæ judici delegato, quia quoad exercitium jurisdictionis non attenditur tempus datæ, sed præsentationis litterarum, ut notat Fagnanus in *d. c. studuisti 2. n. 12. h. t.* Demum limitatur etiam, quia quamvis Legatus Generalis, non possit sententiam delegati Sedis Apostolicæ irritare; potest nihilominus sententiam rationabiliter latam à delegato confirmare, & executioni mandare. Verum tamen est, quòd hujusmodi confirmatio non tribuit ullam firmitatem sententiæ ob defectum legitimæ authoritatis: quia Legatus Generalis authoritativè, & judicialiter non potest cum causæ cognitione confirmare sententiam delegati Papæ, neque ex certa scientia, nec in forma communi: eò quia delegatus in causa sibi specialiter commissa est superior omnibus Ordinariis *argum. c. sanè 11. de offic. deleg.* Tum quia sicut Legatus nequit infirmare sententiam delegati; ita nec illam confirmare: unde hujusmodi confirmatio est tantùm quædam approbatio, quæ in facto consistit, & inservit, ut Legatus sententiam à superiore latam semel à se approbatam non possit nullitatis arguere, ut notat Glossa in *d. c. studuisti 2. V. confirmare h. t.*

Quæritur quintò, an delegatus specialis ad executionem sententiæ suæ possit Legatum generalem compellere? Respondetur, duas esse sententias; primam negativam, quam docent Glossa in *d. c. studuisti V. confirmare valebit 2. h. t.* & alii apud Joannem Andream in *fin. d. c. studuisti.* ubi tamen id limitat, nisi Legatus ibi sit etiam Ordinarius. Secunda sententia, quæ probabilior, & communior est, affirmat, posse delegatum specialem ad executionem suæ sententiæ compellere Legatum generalem: ita docent Imola in *d. c. studuisti 2. n. 5. h. t.* Abbas ibid. *n. 5.* Ratio ex eo desumitur quia delegatus in causa sibi commissa superior est omnibus aliis ordinariis *argum. c. sanè 11. de offic. deleg.* eò enim ipso quòd est delegatus à Sede Apostolica specialiter, & ad causam specialem vices gerit ipsius Pontificis in tali causa, & sicut Pontifex est superior omnibus ordinariis, ita & ejus delegatus quoad illam specialem causam: hinc ob hanc rationem potest delegatus specialis contra Legatum Generalem volentem injustè impedire per censuras, procedere habita tamen ratione dignitatis *c. pastoralis 28. de offic. deleg.* ut docet etiam Tuschus *V. Legatus conclus. 157.* ubi ait, posse Judicem conservatorem procedere contra Legatum natum, imò etiam contra Legatum à latere volentem injustè impedire executionem suæ sententiæ, eò quia delegatus Sedis Apostolicæ prout vices gerit Papæ in tali speciali causa est superior Legato generali, quem proinde potest compellere, ut non impediat executionem suæ sententiæ.

Quæritur sextò, à quo potestas Legati dependeat quoad extensionem, vel restrictionem? 9
Respondetur, potestatem Legati absolutè, & secundùm extensionem, vel restrictionem dependere ex voluntate Papæ legantis, perinde ac potestas Vicarii generalis dependet à voluntate constituentis Episcopi. Hinc si Legatus veniat in Provinciam, possunt suæ potestatis, & legationis litteræ exigi, ut etiam mandatum Apostolicum, quod teneatur ostendere *argum. c. ego 4. vers. legatum de jurejur. L. unic. C. de mandat. Princ.* ubi dicitur, nulli cujuscunque dignitatis credendum esse, si asserat se cum manda-

mandatis Principis venire, nisi scriptis id probaverit: & ratio desumitur ex eo, quia cùm Romana Ecclesia nullam suscipiat legationem nisi exhibitis litteris signatis *c. ult. dist. 97.* ita neque alii compelluntur Legatos Romanos absque litteris suscipere, quod enim quisque juris in alios statuit, eodem ipse uti debet *L. 1. ff. quod quisque juris, c. cum omnes 6. de constitut.* Hæcque ratio est, cur Legati Sedis Apostolicæ cùm primùm in suam pervenerint Provinciam Legationis suæ litteras publicent, ne quisquam ignorantiam prætendere possit *argum. c. 1. de postul. Prælat.* imò Covarruvias in *pract quæst. c. 35. n. 4.* refert in Regnis Galliæ, & Hispaniæ nullum admitti Apostolicum Legatum, nisi priùs litteras Regio Senatui exhibuerit. Verùm propter excellentiam, & authoritatem personæ, præsertim si sit Cardinalis Ecclesiæ Romanæ, vel alius Prælatus notus, & non suspectus credi ei potest, si asserat officium sibi commissum à Sede Apostolica, ut notant Felin. in *c. quod super 7. de fide instrument.* & ibi Abbas *n. 5.*

10 Quæritur septimò, an Legatus Apostolicus extra fines suæ Legationis possit exercere jurisdictionem? Respondetur non posse exercere jurisdictionem contentiosam, benè tamen voluntariam dispensando, absolvendo à peccatis, & censuris, legitimando, & gratias conferendo *argum. l. 2. ff. de Proconsule* ubi dicitur, quod omnes Proconsules statim ac urbem egressi sunt, habent jurisdictionem non contentiosam, sed voluntariam, ut manumittendo. Legatus autem Apostolicus, & Præsul Provinciæ, æquiparantur *c. Legatos 2. h. t. in 6.* Ratio discriminis est, quia jurisdictio contentiosa non potest exerceri sine cognitione causæ, & strepitu judicii, proinde non potest in alieno territorio exerceri, nisi Judex ordinarius loci consentiat: tum quia sicut cum consensu proprii Judicis potest judicare alienum subditum extra proprium territorium *c. nullus 3. caus. 9. q. 2.* multò magis poterit judicare subditum proprium extra suum territorium accedente consensu Judicis loci, dummodò partes consentiant; quia istæ non possunt invitæ trahi extra suum territorium. Secùs exercitium jurisdictionis voluntariæ potest fieri sine strepitu, & processu judicii, proinde impunè extra proprium territorium exerceri potest.

TITULUS XXXI.

De Officio Judicis Ordinarii.

PRæsens titulus ad plures pertinet præcedentes, qui de Judicibus fuerunt: est enim de officio Judicis in genere. Plura Judices ultrò facere debent, & partes suas interponere etiam non rogati, ac supplere, quæ vel partibus, vel advocatis partium desunt *c. 5. de postul. Prælat.* Tenentur etiam inter cognoscendum partes interrogare, an quid novi velint addere, ut rei actæ fides pleniùs sibi constet, dum ejus qualitatem accurata inquisitione discutiunt *l. 9. C. de jud.* Sumitur autem hîc officium Judicis pro jurisdictione, seu potestate Judicis Ordinarii, seu Episcopi.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium Capitum, quæ in hoc titulo continentur.

CAP. PERNICIOSAM 1. h. t. Ex Synodo Joannis Papæ statuitur, ut Episcopi liberam habeant potestatem in suis Diœcesibus inquirendi super adulteriis, aliisque delictis, & judicandi secundùm canones absque impedimento alicujus; imò si opus fuerit etiam invocent ad id brachium sæculare. Hinc Episcopi habent liberam potestatem coercendi adulteria, & concubinatus, tam Laicorum, quàm Clericorum etiam juxta Concilium Tridentinum sess. 24. de ref. c. 8. *ubi constituuntur certæ pœnæ infligendæ contra adulteros, & concubinarios. Rursus in causis merè ecclesiasticis cujusmodi sunt sacrilegia, & matrimonia, cognitionem pertinere ad solum Episcopum: & in causis mixtis dari locum præventioni inter Judicem sæcularem, & ecclesiasticum. Rursus sicut Judex sæcularis tenetur præstare auxilium Judici Ecclesiastico; adeò ut si recuset sine justa causa possit etiam ad id per censuras compelli: ita Judex Ecclesiasticus tenetur vicissim Judici sæculari brachium porrigere Ecclesiasticum, eo tamen discrimine, ut sæcularis non possit Ecclesiasticum compellere, benè tamen Ecclesiasticus sæcularem*

C. SI SACERDOS 2. h. t. statuit Eugenius Papa, ut Episcopus qui ut Deus, non ut homo, seu in sacramentali confessione scit crimen alterius, nisi aliquis judiciario ordine probare possit, non debeat peccantem nominatim arguere, sed tantùm indeterminatè, quòd si qui damnum

est passus petat justitiam, possit tunc etiam indeterminatè excommunicare authorem damni; non tamen possit eum nominatim excluderè à communione, tametsi eidem confessus fuerit sacramentaliter suum delictum.

C. CUM AB ECCLESIARUM 3. *h. t. Alexander III. rescribit Episcopo Florentino, quòd si ordinarius subjectus Episcopo, ut plebanus excommunicet, vel aliam sententiam legitimè proferat, Episcopus debeat eam servare, & sine congrua satisfactione, & nisi de scientia Ordinarii, non debeat causa relaxari. Quia ut notat Glossa; plebanus, & curati inferiores Episcopo sunt Judices Ordinarii, & possunt excommunicare, non tamen solemniter, nisi obstet consuetudo contraria. Nihilominus si Episcopus absolvit excommunicatum sine præmissis, absolutio valet, tametsi malefaciat, & teneatur illum remittere ad excommunicatorem. Sententia enim lata à Prælato inferiore; si sit rationabilis, non debet ab Episcopo relaxari, sed tantùm si esset irrationabilis. Cæterum Prælati isti inferiores possunt suas sententias exequi, nec tenentur recurrere ad Superiorem: quilibet enim Iudex sive Delegatus, sive Ordinarius potest exercendo jurisdictionem, quam habet, suam sententiam mandare executioni, non ita potest exercere illam, quâ caret, & tunc tenetur ad superiorem recurrere.*

C. CUM VOS 4. *h. t. Idem Pont. rescribit Archiepiscopo Cantuariensi, quòd si non provideatur Ecclesiæ vacanti, eò quia præsentetur persona non idonea, vel oriatur dissidium inter Oudinarium, & Præsentatorem; debeat tunc Ordinarius remota appellatione instituere Oeconomos, qui percipiant fructus, quos expendant in utilitatem Ecclesiæ, vel fideliter conservent futuris successoribus ubi notat Glossa, Patronum Laicum non privari jure præsentandi, tametsi indignum præsentet; ideò enim conceduntur ei pauciores menses: Collegium verò si eligat, vel præsentet indignum esse ipso jure privatum, proinde dari plures menses. Cæterùm custodia, & cura Ecclesiæ vacantis principaliter ad eum pertinet, qui jus habet instituendi, quamvis non sit Episcopus, ut notat Glossa hic: & Panormitanus n. 8. hanc assignat rationem, quia habens jus instituendi, seu providendi Ecclesiæ vacanti, videtur multò magis debere curam habere rerum Ecclesiæ, donec ipsi provideatur, quàm quivis alius. Nisi ipse Patronus sit Ecclesiasticus, cui competat custodia Ecclesiæ vacantis, licet non habeat jus instituendi.*

C. EX PARTE 5. *h. t. Idem Pont. rescribens Archiepiscopo Cantuariensi declarat, quòd si excommunicatus ab Ordinario obtineat absolutionem à Sede Apostolica non explicando veram causam excommunicationis; & id constet Episcopo: possit Ordinarius eum compellere ad Sedem Apostolicam redire cum litteris Episcopi continentibus veritatem. Sin verò id ei non constet, sed tantùm oriatur suspicio, possit tunc eum compellere ad se purgandum, seu quòd veritatem aperuerit. Ex quo textu notat Glossa; excommunicatum teneri in absolutione, quam petit, exprimere causam excommunicationis: alioquin non habetur pro absoluto, ut etiam si fuerit excommunicatus ob multa crimina, si unum tantùm in absolutione expresserit, non est absolutus, nisi pro illo; & tunc tantùm incipit hæc absolutio valere, quando de aliis obtinet absolutionem.*

C. SIGNIFICAVIT 6. *h. t. Cœlestinus III. declarat, quòd si Episcopus excommunicet aliquos manentes in matrimonio incestuoso, & hi per appellationem impetrent à Papa Iudicem Delegatum, qui illos absolvat, & hic non inquirat causam ex malitia, vel negligentia; possit Episcopus iterum eos excommunicare, donec delegatus legitimè prosequatur causam. Ex quo textu liquet, Ordinarium supplere malitiam, vel negligentiam Delegati.*

C. QUANTO 7. *h. t. Innocentius III. rescribit Archiepiscopo Ausitano, ut moneat Regulares dissolutos, qui relicto claustro, & comparata pecunia discurrunt per Curias Principum; ut resignatâ pecuniâ in manibus Prælatorum convertenda in utilitatem monasterii prout consultiùs Abbati visum fuerit, Regularem observantiam teneant; & si Prælati sint negligentes, eos corrigat; imò etiam compellat per privationem officii, & beneficii exclusâ appellatione. Ex quo textu liquet, correctionem Regularium primò pertinere ad Abbatem, secundò ad Episcopum.*

C. AD REPRIMENDAM 8. *h. t. Idem Pont. rescribit Archiepiscopo Rotomagensi, & ejus suffraganeis, excommunicatum ab uno Episcopo non esse absolventum ab aliis Episcopis, imò neque ab Archiepiscopo, quamvis ad ipsum appellet, sed teneantur eum remittere ad Excommunicatorem: qui si recuset eum absolvere, tunc possit Archiepiscopus eum absolvere, accepto priùs juramento quòd erit satisfacturus Episcopo, in eo, super quo fuit justè excommunicatus: quòd si obtenta absolutione posteà non satisfaciat, reincidit in excommunicationem remota appellatione. Ex quo textu liquet, sententiam unius Episcopi servandam esse ab aliis Episcopis: & sententiam excommunicationis non suspendi per appellationem.*

C. DUO SIMUL 9. *h. t. Idem Pont. rescribit Archiepiscopo Turonensi, Patriarcham, & Primatem non posse cognoscere causas subditorum Archiepiscopi, nisi quantum jus canonicum concedit, hoc est, nisi ad ipsum legitimè appelletur; vel ex præscripta consuetudine, vel ex speciali privilegio. Hoc idem etiam procedit de Archiepiscopo erga subditos suffraganeorum. Notat Glossa ex hoc textu, consuetudinem dare jurisdictionem, & privilegia Ecclesiæ perpetuò durare, & illa persona extingui cum persona.*

C. QUOD SEDEM 10. *h. t. idem Pont. rescribit Archiepiscopo Turonensi, posse Archiepiscopum ex infirmitate, vel alia justa causa detentum, committere suas vices consecrandi Episcopum alicui Episcopo suffraganeo Catholico, & habenti gratiam Sedis Apostolicæ. Ex quo*

textu

textu liquet, Archiepiscopum posse committere, ea quæ sunt jurisdictionis his, qui eam non habent; non ita ea, quæ sunt Ordinis, quia hæc non possunt committi nisi habentibus Ordines. Notat Glossa, Episcopum sic consecratum teneri visitare Archiepiscopum intra duos menses, vel saltem ei significare, si ex justa causa impeditus non posset eum accedere.

C. *PASTORALIS OFFICII 11. h.t. idem Pont. consultus ab Episcopo Heliensi, an Archiepiscopus possit jure ordinariæ potestatis delegare subdito sui suffraganei causam per appellationem ad se delatam, respondet; posse quidem delegare causam per appellationem sibi delatam subditis sui suffraganei: non tamen posse eos compellere, si nolint delegationem acceptare. Ex quo textu liquet, Archiepiscopum non posse causas tractare, aut cognoscere, quæ pertinent ad subditos suorum suffraganeorum extra causam appellationis, etiam consentientibus partibus; nec posse eos compellere ad causas ab ipso commissas suscipiendas: quamvis valdè possit eas committere: quia Pontifex non prohibet commissionem, sed solam compositionem. Rursus licet Archiepiscopus habeat jurisdictionem ordinariam in suffraganeos, & eorum subditos; non tamen Pontifex eam extendit ultra illos articulos, quos dicit esse exceptos ad vitandam confusionem jurisdictionum, & materiam litium inter Primates, Archiepiscopos, & Episcopos. Hos casus exceptos refert Quaranta usque ad quadraginta* V. Episcopi authoritas. *Rursus consultus Pontifex ab eodem Episcopo, an alicui liceat absque speciali mandato Papæ absolvere eum, qui à delegato Papæ fuerat ob contumaciam excommunicatus, respondet, quòd si delegatus Papæ, qui contumacem excommunicavit, vel petitorem in possessionem rei induxit, moriatur, nemo neque ordinarius possit ipsum absolvere excepto mortis articulo, & nisi delegato mortuo succedat alius in eodem onere, & honore. Rursus declarat, spoliatum non posse recuperare possessionem per alium, quam per Papam. Tum quia delegatus in ea causa sit major ordinario. Verùm pro remedio ut interrumpatur præscriptio, ne alius post annum fiat verus possessor, spoliatus potest cautionem præstare coram Ordinario, quòd juri obediet. etsi non potest coram Ordinario, saltem coram publicis, & honestis viris, ut sic post annum recuperet possessionem à Papa. Ex quo textu etiam colligitur, quemlibet imminente manifesto mortis periculo posse absolvere ab excommunicatione, dummodo sit sacerdos ex Tridentino* sess. 14. c. 7.

C. *LICET 12. h.t idem Pont. rescribit Archiepiscopo Senonensi, mandatum Papæ datum Episcopo in ordine ad corrigendum subditos remota appellatione, non dari tanquam Delegato, sed ut Ordinario: proinde subditos posse nunc appellare ad Archiepiscopum in casibus, in quibus à jure poterant. Notat tamen Glossa, à correctione regulariter non esse licitum appellare, quia qui corrigit, non gravat, sed tantùm vult emendare defectũ, & appellatio fundatur super gravamine* c. ut debitus de appel. *Quòd si superior in corrigendo modum excedat, tunc potest appellari, ut in hoc textu declarat Pontifex.*

C. *IRREFRAGABILI 13. h.t. idem Pont. in Concilio Generali declarat, ad Episcopum pertinere corrigere defectus, & informare mores subditorum, & præcipuè Clericorum non obstante consuetudine, & remota appellatione, nisi Episcopus in corrigendo modum excedat. Rursus, ubi consuetudo invaluit, declarat, posse capitulum corrigere excessus Canonicorum Cathedralis Ecclesiæ ad jussum Episcopi infra certum tempus ab Episcopo terminandum. Rursus si canonici sine justa causa cessant à divinis, ut per interdictum, maximè in contemptum Episcopi, rescribit idem Pontifex, posse Episcopum hoc non obstante celebrare in Cathedrali, & Metropolitanum, ut delegatum Papæ ad querelam Episcopi re cognita Canonicos punire. Ubi notat Glossa, in hoc casu Metropolitanum habere jurisdictionem in subditos suffraganei.*

C. *QUONIAM 14. h. t. declarat idem Pont. quòd si in una civitate, vel diœcesi sint populi diversæ linguæ, & rituum sub eadem Romana fide, unus tantùm debeat iisdem præesse Episcopus, qui provideat de idoneis Ministris ad docendum, & ministranda sacramenta in variis illis linguis; & si necessitas urserit, possit etiam habere Præsulem suffraganeum pro aliqua lingua, qui sibi subsit, & non Metropolitano. Debent tamen ad hoc ut gubernent populum diversæ linguæ, aut rituum esse idonei, & possunt esse idonei qui non sunt Episcopi, sed tantùm Rectores, aut Præpositi; idq; experientia liquet in urbibus in quibus permixti degunt Itali, & Germani; vel Germani, & Galli: non enim in iisdem eligitur diversus Episcopus. Imò potest tunc Episcopus sibi Vicarium constituere pro populo diversæ linguæ, cujus tunc jurisdictio non extenditur ultra eundem.*

C. *INTER CÆTERA 15. h.t. rescribit idem Pont. quòd si Episcopi ob impedimentum non possint per se visitare, & docere, teneantur assumere idoneos Coadjutores qui visitent, doceant verbo, & exemplo, confessiones audiant, & pœnitentias injungant, & alia id genus præstent, teneatúrque Episcopus iisdem providere de necessariis, & jubet Pontifex similes idoneos constitui in Ecclesiis Cathedralibus, quòd etiam injungit Concilium Tridentinum* sess. 5. c. 2. & sess. 24. de refor. c. 4. *ubi declarat, prædicationis munus proprium esse Episcoporum, quia cùm sint successores Apostolorum, quorum medullis inhærebat, & humeris insolubiliter affixa erat per mandatum Christi prædicatio Evangelii, non possunt Episcopi id munus à se abdicare; neque irrevocabiliter delegare, adeò ut possint semper Episcopi, si velint, per se prædicare, vel alium substituere prout ipsis magis placuerit, & talis facultas concessa substituto non durat, nisi usque ad obitum substituentis, adeò ut successor semper possit per se prædicare, vel alium substituere.*

C. *CONQUERENTE 16. h. t. Honorius III. declarat, jura Episcopalia, quæ potest Episcopus exigere in ecclesiis suæ diœcesis, tametsi subjiciantur Regularibus, esse canonicam* [illegible]

jurisdictionem, subjectionem reverentiam, institutionem, destitutionem, correctionem, confirmationem, censuram ecclesiasticam jurisdictionem omnium causarum spectantium ad forum ecclesiasticum, pœnitentiam, collationem sacrorum, synodum, duos solidos Synodatarios, vel Cathedraticos, quartam decimationum, & mortuariorum, annuam visitationem: quòd si Episcopus post unam visitationem velit iterum visitare non possit quicquam exigere nomine procurationis. Demum auxilium charitativum moderatum, si manifesta, & rationabilis causa exigat, & habetur etiam in Trident. sess. 7. de refor. c.8. & 24.c.10. *Notat Glossa procurationem in visitatione esse dandam secundùm facultates Ecclesiæ, & Episcopum esse Iudicem ordinarium Monachorum. Verùm hæc explicantur in aliis locis juris canonici.*

C. *UT IUXTA 17. h.t. Idem Pont. rescribit Abbati, & Conventui Sancti Remigii, Episcopum in visitatione monasteriorum non debere nisi duos, vel tres canonicos, vel aliquos Religiosos introducere.*

C. *DILECTUS 18. h.t. Idem Pont. rescribit Episcopo Boiacensi, & Archidiacono Rothomagensi, sententiam latam supra Legem Diœcesanam non præjudicare iis, qui sunt de lege jurisdictionis. Ex quo textu colligitur, quòd si duæ actiones procedant ex duobus diversis juribus, tunc res judicata secundùm unum jus, seu legem, non obstat intentanti alteram legem, quòd verum est, si neutra actio dependet ab altera.*

C. *GRAVE GERIMUS 19. h.t. Gregorius IX. rescribit Episcopo Suanensi per rescriptum Papæ datum Episcopo ad corrigendos Clericos suæ Diœcesis non dari jurisdictionem super exemptos. Ex quo textu colligitur, litteras super correctione clericorum emanatas non dare jurisdictionem in exemptos (ut sunt Monachi) nisi specialis addatur commissio.*

C. *HIS QUIBUS fin. h.t. Idem Pont. declarat, Ordinarium, qui ex officio potest excommunicatos absolvere ob percussionem Clericorum, posse aliis committere talem absolutionem: & etiam habetur in Trident.* sess.24. de refor. c.6. *Idque procedit de omnibus excommunicationibus.*

IN SEXTO.

C. *ROMANA 1. h.t. Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi prohibet, ne Metropolitanus possit constituere officiales foraneos in Diœcesibus suffraganeorum pro citationibus, & inhibitionibus in causis futuris appellationum, quamvis in causis appellationum jam devolutis ad ipsum possit committere vices suas aliis. Sin verò in aliqua Diœcesi vigeat consuetudo constituendi officiales in Diœcesi suffraganeorum pro causis futuris appellationum, si quæ nascantur, tunc Officiales ita constituti non possunt inhibere ne procedatur in causis antequam sit appellatum in Curia Metropolitani. Demum prohibet Pontifex, ne Archiepiscopus intret in Diœcesin sui suffraganei, ut aliquid agat sua propria authoritate. Verùm id fallit in aliquibus casibus in jure expressis, quos recenset Quaranta* V. Episcopalis authoritas. *Potest enim Archiepiscopus visitare, in causis devolutis, constituere Officiales, ut inhibeant. Non tamen judex in causa dicitur habere jurisdictionem ante ortum causæ, in qua dicitur jurisdictionem habere tantùm habitu: & qui nonnisi habitu jurisdictionem habet, & non actu, non potest eam delegare.*

C. *SI CANONICI 2. h.t. Gregorius X. in Generali Concilio Lugdunensi statuit, ut Canonici, qui ex consuetudine, vel aliâ viâ possunt cessationem à divinis indicere, ante cessationem exprimant causam cessationis, & quidem in instrumento publico, vel in literis patentibus munitis cum propriis sigillis; vel cum alio authentico, & instrumentum tradant illi, contra quem intendunt cessare: & si secus fecerint, vel causa expressa non fuerit canonica, debeant restituere quicquid acceperunt tempore cessationis de fructibus Ecclesiæ, in qua cessatum est, eidem Ecclesiæ: nec possint quid aliud de ejus proventibus accipere, quod debeatur Canonicis tempore cessationis. Imò mandat Pontifex, ut etiam teneantur Canonici satisfacere pro damnis illatis, & injuriis, contra quos cessatum est. Quòd si causa cessationis deprehensa fuerit canonica, mandat Pontifex, ut Superior arbitrariè eum condemnet, qui fuit causa cessationis ad certam quantitatem pecuniæ convertendam in augmentum divini cultûs pro interesse Canonicorum, & Ecclesiæ; cui subtractum fuit divinum officium. Demum mandat Pontifex omninò tolli abusum prosternendi imagines tempore interdicti, eásque cooperiendi spinis, & urticis, & jubet contrafacientes graviter puniri. Ubi notat Glossa, hanc decretalem procedere tam de Canonicis sæcularibus, quàm de Regularibus. Rursus cessationem à divinis non esse censuram, & illum non fieri irregularem, qui in tali Ecclesia, ubi est cessatio, celebraret: & Canonicos sine Episcopo non posse interdicere; unde licèt cessatio à divinis sit similis interdicto, re tamen ipsa ab eo differt, quia non est censura, nec propriè dicta pœna, sed simpliciter prohibitio facta ex mœrore ab Ecclesia, vel ab Ecclesiasticis ob gravem injuriam sibi, vel cultui divino illatam: est enim res plena horroris nulla divina officia in aliqua Ecclesia celebrari, nec permitti, ut celebrentur.*

C. *ORDINARII 3. h.t. Idem Pont. mandat, Ordinarios debere suos subditos compellere ut ostendant dispensationem, quomodo retineant plura beneficia curata, vel personatus, & dignitates, vel Ecclesias cum cura: quòd si intra certum tempus arbitrio Ordinarii assignatum, nullo interposito legitimo impedimento non ostendant dispensationem; debere conferre prædicta beneficia liberè personis idoneis, per eos, ad quos spectat collatio: quòd si ostendant dispensationem, mandat Pontifex, eos non esse ulteriùs molestandos circa prædicta beneficia; sed tantùm ut provideant Ordinarii, ut cura animarum non negligatur, nec beneficia defraudentur debitis obsequiis. Quòd si dispensatio sit dubia, vult Pontifex, eam ad Sedem Apostolicam deferri. Rursus in conferendis simplicibus beneficiis statuit, ut ea non conferant habenti similia curata, nisi ostendant dispensationem circa obtenta, &*

etiam

etiam ut cum obtentis possint ista obtinere: alioquin facta collatio non tenet, nisi resignent, quæ habent: ubi notandum est, beneficium ipso jure vacare per non Ostensionem tituli, seu dispensationis coram Ordinario, postquam beneficiatus monitus fuit, ut notat Barbosa hic n. 7. cum aliis. Rursus idem esse judicium de personatu, ac de beneficio curato. Quinimò si quis haberet hujusmodi beneficia in diversis Diœcesibus posset quilibet Episcopus compellere ad ostendendam dispensationem.

C. *QUIA 4. h. t. Bonifacius VIII declarat, quòd si Prælati prohibeant sub pœna suspensionis, excommunicationis, vel interdicti, vel ipso jure & exigant juramentum, ne subditi manifestent status Ecclesiarum, monasteriorum, aliorúmque locorum piorum, ut etiam profonarum superioribus, Inquisitoribus, vel Legatis Papæ, puniantur pœnitentia condigna ab iisdem superioribus imposita; & omnia acta sint irrita, nec possint promissæ pœnæ à subditis exigi: ut tam improba temeritas non permittatur impunita.*

C. *UT LITIGANTES 5 h. t. idem Pont. statuit, ut Archiepiscopus debeat cognoscere, vel delegare causas appellationum, quæ ad ipsum deferuntur jure Metropolitano in sua, vel in illius diœcesi, à qua est appellatum. & non possit alibi, nisi de consuetudine hoc illi competat.*

C. *SI EPISCOPUS 6 h. t. idem Pont. declarat, quòd si Episcopus suam diœcesin visitet per alium, quamvis illic etiam alias debeat providere; hi tamen, qui visitantur, tenentur expensas victualium ministrare visitanti: & Episcopus tunc nil potest, nec debet exigere ab iis, qui fuerunt visitati; idque etiam statuitur in Tridentino* sess. 24. de refor. c. 3. *Hodie servatur extravag. Vas Electionis de cens. Benedic. vide ibi decret.*

C. *CUM EPISCOPUS 7. h. t. declarat idem Pont. quòd cùm Episcopus jurisdictionem ordinariam habeat per totam suam Diœcesin possit pro tribunali sedere, causas audire, personas Ecclesiasticas capere, & omnia ad ipsius officium spectantia liberè exercere in quovis sua Diœcesis loco non exempto, tam per se, quàm per alium. Hinc liquet, solum Episcopum habere jurisdictionem in tota sua diœcesi, non verò Archidiaconum, vel alium inferiorem, adeò ut non possit Archidiaconus extraneum delinquentem punire in suo Archidiaconatu Rursus Legatum posse in tota legatione sua, sicut Episcopus potest in tota Diœcesi sua.*

C. *QUAMVIS 8. h. t. quia post ea quæ super cessationibus à divinis Innocentius III. & Gregorius X. statuerant, adhuc eædem cessationes plerumque irrationabiliter fiebant, ideò Bonifacius VIII. statuit, ut Capitulum collegium, Conventus Ecclesiæ secularis, vel Regularis si velint cessationem imponere, vocent absentes de Capitulo, ut fit in electionibus; postea requirant ab eo, qui offensam intulit, & propter quam ferenda est cessatio, an velit emendare injuriam, vel offensam, & si emendationem habent, vel per eos stet, quin habeant, non inducant cessationem: quòd si his servatis, nec data satisfactione cessare faciant, tunc statim debeat utraque pars intra spatium unius mensis Romam adire, tam illi qui cessant, quàm alii, quorum causa cessatur, & offerant acta coram Pontifice, vel per se, vel per alios, aut Procuratores, ut Papa judicet, & culpabilem puniat; sin verò concordaverint, & cessatio cessaverit, tunc non tenentur Romam adire, nec mittere. Ex quo textu liquet, cessationem à divinis rem esse gravem, & pluribus involutam tricis, proinde hodie videtur in desuetudinem abiisse.*

C. *PRÆSENTI fin. 9. h. t. prohibet idem Pont. ne Prælati Regulares, vel seculares occupent, aut in proprios usus convertant bona, quæ inveniuntur, quando vacant Ecclesiæ, vel beneficia & colliguntur tempore vacationis Ecclesiarum, dignitatum, personatuum, prioratuum sibi subjectorum, vel pertinentium ad eorum collationem, ordinationem, præsentationem, vel custodiam, quæ debent insumi in eorum utilitatem, vel conservari futuris successoribus, nisi vel privilegio legitimo, aut præscripta consuetudine, vel alia rationabili causa illis hæc bona competant. Alioquin si Episcopi contra fecerint, ut etiam eorum superiores ab ingressu Ecclesiæ eo ipso sunt suspensi, donec prædicta restituant; ut etiam cæteri inferiores Prælati ab officio, & beneficio. Præterea declarat Pontifex, quòd si ex privilegio, consuetudine, vel rationabili causa alicui competant hæc bona, id intelligatur solutis debitis si quæ fuerunt contracta ut etiam cum famulis, & ministris, aliisq; oneribus, usque ad novos redditus, possintque tantùm, quæ supersunt, accipere. Hinc liquet, regulariter omnes fructus beneficiorum, & Ecclesiarum tempore vacationis illarum obvenientes pertinere ad successores, quòd & si aliquis ex consuetudine, vel privilegio contendat sibi competere bona Ecclesiæ vacantis, id tantùm intelligitur de his, quæ supersunt post soluta debita, salaria, & onera. Et per hanc decretalem non derogatur constitutioni,* quia sæpe de electione in 6.

IN CLEMENTINIS.

C. *UT CLERICORUM 1. h. t. Clemens V. in Concilio Viennensi præcipit, ut Episcopi sint vigilantes, diligenter corrigant excessus scandalosos Clericorum, ut ipsi Clerici metu pœnæ à suis arceantur insolentiis, ut alii eorum exemplo perterriti prosilire ad similia pertimescant.*

C. *ETSI 2. ET ULT. declarat idem Pont. quòd sicut cùm quis beneficium impetrat à Papa nulla facta mentione de alio beneficio licèt exiguo, quod habebat, impetratio est subreptitia, ac propterea nullius valoris, nisi detur motu proprio: eodem modo est irrita si eam impetrat à Legato Papæ: est tamen impetratio valida, si habeatur ab Episcopo nisi beneficium impetratum sit incompatabile, cum jam habito. Ubi notat Glossa, inter Legatum à latere, & Ordinarium esse locum præventionis in beneficiis conferendis. Rursus Legatum non Cardinalem non posse conferre beneficium nisi de mandato speciali.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

C. *DEBENT 1. h. t. decernit Bonifacius VIII. ut Episcopus cum visitat monasteria Regularium secum tantùm ducat duos, vel tres honestos*

Clericos, inter quos unus sit Regularis illius ordinis, & Notarium, qui sit Clericus sæcularis, & nullo modo Regularis, non obstante quacunque consuetudine in contrarium, ac compositione. Ex quo textu colligitur, Monachos non posse solos adhiberi in testes, quando visitantur eorum monasteria, eò quia suspecti esse possint; benè tamen si alii non excludantur, ut habent plura jura, quæ allegat Glossa.

C. *UT QUOS FIN.* h. t. *Joannes XXII. statuit primò, ut plures dignitates, vel personatus, aut parochiales Ecclesias, aut dignitatem, vel personatum cum alio beneficio curato sine dispensatione canonica obtinens omnia eo solo excepto, quod ultimò recepit, teneatur dimittere intrà duos menses à die notitiæ hujus constitutionis, & quidem in manibus ordinarii: alioquin ipso jure privatus est etiam ultimo, quod receperat, & quod retinere poterat, & sit inhabilis ad quæcunque beneficia. Secundò, ut qui imposterum acceperit dignitatem, vel personatum, aut beneficium curatum, si antea simile beneficium obtinebat, primo post habitam possessionem secundi, vel si per ipsum steterit, quo minus habeat, sit ipso jure privatus; teneatúrque illud in manibus ordinarii dimittere, & si non dimiserit ipso jure sit privatus etiam secundo, fiatq; inhabilis ad sacros ordines, & quodcunque beneficium. Tertiò præcipit ordinariis in virtute S. obedientiæ, & sub pœna suspensionis ab ingressu Ecclesiæ, si non curent exhiberi titulos, & dispensationes ab iis, qui habent plura prædicta beneficia incompatibilia, & admoneant Papam de processibus factis super his.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quis sit Iudex Ordinarius, & per quid differat à Legato.

1 JUdex Ordinarius is dicitur, qui ex proprio officio, suóque jure jurisdictionem exercet, non quòd cuilibet judici ordinario conveniat plena potestas, quæ in summis Principibus residet; sed quia ex vi suæ dignitatis, & officii convenientem exerceat jurisdictionem; quam potestatem Judex acquirit à Principe, sive Ecclesiastico, sive sæculari; adeò ut judex ordinarius soleat creari ab imperatore, Rege, vel Principe, aut quocunque alio supremo, vel à Republica non habente in temporalibus superiorem. Tunc censetur judex ordinarius creari, quando ei confertur universitas causarum ab habente potestatem creandi judicem ordinarium, nisi expressè in litteris concessionis dicatur, quòd Princeps ei delegat causas, ac constituat eundem Legatum, ac commissarium; quia tunc esset tantùm judex delegatus ad universitatem causarum, ut notat Bart. *in l. moreff. eod. tit.* Quòd si in litteris concessionis ponatur hæc clausula: *procedat authoritate nostra:* vel procedat omni appellatione remota, tunc censetur concedi jurisdictio ordinaria, ut communiter notant jurisperiti. Præter Imperatores, Reges, & Principes, possunt etiam creare judices ordinarios, Duces, Marchiones, Comites, Barones & Respublicæ non habentes superiorem in temporalibus, idque ex privilegio supremi Principis.

2 Is etiam censetur judex ordinarius, qui habet dignitatem, & officium, cui est annexa jurisdictio, ex jure, vel consuetudine, aut præscriptione, vel alio speciali privilegio, ut notat Covarruvias *lib. 3. var. resolut. c. 20. n. 6.* Felinus *in c. licèt de offic. ordinar.* siquidem ex eo quòd jurisdictio dignitati, vel officio, est perpetuò annexa, censetur ordinaria, quia tunc non supponitur electa industria personæ, cùm sit incognita. Est autem jurisdictio potestas alicujus habentis publicam authoritatem circa aliorum regimen, seu gubernationem. Per hoc, quòd habeat publicam authoritatem distingitur à domestica, seu economica potestate Patris in filium, mariti in uxorem, Domini in servum, sunt enim hæ potestates privatæ, non publicæ. Rursus jurisdictio alia est Ecclesiastica complectens causas spirituales, & Ecclesiasticas: alia politica, quæ versatur circa causas sæculares, & profanas. Præterea, alia est jurisdictio fori externi, & alia interni: illa exercetur circa actiones externas cadentes sub sensus, hæc in actus internos, & circa conscientiam, & utraque jurisdictio subdividitur in ordinariam, & delegatam, de hac jam diximus in titulo 29. illa explicatur in hoc titulo: deinde jurisdictio fori externi subdividitur in voluntariam, & contentiosam; illa est, quæ non nisi inter volentes absque strepitu judicialis processus exercetur, ut cum Prælatus absolvit ab excommunicatione, dispensat in votis, ac juramentis, confert beneficia, manumittit, delegat, dicuntur enim hi omnes actus voluntariæ jurisdictionis, & privatim potiùs, quàm publicè absque strepitu judicialis processus solent exerceri. Jurisdictio contentiosa est, quæ exercetur etiam in nolentes, & invitos, qui vi ad judicium trahuntur & eorum causæ contra ipsos judicialiter examinantur, & deciduntur.

Hinc præter judices ordinarios sæculares, dantur etiam ordinarii Ecclesiastici, quos creat Papa, vel etiam Patriarcha, Primas, Archiepiscopus, & omnis Episcopus habens authoritatem creandi ju- 3

Judices ordinarios, hoc tamen discrimine, quòd Papa illos creat in tota Ecclesia; alii verò non nisi in locis sibi subjectis. Censentur etiam Judices Ordinarii Ecclesiastici, qui sunt insigniti dignitate, vel officio, cui à jure, vel consuetudine, vel præscriptione, aut alio speciali privilegio à jure, vel canone annexa est Ecclesiastica jurisdictio, ut notat Covarruvias *lib. 3. var. resol. num. 20.* Solet autem utraque jurisdictio Ecclesiastica, & civilis partiri in Imperium, & simplicem jurisdictionem; hæc dicitur eò quia mercenario judicis officio exerceatur, nullúmque includat imperium coërcendi, & puniendi: secus imperium est quod nobili officio judicis exercetur, nec alligatum est actioni merè civili, sed ad pœnas etiam, & coactiones procedit: & hoc imperium adhuc subdividitur in mixtum, & merum, & utriusque varii assignantur gradus, adeò ut primus gradus meri Imperii sit potestas condendi leges universales, congregandi Concilia universalia, indicendi bellum, cognoscendi causam exigendi tributa, cudendi pecunias, & alia id genus, quæ regalia dicuntur, & summis tantùm Principibus in signum supremæ Majestatis conveniunt. Secundus gradus est potestas puniendi facinorosos etiam pœna mortis, vel mutilationis, coërcendi scelestos, inferendi mortem civilem, privandi jure patriæ, degradandi Clericos, & anathemate percutiendi contumaces. Tertius gradus est potestas puniendi diminutione capitis, mittendi in exilium, condemnandi ad triremes. Quartus gradus, qui & parvi imperii dicitur est potestas relegandi, verberandi, subjiciendi torturæ. Quintus, qui etiam dicitur minoris Imperii est potestas leviter coërcendi in corpore. Sextus, qui minimum Imperium dicitur, est potestas imponendi mulctam modicam pecuniariam, & hi duo ultimi gradus competunt cuivis judici ordinario, ne illius jurisdictio censeatur omninò supervacanea, si nullam possit coërcitionem adhibere. De gradibus mixti Imperii agunt juris civilis periti.

4 Hæc jurisdictio non solùm à Principe supremo habetur, verùm etiam à consuetudine legitimè præscripta, quia sicut consuetudo potest jurisdictionem tollere, restringere, ac minuere; ita potest jurisdictionem dare, extendere, & ampliare, ut liquet *ex c. contingat 15. de for. compet.*

Possunt esse Judices Ordinarii quotquot nec
5 à natura, nec à jure prohibentur. Surdi, muti, perpetuò amentes, impuberes, carentes usu rationis, & alii, qui laborantes gravi vitio animi, vel corporis munus judicandi nequeunt exercere, dicuntur prohiberi à natura, quo minus sint judices delegati. A jure etiam prohibentur, qui annum ætatis 25. nondum attigerunt; qui enim nondum censentur apti ad propria administranda, multò minus censendi erunt idonei ad ministrandam rempublicam nisi à Principe detur, sitque major annis octodecim, vel saltem in eum, qui 20. annis minor est, partes consenserint. Jure etiam excluduntur, qui infamia notantur, aut ex alio capite, à legitimis actibus repelluntur, ut sunt servi, qui ex recepta consuetudine prohibentur esse judices, ut etiam fœminæ, nisi illustres fuerint, ut Principissæ, Reginæ. Arcentur etiam ab officio judicis delegati, qui notoriè sunt excommunicati, & qui civiliter habentur mortui in mundo, cujusmodi sunt Religiosi, Monachi.

An verò inquisitores fidei habeant jurisdi- 6
ctionem ordinariam, vel tantùm delegatam. Respondetur, habere delegatam à Papa, ut colligitur *ex c. ut officium, & c. ne aliqui de hæreticis.* Est tamen in ipsis hoc speciale, ut non cesset eorum delegata authoritas mortuo Papa, qui eam ipsis commisit *c. ne aliqui de hæret. in 6.* id enim specialiter conceditur inquisitoribus in favorem fidei; quòd tamen intelligitur de inquisitoribus simpliciter datis; quia si constituantur cum clausula usque ad beneplacitum committentis, tunc cessat eorum authoritas mortuo Papa committente, ut notat Glossa *in c. ne aliqui de hæret. in 6.* ratio est, quia beneplacitum superioris censetur tantùm durare usque ad ejus obitum, nisi antea revocetur. An verò quilibet Vicarius, vel substitutus habeat jurisdictionem delegatam. Respondetur, Vicarios esse triplicis generis: alii enim sunt à jure, ut Archidiaconi, qui ipso jure sunt Vicarii Episcopi *c. 1. de offic. Archidiac.* est enim vicariatus Episcopi annexus dignitati Archidiaconatûs. Alii sunt, qui constituuntur ab eodem superiore, à quo creantur judices ordinarii, cujus propterea vices gerunt, locúmque tenent. Alii, qui constituuntur ab aliquo officiali in locum sui ipsius, Vicarii primi, & secundi generis habent jurisdictionem ordinariam ex concessione, & permissione juris, & Principis. Secus Vicarii tertii generis regulariter non habent jurisdictionem ordinariam, sed tantùm in illis casibus, qui à jure permittuntur, nimirum quando judex ordinarius est legitimè impeditus.

Hinc judex ordinarius in pluribus differt à 7
delegato, quia jurisdictio delegati cessat per obitum delegantis, nisi aliter fuerit in litteris commissionis expressum, vel in jure statutum: cessat autem re integra existente, ut liquet *ex l. & quia ff. de jurisdict. om. jud.* & tunc res dicitur integra, quando non est inchoatus usus jurisdictionis, seu nondum facta est citatio partis, seu Rei; tametsi sit facta litis contestatio. Secundò differt judex ordinarius à delegato, quia ille propriam habet jurisdictionem, quam jure suo exequitur: Secus delegatus non habet usum jurisdictionis nisi alieno jure, & caret propria jurisdictione *l. quæcunque §. qui mandatum ff. de offic. ejus cui mandata est jurisdictio, & l. more majorum ff. de jurisdict. om. judic.* Hæc tamen differentia ita intelligitur, ut judex ordinarius habeat jurisdictionem non revocabilem ad nutum constituentis; sed tantùm justis de causis: secus judex delegatus habet jurisdictionem removibilem ad nutum delegantis. Tertiò differt judex ordinarius à delegato, quia ille regulariter, potest alteri suam delegare jurisdictionem *l. more majorum ff. de jurisdict. om. judic.* Secus judex delegatus non potest subdelegare, nisi sit delegatus à Pontifice, vel alio Principe supremo, & non habente superiorem in temporalibus, quia tunc ex privilegio legis,

&

& canonis delegatus à supremo Principe potest subdelegare *l. à judice. C. de judiciis. & c. pastoralis. de offic. jud. delegat.*

8 Quòd si in litteris commissionis delegati à supremo Principe addatur clausula, quâ conjiciatur electa potiùs industria personæ, quàm ipsa persona, tunc delegatus licèt supremi Principis non potest delegare. Industria personæ, tunc conjicitur eligi à Principe, quando in litteris commissionis habetur hæc clausula, *confidimus de tua industria, vel fide:* vel hæc alia, *committimus, ut exequaris personaliter per te ipsum.* Cæterum delegatus à quovis alio Principe inferiore habente in temporalibus superiorem, non potest subdelegare ex utroque jure canonico, & civili, *l. à judice C. de judiciis, & l. more majorum ff. de jurisdict. om. judic. & c. cùm causam de appellat.*

9 Jurisdictio Ordinarii judicis multipliciter potest cessare. Primò per mortem ipsius judicis delegati. Secundò per reuntiationem quatenus se abdicat tali officio. Tertiò per depositionem ab officio, quatenus superior justis de causis, eum privat tali officio. Quartò per ejus translationem. Non tamen hæc jurisdictio censetur cessare per mortem illius, qui hanc alteri commisit; quia licèt aliæ gratiæ cessent per mortem concedentis, non ita jurisdictio ordinaria ob favorem, & utilitatem publicam.

§. II.

De jurisdictione, & potestate Archiepiscopi in suos suffraganeos.

1 TAmetsi Archiepiscopus authoritate, & dignitate antecellat Episcopos, ordinis tamen potestate est iisdem æqualis, tametsi jurisdictione major; eò quia sub se Episcopos habeat suffraganeos *c. 1. de for. compet in 6.* quapropter residet in urbe, quæ cæterarum est caput, & vulgò Metropolis totius Provinciæ dicitur, quâ ratione Archiepiscopus etiam Metropolitanus vocatur. Archiepiscopus enim græcè idem est, ac Princeps Episcoporum, seu qui primariæ alicujus Provinciæ civitati, quæ est cæterarum mater, præest: quia verò primaria Provinciæ civitas alias habet sibi subjectas: ideò Archiepiscopus jurisdictionem habet in Episcopos, qui præficiuntur singulis civitatibus ejusdem Provinciæ, adeò ut Episcopi per totam Provinciam dicantur suffraganei Archiepiscopi. Hinc fit, ut Archiepiscopus, quandóque pluribus, & aliquando paucioribus præsit Episcopis, prout Provincia plures, vel pauciores continet civitates, quibus præficiuntur Episcopi: imò in Regno Neapolitano Archiepiscopus Rossanensis nullum habet suffraganeum.

2 Quamobrem jurisdictio Archiepiscopi per hoc differt à jurisdictione Episcopi, quia illa sit major, & amplior: siquidem Episcopus non nisi uni præest civitati, ac vicis, qui eidem subjiciuntur: at Archiepiscopus præest civitati, quæ plurium aliarum est mater, & plures aliæ civitates ei subjiciuntur, & Episcopi, qui eisdem præficiuntur in jure canonico sunt suffraganei Archiepiscopi *c. 1. de foro compet. in 6. & c. suffraganeis de elect. c. antiqua de privileg.* non tamen ordinis potestate Archiepiscopus differt ab Episcopo: adeò ut, quod attinet ad sacramenta, & alia, quæ sunt potestatis ordinis, nil ampliùs habeat Archiepiscopus, quàm simplex Episcopus.

Jurisdictionem ordinariam exercet Archiepiscopus in suos suffraganeos, quibus propterea potest præcipere, quæ ad officium spectant, eósque negligentes etiam per censuras compellere ad propria obeunda munera, ut liquet *ex c. pastoralis 11. h. t.* non tamen per suum Vicarium, siquidem ob reverentiam dignitatis Episcopalis non conceditur facultas Vicario Archiepiscopi ferendi censuras contra suffraganeos; sed Archiepiscopus per se ipsum immediatè debet suffraganeos per censuras compellere ad propria obeunda munera, ut liquet ex *cap. 1. h. t. in 6.* Rursus quamvis de jure antiquo potuerit Archiepiscopus in causis etiam criminalibus majoribus, quæ privationem, seu depositionem merentur, inquirere, & cognoscere contra Episcopos suffraganeos; hodie tamen id est Archiepiscopo prohibitum, quia juxta Tridentinum *sess. 24. c. 1. de reformat.* non solùm condemnatio verùm etiam cognitio summo Pontifici reservatur: statuit siquidem Concilium Tridentinum, ut causæ criminales minores Episcoporum in Concilio tantùm Provinciali, vel à deputatis in Concilio Provinciali cognoscerentur, ac terminarentur; qua in re attendenda est etiam consuetudo præsertim in illis Provinciis, ubi non nisi rara sunt Concilia Provincialia. Potest etiam Archiepiscopus Provincialia statuta condere de consilio, & consensu Coepiscoporum Provincialium, in Synodo Provinciali ad id congregata, ubi Archiepiscopus Principem occupat sedem, ut dignitate major cæteris, non verò ut jurisdictionem exercens in Coepiscopos suæ Provinciæ, qui cum constituant synodum ipsemet Archiepiscopus jurisdictioni potiùs synodi Provincialis subjicitur. Olim spectabat etiam ad Archiepiscopum confirmare Episcopos suffraganeos, & electos, eósque assistentibus aliis duobus Episcopis consecrare, sed id moris ampliùs non est. 3

Jurisdictio Archiepiscopi ordinaria est, & extenditur per totam Provinciam, in qua habet Episcopos sibi subjectos, ut notat Abbas in *c. quanto c. pastoralis de officio judicis ordin.* quo fit, ut ampliorem jurisdictionem habeat in subjectos Episcopos, quàm in Clericos, & Laicos, qui eorundem Episcoporum potestati subjiciuntur: siquidem crimina subjectorum Episcoporum ordinaria potestate cognoscit, ac judicat: secus crimina cæterorum, non nisi potestate extraordinaria, ut liquet ex *c. pastoralis de offic. jud. ordin.* Quòd si quæras, quænam sint crimina Episcoporum suffraganeorum, in quæ Archiepiscopus habet jurisdictionem cognoscendi, & judicandi. Respondet Glossa *in c. pastoralis in V. exceptis quibusdam de offic. judic. ordin.* esse plura: siquidem de jure comuni Archiepiscopus cognoscit, & judicat de omnibus illis causis, quæ jure appellationis, vel devolutionis ad ipsum pertinent *c. 1. de offic. delegat.* 4

Rur-

Rursus quando subditus Episcopi suffraganei delictum committit in Diœcesi Archiepiscopi, vel causa sit ratione prædii, domicilii, vel beneficii Ecclesiastici constituti in Diœcesi Archiepiscopi; vel ratione contractus ibidem initi, quia in his casibus subditus Episcopi suffraganei subjicitur Archiepiscopo, ut liquet ex *c. ult. de for. compet.* & *c. placuit q. 3.* ut etiam quando subditus Episcopi suffraganei, quamvis ab Archiepiscopo absolutus detrectat parere suo Episcopo justa præcipienti *c. ad reprimendam 8. de offic. jud. ordin.* Rursus si causa criminalis sit inter Episcopum, & Clericum suum; quia tunc debet deferri ad Synodum, in qua præest Archiepiscopus *c. 4. q. 1.* ut etiam quando Clerici Episcopi suffraganei in divinis peragendis non servant consuetudinem metropolitanæ Ecclesiæ. *c. de his dist. 12.* quod tamen intelligitur, dummodo aliæ Ecclesiæ provinciæ ex speciali consuetudine, non utantur alio ritu, ut in Provincia Mediolanensi aliæ Ecclesiæ utuntur diverso ritu *argum. ex c. de trina de consuet. dist. 3.*

5 Licet Archiepiscopus jurisdictionem possit exercere in Episcopos sibi suffraganeos, & ob crimina patrata eos debitis punire pœnis, non tamen eos potest ab officio, vel ministerio removere, quia hoc pœnæ genus imponere ad solum pertinet Romanum Pontificem. Potest etiam Archiepiscopus quibusdam in causis citare Episcopos suffraganeos ex Tridentino *sess. 13. cap. 6.*

6 Absolvit etiam Archiepiscopus subditos suffraganeorum, quando visitat totam provinciam *c. perpetuo de censf. in 6.* vel quando ad eum est causa per appellationem devoluta; vel in casibus sibi specialiter permissis. Alias eos excommunicare, & absolvere non potest, ut notat Sylv. in *V. Archiepiscopus q. 5.* Rursus si suffraganei Episcopi negligentes fuerint in electione, & conservatione seminarii, vel suam detrectaverint portionem solvere, potest Episcopus eos reprehendere, & adigere ad servandum statutum Concilii Tridentini *sess. 23. q. 12.*

7 Rursus si Vicarii ab Episcopis suffraganeis constituti in proprio obeundo munere impunè delinquant, potest Archiepiscopus, ut Ordinarius eos punire, ac supplere Episcoporum negligentiam. Non tamen Ecclesiam suo viduatam pastore ipse visitat, neque visitatorem in ea constituit, quia tunc jurisdictio Episcopi ad Capitulum transfertur, neque potest Archiepiscopus in locis subjectis potestati Episcoporum tribunal erigere sine consensu eorundem Episcoporum. Quinimò si Archiepiscopus in locis Episcopo subjectis delinquat, subjicitur jurisdictioni Episcopi, qui ratione delicti potest in illum agere, ut liquet ex *c. ult. de foro compet.* Congregat tamen Archiepiscopus Concilium Provinciale etiam non consulto, imò invito primate, & in eo nominat, designat, eligitque testes idoneos, ac veluti Syndicos, qui ad futurum Concilium deferant, quæ emendatione, & correctione digna judicaverint. Abrogat etiam, & abolet malas consuetudines, si noverit, eas invectas esse in Diœceses subjectorum Episcoporum.

Præterea cum Archiepiscopus transit per Diœceses suffraganeorum habet jus deferendi ante se insignia Archiepiscopi, seu signum crucis argenteæ; & solemni ritu manu in crucis formam ducta populo benè precari. Præcipit etiam Ecclesiarum Rectoribus, & Episcopis subjectis ut in suis Parochiis, ac Ecclesiis verbum divinum annuntient, vel saltem curent, ut ab aliis annuntietur, & etiam ipsorum Diœceses visitet; sed per Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 3.* prohibetur eas visitare, antequam visitaverit suam Diœcesin, & nisi in causa Concilii Provincialis authoritate concessa. 8

An verò possit Archiepiscopus absolvere à vinculo excommunicationis eos, qui fuerunt excommunicati à subditis suffraganeorum, videtur esse aliqua difficultas, de qua agitur in *c. venerabilibus de sent. excom. 7. in 6.* ubi dicitur, quòd Archiepiscopus non possit absolvere excommunicatos ab Archidiaconis, vel aliis subditis suffraganeorum suorum: & adducitur ratio, quia Archiepiscopus non est judex excommunicantium, nec excommunicatorum. Posset verò absolvere excommunicatos à suffraganeis, vel eorum officialibus, si à litigantibus esset ad eum appellatum. Secundò quòd Archiepiscopus, vel ejus officialis in casibus, in quibus illis jurisdictio competit juxta Ecclesiæ formam petente parte litigante debeat absolvere excommunicatos à suffraganeis, antequam incipiat audire causam, nisi excommunicatio fuerit imposita ob contumaciam, etiam præsumptam, quatenus citatus præfixo sibi tempore non comparuit, quia tunc non absolvitur à vinculo excommunicationis, nisi exhibita priùs satisfactione. Tertiò etiam habetur, quòd si fuerit appellatum ex legitima, vel probabili causa ad Archiepiscopum, vel ejus Officialem, & post talem appellationem fuerit quis anathemate percussus, seu excommunicationis vinculo irretitus à suffraganeo, non illicò debeat Archiepiscopus pronuntiare excommunicationem fuisse irritam; sed tantùm ad cautelam possit relaxare vinculum, antequam causam incipiat audire. Quartò etiam additur, quòd si certò constet, sententiam excommunicationis esse justam, debeat Archiepiscopus, vel ejus officialis, nisi periculum sit in mora excommunicatum remittere ad excommunicatorem, & non possit eum absolvere, nisi excommunicator admonitus malitiosè detrectet illum absolvere. 9

Quòd si certò constet, excommunicationis sententiam esse injustam, tunc excommunicatus non est remittendus ad excommunicatorem, sed statim absolvendus. Sin verò dubium sit, an sententia excommunicationis justa, vel injusta fuerit, tunc Archiepiscopus, vel ejus officialis potest eam relexare: consultiùs tamen est, tunc excommunicatum remittere ad excommunicatorem, valet tamen relaxatio, vel absolutio, tametsi non remiserit, quando Archiepiscopus est judex. Sin autem litigans non appellaverit, sed superiorem per modum simplicis querelæ adierit, tunc censet Glossa *in c. per tuas de sent. excommun.* esse remittendum ad infe- 10

feriorem, à quo absolvatur, & si inferior malitiosè nolit ipsum absolvere, tunc absolvitur ab Archiepiscopo, vel ejus officiali *c. ad reprimendam de offic. jud. ordin.* Imò absolvitur etiam ab Archiepiscopo, quoties deprehenditur, quòd mora adferat aliquod periculum, ut desumitur ex *c. sacro de sent. excom.*

11 Rursus si excommunicatus deponat apud Archiepiscopum, vel ejus officialem, de suffraganeo querelam pro injusta excommunicatione; ut imponatur ei pœna, ipsique satisfiat de eo, quod sua interest; debet Archiepiscopus eum audire; non ita si conqueratur de suffraganeo, ut relaxetur talis sententia contra se ab eo pro alio promulgata: quia tueri hanc causam non pertinet ad ipsum suffraganeum, sed ad eum, pro quo est sententia lata: sin verò suffraganeus pro defensione sui juris extra judicium; vel etiam in judicio ex suo officio procedens, scilicet inquirendo, vel simile quid agendò aliquem excommunicet; tunc conveniendus est ipse suffraganeus coram Archiepiscopo, vel ejus officiali; quià ad ipsum pertinet tueri suam causam. Hæc enim habentur in *c. venerabilibus de sent. excommun. in 6.*

12 Cæterùm Archiepiscopus nullam habet jurisdictionem, quam exerceat in subditos suorum suffraganeorum, nisi in casibus jure expressis, ut desumitur ex *c. 7. & 8. causa 9. quæst. 3. cap. pastoralis 11. hujus. tit. & cap. 1. de supplen. neglig. Prelat. in 6.* casus verò in jure expressi, & in quibus jurisdictio conceditur Archiepiscopo in subditos suorum suffraganeorum à jure tam antiquo, quàm novo sex recensentur, quorum primus est casus appellationis, quando per appellationem à sententia Episcopi subditus defert suam causam ad Archiepiscopum, ut colligitur ex *cap. 8.* juncta Glossa *V. provocaverint & ex cap. 1. de offic. legat.* sive causa fuerit spiritualis, sive temporalis; civilis; aut criminalis nisi specialia privilegià, vel inolita consuetudo, aut jus particulare hujusmodi appellationem impediant: & tunc potest Archiepiscopus suos delegatos constituere in Diœcesibus suorum suffraganeorum, qui causas ad se per appellationem delatas decidant, contradicentes etiam cohibendo, ut habetur in *cap. Romana 1. hujus tit. in 6.* Non tamen si subditi non sint; potest illos renuentes cogere ad acceptandam delegationem, quia quòad hæc nullam habet potestatem in subditos suorum suffraganeorum, ut liquet ex *c. pastoralis 11. h. t.*

13 Secundus casus est, quando Archiepiscopus visitat totam provinciam, quo tempore potest exercere suam jurisdictionem, & inquirere circa consuetudines, mores, negligentias Clericorum, & super electione, & conservatore seminarii, & si Vicarii ab Episcopo constituti in proprio obeundo munere impunè delinquant, potest tanquam Ordinarius eos punire, ut negligentiam suppleat Episcopi; potest etiam in foro conscientiæ absolvere suorum suffraganeorum pœnitentes; ut habetur in *c. ult. de cens. in 6.* non tamen tempore visitationis potest cum subditis suorum suffraganeorum dispensare in votis, juramentis, aliisque irregularitatibus; quia hæc potestas non est per se conjuncta cum potestate absolvendi, neq; in jure id conceditur Episcopo visitanti provinciam.

Tertius casus est utilitas ipsius Provinciæ, si enim ejus bonum id exigat, potest suam exercere jurisdictionem, & eradicare pravas consuetudines, corrigere depravatos mores, prout colligitur ex *c. ex frequentibus de instit.* Quartus si cessent Canonici Cathedralis Ecclesiæ sine rationabili causà maximè à divinis, & si id agant in contemptum Episcopi, tunc enim examinare causam, quæ vertitur inter Capitulum, & Episcopum, pertinet ad Archiepiscopum; saltem ut delegatum edis Apostolicæ, & reos potest metu pœnæ coërcere, ut dicitur in *c. irrefragabili 13. hujus tit.* Quintus si causa criminalis agitetur inter Episcopum, & Clericum ejus subditum; & quamvis hic casùs juxta Concilium Tridentinum pertineat potiùs ad Synodum provincialem; quia tamen hæc raro congregatur, nec possit in singulis casibus semper adiri Papa. Ideo consultiùs in similibus casibus constituitur Archiepiscopus judex delegatus. Sextus est, si Episcopus deprehendatur negligens in exercenda sua jurisdictione, & obeundò suo munere. Consultiùs tamen est, si tunc Archiepiscopus Episcopum negligentem moneat, ut notat Glossa in *c. Pastoralis V. exceptis. 11. h. t.* 14

Non vacat tamen difficultate, an possit Archiepiscopus secundùm Concilii Tridentini decretum subditos suorum suffraganeorum matrimonio copulare. Quòd ordinariè non possit, res est perspicua; quia non habet potestatem ordinariam in subditos suorum suffraganeorum, nec in singulas aliarum Diœcesium personas. Hinc potest Archiepiscopus tantùm in casibus extraordinariis id præstare, nimirum, quando actu visitat Diœceses, vel cùm à suffraganeo Episcopo injustè denegatur assistentia petentibus nuptias contrahere, ut liquet ex *c. Pastoralis de offic. ordinar.* & ex Concilio Tridentino *sess. 24. c. 1.* Ratio est, quia tunc inferiorum defectus debent per superiores suppleri. 15

Si quæratur, in quonam loco possit Archiepiscopus suam jurisdictionem exercere erga subditos suorum suffraganeorum. Respondetur haberi super hoc statutum à Bonifacio VIII. in *c. ut litigantes 5. h. t. in 6.* in quo habetur, quòd non debeat Archiepiscopus causas subditorum Coepiscoporum suffraganeorum judicare, si ad ipsum appellaverint, nisi in propria sua Diœcesi; vel in illa eadem, ex qua appellatio fuit petita, nisi aliud ex inolita consuetudine fuerit introductum, nimirum ad parcendum sumptibus litigantium Ratio est, quia jurisdictio est juris ratio, æquitas, recta sententiæ ferendæ ratio, ut notat Ulpian. *l. 20. ff. famil. Ercisc.* Judex autem nonnisi in proprio territorio potest sententiam ferre. Cum ejus jurisdictio sit limitata, non extenditur ultra proprium territorium. 16

§. III.

§. III.

De Iurisdictione Episcopi, ut Iudicis Ordinarii.

1 POtestas Episcopi duplex est, ordinis una, altera jurisdictionis, per primam Episcopus confert sacramenta confirmationis, & ordinis, conficit Chrisma, sacrat oleum infirmorum, consecrat virgines, templa, sacella, altaria, vasa, & vestes deservientes sacris usibus; Clericos etiam è gradu dejicit, hæc enim omnia referuntur in *c. quamvis dist. 68.* licèt controvertatur inter juris pontificii peritos, sitque dubiæ quæstionis, an Clericos è gradu dejicere, & ab ordine amovere sit actus potestatis ordinis, an potiùs jurisdictionis. Nonnulli censent, esse actum jurisdictionis: sed Glossa, Hostiensis, Abbas, & alii communiùs dicunt, esse actum potestatis ordinis, quæ sententia magis videtur consentire cum ipso jure: quia sicut Clericos ad ordines promovere pertinet ad potestatem ordinis, ita ejusdem erit potestatis eos ab ordine amovere, & è gradu dejicere: qui enim ordines authoritate ordinaria confert, potest etiam ordinum usum auferre.

2 Potestas jurisdictionis varia, & multiplex est, cùm se extendat ad sacramentorum administrationem in tota sua Diœcesi ad pravas consuetudines extirpandas, morum corruptelas avertendas, ad prædicandum verbum divinum, ad decidendas causas Ecclesiasticas, ad visitandam Diœcesin, & alia, quæ ad Episcopum pertinent, ut invigilare solicitè, ne cura animarum in sua Diœcesi ullo prætextu negligatur exemplo Christi, & Apostolorum, qui pro ovibus suis animam suam posuerunt Joan. 1. & in act. Apostolor. & Concilium Tridentinum *sess. 6. cap. 1.* enixim monet omnes Præfectos Ecclesiarum, ut attendentes sibi, & universo gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, vigilent, ac ministerium suum impleant. Hinc Episcopus examinat quoscunque beneficiarios à suis Patronis præsentatos, tametsi eorum confirmatio ad inferiores Prælatos spectet, idque ex Decreto Concilii Tridentini *sess. 25. cap. 8. de reformation.* Vicarios instituit in beneficiis collatis, quæ unita sunt Cathedralibus, vel collegiatis, aut aliis Ecclesiis, vel Monasteriis, licèt enim nominatio horum Vicariorum ad Patronos beneficiorum spectet; approbatio tamen ad Episcopum pertinet ex Concilio Tridentino *sess. 7. cap. 7. & sess. 24. cap. 18.* Parochis illiteratis, ac infirmis suo non valentibus officio fungi coadjutores constituit juxta Concilium Tridentinum *sess. 21. cap. 6.* in Ecclesia vacante temporaneum constituit Vicarium, donec legitimus parochus canonicè eligatur ex Concilio Trid. *sess. 24. cap. 18.* Confessarios omnes tum sæculares, tum Regulares approbat ex Concilio Tridentin. *sess. 23. cap. 15.* adeò ut à Congregatione Cardinalium definitum fuerit, invalidam esse absolutionem, quam sacerdos non examinatus, nec approbatus per Episcopum, impertitur pœnitentibus. Eligit, & abrogat summum Pœnitentiarium pro tota sua Diœcesi ex Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 8.* si necessitas postulaverit parochias dividit, & beneficia ex directis Ecclesiis ad alias transfert, & pauperibus Parochiis unit ex Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 13. & sess. 21. cap. 4. 5. 7.* Singulis annis Diœcesanam Synodum celebrat saltem secundùm antiquos Canones, immò in Concilio Antiocheno, Niceno, & Gabilensi præcipitur Episcopis, ut binas synodos singulis annis celebrent propter causas Ecclesiasticas. Potest etiam statuta ferre, quæ necessaria sint suæ Diœcesi, ut plures sancti Episcopi præstiterunt, præsertim S. Carolus.

Rursus ad jurisdictionem Episcopi pertinet abusus tollere, & pravas consuetudines eradicare, ac diligenter curare, ut omnia sacramenta ritè administrentur per totam Diœcesin, ne quid indecorum, aut inordinatum in iisdem administrandis admittatur, ut monet Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 3. & sess. 21. cap. 5. sess. 22. & 25. in ff. de invocatione sanctorum.* Abusus, si qui irrepserunt in celebrandis missis, diligenter emendare conabitur, & primò ne habeantur pacta, conditiones, vel illiberales exactiones eleemosinarum, & quidquid pro novis missis datur. Secundò non permittet vagis, & ignotis sacerdotibus missas publicè celebrare, immò nec privatim, nisi priùs ostenderint litteras commendatitias à suis propriis Episcopis. Tertiò non sinet extra Ecclesiam missas celebrari, nisi in oratoriis à se, vel alio ordinario approbatis. Quartò interdicet omnes scurrile, & indecens in musica, & organis, ut etiam omnes actiones sæculares, vana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores, & quidquid aliud inordinatum in templo fieri potest, ne sacerdotes à divino culto distrahantur, & locus sacer minùs honoretur. Tollet etiam abusus, ac superstitiones, si quæ irrepserunt in certis missarum numeris, vel candelis. Nec permittet sacerdotibus incongruo tempore, novis, & minimè approbatis ritibus, aut cœremoniis uti in missarum celebratione, ut monet Concilium Tridentinum *sess. 22. decret. de observandis, & vitandis in celeb. miss.* Neque permittet vulgatos eleemosinarum quæstores juxta Concilium Tridentinum *sess. 27. cap. 2.* siquidem genus est hominum vafrum, ac periculosum, fictúmque. Curabit etiam per se ipsum fieri publicationem indulgentiarum, aliarumque spiritualium gratiarum statis temporibus, adhibitis duobus de Capitulo, & tunc licebit eleemosinas, & oblata subsidia charitatis colligere, nulla tamen prorsus mercede accepta, ut omnibus innotescat, cœlestes hos thesauros non ad quæstum, sed ad salutem ordinari animarum, ut monet Concil. Trident. *sess. 21. cap. 9. & sess. 25. Decreto de indulgentiis.* Rursus curabit, ut omnis superstitio in sanctorum invocatione, reliquiarum veneratione, usúque sacrarum imaginum prorsus abjiciatur, omnisque turpis 3

quæstus eliminetur. Rursus non permittet, ut sacræ imagines lasciva, vel procaci venustate pingantur, & publico cultui in Ecclesiis exponantur, ut etiam, quòd dies festi ritè serventur, & ne per luxum, & lasciviam, qui in honorem sanctorum instituuntur dies comessationibus, & symposiis frequentandis profanentur, ut monet Tridentinum *sess. 25.*

4 Rursus pertinet ad Episcopos verbum Dei è sacro suggestu ad populum dicere, nisi fuerint legitimè impediti, & tunc propriis sumptibus tenentur constituere viros idoneos, qui id munus ritè, & cum proventu animarum valeant exercere ex Concilio Tridentino *sess. 5. c. 2.* Parochos etiam urgebit, ut saltem diebus dominicis, festisque solemnibus conciones habeant ad populum, præsertim tempore adventûs, & quadragesimæ ex Trident. *sess. 24. c. 4.* ubi etiam addit, esse diebus dominicis, & festis pueros erudiendos in singulis Parochiis in ordine ad rudimenta fidei, observantiam præceptorum, & obedientiam erga Deum, & parentes. Debet etiam concionatores examinare, & approbare, & illorum errores corrigere, & si opus fuerit etiam punire, ex Concilio Trid. *sess. 24. c. 4.* imò Regulares qui ad concionandum in Ecclesiis sui ordinis admittuntur, & approbantur, debent Episcopo se sistere, & ab illo benedictionem accipere antequam concionari incipiant.

5 Quòd verò ad forum attinet judiciale definiendæ sunt ab Episcopis omnes de beneficiis controversiæ, omnésque in iisdem defectus removendi, ut etiam judicandæ causæ criminales Clericorum juxta Concilium Tridentinum *sess. 14. c. 4. & 5. & sess. 13. c. 4.* Causæ etiam matrimoniales judicandæ, & definiendæ sunt ab Episcopis, adeò ut contrarium asserentes in Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 12.* anathemate percutiantur; cùm enim causæ matrimoniales sint arduæ, ut notat Abbas in *c. mulier in. 6. de jurejurando* non sunt committendæ inferioribus judicibus, sed soli Episcopo, ac propterea censentur privilegiatæ; adeò ut si extra provinciam causa committatur, & pars contra quam erat causa commissa paupertatem allegaverit, eámque probaverit, non teneatur extra provinciam litigare in secunda, & tertia instantia nisi pars contraria velit sumptus, & alimenta subministrare: pertinet etiam ad Episcopum executio ultimarum voluntatum, ut etiam visitatio hospitalium, aliorumque piorum locorum, tametsi illorum cura ad laicos pertineat, ut ait Tridentinum *sess. 22. cap. 8.*

6 Quia verò nonnunquam oriuntur lites inter personas Ecclesiasticas de loco, & præcedentia, sive in choro, sive in processionibus, ac funeribus, & aliis similibus, ad Episcopum pertinet dissidentes componere juxta Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 13.* ut etiam proprium Episcopi munus est, suscipere causas mercedum, & miserabilium personarum, etiam civiles contra quoscunque Clericos, etiam exemptos tam sæculares, quàm Regulares juxta Concilium Tridentinum *sess. 7. cap. 14.* ut etiam potest Episcopus causas civiles ad se delatas judicare, præsertim si mixti sint fori, ut etiam sæculares judices in sua Diœcesi punire, si malè judicent, & eorum causas ad suum revocare tribunal; causas verò Capitularium extra visitationem cum duobus de Capitulo Episcopus judicat juxta Concil. Trident. *sess. 25. c. 6.* Demum dispensationes à summo Pontifice impetratas non admittit, donec cognoscat, eas vitio carere subreptionis ex Concilio Tridentino *sess. 25 c. 5.*

Tenentur etiam Episcopi ad propriam exercendam jurisdictionem, suam singulis annis visitare Diœcesin, sive per se immediatè, sive per alios, qui ad id munus idonei censeantur. Quòd si Diœcesis ampla, & laxa fuerit, biennio visitabitur, ut sana doctrina conservetur, hæreses, & errores evellantur, mores pravi, tam in Clero, quàm populo emendentur, disciplina Ecclesiastica labefactata instauretur, virtutum studia promoveantur, scelera, & scandala tollantur, & ut sacramentum confirmationis illis ministretur, qui expleto septennio ad usum pervenerint rationis. Rursus etiam Regulares exempti à suis Prælatis ab Episcopo visitantur juxta Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 20.* Potest etiam judicare omnes personas sæculares de quibuslibet criminibus, ut de hæresi, perjurio, sacrilegio, symonia, superstitione, cultus idolorum, adulterio, usura, peccato contra naturam, & similibus ex Concilio Tridentino *sess. 24. c. 10.* & ita etiam Episcopo subjiciuntur Regulares non exempti, & illi, qui aliàs exempti curam gerunt animarum, ut etiam omnes clerici sæculares, & Vicarii curam habentes animarum, & in his ubi agitur de morum correctione nulla exemptio, aut inhibitio, vel appellatio, aut querela etiam ad Sedem Apostolicam interposita debet executionem impedire, aut suspendere, ut habetur in Concilio Trident. *sess. 6. c. 2. & 4.* & in plerisque aliis locis. Visitare etiam potest, & debet loca omnia pia non exempta privilegio Papæ, cujusmodi sunt Hospitalia, Collegia, Confraternitates, fundationes, montes pietatis, & alia his similia, juxta Concilium Trident. *sess. 22. c. 8. & sess. 25. c. 8. & 9.* imò etiam res alias divino consecratas cultui, quæque sunt in locis non exemptis cujusmodi sunt, vasa, vestimenta, imagines, picturæ, reliquiæ, epitaphia, & alia pertinentia, ad supellectilem sacram, ut nihil in iis introducatur inordinatum, & extra Ecclesiæ consuetudinem. 7

Visitat etiam Episcopus Ecclesias sitas in nulla Diœcesi, ex decreto Concilii Trident. *sess. 7. c. 8. de reform. & sess. 25. decret. de invoc. sanct.* & licèt minora loca per alios ad id delegatos visitare possit; majora tamen per se ipsum tenetur visitare: & quidem famulitio, & comitatu honesto intra limites modestiæ, ne subditi nimiis graventur expensis, ut monet Concilium Tridentinum *sess. 24. c. 3.* Quòd si visitet domus, & Monasteria Regularium utriusque sexûs, nullum debet ad Capitulum, sæcularem inducere. 8

An verò liceat Episcopo armatam secum 9

ducere

ducere familiam ad pœnas delinquentibus constitutas exequendum. Respondetur in hoc esse cautè procedendum, præsertim ubi consuetudo nondum fuerit introducta, idque ad evitandam offensionem, & invidiam sæcularium: unde quamvis licitum sit Episcopo pro exequenda sententia familiam armatam alere, ut liquet ex antiquis Canonibus *can. attendendum 17. quæst. 4. & can. hi, qui eadem.* Consultiùs tamen est, si tunc utatur auxilio brachii sæcularis, adeò ut judex sæcularis tunc familiam suam armatam Episcopo commodet. *c. 1. de officio Ordinar. Innocentius, & DD. communiter.* Tum quia plura crimina sunt mixti fori, & datur locus præventioni. Cæterum in Concilio Tridentino *seff. 25. cap. 3.* statuitur in causis judicialibus posse, ac debere judices Ecclesiasticos procedere contra quoscunque Laicos per mulctas pecuniarias, captionem pignorum, & districtionem personarum faciendam per proprios, vel alienos executores, adeò ut Episcopi adversus contumaces uti possint armata manu, ut docent Barbosa *de potestate Episc. p. 3. allegat. 105.* Bozius *lib. 1. de jure status c. 9.*

10 Pertinet etiam ad Episcopum in Ecclesiis Cathedralibus designare Lectorem Grammaticæ, & Theologiæ, & etiam Regulares compellere, ut in suis monasteriis lectorem habeant Theologum, juxta Concilium Tridentinum *seff. 5. c. 1.* declaratum tamen fuit in Congregatione Cardinalium sufficere, si lectio scripturæ, vel Scholasticæ Theologiæ doceatur. Cæterum ubi Cleri multitudo ob populi exiguitatem haberi non potest, nec lectio Sacræ Theologiæ, tunc saltem Ludimagister constitui debet, qui Clericos, aliósque Scholares Grammaticam gratis doceat, ut inde faciliùs ad studia sacræ scripturæ, & Theologiæ ascendere possint.

11 Pertinet etiam ad Episcopum libros examinare, & approbare, adeò ut nulli liceat libros de rebus sacris imprimere, & evulgare absque approbatione, & consensu Ordinarii, ut nec etiam sine nomine authoris; nec illos in futurum vendere, nec apud se retinere nisi priùs examinati, & approbati fuerint ab Ordinario sub pœna anathematis, & pecuniæ, apposita *in Can. Concilii Lateranensis, & Tridentini seff. 4.* ubi addit approbationem esse scripto dandam, quæ etiam in fronte libri authenticè impressi commodè legi possit: debet tamen æquè examen, ac approbatio fieri omninò gratis.

12 Rursus debet Episcopus Notarios Apostolicos examinare, & approbare, & minùs idoneos removere juxta Concilium Tridentinum *seff. 22. c. 10.* cùm ex Notariorum imperitia via sternatur litibus cum damno partium. Tenetur etiam seminarium erigere pro nutriendis studiosis juxta formam à Concilio Tridentino præscriptam *seff. 23. c. 18.* quod si Cathedralium Prælati in electione seminarii, ejusque conservatione negligentes fuerint, aut detrectaverint suam portionem solvere, possunt ad id Episcopi adigi ab Archiepiscopo, & hic à synodo Provinciali, aut alio superiore. Debent itidem Episcopi in se recipere executiones ultimarum voluntatum, quando hæredes sunt negligentes juxta Tridentinum *seff. 22. cap. 8.* sunt enim Episcopi, ut declaravit sacra Congregatio comulative executores earum dispositionum ad alios inferiores. Debet etiam Episcopus voluntatem explorare Virginum, quæ Religionem profitentur juxta Concilium Tridentinum *seff. 24. cap. 17.* & sacra Cardinalium Congregatio declaravit, ut virgines antequam ingrediantur Monasterium debeant adduci ad matronas honestas, non sanguine illis conjunctas nec alio modo suspectas, ubi remotis omnibus earum propinquis examinentur ab Episcopo earum voluntates, & an plena libertate inducantur ad vitæ monasticæ delectum.

Rursus ad Episcopum pertinet confirmare nova miracula, novasque imagines, & reliquias juxta concilium Tridentinum *seff. 25. decret. de invoc. sanct.* adeò ut teneatur accuratè singula discutere adhibitis Theologis, aliisque viris peritis, & diligenter investigare, an factum, quod narratur, arte, vel naturali modo fieri potuerit, quod judicari potest per comparationem ad verum miraculum; quod debet fieri in instanti, ac debet ex omni parte esse perfectum, ut liquet *ex can. sunt plures de pænit. d. 3.* Præterea debet etiam Episcopus curare, ut omnia, quæ de Regularibus à Concilio Tridentino statuuntur in Monasteriis suæ Diœcesis serventur non obstantibus eorundem privilegiis, sub quibuscunque verborum formis conceptis, ac *mare magnum* appellatis, & etiam in fundatione obtentis, ut statuit Concilium Tridentinum *seff. 25. cap. 22.* Pertinet etiam ad ipsum rationes exigere à visitatoribus, quos misit ad visitanda minora loca suæ Diœcesis, ut etiam ab Oeconomicis constitutis sede vacante juxta Tridentinum *seff. 24. cap. 4.* ad solum itidem pertinet Episcopum decernere monitiones sub pœna excommunicationis, ut revellentur res deperditæ, aut ablatæ; sed in hoc debet cautè procedere, & mediante prævio examine, an expediat nec ne, nec debet moveri aliorum rogatu, sed à propria conscientia juxta Concilium Tridentinum *seff. 25 cap. 3.* 13

Quia verò Episcopus est etiam in aliquibus delegatus Sedis Apostolicæ; ideò non abs re fore duxi adjicere, quæ possit, ut delegatus. Primò potest compellere Abbates, Priores, ac in similibus dignitatibus constitutos, ut in suis Monasteriis lectionem Theologicam instituant, ubi commodè fieri potest juxta Tridentinum *seff. 5. cap. 1.* Secundò potest Concionatores amovere, si hæreses doceant, vel sint populo potiùs damno, quàm utilitati in ordine ad profectum animarum juxta Tridentinum *seff. 5. c. 2.* ubi tamen additur, cavendum esse, ne quis prædicator, vel ex falsis informationibus, vel aliàs calumniosè vexetur, ne justam de illis habeat occasionem conquerendi. Tertiò potest corrigere Clericos Regulares, cujuscunque ordinis extra monasteria degentes, ut etiam Clericos sæculares, cujuscunque privilegii per- 14

personalis titulo se tutos præsumentes, si deliquerint juxta Tridentinum *sess. 6. cap. 3.* ubi sacra Congregatio Cardinalium declaravit id locum habere in omnibus Regularibus degentibus extra Monasterium, etiam cum licentia suorum superiorum; adeò ut si deliquerint, puniri possint à locorum Ordinariis. Quartò non debent facilè admittere impetrata reorum privilegia post inchoatum judicialem processum ad eorundem condemnationem, ut liquet ex Tridentino *sess. 13. cap. 5.* & id etiam se extendit ad quoslibet facinorosos, ut desumitur ex *sess. 14. cap. 4.* Quintò potest visitare monasteria, Abbatias, Prioratus, Præposituras, & alia hujusmodi loca, in quibus non viget regularis disciplina, ut etiam beneficia curata, & non curata, sæcularia, & Regularia, qualitercunque commendata, etiam exempta, etiam quot annis: quòd si in iisdem viguerit regularis observantia, sufficit, si moneat superiores, ut eam secundùm propria statuta sua observent. Sextò debet tollere abusus, si qui irrepserunt in celebratione missarum, ut singula observentur juxta Decretum Concilii Tridentini *de celebrat. miss.* Septimò ad ipsum pertinet etiam recognoscere dispensationes à Sede Apostolica impetratas extra judicium; cùm facilè possint fraudes subrepere, ex Tridentino *sess. 22. cap. 5. & 8.* Debet Notarios examinare, & si minus peritos, & idoneos eos deprehenderit, potest etiam ab officio dejicere, juxta Tridentinum *sess. 22. c. 10.* Nonò visitat beneficia in Ecclesiis, quæ nullius sunt Diœcesis, & suæ Diœcesi proximiores juxta Tridentinum *sess. 24. cap. 9.* Decimò exercet jurisdictionem in omnes Clericos etiam privilegiatos degentes extra septa sui ordinis approbati ex Tridentino *sess. 24. cap. 11.* Undecimò punit crimen cujusvis symoniæ admissæ in beneficiis, non obstantibus quibuscunque statutis, constitutionibus, & consuetudinibus etiam immemorabilibus ex Tridentino *sess. 24. cap. 14.* Duodecimò constituit clausuram Monialium etiam adhibito brachio sæculari si necessitas postulaverit, ex Tridentino *sess. 25. c. 5. de Regularibus.* Tertiodecimò pertinet etiam ad Episcopum regimen Monasteriorum Monialium, quæ Sedi Apostolicæ immediatè subjiciuntur, ac in sua constituuntur Diœcesi ex Tridentino *sess. 25. c. de Regular.* id tamen intelligendum est de solo regimine spirituali. Quartodecimò recognoscit, & judicat jura patronatus diversorum ex Tridentino *sess. 25. c. 9.* Quintodecimò suspendit beneficiatos concubinarios notarios, & post primam correctionem si perseverent, graviori pœna eos castigat juxta Concilium Tridentinum *sess. 25. c. 14.* ubi Congregatio Cardinalium declaravit, posse Episcopum contra prædictos Concubinarios procedere de jure, non expectata forma textus citati: eò quia sit intollerabile peccatum. Rursus potest contra omnes procedere, etiam injiciendo in carceres, quando timetur de fuga juxta idem Concilium Tridentinum *sess. 25. c. 1.*

1 Quamvis Religiosi ex vi voti obedientiæ non teneantur parere Episcopis locorum Ordinariis etiam secluso privilegio exemptionis, eò quia etiam Religiosi non exempti, & Episcopi subjecti non subdantur eidem quoad observantias regulares, sed tantùm quoad disciplinam Ecclesiasticam, perinde ac Episcopo subjiciuntur Clerici sæculares: eò quia materia voti obedientiæ sit disciplina Regularis, quam Religiosus etiam non exemptus vovet suo Prælato Regulari, non verò Episcopo; ideò quoad disciplinam regularem subjicitur proprio Prælato, cui tenetur obedire, non Episcopo. Nihilominus quoad disciplinam Ecclesiasticam, & punitionem delictorum, Religiosus, si non sit exemptus, tenetur potiùs obedire Episcopo, quàm Prælato Regulari, quia quoad potestatem jurisdictionis Religiosi non exempti subduntur jurisdictioni Episcopi. Reliqui verò Religiosi, qui gaudent privilegio exemptionis non subjiciuntur jurisdictioni Episcopi, nisi in casibus, in quibus ex decreto Tridentini, & constitutionibus summorum Pontificum subjiciuntur eorum jurisdictioni, ut docet D. Thomas *dist. 44. in 4. expos. litter. ad 3.* Innocentius *in c. quantò 7. n. 2. de offic. ordin.* & ibi Abbas *n. 4.* Sunt autem hi casus plures.

Primò ex Tridentino *sess. 6. c. 3. de refor.* Regulares degentes extra claustra, ibique delinquentes visitari, puniri, & corrigi possunt ab Ordinario loci, tanquam delegato super hoc à Sede Apostolica juxta canonicas sanctiones. 2

Secundò ex eodem Trident. *sess. 7. c. 14. de refor.* in civilibus causis mercedum, & miserabilium personarum Regulares degentes extra monasterium conveniri possunt coram locorum Ordinariis, ut delegatis in hoc à Sede Apostolica, & etiam cogi possunt ad solvendum debitum. 3

Tertiò ex eodem Trident. *sess. 22.* in decreto de observandis, & vitandis in celebratione missæ, potest Episcopus contra Regulares procedere per censuras, & alias pœnas, si celebrent in Oratorio privatæ domus, vel omninò extra Ecclesiam in loco non ab Episcopo designato, & visitato; vel in missa aliquas cæremonias insuetas, vel superstitiones, & alia indecentia observent. 4

Quartò ex eodem Trident. *sess. 24. c. 1.* Regularis qui aliquos in matrimonio conjunxerit, vel conjunctos benedixerit absque Ordinarii, vel Parochi licentia ipso jure, tamdiu suspensus manet, quamdiu ab Ordinario non absolvitur. 5

Quintò ex eodem Tridentino *sess. 25. cap. 4.* non licèt Regularibus à suis Conventibus recedere etiam prætextu accedendi ad superiores suos, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint. Et qui sine prædicto mandato in scriptis contento deprehensus fuerit, ab Ordinariis locorum tanquam desertor sui instituti punitur. 6

Sextò ex eod. Trident. *sess. 24. c. 14. de reform.* Regularis, qui intra claustra monasterii degit, si extra ita notoriè deliquerit, ut populo sit scandalo, Episcopo instante à suo superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum severè puniendus est, & de punitione debet etiam Episcopus certior fieri. Quòd si 7

ejus

ejus superior negligat corrigere; & punire delinquentem, tunc privatur suo officio à suo Generali, vel alio superiore, & deliuquens potest tunc ab Episcopo puniri *sess.25. c. 14. de reform.*

8 Septimò ex eod. Trident. *sess.25. c.11.* Regulares curam animarum sæcularium exercentes subsunt immediatè in iis, quæ ad dictam curam, & administrationem sacramentorum pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi Diœcesani.

9 Octavò ex eod. Trident. *sess. 25. c. 12.* tenentur Regulares observare dies festos, quos Episcopus in suà Diœcesi præcipit esse servandos. Imò tenentur etiam servare; & publicare censuras, & interdicta non solùm à Sede Apostolicà emanata, verùm etiam ab ipso Episcopo promulgata.

10 Nonò ex eod. Trident. *sess. 25. c. 13.* potest Episcopus adigere Regulares, ut vocati accedant ad publicas processiones. Excipiuntur tamen ii, qui ex privilegiis specialibus Pii IV. Pii V. Gregorii XIII. & Gregorii XIV. non tenentur accedere.

11 Decimò ex eod. Trident. *sess.25. c.13.* omnes controversiæ de præcedentia inter Ecclesiasticas personas etiam Regulares circa publicas processiones ad Episcopum pertinent, à quo componuntur.

12 Undecimò in eod. Trident. *sess. 25. c. 16.* Novitii Regulares non possunt eorum bonis renuntiare, nisi ex licentia Episcopi; vel ejus Vicarii: quòd si velint ante professionem ad sæculum redire, potest Episcopus Religiosos compellere ad ea omnia restituenda; quæ eidem Novitio competebant.

13 Duodecimò ex eod. Tridentin. *sess.25. c. 19.* si Regularis prætendat probare fuisse à se professionem solemnem emissam per vim, vel metum, vel ante debitam ætatem; vel ob quid aliud simile velit habitum dimittere, tenetur suam causam coràm suo superiore, & Ordinario agere.

14 Tertiodecimò ex eod. Trident. *sess. 25. in decreto de invocat. & venerat. reliquiar. sanct.* non sunt admittenda nova miracula, nec recipienda, nisi recognoscente, & approbante Episcopo.

15 Quartodecimò ex eod. Trident. *sess. 4. in decret. de edit. libro.* non possunt etiam Regulares libros inprimere, nisi priùs examinati, & approbati ab Ordinario fuerint.

16 Quintodecimò ex eod. Trident. *sess. 25. c.12.* non possunt Regulares, Ordines suscipere; nisi ab Ordinario examinati. Imò nec confessiones audire nisi obtenta illius facultate *sess. 23. c. 15.* nec prædicare etiam in Ecclesiis suorum Ordinum non petità priùs Episcopi benedictione, vel ipso contradicente *sess.24. c. 4.* & ex constitutione Gregorii XV. emanata anno 1622. cui initium *inscrutabili* imò neque possunt Regulares de novo monasteria construere sine Episcopi licentia Trident. *sess.25. c.3.*

17 Decimosextò post decretum Urbani VIII. de celebratione missarum, monasteria, & loca recepta, vel in futurum recipienda, in quibus duodecim Religiosi sustentari, atque inhabitare non possunt, & actu non inhabitant subjiciuntur visitationi, correctioni, & omnimodæ jurisdictioni Ordinarii loci.

18 Decimoseptimò ex declaratione sacræ Congregationis referente Barbosa *in collect. V. Episcopus quoad Regulares* potest Episcopus prohibere, ne Regulares in eorum Ecclesiis admittant sacerdotes sæculares exteros ad celebranda divina officia; nisi priùs ab Episcopo visis litteris commendatitiis admissi fuerint iidem sacerdotes.

19 Decimooctavò si Regulares in suis Ecclesiis non deputent aliquem, qui ejiciat pauperes à propriis Ecclesiis tempore divinorum officiorum, & prædicationum subduntur correctioni Ordinarii ex *constit.5.* Pii V. ibi: *Religiosis etiam claustralibus præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, ut in suis Ecclesiis deputent aliquem, qui pauperes ejiciat; & si negligentes fuerint, gravissimè ab Ordinariis corripiantur.* Verùm hæc constitutio plerisque saltem in locis non videtur esse in usu.

20 Decimononò ex Concil. Trident. *sess. 22. c. 8. de refor.* monasteria, in quibus non viget Regularis observantia; si superiores ab Episcopis admoniti non visitaverint, & correxerint infra sex menses; tunc Episcopi ut delegati Sedis Apostolicæ possunt illa visitare; & corrigere Regulares, perinde ac possunt ipsi superiores Regulares.

21 Vigesimò ex Bullà Gregorii XV. emanatà die 30. Augusti anno 1622. subjiciuntur Episcopis, vel Inquisitoribus sancti Officii Regulares solicitantes ad venerea pœnitentes, sive in actu confessionis sacramentalis, sive ante, vel post immediatè, vel occasione, & prætextu confessionis, sive solicitantes extra confessionem in Confessionario; vel in quocunque alio loco electo ad excipiendas confessiones. Imò etiam subjiciuntur Confessarii non obligantes pœnitentes ad denuntiandum dictos solicitantes, vel docentes eos non teneri illos denuntiare.

22 Vigesimoprimò Regulares transgredientes decretum sacræ Congregationis de speciali mandato Urbani VIII. editum die 13. Maii 1624. quoad imagines non canonizatorum; nec beatificatorum, illas exponentes in Ecclesia cùm radiis, splendoribus; & laureolis; vel tabellas, & luminaria ad eorum sepulchra apponentes, vel eorum miracula in libris imprimendis enarrantes subjiciuntur Ordinariis; & Inquisitoribus.

23 Vigesimosecundò quæcunque personæ etiam regulares, Mathematici, Arioli, Aruspices, vel alii exercentes Astrologiam judiciariam, & qui de statu Reipublicæ Christianæ; vel Sedis Apostolicæ, sive de vita, vel morte Romani Pontificis pro tempore existentis, ejusque usque ad tertium gradum inclusivè consanguineorum consuluerint, sive desuper eorum judicia, prognostica, seu præcognitiones etiam sibi oblata receperint; & illis quomodolibet usi fuerint; vel illas penes se scienter retinuerint, aut alicui ostenderint; cognitionem causarum hujusmodi in urbe, & illius districtu ad Vicarium Generalem, & urbis Gubernatorem; & Auditorem Generalem Cameræ: extra urbem verò ad Cardinales Legatos, & prolegatos, in aliis verò partibus ad alios locorum Ordinarios, vel Inqui-

sito-

sitores (exclusis prorsus Regularium superioribus) mandandi sunt, ac puniendi.

24 Vigesimotertiò subjiciuntur Episcopo Regulares, qui in Concilio Tridentino *sess. 25. c. 5. de Regul.* prohibentur ingredi septa monasterii Monialium sine Episcopi, vel superioris licentia in scriptis obtenta, idque sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ.

25 Vigesimoquartò, ex constitutione Urbani VIII. 15. emanata die 9. Februarii 1631. cui initium *inscrutibilis* præcipitur, ut tam Regulares, quàm Sæculares nullis privilegiis, aut exemptionibus se possint tueri, quo minùs si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem, monasteriorum Monialium etiam Regularibus subjectarum ab Episcopo loci, ut à delegato Sedis Apostolicæ quoties opus fuerit puniri, & corrigi possint.

26 Vigesimo quintò, ex d. constitutione Gregorii XV. Confessarii sive sæculares, sive Regulares, quomodocunque exempti tam Ordinarii, quàm extraordinarii deputari ad audiendas confessiones monialium etiam Regularibus subjectarum non possunt, nisi priùs ab Episcopo Diœcesano judicentur idonei, & obtineant, approbationem: & additur in d. constitutione, Confessarios extraordinarios toties esse approbandos ab Episcopo, quoties casus contigerit deputationis.

27 Vigesimosextò ex decreto sacræ Congregationis edito 12. Decembris 1623. ex mandato Urbani VIII. non possunt Regulares uti privilegio loquendi quater tantùm in anno cum monialibus in primo, & secundo gradu consanguinitatis, nisi Episcopus loci id expediens judicaverit, & licentiam in scriptis dederit.

28 Vigesimo septimò, ex dicta const. Gregorii XV. Regulares quomodolibet exempti, & sæculares administrantes bona pertinentia ad monasteria sanctimonialium, etiam Regularibus subjectarum cogi possunt ad reddendas rationes administrationis singulis annis Episcopo loci adhibitis etiam superioribus Regularibus.

29 Vigesimo octavò, ex decreto sacræ Congregationis Cardin. Concil. Trident. Confirmato ab Urbano VIII. anno 1624. Regulares accedentes absque legitima licentia ad monasteria monialium etiam Regularibus subjectarum, ibique in loco colloquiis destinato cum Monialibus collequentes puniri possunt ab Episcopo, ut Sedis Apostolicæ delegato.

30 Rursus ex d. cons. Gregorii XV. Regulares concionaturi Monialibus etiam exemptis tenentur benedictionem petere ab Ordinario.

31 Moniales itidem licèt exemptæ, & Regularibus subjectæ subjiciuntur etiam in pluribus casibus jurisdictioni Episcopi diœcesani. Primò quoad constructionem monasteriorum ex Trident. *sess. 25. c. 3. de Regul.* & constit. Urbani VIII. edita 28. Augusti 1632. cui initium *Romanus Pontifex* ubi præcipitur ne nova monasteria construantur nisi de expressa Ordinarii licentia.

32 Secundò ex eod. Trident. *sess. 25. c. 5.* præcipitur Episcopis ut in omnibus monasteriis sibi subjectis ordinaria, in aliis verò Sedis Apostolicæ authoritate clausuram Sanctimonialium ubi violata fuerit, diligenter restitui procurent, & ut ubi violata non est, conservetur.

Tertiò ex eod. Trident. prohibentur Sancti- 33
moniales post emissam solemnem professionem exire ex monasterio etiam ad breve tempus, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda, non obstantibus quibuscunque privilegiis.

Quartò ex eod. Trident. *sess. 25. c. 5.* nemini 34
licet septa monasterii Sanctimonialium ingredi cujuscunque sit conditionis, sexus, vel ætatis sine Episcopi, vel superioris licentia.

Quintò ex constit. Pii V. cui initium *circa pa-* 35
storalis officii potest Episcopus clausuram Monialium visitare, quoties expedire ipsi visum fuerit, & non possunt à Regularibus impediri. Imò ex constitut. Gregorii XV. quæ incipit *Deo sacris* potest Episcopus Moniales interrogare de pertinentibus ad dictam clausuram, ut notat Barbosa *de offic. & potest. Episcop. alleg. 102. n. 2.* Imò ex decreto sacræ Congregationis edito 6, Julii 1626. relato à Barbosa *in collect. Bull. V. Episcopus*, potest Episcopus ad custodiam clausuræ pœnam injungere excomunicationis, sibique etiam reservare absolutionem, adeò ut hæc excomunicatio liget etiam Regulares, & Moniales.

Sextò puella volens suscipere habitum Mo- 36
nialium post annum ætatis suæ 12. vel post annum 16. completum solemnem emittere professionem exploranda est ejus voluntas ab Episcopo, vel ejus Vicario, an coacta, & seducta, an verò voluntariè, & liberè regularem habitum suscipiat, vel professionem emittat, & renuntiationem bonorum suorum faciat, idque ex Trident. *sess. 25. c. 16. & 17.*

Septimò potest Episcopus unà cum superiori- 37
bus Regularibus interesse electionibus, quarumcunque Abbatissarum, Priorissarum, Præfectarum, vel Præpositarum eorundem monasteriorum, & quidem vel per se, vel per alium, & præsidere electioni sine ulla tamen impensa Monasterii, idque ex d. const. Gregorii XV. quæ incipit *inscrutabili*.

Octavò Monialibus subjectis Regularibus li- 38
centia alloquendi concedenda est ab Episcopo, vel ab ejus Vicario Generali, aut à superiori Regulari, cui Moniales conjunctim subjiciuntur. Id tamen limitandum est, nisi contraria consuetudo obstet, quia hæc plerisque in locis inolevit, ut hæc licentia colloquendi à solis superioribus Regularibus concedatur: & sacra Congregatio etiam statuit servandam esse in hoc locorum consuetudinem, ut notat Quaranta *in sum. V. monasteria Monialium pag. mihi 453.*

Nonò Monialis exempta, si exeat sine debita 39
licentia à Monasterio ex decreto Concil. Trident. *sess. 25. c. 5.* potest puniri ab Ordinario, ut rea fractionis clausuræ, cujus custodia etiam Monialium exemptarum pertinet ad Episcopum.

Decimò Monialis exempta si exiens à mona- 40
sterio cum debita licentia delinquat, puniri potest, & corrigi ab Ordinario tanquam super hoc à Sede Apostolica delegato ex d. Trident. *sess. 25. c. 5.* Verùm ibi Concilium loquitur de Regula,

gularibus, proinde non extenditur ad Moniales, quæ puniendæ potiùs essent à superiori Regulari. Demum Moniales exemptæ mediatè subduntur etiam Ordinario, quia iste monens superiorem regularem, ut ex justa causa amoveat Administratores bonorum monialium, si ille eos amovere nolit, vel negligat, quoties id consultiùs ipsi visum fuerit, potest ipse eos amovere ex dict. constit. Gregorii XV.

41 Verùm quia plures prohibitiones contra Regulares proveniunt ex declarationibus sacræ congregationis Cardinalium Concilii Trident. oritur dubium quomodo istæ, Regulares obligent: pro quo juvat observare, hujusmodi declarationes esse in duplici differentia, aliæ enim fiunt consulto summo Pontifice, & solent præsentari in ejus forma authentica, vel per breve, vel per monitorium Auditoris cameræ, vel per epistolam alicujus Cardinalis dictæ Congregationis nomine ipsius, vel per transumptum ex registris ejusdem Congregationis desumptum, & munitum sigillo Secretarii ejusdem Congregationis: & hisce declarationibus sacræ Congregationis tenentur Regulares omninò obedire, cùm factæ sint authoritate summi Pontificis, perinde enim est facere per alium, ac per se ipsum. Aliæ sunt declarationes dictæ Congregationis editæ inconsulto summo Pontifice, quæ ita frequenter fiunt: & hæ, licèt habeant vim interpretationis doctrinalis, & in Ecclesia sint maximè æstimandæ, non tamen semper habent vim legis universaliter obligantis: quia sacra Congregatio de jure communi non condit leges inconsulto summo Pontifice, ut liquet ex Bulla Sixti V. edita anno 1588. cui initium est *Immensa æterni Patris*, & refertur à Quaranta *in sum. Bullar. V. Congregationes Cardinalium.* Tum quia sensus ipsius sacræ Congregationis est nolle communiter suas declarationes habere pro legibus. Tum quia de essentia legis est, ut non obliget nisi promulgetur *c. 1. de postul. Prælat. §. verum*, & docet D. Thomas *1. 2. q. 90. art. 4.* atqui sacra Congregatio prohibet, has declarationes, neque manuscriptis, neque libris impressis esse publicandas, nisi illas tantùm, quæ in authentica forma solito sigillo, & subscriptione eminentissimi Cardinalis Præfecti, & Secretarii ejusdem Congregationis pro tempore existentium munitæ fuerint, ut habetur in decreto edito die 2. Augusti 1631. relato à Peyrino *tom. 4. fol. 404. decret. 7.* alioquin propemodum innumeræ essent leges Ecclesiasticæ, perinde ac quasi innumeræ sunt responsiones, ac declarationes hujus sacræ Congregationis.

42 Quomodo verò Regulares teneantur obedire summo Pontifici, an ex vi voti obedientiæ ab iisdem emissi in solemni professione, vel tantùm quia est caput Ecclesiæ. Videtur esse aliqua difficultas, quia licèt Religiosi teneantur summo Pontifici obedire, ut supremo omnium fidelium superiori, idque ex jure divino; est tamen difficultas, an etiam teneantur eidem parere ex vi voti obedientiæ. Ratio dubitandi ex eo petitur, quia promissio obedientiæ fit propriis Prælatis, & traditio Religiosi fit ipsi religioni, neque emittens solemnem professionem, tunc recordatur summi Pontificis, nec illi in mentem venit se summo Pontifici vovere: unde ex vi solemnis professionis non magis regulares videntur obligari summo Pontifici, quàm cœteri fideles. Nihilominus communis, & vera sententia docet cum D. Thoma 2. 2. *q. 186. art. 5. ad 5.* Regulares ex vi voti obedientiæ emissi in solemni professione teneri parere sumo Pontifici. Ratio est etiam perspicua, quia summus Pontifex est primus, & principalis Prælatus omnium religionum, ipse enim eas approbat, & sub cura, & patrocinio suo specialiter suscipit, & acceptat principaliter eorum vota, & traditionem, imò vult sibi principaliter fieri hanc traditionem, votorúmque promissionem: consequenter licèt id in ipsa Religiosorum professione specialiter non exprimatur, id tamen omninò subintelligitur.

Tum quia omnes Religiosi vovendo intendunt promittere obedientiam omnibus Prælatis, à quibus regi possunt, atqui inter Prælatos religionum principem locum obtinet summus Pontifex, cui cæteri omnes Prælati subjiciuntur, & dependent ab ejus nutu: siquidem Pontifex prout consultiùs visum fuerit, ipsos creat independenter à suffragiis aliorum Religiosorum, & nonnunquam etiam eos removet; proinde summus Pontifex est supremus omnium Religiosorum Prælatus, cui propterea primariò in solemni professione obedientiam promittunt. Nec obstat ratio dubitandi, quia ut Religiosus in solemni professione voveat obedientiam summo Pontifici non requiritur, ut intentio Religiosi voventis sit expressa promittendi summo Pontifici obedientiam; sed sufficit ut ex instituto religionis tacitè hæc intentio habeatur, cui generaliter etiam accommodatur intentio voventis. Hinc si casus contingeret, ut summus Pontifex, & Prælatus Regularis præciperent alicui Religioso omninò contraria, eaque licita, teneretur tunc Religiosus summo Pontifici parere, & non Prælato Regulari. Ratio est, quia Religiosus cùm solemnem emittit professionem tacitè, & virtualiter intendit promittere obedientiam cum debita subordinatione Prælationis, proinde principaliter, & primariò summo Pontifici, & secundariò, ac minùs principaliter aliis Prælatis, quibus ex regula tenetur parere, ut docet D. Thomas *in 2. dist. 44. q. 2. art. 3.* 43

Verùm ex eo, quòd promissio voti obedientiæ fiat secundùm regulam, Pontifex ex vi talis voti non potest præcipere nisi, quæ sunt secundùm regulam Religiosi voventis: ratio est, quia talis potestas cùm oriatur ex voto obedientiæ non debet extendi ultra intentionem voventis expressam in forma voti: qui enim vovet ad id tantùm se obligat quod vovet, exprimitque in forma voti, quia intentio voventis restringitur ad sola expressa in forma voti. Cæterùm potest summus Pontifex ex vi primariæ, & universalis suæ jurisdictionis aliquid ultra regulam præcipere Religiosis, cùm hæc potestas sit major, ut docet Suarez *tom. 3. de relig. lib. 10. c. 8. n. 11.* 44

§. IV.

De Potestate Episcopi, quoad absolvendum, ex vigore decreti Concilii Tridentini sess. 24. c. 6. de refor.

1 POtestas à Concilio Tridentino concessa Episcopis ampla est, ac digna examine: habetur enim *sess. 24. c. 6. Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, ac suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, ea excepta, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, & in quibuscunque casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reservatis delinquentes quoscunque sibi subditos in Diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absolvere impositâ pœnitentiâ salutari. Idem etiam in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantùm, non eorum Vicariis sit permissum.*

2 Quæritur primò, an Episcopus electus, & confirmatus, sed nondum consecratus, possit uti hoc privilegio. Respondetur affirmativè: quia Episcopus electus, & confirmatus tametsi nondum consecratus, est verus Episcopus, quoad omnia spectantia ad potestatem jurisdictionis. Tum quia nomen *Episcopi*, ex sui etymologia videtur convenire electis, & confirmatis, quibus à tempore confirmationis capta legitima possessione incumbit administratio, & regimen totius Diœcesis ut liquet ex *c. cùm in cunctis §. cùm verò* juncta Glossa *V. administrationem de elect.* Tum quia privilegium Tridentini est circa jurisdictionem Episcopi, quæ convenit Episcopis electis, & confirmatis: facultas enim dispensandi in omnibus irregularitatibus, & suspensionibus pertinet ad potestatem jurisdictionis, & non ordinis: proinde non est necessaria consecratio, ut docent Suarez *tom. 5. disputat. 42. sect. 2 num. 7.* Diana *tract. 3. resolut. 1. n. 2.* Floronus *de cas. reser. p. 1. c. 4. §. 7. n. 7.* Lessius *lib. 2. cap. 4. dub. 11.* ubi ait, Episcopos electos, & confirmatos, quamvis non consecratos, posse dispensare in votis, & juramentis, eò quia dispensationes sint actus jurisdictionis. Hinc Episcopi carentes Diœcesi, cùm etiam careant subditis, in quos exercent jurisdictionem, non possunt uti tali privilegio.

3 Quæritur secundò, an, ubi non est receptum Concilium Tridentinum, possint Episcopi uti, privilegio talis decreti: affirmat Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 2. cap. 11. n. 3.* eò quia quoad favores possit aliqua lex recipi quoad unam partem, non verò quoad aliam; & tunc tantùm obligat secundùm partem receptam. Censet enim, Episcopos in partibus, ubi non est receptum Concilium Tridentinum illud ex se recepisse quoad favores. Verùm contraria sententia est probabilior, & communior, quia ubi Concilium non est receptum quoad leges onerosas, neque censetur receptum quoad favorabiles, ut probat Amicus *de just. & jur. disput. 6. sect. 3. num. 5.* Filliucius *tom. 1. tractat. 8. cap. 10. num. 269.* Gavantus *in manual. Epist. V. absolutio. num. 6.* Alvinus *de potestat. Episcop. cap. 26. num. 19.* Tum quia Episcopos earum regionum, in quibus Concilium Tridentinum adhuc non est receptum, non posse uti facultate concessa *in decreto Tridentini* declarâsse sacram Congregationem Concilii refert Garzias *de benefic. par. 7. cap. 11. num. 23.* unde supposita tali declaratione, contrariæ sententiæ non est adhærendum.

4 Quæritur tertiò, an etiam Vicarius Episcopi ex generali commissione sibi data habeat potestatem dispensandi in casibus papalibus, quos potest absolvere, ac dispensare Episcopus ratione alicujus impedimenti. Affirmant plures cum Bossio *de jurisdiction. Episcop. discept. 1. dub. 8. num. 49.* eò quia Vicarius Generalis constituat unum tribunal cum Episcopo, sitque propriè Ordinarius in tota Diœcesi, habeatque eandem jurisdictionem ordinariam, quam habet Episcopus: sed facultas absolvendi impeditos à casibus reservatis Sedi Apostolicæ, cùm non sit delegata, sed ordinaria, & annexa jurisdictioni Episcopali, videtur etiam competere Episcopo. Verùm contraria sententia est vera, & illi adhærendum, quia talis facultas conceditur Episcopo specialiter ratione suæ dignitatis, ac officii: unde nisi specialiter ab Episcopo delegetur suo Vicario generali, non censetur illi concessa in virtute solius generalis commissionis, in qua non includuntur specialia, quæ non esset Episcopus verisimiliter concessurus, ut liquet ex *c. cum generali. de offic. Vicarii in 6. & cap. 8. de pœniten. & remiss. in 6.*

5 Quæritur quartò, an saltem Abbates, & Prælati habentes jurisdictionem quasi Episcopalem possint uti privilegio decreti Concilii. Plures affirmant ea innixi ratione, quia decretum Concilii sit gratiosum, & favorabile, proinde ampliandum ad omnes gaudentes jurisdictione quasi Episcopali. Tum quia à Concilio non eligitur industria personæ, proinde extenditur ad habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, cujusmodi sunt Abbates, & Prælati, qui possunt deputare Vicarium, erigere tribunal, approbare ad Confessiones. Verùm contraria sententia est verior, quam propugnant Garzias *de benefic. par. 7. cap. 11. num. 13.* Suarez. *tom. 4. disp. 30. sect. 2. num. 6.* Ledesma *in sum. tom. 2. tract. 1. cap. 6. difficult. 1.* quia licèt quandóque nomine Episcopi comprehendantur Abbates, & Prælati inferiores habentes quasi Episcopalem jurisdictionem, non tamen comprehenduntur in decreto Concilii, eò quia illa constitutio exorbitet à jure communi, eique deroget: proinde non est amplianda licèt gratiosa, sed tantùm limitanda, ad eos, qui verè sunt Episcopi saltem confirmati Tum quia teste Suarez *loc. cit.* sacra Congregatio ita declaravit, & Garzia *de beneficiis par. 7. cap. 11.* citat verba Congregationis inquiens: in hoc decreto non comprehenduntur inferiores habentes jurisdictionem ordinariam, & quasi Episcopalem; sed tantùm Episcopi privativè, quoad omnes alios.

Quæri-

6 Quæritur quintò, an Archiepiscopus actu visitans Diœceses suorum suffraganeorum possit uti privilegio concesso per Tridentinum. Respondetur affirmativè, ac virtute talis decreti habere facultatem dispensandi, & absolvendi subditos suorum suffraganeorum: quia eo ipso quòd Metropolitanus visitat Diœcesin, censetur Ordinarius illius, proinde habet totam illam jurisdictionem, quam Concilium Tridentinum concedit Episcopis. Tum quia dispensatio super irregularitate nonnunquam necessaria est, si non ad recipienda, saltem ad administranda sacramenta, & ad celebrandum, sicut absolutio à censuris; consequenter censetur comprehensa in *c. ult. de cens. in 6.* ubi conceditur Archiepiscopis visitantibus potestas audiendi confessiones subditorum suffraganeorum, eosque absolvendi. Imò etiam extra tempus visitationis potest Archiepiscopus uti tali privilegio, circa suos Episcopos suffraganeos eò quia illi censeantur subditi Archiepiscopi, ut notat Sanctarellus *tractat. de hæresi cap. 5. dub. 1.* Bossius *de jubilæo sect. 1. cap. 10.* & alii.

7 Quæritur sextò, an Episcopus possit uti privilegio concesso per Tridentinum etiam cum Regularibus exemptis. Respondetur cum distinctione: vel enim hæc facultas absolvendi, & dispensandi est in Prælato Religionis; aut in Provinciali, vel alio superiore ejusdem religionis, & tunc Episcopus non potest Regulares absolvere, sed tenetur Regulares remittere pro absolutione ad superiores suæ Religionis: quia cùm pateat remedium intra religionem, non debet Religiosus remedium quærere extra illam: vel facultas absolvendi, & dispensandi non est in ullo Religionis Prælato, & tunc censerem, posse Episcopum ex licentia superiorum talis Religiosi illum absolvere ex vi decreti Concilii Tridentini; quia exemptio Religiosorum inducta est in favorem religionis, ut Religiosi majori tranquillitate Deo famulentur, & ne passim ab Ordinariis perturbentur, proinde in iis, quæ favorem religionis concernunt, non debent deterioris esse conditionis, quàm alii non exempti de eadem Diœcesi. Neque privilegium exemptionis in hoc casu operatur contra ejus finem, qui est impedire hanc subjectionem, quia tunc subjectio est in favorem, non in gravamen. Tum quia in *c. luminosa 18. q. 2.* habetur, quòd Episcopus ex consensu Abbatis possit exercere jurisdictionem in Monasterio exempto. An verò ut Religiosus absolvatur ab Episcopo sit necessarius expressus consensus sui superioris. Respondetur, sufficere consensum virtualem: quia in favorabilibus censetur per epichiam tota Religio assentiri. Quòd si Prælatus esset impeditus, vel longè abesset, nec alius ejus vices gereret, tunc Religiosus posset immediatè Episcopum accedere pro absolutione, imò etiam præsente Prælato, & non impedito, quando ille injustè denegaret licentiam petitam adeundi Episcopum, si ipse Prælatus, nec alius in Religione posset Religiosum absolvere: quia per epichiam non supponitur, quòd voluntas summi Pontificis, & Religionis sit, ut in illo casu Episcopus non absolvat Religiosum, ut hic cogatur vagari, & adire Sedem Apostolicam pro absolutione.

Quæritur septimò, an Episcopus possit extra 8
suam Diœcesin uti privilegio Concilii. Respondetur valdè probabile esse, posse suos subditos existentes extra Diœcesin absolvere ex vi privilegii concessi à Tridentino; quia licèt in tali privilegio habeatur, quòd Episcopus absolvat *in sua Diœcesi*, hæc tamen verba commodè explicari possunt de suis subditis, proinde potest Episcopus illos absolvere, etiam extra propriam Diœcesin. Non ita putàrim posse absolvere extra propriam Diœcesin subditos alterius Episcopi, quia Episcopus in Diœcesi aliena non habet jurisdictionem circa subditos non proprios, & pertinentes ad alium Episcopum: ideo enim Episcoporum jurisdictio limitatur intra terminos propriæ Diœcesis, ut pax, & concordia inter Prælatos servetur, & ne jurisdictio unius usurpetur ab alio. Cæterum Episcopus in propria Diœcesi potest absolvere quemcunque subditum, quomodocunque sit subditus, sive ratione domicilii, vel beneficii, sive ratione fori pœnitentiæ, eò quia quis se subjiciat Episcopo, ut ab eodem absolvatur: quapropter etiam advenas, & peregrinos potest in sua Diœcesi ex vi privilegii absolvere.

Quæritur octavò, an Episcopi vigore decreti 9
Concilii possint etiam absolvere, & dispensare extra confessionem sacramentalem in irregularitatibus omnibus, ac suspensionibus provenientibus ex delicto occulto excepta irregularitate orta ex homicidio voluntario. Barbosa *de potestat. Episcop. par. 2. allegat. 39. num. 8.* negat extra confessionem sacramentalem, posse Episcopum hac potestate uti: eò quia decretum Concilii ait, quòd in foro conscientiæ possit Episcopus gratis absolvere imposita salutari pœnitentia; & censet, illa verba in foro conscientiæ esse intelligenda in confessione sacramentali, & illi adhærent Nicolaus Garzia *de benefic. par. 11. cap. 10. num. 149.* Aloysius Riccius *in praxi fori Ecclesiastici resol. 445. n. 8.* Imò Barbosa asserit, hanc sententiam tenere praxim sacræ Pœnitentiariæ, & sacram Congregationem pluries id declarasse. Verùm contraria sententia, quam propugnant Navarrus *lib. 5. cons. 11. n. 2. de privileg.* Suarez *de cens. disp. 41. sect. 2. num. 11. & tom. 2. de relig. tract. 6. c. 16. num. 4.* Diana *tract. 3. de potestat. Episcop. resol. 12.* Floronus *de cas. reser. pag. 1. cap. 4. §. 7.* Gavantus *in manual. Episc. V. absolutio num. 9.* est perquam probabilis: quia illa particula apposita in Concilio *in foro conscientiæ* non exigit, quòd hæc absolutio necessariò debeat impendi in sacramentali confessione, sed tantùm significat, quòd illa absolutio non valeat pro foro externo: forum enim internum est duplex, sacramentale unum, aliud conscientiæ, & utrumque distinguitur à foro externo. Hinc Trullench. *in decal. tom. 1. lib. 1. c. 3. dub. 4. num. 7.* asserit, posse Episcopum in absentia absolvere subditum ab excommunicatione,

& aliis reservatis, & sublata excommunicatione posse quemlibet Confessarium eum absolvere à peccatis: siquidem absolutio ab excommunicatione potest impendi etiam in absentia.

10 Quæritur nonò, an possit Episcopus in sua Diœcesi virtute decreti Concilii Trident. absolvere quoscunque etiam exteros. Respondetur affirmativè, quia nomine subditorum intelliguntur etiam exteri, & vagabundi, qui reperiuntur in tali Diœcesi, quia cum nullibi censeantur habere domicilium, subduntur Episcopo, in cujus Diœcesi pro tempore, & loco, reperiuntur, ut fusè ostendit Suarez *3. par. disputat. 30. sect. 2. num. 3.* Imò non solùm vagabundi, sed etiam Scholastici, & mercatores habentes propriam Diœcesin possunt absolvi ab Episcopo illius Diœcesis, in qua reperiuntur: tametsi brevi sint reversuri ad proprias domus, nec est necessè, ut in illa Diœcesi majore parte anni fuerint commorati, ut probat Suarez *tom. 5. disp. 36. sect. 2. n. 3.* Quia licèt in ordine ad dispensationes requiratur habitatio, vel saltem animus habitandi pro majori anni parte in illa Diœcesi, ut notat Barbosa *allegat. 39. n. 6. & 7.* non tamen id requiritur ad absolutionem hæresis, & cujuscunque casus reservati ibi concessam, quia ex generali Ecclesiæ consuetudine, ac interpretativa propriorum Episcoporum voluntate, quoad talem absolutionem, & etiam in ordine ad sacramenta confessionis, & Eucharistiæ recipienda, quicunque extranei censentur Incolæ, & subditi Episcopi, in cujus Diœcesi pro tempore reperiuntur. Quod tamen non extenditur ad dispensationem super irregularitate, & votis, quia qui non potest in principali, nec potest in accessorio, *c. accessorium. de regul. jur.* & Episcopus cum non possit extraneis conferre ordines, nec potest dispensare super irregularitate cùm dispensatio habeatur ut quid accessorium ad ordines.

11 Quæritur decimò, an possit Episcopus facultatem sibi concessam à Concilio Tridentino absolvendi in irregularitatibus, & suspensionibus, aliis delegare. Negant plures præsertim Guttieres *lib. 1. cap. 13. num. 29.* Riccius *de jure person. extra. grem. Eccles. exist. lib. 5. cap. 16. numer. 3.* Alterius *de censuris tom. 2. disp. 8. conclus. 4.* Ratio, qua nituntur in eo fundatur, quia Concilium in *eod. c.* agit de dispensatione, deinde de absolutione, & facultate dispensandi, quam simpliciter concedit Episcopis sine ulla extensione. Secus potestatem absolvendi extendit etiam ad Vicarium specialiter deputatum: ex quo inferunt, mentem Concilii fuisse, priorem jurisdictionem communicare tantum Episcopis; quia extensio in secundo casu apposita, & quæ reticetur in primo apertè ab illo excluditur; siquidem constitutio in una parte declaratur ab alia, & suppletur, aut restringitur *l. unic. in princ. C. de inoffic. dot.* Cùm igitur Concilium in prima parte nil dicat de Vicario, non debet supponi illa pars commissa etiam Vicario, quia si illam voluisset Vicario concedere, id perinde expressisset, sicut expressit in secunda parte, in qua agit de absolutione *arg. text. in l. unic. §. sin autem ad deficiend. C. de caduc. tollen.* Ratio discriminis etiam est; quia absolutio est magis necessaria ad salutem animarum, quàm dispensatio ab irregularitate, & suspensione.

Nihilominus opposita sententia non caret probabilitate sufficiente, ut deducatur ad praxin, illam enim propugnant Suarez *de censuris disput. 41. sect. 2. num. 8.* Duardus *in Bulla cœnæ. §. 2. quæst. 11. num. 34.* Diana *de potestat. Episcop. resol. 14.* Gavantus *in manual. Episcop. V. absolutio. num. 10.* quia in d. decreto Concilii dispensatio conceditur absolutè, non appositis illis verbis *vel per Vicarium*, quæ tamen apponuntur concessioni facultatis absolvendi, quæque non continet extensionem, seu ampliationem ejusdem facultatis, sed restrictionem, quia si nihil adderetur posset Episcopus omnes casus sibi in d. decreto concessos quoad absolutionem delegare, sive generaliter, sive specialiter; quia cum illa facultas absolvendi ex vi decreti sit annexa dignitati, est ordinaria, & delegabilis. Quamobrem illa limitatio per Vicarium ad id specialiter deputatum, id specialiter operatur, ut Episcopus nequeat talem facultatem exercere simpliciter per quemcunque Vicarium, tametsi illi generaliter facta esset delegatio, sed tantùm per Vicarium specialiter deputatum pro illis casibus, ut ait Diana *loc. cit.* Tum quia non videtur adesse sufficiens ratio, ob quam Concilium debuerit hanc facultatem dispensandi super irregularitatibus, & suspensionibus limitare, & coarctare ad Episcopos, ut per se solos deberent illam exercere, cum frequenter expediat, concedere hanc facultatem absolvendi à casibus occultis alteri Confessario, qui possit causam dispensationis melius inquirere. Tum quia plerumque contingit, eos sacerdotes, qui hujusmodi dispensatione indigent, non posse propter varia impedimenta accedere ad Episcopum, quapropter consentaneum videbatur, ut Episcopi possent hanc potestatem aliis delegare. 12

Quæritur undecimò, quinam sint casus occulti, in quibus Episcopus vigore Concilii Tridentini potest absolvere, Graffius *tom. 2. consi. titulo de homicidio cons. 2.* Garzias *de beneficiis p. 7. cap. n. 46.* Guttieres *in quæst. can. lib. 1. c. 15. num. 27.* & alii censent, casum occultum ex mente Concilii, & juxta præsens institutum, eum esse, qui secundùm terminos juris non potest probari. Sed communior sententia asserit, casum occultum in præsenti materia eum censeri, qui non est publicus, tametsi uni, vel alteri innotescat; ut enim notat Davilos *de potestat. Episcop. c. 26. n. 3.* ex præscripto juris tripliciter aliquid dici potest occultum. Primò quod ex sua natura non est probabile, quia ut tale non cadit sub cognitionem hominis. Secundò, quòd licet ex sua natura sit probabile, probari tamen non potest, eò quia nemo illius notitiam habeat, eò quia coram nemine sit factum. Tertiò quod probari quidem potest, eò quia 13

quia aliquibus innotescat, sed tamen paucis, à quibus non est in judicium deductum, & *num. 9.* asserit, per casus occultos sedi Apostolicæ reservatos, vigore Concilii, & Episcoporum jurisdictioni concessos non esse eos intelligendos, qui primo modo dicuntur occulti, sed tantùm secundo, & tertio; cui sententiæ adhærent Navarrus, Sanchez, Azorius, Lessius, Duardus, Bossius, & alii plures. Ratio est, quia in dicto decreto Tridentini excipiuntur delicta ad forum contentiosum deducta; proinde non excipiuntur occulta, quæ licèt probari possint, non tamen ad forum contentiosum sunt deducta. Firmari etiam ex eo potest; quia occultum in jure accipitur pro ut contrà distinguitur à Notorio publico, & famoso, ut notat Abbas *in c. fin. de temp. ordinat.* Hinc Episcopus virtute Concilii potest dispensare, quando delictum non est publicum licèt uni, vel alteri innotescat.

14 Imò ex Joan. à S. Thoma licèt delictum pluribus innotescat, dummodo non sit deductum ad forum contentiosum, dicitur occultum juxta præsens institutum, quia omne, quod non est deductum ad forum contentiosum, tametsi notorium sit in civitate, & probari juridicè possit, censendum est occultum: proinde Episcopus potest dispensare super irregularitate, ex illo proveniente. Cum enim privilegium concessum Episcopis sit gratiosum, & maximè favorabile, ampliari debet, & non restringi: & quia delictum, quamdiu non est deductum ad forum contentiosum dici potest occultum respectu talis fori, licèt pluribus in civitate innotescat; ideò potest Episcopus dispensare super irregularitate orta ex tali delicto; idque ex eo efficaciter probatur, quia Concilium in illa concessione solùm excipit delictum publicum, quod defacto deductum est ad forum contentiosum, sicut solùm excipit irregularitatem ortam ex homicidio propriè voluntario; unde cum exceptio firmet regulam in contrarium, in illa generali concessione haberi debet tanquam regula generalis, quòd de mente Concilii, illud totum censeatur occultum, quod non est deductum ad forum contentiosum. Licèt ita censeat, ac doceat Joan. à S. Thoma *in 1. 2. q. 64. disp. 13. art. 3.* Nihilominus censerem probabilius, delictum occultum non esse censendum illud, quod publicum est toti civitati, & solùm non est deductum ad forum contentiosum; sed illud esse occultum quod non solùm non est deductum ad forum contentiosum, sed etiam paucis innotescit, adeò ut licèt probari possit, & aliquibus innotescat, adhuc dicatur occultum, prout hoc distinguitur à publico: cæterum si toti innotescat civitati non est ampliùs occultum, ut etiam si majori parti loci innotescat. Hoc enim pacto solet distingui delictum occultum à publico: imò sunt, qui censeant, delictum tunc non esse ampliùs occultum, si innotescat decem, vel duodecim personis.

15 Quæritur duodecimò, quandonam delictum censeatur deductum ad forum contentiosum, ut Episcopus non possit ampliùs dispensare super irregularitate ex illo proveniente? Alterius, Ricciùs, Floronus, Henriquez, & alii censent, tunc delictum censeri deductum ad forum contentiosum, ubi primùm citatio est facta; idque ex eo probant, quia regulariter à citatione incipit judicium §. *fin. instit. de pœna temerè litig.* Glossa *in rub. C. de in jus vocando*, adeò ut in hac sententia, tunc delictum dicatur deductum ad forum contentiosum, quando ejus denuntiatio, vel accusatio facta est coram legitimo judice, & reus ratione illius citatus fuit, eò quia citatio est primus actus judicii. Alii tamen volunt, delictum tunc tantùm intelligi deductum ad forum contentiosum, quando lis jam est contestata, ita enim docet Barbosa *2. p. de potestat. Episcop. allegat. 39. n. 29.* idque primò, quia forum contentiosum dici non potest, nisi inter partes super delicto commisso contendatur negando, vel confitendo: hoc enim actu litis contestatio etiam inducitur in criminalibus. Secundò quia forum contentiosum est idem, ac judicium, quod non est perfectum, usque ad litis contestationem. Tertiò quia forum contentiosum non differt à lite mota, cùm perinde sit in foro contendere, ac in illo litem movere; & lis tantùm dicitur moveri post factam contestationem litis, ut probat textus *in cap. ex parte 70. de verb. signif.* ex quibus concludit, delictum deductum ad forum contentiosum esse dicendum post litis contestationem, & non ante.

Quæritur tertiodecimò, an si reus fuerit absolutus à delicto deducto ad forum contentiosum possit cum illo Episcopus dispensare super irregularitate ex illo orta. Licèt aliqui negent eò quia Concilium excipiat absolutè delicta deducta ad forum contentiosum; adeò ut sola deductio sufficiat, ut Episcopus vigore dicti Decreti dispensare non possit super irregularitate orta ex tali delicto. Nihilominus exactiùs videtur procedendum cum distinctione, ut censet Suarez *de censuris disput. 41 sect. 2. n. 6.* vel enim reus delatus in judicium fuit absolutus à tali delicto, eò quia nullo modo probatum fuerit, & hoc pacto remanet occultum; & Episcopus potest dispensare super irregularitate ex illo proveniente; vel delictum fuit aliquo modo etiam semiplenè probatum; & sic non potest Episcopus dispensare super irregularitate ex illo orta, quia ex semiplena probatione in foro exteriori facta oritur publica infamia sufficiens, ut res non remaneat occulta. Diana tamen *tractat. 3. de potest. Episc. resolut. 23.* cum pluribus aliis, quos citat, censet, absoluto judicio, & lata sententia absolutoria, posse Episcopum vigore Decreti Concilii Tridentini dispensare super irregularitate orta ex tali delicto: quia semel quod data est sententia absolutoria non potest delictum dici deductum ad forum contentiosum cum effectu, eò quia probatum non fuerit. Et hæc sententia mihi videtur probabilior: quia tantùm ratione infamiæ notoriæ non potest reus absolvi, vel dispensari super irregularitate orta ex delicto; & quando reus in judicio se purgavit à delicto, in quo fuit accusa- 16

tus, & à judice fuit absolutus nullam contrahit infamiam, quia propriam prodit innocentiam, & ostendit se falso fuisse accusatum.

17 Quòd si delictum deductum ad forum contentiosum fuerit probatum post absolutum judicium, non posset Episcopus illum absolvere super irregularitate orta ex tali delicto, eò quia ratione probationis in judicio contrahit publicam infamiam, & delictum est notorium, ac publicum, eò quia in judicio probatum, quæ enim sic probata sunt, notoria fiunt, ut probant Tiraquel *de retractat. lignag. §. 36.* Mascardus *de probat. conclus. 1101. num. 13.* Menochius *de arbit. cas. 166. n. 6.* quia revera illud delictum est cum effectu deductum ad forum contentiosum, ubi supponitur probatum, vel etiam punitum. Tum quia privilegium est tantùm de delicto occulto, non deducto ad forum contentiosum, & rursus absolutio est solùm pro foro conscientiæ, & delictum sic in judicium deductum etiam indiget absolutione pro foro exteriori. Diana tamen *tractat. 3. de potestat. Episcop. resolut. 25.* censet contrariam sententiam tutam in praxi, eò quia quando Concilium concedit Episcopis potestatem absolvendi super irregularitatibus ortis ex delictis occultis; ideò exigit, quòd delicta sint occulta, ne turbetur tribunal judicis, quod declinare intendit Tridentinum, cujus intentio fuit consulere authoritati judicum; cùm verò delictum fuit jam deductum ad forum contentiosum, & absoluto judicio punitum, non turbatur tribunal judicis, nec quidquam detrahitur ejus authoritati, quia jam suo est functus officio. Tum quia Concilium eatenus exigit delictum occultum, ut vitetur publicum scandalum quod jam cessavit per punitionem factam per judicem.

18 Quæritur quartodecimò, an Episcopus possit absolvere à casibus occultis reservatis Papæ per novas constitutiones post Decretum Concilii Tridentini. Garzias *de benefic. par. 11. cap. 10. num. 122.* Floronus *de cas. reser. par. 1. cap. 4. §. 22. num. 5.* & alii negant, quia novæ constitutiones Pontificum derogant Decreto Concilii, & Garzias asserit, non esse necessariam expressam derogationem maximè in lege contraria, & ait ita declarâsse Gregorium XIII. quærentibus enim, an Decretum hoc locum habeat post Concilium Tridentinum ex nova lege in casibus occultis Sedi Apostolicæ reservatis, S. D. N. Gregorius XIII. audita relatione Congregationis respondit non habere locum. Verùm Suarez *de pœnit. disput. 30. sect. 2. num. 12.* Gavantus *in manu. Episcop. V. absolutio. num. 4.* Peregrinus *tractat. de duello. quæst. 33. num. 5.* Diana *tractat. 3. de potest. Episcop. resolut. 27.* & alii censent, Episcopum vigore Decreti Concilii Tridentini posse absolvere à casibus occultis reservatis Papæ post dictum Concilium per novas constitutiones, quando in hisce non adest sufficiens clausula derogans; & hæc sententia est probabilior: quia tametsi Concilium utatur verbo præteriti temporis extenditur tamen, etiam ad futura, idque ex natura legis, cujus est proprium comprehendere futura, ut liquet ex *cap. final. de const.* & ex *l. Arriani C. de hæret.* ubi habetur, quòd lex semper sit in virili observantia, ac semper loquatur; & Concilium Generale, cujusmodi fuit Tridentinum, habet vim legis, proinde Decretum illud est generaliter intelligendum: atqui in constitutionibus Pontificiis editis post Decretum Concilii non reperitur sufficiens clausula, quæ deroget tali decreto Concilii, ut notat Bonacina *de censuris quæst. 3. punct. 2 num. 1.* Neque de illa declaratione facta à Gregorio XIII. & quæ citatur à Garzia, exstat testimonium authenticum.

Quæritur quintodecimò, an legitimo detentus impedimento, quo non potest Romam personaliter adire pro absolutione à summo Pontifice obtinenda, teneatur per epistolam recurrere ad pœnitentiariam. Respondent nonnulli, esse tunc per epistolam recurrendum ad pœnitentiariam. Verùm licet id sit tutius: nihilominus contrarium est valdè probabile, quia impeditus adire personaliter summum Pontificem non tenetur mittere procuratorem pro absolutione à reservatis, neque epistolam, adeò ut Episcopus vigore Decreti Concilii Tridentini possit absolvere etiam ab excommunicatione reservata Papæ, non solùm quando delictum est occultum, sed etiam quando excommunicatio est publica, dummodo publicè etiam constet de impedimento excommunicati, ratione cujus non possit Romam adire: & id etiam colligitur ex *c. de cætero, de sent. excommun.* ut docet Navarrus *c. 28. num. 9.* Sunt autem impedimenta sufficientia moralе periculum mortis in itinere, diuturna infirmitas, quamvis periculosa non sit ex *cap. de his, & cap. quamvis eod. tit.* paupertas, quia nemo tenetur mendicare nisi fortassis jam esset mendicus; ætas senilis, vel puerilis; Sexus fragilitas, ut fœmina cujuscunque sit conditionis; defectus libertatis eò quia non sit quis sui juris; animarum cura, vel dominium temporale, eò quia ex absentia superioris timeatur grave damnum in subditis; debilitas corporis in iis, qui labores itineris sustinere non valent: hæc omnia impedimenta desumuntur ex jure. 19

Quæritur sextodecimò, an Episcopus ex vigore Decreti Concilii Tridentini possit absolvere suos subditos ab hæresi occulta. Respondetur, Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 6.* concedere quidem Episcopis facultatem absolvendi suos subditos ab hæresi occulta in foro conscientiæ; sed sacram Cardinalium Congregationem postea declarâsse, neque Episcopos, neque inquisitores posse imposterum in foro conscientiæ absolvere hominem hæreticum, tametsi hæc facultas illis concessa sit à Concilio Tridentino, idque propter Bullam Pii V. seu cœnæ Domini, quinimo non solum decreto concilii per dictam Bullam derogatum esse in crimine hæresis, verùm etiam in omnibus aliis casibus comprehensis in dicta Bulla Pii V. docent Navar. *c. 27. n. 256.* Zerola *p. 1. V. absol. n. 4.* Filliutius *tract. 3. c. 10. n. 287.* & alii plures. Nihilominus Henriq. *l. 13. c. 27.* 20

c. 27. n. 6. in fin. commentarii asserit, præfatam Cardinalium declarationem tantum fuisse factam pro locis Romæ Vicinis; quòd si id verum esset, Episcopi extra statum Ecclesiasticum, & præsertim ultra montes beneficio decreti emanati à Concilio Tridentino possent suos absolvere subditos à crimine hæresis occultæ in foro conscientiæ, ut censent Coninc *de sacrament. disput. 14. dub. 16. n. 243.* Kienk *de cas. reser. pag. 325.* Fernandez *exam. p. 3. c. 9. §. 16. n. 6.*

21 Quæritur decimoseptimò, an ex suppositione quod possit Episcopus absolvere suum subditum ab hæresi occulta, possit subdelegare aliis eandem facultatem absolvendi; hæc quæstio procedit æquè de absolutione ab hæresi occulta, quàm de aliis excommunicationibus papalibus. Respondetur negativè, quia Tridentinum expresse concedit hanc facultatem absolvendi ab hæresi occulta soli Episcopo, & non ejus Vicario; neque est par ratio de aliis casibus reservatis Papæ, qui si fuerint occulti, possunt ab Episcopo absolvi, quia Concilium statuit hanc differentiam, ut ab aliis casibus occultis possit Episcopus absolvere per se, vel per suum Vicarium, ad id specialiter deputandum: secus ab hæresi occulta statuit, ut solus Episcopus possit per se absolvere, & non per suum Vicarium; alioquin si posset Episcopus facultatem ab hæresi occulta suos subditos absolvendi alteri delegare, nulla esset differentia inter absolutionem ab hæresi occulta, & aliis casibus reservatis Papæ etiam occultis.

22 Censent tamen plures, posse Episcopum dare hanc facultatem alicui in casu aliquo particulari, qui occurrat hic, & nunc, non verò generatim; adeò ut non possit delegare facultatem generalem alicui; ut absolvat toties, quoties occurrit, ab hæresi occulta, sed tantùm, quando contingit, ut quis incidat in hæresin hic, & nunc; dicunt enim posse tunc Episcopum deputare certum Confessarium, à quo absolvatur; & per hoc dicunt, assignari sufficiens discrimen inter absolutionem ab hæresi occulta, & aliis casibus reservatis itidem occultis: eò quia in aliis casibus occultis possit Episcopus dare facultatem generalem alicui deputato, ut absolvat toties, quoties occurrit; at in peccato hæresis non possit delegare hanc facultatem generalem, ut quotiescunque homines incidunt in hæresin occultam, possit Confessarius illos absolvere; sed tantùm pro aliquo casu particulari.

23 Hinc quando Concilium Tridentinum *sess. 24. c. 6.* asserit, quòd solus Episcopus possit absolvere ab hæresi occulta, & non ejus Vicarius, dicunt Concilium esse intelligendum, quòd Episcopus non possit deputare suum Vicarium, ut generaliter ab omnibus peccatis hæresis occultæ absolvat, non verò quòd non possit deputare Vicarium ad specialem casum hæresis occultæ. Ita videntur docere Sanctarellus *tract. de hæresi. c. 5. dub. 4. n. 18.* Diana *tract. 3. de potest. Episc. resolut. 15.* Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 11. c. 11. n. 22.* Duardus *in Bulla cœnæ. lib. 3. §. 2. q. 11. n. 14.* Layman. *lib. 1. tract. 5. p. 2. c. 5. n. 2.* Fagundez *de præcept. Eccles. p. 2. lib. 8. c. 8. n. 36.* & alii quos citat Diana. Quòd si dicas *in c. ult. §. fin. de offic. delegat.* haberi, non posse eum, cui est commissa facultas excommunicandi, vel absolvendi, vel dispensandi, eandem aliis delegare. Respondet Diana, illum textum esse intelligendum, quando alicui conceditur nudum ministerium aliquid faciendi; non ita quando facultas conceditur in perpetuum dignitati, vel officio, quia tunc talis potestas sic annexa dignitati est Ordinaria, & non ministerialis; potestas verò Ordinaria potest delegari alteri, licèt non purè ministerialis, ut notant Navar. *cons. 15. sent. excom.* Covarruvias *lib. 3. var. c. 20. n. 6. init. & n. 9. & 10.* Felin. *c. licèt de offic. Ordinar. n. 4.* Jmola. *in c. final. de offic. Ordin. in fin.* cùm igitur facultas absolvendi ab hæresi occulta vigore decreti Concilii Tridentini sit annexa in perpetuum Episcopali dignitati non est censenda facultas ministeralis, sed Ordinaria, quæ potest ab Episcopo alteri delegari. Hinc non benè sentiunt, qui putant, hanc facultatem fuisse à Concilio concessam Episcopo, quatenus ad talem absolutionem, Concilium elegit industriam personæ constitutæ in dignitate Episcopali; proinde non posse Episcopum hanc facultatem delegare alteri, quia quando eligitur industria personæ, ad aliquid præstandum, tenetur hæc per se ipsam, non verò per alios id facere. Nam falsum est, Concilium elegisse industriam personæ, quia quoties facultas aliqua conceditur superioribus, præsentibus, & futuris, non censetur tunc eligi industria personæ; siquidem personæ succedentes ad talem dignitatem non innotescunt de præsenti, & tamen etiam ad illas extenditur facultas, quæ propterea non datur intuitu industriæ talis personæ, sed intuitu dignitatis, quæ semper est eadem etiam in successoribus, non ita industria personæ.

Hinc non damnarem improbabilitatis hanc secundam sententiam. Quòd possit Episcopus delegare alteri facultatem absolvendi generatim ab aliis excommunicationibus papalibus ob delicta occulta propugnant Suarez *de pœnitent. disp. 30. sect. 2. n. 9.* Layman *lib. 1. tract. 5. p. 2. c. 5.* Duardus *in Bulla cœnæ. lib. 3. §. 2. q. 11.* Sanchez *tom. 1. lib. 2. c. 11. n. 23.* quia in decreto Concilii Tridentini, ut jam ostensum est, non eligitur industria personæ, sed illa facultas conceditur dignitati Episcopali, quoties enim facultas conceditur Prælatis præsentibus, & futuris, in perpetuum, non potest dici, quod eligatur industria personæ, ut notant Jason *in l. more majorum. n. 56. §. de jurisdict. om. judic.* Menochius *de arbit. q. 64. n. 17.* Lopez *l. 47. in fin. tit. 18. p. 3.* 24

An verò possit Episcopus delegare Confessario Monialium facultatem absolvendi ab externa hæresi Monialem. Respondet Homobonus *in exam. Eccles. p. 3. tract. 15. c. 7. q. 20. resol. 2.* Episcopum posse Confessario Monasterii committere facultatem absolvendi Monialem à peccato hæresis proditæ etiam actu externo, idque tametsi dicamus, facultatem Episcopis concessam à Concilio Tridentino *sess. 24. c. 6.* quoad absolutionem ab hæresi fuisse revocatam per Bullam cœnæ, licèt plures oppositum sentiant; adhuc tamen asserit Homobonus impeditos, & non valentes adire Romam posse per proprium Episcopum à casibus, & censuris in Bulla cœnæ 25

reser-

reservatis absolvere, ex *c. mulieres. & c. ea noscitur de sent. excom.*

§. V.

De potestate Episcopi quoad dispensandum super irregularitate ex vigore Decreti Concilii Tridentini sess. 24. cap. 6. de refor.

1 Quæritur primò, an Episcopus vigore decreti Concilii Tridentini possit dispensare super irregularitate orta ab hæresi occulta. Respondent Barbosa *de potestat. Episc. in edit. ult. p. 2. allegat. 39. n. 4.* Bossius *de jubileo. sect. 1. cas. 10. §. 12 n. 244.* Diana *tract. 3. de potest. Episc. resol. 33.* Trullench. *tom. 1. lib. 1. c. 3. dub. 10.* & alii affirmativè, eò quia neque ex Bulla cœnæ, neque ex alio canone appareat, quòd hæc facultas concessa per Tridentinum Episcopis fuerit revocata. Neque urget, quòd per Bullam cœnæ fuerit abrogata hæc facultas concessa Episcopis à Tridentino absolvendi ab hæresi occulta, proinde censeri etiam abrogatam facultatem dispensandi super irregularitate orta ab hæresi occulta, quia non est par ratio, licèt enim dicamus, per Bullam cœnæ fuisse revocatam facultatem concessam Episcopis absolvendi ab hæresi occulta; non tamen inde sequitur, fuisse etiam abrogatam facultatem dispensandi super irregularitate, quia ex eo, quòd Episcopus non possit absolvere ab hæresi occulta, non sequitur, quòd non possit dispensare super irregularitate orta ab eadem hæresi: ratio est, quia facultas absolvendi distinguitur à facultate dispensandi; adeò ut sint duæ potestates disparatæ, nec una inferatur ex alia.

2 Si dicas, facultatem dispensandi esse majorem, proinde à fortiori censeri hanc abrogatam. Contra est; quia quandoque potest, quod est majus, esse permissum, & minùs expressè vetitum, ut in casu nostro absolutio ab hæresi est expressè vetita per Bullam cœnæ, & dispensatio ab irregularitate ei annexa est permissa, cùm à nullo canone revocetur. Tum quia facultatem hanc dispensandi super irregularitate orta ex hæresi occulta quoscunque Clericos, etiam Diaconos, quantum ad usum ordinum jam susceptorum, habuerunt Episcopi ante Concilium Tridentinum *ex c. salubērrimum. & c. convenientibus 1. q. 7.* & per Tridentinum non solùm possunt dispensare super tali irregularitate, sed etiam reddere habiles ad novos ordines recipiendos, quoscunque hæreticos occultos, & ad fidem reversos post peractam pœnitentiam, & illos absolvere ab excommunicatione.

3 Quæritur secundò, an Episcopus vigore decreti Concilii Tridentini possit dispensare super irregularitate contracta ex defectu lenitatis, Barbosa *de potest. Episc. p. 2. allegat. 39. num. 47.* Novarius *in novo jure pontificio conclus. 8. n. 3.* Rodriquez *in compend. quæst. regul. resolut. 81. num. 3. & resol. 52. n.* 22. docent, posse Episcopum dispensare super tali irregularitate. Verùm contraria sententia est longè probabilior, ac communior, & nititur ea ratione, quia in Concilio Tridentino tantùm conceditur irregularitas ex delicto, & quia irregularitas ex defectu lenitatis, non oritur ex delicto, ideò non videtur Episcopus posse dispensare super tali irregularitate decreti Concilii Tridentini. An verò possit vigore ejusdem decreti dispensare super irregularitate contracta à Ministris justitiæ ex defectu lenitatis. Respondent plures affirmativè, eò quia in decreto Concilii, conceditur Episcopis facultas dispensandi in omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto illâ exceptâ, quæ oritur ex homicidio voluntario: & homicidium ex defectu lenitatis non esse propriè homicidium, de quo loquitur Tridentinum; siquidem homicidium est delictum, & factum injustum prohibitum lege humana, & divina, ut ex D. Augustino *l. 1. de libero arbit. c. 4.* docet D. Thomas *q. 64. art. 6.* Verùm licèt hæc sententia vera sit, ex qua parte probat, Ministros justitiæ in fungendo proprio officio non committere homicidium prohibitum à lege, cùm potiùs exequantur leges; nihilominus adhuc videtur superesse difficultas de irregularitate orta ex defectu lenitatis, quæ licèt non supponat delictum, nihilominus censent plures, non posse Episcopum dispensare super tali irregularitate vigore decreti Concilii, eò quia Tridentinum tantùm concedat Episcopis facultatem dispensandi super irregularitate orta ex delicto, qualis non est in Ministris justitiæ irregularitas orta ex defectu lenitatis. Hinc probabilius est, Episcopum non posse dispensare super irregularitate orta ex homicidio justo, ut docent plures, præsertim Filliucius *tom. 1. tract. 19. c. 10. n. 281.* Gavantus *in enchirid. Episc. V. irregularitas n. 105.* Guttieres *in can. quæst. lib. 2. c. 6. n. 170.* Molina *de justit. tom. 4. tract. 3. disp. 79. n. 8.* & alii communiter, quia Concilium Tridentinum tantùm concedit Episcopis facultatem dispensandi super irregularitate orta ex delicto; eadem ratione nec potest Episcopus vigore talis decreti dispensare super irregularitate proveniente ex homicidio in bello justo ex defectu lenitatis, licèt occidere in bello justo non sit delictum, quia propria defensio est de jure naturæ.

Quæritur tertiò, an possit Episcopus dispensare super irregularitate orta ex cujusvis membri occulta mutilatione. Respondetur probabilius affirmativè, eò quia Tridentinum tantùm prohibuerit facultatem dispensandi super irregularitate proveniente ex homicidio; & mutilatio occulta cujusvis membri non est homicidium, eò quia homo non occiditur, proinde decretum illud non obstat, quo minùs possit Episcopus dispensare super irregularitate orta ex tali mutilatione occulta. 4

Quòd si dicas, irregularitatem non tantùm contrahi ex delicto homicidii, sed etiam ex defectu perfectæ lenitatis: proinde non posse Episcopos dispensare super hac irregularitate, eò quia Concilium illis tantùm concedat facultatem dispensandi in solis irregularitatibus ortis ex delicto. Respondet Garzias *n. 33.* quod tametsi finis imponendi irregularitatem homicidio, & mutilationi sit defectus significationis perfectæ lenitatis Christi Domini, nihilominus ait, hanc 5

irre-

irregularitatem absolutè simpliciter esse ex delicto, & in illis pœnam constitutam. Cæterum ut dicatur mutilatio membri requiritur ejus abscissio. Quòd si aliquis ita debilitaret membrum alterius, ut prorsus redderetur ineptus ad obeundas functiones ordinum, non tamen contraheret ipse irregularitatē, quia ulteriùs requireretur abscissio membri vivi, ut notat Fernandez *in exam. Theolog. moral. p. 2. c. 10. § 1. n. 7.* hinc qui pugno alium excæcat, sed oculum non foras eruit, non est propriè mutilator, neque irregularis, tametsi, qui damnum est passus possit fieri irregularis, eò quia non possit ordinem Ecclesiasticum exercere.

6 Quæritur quartò, an vigore ejusdem decreti possit Episcopus dispensare super irregularitate proveniente ex aliquo excessu in sui defensione. Communior sententia est, posse Episcopū dispensare in irregularitate proveniente ex homicidio occulto patrato causâ propriæ defensionis, & non servato moderamine inculpatæ tutelæ: eò quia tale homicidium patratum causâ defensionis propriæ non censeatur comprehendi sub homicidio voluntario: eò quia cum fiat in propriam defensionem potiùs videtur esse necessarium ad propulsandam vim injusti aggressoris, & ad declinandam imminentem mortem. Neque obstat excessus, quo non fuit servatum moderamen inculpatæ tutelæ, quia ut rectè notat Diana *tract. 3. de potest. Episcop. resol. 42.* Cum Tridentinum tribuat Episcopo facultatem dispensandi eum, qui in vitæ suæ defensionem alium occidit, frustra hanc facultatem concessisset, nisi pariter intellexisset de homicida excedente moderamen inculpatæ tutelæ: qui non excedit hanc moderationem, & alium occidit, ob inevitabilem vitæ suæ defensionem, nullam incurrit irregularitatem, ut liquet *ex clement. si furiosus de homicidio.* proinde non indigeret dispensatione Episcopi.

7 An verò possit etiam Episcopus vigore ejusdem decreti dispensare super irregularitate occulta mandantis, si mandatarius excesserit mandatum, & hominem occiderit. Respondet Diana *loc. cit. resol. 43.* posse Episcopum dispensare cum eo, qui mandavit famulos, ut alterum percuteret, si eidem injunxerit, ut caveret, ne illum occideret, quia homicidium, quod sequitur, tunc respectu mandantis, non est propriè voluntarium, sed tantùm casuale, culpabile, & Concilium tantùm excipit irregularitatem ortam ex homicidio voluntario. Hinc si quis prægnantem percuteret in utero, absque intentione causandi abortum, tametsi ex tali percussione sequeretur abortus, adhuc non censeretur percutiens homicida voluntarius, & Episcopus posset dispensare super irregularitate orta ex tali homicidio, ut notat Sayrus *de censuris lib. 7. c. 7. num. 7.* Regula generalis est, quòd quoties homicidium sequitur præter intentionem mandantis, vel percutientis, non censeatur respectu ejusdem voluntarium: & quia Tridentinum tantùm excipit irregularitatem ortam ex homicidio voluntario, ideò Episcopus in omnibus illis casibus potest dispensare super tali irregularitate orta ex homicidio non voluntario.

Quæritur quintò, an vigore ejusdem decreti possit Episcopus etiam dispensare super irregularitate orta ex homicidio publico, sed casuali. Certum est, quòd si homicidium sit casuale, & occultum possit Episcopus dispensare super irregularitate orta ex illo: quia tunc homicidium cùm sit casuale, non censetur voluntarium saltem directè, quia concilium concedit Episcopis facultatem dispensandi super irregularitate orta ex delicto occulto excepto homicidio voluntario, quale non est homicidium casuale: proinde dummodo hoc sit occultum, potest Episcopus dispensare super irregularitate inde orta: unde difficultas est, quando homicidium casuale est publicum, & tunc adhuc respondendum est, posse Episcopum dispensare, quia ante Concilium Tridentinum potuerunt Episcopi dispensare super irregularitate proveniente ex homicidio casuali etiam publico, ut liquet ex *c. continebatur, & c. ad audientiam de homicidio*: atqui Tridentinum quantùm ad homicidium casuale occultum, vel publicum nihil innovavit: ergo Episcopus post Concilium adhuc potest dispensare super irregularitate orta ex homicidio casuali etiam publico. Tum quia Concilium in citato decreto eodem verborum tenore loquitur de irregularitate orta ex homicidio casuali, ac de proveniente ex homicidio in sui tutelam; unde sicut Episcopus potest dispensare super irregularitate orta ex homicidio in sui defensionem: ita etiam ex homicidio casuali, præsertim cum irregularitas orta ex homicidio casuali etiam notorio nullam invehat infamiam. 8

Quæritur sextò, an possit etiam Episcopus virtute decreti Concilii Tridentini dispensare super irregularitate homicidii patrati ex subita, & inopinata rixa, videtur esse difficultas. Suarez enim in *3. p. tom. 5. de cens. disp. 44. sect. 1. n. 3.* & Molina *de justit. tom. 4. tract. 3. disput. 79 n. 7.* censent, tale homicidium trahere secum irregularitatem, à qua non possit Episcopus dispensare vigore decreti Concilii Tridentini: quia tametsi rixa censeatur ex tempore orta, & inopinatè excitata, potest tamen quis libera voluntate intendere directè mortem alterius; quo pacto, dicunt, tale homicidium esse directè voluntarium, ac trahere irregularitatem, à qua non possit Episcopus dispensare. Verùm mihi videtur procedendum cum distinctione, si enim rixa ita ex tempore, & inopinatè excitetur, ut aliquis gravissimè offensus ex vi motûs primo primi offendentem occidat, in hoc casu censerem, Episcopum vigore decreti Concilii Tridentini posse dispensare super irregularitate orta ex tali homicidio, tametsi publico: ratio est, quia sicut tale homicidium fuit patratum ex vi motûs primo primi, & ob gravissimam injuriam illatam occidenti, caret culpa defectu præviæ advertentiæ, ac libertatis necessariæ ad culpam voluntariam; & concilium tantùm excipit homicidium voluntarium, quod est culpabile. 9

10 Ad irregularitatem homicidii voluntarii super qua non potest Episcopus dispensare, requiritur quòd tale homicidium perpetretur animo deliberato, & inito consilio, ut explicat idem Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 17. de refor.* ubi ait *eum etiam, qui per industriam occiderit proximum, & per insidias.* ubi Concilium ad homicidium voluntarium supponit industriam præviam, & insidias, seu animum deliberatum, & initum consilium. Secus si rixa fuerit paulò diuturnior, & homicida non ex vi motûs primo primi, sed ex plena advertentia, & animo deliberato occiderit eum, à quo fuit sibi injuria illata, quia tunc homicidium non vacaret culpa, licèt rixa supponatur inopinatè excitata, & extempore orta: quia libera voluntate, & directè homicida supponeretur intendere mortem adversarii. Diana tamen censet, posse Episcopum dispensare non solùm super irregularitate orta ex homicidio casuali, & ex rixa ex vi motûs primo primi, sed etiam proveniente ex homicidio volito, non ex consilio, & matura deliberatione, sed ex repentina ira, vel rixa, & fundatur in verbis Concilii Tridentini asserentis: *cum qui per insidias, aut per industriam occiderit proximum de altari evelli debeat*, & ex illis aliis *si verò homicidium non ex proposito, sed casu*, ex quibus infert, Episcopum ex Concilio tantùm non posse dispensare super irregularitate proveniente ex homicidio facto cum prævia advertentia, & animo deliberato. Alioquin si per subitam rixam contingat, asserit, Episcopum posse dispensare, si delictum sit occultum, & non deductum ad forum contentiosum, vel si fuerit deductum jam cessaverit strepitus judicialis. Mihi tamen videtur procedendum cum adhibita, & explicata distinctione.

11 Quæritur septimò, an possit Episcopus dispensare, ut homicida, qui cum animo deliberato, & mediante prævia advertentia alium occiderit, possit in susceptis ordinibus ministrare, vel etiam in majoribus, & sacris, justa interveniente causa. Certum est, Episcopum post Concilium Tridentinum posse dispensare ad sacros ordines suscipiendos; imò etiam ad quodcunque beneficium cum Clerico, qui homicidium perpetravit casuale, si tale homicidium sit occultum: & illud censeri homicidium casuale, quod committitur in sui defensionem ad propulsandam vim injusti aggressoris absque moderamine inculpatæ tutelæ: ut etiam si Clericus exercens chirurgiam aliquem interficiat ex negligentia, vel imperitia: ut etiam si Dominus mandet famulo baculo percutere aliquem, & famulus illum occidat. Dicitur etiam homicidium casuale, quod oritur ex ira subita, & ex vi motûs primo primi; eò quia non censeatur voluntarium, cùm non sit perpetratum cum prævia advertentia, & animo deliberato. Unde difficultas est de homicidio voluntario, an Episcopus possit dispensare super ejus irregularitate, ut minoribus susceptis ordinibus homicida utatur. Plures cum Lessio in *3. p. D. Thoma. c. 4. de irregularit. dub. 2. n. 35.* censent, posse Episcopum dispensare, quia licèt super irregularitate orta ex homicidio voluntario, tametsi occulto solus Papa dispensare possit, non Episcopus: nihilominus si homicida habuerit antea beneficium non ipso facto illo privatur, sed est privandus per superiorem cognita causa, ut notat Covarruvias *§. 3. num. 6.* & Lessius addit, probabile esse, posse Episcopum dispensare ut homicida voluntarius, dummodo crimen sit occultum, minoribus utatur susceptis ordinibus: imò si justa causa subsit etiam majoribus, & sacris jam susceptis, eò quia Concilium tantùm prohibeat, homicidam promoveri ad sacros ordines, non verò ministrare in jam susceptis, si absolvatur ab irregularitate.

Verùm licèt concedi possit, posse ab Episcopo dispensari, ut Clericus homicida beneficium antea obtentū retineat, non tamen eadem facilitate concedendū est, posse itidem dispensare, ut in susceptis ordinibus minoribus, & sacris ministret; ad id enim censerem requiri urgentem magnam necessitatem ad evitandum scandalum, vel ob magnam difficultatem adeundi Romam pro dispensatione, vel ex aliquo alio urgente impedimento: quia tunc potest interpretari Pontificis voluntas, & quòd Papa cum tanto animarum discrimine sibi non reservaverit dispensationem, ut in similibus casibus solet interpretari voluntas Pontificis circa alias materias. 12

Quæritur octavò, an possit Epicopus vigore decreti Concilii Tridentini dispensare super irregularitate orta ex homicidio totaliter occulto, & uni duntaxat notum homicidæ. Texeda *tom. 2. lib. 3. tract. 3. n. 185.* censet, posse Episcopum dispensare super hac irregularitate proveniente ex homicidio occulto, dummodo hoc ita sit occultum, ut nullus alius sciat, nec homicidium alteri innotescat, nisi soli homicidæ. Vult enim, Episcopum posse cum tali Clerico homicida dispensare, ut possit ministrare in ordinibus susceptis, licèt ut non possit ascendere ad altiores ordines: tametsi Covarruvias censeat, posse Episcopum dispensare cum hujusmodi homicida voluntario, sed omninò occulto, ut possit ascendere ad superiores ordines. Fundamentum, quo nititur hæc sententia est, quia Concilium Tridentinum non removet ab Episcopis facultatem dispensandi super irregularitate contracta ex homicidio omninò occulto, cujus conscius nemo sit, nisi ipse homicida: unde sicut Episcopi ante Concilium poterant dispensare super hac irregularitate, hoc idem etiam possunt attento jure communi post Concilium; quia inter Doctores controvertitur, an reverâ hæc facultas sublata sit per Tridentinum, nec ne, & utrinque est sententia probabilis, adeò ut res adhuc sit indecisa, ac veluti dubia: & in dubiis melior est conditio possidentis. Tum quia lex nova, cum oritur dubium, ita debet interpretari, ut non lædatur jus commune. Verùm censerem procedendum cum distinctione, si enim ex eo quòd Clericus homicida non 13

ministraret in susceptis ordinibus, sequeretur gravissimum scandalum, & ex tali non usu posset facilè conjici, quòd ipse sit homicida cum infamia statûs Clericalis: tunc urgente hac necessitate censerem, posse Episcopum cum Clerico homicida omninò occulto, adeò ut homicidium non innotescat nisi soli Clerico homicidæ, dispensare, ut possit ministrare in suis ordinibus jam susceptis; idque ex tacita Pontificis commissione, eò quia non sit credendum, Papam sibi dispensationem reservâsse cum tanto damno, & infamia statûs clericalis: secus si non sequantur hæc incommoda ex eo præcisè, quòd homicidium patratum, innotescat soli clerico homicidæ, putarem hanc non esse sufficientem rationem, qua Episcopus debeat moveri ad dispensandum. Quia Concilium Tridentinum expressè loquitur de homicidio voluntario, etiam occulto; & patratum homicidium à Clerico supponitur voluntarium, & cùm non innotescat nisi ipsi Clerico, est occultum: non enim per hoc, quòd sciatur à solo homicida, fit, quòd non sit occultum: proinde Episcopus videtur cum tali homicida posse dispensare, ut communiter censent juris periti, juxta stylum, & praxim etiam Curiæ Romanæ, quæ est optima interpres voluntatis Pontificis.

14 Quæritur nonò, an possit Episcopus dispensare cum homicida occulto voluntario quoad beneficium simplex retinendum? Respondent plures cum Marchino *de Sacramento ordin. tract. 1. p. 9. c. 1. difficult. 3. n. 3.* affirmativè, quia tametsi Concilium prohibuerit, ne homicidæ conferatur novum beneficium, non tamen prohibuit Episcopis dispensare cum homicida in ordine ad retinendum beneficium, quod jam possidebat, eò quia Concilium tantùm prohibeat collationem novi beneficii, non verò retentionem beneficii jam obtenti. Imò id volunt extendi etiam ad beneficium curatum, dummodo per alium illud exerceat, eò quia Concilium nullam adhibeat distinctionem inter redemptionem beneficii simplicis, vel Parochialis: adhærent huic sententiæ Sayrus *in floribus decis. sub. tit. de offic. ordin. decis. 13.* Navar. *cons. 13. de offic. ordin.* Zerola *in praxi Episc. par. 2. V. dispensatio §. 3.* verùm præcisò scandalo, & gravi damno, quod inde sequeretur, probabilius mihi videtur dicendum cum Barbosa *de potestate Episcopi p. 2. alleg. 32. num. 61.* non posse Episcopum dispensare cum homicida occulto voluntario quoad retentionem beneficii curati, si illud exerceat per alium, sed esse petendam dispensationem à summo Pontifice, si commodè id fieri possit, quia Concilium Tridentinum simpliciter prohibet Episcopis facultatem dispensandi cum homicida voluntario, nec distinguit ad beneficia, vel ad ordines, sed expressè loquitur de utrisque, cùm dicat loquendo de homicidis hisce: *nec illis aliqua beneficia Ecclesiastica etiamsi curam non habeant animarum conferre liceat, sed omni ordine, ac beneficio, & officio Ecclesiastico perpetuò careant:* ex regula autem juris; qui omnia dicit, nil excipit, & cùm Concilium velit, ut omni ordine perpetuò careant, privandi sunt omni beneficio tum curato, tum simplici.

Quæritur decimò, an Episcopus possit vigore decreti Concilii Tridentini dispensare super inhabilitate contracta ob simoniam occultam. Communior, & probabilior sententia est negativa, seu non posse Episcopum dispensare, sed Simoniacum semper habendum esse inhabilem ad illud beneficium, tametsi fuerit simonia confidentialis, imò etiam ad omnia alia beneficia, donec Pontifex dispenset, non enim in privilegio concesso à Tridentino circa casus occultos comprehenditur simonia, quia non est censura, neque irregularitas, sed tantùm quædam vindicativa pœna etiam introducta post Concilium Tridentinum, & facultas concessa à Tridentino non extenditur ad casus post Concilium reservatos per recentes Pontificum constitutiones, ut respondit Gregorius XIII. audita congregationis relatione, ut refert Farinacius *decis. Rotæ fol. 77.* imò id fuit etiam expressè declaratum à sacra Cardinalium Congregatione, quæ respondit, non posse Episcopum simoniacum rehabilitari ad beneficia imposterum obtinenda, nec ad ea retinenda, quæ per simoniam occultam obtinet. 15

Quæritur undecimò, an possit Episcopus vigore decreti Concilii Tridentini dispensare super irregularitate orta ex bigamia propria, & interpretativa, communis sententia cum Barbosa *de potestat. Episcop. par. 2. allegat. 49. num. 25.* est negativa, adeò ut nunquam possit Episcopus dispensare super irregularitate orta ex bigamia interpretativa, tametsi res occulta fuerit: ratio est, quia hujusmodi irregularitas non oritur ex delicto, sed ex defectu cognitionis, quatenus non perfectè significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, ad quam significandam fuit matrimonium institutum. Cæterùm non desunt, qui censeant probabile, posse Episcopum dispensare super irregularitate orta ex delicto etiam alieno, ut in irregularitate, quam ille contrahit, qui uxorem cognovit, postquam illa adulterium commisit cum alio, tametsi adulterium sit occultum; eò quia, tunc irregularitas oritur ex delicto. Verùm licèt irregularitas oriatur ex delicto, nihilominùs adhuc habetur defectus significationis ratione commixtionis cum pluribus. Quòd si Laicus contraheret irregularitatem ineundo matrimonium invalidè cum duabus, vel etiam invalidè cum vidua, tunc irregularitas oriretur ex solo delicto, cùm matrimonium supponatur irritum, & posset tunc Episcopus dispensare: quia reverà irregularitas proveniret ex solo delicto, & esset occulta, ut supponitur; in hoc enim casu non solùm posset dispensare quoad minores ordines suscipiendos, & jam susceptos exercere, sed etiam plures censent, posse itidem dispensare quoad majores. Verùm quoad minores ordines 16

ordines sententia est communis, non verò quoad majores, quia hæc facultas non est concessa Episcopo in jure.

17 Quæritur duodecimò, an si quis obtineat à suo Episcopo litteras dimissorias pro ordinibus accipiendis, possit absolvi ab irregularitate occulta ab Episcopo, ad quem ordinandus mittitur. Probabile est, posse ab Episcopo alieno, à quo debet ordinari, absolvi ab occulta irregularitate, quia qui finem concedit, censetur concedere, quæ necessaria sunt ad finis assecutionem; quapropter videtur ordinandus posse absolvi ab irregularitate occulta, à qua proprius Episcopus posset etiam absolvere: siquidem absolutio ab irregularitate est medium ad licitè recipiendos sacros ordines, & quia proprius Episcops eū misit ad illos recipiendos; ideò censetur eidem concessisse, ut possit adhibere omnia media ad licitè illos recipiendos; consequenter, ut possit absolvi ab irregularitate. Contraria tamen sententia est fortassis probabilior, quia à separatis non fit illatio, & potestas dispensandi super irregularitate, & suscipiendi sacros ordines, sunt duo disparata, & sacris initiari ordinibus non supponit initiandum irregularem, & absolvendum ab irregularitate, quæ cum sit occulta, potiùs supponendum est, quòd si innotuisset proprio Episcopo, vel ipse per se ipsum absolvisset Clericum, vel illi non concessisset litteras dimissorias.

18 Neque obstat, si dicas, Episcopum extraneum non posse Clericum absolvere ab irregularitate, eò quia non sit ejus subditus: atqui eo ipso, quòd per litteras dimissorias ad ipsum dirigitur, fit ejus subditus: ergò videtur esse absolvendus. Contra est, quia sublato uno impedimento non censetur sublatum alterum ab illo distinctum, ut liquet ex *c. tuarum de usu, & authorit. pallii*, *L. si domus ff. de servit. urban.* & hic concurrunt duo impedimenta alterum ratione defectûs subjectionis ad ordines; & alterum ratione irregularitatis: & sublato priori per litteras dimissorias non censetur sublatum posterius. Quod ex eo etiam firmari potest, quia à separatis non fit illatio *c. ad audientiam de decim. L. Papinian. ff. de minor.* Potestates autem dispensandi super irregularitatem, & ordinandi sunt separatæ, proinde ex eo, quòd concedatur Clerico potestas, ut possit ordines suscipere ab alio Episcopo, non intelligitur eidem data potestas, ut possit absolvi super irregularitate occulta ab eodem Episcopo extraneo. Tum quia dispensatio, ut notat Sanchez *de matrimonio lib. 8. disp. 1. num. 25.* non extenditur ad connexa, sine quibus non potest consistere, & potestas conferendi ordines potest consistere absque potestate reddendi initiandum habilem ad ordines,

19 Quæritur tertiodecimò, an vigore decreti Concilii possit Episcopus dispensare super irregularitate orta ex defectu natalium. Communior sententia negat, posse Episcopum dispensare super irregularitate orta ex defectu natalium, ut notat Piasecius *in prax. Episc. p. 1. c. 1. num. 56. & 60.* quia Concilium tribuit Episcopis authoritatem dispensandi super irregularitatibus, quæ contrahuntur ex delicto, & irregularitas orta ex defectu natalium non procedit ex delicto commisso ab ipso ordinando, & proinde cùm sit irregularitas proveniens ex solo defectu, non videtur ab Episcopo dispensabilis. Neque obstat, quòd hujusmodi irregularitas supponat delictum parentum, quia licèt id verum sit; nihilominus non attenditur delictum alterius, sed illius, cui inest irregularitas; & potest contingere, ut irregularis ex defectu natalium sit ipse innocentissimus: unde talis irregularitas in ipso non oritur ex delicto, sed tantùm ex defectu natalium, qui ipsi non imputatur ad culpam. Tum quia licèt parentes filium illegitimum sine peccato in amentia generarent, adhuc esset irregularis non ex ullo delicto proprio, sed ex vero defectu natalium. Cæterùm censent plures, posse Episcopum cum illegitimo dispensare, ut possit promoveri ad beneficium simplex, si legitima adfuerit causa, & merita Clerici promovendi: imò etiam ut possit promoveri ad Canonicatum Ecclesiæ collegiatæ, ut notat Barbosa *de potestat. Episcop. par. 2. allegat. 45. num. 19.* notat etiam Layman. *lib. 2. tract. 10. cap. 5.* Quòd si quis bona fide esset ordinatus, cognito postea defectu natalium, posset Episcopus dispensare, ut ministret in susceptis ordinibus.

Quæritur quartodecimò, cum quibus generatim possit Episcopus dispensare à canone, lege, vel jure communi? Respondetur, posse cum pluribus dispensare. Primò cum bigamo in ordine ad suscipiendos ordines minores, vel beneficium simplex. Secundò cum Clerico habente uxorem, ut beneficium simplex, cujus alioquin etiam Laici sunt capaces, possit retinere. Tertiò cum eo, qui ex eo, quòd bis baptizavit aliquem, contraxit irregularitatem, dummodo crimen sit occultum. Quartò cum Clerico ut obtinere possit, ac possidere duo, vel plura beneficia simplicia, si unum eorum ad honestam vitæ sustentationem minimè sufficiat, nec utrumque exigat residentiam. Quintò cum eo, qui natus est extra legitimum matrimonium, ut recipiat primam tonsuram imò minores ordines, possitque habere beneficium simplex; ut colligitur *ex c. is, qui de fil. Presbyt.* tametsi beneficio fuerit annexa cura animarum, ut etiam habeat canonicatum in cathedrali Ecclesia, qui tamen non exigat sacrum ordinem. Sextò cum habentibus minores duntaxat ordines dispensat etiam ad Abbatias, & Prioratus, dummodo promoti intra annum initientur sacerdotes. Septimò cum Clerico homicida occulto, ut retineat beneficium simplex, quod antea obtinuerat, vel si non possideat, possit illud consequi, rursus cum Laico homicida etiam dispensat, ut accipiat ordines minores tantùm, si homicidium fuerit casuale, occultum, & non deductum ad forum contentiosum. Octavò dispensat etiam cum illis, qui ab alieno Episcopo per ignorantiam sunt ordinati, ut in suscepto ordine ministrent, ut etiam cum illis, qui fuerunt ordinati ab Episcopo excommuni- 20

municato si id ignoraverint, ut etiam cum Clerico per saltum promoto, ut in suscepto ordine ministret. Ut etiam cum idiota ut in susceptis ordinibus serviat, dummodo interim instruatur, & capax efficiatur. Ut etiam cum illis, qui in incunabulis, vel à Dominis, ac barbaris, vel alia violentia secti sunt: vel qui lepræ, aut alterius morbi metu se castraverunt; imò ut isti possint etiam ad majores ordines promoveri. Rursus dispensat cum illis, qui ordines receperunt extra tempora præscripta, ut ministrent in ordine suscepto, non tamen, ut ad alios majores promoveantur. Nonò dispensat cum sacerdotibus qui nuptias contrahunt quoad executionem ordinum, quia ut dicitur *in cap. sanè de Clerico conjugato*, sacerdotes non nuptias contrahant, quia eorum nuptiæ potiùs contubernia debent nuncupari; alioquin si resipuerint, & debitam egerint pœnitentiam possunt restitui, ut ministrent in susceptis ordinibus. Decimò dispensat etiam cum Clerico Concubinario, si ejus crimen sit occultum *cap. quæsitum de cohabit. Cleric. & mulier.* Undecimò dispensat cum adultero, perjuro, & falso teste, sive sacerdos sit, sive Clericus, aliis etiam criminibus adulterio minoribus obstrictus, ut etiam cum Presbytero, Diacono, Subdiacono, qui aliquid de ministerio Ecclesiæ vendens sacrilegium committit, ut in suscepto ordine ministret. Duodecimò dispensat cum Diacono, qui missæ sacrificium ausus fuit celebrare, ut in suo permaneat officio, ac retineat beneficium, quod antea obtinuerat. Demum dispensat in omnibus irregularitatibus occultis, & nondum deductis ad forum contentiosum.

21 Præterea circa sacramentum matrimonii, dispensat primò in gradibus prohibitis, quando impedimentum est occultum & accessus ad sedem Apostolicam difficilis, & uxorati sine scandalo separari non possunt. Secundò dispensat in impedimentis tantùm impedientibus, & non dirimentibus, exceptis votis castitatis, & religionis. Tertiò in denuntiationibus si justa adfuerit causa dispensat, ut omittantur. Rursus in votis exceptis illis quinque reservatis Papæ, scilicet castitatis perpetuæ, religionis, peregrinationis Jerosolimitanæ, ad limina Apostolorum Petri, & Pauli, & ad S. Jacobum Compostellæ. Potest tamen Episcopus dispensare in voto castitatis, si hoc non fuerit perpetuum, sed vovens tantùm se obligaverit ad servandam castitatem per biennium, quinquennium, vel etiam decennium, ut etiam si votum castitatis non sit universale, sed tantùm quoad certos actus, ut etiam si vovens voveat se non contracturum nuptias: dispensat etiam in juramentis promissoriis, si justa subsit causa, vel si dolo, vi, aut metu extorta fuerint, ut etiam si turpia sint ex parte illius, cui juratur, ut si quis juret se soluturum usuras alteri.

22 Cæterum lex, quâ reservatur votum castitatis, in quo non possit Episcopus dispensare est stricti juris, & doctores communiter intelligunt illud tantùm votum castitatis esse reservatum, quod plenum, & perfectum est quoad suam extensionem, & amplitudinem, quia cum Pontifex sibi simpliciter reservet votum castitatis, intelligitur de voto perfecto, perpetuo, & secundùm totam amplitudinem castitatis. Hinc si votum si tantùm de non ducenda uxore, vel abstinendi à fornicatione, aut ab aliquibus particularibus actibus contra castitatem, aut si votum fuerit emissum cum expressa potestate de non inducenda obligatione peccati mortalis; vel fuerit etiam emissum ex metu, quamvis levi, potest Episcopus dispensare in hujusmodi votis: ratio est, quia tunc talia vota carent totali perfectione voti, & ideò non censentur reservata, ut censent Lessius *lib. 2. cap. 40. dub. 18.* Sanchez *tom. 1. lib. 4. cap. 40. num. 47.* Guttierez *lib. 2. cap. 22. num. 49.* ubi etiam censet, posse Episcopum dispensare vota emissa à filio, vel servo, eò quia tunc irritari possunt, à Patre, vel Hero. Verùm Sanchez *tom. 3. lib. 8. disput. 9. num. 4.* probabiliùs id negat, eò quia jurisdictio patris diversa sit ab illa Episcopi, tum quia si filius familias perfectum emitteret castitatis votum, cum Papa illud sibi reservet, censetur derogare potestati dominativæ Patris erga filium, & Domini erga herum.

Quod verò ad votum attinet religionis, si fuit emissum de strictiori, potest Episcopus ex justa aliqua causa commutare in laxiorem, ut censet Henriquez *lib. 7. cap. 22. num. 7.* ut etiam si emissum sit ad ingrediendum tali tempore, potest Episcopus si justa subsit causa dispensare, ut ingressus differatur ad aliud tempus seclusso tamen periculo, quo ingressus reddatur impossibilis, ut notat Baldellus *in 2. 2. tract. 10. cap. 5. dub. 10. num. 9.* ut etiam si votum fuerit emissum de perseverando in religione, in casu, quo Novitius eam experitur incommodam, censet Sanchez. *tom. 1. lib. 4. cap. 40. num. 75.* posse ab Episcopo dispensari. Quòd si sit de substantia religionis, nequit Episcopus illud dispensare, præsertim si fuerit absolutum, tametsi religio sit militaris, dummodo sit approbata, ut est religio S. Joannis Jerosolimitani equitum Melitensium, D. Jacobi Alcantaræ, Calatravæ, quia ut notat Vega *tom. 1. cap. 85. cas. 147.* hujusmodi ordines equestres sunt veræ religiones approbatæ à sede Apostolica, quod si vera esset opinio Sotti *lib. 9. 5. art. 3.* præfatos equestres ordines non esse veras religiones, tunc procul dubio posset Episcopus in voto de illis ingrediendis dispensare. 23

Votum castitatis commutari ab Episcopo potest, si sit ad tempus, non ita si vovens dubitaret, an intendisset vovere castitatem perpetuam, quia tunc esset judicandum in favorem voti, ut censet Sanchez *tom. 1. lib. 4. cap. 21. num. 22.* non ita votum de non nubendo, si emissum sit in favorem prioris conjugis id petentis in bonum filiorum, censet enim Barbosa *de potestat. Episcop. p. 2. allegat. 37. n. 17.* non posse tunc tale votum ab Episcopo commutari. Censet etiam Pontius *lib. 8. c. 9. n. 3.* posse 24

disparatæ, ex una non ritè infertur alia. Tum quia potest quod est majus esse permissum, & quod est minus expressè prohibitum, ut contingit in casu nostro, ubi dispensatio ab irregularitate orta ex hæresi occulta ex nullo Canone, aut Pontificia constitutione est revocata, quapropter potest Episcopus absolutum ab hæresi occulta habilitare ad sacros ordines recipiendos per dispensationem ab irregularitate.

§. VI.

De Jurisdictione Episcopi quoad causas meri, & mixti fori.

1 EX causis, aliæ dicuntur fori tantùm Ecclesiastici; aliæ tantùm profani, seu Laici; & aliæ fori mixti, seu communis, ubi datur locus præventioni, ut Judex, ad quem primò delata causa fuerit, illam judicet, propterea hujusmodi causæ dicuntur mixti fori, eò quia pertineant ad utrumque forum. Primæ verò dicuntur meri fori, eò quia sint propriè unius, ut ad alterum non pertineant. Aliud dicitur forum competens; cui parere necessariò reus debet, eòque cogi potest, ut liquet *ex extrav. de foro compet.* & huic foro tripliciter potest subjici. Primò ratione causæ, de qua agitur, quæ si Ecclesiastica fuerit, coram solo Ecclesiastico judice tractari debet; sicut è converso, si profana coram solo laico judice. Secundò ratione rei mobilis, vel immobilis. Tertiò ratione loci, & id adhuc tripliciter, scilicet ratione originis, domicilii, & delicti, quod quis alicubi patravit, ut liquet *ex c. ult. de for. compet.* & notat Piasecius *p. 2. c. 4.* Gail *lib. 2. observ. 36.* & alii plures.

2 Ad forum igitur Episcopi pertinent causæ, & crimina merè spiritualia, seu Ecclesiastica, & quorum prohibitio habetur à solo jure canonico: cujusmodi sunt hæresis, simonia, usura, matrimonium illegitimè initum, voti violatio, transgressio præceptorum Ecclesiæ, violatio censuræ Ecclesiasticæ, Sacrilegium patratum in administratione sacramentorum; Clericorum Concubinatus, licèt plures hoc delictum ad forum mixtum, seu commune trahant, eò quia legibus etiam civilibus talis concubinatus sit prohibitus.

3 Causæ seu crimina mixti fori censentur adulterium, sacrilegium, sortilegium, blasphemia, violatio virginis Deo sacratæ, ut notat Laym. *lib. 3. tract. 6. c. 1.* In criminibus mixti fori, quando laicus judicatur, potest Episcopus vi etiam adhibita, eum in carceres conjicere, ut docent omnes ii, qui Episcopis pro executione justitiæ concedunt familiam armatam: imò non desunt, qui censeant, posse Episcopum non solùm in carceres reum conjicere, tametsi laicus fuerit, sed etiam per cibi subtractionem permittere, ut fame pereat, nec inde ipsum incurrere irregularitatem, si pœna condigna fuerit delicto: quia si damnatus ad pœnam perpetui carceris fame pereat, censetur naturaliter mori: consultiùs tamen semper est, quòd Episcopus non facilè has pœnas irroget ob periculum incurrendæ irregularitatis. Licitum etiam est Episcopo, causas civiles, & merè laicas in pluribus casibus judicare, Primò si ad peccatum inducant, vel dissidia excitent, aut inquietitudinem nutriant. Secundò si laicus judex negligens fuerit, quia tunc negligentia inferioris suppletur per potestatem superioris. Tertiò si in judicando exorbitet. Quartò si ad promovendum honorem Dei, & pietatem causæ civiles spectent, cujusmodi sunt testamenta, & pia legata. Quintò tandem potest Episcopus, se in omnibus illis laicorum causis immiscere, circa quas aliquid jure canonico sancitum est, quia tunc ob relationem ad jus canonicum censentur esse mixti fori.

4 Clericos delinquentes proprios Episcopus punit, etiam per degradationem actualem, quæ est solemnis executio sententiæ degradationis, fitque ab Episcopo consecrato, eò quia non solùm fit actus jurisdictionis, sed etiam ordinis, ut censent communiter cum Glossa *in c. transmissam.* & licèt Bonacina censeat hujus degradationis ministrum non posse alium esse, quam proprium Episcopum, nec posse hunc alteri Episcopo consecrato vices suas committere: nihilominus alii censent, posse Episcopum alteri Episcopo consecrato vices suas committere in ordine ad degradandum proprium Clericum. Neque obstat, quòd Concilium expressè dicat, debere Episcopum per se ipsum Clericum proprium degradare, quia illa verba per se ipsum tantum significant, non posse per Vicarium non consecratum degradari Clericum; non verò quòd non possit Episcopus præsertim si legitimo detineretur impedimento vices suas alteri committere Episcopo consecrato, ut docent Suarez *disp. 30. sect. 1. n. 8.* Layman *p. 3. c. 5. n. 5.* Castrus Palaus *tom. 6. disp. 5. punct. 1. n. 9.*

5 An verò possit Episcopus etiam præter casus in jure expressos ob aliud delictum enorme, & qualificatum degradare Clericum, eùmque brachio sæculari ad puniendum tradere, videtur esse difficultas, quia *in c. cùm non ab homine de judiciis* expressè habetur, non posse judicem sæcularem in omni crimine quantumcunque gravi Clericos punire, eos tamen esse deponendos & si fuerint incorrigibiles curiæ sæculari tradendos: adeò ut sola delicti gravitas non sufficiat, nisi accesserit etiam incorrigibilitas, hoc idem etiam desumitur *ex c. de liguribus 23. q. 5. & ex c. tua de pœnis.* ut etiam *ex clement. 1. in princ. de pœnis.* Communior tamen sententia, cui adhærent Laym. *lib. 1. tract. 5. p. 3. c. 5.* Gavant. *in manual. Episc. V. degradatio n. 9.* Balsus *de conscientia discept. 6. c. 2. §. 17. n. 7.* Diana *de potest. Episc. resol. 69.* Venerus *in exam. Episc. lib. 5. & c. 5. n. 6.* Castrus Palaus *tom. 6. disp. 4. punct. ult. n. 13.* ubi ait, quòd pro quolibet enormi crimine, ac notabiliter scandaloso possit Clericus in sacris constitutus actualiter degradari, ac curiæ sæculari tradi. Neque in contrarium obstat *c. cùm non ab homine de judiciis,* ubi videtur requiri incorrigibilitas antequam Clericus degradatus curiæ sæculari tradatur puniendus: Ratio est, quia textus loquitur generatim de quovis delicto gravi, ob cujus causam plerumque Clericus non est tradendus curiæ sæculari, nisi adsit incorrigibilitas: non verò in illo textu prohibetur, quin possit Episcopus ob enorme delictum nulla expectata in-

incorrigibilitate Clericum reum degradatum curiæ sæculari tradere puniendum, cùm subinde Ecclesia non habeat pœnam æqualem gravitati, ac enormitati delicti.

6 Enormitas autem delicti ex prudentia, & arbitrio judicis dependet, & præsertim delictum censetur enorme, si sit homicidium qualificatum Prælati, Sacerdotis, Patris. Rursus assassinium, sacrilegium, deprædatio communium bonorum: imò sunt, qui putant, generaliter omnia illa delicta esse censenda enormia, & exorbitantia, ob quæ pœna mortis jure civili statuta est, si fuerint pluries repetita. Hinc interficere Episcopum, Presbyterum, Diaconum est flagitium enorme, puniendum pœna mortis per leges civiles *c. sunt quadam 23. q. 5.* Cæterum non videtur rationi naturali consonum, ut pari supplicio puniatur furtum, & parricidium, quia pro mensura peccati est plagarum modus imponendus, ut liquet ex *c. non offeramus 24. q. 1.*

7 Si petas, quotuplex sit degradatio Clerici. Respondetur, esse duplicem, unam verbalem tantùm, & aliam actualem, seu realem, quæ de facto infertur constitutis in ordine sacro: degradatio verbalis est, quæ non nisi verbo fit, & dici solet depositio; quâ persona Ecclesiastica privatur omni beneficio; & officio in perpetuum per sententiam Ecclesiasticam sine spe restitutionis retento tamen privilegio clericali. Degradatio verò actualis est privatio etiam ipsius privilegii clericalis facta post depositionem addita reali actione & cæremonia instituta per canones. Differunt hæ degradationes, quia actualis fit cum majori solemnitate coram Abbatibus infulatis, aut aliis in dignitate Ecclesiastica constitutis, deinde degradandus vestitur vestibus, & ornamentis, quibus fuerat ordinatus, eique exhibentur vasa sacra pertinentia ad illum ordinem, à quo degradatur, & omnia defert ante Episcopum, à quo gradatim exuitur, & privatur, & tandem capillis tondetur, ut nullum appareat vestigium coronæ, ut notat Filliucius *tract. 18. c. 8. q. 3. n. 193.*

8 Rursus hæc degradatio actualis, ac realis, non potest fieri, nisi ab Episcopo consecrato; secus degradatio verbalis Clerici ex Concilio Tridentino *sess. 13. c. 4. de refor.* potest etiam fieri per Vicarium Generalem Episcopi, & etiam contra absentem contumacem; cùm actualis exigat necessariò præsentiam Clerici degradandi. Rursus degradatus tantum verbaliter adhuc gaudet privilegio fori, & canonis, nec potest puniri à judice sæculari, nisi fortassis post talem degradationem fuerit factus incorrigibilis, & per judicem Ecclesiasticum sit lata sententia degradatoria super qualitate incorrigibilitatis: secus actualiter degradatus amittit privilegium clericale canonis, & fori, adeò ut sit immediatè sub potestate judicis sæcularis, & qui eum percutit, non incurrit excommunicationem. Quando autem in jure fit simpliciter mentio de degradatione, intelligitur de verbali. Præterea degradatus verbaliter tantùm, potest ab Episcopo restitui, non ita actualiter, nisi à solo Pontifice, nisi fortassis post degradationem appareret falsitas testium, quia tum posset Episcopus illum restituere, ut notat Sylvester *V. degradatio.* Juvat tamen observare, quòd tametsi Ecclesia per degradationem realem, & actualem privet usu legitimo ordinum susceptorum in perpetuum; nihilominus degradatus semper retinet characterem ordinis, quia hic semel impressus est indelebilis, & ratione illius Sacerdos potest semper validè sacrare, & etiam Episcopus validè consecrare, quamvis non licitè, & uterque peccaret gravissimè.

Si quæras, quæ crimina in clericis merentur degradationem verbalem. Respondetur, communiter hæc subsequentia crimina censeri digna degradatione verbali; scilicet adulterium, concubinatus perseverans post monitionem, symonia notoria, incestus, stuprum, furtum, perjuria, homicidium, & alia id genus atrocia crimina inferentia irregularitatem. Degradationem verò realem merentur hæc alia crimina, scilicet hæresis; homicidium qualificatum; sodomia sæpius exercita, & similia, quæ judicis arbitrio tali censentur pœnâ digna. Ad hanc degradationem realem sequuntur tanquam effectus traditio degradati Curiæ sæculari, & tunc contingit quando Episcopus præsente judice sæculari declarat, reum pertinere ad forum, & curiam judicis sæcularis: debet tamen intercedere pro eo efficaciter, ut non puniatur morte; sed judex sæcularis non obstante quòd efficaciter rogetur ab Episcopo, potest reum punire pœna jure civili imposita laicis pro eodem crimine, ut notat Molina *tom. 4. disp. 49. tract. 3. n. 14.* 9

Episcopus potest injungere pœnas pecuniarias etiam laicis ob delicta mixti fori, idque desumitur ex *c. dilectus de offic. ordinar. c. si vos 23. q. 5. c. cùm sit nimis §. ult. de judeis.* & est sententia communior, cum Barbosa *de potest. Episc. p. 3. allegat. 197. n. 16.* imò Covarruvias censet, Episcopos ex consuetudine habere fiscum, & Farinacius *tom. 1. q. 19. n. 15.* addit rationem, cur Episcopus possit injungere pœnas pecuniarias etiam laicis ex delicto mixti fori, quia nimirum ex talibus delictis se subjiciunt Ecclesiasticæ jurisdictioni, ut liquet ex *c. statuimus 16. q. 1. & c. quisquis 17. q. 4.* juxta Abbatem *in c. licet de pœnis.* Non tamen potest Episcopus has pecuniarias pœnas sibi applicare. Quidquid sit de jure antiquo, quia Concilium Tridentinum *sess. 24. c. 3. de refor.* statuit, Episcopos non posse ullo pacto, sibi applicare pœnas pecuniarias, sed tantum honestis locis piis, nisi fortassis Episcopus esset in gravi necessitate, cæterum pœnæ omnes pecuniariæ debent applicari in usus pios. De jure antiquo potuit Episcopus mulctas statutis Ecclesiasticis inflictas sibi applicare, ac in proprios usus convertere, licet mos fuerit etiam, ut ad declinandam avaritiæ suspicionem piis locis distribuerentur; ut etiam hodie post Concilium Tridentinum mulctæ omnes pecuniariæ eo ipso quòd exactæ fuerint, non nisi locis piis assignantur, nec Episcopus ullam minimam partem valeat suo Vicario, aut Cameræ Episcopali applicare, imò neque fabricæ Ecclesiæ Cathedralis non obstante quacunque consuetudine præscripta, ut declaravit sacra Congregatio super Concilium Tridentinum. Tum 10

quia

quia sunt plura jura Ecclesiastica, quæ prohibent Episcopis injungere, & exigere has pœnas pecuniarias, eò quia de radice prodeant cupiditatis, & de fonte scaturiant avaritiæ, ut liquet ex *c. irrefragabili §. fin. de offic. ordin.* ubi expressè dicitur, non debere Prælatos eorum statuta ad quæstum pecuniæ convertere; quapropter non debent facilè Episcopi has pœnas pecuniarias Laicis imponere, sed tantùm tunc quando noverint alias pœnas parvipendi, & pecuniam plus timeri: & tunc, quando pœna pecuniaria ex urgente causâ imponitur; pecunia, quæ exigitur, applicari debet statim locis piis, ut qui eas solverunt, nequeant suspicari Episcopum, eas in proprios usus convertisse.

11 Quòd si dicas, saltem ratione consuetudinis posse Episcopos mulctas pecuniarias in proprios usus, vel saltem propriæ Ecclesiæ convertere, præsertim cùm non desint Doctores asserentes hanc consuetudinem, ut testatur Marius Alzedus *de præeminentia Episcop. p. 1. c. 12. n. 7.* & Doctori testanti de consuetudine sit credendum, ut notat Bart. *in repet. leg. de quibus n. 21. q. 4. §. de legibus* & cum ipso Janson. *L. filius à patre n. 27. ff. de libert. & posthum.* Gomez. *l. 41.* Riccius *collect. 611.* & plures alii, quos refert Mascardus de *probat. conclus. 426.* Contra est, quia dato, quòd quatuor, vel quinque Doctores excellentes facerent opinionem probabilem in his, quæ ad jus pertinent; non ita in istis, quæ spectant ad factum: siquidem quæ sunt facti, ut est consuetudo plerumque viros etiam prudentissimos fallunt *L. 2. ff. de jure, & fact. ignor.* ut notant Navarrus *in c. placuit 186. de pænit. dist. 7.* Imola *in L. 1. §. nuntiatio ff. de nov op. nunt.* Præterea quando opinio aliqua est communis, tunc non est credendum uni, vel alteri Doctori testificanti de consuetudine in contrarium. Tum quia licèt fortassis unus, vel alter mulctas pecuniarias in proprios usus converteret, ac propterea perperàm ageret contra Concilia, & jura, est tamen certum, potiorem Episcoporum partem non applicare sibi, nec fabricæ Ecclesiæ hos sumptus: quapropter non potest esse consuetudo in contrarium; sed fortassis aliquis abusus in uno, vel altero.

12 Si dicas, jura, & Concilium tantùm prohibere Episcopis, ne convertant pœnas pecuniarias in proprios usus, non verò mulctas; siquidem differt pœna à mulcta, quia illa imponitur à jure, hæc à judice, ut notat Locatus *in praxi judiciali inquisit. V. pœna. n. 1.* unde Episcopis tantùm est prohibitum sibi applicare pœnas pecuniarias, non verò mulctas latas per sententiam. Contra est, quia Concilium Tridentinum non solùm pœnas, sed etiam mulctas pecuniarias prohibet Episcopis, ne convertant in proprios usus, idque ad evellendam omnem suspicionem cupiditatis, & radicem avaritiæ. Tum quia mentem Concilii fuisse prohibere Episcopis æquè pœnas, ac mulctas pecuniarias applicandas propriis usibus expressè declaravit sacra Congregatio apud Barbosam *de potest. Episcop. p. 3. allegat. 107. n. 19.* in qua in una Messanensi dictum fuit pœnas omnes, & mulctas applicandas esse piis locis, & ait, sacram Congregationem sæpè de hoc interrogatam, eodem semper respondisse tenore: siquidem mens Concilii fuit, omnem suspicionem sordescentis avaritiæ in Episcopis extinguere, & quia hæc suspicio æquè potest oriri ex pœnis, & mulctis pecuniariis, si converterentur in proprios usus; ideò prohibuit tam pœnas, quàm mulctas, cum in utrisque militet eadem ratio, proinde etiam eadem juris dispositio ex *L. 1. §. illud ff. ad Legem Aquiliam L. si postulaverint §. 2. ff. ad legem Juliam.*

Quamobrem Episcopi possunt concubinariis 13
imponere pœnas pecuniarias, non tamen possunt eas sibi applicare, sed tantùm ad pias causas, quæ tamen pœna non est imponenda nisi post trinam monitionem, quia debet probari contumacia. Imò possunt etiam Episcopi compositiones pecuniarias facere super quibusdam delictis, sed ut hujusmodi compositiones ad effectum licitæ sint, plura desiderantur: & primò, ut interveniant justæ causæ, quas ex Novario recenset Riccius in *praxi tom. 4. resolut. 119.* Secundò non debent Episcopi compositionem accipere super omnibus criminibus, ut ostendit Paulus de Castro *in consil. 348. coll. fin. per textum* cum Glossa *in c. licèt* Clarus *in practica criminali §. fin. q. 85. V. ulteriùs quæro.* unde compositio pecuniaria non potest fieri in criminibus gravibus, nec in illis, in quibus est pœna taxata à jure, ut nec etiam, quando crimen est manifestum. Tertiò pecuniæ compositio tunc tantùm debet fieri, quando hæc pœna pecuniaria pluris fit, quàm alia, quæ possit injungi ex *c. cognovimus 16. quæst. 2. & c. quoniam, ut lite non contestata.*

Barbosa *de jure Ecclesiastico lib. 1. cap. 11. num. 128.* congerit nonnullas declarationes sacræ congregationis, quarum operæ pretium duxi, aliquot hic subjicere. Ait enim Barbosa: debet Episcopus pœnas criminales ad suum arbitrium locis piis distribuere, vel pauperibus, sed in pari necessitate meliùs est, ea distribuere pauperibus loci, in quo habitat Clericus condemnatus: ita enim respondit Episcopo Venusino sacra Congregatio negotiis Episcoporum præposita anno 1621. Possunt itidem ex iisdem pœnis construere carceres Ecclesiasticas, sic enim Andriensi Episcopo rescripsit eadem Congregatio 25. Junii anno 1596. Rursus de hisce pœnis non debere Vicarium participare, rescripsit eadem sacra Congregatio Archiepiscopo Urbinatensi 11. Septembris 1584. Præterea fiscali partem aliquam pœnarum hujusmodi posse applicari, non ita Episcopo, & ejus Notariis declaravit sacra Congregatio in rescripto ad Vicarium Apostolicum civitatis Castellæ sub die 4. Septembris 1595.

An verò possit Episcopus dispensare in Legi- 14
bus Pontificiis apponendo pœnas pecuniarias, seu injungendo onus mulctæ pecuniariæ, ut si dispenset in Lege jejunii, & observatione Festorum, possit loco jejunii & observantiæ

diei festi imponere onus mulctæ pecuniariæ, sicut potest illud injungere, quando dispensat in voto imposita aliqua commutatione, videtur adesse aliqua difficultas propter pugnantes sententias Doctorum; siquidem Cajetanus *1. 2. quæst. 97. artic. 4.* Sylvester *quæst. 7. dict. 2. num. 19.* Tabiena *quæst. 14. num. 15.* Navarrus *in sum. cap. 21. num. 22.* & alii asserunt, posse Episcopum dispensare in legibus Pontificiis imponendo hoc onus mulctæ pecuniariæ: Suarez tamen *lib. 6. de legibus cap. 16. num. 4.* procedit cum distinctione, & vult hanc sententiam affirmativam, posse tantùm locum habere in legibus, per quas subditi obligantur ad aliqua onera, à quibus per dispensationem eximuntur, ut est lex jejunii, lex abstinendi ab operibus servilibus die festo: non ita veram esse hanc sententiam in illis Legibus, quæ non imponuntur per se ad imponenda onera subditis, sed propter alios justos fines pertinentes ad commune bonum; ut est lex Concilii Tridentini præcipiens denuntiationes fieri publicè antequam nuptiæ contrahantur, quia hæ denuntiationes non requiruntur propter se, sed propter vitanda pericula, proinde si subsit causa justa dispensandi, ut matrimonium contrahatur omissis denuntiationibus, non debet pro tali dispensatione injungi onus mulctæ pecuniariæ, cùm ejusmodi onus ad nihil deserviat pro fine Legis. Suarez adfert etiam exemplum in dispensatione circa interstitia ordinum. quia propter illam videtur omninò impertinens imponere onus mulctæ pecuniariæ, etiam sub specie Eleemosynæ, vel religionis, eò quia tale onus non deserviat intentioni Legis, nec subsit rationabilis titulus illud imponendi. Posset tamen Episcopus pro tali dispensatione imponere onus inserviendi Loco pio aliquo tempore, quia hoc onus foret proportionatum: hinc neque potest Episcopus pro concessione dimissoriarum litterarum ad suscipiendos ordines ab alio Episcopo injungere onus pecuniarium, etiam pro fabrica Ecclesiæ quia hæc solutio pecuniæ videtur redolere simoniam, & non inservire ad finem legis.

15 Probabilius tamen censendum est, non posse Episcopum dispensare in Legibus Pontificiis apponendo pœnas pecuniarias, siquidem Pontifex, non nisi ex justa causa concedit inferiori facultatem dispensandi in suis legibus, & non concedit facultatem, ut inferior commutet Legis Ecclesiasticæ obligationem in aliam materiam, ut notant Castrus Palaus *tom. 1. tractat. 1. disputat. 6. punct. 9. num. 4.* Diana *tractat. 4. resol. 8.* §. 1. Bonacina *de legibus disputat. 1. quæst. 2. punct. 3. num. 23.* Filliucius *tom. 1. tractat. 8. par. 1. cap. 5. num. 180.* & plures alii: unde juvat argumentari, Episcopus non potest dispensare, ubi non habet facultatem dispensandi atqui non habet hanc facultatem dispensandi in Legibus pontificiis apponendo pœnam pecuniariam, & commutando obligationem Legis in materiam pecuniariam; ergò non potest ita dispensare, major, & consequentia tenent, minor liquet, quia Pontifex tantùm concedit Episcopis facultatem dispensandi in suis Legibus ex justa causa; & non concedit facultatem commutandi obligationem Legis in aliam materiam.

Tum quia plus videtur esse Legem commutare in aliud opus, quam in ea dispensare, unde ex eo, quòd Pontifex concedat Episcopis facultatem dispensandi in suis Legibus, non sequitur etiam concessa facultas commutandi: antecedens liquet: quia quando inferior dispensat in Lege superioris, tantùm tollit obligationem, & vinculum talis legis: quando verò commutat, solvit vinculum Legis, & rursus imponit novum vinculum. Licet in voto id non valeat, quia in illo plus est dispensare, quàm commutare, siquidem per dispensationem tollitur omninò vinculum, quod per commutationem non tollitur, sed tantùm mutatur in aliam materiam, adeò ut maneat idem votum circa materiam commutatam, quæ si non impleatur, votum violatur: è contrà non violaretur Lex, si id, in quod commutatur observantia Legis per inferiorem non impleretur. Potest tamen Episcopus injungere onus mulctæ pecuniariæ, si dispenset in aliqua irregularitate orta ex delicto, quia tunc posset imponere onus aliquod ei, cum quo dispensaret in pœnam delicti, præsertim si hic justam dispensandi causam non exhiberet, tunc enim in patrati delicti pœnitentiam potest ordinarius onus imponere mulctæ pecuniariæ, & tunc mulcta est applicanda piis locis. 16

§. VII.

Subjiciuntur reliqua pertinentia ad Jurisdictionem Episcopi.

Quæritur primò, quænam sit jurisdictio Episcopi in Regulares? Respondent communiter, posse Episcopos in Ecclesiis Regularium divina officia publicè, & privatim audire, & ea itidem in pontificalibus celebrare solemni ritu, ac populo benedicere, consuetis illis verbis *sit nomen Domini benedictum* &c. potest etiam facere coram se celebrari absque tamen pontificalibus. Rursus potest uti Baldachino, & religiosos contradicentes censuris, & pœnis Ecclesiasticis punire, & coërcere, ne impediant; idque ex decreto sacræ Congregationis edito anno 1603. quod est intelligendum de Ecclesiis Regularium intra propriam suam Diœcesim: in quibus tamen non possunt exercere actus jurisdictionis, nec confirmare, ordinare, degradare invitis Religiosis; an verò possit in iisdem conciones habere ad populum, non videtur ita certum, quia actus concionandi est actus honoris. 1

Neque potest Episcopus vigore Tridentini in carceres detrudere Regulares notoriè delinquentes, & contra illos processum formare, sed tenetur eos statim ad suos superio- 2

periores remittere, nisi adsit periculum fugæ, ut docet Rodriquez *in compendio quæst. regul. resol. 62. num. 8.* quinimò neque Episcopus habet jurisdictionem in Religiosos, si isti renuntient suo privilegio: quia exemptus neque expresè, neque tacitè potest exemptioni renuntiare absque licentia summi Pontificis: ita enim declarâsse sacram Congregationem in una Ulissiponensis Monasterii anno 1625. refert Barbosa *de potestat. Episcopali par. 3. allegat. 107. num. 76.* Hinc Episcopus defectu jurisdictionis in Regulares exemptos, non potest illos excommunicare, immò plures censent cum Peyrino *in privilegi. min. tom. 1. constitut. 2. Sixti IV.* §. 10. *num. 13.* nec posse denuntiare, ut Regulares vitentur, ex eo quia sint excommunicati nisi in casibus expressis, ut si sacramentum Eucharistiæ, vel extremæ unctionis ministrarent, quia ad hanc denuntiationem prærequiritur declaratio excommunicationis, in quam Regularis incidit; & ad hanc declarationem debet præsupponi cognitio causæ, & citatio partis, quæ ab Episcopo non exercentur in Regulares, quia sunt actus jurisdictionis, quam Episcopus non habet in Regulares exemptos, ut notat Ugolinus *cap. 29. §. 10. num. 2.*

3 Potest tamen Episcopus, ut delegatus Sedis Apostolicæ exercere jurisdictionem in regulares etiam exemptos in pluribus casibus, quorum septem supra quadraginta recenset, & explicat Fagnanus in *c. grave n. 37. & seqq. de officio ordinarii.* & ait in iis regulares exemptos etiam degentes intra claustra subesse visitationi, & jurisdictioni Episcoporum. Imò recenset etiam alios concernentes regulares habentes curam animarum. In Concilio Tridentino *sess. 6. c. 3. de Reform.* sancitur; ut nemo sæcularis clericus, vel cujusvis ordinis regularis extra monasterium degens, etiam sui ordinis privilegii prætextu tutus censeatur, quominùs si deliquerit, ab ordinario loci tanquam super hoc à Sede Apostolica delegato secundùm canonicas sanctiones, visitari, puniri, ac corrigi valeat. Nota, hanc facultatem non esse concessam Ordinariis privativè ad Prælatos Regulares; sed cumulativè; adeò ut possint Prælati Regulares punire tales religiosos, & prævenire ordinarios: ratio est, quia Concilium non eximit Regulares degentes extra claustrum à jurisdictione suorum superiorum: sunt enim etiam extra claustra religiosi. Quòd si Religiosus de licentia sui superioris degat extra claustra causâ studiorum, vel curæ animarum, aut negotiorum monasterii, tunc fictione juris censetur degere intra claustra, ut notat Fagnanus *c. insinuante n. 39. qui Cler. & vov.* Idque procedit tamen quoad participationem jurium, & privilegiorum; quæ in jure exprimuntur: non verò quoad alia. Rursus in delicto notorio, quod secum haberet annexam excommunicationem posset declarare, Regulares excommunicatos esse vitandos. Declaravit etiam sacra Congregatio apud Peyrinum *constitutione 7. Pii V. 29. num. 25.* posse Episcopum præcipere Regularibus degentibus in sua civitate, ut eant ad publicas processiones, cujusmodi sunt illæ corporis Christi, litaniarum, & jubileorum, dummodo processiones sint ejusdem generis cum illis, de quibus fit mentio in bulla Pii V. emanata anno 1567. & dummodo mendicantes non sint ex domibus nuncupatis collegia; nec distent per medium milliare Italicum; aut sint specialiter excepti: imò Peyrinus asserit, per publicas processiones esse intelligendas illas, quæ recens pro bono publico inducuntur. Refert itidem Peyrin. *loc. cit. §. 10. n. 11.* ex declaratione sacræ ejusdem Congregationis, non posse Regulares sine licentia Episcopi extra conventum processiones habere. Grassius tamen *cons. 20. de regul.* asserit, posse Regulares processiones instituere per triginta passus extra conventum, & ubi consuetudo invaluit, posse etiam processiones rosarii, nativitatis, annuntiationis, purificationis, & assumptionis Beatæ Virginis per totam civitatem habere.

Non tamen possunt Episcopi per censuras compellere Regulares ad processiones publicas, siquidem Regulares non possunt ab Episcopis censuris arceri, nisi in casibus in jure expressis, quorum aliqui numerantur à Tridentino; & casus, quo possint Regulares ab Episcopo adigi ad processiones nullibi exprimitur. Et licèt Barbosa *allegat. 78. n. 25.* asserat, hunc casum specialem fuisse declaratum à sacra Cardinalium congregatione; non tamen de hoc constat authenticè, & nihilominus sacra congregatio pluries apud Rodriquez *comp. quæst. regul. resol. 118.* declaravit, non posse Episcopum, Regulares per censuras compellere. In ordine autem ad missas festorum, quæ Episcopus in sua Diœcesi præcipit servari, declaravit sacra congregatio apud Peyrinum *tom. 1. constit. 27. Leonis X. n. 2.* non teneri Regulares missas, & divina officia sui ritus tam publicè, quàm privatim mutare, nec posse Episcopos circa similia, aliquid præcipere Regularibus, ut isti teneantur obedire. Imò Regulares si non adsit periculum scandali, non tenentur servare præcepta synodalia, cùm non subjiciantur Episcopo, sed Pontifici immediatè. 4

Episcopi itidem est recognoscere, & approbare reliquias, & miracula juxta Tridentinum *sess. 25. de reformation. cap. de vener. sanctor.* ubi statuitur, reliquias, & miracula non posse admitti nisi Episcopus recognoscat, & approbet, qui simul, ac aliquid de iis compertum habuerit, adhibitis in consilium Theologis, piisque viris ea statuat, quæ pietati, & veritati consentanea duxerit, imò si aliquod dubium grave in rebus hisce contigerit, debet etiam consilium provinciale Episcoporum convocare; & illorum sententiam audire. Non tamen in ordine ad approbationem reliquiarum necessaria est Episcopo evidentia physica, sed sufficit certitudo moralis orta ex rationibus probabilibus, alioquin posito quocunque miraculo, semper daretur ambigendi occasio, ut desumitur ex *c. placuit de consec. dist. 1.* ubi Pontifex eas reliquias colendas asserit, quæ certæ sunt, scilicet moraliter: & is censetur 5

tur certus moraliter, qui probabiliter, & non temerè credit. Rursus quamvis approbare possit, & declarare reliquias recèns inventas esse certi sancti canonizati; non tamen potest proponere reliquias colendas sancti nondum canonizati, ut notat Barbosa *de potest. Episcop. par. 3. allegat. 97. num. 10.* Juvat tamen observare, quòd suffragia Theologorum à Concilio requisita non sunt decisiva, sed tantùm consultiva, adeò ut possit Episcopus contra illa decernere, ac statuere, quia ubi consilium tantùm petitur, non oportet illud sequi *L. cùm Pater §. mando ff. de legat.* Secus suffragia Episcoporum Provincialium sunt decisiva; siquidem Concilium non petit ab illis consilium; sed sententiam ut notat Sanchez *tom. 1. lib. 2. cap. 43. num. 15.* & ad concludendum sufficit consensus majoris partis; quod enim major Concilii pars statuit, hoc censetur totum Concilium statuisse. *L. quod major. ff. ad municip. & c. Apostolorum. dist. 16.* debet tamen major pars decidere in Concilio, alioquin non sufficeret, ut notat Morales *lib. 17. cap. 12. §. quaritur quartò.* Censet itidem Barbosa *de potest. Episc. p. 3. allegat. 97. §. quaritur quintò.* vigore Concilii Tridentini posse Episcopum approbare reliquias etiam extra diœcesin, eò quia hæc jurisdictio voluntaria sit, non contentiosa.

6 Non tamen Episcopus extra Diœcesin potest celebrare in Pontificalibus sine consensu ordinarii localis. Sunt pontificalia insignia, mitra, baculus pastoralis, anulus, sandalia, tunicella, dalmatica, chirotheca, & crux pastoralis: est enim hæc consuetudo inolita, qua Episcopi non celebrant in pontificalibus extra Diœcesin, nisi de licentia ordinarii loci: siquidem baculus, & mitra sunt signa jurisdictionis; ut patet ex forma consecrationis episcopalis: hinc in cæremoniali Episcoporum lib. 1. c. 17. habetur, Episcopum uti non posse baculo extra diœcesin, nisi ibi ordinationes, aut consecrationes authoritate Apostolica ei facere concedatur.

7 Quòd si dicas, Episcopum posse celebrare in pontificalibus intra suam Diœcesin in locis exemptis, quæ ut notat Cochier *par. 1. quæst. 1. num. 6.* paria judicantur hac in re locis extra Diœcesin. Respondetur, esse discrimen quia loca exempta cum adhuc sint intra Diœcesin retinent reliquiam prioris subjectionis; & Episcopus intra totam suam Diœcesin potest se gerere ut Episcopus, quoad usum pontificalium. Præter pontificalia Episcopi Archiepiscopus accipit à Pontifice etiam pallium; quod est insigne dignitatis Archiepiscopalis; ut liquet ex *c. nisi de author. & usu pallii.* Sin autem Archiepiscopus fieret Episcopus non posset ampliùs uti pallio, cum hoc sit insigne Archiepiscopalis dignitatis, ante cujus susceptionem nemo vocatur Archiepiscopus *c. nisi de author. & usu pallii.* Tum quia est pallium addictum loco, & annexum Ecclesiæ Archiepiscopali, ut liquet ex *c. bonæ memoriæ. 2. de postulat.* qua ratione, ut notat Lancellotus *lib. 1. tit. 11.* in Glossa *litt. H.* Archiepiscopus transiens ad alium Archiepiscopatum non potest uti priori pallio, sed novo indiget.

Habet Episcopus potestatem in utroque foro relaxandi pœnas à jure, & canonibus sancitas, ut desumitur ex *c. tempora 26. q. 7. c. pœnam c. judex de pœna d. 1.* & denique ex *c. latorem. 33. quæst. 3.* ubi à Nicolao Papa cuidam matricidæ pœnitentia imponitur, quam tamen si reus bonorum operum studio sese cunctis probaverit, minui posse significat: ex quo jurisperiti conjiciunt, in aliis quoque posse Episcopum has pœnas à jure constitutas minuere. Quinimò sicut Episcopus potest hujusmodi pœnas minuere, ita si expedire visum fuerit, potest etiam eas totaliter remittere, ut docent jurisperiti in *c. licèt de pænit. & remiss.* Et licèt plerique in ea sint sententia, ut putent, pœnitentiam à summo Pontifice injunctam non posse ab Episcopo remitti, nec minui, eò quia inferior potestatem non habeat in superiorem, nec propterea possit ejus mutare sententiam: nihilominus valdè probabile est, posse Episcopum etiam pœnitentiam à summo Pontifice injunctam minuere; vel remittere, si cognita causa, & urgente necessitate præsumat Episcopus, quòd summus Pontifex hic, & nunc, prout concurrunt tales circumstantiæ pœnam à se injunctam remitteret, quia tunc datur locus interpretandi mentem Pontificis in partem benigniorem, ut docent plures apud Barbosam in *c. tempora 26. quæst. 7.* 8

Si petas, quotuplex in jure sit lex Episcopalis. Respondetur, esse duplicem, jurisdictionis, cui subjiciuntur etiam Monasteria; & Diœcesanam, cui minimè Monasteria subjiciuntur, ut desumitur ex *c. dilectus de offic. jud. ordin.* In his duabus legibus totum jus, & potestas Episcoporum consistit, ut notat Glossa in *d. c. dilectus.* ubi docet, has leges, sic inter se diversas esse, ut per legem jurisdictionis Episcopus curam gerat animarum, delicta pœnis coërceat, Ecclesias moderetur, & consecret, altaria quoque, vasa, vestes, & virgines sacret, & chrisma conficiat; & alia præstet; quæ ad sacramenta pertinent, ut etiam alia, quæ recensentur *in c. conquerente §. pracedent. de offic. ordin.* & hæc omnia ut ait Glossa in dando, seu faciendo consistunt. Per legem Diœcesanam Episcopus synodum congregat, ad funeris exequias solvendas; & cohonestandas Clericos convocat: item ex iis, quæ pro funere offeruntur, portionem certam, scilicet quartam exigit; & similiter quartam recipit ex omnibus decimis parochialibus; item onus imponit excipiendi hospitio Prælatos, & alios primarios viros peregrinos. Monasteria ipso jure exempta sunt à lege Diœcesana *11. quæst. 1. cap. 1.* à lege verò jurisdictionis non sunt exempta nisi ex speciali privilegio ut notat Barbosa de *potestat. Episcop. lib. 1. tit. 1. cap. 1. num. 15.* 9

Crimina, quorum absolutio jure communi reservantur ex constitutione Benedicti XI. 10

quæ

quæ incipit *inter cunctas de privil. inter extravag. communes* sunt quatuor. Primum est peccatum Clerici dignum pœna depositionis, & quod irregularitatem inducit. Secundum est omne peccatum, quod olim solemni pœnitentia consueverat expiari, cujusmodi est grave crimen totum conturbans populum *d. 50. c. in capite*. Tertium incendium domus, frugum, & aliarum rerum, quod quis malitiose, & sciens committit, vel ad id consilium, auxilium, & operam aliqua ratione præstat, *c. pessimam 23. q. 8*. Quartum est delictum, quod Romanus Pontifex excommunicationi subjicit, & cujus absolutionem Episcopo reservavit. Sunt enim, qui addunt blasphemiam, eò quia hæc olim solemni pœnitentia coërcebatur; sed de jure communi non reservatur nisi publica, & manifesta fuerit, & ad forum externum delata. Ex consuetudine tamen aliorum, criminum absolutio reservatur Episcopis, ut crimen homicidii voluntarii etiam à laicis commissi; & aliqui extendunt hoc crimen etiam ad mutilationem, & amputationem membri, non tamen ad percussionem; & ad mandantem, vel consilium, aut auxilium dantem ad homicidium, vel membri abscissionem. Secundum est crimen falsi in litteris, vel quibuslibet aliis tabulis, & instrumentis scriptis, & hoc crimen etiam extenditur ad falsum testem simplicem, vel juratum, qui occultat veritatem; & ad advocatum, vel scribam, vel procuratorem, qui instrumenta scripta unius litigatoris ostendit ejus adversario. Tertium est crimen violatæ libertatis, vel immunitatis Ecclesiasticæ. Quartum impietas sortilegii, & divinationis. Præter hæc crimina solent etiam nonnulli Episcopi speciali consuetudine sibi reservare bonorum incertorum restitutionē, quæ mala fide capta fuerant, & iniquè retinentur, vel etiam flagitia incestûs, & stupri, aut nefariæ libidinis, & contra naturam, vel cum bestiis. Vel etiam sacrilegium opere patratum, quod locum habet in eo sacrilegio, quo locus sacer violatur, aut quod est rei sacræ furtum.

11 Si petatur, quas pœnas Episcopus incurrere secundùm Canones possit. Respondetur, Episcopum nunquam incidere in pœnas suspensionis, aut interdicti, nisi specialis mentio fiat. *c. quia periculosum. de sent. excommun. in 6.* sicut de excommunicatione dicendum est, si Canones non fervet, vel servare faciat, vel perjurus sit; ut notat Abbas *in c. Ego de jure juran. c. sacerdotes. 2. q. 7.* quapropter deseri potest, si ex contemptu deliquerit, quemadmodum deseri solent excommunicati, ut notat Glossa *in d. c. sacerdotes*. Sin autem Episcopus sciente subditum alterius Episcopi ordinet; suspensus est per annum integrum, quo tempore nullos potest ordines conferre; & clerici suæ Diœcesis cùm manifesta fuerit suspensio à finitimis Episcopis promoveri ad ordines possunt, *c. eos qui de temp. ordinat. in 6.* Incurrit etiam suspensionem, si ordinet illiteratum, vel bigamum, ut etiam si duos ordines conferat eodem die. Modus correctionis Episcoporum præscribitur à Tridentino *sess. 24. c. 5. & sess. 13. c. 6. & 7.* Cæterum Episcopus ob crimen læsæ majestatis meretur pœnam degradationis, ut desumitur *ex c. si quis laicus 22. q. 5.* quod tamen à plerisque intelligitur de verbali degradatione eò quia Episcopi, & Clerici, cùm non subjiciantur laicis Magistratibus, non possunt propriè dici rei læsæ majestatis.

Si quæratur, an possit Episcopus jure testari de bonis Ecclesiæ. Respondetur, posse quidem testari de bonis sui patrimonii, ut etiam de bonis, quæ quasi per patrimonium habet, ut etiam de aliis, quæ aliorum donatione, vel industria sua, vel arte sibi comparavit, non verò de fructibus Episcopatûs, nisi à summo Pontifice obtinuerit peculiarem facultatem testandi; potest enim Pontifex dare potestatem non solùm ut testetur in pios usus, sed etiam generatim, ut testetur in quoslibet usus, etiam non pios, non tamen vanos, & inutiles. 12

§. VIII.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones.

Quæritur primò, quale sit discrimen inter Diœcesanum, & Ordinarium. Certum est, generatim eum dici Ordinarium, qui habet in loco ordinariam jurisdictionem, seu qui alicubi habet jurisdictionem suo jure, non alieno beneficio *l. more majorum ff. de jurisdict. om. jud.* & docet Glossa *in c. ordinarii 3. V. locorum h. t. in 6.* Fagnanus in *c. cum olim n. 8. de præscript.* & alii communiter, & patet ex ipsa nominis Etymologia, siquidem Ordinarius suam ab ordine trahit originem, proinde juxta præsens institutum importat jurisdictionem illam, quam supremus Princeps, qualis est Papa servato ordine juxta proportionem officiorum impertitur inferioribus Prælatis: qui habent hanc jurisdictionem, & potestatem sibi à Papa commissam generatim dicuntur Ordinarii locorum, in quibus possunt talem jurisdictionem exercere. Hinc respondent plures cum Abbate *in c. cùm olim. n. 2.* discrimen inter Ordinarium, & diœcesanum esse, quia diœcesanus propriè sit solus Episcopus: siquidem nomine Diœcesani is intelligitur, qui diœcesi præest *arg. c. cum Episcop.* juncta Glossa *ibid. V. in tota sua. h. t. in 6.* Ordinarius autem dicitur, qui ordinariam habet jurisdictionem, adeò ut nomen ordinarii latiùs pateat nomine diœcesani; quia diœcesanus est tantùm Episcopus, qui præest Diœcesi, & Ordinarius est omnis ille, qui habet jurisdictionem, & potestatem sibi concessam à summo Pontifice, hinc nomen Diœcesani convenit soli Episcopo, & nomen Ordinarii etiam aliis Prælatis inferioribus habentibus jurisdictionem respectu propriorum subditorum, tametsi sint inferiores Episcopis *c. cum Ecclesiarum 7. h. t.* imò convenit etiam capitulo sede vacante, ob hoc discrimen notat Fagnanus in *c. cum olim. n. 8. de præscript.* quod quando decretalis aliqua exprimit solum Diœcesanum procedit de solo Episcopo; non verò de inferioribus Prælatis habentibus in suis locis ordinariam jurisdictionem: alioquin quando Pontifex vult comprehendere Episcopos, & alios ordinarios, id exprimit in suis re- 1

scriptis, in quibus facit expressam mentionem de Ordinariis, & Diœcesanis distinctè, dummodo materia subjecta non sit communis Episcopis, & Ordinariis, quia tunc licèt exprimatur solus diœcesanus; nihilomnus ob identitatem rationis subjecta materia extenditur etiam ad Ordinarium *c. Joannes n. 2. de testament.* ubi executio ultimæ voluntatis extenditur ad Diœcesanum, & Ordinarium; quamvis Pontifex dicat, quòd per Diœcesanum cogi debeat Executor testamentarius, ut ultimam voluntatem testatoris expleat, ut notat ibid. Joannes Andreas.

2 Quæritur secundò, quinam in specie secundùm canones comprehendantur nomine Ordinarii? Respondetur primo loco nomine Ordinarii totius Ecclesi eCatholicæ intelligi Romanum Pontificem, qui Christi est Vicarius *Matth. 16. c. quanto de translat. Episc.* speciali tamen nomine sum̃us Pontifex vocatur Papa, seu Pater Patrum, ut explicat Glossa *in proœm. clement. V. Papa.* unde est Papa Ordinarius Ordinariorum *c. cuncta per mundum 9. q. 3.* & habet concurrentem potestatem cum omnibus Ordinariis *c. cuncta per mundum c. ult. de foro compet.* hinc ex omnibus mundi partibus licitum est appellare ad Papam, Pmisso etiam medio *can. ad Romanam 2. q. 6.* quia oapa suam potestatem im̃ediatè à Deo accipit, & Fagnauus *in c. consultationibus n. 72. de cler. ægr.* duplicem distinguit in summo Pontifice potestatem, absolutam unam, Ordinariam alteram, illam vocat supremã, juxta quã Papa dicitur esse supra omne jus positivum humanum, proinde posse in illo dispensare: solet etiam hæc potestas alió nomine dici plenitudo potestatis, de qua fit mentio *in c. proposuit 4. de concess. præb.* ubi Pontifex ait: *Quia secundùm plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare*, hàc tamen potestate non censetur uti, nisi adjiciat clausulam *non obstantibus*, vel apponat hanc aliam *de Apostolicæ potestatis plenitudine*, ut notat Fagnaus *in d. c. consultationibus n. 73.* non tamen solet Papa sine gravi, & justa causa, & absque expressa declaratione uti hac absoluta potestate. Potestas ordinaria Papæ dicitur, quæ est à jure regulata, & sequitur Ordinem juris positivi, regulatúrque juxta limites suæ dispositionis, & juxta hanc potestatem non potest Papa quempiam sine justa causa à beneficio, & officio suo amovere, nec facere quæ sunt contra dispositionem juris communis; tametsi possit de plenitudine potestatis, id facere. Secundò nomine Ordinariorum intelliguntur Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi. Imò etiam Vicarius Generalis Episcopi, & Capitulum sede vacante veniunt nomine Ordinarii, ut notat Glossa *in c. Romana V. generaliter de appellat. in 6.* Barbosa *p. 2. de offic. & potest. Episc. alleg. 22. n. 28.* & alii asserentes, jurisdictionem Vicarii Generalis non esse delegatam, sed ordinariam, cujusmodi est jurisdictio Episcopi, à qua non distinguitur illa Vicarii. Quòd etiam Capitulum sede vacante comprehendatur nomine Ordinarii liquet ex *c. cum olim 14. de majorit. & obed.* Præterea nomine Ordinarii intelligitur etiam quicunque inferior Prælatus habens ordinariam jurisdictionem, dummodo materia super qua nomen Ordinarii ponitur, sit ipsi aptabilis, & æqualiter competens, & desumitur *ex c. cum ab Ecclesiarum 3. h. t.* & ratio est, quia Prælati Episcopis inferiores respectu suorum subditorum gaudent ordinaria jurisdictione, proinde comprehenduntur & ipsi nomine ordinarii absolutè prolato.

Quæritur tertiò, qui nomine Episcopi intelligendi sint. Certum est, si propriè loquamur 3 non intelligi nisi Episcopum consecratum. Ratio est, quia Episcopatus est verus Ordo, & non simplex dignitas in Dei Ecclesia *can. qui Episcoporum 8. q. 1.* nihilominus etiam propriè loquendo intelliguntur electi, & confirmati in Episcopos *argum. c. tuæ 8. de his, quæ fiunt à Præl.* idq; tamen procedit de illis, quæ spectant ad jurisdictionem, non verò ad Ordinem, quia Episcopus non potest exercere, quæ sunt Ordinis, nisi sit consecratus Episcopus: unde si tantùm sit electus, & confirmatus, sed nondum consecratus, potest ea tantùm, quæ sunt jurisdictionis, non verò, ea quæ sunt Ordinis Episcopalis: quia hæc tantum illi conferuntur per ipsam consecrationem. Cæterum nomine Episcoporum aliquando etiam intelliguntur Prælati inferiores habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, ut notat Barbosa *de appell. V. jur. signif. appellativ. n. 15.* Qui verò Prælati inferiores Episcopis sint intelligendi nomine Episcopi, id solet conjici ex adjectis quibusdam clausulis, & ex aliis circumstantiis juxta stylum Romanæ Curiæ. Cæterum recognitio miraculorum non spectat ad alium, quàm ad Episcopum ex Concilio Trident. *sess. 25. de inv. & vener. sanctor.* ut etiam causæ matrimoniales, & criminales solius Episcopi subjiciuntur examini, & jurisdictioni ex eodem Concil. Trident. *sess. 24. c. 20. de refor.* & quia Concilium ibi apponit dictionem taxativam *tantùm*, non possunt Abbates, & alii Prælati inferiores Episcopis de causis matrimonialibus cognoscere, ut nec etiam possunt Prælati inferiores Episcopis decernere super monitoria, quæ fiunt ad finem revelationis pro rebus deperditis, seu subtractis, idque ex eodem Concil. Trid. *sess. 25. c. 3. de refor.* & idem fuisse declaratum à sacra Congregatione refert Garzias *p. 5. de benefic. c. 8. n. 95.* In pluribus tamen appellatione Episcoporum veniunt etiam Prælati inferiores Episcopis habentibus jurisdictionem quasi Episcopalem: etenim Prælati Regulares respectu propriorum subditorum utuntur facultate dispensandi super occultis irregularitatibus, & absolvendi suos subditos ab omnibus casibus occultis etiã reservatis sedi Apostolicæ. Imò nomine Episcopi simpliciter prælati venit etiam Vicarius generalis ejusdem, dummodo expressè non reperiatur exclusus, imò venit etiam delegatus Episcopi habens ad hoc speciale mandatum, ut notat Glossa *in c. unic. V. per Episcopos de Capell. Monach. in 6.*

Quæritur quartò, an etiam Parochi nonnunquam nomine ordinariorum veniant? Respondetur negativè: quia spectato jure com̃uni Parochi exercent jurisdictionẽ tantùm in foro pœnitentiali, & interno, nõ verò in foro externo: proinde secluso speciali privilegio nõ possunt anathemate alios percutere, nec ferre in alios censuras, proinde pro- 4

de propriè non comprehenduntur nomine ordinariorum habentium jurisdictionem in foro externo, & desumitur ex *can de persona 11. q. 1.* & etiam *ex clement. dudum de sepult.* In contrarium tamen posset objici textus *in c. cum Ecclesiarum 3. h. t.* ibi enim nomine plebani intelligitur Parochus gerens curam commissæ sibi plebis, & connumeratur inter Ecclesiarum Prælatos, censetúrque habere potestatem in Clericos, & Laicos suos Parochianos ferendi ex rationabili causa sententiam excommunicationis, vel interdicti. Sed contra, quia plebanus, qui in hoc textu dicitur habuisse potestatem excommunicandi non erat simplex Parochus, siquidem recensebatur inter Prælatos: & ex privilegio, ac jure speciali, vel saltem præscriptione obtinebat jurisdictionem in foro externo, ac potestatem excommunicandi, non verò de jure communi, ut notat Pirhing. *n. 2. h. t.*

5 Quæritur quintò, in quibus casibus Archiepiscopus jurisdictionem habeat in subditos suorum suffraganeorum, tametsi Archiepiscopus habeat jurisdictionem ordinariam in omnes suffraganeos non exemptos suæ Provinciæ, & ut eorum Ordinarius, ac immediatus superior possit præcipere, quæ ad eorundem spectant officium, & etiam compellere negligentes per censuras Ecclesiasticas, ut notat Barbosa *l. 1. jur. Eccl. univers. c. 7. n. 18.* Non tamen habet jurisdictionem in subditos eorundem suffraganeorum, nisi in casibus à jure expressis *can. conquestus 9. q. 3.* & *c. Pastoralis 11. h. t.* ubi expressiùs dicitur de Archiepiscopo, quòd in subditum suffraganei exceptis quibusdam articulis nullam habet potestatem. Hi verò casus in jure expressi recensentur à Glossa *in c. 1. de supplen. neglig. Prælat.* ubi recenset octodecim casus in jure expressos, quos explicat Hostiensis, *in sum. h. t. n. 7.* & continentur hisce versibus.

Officium varium, forus. appellatio, crimen.
Peccans, nonparens, res, consultatio, deses.
Præsul, Canonici tumidi, sententia nequam.
Visitat, indulget, Custos, quia Papa dat, usus.
Permutat sociis, suspectus cùmque emittit.
Casibus his primos subjectos Præsulis arcet.

Primus casus est appellatio, quando causa per appellationem defertur ad Archiepiscopum. Secundus visitatio, quando Archiepiscopus Diœcesin visitat, quia tunc habet jurisdictionem in subditos suffraganei, quos visitat. Tertius quando Episcopus suffraganeus est negligens, quia tunc Archiepiscopus supplet ejus negligentiam. Quartus quando subditi Provinciæ deflectunt à consuetudine Ecclesiæ Metropolitanæ in divinis officiis, tunc enim authoritate Archiepiscopi possunt cogi ad servandum eundem modum, & se conformandum Ecclesiæ Metropolitanæ: *c. tua dudum 5. de sponsa duor.* Excipitur tamen nisi inferiores Ecclesiæ per rationabilem, & legitimè præscriptam consuetudinem observent alium modum in psallendo, & peragendis divinis officiis *argum. can. illud breviter dist. 12.* Quintus ratione fori si quis conqueratur de injusta excommunicatione lata ab Episcopo, tunc enim patet aditus ad Archiepiscopum. Sextus quando criminalis causa agitatur inter Episcopum, & Clericum, vel Laicum subditum. Septimus quando subditi suffraganei peccant in propria diœcesi Archiepiscopi. Octavus quando subditus suffraganei conqueritur de injusta ejus excommunicatione, tunc patet aditus ad Archiepiscopum. Nonus quando ratione rei, de qua litigatur, quis sortitur forum. Decimus quando suffraganeus causam inter subditos suos exortam remittit ad Archiepiscopum per consultationem. Undecimus quando Canonici in contemptum Episcopi cessant à divinis in Ecclesia Cathedrali. Duodecimus quando sententia Episcopi excommunicantis post appellationem ad sedem Apostolicam est injusta. Decimus tertius, quia Archiepiscopus potest per totam Provinciam liberè dare remissionis litteras. Decimusquartus, si Ecclesia suffraganei vacante non supersint Canonici, qui custodiant bona mensæ Episcopalis, vel adsint non idonei, aut suspecti. Decimus quintus si Archiepiscopus per speciale privilegium Papæ habeat specialem jurisdictionem ampliorem in subditos suffraganeorum *c. duo simul. 9. h. t.* Decimussextus si per consuetudinem legitimè præscriptam obtinuit jurisdictionem in subditos suffraganei *argum. can. conquestus 9. q. 13.* Decimusseptimus quando Episcopus permutationem facit cum suo Capitulo, quia hæc permutatio non fit sine consensu superioris *argum. can. cum Apostolica. de his quæ fiunt à Prælat.* Decimusoctavus quando Episcopus suffraganeus, qui recusatur ex justa causa, ut suspectus, remittit causam ad Metropolitanum: legatur Hostiensis *in sum. h. t. n. 7.* ubi explicat hos casus.

Quæritur sextò, an potestas jurisdictionis 6 competat Episcopis immediatè à DEO? Duplex, ut in præcedentibus diximus, est potestas Episcopi, una Ordinis dependens à charactere Episcopali, & consistit præsertim in confirmando, ordinando, & consecrando; adeò ut Episcopus nondum consecratus, ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis, nequeat per se ipsum exercere, sed tantùm alteri suffraganeo facultatem committere *c. suffraganeis 11. de elect.* Alia est potestas jurisdictionis vi cujus Episcopus ut Judex suæ Ecclesiæ decidit causas, confert beneficia, visitat, corrigit, & delinquentes punit juxta statuta sacrorum canonum; invocato etiam, si necessitas exigat, auxilio brachii sæcularis *c. perniciosam 1. h. t.* hæcque jurisdictio jure ordinario convenit Episcopis *c. cùm Episcopus 7. h. t.* ubi dicitur, quòd Episcopus in quolibet suæ Diœcesis loco non exempto possit per se, vel per alium sedere pro tribunali, audire causas sui fori, personas Ecclesiasticas carcerare, adeò ut conveniat Episcopo etiam mixtum, & merum imperium, ut notat Fagnanus in *c. perniciosam 1. n. 25. h. t.* siquidem Episcopus potest in sua Diœcesi inquirere, & punire crimina *c. perniciosam 1. h. t.* ut etiam excommunicare *c. per tuas 40. de consist. c. animarum de consist. in 6.* hæc enim pertinent ad mixtum, & merum imperium in jure canonico, quia excommunicatio æquiparatur morti.

Respondetur ad quæsitum, potestatem juris- 7 dictionis dupliciter posse considerari. Primò secun-

secundùm se, & in genere, & dici etiam solet jurisdictio virtutis simpliciter sumptæ, & in hoc sensu nulli est dubium, quin fuerit instituta à Christo, sitque potestas gubernandi non purè temporalis, & civilis; sed spiritualis, & divina: secundò consideratur hæc jurisdictio, quatenus dividitur in Ecclesia in plures partiales, quæ conferuntur istis, vel illis clericis in ordine ad certas Diœceses, & loca respectu quorum confertur: & in hoc sensu hæc jurisdictio confertur immediatè Episcopis à summo Pontifice ut Christi Vicario, ut rectè notat Pirhing. *h. t. n. 39.* ubi hanc sententiam vocat communem Theologorum, & Canonistarum, hinc quando quæritur, an potestas jurisdictionis competat Episcopis im̃ediatè à Deo, vel potiùs mediante Papa, adhibenda est distinctio, & respondendum, convenire immediatè à Christo quoad immediationem virtutis, seu jurisdictionis genericè sumptæ, eò quia hæc instituta fuerit à Christo: competere autem mediante Pontifice quoad immediationem suppositorum, quia Pontifex immediatè dividit Diœceses, iisque præficit Episcopos, seu has, vel illas personas, ut populos ejusdem Diœcesis gubernent. Hinc potestas jurisdictionis in Episcopo sub diverso respectu, & immediatione est à Christo, & à Papa, scilicet immediatione virtutis à Christo, immediatione suppositorum agentium est à Papa. Quòd potestas jurisdictionis secundùm se & generatim spectata, seu immediatione virtutis fuerit instituta à Christo, liquet *Joan.* 21. ubi dixit Petro: *Pasce oves meas Matth. c. ult. Euntes in mundum universum docete omnes gentes.* Dedit enim Christus Apostolis potestatem jurisdictionis scilicet fundandi Ecclesias, creandi Episcopos, adeò ut non solùm D. Petrus sed etiam reliqui Apostoli acceperint immediatè à Christo munus Apostolatûs, seu jurisdictionem *Luc. 6. Vocavit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit*, ita tamen ut hæc potestas fuerit in D. Petro ut in capite; quia illi collata fuit non solùm ratione Apostolatûs, sed etiam ratione officii Vicariatûs Christi: unde discrimen quoad hanc jurisdictionem inter D. Petrum, & cæteros Apostolos est, quia D. Petro cum fuerit collata etiam ratione officii Vicariatûs Christi, erat perpetuò duratura ratione ejusdem Vicariatûs perseverantis in successoribus: in aliis autem Apostolis fuit tantùm personalis unà cum Apostolatu, & dono linguarum, & miraculorum, & prout exigebat exordium Ecclesiæ, proinde hæc potestas in Apostolis fuit extincta in morte eorundem, & non transivit ad successores ipsorum, cujusmodi sunt Episcopi Papâ inferiores *can. in novo dist.* 21. quòd verò immediatione suppositorum agentium hæc jurisdictio sit immediatè à Pontifice, desumitur ex *can. qui se scit. 2. q. 6. can. multum 3. q. 6. can. sacrosancta dist. 22.* & aliis juribus, quibus apertè dicuntur Episcopi habere partem solicitudinis, seu jurisdictionem immediatè ab Ecclesia Romana, hæc enim instituit Episcopatus, & divisit Diœceses *can. omnes dist. 22.* & singulis Ecclesiis dedit Presbyteros à se electos *can. Ecclesias 13. q. 1.* unde Episcopi quoad has, vel illas Ecclesias, & loca accipiunt immediatè jurisdictionem à Papa.

Quæritur septimò, an lex Diœcesana sit distincta à lege jurisdictionis? Certum est, jura Episcopalia esse in duplici differentia, quia alia pertinent ad legem Diœcesanam, & alia ad legem jurisdictionis, hæ siquidem duæ leges comprehendunt totum jus, & potestatem Episcoporum *cap. conquerente 16. h. t.* Lex Diœcesana, cui Monasteria omnia ratione capellarum sibi incorporatarum, si istæ exemptæ non sint, subjiciuntur, in his præsertim consistit. Primò in exactione annua cathedratici, vel duorum solidorum *c. inter cætera 8. caus. 10. q. 3.* Secundò in petitione subsidii charitativi secundùm facultates Ecclesiæ, vel alterius beneficii *c. cum Apostolus 6. §. prohibemus de censib. c. conquerente 16. h. t.* Tertiò in præstanda quarta portione decimarum Episcopis spectato jure communi *c. de quarta 4. de præscript.* Verùm plerisque in locis hæc præstatio videtur per desuetudinem abolita. Quartò portione canonica ex legatis, & funeralibus oblationibus in locis ubi est in usu, & ad hanc monasteria etiam exempta obligantur. Quintò in præstandis procurationibus, & victualibus consuetis, quando Episcopus, vel alius ex ejus mandato visitat: & ad has procurationes etiam obligantur monasteria, quæ subjiciuntur Episcopo *c. sopitæ 14. de censib.* quia nonnunquam procuratio est annexa visitationi *c. venerab. 21. h. t.* Sextò in convocatione ad synodum: quia hæc dicitur spectare ad legem diœcesanam *c. quod super 9. de major. & obed.* Hodie tamen Abbates Monasteriorũ non liberantur à synodo. Lex verò jurisdictionalis, ad quam omnes Ecclesiæ etiam monasteria non exempta obligantur, consistit primò in præstanda debita obedientia, & subjectione Episcopo, ac in parendo ejus mandatis. Secundò in institutione, & destitutione in beneficiis spectato jure communi pertinente ad Episcopum *c. cum ex injuncto 12. in fin. de hæret.* Tertiò in correctione, visitatione morum, reformatione, censurâ Ecclesiastica, jurisdictione causarum pertinentium ad forum externum ecclesiasticum. Quartò in impositione publicæ pœnitentiæ *c. accedentibus 12. de excess. Prælat.* in sacramentorum receptione, absolutione, indulgentiis, dispensationibus: ex quo liquet, discrimen intér legem diœcesanam, & jurisdictionis. Licèt omnia Monasteria regulariter sint exempta à lege Diœcesana ipso jure ob favorem Religionis, non tamen sunt exempta à lege jurisdictionis, nisi speciali aliquo privilegio eximantur, ut notat Fagnanus *n. 3. h. t.* Capellæ verò, & Parochiæ sæculares iisdem Monasteriis incorporatæ, nisi sint specialiter exemptæ subjiciuntur legi Diœcesanæ *argum. c. de Monachis 12. de præbend.* & notat Glossa fin. *in c. dilectus 18. h. t.* Hodie plures Religiosorum Ordines mendicantium, & non mendicantium, & ipsorum Monasteria pro com̃odiori eorundem regimine, & majori tranquillitate, ac pace ab Episcoporum jurisdictione authoritate Apostolica eximuntur, & immediatè subjiciuntur sedi Apostolicæ exceptis certis casibus in jure expressis.

Quæritur octavò, quomodo interpretari debeat utraque lex diœcesana, & jurisdictionis? 9

Re-

Respondetur cum Glossa in *sum. caus. 10. q. 1.* & Glossa fin. in *c. delictum 18. h. t.* quam sequuntur ferè communiter Canonistæ ita interpretari, ut quæ in dando consistunt, seu quæ Episcopus aliis conferre debet, spectent ad legem jurisdictionis, cujusmodi sunt conferre Ordines, & alia sacramenta, dare curam animarum aliis, consecrare Ecclesias, altaria, virgines, conficere chrisma; & alia hujusmodi, hisce tamen Glossa Margin. in *d. c. dilectus* addit audire causas, & quæ circa judicium aguntur expedire, ut etiam visitare, corrigere, suspendere, interdicere, statuta condere, & alia id genus. Secus quæ consistunt in recipiendo ait Glossa pertinere ad legem diœcesanam cujusmodi sunt exigere cathedraticum, subsidium charitativum, quartam portionem decimarum, portionem canonicam ex Legatis, funeralibus, oblationibus; exigere, in visitatione, procurationes, seu victualia, & convocare ad synodum, hæc enim omnia consistunt in recipiendo, seu ut alii loquuntur in quasi passione, quorum recipiendorum jus habet Episcopus, & pertinent ad Legem Diœcesanam. Et licèt Abbas in *c. dilectus 18. num 4. h. t.* quem sequitur Fagnanus *loc. cit. n. 3.* impugnet hanc doctrinam Glossæ, eò quia convocatio synodi potiùs consistat in actione, quàm passione: nihilominus non est recedendum à doctrina Glossæ, quia convocatio synodi principaliùs consistit in recipiendo, quia in eadem præstatur Episcopo canonica obedientia, subjectio, & reverentia *c. conquerente 16. h. t.* quamvis accessoriè involvat quasdam actiones.

10 Quæritur nonò, an Episcopus possit absolvere, quem inferior Prælatus excommunicavit? Respondetur, quòd si inferior Prælatus sit subditus Episcopi, ut in Ecclesia Cathedrali Archidiaconus, vel Decanus, & hic ex justa causa excommunicet sibi subditum: tunc Episcopus inscio inferiore Prælato, & sine prævia satisfactione eidem data non debet excommunicatum absolvere: si tamen illum absolvat absolutio est valida: unde non potest licitè inscio inferiore Prælato, benè tamen validè absolvere, & desumitur ex *c. cum ab Ecclesiarum 3. h. t.*

11 Quòd si objiciatur regula, quâ superior Prælatus dicitur posse relaxare censuram latam ab inferiore. Respondetur, id esse intelligendum de iis superioribus Prælatis, qui jurisdictionem obtinent in ligatos censurâ, & non tantùm in excommunicatorem. Hinc Archiepiscopus non potest absolvere excommunicatos à suis suffraganeis, & Coëpiscopis, cùm in subditos eorum non habeat jurisdictionem, nisi ab ipso appellatum sit *c. Romana de appellat. in 6.* & notat Hostiensis in *sum. tit. de sent. excommun.* Alia regula etiam est, quòd si alicubi consuetudine præscripta introductum sit, ut Archidiaconus, vel Decanus jurisdictionem exerceat in Clericos sibi subditos excluso Episcopo, non possit hic licitè absolvere excommunicatos à Prælato inferiore, nec se immiscere in exercitio ejus jurisdictionis: hinc in praxi observatur, ut excommunicatos à Prælatis Monasteriorum non exemptorum Episcopus non possit absolvere, nisi ad ipsum appelletur, quia Episcopus non habet plenam jurisdictionem in Regulares, quorum correctio primo loco pertinet ad Abbatem; & Episcopus non potest se immiscere nisi concurrente negligentia, vel malitia Prælati.

Quòd si subditus duos habeat superiores cum subordinatione, quibus plenè subjiciatur; adeò ut uterque possit illi præcipere, & eum punire, in hoc sensu valet regula, quòd superior Prælatus possit relaxare censuram latam ab inferiore, non tamen vice versâ. Sin verò Episcopus in jurisdictione erga subditos concurrat cum Prælato inferiore sibi subordinato, tunc non potest licitè Episcopus absolvere excommunicatos ab inferiore Prælato, si censura ex justa, & rationabili causa lata fuit, nisi priùs consulto, & audito excommunicatore, & præstita ab excommunicato debita satisfactione: ratio est, quia ad regimen Ecclesiæ pertinet ita servare ordinem, ut sua unicuique jurisdictio non impediatur *c. pervenit 11. q. 1.* quinimò si subditus Prælati inferioris conqueratur Episcopo se injustè fuisse excommunicatum, adhuc Episcopus debet audire excommunicatorem, & postea remittere ad suum Prælatum inferiorem, à quo fuit excommunicatus, & si non ab eodem absolvatur *c. ad reprimendam 8. h. t.* ubi dicitur, quòd excommunicatum ab uno Episcopo, non debeat Archiepiscopus absolvere, licèt ad eum appellet, sed debeat Archiepiscopus remittere illum pro absolutione ad excommunicatorem; qui si nolit eum absolvere sine justa causa Archiepiscopus eum absolvit accepto priùs juramento, quòd satisfaciet Episcopo in eo, super quo fuit justè excommunicatus, & si non obediat, reincidit remota appellatione. Si tamen Episcopi Vicarius aliquem excommunicet, potest Episcopus pro suo arbitrio eum absolvere, quia Vicarius non proprio jure, sed jure, & authoritate, ac jurisdictione Episcopi utitur. 12

Quæritur decimò, in quibus casibus Episcopi habeant jurisdictionē in regulares exemptos? Respondetur, Fagnanum in *c. grave n. 37.* Quadraginta septem referre casus, in quibus Regulares exempti etiam intra claustra degentes subsunt visitationi, & jurisdictioni Episcoporum, & addit alios plures concernentes tamen regulares habentes curam animarum. Præcipui sunt primò ut Regulares extra claustra degentes si delinquant, possint ab ordinario loci tanquã super hoc à Sede Apostolica delegato secundùm canones visitari, puniri, & corrigi, & desumitur ex Concilio Trident. *sess. 6. c. 3. de refor.* Hæc tamen facultas puniendi Regulares degentes, & delinquentes extra claustra non est concessa ordinariis privativè quoad Prælatos Regulares sed cumulativè; adeò ut possint & ipsi Prælati Regulares punire suos Religiosos delinquentes, & prævenire Ordinarios: quia Concil. Trid. non eximit Regulares degentes extra claustrum à jurisdictione suorum superiorum. Secundò si Regularis notoriè delinquat extra claustra, & populo sit scandalo: tunc Regularis instante Episcopo est severè puniendus à suo superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum, & tenetur superior Episcopum monere de punitione facta. Quòd si superior nolit eum punire privatur à suo Prælato officio; 13

nemo concurrat, potest is examinari, idq; fuisse etiam decisum, refert Ugolinus de *potest. Episc. c.50. §.10. n.4.* In hoc autem constituendo examine tres sunt seligendi Examinatores synodales ex Trid. *loc. cit.* qui tenentur examini interesse, nec possunt pauciores tribus esse, & hoc examen fit circa ætatem, mores, doctrinam, prudentiam, & alia id genus, quæ requiruntur in pastore curam gerente animarum, idque ex Trident. *loc. cit.* neque sufficit si doctrina polleat, nisi etiam bonis moribus commendetur, ut notat Garcias *p.5. c.7. n.11.* ubi refert, id fuisse etiam decisum. Quod verò ad ætatem attinet, debet promovendus ab Episcopo ad beneficium parochiale attigisse 25. ætatis annum, adeò ut illum inchoaverit, & intra annum tenetur promoveri ad sacerdotium, ut notat Barbosa *loc. cit. n.82. & seq.* fit verò in examine etiam experimentum de peritia cantûs, & rubricis divini officii: quòd si ob numerum concurrentium non possit examen uno die absolvi, debet altero perfici, imò si timeatur de revelatione interrogationum, possunt hæ mutari die sequente, ut declaravit Congregatio Episc. 20. Julii 1596. Præferri autem in concursu debet, qui nullum obtinet beneficium, alteri, qui jam obtinuit, ut censuit Rota 20. Febr. 1587. *decis. 768.* ut etiam minus doctus, dummodo idoneus sit, præfertur doctiori, si is non sit probis moribus commendatus, & ille morum bonitate excellat, ut notat Barbosa *loc. cit. n.103.* Absoluto examine conferunt Examinatores palàm inter se vota, deinde significant Notario nomina approbatorum simpliciter, quæ ab eodem scribuntur, ut notat Garcia *p.9. c.2. n.107.* ex approbatis autem Episcopus eligit, qui ipsi visus fuerit magis idoneus; electio enim semper pertinet ad Episcopum, & id fuisse decisum à Congreg. refert Garzia *p.2. c.2. n.208. & seq.* Quòd si plures præsententur à Laicis, tunc si, tantùm examinantur, & Episcopus eligit magis idoneum, ut notat Garcia *loc. cit. n.256.* Cæterum magis idoneis contendendæ sunt parochiales Ecclesiæ, & si excludantur, possunt appellare ad Metropolitanum, & tandem ad Papam ex constitutione Pii V. edita an. 1567. Hæc itidem servantur in jure patronatus mixto, & in mero ecclesiastico ex Trid. *loc. cit.* imò tametsi jus patronatus ex duabus partibus spectet ad Laicum, & pro una ad Ecclesiasticũ, perinde fit ac in Ecclesiastico: quòd si beneficia vacent in mense Papæ, electio tunc pertinet ad Episcopum, qui Romam mittit nomen electi, non verò ad Patronum Ecclesiasticũ, idq; fuisse decisum, refert Barbosa *dict. alleg. 60. n.16* quoties verò jus patronatus devolvitur ad Ordinarium, fit concursus ut notat Barbosa *loc. cit. n.18.* Quòd si concursus juxta formam Concilii Trid. suum non sortiatur effectum, tenetur Episcopus novum constituere concursum, ut notat Navarrus *p.1. c.1. & cons. 11. de rescr. n.3.* quòd si electus desistat, vel etiam decedat, instituendus est novus concursus, nec potest eligi alter ex iis, qui concurrerunt, ut notat Garcia *p.9. c.2. n.221. & sequent.*

25 Quæritur duodecimò, an quoties vacat Ecclesia parochialis debeat hæc provideri per concursum? Respondetur, in beneficiis Regularium non fieri concursum, si hæc conferri soleant Regularibus, & id fuisse decisum, refert Garcia *p.9. c.2. n.167.* Si tamen Parochus Regularis deprehendatur minùs dignus, & aptus, potest tunc alter subrogari, imò debet, si Episcopus velit, ex declar. Congreg. Episc. 11. Decembr. 1584. Imò nec fit concursus in parochialibus regularibus curam habentibus animarum solitis cõmendari sæcularibus, idq; decisum fuisse, refert Garcia *loc. cit. c.2. n.199.* imò neq; in vacatione dignitatis, & canonicatûs, cui añexa est cura animarum accessoriè, ut notat Barbosa *loc. cit. n.26.* ut nec etiam si cura animarum canonicis incumbat Ecclesiæ cathedralis, vel collegiatæ, & cura per eosdem Canonicos exerceatur, ut notat Barbosa *n.30.* Neq; fit concursus, quando beneficia parochialia resignantur in manibus Papæ in favorem tertiæ personæ. Neq; in permutationibus veris, ut nec etiam si beneficium simplex mutetur in curatum, ut refert Garcia *loc. cit. c.2. n.195.* Est tamen examen necessarium ei, qui aliàs non fuit examinatus, ut notat ibidem Garcias. Imò neque fit concursus in parochialibus acquisitis per regressum, si eas possederit, neq; in parochialibus litigiosis, ut notat Barbosa *loc. cit. n.38.* imò neq; in parochialibus, quæ sunt de jure patronatus Laicorum ex Trid. *loc. cit.* ut nec in jure patronatûs mixto requiritur concursus. Idque fuisse decisum 5. Febr. 1628. refert Vivianus *de jure patron. in append. lib. 10. c.1.* Imò neq; Vicariæ perpetuæ parochialium unitarum conferuntur per concursum, sed tantùm per nominationem eorum, ad quos attinet deputare, ut notat Barbosa *loc. cit. n.32.* ubi tamen id limitat, nisi in Vicarium cura ipsa transferatur, quia tunc requiritur concursus. Quòd si parochialis Ecclesiæ proventus ita tenues sint, ut nemo sit, qui concurrat, potest Episcopus tale beneficium alteri unire. Sin verò ob publicum examẽ timerentur apertæ factiones, & graviores rixæ, tunc Ordinarius, si ei consultius videatur cũ deputatorum consilio privatum aliud potest examen adhibere ex Trid. *sess. 24. c.18.* Cæterùm provisi de parochiali Ecclesia per Papam tenentur ad juratoriam fidejussionem de residendo ex Bulla 87. Pii IV. Qui verò confirmat indignum ex defectu ætatis, scientiæ, vel morum ad beneficium curatum, amittit potestatem confirmandi primum successorem, imò & suspenditur à perceptione propriii beneficii, donec restituatur, ut notat Barbosa *alleg. 41. n.20.* Item ex Concilio Trident. *sess. 24. c.13.* beneficia curata non excedentia summam ducatorum centum de annuo proventu, non debent pensione gravari. Valor autem centum ducatorum requisitus à Concilio intelligitur juxta morem cujusvis regionis ut notat Riccius *p.4. collect. 745.* ex declaratione Congregationis Concilii emanata 13. Jul. 1600. Congrua verò, quæ assignatur Vicario ex Trid. *sess. 24. c.18.* intelligitur ad arbitrium Episcopi, & id fuisse decisum refert Garcia *de benef. c. p.2. c.2. n.15.* Barbosa tamen *de offic. Parochi c.2. n.35.* vult, hanc congruam esse duorum aureorum singulis mensibus. Rursus onera deducenda in parochiali, ut centum scuta libera remaneant pro Rectore sunt onera necessaria, & ordinaria Capellani, Clerici, candelarum in festo

Purificationis B. Virginis, manutentiones Sacristiæ, onera cathedratici, Prædicatoris, visitationis Episcopi, Organi, ceræ, hostiarum, vini, olei, Judicis ordinarii: & id fuisse pluries decisum à Rota refert Barbosa *p. 3. c. 29. n. 18. & seq.*

16 Quæritur decimotertiò, quænam sit facultas Episcopi circa reservationem beneficiorum? Respondetur, reservationes, quibus est annexa cura animarum, sede Papali vacante, posse ab Episcopo conferri, ut docent communiter apud Barbosam *alleg. 57. n. 30.* Sede tamen Episcopali vacante omnia reservantur Papæ ex constitutione Pii V. edita anno 1568. ut etiam quæ vacant ob crimen hæresis. Vel quæ collata fuerunt personis indignis ob genus, hæresin, apostasiam à fide ex constitutione Gregorii XIII. edita anno 1580. ut etiam recepta in confidentiam ex const. Pii IV. edit. anno 1564. ut etiam parochialia collata non servata forma Concil. Trident. ex constit. Pii V. Barbosa *l. c. n. 245.* Ut etiam quæ vacant per privationem ex constit. 67. Pauli III. Item vacantia ob negligentiam Ordinarii elapso semestri culpâ suâ, ut notat Barbosa *loc. cit. n. 44.* Item vacantia ob non publicationem resignationum ex constitut. Gregorii XIII. edita anno 1583. Ut etiam beneficia eorum, qui se ipsos pro aliis examini supponunt, vel annuas pensiones offerunt pro consequendis beneficiis: vel etiam beneficia impetrant pro aliis, ut ab iisdem aliquid consequantur: vel quando impetrant pro se ipsis cum intentione illa resignandi; collationes horum beneficiorum tunc reservantur Papæ ex const. Pauli IV. edita anno 1557. In Regulis Cancellariæ etiam reservantur plura beneficia, nimirum Officialium Sedis Apostol. cæ. Monasteria virorum excedentia valorem annuum 220. florenorum auri. Dignitates, & beneficia omnia post obitum quorumcunque collatorum usque ad promotiones successorum. Dignitates omnes in cathedralibus majores post pontificalem, & principales in collegiatis excedentes valorem 10. florenorum auri. Item Prioratus, Præpositurae, dignitates conventuales, & Præceptoriæ generales Ordinum quorumcunque, excipiuntur tamen ordines militares: item beneficia familiarium Papæ, & Cardinalium, ac continuorum commensalium eorundem, quos recenset, & explicat Barbosa *loc. cit. n. 106. & seq.* Item beneficia collectorum, & subcollectorum Cameræ Apostolicæ, ut etiam curialium quorumcunque cubiculariorum, & cursorum Papæ. Cubiculariorum honoris ex const. Pauli V. edita anno 1617. Item beneficia canonicalia urbis, vacantia in Episcopatibus, titulis, ac Diaconiis Cardinalium è Romana curia absentium, ut etiam vacantia per promotionem ad Patriarchatum, Archiepiscopatum, Episcopatum, vel monasteriorum regimina, ut etiam vacantia per execrabilitatem, quando beneficium secundum retinetur, licèt sit incompatibile cum primo. Item quæ vacant mensibus Papæ, & etiam quæ vacant in curia, ut notat Barbosa *alleg. 57. n.* 19. ut etiam vacantia per violationem sequestri lite pendente in Curia Romana ib. *n. 47.* item beneficia litigiosa vacantia per obitum ibid. *n. 49.*

17 Quæritur decimoquartò, quomodo resignari possint beneficia in manibus Ordinarii, seu Episcopi? Respondetur, Episcopum procurantem ut Clerici beneficio renuntient suspendi à perceptione fructuum suæ Ecclesiæ per triennium, ut notat Barbosa *alleg. 111. n. 39.* Verùm id procedit, si resignatio suum sit effectum secuta. Cæterum resignari possunt beneficia in manus Episcopi à senibus, qui sunt impotentes; à valetudinariis; crimini obnoxiis, censuris irretitis, ingressuris religionem, obtinentibus plura beneficia, volentibus matrimonium contrahere, & habentibus Capitales inimicitias ex constitut. Pii V. edita Anno 1560. & tunc resignantes nullo modo debent successorem significare, licèt resignans possit rogare Episcopum, ut conferat beneficium à se resignatum alicui à se nominato, ut notat Barbosa *de potest. Episc. alleg. 65. n. 50.* tenetur tamen Episcopus examinare, & resignans probare causam resignationis, ut notat Garcia *p. 11. c. 4. n. 52.* potest etiam beneficium resignari in manibus Episcopi ante adeptam possessionem, non tamen potest resignari beneficium litigiosum super quo lis pendet, nisi lis esset super privatione beneficiati, non verò ut adjudicetur alteri, ut notat Barbosa *loc. cit. n.* 19. Beneficium item juris patronatûs potest resignari de consensu tamen patroni. Potest etiam Episcopus acceptare resignationes beneficiorum suæ diœcesis, tametsi existat extra suam propriam Diœcesin, ut notat Barbosa *de potest. Episc. alleg. 65. n. 22.* Imò addit *num. 23.* posse etiam acceptare resignationes beneficiorum reservatorum, non tamen hujusmodi beneficia conferre. Neque potest hujusmodi resignationes acceptare ante triennium à possessione beneficiati resignantis, ut declaravit Innocentius IX. relatus à Mossonio de *majest. milit. Eccles. lib. 1. par. 3. cap. 2. rubric. de benefic.* Quòd si beneficium fuerit titulus ordinationis, debet de titulo mentio fieri in resignatione, alioquin nullius est valoris; ut notat Naldus *V. renuntiare,* & id etiam procedit in permutatione beneficii, quod est titulus ordinationis. Id tamen fallit, si resignans assecutus sit aliud beneficium sufficiens ad congruam sustentationem, & id fuisse decisum refert Naldus *loc. cit.* beneficium autem resignatum non confertur consanguineis, affinibus, nec familiaribus resignantium, nec ipsius recipientis resignationes ex constitutione Pii V. superius relata, idque sub pœnis nullitatis, suspensionis à beneficiorū collatione, electione, & hujusmodi pœna reservatur Papæ: quòd si suspensi ausi fuerint conferre de facto incurrunt excommunicationem; à qua non possunt absolvi nisi à Papa ex *dict. constit.* Pii V. ubi etiam additur, quòd malè resignantes, & lites hujusmodi prosequentes tenentur ad restitutionem, & ad omnia damna. Cæterùm publicatio resignationum etiam ex permutatione debet fieri intra sex menses citra montes; & ultra montes intra novem, ut statuit Gregorius XIII. in sua constitut. edita anno 1583. & tempus incipit currere à die datæ concessionis gratiæ, & debet hæc publicatio fieri in Ecclesia cathedrali, & beneficii, vel etiam in pluribus si sit in iisdem

bene-

beneficium, & quidem inter missarum solemnia lectis litteris Apostolicis: sin verò beneficium sit rurale, fit in Ecclesia parochiali, intra cujus limites est tale beneficium; & in cathedrali: quòd si ad eas non pateat accessus, saltem in eadem cathedrali, & parochiali, idque sub pœnis nullitatis, & inhabilitatis. In resignationibus verò, quæ fiunt in manibus inferiorum Papæ, intra mensem negotium finitur, & intra tres menses publicatur: rursus intra mensem debet resignatio expediri, seu admitti vel rejici, & ejus publicatio fit brevibus verbis, nec est necesse, ut legatur tota Bulla, ut notat Barbosa de jure eccles. *lib. 3. cap. 15. num. 113.* & debet fieri in Ecclesia, non verò in choro; alioquin est irrita: sufficit autem si ad valvas affigatur simplex scheda, in qua significetur totum resignationis negotium, & Notarius testetur se egisse juxta formam constitutionis Gregorii X. Et non publicanti non prodest regula de triennali possessione, imò neque decennalis possessio, & probatio de non facta publicatione ad effectum, ut beneficium vacet incumbit impetranti beneficium. Quæ statuuntur de resignatione procedunt etiam de mutatione, quæ potest fieri ab Episcopo in mense Apostolico ex declar. Congreg. 27. Martii 1583. Possunt etiam permutari beneficia juris Patronatus, de consensu tamen patronorum. Quòd si permutatio fiat inter duo beneficia diversæ Diœcesis requiritur etiam utriusque Episcopi consensus, & authoritas, ut notat Azorius *par. 2. lib. 7. cap. 29. quæst. 6. & 8.* Quòd si beneficia sint inæqualia cessante pacto potest Episcopus mandare, ut recipiens beneficium pinguius solvat aliquam pensionem alteri duraturam, donec fructus coæquentur. Sunt tamen probandæ causæ permutationis, & permutaturi examinantur ab Episcopo juxta Tridentinum *sess. 24. c. 18.* & antequam possessionem ineant, tenentur professionem fidei emittere, ut notat Ugolinus *de potestat. Episcop. cap. 58. num. 3.* Non tamen potest fieri permutatio beneficii cum pensione, quam habet alter super alio beneficio, neque cum pacto coram Episcopo, ut notat Barbosa *de jure Eccles. lib. 15. cap. 10. num. 179.* ubi *num. sequent.* addit, neque posse permutari beneficia inæqualia addita pensione, vel alia re pretio æstimabili.

18 Quæritur quintodecimò, quænam sit potestas Ordinarii circa beneficiorum unionem? Respondetur, ab Ordinario posse examinari uniones factas à quadraginta annis citra confirmationem Tridentini, ut constat ex eod. Trident. *sess. 7. cap. 6.* Non tamen possunt uniri beneficia diversæ diœcesis ex eodem Tridentino *sess. 24. cap. 9.* imò nec plura beneficia simplicia, ut notat Riccius in praxi resol. 610. imò nec beneficia quæ sunt juris patronatus, & id fuisse decisum refert Garcias *p. 12. cap. 2. num. 210.* Irritæ etiam sunt uniones, quæ fiunt de beneficiis liberis ad Ecclesias juris patronatûs ex Trident. *sess. 25. cap. 9.* cæterum potest Episcopus, si justa causa subsit, unire beneficia non exempta, ut notat Barbosa *loc. cit. alleg. 66. num. 3.* tametsi eorum collatio ex vi concordatorum spectet ad Capitulum, imò potest etiam unire beneficia, quæ non sunt perpetuò reservata, ut notat Garcia *par. 12. c. 2. n. 91.* imò etiam devoluta Papæ per negligentiam, ignorantiam, seu absentiam prædecessoris, ut notat Rebuffus *de devolut. num. 31.* Possunt etiam uniri parochiæ certos fines non habentes, sed tantùm certum populum; vel certas familias, & id fuisse decisum refert Garzias *loc. cit. c. 2. n. 58.* Possunt etiam ex Tridentino *sess. 21. cap. 5.* fieri ab Episcopo uniones perpetuæ Ecclesiarum parochialium, & beneficialium, propter Ecclesiarum paupertatem absque præjudicio obtinentium, non tamen uniuntur Ecclesiæ parochiales monasteriis, Abbatiis, Dignitatibus, Præbendis ecclesiæ cathedralis, vel collegiatæ, imò nec aliis simplicibus beneficiis, aut hospitalibus, vel militiis: imò quæ sunt unitæ revidentur, & examinantur ex Tridentino *sess. 22. cap. 13.* imò nec partem fructuum parochialis Ecclesiæ posse uniri alteri, refert Garcias *loc. cit. num. 17.* ubi addit, id decisum fuisse. Debent itidem hujusmodi uniones fieri ob evidentem necessitatem, vel utilitatem ecclesiæ, ut notat idem Garcias *loc. cit. num. 108.* & quidem in perpetuum non ad vitam, & cum consensu Capituli, nisi adsit contraria consuetudo excludens consensum Capituli, ut notat idem Garcia *loc. cit. num. 152.* Sin verò unio fiat ipsi Capitulo, requiritur tunc authoritas Papæ, ut notat Garcia *loc. citat. num. 168.* Non ita si fiat singulis præbendis sigillatim. Sed veriùs potest Episcopus unire omnibus simul, & refert Garcias *loc. cit. num. 171.* fuisse id decisum; sed in hisce unionibus ex Tridentino *sess. 7. cap. 6.* requirendus semper est eorum consensus, quorum interest, & beneficium unitum assumit naturam, & privilegium alterius, cui est annexum, perinde ac accessorium naturam sequitur sui principalis, ut notat Barbosa *loc. cit. num. 41.* Non tamen potest Episcopus unire beneficia affecta sedi Apostolicæ, ut docent communiter Canonistæ cum Barbosa *de jure Eccles. lib. 3. cap. 16. n. 30.* ut nec etiam beneficia litigiosa. Benè tamen potest unire beneficium suæ Diœcesis non curatum alicui religioni, vel monasterio suæ Diœcesis, ut notat Barbosa *l. c. num. 36.* cessante verò causa, ob quam facta est unio, potest Episcopus eam revocare, & dissolvere, præsertim si cesset utilitas Ecclesiæ, cui redundet majus damnum ex eadem unione: verùm ad id requiritur consensus Capituli, & vocatio Defensoris cum causæ cognitione.

Quæritur sextodecimò, quænam sit facultas Episcopi circa canonicatus? Respondetur, quòd si præbendæ cum distributionibus sint ita tenues in insignibus collegiatis, ut non respondeant decentiæ loci, & personarum, potest tunc Episcopus accedente consensu Capituli beneficia simplicia non regularia iisdem unire, vel etiam aliquibus suppressis cum patronorum consensu minuere numerum canonicatuum ex Tridentino *sess. 24. cap. 15.* Quamvis Decanatus 19

non habeat annexam obligationem doctoratûs, nec magisterii, ut notat Garcia *p. 7. c. 7. n. 43.* Principalis tamen dignitas in Ecclesia collegiata exempta, cui ordinaria jurisdictio cum omnibus juribus Episcopalibus competit; congruit saltem, ut conferatur Doctori, & id fuisse decisum, refert Garcia *loc. citat. num. 33.* Cæterum omnes Canonicatus, ac portiones in cathedralibus habent annexum ordinem Presbyterii, vel Diaconatus, vel ad minimum Subdiaconatus ex Tridentino *sess. 24 cap.* 12. dimidia tamen saltem pars Capituli debet constitui ex Canonicis, qui sint Presbyteri: & laudabilior est consuetudo, quâ omnes Canonici sunt Presbyteri. Ubi verò hæc laudabilis consuetudo non viget, ad Canonicatum obtinendum in cathedralibus requiritur ætas 22. annorum, & in collegiatis quatuordecim, & ita fuisse decisum refert Barbosa *alleg. 60. num. 70.* Dignitas verò nova in collegiatis, quæ aliàs non reperitur in Ecclesia non potest sine licentia Papæ institui. Dignitates Archidiaconatûs, & aliæ similes, quæ jam sunt in usu, possunt institui ab Episcopo accedente consensu Capituli, ut notat Barbosa *de jure Eccles. lib. 1. cap. 21. num. 5.* non ita Canonicatus supernumerarius potest erigi ad futuram præbendam, ut notat Garcia *de benef. p. 6. c. 1. num. 5.* & refert fuisse decisum. Quando verò Canonicis datur possessio, nec Episcopus, nec Capitulum potest sibi fructus & distributiones retinere, imò neque partem earundem ex constitut. Pii V.ⁱ edita anno 1570. Imò prohibentur etiam munera esculenta, poculenta, & etiam nomine urbanitatis, seu honorarii extorta, & coacta, ut etiam dulciaria, ut notat Zerola *in praxi Episcop. p. 2. V. possess. benefic.* §. 5. Unde proventus applicantur Sacristiæ, quæ si non indigeat saltem fabricæ Ecclesiæ, vel alteri pio usui ex consensu Capituli, & recèns Canonicus institutus emittit professionem fidei, non solùm coram Episcopo, sed etiam in Capitulo ex Tridentino *sess. 24. cap. 12.* Id tamen procedit de Canonicis in Ecclesiis cathedralibus, Valere autem consuetudinem stante dispositione Concil. Trident. *sess. 24. c. 12.* ut fructus primi anni reserventur hæredibus beneficiarii, vel etiam pro funeralibus ejusdem Canonici, censet Rota *decis. 660. p. 4. diversf.* imò valere consuetudinem, ut fructus spectent ad capitulum, donec canonicus initietur sacerdos declaravit Congregatio Concil. 6. Maii 1617. non tamen approbatur consuetudo, quæ est pro reparatione bonorū mensæ capitularis in possessione capienda à Canonicis, & id fuisse decisum refert Garcia *p. 8. c. 1. n. 90.* Ad residentiam tenentur omnes Canonici etiam Collegiatarum non insignium, & ita fuisse decisum, refert Garcia *p. 3. c. 2. n. 97.* excipiuntur tamen rurales, qui à tempore immemoriali nunquam consuevere residere, & tenues accipiunt redditus: non tamen consuetudo immemorabilis excusat Canonicos à residentia in collegiatis insignibus, ut refert Garcia *loc. cit.* ubi etiam *num.* 183. addit obtinentes Canonicatum, & monasterium in commendam etiam sine cura animarum teneri residere in canonicatu. Docentes tamen jus canonicum in publica universitate de licentia Episcopi gaudent privilegio percipiendi fructus præbendarum suarum etiam absentes, imò & sine licentia Episcopi, ut notat Garcia *loc. cit. n. 559.* & refert, id fuisse decisum etiam de docentibus sacram scripturam 27. Februarii 1597. Imò gaudent eodem privilegio habentes facultatem absentiæ pro studiis, si verè studeant in publico Gymnasio, ut notat Barbosa *de potestat. Episcop. allegat. 56. num. 24.* sed singulis semestribus tenentur scriptum sui Doctoris exhibere Episcopo de studiorum progressu: & hæc facultas absentiæ pro studiis nonnisi ad quinquennium conceditur, ut refert Barbosa *allegat. 56. num.* 31. referens id fuisse etiam decisum, & quinquennium esse numerandum à die, quo incepit studere in Gymnasio publico. Non tamen excusatur à residentia is, de cujus Canonicatus titulo litigatur, ut neque qui nondum Ordine debito est initiatus, neque qui justam habet causam ne initietur. Neque qui tertiam fructuum partem in distributiones contulit aliis conferentibus; neque ille, cujus beneficii magna pars fructuum ad alium jure spectat: imò tenentur interesse omnibus diebus, & horis, præter tres menses, quia non licet vigore statuti, aut consuetudinis ultra tres menses à suis Ecclesiis quolibet anno abesse, salvis tamen iis statutis, quæ longius servitium requirunt ex Tridentino *sess. 24. cap.* 12. alioquin primo anno privantur dimidia parte fructuum, quos suos fecerunt. Sin verò iterum absint privantur omnibus fructibus, & crescente contumacia proceditur juxta sacros Canones: verùm antequam ad privationem in totum procedatur, expectandus est lapsus trium annorum, ut notat Barbosa *de canon. cap. 20 num.* 17. ubi refert, id fuisse decisum. Cæterum potest etiam reduci consuetudo longioris vacationis ab Ecclesiæ servitio ad tempus præscriptū à Concilio Tridentino, ut declaravit Congregatio Rit. 3. Novemb. 1602. Episcopo celebranti, vel pontificalia exercenti adiguntur Canonici assistere, & inservire ex Trident. *sess. 24. c. 12.* imò tenentur Canonici in habitu canonicali accedere ad domum Episcopi, cùmque associare ad Ecclesiam cum cappa accedentem, & eundem in reditu comitari ex declaratione Congregationis Rit. 5. Julii 1605. & 9. Maii 1617. idque licèt distet ab Ecclesia per spatium 60. passuum, ex declaratione ejusdem Congreg. 5. Julii 1603. imò tametsi distet per spatium centum, & decem passuum, ex declar. ejusdem 10. Januarii 1704. imò quamvis per spatium 160. passuum ex eadem Congreg. 20. Augusti 1622. Quòd si palatium Episcopi longiùs distet, debet tunc associari ex aliquo loco ad id deputato propè Ecclesiam, vel ex atrio Ecclesiæ, aut scalis, ut declaravit ead. Congreg. 16. Maii 1601. & id in iis festis solemnioribus, quæ recensentur in cæremoniali Episcoporum, in his enim tenentur Canonici associare Episcopum, quamvis non utatur cappâ, si ex consuetudine non soleat illâ uti, ubi autem consuetudo inolevit, quòd quoties Episcopus cum cappa accedit ad Ecclesiam etiam in festi-

pe

per annum semper eum associent à Camera deputati; & in reditu usque ad portam palatii, consuetudo hæc est servanda, ut declaravit Congreg. 2. Januarii 1610. sed debet tunc Episcopus certam horam sui adventus statuere, ac significare, qui si stato tempore non veniat, potest officium inchoari; & si venerit post inchoatum officium, sufficit, si quatuor Canonici eidem obvient, quod etiam servatur; si post cantatum Evangelium concio habeatur, & tunc veniat Episcopus, & si finita concione discedat, etiam quatuor Canonici eum comitantur usque ad portam Ecclesiæ.

20 Quæritur decimoseptimò, quidnam possit Ordinarius circa legata pia, & ultimas voluntates Testatorum? Respondetur ex Tridentino *sess. 22. c. 6.* ex justa, & necessaria causa ultimas testatorum voluntates esse commutandas, dummodo ab Episcopis summariè cognoscantur, antequam executioni talis mutatio demandetur, ut notat Barbosa *de potest. Episcop. alleg. 83. n. 7. & sequent.* ubi etiam recenset sex causas justas, quibus talis immutatio fieri potest: alioquin si nulla subsit justa, & necessaria causa non potest Episcopus commutare defunctorum voluntatem, ut notat Barbosa *d. alleg. 83. n. 2.* Sin verò justa, & rationabilis causa adsit, potest Episcopus legatum pium relictum ad certum usum commutare in alium pium, tametsi tale legatum adimpleri possit, ut notat Sylvester *V. legatum 4. q. 14.* An verò tunc requiratur consensus hæredis, Abbas affirmat, sed Felinus apud Barbos. *loc. cit.* id negat, & hæc sententia videtur verior, quia quoties subest causa justa, & rationabilis, debet hæres eidem acquiescere, & quod in majorem cedit Ecclesiæ utilitatem præferre. Idque vel maximè procedit, quando legatum est circa pium opus incertum, ut notat Monet. *de commut. ultimar. volunt. c. 5. q. 11. n. 341.* Ut etiam quando legatum relictum à Testatore non sufficit, ut plenè satisfiat ejus voluntati circa opus certum ab ipso designatum, eò quia pecunia relicta minimè sufficiat pro construendo sacello, aut Ecclesia; vel alio opere certo, & designato perficiendo. Imò potest etiam relictum pauperibus convertere in fabricam, quæ inserviat iisdem pauperibus, vel Ecclesiæ, ut notat Genuensis in *manual. pastor. c. 73. n. 5.* imò legatum relictum pro fabrica potest convertere in picturam, qua ornetur Ecclesia, ut notat idem Genuensis *n. 6.* & potest etiam exequi voluntatem Testatoris in alio loco, & alio modo, si Ecclesia in cujus favorem testator suum destinaverat legatum neglexerit, & negligat voluntatem exequi testatoris: idque vel maximè, si urgeat necessitas commutandi, nec possit Papa adiri, quamvis pateat accessus ad Legatum, seu Nuntium, si is careat facultate commutandi, ut notat Moneta *de commut. ult. volunt. c. 5. n. 352. & 362.* Rursus si pia voluntas non potest de facto impleri, tunc de consensu hæredis, potest ab Episcopo mutari, ut eo meliori modo, quo potest, impleatur. Præterea ex omissione missarum, seu officiorum non celebratorum, pecuniam, quæ superest, potest Episcopus convertere in alium pium usum, ejusdem Ecclesiæ, non verò potest Episcopus commutare, quæ pertinent ad suam cathedralem, seu mensam, nec ad illam Capituli; neque potest immutare, quæ spectant ad eos, qui subjiciuntur inferioribus Prælatis, nisi ad supplendam eorundem negligentiam, ut notat Monet. *loc. cit. n. 380.* nec potest mutare relictum pro sustentatione pauperum in redemptionem captivorum; neque relictum in dotem puellarum, ut possint nubere, ut notat idem Genuens. *n. 16.* Cæterum causæ permutandi has ultimas voluntates reducuntur ad necessitatem, & evidentem utilitatem.

Quæritur decimooctavò, quomodo Episcopus debeat se gerere circa synodum Diœcesanam? Respondetur ex Concil. Trident. *sess. 24. c. 2.* teneri Episcopum quot annis diœcesanam synodum celebrare, quod si eam omittat sine justa causa suspenditur ab executione officii ex declaratione Congreg. Concil. emanata 27. Martii 1509. & hæc pœna injungitur per Archiepiscopum, cui subest, ut notat Massobr. *de synod. c. 3. dub. 1. n. 9.* sin verò ob justam causam omittatur, causa debet deferri in visitatione liminum Apostolorum, ut ibi notat Massobr. Tempus verò celebrandi hanc synodum, paschale est magis congruum, est tamen indicenda in festo Epiphaniæ cum festis mobilibus, & etiam publicari per edictum saltem ante mensem. Tenentur ad hanc synodum accedere etiam exempti, qui aliàs cessante exemptione deberent interesse, & non subsunt Capitulis Generalibus: ut etiam omnes Parochi ejusdem diœcesis, & qui earum curam gerunt. Imò etiam Abbates habentes Capellas, vel populum subjectum Episcopo, nisi ex speciali privilegio eximantur, ut notat Massobr. *loc. cit. dub. 6.* ut etiam Prælati sæculares, & Parochi Regulares etiam præsentati per exemptos, & qui obtinent beneficia simplicia: ut etiam qui ex consuetudine per decennium introducta solent accedere, & id vel per se, vel per Procuratorem. An verò etiam Canonici teneantur interesse, videtur standum esse consuetudini locorum. Rectores verò, qui nullius sunt Diœcesis, tenentur adire synodum Episcopi, à quo possunt visitari ex declarat. Congreg. Concil. & ex Trident. *sess. 24. c. 2.* imò & etiam ii, qui obtinentes beneficium in Diœcesi, in qua celebratur synodus, habitant in alia Diœcesi; imò detrectantes interesse possunt anathemate percuti, ut etiam gravius puniri, & qui veniunt synodo jam absoluta. Pro decretis verò in synodo evulgandis, requiritur consilium Canonicorum, præsertim in sex casibus, quos refert Piasecius *in prax. Episcop. p. 2. c. 2. n. 9.* Officiales synodi sunt plures, nimirum Præfectus hospitiorum, Promotor, Secretarius, Notarius, Lector decretorum, Præfecti disciplinæ synodalis, & scrutinii, Judices querelarum, & excusationum, Procurator cleri, Oeconomus pro cathedratico. Confessarii cleri, Magister cæremoniarum, Ostiarii synodi ex Trident. *sess. 24. c. 18.* eliguntur sex Examinatores cleri, qui debent esse Magistri in Theologia, Doctores, vel Licentiati in jure canonico ex Trdent. *loc. cit.* vel si desint, debent eligi alii de clero magis idonei, 21

& ap-

& approbandi sunt à majore parte præsentium in synodo, ut notat Massobr. *loc. cit. dub. 7. & sequent.* & electi ex Trident. tenentur jurare ad sancta Dei Evangelia. Eliguntur etiam ex eod. Triden. *sess. 25. c. 10.* quatuor Judices synodales, vel etiam plures, qui debent esse vel Canonici, vel in Ecclesiastica dignitate constituti, ut etiam eliguntur saltem septem testes synodales, & punctatores, qui & ipsi juramentum emittunt, solent etiam eligi alii officiales minores, ut recognitores librorum, Revisores indulgentiarum, Præfecti musicæ, Vicarius Monialium, Præfecti spirituales carcerum, Præfecti processionum, & orationis publicæ, ut etiam disciplinæ clericalis; Pœnitentiarii minores, Vicarii Foranei, Visitatores, prior doctrinæ Christinæ, Confessarii Clericorum, Præfecti fabricæ Ecclesiasticæ, Dispensatores eleemosynarum, Recognitores onerum missarum, Oeconomi beneficiorum vacantium, Revisores Administratorum, Præfecti funeralium, & confratriarum, Recognitores Calendarii, & alii. Evulgantur etiam in synodo Diœcesana decreta ultimi Concilii Provincialis, ut etiam decreta Tridentini de residentia *sess. 6. c. 1. & sess. 23. c. 1.* & decreta quæ sanciuntur in synodo diœcesana ligant Clericos, & Laicos, qui Episcopo subjiciuntur, ut notat Massobr. *de synod. c. 4. dub. 77. & sequent.* non verò delinquentes extra Diœcesin. Neque tenetur Episcopus decreta hæc exhibere magistratui sæculari, ut declaravit S. Congregatio 14. Aprilis 1615. imò nec tenetur mittere Romam, ut notat Piasecius *in prax. Episc. p. 2. c. 2. n. 12.*

22 Quæritur decimonono, quomodo quarta Episcopalis, & funeralium competat Episcopis? Respondetur de omnibus legatis, & relictis Ecclesiæ existentibus in Diœcesi quartam partem competere Episcopo, ut notat Sylvester *V. canonica portio §. 4.* hanc tamen quartam partem non solvit hæres, sed Ecclesia, cui fuit legatum; ut notat Covarruvias in *c. officii de testamen. num. 1.* id tamen non procedit in funeribus ex charitate piorum locorum, ut declaravit Congregat. Episc. 29. Novemb. 1588. nec in legatis ex declaratione ejusdem emanata 17. Septemb. 1585. præsertim in legatis, quibus puellæ possint nubere ex declaratione ejusdem 15. Septemb. 1592. neque quando in genere legatur aliquid pauperibus, vel pro ornamentis, cereis, fabrica Ecclesiæ, choro, pictura, calice, anniversariis, neque si legetur aliquid Ecclesiæ ea conditione, ut quotannis solemniter celebretur dies festus alicujus Sancti, vel constituatur præbenda, altare, vel pulpitum. Neque cùm quis donat aliquid Ecclesiæ in vita, seu donatione facta inter vivos, ut notat Barbosa *allegat. 86. n. 21. & sequent.* Verùm in his, & aliis casibus putárim cum Covarruvia in *c. officii de testam.* standum esse consuetudini locorum. Neque comprehenduntur monasteria ædificata à quadraginta annis citra, aut quæ in dies ædificantur, præsupposito, quòd sint ejus Religionis, cui à sede Apostolica indultum sit, ut non teneatur solvere Episcopo, & Joannes de la Cruz *de stat. relig. lib. 2. cap. 19. dub. 5. conclus. 2.* asserit, id fuisse decisum. Rursus neque quarta cereorum confraternitatum funera associantium debetur Parocho ex declarat. Congreg. Episc. 15. Martii 1616. Cæterum quarta funeralium debetur Rectori, non Regularibus, quamvis Rectoria sit Regularis in Ecclesia Regulari, ut declaravit eadem Congreg. 3. Julii 1615. Nec Clerici Regulares tenentur ad solvendum Episcopo quartam funeralium ex decisione Rotæ 5. Januarii 1617. Coram Decano, ut notat Naldus *V. sepultura. num. 13.* Rursus stante consuetudine in civitate, ut jus sepeliendi peregrinos, & Viatores spectet ad Ecclesiam Cathedralem, quarta funeralis non debetur Parocho inter cujus limites Viator detentus pro delicto, vel habilitatus cum cautione decedit, idque ex declarat. Congreg. Concil. emanata 22. Januarii 1628. Imò censent plures apud Barbosam de jure Eccles. *lib. 3. c. 19. n. 18.* Confraternitates mere laicales non teneri solvere Episcopo quartam Canonicam, ut nec etiam quæ ex mera devotione authoritate Episcopi fuerunt institutæ. Cæterum quarta funeralis Episcopi non potest locari ex declaratione Congreg. Episcop. 14. Decemb. 1592. & debetur Parocho, seu Sacerdoti exercenti curam animarum, ut notat Barbosa de jure Eccles. *lib. 3. c. 24. n. 19. & sequent.* nomine autem Parochi intelligitur is, qui curam gerit animarum in ecclesia, in qua Parochianus consueverat sacramenta recipere, quamvis alibi divinis interesset. Sin verò dubitetur, an hæc canonica portio debeatur Episcopo, vel Parocho, præfertur tunc Parochus ex causa onerosa; Episcopus verò ex lucrativa, ut notat Barbosa *loc. cit. n. 25.* Idque procedit, quamvis Parochianus decedat ob bellum, vel pestem in domo sua rurali, dummodo in Parochia domicilium habeat. Imò etiam quando ægrotus cum bonis suis se transfert ad Religionem, & pendente anno probationis decedat, ut notat Barbosa *loc. citat. n. 28.* de candelis tamen, quas fratres, & alii Presbyteri in funeribus solent in manibus gestare non datur quarta Parocho, sed pertinent ad eas gestantes, ut notat Barbosa *loc. cit. num. 39.*

TITU-

TITULUS XXXII.

De officio Judicis.

EGit Pontifex in præcedentibus titulis de officio quorundam Judicum, & speciatim Judicis Delegati, Legati, & Ordinarii, modò agit de officio Judicis in communi, eóque duplici, nobili, & mercenario: unde hic titulus ad omnes pertinet Superiores. Plura debent Judices ultrò facere, suásque interponere partes non rogati; siquidem supplent, quæ vel partibus, vel advocatis partium desunt *cap. 5. de postul. Prælat.* Debent itidem inter cognoscendum partes interrogare, an quid novi velint addere, ut rei actæ fides plenius sibi constet, dum ejus æquitatem accurata inquisitione discutiunt. Concedunt etiam Advocatos non petentibus, ut etiam iis, qui propter Adversarii potentiam nullum inveniunt *L. ne quisquam §. Advocatos ff. de offic. Proconſ.*

SUMMARIUM EXEGETICUM

Duorum capitum, quæ in hoc titulo continentur.

CAP. EX LITTERIS 1. h. t. Honorius III. rescribit Archiepiscopo S. Laurentii, & Abbati Salernitano, posse Judicem dare Advocatum aliquem de suis domesticis parti, si hac non possit habere Advocatum. Notat tamen Glossa, id tantùm processisse de jure antiquo, quando Salaria erant de publico constituta. Hodie verò debet quilibet sibi providere, prout meliùs potest L. properandum C. de judic. *Pauperibus tamen, & iis, qui sibi providere non possunt, debet & hodie Prætor consulere, & providere per jura: & ad hunc finem moris est, ut apud plures nationes sumptu Principis alantur Pauperum Advocati.*

C. JUDICIS fin. h. t. Gregorius IX. declarat, quòd quando pro principali actione imploratur officium Iudicis, ut quando petitur principaliter restitutio in integrum, tunc exposcitur litis contestatio; alioquin potest haberi recursus ad officium Iudicis sine litis contestatione. Hinc ut notat Panormitanus officium Iudicis est duplex, unum quod dicitur per se stans, *quatenus non deservit alicui actioni, & hoc exercetur merè Iudicis facto ad nullius instantiam, ut quando Iudex ratione sui officii spontè procedit ad inquirendum de vita, & moribus subditorum, & hoc officium dicitur nobile. Aliud officium dicitur* non stans per se, *eò quia nec liberali actu ex æquo, & bono finiatur, sed actioni ab altero motæ inservit juxta actionis, & litis exigentiam: & hoc officium dicitur mercenarium, eò quia deserviat actioni, perinde ac mercenarius deservit Domino: hinc in actionè depositi Iudex debet procedere juxta conditiones hujus actionis, scilicet audire exceptiones, & probationes ejusdem naturæ convenientes.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

De Iudicis nomine, officio, & conditionibus.

1 POst Judices delegatos, & ordinarios in particulari subnectitur in præsenti titulo de officio Judicis in communi, dicitur judex à judicando, seu jus dicendo, quasi judex idem sit, ac jus dicens. Hinc debet judex esse persona publica, qui publicam habeat potestatem cognoscendi, & judicandi de causis civilibus, & criminalibus, quæ potestas solet etiam jurisdictio dici. Debet potestas in judice esse publica ad excludendum arbitrium: siquidem si quis ex concessu tantùm privatorum judicaret, non propterea esset judex, *l. privatorum C. de jurisdic. om. judic.* Hinc definitur judex *persona publica, & legitima juris, & æqui perita, probatæ vitæ, cui à Principe data sit potestas cognoscendi & pronuntiandi sententiam super controversiis litigan-*

est in princ. lib. 1. quòd si comprehendit veritatem debet illam toto conatu posse tueri, & juvare, ut ait Cast. *cons.* 302. *Ego Paulus lib.* 2. propterea debet judex esse vir incorruptus, prudens, & constans, denudatus omni passione, & respectu personarum, nec debet affectum privatum sequi, sed jus dicere, ut cuique detur, quod suum est: ex hoc enim habetur judicis officium, quod est cuique sua ex judicii ratione tribuere; & non unius tantùm, sed utriusque partis bonum indifferenter respicere, ne sit acceptor personarum, contra præcepta legis tum divinæ Deuteron. 1. & 16. Ecclesi. 42. *non accipias cujusquam personam*, & Proverb. 24. *Cognoscere personam in judicio non est bonum.* Tum humanæ *cap. in judiciis: non est acceptatio personarum habenda. de regulis juris in 6.*

5 Ut autem possit judex ritè suo fungi munere, quinque sunt in ipso necessariæ conditiones, scilicet potestas, veritas, forma juris, scientia ad faciendum judicium, & animæ puritas, ex quibus tres priores adeò sunt cuique judici necessariæ, ut judicium sine ipsis ab illo factum nullius sit valoris. Quarta itidem conditio est judici necessaria per se ipsum, vel saltem per assessorem, vel consultorem, sine qua licèt judicium consistat, peccat tamen judex, ut notat D. Thomas 2. 2. *q.* 60. *art.* 1. Prima igitur conditio est potestas, & jurisdictio, sine qua sententia esset invalida; siquidem judicium est lex quædam particularis; & lex non potest validè ferri à non habente potestatem, & jurisdictionem. Qui tamen tantùm titulo colorato, & communi errore censetur judex, dicitur nihilominus habere sufficientem potestatem, & jurisdictionem, dummodo non adsit impedimentum juris naturæ, vel divini, quod ab Ecclesia non potest suppleri, ut docet D. Thomas 2. 2. *q.* 67. *art.* 1. quo fit, ut sine legitimo judice nullum prorsus judicium consistat, quia judicium est applicatio legis ad personas, cum vi aliqua coactiva, qua judex legitimus potestate coactiva munitus homines in officio continet, cogitque legibus parere.

6 Hæc autem potestas, & jurisdictio in judice consistit in potestate cognoscendi, & pronuntiandi super controversiis litigantium, & in jure bipartitur in imperium, & jurisdictionem. Imperium, quod sumitur pro jussu, coërcitione, & executione, subdividitur in merum imperium, & in imperium mixtum; illud definitur ab Ulpiano *in l.* 3. §. *de jurisdict.* jus gladii ad animadvertendum facinorosos; dicitur merum imperium, quia potissimum, & principale officium judicis consistit in jussione, coërcitione, & executione, lege tamen ipsa dictante pœnam, & quasi exercente jurisdictionem, præmissa tamen cognitione super facto: alioquin potestas judicis quoad hanc partem meri imperii non distingueretur ab executione Ministrorum justitiæ, cùm isti simpliciter exequantur sine prævia cognitione causæ. Hujus meri imperii tres solent gradus assignari, quorum primus continet pœnam mortis naturalis, secundus pœnam mortis civilis, quâ nimirum alicui jus civitatis Romanæ, veluti vita civilis adimitur, & damnatur in exilium, in locum à Patria dissitum, vel etiam in perpetuos detruditur carceres. Tertius gradus est pœnarum non capitalium, cujusmodi sunt mutilatio membri, fustigatio, relegatio, & aliæ id genus pœnæ.

Hinc censent plures, in jure canonico, nullum esse merum imperium, eò quia hoc jure nemini pœna gladii, & sanguinis irrogetur, sed in delictis atrocioribus traditio Rei fiat per Ecclesiam Magistratui sæculari cum intercessione tamen pro vita, & membris Rei traditi *cap. cùm non ab homine* 10. *de judiciis cap. novimus de verb. signif.* Neque obstat, quòd in Germania potissimum Episcopi habeant jus gladii, & judicium sanguinis: quia tale jus ipsis non convenit ex lege Ecclesiastica, nec quatenus sunt simpliciter Episcopi; sed jure fœudali quatenus sunt Domini, & Principes territoriorum, & vasalli imperii, ut notat Andreas Gaillus *pract. observat. obser.* 30. *num.* 4. Verùm licèt de jure canonico non sit merum imperium quoad primum gradum mortis naturalis; neque quoad totam latitudinem tertii gradi: nihilominus adhuc merum imperium convenit juri canonico suo modo; quia sicut de jure civili est gradus temporalis, ita de jure canonico gradus spiritualis, quo anathemate feriuntur contumaces, ac excommunicantur, hæc enim pœna comparatur in in jure civili pœnæ capitis, cùm homini adimat vitam spiritualem: adest etiam in jure canonico potestas degradandi, confiscandi, corporaliter castigandi, perpetuis carceribus mancipandi, quæ omnia ad merum imperium revocantur, ut notat Glossa *in c. quod sedem de offic. ordinar.* Tum quia etiam in foro Ecclesiastico officium judicis nobile ad publicam utilitatem per accusationem, vel inquisitionem exercetur, quod per Glossam in *prolocutione ad tit. ff. de jurisdict.* ad merum pertinet imperium. Rursus de jure civili merum imperium, quandoque alicui prænobili confertur, non secundum totam suam extentionem, sed duntaxat secundùm gradus tantùm inferiores infra pœnam capitis, sicuti habent plures ex ordine equestri in suis pagis, & castris jus puniendi minora delicta, quod vulgò jurisdictio bassa dicitur; quæ tamen jurisdictio pertinet ad nudum imperium. 7

Imperium mixtum definitur *in l.* 3. §. *de jurisdict.* illud, cui jurisdictio inest: dicitur mixtum, eò quia quodammodo componatur ex jurisdictione, & imperio, & Glossa civilis *in d. l.* 3. describit imperium mixtum, quòd sit *potestas, quæ à nobili officio judicis exercetur privatam respiciens utilitatem*, & asserit per postremas particulas assignari discrimen inter merum, & mixtum imperium, quia illud sit potestas, quæ officio judicis nobili per accusationem exercetur, publicam utili- 8

utilitatem respiciens; adeò ut merum imperium publicam respiciat utilitatem, & mixtum imperium tantùm privatam: quapropter versatur circa causas civiles, vel criminales civiliter intentatas. Præterea sicut in mero imperio principaliùs intenditur executio, & jus inferendi pœnam, ut per coërcitionem flagitiorum publicæ utilitati, & quieti consulatur; adeò ut cognitio facti, seu delicti sit quid accessorium ad merum imperium: ita in mixto imperio è contra principaliùs attenditur juris redditio, & definitio controversiæ; executio verò ipsis partibus principaliter incumbit, eisque injungitur, & tantùm judici in defectum, & accessoriè, ubi partes detrectant obedire.

9 Jurisdictio simplex tota versatur circa cognitionem causæ, & pronuntiationem sententiæ absque jure exequendi, prout habere solet judex delegatus, cui licèt detur potestas ferendi sententiam; executio tamen ejusdem reservatur deleganti *cap. quisquis 2. q. 6. L. à. D. Pio in princ. ff. de re judic.* nisi fuerit delegatus summi Pontificis, cui etiam competit executio sententiæ *c. querenti de offic. delegat.* Cæterum cuilibet judici etiam delegato semper convenit vis aliqua coërcitiva; quâ possit uti contra non obtemperantes suis mandatis, quando eos ad judicem citat: ratio est perspicua, quia quando alicui conceditur aliqua facultas exercenda, censentur etiam eidem concessa omnia illa media, & instrumenta, quæ necessaria sunt ad exercitium ejusdem facultatis: eo ipso quòd Princeps concedit alicui jurisdictionem, censetur etiam ea omnia concedere, sine quibus jurisdictio exerceri non potest *l. 2. ff. de jurisdict. & l. final. ff. de offic. ejus &c.* quapropter jurisdictio etiam simplex aliquid semper habet mixti imperii annexum, adeò ut secundùm actum cognoscendi, & pronuntiandi dicatur jurisdictio; & secundùm actum coërcendi imperium, ut notat Matthias Stephani de officio judicis, *lib. 1. cap. 7. num. 3.*

10 Definitur verò simplex jurisdictio à Glossa civili *d. l. 2. de jurisdict.* quòd sit potestas, quæ ab officio judicis mercenario expeditur, privatam respiciens utilitatem, quatenus versatur circa lites, vel crimina, quæ particulares personas respiciunt: est enim duplex officium judicis, nobile unum, alterum mercenarium; illud dicitur, quod judex quasi motu proprio præter actionem institutam, seu ex proprio officio, ita suadente jure, & æquitate solet exequi. Hinc in causis criminalibus accusator non debet in libello concludere ad pœnam, sed judex ex officio eam infert à lege determinatam.

11 Rursus ex officio judex inquirere potest in delinquentes *c. qualiter, & quando de accus. lib. 3. de offic. Præsidis*: nonnunquam in civilibus judex ex officio solet parti pauperi advocatum deputare, qui gratis serviat, judicet de expensis litis, aut fructibus rei restituendæ; & ea supplet, quæ ab advocatis ex jure minus deducta sunt, juxta *l. unic. C. ut quæ desunt advocatis*; pertinet etiam ad hoc officium jubere, & exequi possessionem bonorum, cùm id ab imperio dependeat. Officium mercenarium juxta præsens institutum, illud dicitur, quod ordinariè actioni institutæ inhæret; cùm judex proposita actione, & consideratis circumstantiis, ac meritis causæ judicat præcisè, prout jus talis actionis, & allegata merita causæ postulant: quapropter si actor in libello fructus, & expensas non petierit, non tenetur judex officio mercenario de illis quidquam pronuntiare, nisi fortassis nobile ejus officium per generalem libellorum clausulam fuerit imploratum.

Acquiritur jurisdictio ex concessione Principis, vel legis, aut consuetudinis, vel etiam ex delegatione; quapropter quatruplex est jurisdictio, quæ judici potest competere, nimirum ordinaria, delegata, arbitraria, & accessoria: jurisdictio ordinaria dicitur, quæ alicui competit ex officio, aut dignitate; adeò ut habens officium, vel dignitatem, cui ex jure, vel consuetudine, aut præscriptione convenit potestas, vel jurisdictio, dicatur habere potestatem, & jurisdictionem ordinariam: hinc summus Pontifex ex dignitate, qua in militante Ecclesia vices gerit Christi, ordinariam habet potestatem in spiritualibus super omnes fideles, ut etiam in temporalibus ratione spiritualium, quæ illis adnectuntur. Imperator itidem, Reges, & Principes alii non recognoscentes superiorem in propriis statibus, & provinciis jurisdictionem habent ordinariam, ut etiam Episcopus in propria Diœcesi in spiritualibus, qua ratione dicitur Ordinarius. Jurisdictio delegata est, quæ convenit alicui non ex officio, vel dignitate; sed ex concessione, vel commissione illius, qui potestatem habet ordinariam; jurisdictione delegata præditi sunt Commissarii, Auditores, Prætores, & alii id genus judices, qui à judicibus ordinariis eliguntur ad cognoscendas causas in locis subjectis eorundem jurisdictioni. Jurisdictio arbitraria est, quæ unanimi partium litigantium consensu obtinetur: & dupliciter potest contingere: primò, quando eligitur judex, seu arbiter ex conventione partium, ut litem amicabiliter componat, in quo casu potest arbiter pro suo arbitrio judicare juxta æquitatem juris naturalis, tametsi ordinem juris positivi non servet, & partes tenentur stare ejus decreto. Secundò quando reverà eligitur quis in judicem ex consensu partium, & tunc tenetur judex sententiam ferre juxta ordinem juris, & partes tenentur acquiescere ejus sententiæ. Jurisdictio tandem accessoria est, quæ alicui aliunde dicitur accedere, vel ratione delicti: si quis enim in alieno territorio crimen aliquod perpetret, superior ratione talis delicti dicitur acquirere accessoriam jurisdictionem in ipsum; & delinquens, ratione ejusdem delicti fit subditus illius judicis, in cujus territorio deliquit. Hanc eandem jurisdictionem accessoriam tribuunt domicilium, & possessio *c. sanè de for. compet.* 12

Si

13 Si petas, an merum, & mixtum imperium, ac jurisdictio præscriptione acquiri possint. Respondent communiter affirmativè cum Covar. *in relect. c. possessor. de reg. jur. in 6. par. 2. §. 3. arg. c. irrefrag. in princ. V. excessus de offic. ordin. c. cùm contingat de for. compet. l. viros. C. de divers. offic.* & quamvis omnes hi textus loquantur tantùm de consuetudine, & detur differentia inter consuetudinem, & præscriptionem: nihilominus si per consuetudinem acquiratur jus alicui particulari, tunc censenda est potiùs præscriptio, quàm consuetudo. Quòd si hujusmodi præscriptio fiat contra Principem, vel contra alium privatum, cui priùs similia jura competebant; in primo casu requiritur tempus immemoriale, ut præscriptio vim habeat, vel saltem spatium 40. annorum cum titulo, ut notat Covarruvias *d. par. 2. §. 3. num. 4.* In secundo casu ex eodem Covarruvia sufficit tempus ordinarium ad præscribenda jura incorporalia, & subjungit, jurisdictionem annumerari servitutibus habentibus causam continuam, eò quia radicetur principaliter in persona, cujus animo retinetur continua possessio, tametsi facti exercitium non sit continuum.

14 An verò eo ipso quòd Princeps concedit simpliciter alicui nobili castrum aliquod, censeatur etiam eidem concessisse imperium merum, & mixtum? videtur esse aliqua difficultas, quia in generali concessione non veniunt ea, quæ speciali commissione dari solent, ut liquet ex *c. qui ad agendum de Procurat. in 6.* & merum imperium dari solet per specialem commissionem, & solet etiam Princeps ad id eligere, non personam, sed personæ industriam *l. 1. ff. de offic. ejus.* Verùm si jurisdictio, & imperium merum, & mixtum sit quid annexum ipsi castro; adeò ut possessores ejusdem semper habuerint talem jurisdictionem, & in ea exercuerint jus gladii, reliquámque jurisdictionem; tunc eo ipso, quòd Princeps illud castrum concedit alicui nobili, censetur etiam eidem concedere merum, & mixtum imperium; siquidem concedens principale concedit etiam accessorium annexum principali, ut liquet ex *c. accessorium de regul. jur. in 6.* Hinc Princeps ex eo quòd judicat personam habilem ad possidendum tale castrum, judicat etiam eandem habilem ad exercendum totum id, quod eidem castro annectitur: consequenter ad exercendum merum, & mixtum imperium.

15 Præterea semel quòd jurisdictio est in perpetuum annexa castro, à quo non est separabilis, tunc non censetur dari industriæ personæ, sed ipsi personæ, cui conceditur tale castrum. Quòd si in tali castro non possessor ejusdem, sed princeps exercebat jurisdictionem, vel merum imperium; tunc principaliter sunt consideranda verba concessionis: siquidem si princeps dixerit, concedimus castrum cum totali jurisdictione, censetur etiam merum imperium translatum cum ipso castro, ut notat Glossa *in element. unic. in V. omnimodam de for. compet.* Quinimò Covar. *in pract. quæst. c. 1. n. 10.* generatim asserit, concessionem jurisdictionis esse favorabilem, proinde latiorem admittere interpretationem, adeò ut si jurisdictio concedatur in genere simpliciter, nulla facta mentione de mero, & mixto imperio; intelligatur etiam concessum utrumque imperium, nisi fortassis accesserit præjudicium tertii. Cæterum ex circumstantiis, & subjecta materia conjici potest, qualis sit intentio Principis circa hujusmodi concessiones.

An verò utrumque imperium merum, & mixtum possit delegari, non conveniunt juris civilis, & canonici periti. De jure enim civili merum imperium si industriæ personæ concederetur, non posset delegari nisi ex justa causa absentiæ, ut liquet ex *l. solent ff. de officio Proconsulis.* Quia verò hisce temporibus merum imperium quasi semper est annexum ipsis castris; ideò Domini castrorum illud suis Præfectis delegant. In jure autem canonico merum imperium, seu jus gladii temporalis, si conveniat Prælatis Ecclesiasticis ut Dominis temporalibus, ac Vasallis Imperatoris; potest ab ipsis delegari judicibus sæcularibus, cùm illis non conveniat, quatenus sunt personæ Ecclesiasticæ, sed ut sunt Principes etiam temporales. Verùm hoc merum imperium potiùs pertinet ad jus civile, quàm canonicum: merum enim imperium pertinens ad jus canonicum situm est in potestate censurandi, deponendi, degradandi. Fachinæus verò *lib. 9. controversia 99.* censet in neutro jure merum imperium posse delegari, eò quia sine expresso textu non sit id asserendum. Quia verò non eodem modo merum imperium convenit, ideò si conveniat jure ordinario, ut Episcopo, tunc potest delegari, ut notat Covarruvias *var. resol. lib. 3. cap. 20. num 2.* & videtur etiam desumi *ex c. licèt de offic Vicarii in 6.* ubi indistinctè conceditur Episcopo, ut possit delegare cognitionem, ac punitionem causarum criminalium. Tum quia consuetudo satis clarè ostendit, Episcopos etiam non urgente gravi causa, negotia utcunque ardua suis Vicariis committere. Vel merum imperium est ab Ordinario alteri delegatum, ut si Episcopus suo Vicario demandet merum imperium; & tunc Vicarius non potest illud alteri delegare, quia non habet illud ex jure ordinario, sed ex speciali commissione. 16

Circa mixtum imperium probabilior sententia est, posse in utroque jure canonico, & civili delegari, si tamen casus specialiter non sit exceptus, id enim colligitur *ex l. 1. §. ult. & l. ult. ff. de offic. ejus.* Tum quia quotidiana experientia edocemur, Dominos, & judices sæculares, suis commissariis committere cognitionem, & executionem causarum civilium, etiam arduarum, in quibus reperitur mixtum imperium, & Episcopos 17

Ecclesiasticis à se delegatis, causas itidem arduas, & exigentes mixtum imperium committere.

18 Præter potestatem, & jurisdictionem in judice requiritur etiam veritas, quæ juxta præsens institutum est duplex rei una, altera conscientiæ: illa dicitur quæ cum re convenit, hæc quæ existimatur convenire, & prout existimatur, asseritur: hinc judex tam veri appetens, quàm recti cupidus esse debet, ut neque suspicione vulgi, neque rumore populi facilè flectatur; sed omni solertia rerum veritatem inquirens nunquam nisi prius diligentissimè perspecta causa, & maturè consideratis circumstantiis omnibus ad judicium procedat. Adhærere veritati tunc judex dicitur, quando secundùm allegata, & probata judicat. Hinc oritur difficilis illa quæstio, an possit judex condemnare reum, qui per testes legitimè est probatus criminosus, seu homicida, quem tamen judex certò scit, esse innocentem: cùm enim in hoc casu teneatur judex adhærere veritati apparenti, & sententiam ferre secundùm allegata, & probata, ideò communior sententia cum D. Thoma 2. 2. *quæst. 66. art. 2.* docet, teneri judicem illum condemnare, eò quia judex non judicet ut persona privata, sed ut publica; proinde non potest uti scientia privata, sed publica juxta allegata, & probata. Verùm ut simul consulatur innocentiæ, deberet judex omnes vias, & rationes inire, quibus posset innocentem liberare impediendo, protrahendo accusationes: sic potest deinde sæpe, & per intervalla examinare testes circa omnes circumstantias, an nihil varient: deinde posset carcerem aperire, & innocenti occasionem dare fugiendi, si commodè sine scandalo posset id fieri. Quòd si hæc media non juvarent, ut liberaretur innocens, posset judex inferior causam remittere ad superiorem, & deposita judicis persona posset induere officium testis apud superiorem, si censeret hac ratione posse innocentem liberari. Quòd si hæc non sufficiant, deberet potiùs officium judicis dimittere, quàm innocentem condemnare, quia id videtur naturæ magis consonum, & juri divino directè prohibenti occidere innocentem; & hæc secunda opinio in favorem innocentis, si fieri potest, est ad praxin deducenda. In causis tamen criminalibus minoribus, quæ non merentur pœnam mortis, nec mutilationem innocentis, sed vel carcerem ad tempus, vel mulctam pecuniariam, si judex certò sciat, alteram partem falsis probationibus niti, tenetur quidem omni studio curare ut falsitas detegatur, aut processus impediatur: quòd si media omnia adhibita inutilia forent, tunc non esset necesse, quòd judex se officio abdicaret, sed posset servare juris ordinem judicando secundùm allegata, & probata, quia judex majus jus censetur habere supra facultates, & bona externa innocentis, quàm super ejus vitam, & membra, cùm possit superior, si justa subsit causa facultates uni auferre, & alteri tradere: & in tali casu videretur justa causa adesse, ne forma publicorum judiciorum perverteretur cum publico scandalo, ut notat Lessius. *dub. 10. num. 84.*

Cæterùm non improbabile est, quod docet Covarruvias *lib. 1. var. resolut. cap. 1. num. 7.* posse supremum Principem ex privata scientia etiam contra fidem actorum sententiam proferre absolutoriam, eò quia possit supremus Princeps dispensare in illo jure, quo statuitur, ut ex allegatis, & probatis feratur sententia à judice: quia cùm tale jus non sit naturale, nec divinum, sed tantùm positivum: Princeps potest uti suprema sua authoritate, & derogare juri in ordine ad liberandum innocentem. 19

Cæterùm licèt supremus judex certus esset de patrato crimine, non propterea posset ordinariè statim reum condemnare, nisi priùs illum citaret, & audiret; quia hoc negligere perinde esset, ac impedire reum, ne posset se defendere negando crimen, si esset prorsus occultum, vel illud excusando eo modo, quo potest: quamobrem jure gentium inductum est, ne reus condemnetur, quin priùs citetur, & audiatur. Excipiuntur tamen aliqui casus, in quibus potest citatio omitti, ut si crimen sit publicum, & omnibus notorium, quia tunc factum habetur loco accusatoris, & testium: quo pacto nonnunquam suspenduntur patibulo latrones deprehensi in fragranti delicto. Rursus si periculum rebellionis, vel alterius gravissimæ turbationis in republica timeretur, si juridicè procederetur, ut etiam si quis machinaretur reipublicæ, vel privatis perniciem, quæ aliter averti non posset. Demum si crimen soli principi, & tribus aliis notum esset, nec juridicè posset probari, tunc posset reus promeritam luere pœnam occultè, sine citationibus, & probationibus, ut censet Navarrus *cap. 25. num. 10.* 20

Alia conditio in judice necessaria est forma juris servanda; siquidem sine illa judicium nullius esset valoris *arg. c. quæ contra de regul. jur. in 6.* Hæc autem forma juris in judice consistit potissimum in quatuor; scilicet in modo procedendi, in præparatoriis, in ferenda sententia, in imponenda pœna, ut notat Toledus *lib. 5. cap. 56. num. 9.* Est in judiciis duplex modus procedendi: primus jure ordinario juxta exactam juris communis formam. Secundus summariè sola rei veritate inspecta postpositis juris apicibus, & neglectis rimulis omnibus. Primus modus procedendi ad utrumque pertinet forum sæculare, & Ecclesiasticum, quia in utroque foro, quæ ad solemnitatem, & perfectionem judicii requiruntur, ad amussim observantur. Secus Regulares, & Religiosi summariè tantùm procedunt, tum ex ipso jure *C. qualiter, & quando de accusat.* tum ex indulto Bonifacii VIII. ut refert Rodriquez. *in Bullario Bulla 2. pro Cisterciensibus, & Bulla 10. ejusdem Bonifacii* apud eundem. Pro Minimis etiam exstat Bulla Julii II. *const. 26. ejusdem Pontificis* 21

Pontificis Eugenius IV. etiam concessit hoc idem Congregationi S. Iustinæ *in bulla 9. §. 2.* Julius II. Congregatationi Montis Oliveti *bulla 12. §. 9.* Leo X. Camaldulensibus, ut constat ex *ejus bulla 2. §. 2.* ut notant Suarez *tomo 4. de religione lib. 10. c. 12.* Lugo *de justit. & jur. disp. 37. sess. 14.* unde Religiosi virtute privilegiorum, omissis, quæ ad solemnitatem ex judiciis spectant, ea tantùm in suis judicibus prosequi debent, quæ ad judiciorum substantiam pertinent, & conferunt ad hauriendam veritatem divino, aut naturali jure.

22 Quarta conditio necessariò requisita in judice est scientia, quâ tenetur scire, quæ ad proprium officium pertinent, & sine quorum sufficienti notitia, munus suum obire minimè posset, nec judicis officio fungi: adeò ut obligetur judex ex imperitia malè judicandi ad interesse parti læsæ, & ad expensas litis; neque talis judex imperitus potest in foro conscientiæ absolvi, nisi renuntiet officio, vel sibi substituat peritiorem se, qui suum munus exerceat, ut notant Reginaldus *lib. 25. n. 657.* & Navarrus *c. 25. n. 12.* siquidem ut rectè monet Augustinus *lib. 9. de civitate Dei c. 6. ignorantia judicis persæpe fit calamitas innocentis.* non tamen est necesse, quòd judex sit peritissimus, & omninò excellat in scientia juris, sed sufficit, si competentem habeat scientiam, qua adhibita diligentia, & studio possit ritè judicare *arg. c. cùm nobis olim de elect.* Cæterùm si sufficienti careat scientia juris, & sit negligens, tenetur resarcire damnum parti læsæ, si aliquod intulit ex re non benè judicata.

23 Hoc æquè procedit de negligentia, quâ quis negligit rei veritatem investigare, quando imperitia, ratione cujus judex non fert rectum judicium est damno alteri: tunc enim teneri judicem absolutè ad resarcitionem damni, quando ex imperitia, vel negligentia culpabili malè judicat, docent communiter cum Glossa in *l. fin. V. de ea re. ff. de var. & extraord. cognit.* Menochius *de arbit. lib. 2. cent. 4. cas. 339. n. 5.* Claudius Canciuncula *de offic. judicis c. 3. n. 25. & 26.* & alii communiter. Quia cùm teneatur quisque munus suum rectè exercere sine damno innocentis, sicut exigit finis ipsius; tenetur etiam scire, quæ necessariò requiruntur pro recta administratione, & quæ communiter cœteri in tali officio constituti sciunt; proinde tenetur adhibere debitam diligentiam, ac necessarium studium, ut cum recta cognitione procedat in suo obeundo munere, ut communiter docent cum D. Thoma *1. 2. q. 76. art. 2.* adeò ut quoties judex negligenter, vel imperitè procedit, & injustè agit quod tenetur ex officio rectè exercere, sit causa damni illati, ac proptérea teneatur illud resarcire. Verum tamen est, hanc obligationem resarciendi damnum illatum in foro conscientiæ non oriri ex culpa levissima, ut communiter docent, sed ex culpa lata, ut docent Navarrus in *manual. c. 25. n. 28.* Graffius *p. 1. decis. lib. 3. c. 8. n. 5.* Lessius *lib. 2. de justit. & jur. c. 7. dub. 7. n. 31.* Silvester *V. restitutio q. 17.* & alii communiter, quia obligatio resarciendi damnum illatum non oritur in judice, nisi ex delicto læsæ justitiæ: & eatenus judex, cùm suo fungitur munere justitiam lædit, quatenus operatur contra obligationem, quam cum officio assumpsit administrandi justitiam, proinde non læditur justitia, nisi violetur obligatio: & cùm judex non præsumatur assumpsisse obligationem nisi ut humano modo exercendam, & adimplendam; non supponitur se tam strictè obligâsse, ut voluerit in administratione sui muneris excludere levem culpam negligentiæ, cum secundùm humanum operandi modum id videatur propemodum impossibile, cùm humana quæque sint defectibilia, culpis, & negligentiis obnoxia. Hinc censent juris periti, & Theologi, judicem procedentem cum culpa levissima non operari contra obligationem assumptam cum officio, nec contrahere obligationem resarciendi damnum illatum.

Secùs in foro exteriori judex contrahit obligationem ex culpa levi resarciendi damnum illatum hoc discrimine, quod si culpa fuerit lata teneatur totum damnum in solido resarcire, sin verò levis, duntaxat in parte arbitrio prudentis judicis, ut docent Glossa in *l. fin. ff. de var. & extraordin. cognit.* Bald. *in c. 1. §. judices n. 1. de pact. juram. fir. in usu. feud.* Alexander *in l. 4. §. cum in fin. ff. de dam. invect.* Menochius *lib. 2. de arbit. cent. 4. cas. 339.* siquidem forum externum diversimodè procedit ab interno, ut liquet *ex c. fin. 17. q. 4. ibi jure fori, sed non jure poli, & c. tua de sponsal.* ut notat Navarrus *in manual. c. 17 n. 177.* quo fit ut non raròìn foro externo præsumatur debitum, quod in foro conscientiæ non debetur. 24

An verò teneatur etiam judex resarcire damnum, si pars læsa potens appellare non appellet, affirmativè respondent plures præsertim Menochius *de arbit. lib. 2. cent. 4. cas. 339.* Alexan. *in. l. 4. in fin. ff. de dam. invect.* Marsil. *consi 645.* Barbatia *consil. 12. lib. 4.* Decius *in c. sæpe n. 10. de appellat.* & alii plures, qui loquuntur quoad forum exterius, quæ doctrina à Menochio, & Decio limitatur, ut locum habeat, si pars læsa expressè ratam habuerit sententiam, aut si expressè renuntiaverit appellationi, in utroque casu asserunt judicem non teneri resarcire damnum illatum. Sed quoad forum conscientiæ procedendum est cum distinctione: vel enim pars læsa cognovit injustitiam sententiæ, & nihilominus eam ratam voluit habere renuntiando appellationi; & tunc judex non tenetur resarcire damnum illatum, quia ratione talis ratificationis, aut expressæ renuntiationis appellationi censetur condonâsse judici debitum resarciendi, ac renuntiâsse juri proprio, quod habebat ad exigendam compensationem, quapropter extinguitur obligatio judicis, eò quia jus semel renuntiatum censeatur totaliter extinctum, nec detur ampliùs regressus ad ipsum, ut liquet ex *l. quæritur §. si vendita. ff. de edilit. edict. & l. si maritus §. si negaverit. ff. de adult.* Quamobrem cùm supponatur jus exigendi extinctum in parte læsa, extinguitur etiam in judice obligatio resarciendi; siquidem deficiente uno correlativo deficit etiam aliud *l. filio. §. matri. ff. de adimen. legat.* 25

Quòd si pars læsa non cognovit læsionem, sed cen- 26

censuit bona fide, sententiam judicis rectè processisse: tunc tametsi illam ratam habuerit, & expressè renuntiaverit appellationi; adhuc judex teneretur resarcire damnum illatum: quia per expressam renuntiationem non supponitur pars læsa renuntiâsse juri proprio, quod habet ad compensationem damni, proinde neque extinguitur obligatio in judice; qui propterea tenetur resarcire damnum illatum: quia non supponitur quis renuntiare juri, quod ignorat, sibi competere. *l. mater C. de innov. testam. & l. legitimam. ff. de petit. hared. & l. in repudianda. ff. de acquiren. hared.* ut notant Bart. *in d. l. mater.* Menochius *consil. 423. n. 50.* & communiter alii juris periti: ratio etiam est perspicua, quia cùm voluntas ferri nequeat in incognitum, non potest velle renuntiare juri, quod ignoratur.

27 Quinta, & ultima conditio est vitæ puritas requisita in judice, qui debet esse vir probus, incorruptus, prudens, constans, sine respectu ad personas, sine affectu ad unam præ alia, quia ut ait Augustinus in *c. quicunque 11. q. 3. quicunque aut consanguinitate, aut amicitia, vel è contrario hostili odio in judicando ducitur, pervertit judicium Christi, qui est justitia, & fructum illius vertit in damnationis amaritudinem*: est vitæ puritas duplex interior una, alia exterior, & interior subdividitur in duas alias, scilicet in conscientiam mundam absq; peccato. & in voluntatē, quæ trahatur ex solo amore justitiæ, non verò odio, vel amore, aut timore, vel cupiditate, aut alia quavis passione. Exterior vitæ puritas in duobus potissimum videtur consistere, scilicet in mansuetudine, quâ libenter, & patienter audiat ipsum reum, & illius Advocatos, & Procuratores, & in abstinentia à muneribus: siquidem non debet judex pro judicio ferendo munus accipere *argu. Exodi 23.* ne accipias munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subvertunt verba justorum.

28 Non tamen peccat judex, nec invalidè judicat si suum munus exerceat in statu peccati lethalis, ut perperam putârunt aliqui asserentes, judicem existentem in peccato lethali carere omni jurisdictione, & ejus sententiam esse irritam; qui error damnatus fuit in Concilio Constantiensi *sess. 8. & 15.* quia dominium, & jurisdictio fundantur in libero hominis arbitrio, quod non deletur per peccatum lethale, perinde ac superior, licèt sit in statu peccati, non propterea dicitur amittere potestatem in suos subditos. Tum quia cùm nobis non innotesceret status internus judicis; nil certi possemus conjicere ex sententiis ab eodem latis, quod maximè foret inconveniens in republica.

29 Cæterùm judex tenetur omnem affectum privatum seponere, adeò ut teneatur præferre justitiam consanguineis, & amicis; adeò ut non possit probabiliorem opinionem deserere, & injustam sententiam, vel minùs probabilem pro favore amici ferre, quia id cederet in præjudicium partis contrariæ: si tamen favor non sit privatus, sed juris, tunc in dubio jure pro reo potiùs, quàm pro actore; pro causa pia; pro persona miserabili; pro possessore; pro agente ad valorem matrimonii judicari potest *c. fin. de sent. & re judic. cum concord.* Quòd si utraque pars contradictionis æquali fermè probabilitate nitatur, cujusmodi sunt, plures controversiæ; quæ ex vi juris habent æqualem probabilitatem utrinque, & propterea indigent decisione Principis; tunc, etiam consultius foret deposito quocunque affectu ad unam potiùs, quàm alteram partem, persuadere partibus compositionem, vel transactionem, vel ut ex communi consensu arbitros statuant, vel causam ad superiorem remittant, eò quia post accuratam discussionem, rationes pro una parte non præponderent rationibus, quæ militant pro contraria.

§. II.

De Iudice competente, & causa criminali, & civili.

IUdex dicitur competens, quando ex proprio 1
officio illi convenit recognoscere, & judicare de causa ei oblata. Hinc ex utroque jure civili, & canonico ex pluribus rationibus potest aliquis esse judex competens, quatenus in tali foro potest judicare: primò ratione causæ de qua agitur in judicio, si enim sit spiritualis, vel annexa rei spirituali, tunc judex Ecclesiasticus est competens, & hac ratione Ecclesia cognoscit, & judicat de legatis, donationibus, testamentis, & aliis pertinentibus ad causas pias, ut desumitur ex *c. cùm esset. & c. relatum 1. de testam.* & ibi communiter juris periti cum Glossa: imò Rota Romana pluries declaravit, quòd judex Ecclesiasticus sit competens in possessorium matrimonii, quamvis agatur inter personas merè laicas, eò quia habeat adnexam causam, & titulum spiritualitatis, scilicet sacramentum annexum contractui matrimonii. Hinc est etiam judex competens in causis sponsaliorum, tametsi de illorum valore, non nisi privativè agatur, ut docet Sanchez *de matrimon. tom. 1. lib. 1. disp. 29. n. 9.* & pendente litè super matrimonio, vel sponsaliis ad solum judicem Ecclesiasticum pertinet sequestrare puellam in ordine ad explorandum ejus consensum; ut liquet ex *c. cum locum de spons.* Quinimò pertinet etiam ad eundem Ecclesiasticum judicem judicare de loco tuto, ut desumitur ex *regul. leg. ad rem mobilem ad legat. ff. de Procur.*

Competit etiam judici Ecclesiastico recog- 2
noscere causas spectantes ad usuras, adeò ut possit præcipere judici laico, etiam sub pœna excommunicationis, quòd supersedeat ab executione contractûs, donec decidatur, an usurarius sit, nec ne, & id maximè si judex Ecclesiasticus prævenisset in cognitione usuræ talis contractus, ut notat Marta *de jurisdic. p. 2. c. 45. n. 15.* plures enim sunt causæ, quæ sunt mixti fori, & proinde datur locus præventioni, & si causa fuerit inchoata à judice Ecclesiastico, non potest per sæcularem impediri ejus processus, imò nec potest laicus præfigere terminum parti opponenti exceptionem, intra quem causa incidens spiritualis coram judice Ecclesiastico terminetur: siquidem judex Ecclesiasticus est superior

rior judice laico, & non potest ab hoc adigi ad causam expediendam intra hunc, vel illum terminum: est etiam Ecclesiasticus judex competens laicorum miserabilium ex *textu c. super quibusdam de verb. signif.* ibi: *item viduis, pupillis, orphanis, & miserabilibus personis tenearis in judicio Ecclesiastico respondere. & ex c. si quis de potent. 21. c. si quis Romipetas. 23. c. illi 25.* In hisce siquidem juribus indistinctè, & absque ullius causæ præventione conceditur privilegium personis miserabilibus adeundi judicem Ecclesiasticum. Quòd si pupillus, & vidua essent divites, & in pinguiori fortuna constituti, non gauderent hoc privilegio, quia tunc cessaret miseria, quæ fuit motivum illud concedendi.

3 Secundò, judex dicitur sortiri forum, ac fieri competens ratione criminis: si enim fuerit merè Ecclesiasticum, de eo non nisi sola Ecclesia judicat, ut etiam si fuerit merè sæculare ad judicem pertinet sæcularem recognoscere, ac judicare de tali crimine. Quòd si crimen fuerit mixti fori, cùm tunc detur locus præventioni, potest laicus conveniri tam coram Ecclesiastico judice, quàm coram sæculari. Ex criminibus alia dicuntur merè Ecclesiastica, alia merè sæcularia, & alia mixti fori. Merè Ecclesiastica sunt, quorum cognitio ad solum judicem Ecclesiasticum pertinet, tametsi à Laicis committantur, adeò ut merè Ecclesiastica à solo judice Ecclesiastico judicari, ac puniri possint: ut etiam merè secularia à solo judice sæculari. At crimina, quæ dicuntur mixti, & communis fori possunt ab utroque judice, tam seculari, quàm Ecclesiastico judicari, & puniri, & in illis datur locus præventioni quatenus delictum ab eo judice cognoscitur, qui in judicando prævenit. Crimina, merè Ecclesiastica sunt hæresis, schisma, ut etiam quæ sapiunt hæresin, & schisma, ut liquet ex *c. ad abolendam, & c. excommunicamus de haret.* ut etiam simonia, & quando judices sæculares violant im̃unitatem Ecclesiasticam trahentes ad suum forum Clericos, aut contra Canones ab Ecclesia extrahentes delinquentem, ut desumitur *ex c. saculares de foro competenti in 6.* ut etiam quando agitur de separatione thori facienda ob fornicationem, vel alia crimina, vel etiam legitimas conjugum causas, ut liquet in *toto tit. de divortiis.* spectat etiam ad judicem Ecclesiasticum, quemlibet Christi fidelem peccatorem ad pœnitentiam sacramentalem compellere per præceptum; & detrectantes, ac nolentes à communione fidelium expellere *c. pradicandum 22. q. 1. & 8. c. illi*: proinde Ecclesia potest compellere Christianos ad sacramentalem confessionem saltem semel in anno, & ad sacram communionem in paschate, & nolentes anathemate percutere *c. omnis utriusque sexûs. de pœnit. & remiss.*

4 Rursus potest compellere peccatores ad satisfactionem, ut etiam ad restitutionem rei alienæ invito domino ablatæ, ac detentæ, ut etiam ad damnum illatum resarciendum *c. si sacerdos de offic. ordinar.* Procedit etiam judex Ecclesiasticus contra laicum excommunicatum, si intra annum perseveret in excommunicatione, ut liquet *ex c. gravem. de pœnis.* Rursus cùm quis rem alienam injustè detinet, nec in judicio sæculari cogi potest ad restitutionem ob defectum probationum; potest Ecclesia per censuras eum cogere ad restituendum *c. si sacerdos de offic. ordin.* An verò, si quis obtinuerit aliquid per sententiam injustam, & transierit in rem judicatam, possit contra eum agi in judicio Ecclesiastico, à quo compellatur ad restituendum; non conveniunt jurisperiti Bart. *in extravag. ad reprim. in V. denunt.* Bald. *in c. si quis per triginta. lib. 2. fæudor. tit. si de fæud. defunct.* & alii censent, non posse in judicio Ecclesiastico cogi ad restituendum, eò quia obstet exceptio rei judicatæ. Alii è contra, inter quos Abbas, & Hostiensis asserunt, posse in judicio Ecclesiastico adigi ad restituendum; & hæc sententia est probabilior, præsertim si constet, sententiam fuisse injustè latam; siquidem justitia ab aliquo judice debet exerceri.

Crimina purè sæcularia, quæque pertinent ad judicem sæcularem, ut competentem, sunt homicidium, rapina, furtum, contumelia, injuriæ, & alia id genus, quæ à laicis committuntur. Crimina mixti fori, in quibus datur locus præventioni, & possunt judicari ab utroque judice sæculari, & Ecclesiastico, sunt usura, quam Ecclesia pertraxit ad suum forum, quia leges civiles aliquas permittunt usuras, ideò in jure canonico habetur titulus specialis de usuris. Rursus adulterium eò quia sit violatio matrimonii, quod est sacramentum. Concubinatus, quem ad suum forum etiam traxit Ecclesia, quia leges civiles, aliquem permittunt concubinatum, & quia in conjugatis est in contemptum sacramenti matrimonii *c. is, qui dist. 34.* Rursus crimen sodomiæ, quia in *c. Clerici de excess. Pralat.* expressè dicitur, quòd incidentes in hoc crimen si sint Clerici dejiciantur à statu clericali, vel ad agendam pœnitentiam in Monasterium detrudantur, sin verò laici anathemate feriantur, & à communione fidelium separentur. 5

Rursus blasphemia in Deum, vel sanctos *c. statuimus de maledictis.* Ut etiam peccatum contra pacem, quæ est vinculum charitatis *c. novit de judic. & cap. 1. de treuga, & pace.* Pertinet etiam ad Ecclesiam cogere ut pacta, promissiones, fœdera juramento firmata serventur *c. novit de judic.* Quando etiam coram judice sæculari vertitur in dubium de validitate juramenti, tunc judex Ecclesiasticus cognoscit ut notat Abbas *in c. cùm contingat de jurejuran.* judicat etiam Ecclesia de sacrilegiis, *c. cùm sit generale de for. compet.* quapropter Ecclesia cognoscit, si laicus detineat rem alicujus Ecclesiæ, vel Clerici, vel quando spoliavit Ecclesiam, vel Clericum, *c. si Clericus laicum de for. compet.* An verò in criminibus mixti fori possit judex Ecclesiasticus procedere contra laicos eos capiendo, & in carceres detrudendo, ac puniendo; an verò solùm contra eos ferendo Ecclesiasticas censuras. Respondetur, utroque modo posse Ecclesiam procedere, ut notat Julius Clarus *lib. 5. in pract. criminal. q. 7. n. 8.* 6

Tertiò dicitur quis sortiri forum etiam ratione loci, & id tripliciter, scilicet ratione originis, domicilii, & delicti, quod quis alicubi commisit. De origine constat *ex l. si ut proponis C.* 7

de municip. & original. L. 10. Filii tamen originem sequuntur patris, non matris; quapropter ex ea censentur oriundi patria, in qua ortus est pater, non verò in qua nata est mater *L. filios de municip. & original. L.* 10. *& L. assumptio §. 1. ff. ad municipalem.* quòd si avus aliunde fuerit oriundus, quàm pater; non censetur nepos oriundus ex patria avi, sed patris, ut notat Glossa in *d. l. filios.* Censetur tamen quis oriundus ex civitate si natus fuerit ipse, vel ejus pater in vico, castello, vel villa intra territorium alicujus civitatis, ut desumitur *ex L. qui ex vico ff. ad municipalem.* Ratione domicilii censetur etiam quis sortiri forum, ut constat *ex cap. licèt de for. compet.* Domicilium dicitur, ubi habet quis non solùm domum; sed etiam magnam rerum suarum summam, vel ubi lares, & familiam constituit, *L. cives C. de incolis lib.* 10. adeò ut possessio solius domûs locandæ non constituat domicilium *L. libertas §. sola ff. ad municipalem.* Vagabundus tamen potest in quovis loco puniri ob delictum, in quo deprehenditur: ait enim Glossa *in l. 1. C. ubi de crimin. agi oportet. Ubi te invenero. ibi te judicabo* quam Glossam Covarruvias *in pract. quæst. c. 11. num. 7.* ait, esse communiter receptam. Is dicitur vagabundus, qui nullibi certum habet domicilium fixum, tametsi habeat domicilium originis, habeátque patrem alicubi habentem certum domicilium habitationis, ut notat Julius Clarus *lib. 5. in pract. criminal. q. 39.*

8 Ratione loci, in quo quis delictum patravit, habetur etiam judex competens, ut liquet *ex c. licèt, & c. postulasti de for. compet. & l. 1. C. ubi de criminibus agi oportet*, & Glossa communiter recepta *in l. solent ff. de custodia reorum, & in l. à D. Pio §. sententiam ff. de re judic.* Quòd si delictum inchoaretur in uno loco, & consummaretur in alio, Reus esset puniendus in loco, in quo fuit crimen consummatum: ut etiam si mandans famulum mitteret in alium locum, ut ibi occideret inimicum, esset puniendus, ubi mandavit fieri delictum, quia mandans non tenetur ex mandato, sed ex delicto, tamquam ex effectu, & damno: propter mandatum generatim delinquens debet puniri ubi commissum est delictum; sin autem, quis existens in certo aliquo territorio sagittam emitteret, ac interficeret Petrum existentem in alio territorio, tunc posset in utroque territorio puniri, & inter judices utriusque territorii daretur locus præventionis, ut is de delicto cognosceret, qui præveniret.

9 Rursus ratione personæ sortitur etiam quis forum: siquidem Clericus non potest conveniri, nisi coram judice Ecclesiastico, & nomine Clerici intelligitur etiam quicunque initiatus prima tonsura Clericali. Hoc autem privilegiũ Clericale, quod dicitur privilegiũ fori, intelligitur, quando clericus convenitur, nõ quando est actor, sive accusator, quia tunc actor sequitur forum rei, ut liquet ex *c. cùm sit generale de for. compet.* Nec huic privilegio potest Clericus sponte suâ, nec de consensu Episcopi renuntiare, cùm non sit privilegium in gratiam personæ, sed in gratiam status clericalis complectentis omnes clericos. Rursus intelligitur hoc privilegium, quando clericus convenitur, non ita si reconveniatur; quia tunc potest laicus clericum convenire coram judice sæculari, ut asserit Glossa *in c. at si Clerici de judic.* & ibi communiter Jurispontificii periti. Item servi, famuli, & familiares Ecclesiarum conveniuntur coram judice Ecclesiastico *cap. Ecclesiarum servus 12. q. 2.* In hisce omnibus caussis judicium incipit à litis contestatione; est autem litis contestatio actus judiciarius in scriptis per actorem exhibitus coram competente, judice, facta narratione, & petitione expressa, vel inclusa in negotio principali, ubi actor interrogat, vel insistit, & reus respondet. Idque verum est de judicio proprio, & strictè sumpto, quia ante litis contestationem præcedunt pleraque alia, ut citatio partis, oblatio libelli, in quo actor sivè accusator petit officium judicis contra reum, examen partium, confessio, productio testium, & exceptio, quâ reus conventus solet opponere aliquas exceptiones contra actorem ad impediendam litis contestationem: est enim in jure exceptio, perinde ac exclusio actionis: finitur verò judicium per sententiam à Judice latam: per sententiam enim, & rem judicatam absolvitur judicium, in qua absolutione tria solent intervenire; scilicet sententia, per quam lis transit in rem judicatam, appellatio, & executio.

10 Rursus solet etiam in judicio intercedere juramentum de calumnia, quod tam reus, quàm actor præstant: actor enim jurat, se bona fide non animo calumniandi movisse litem, & reus quoque jurat se bona fide, & non animo calumniandi responsurum. Judex autem à republica, vel Principe constitutus ad quæstiones tam civiles, quàm criminales dirimendas procedit ad instantiam partis, seu personæ privatæ, quæ in civilibus *actor*, in criminalibus *accusator* dicitur; ut etiam ad instantiam fisci, quæ est persona item publica curans ex parte communitatis servari justitiam legalem: quando verò Judex in criminalibus procedit ad instantiam partis, dicitur procedere per vim accusationis; & quando ad instantiam fisci per viam denuntiationis, aut inquisitionis.

11 Liquet ex hactenus dictis, Judicem competentem alium esse Ecclesiasticum, & alium sæcularem, & ad Ecclesiasticum pertinere causas omnes spirituales, sive tales sint ratione personæ, sive ratione objecti, quo pacto est Judex competens, non solum Clericorum, sed etiam nonnunquam laicorum: siquidem potest punire laicum, si delinquat simul cum Clerico, & maximè si præveniat in captura: & ratio desumitur *ex c. per tuas de arbit.* quia magis dignum trahit ad se minus dignum, & causæ continentia non debet distrahi *l. nulli C. de judic.* hoc enim pacto declinantur absurda, quæ alias sequerentur, si unus diversam, vel fortassis contrariam ab alio sententiam ferret, præsertim cùm ageretur de eodem delicto, & eædem essent apud utrumque judicem probationes, ut notat Fagnanus *resp. pro cens. Pauli V. p. 3.* & Scacca *de judic. caus. lib. 1. c. 11. n. 24.* testatur hoc idem fuisse declaratum in sacra Congregatione Cardinalium *die 10. Decembris 1591.* Rursus potest Judex Ecclesiasticus punire laicum pro perjurio coram se commisso, eò quia

ratio-

ratione delicti factus sit eidem subditus, non tamen id verificatur de laico erga Clericum coram se peierante, ut notat Covarruvias *pract. quaest. c. 12. n. 8.*

12 Rursus coram judice Ecclesiastico potest conveniri laicus, si postquam lis contra eum mota est in foro sæculari efficiatur Clericus, quia tunc, subjicitur judici Ecclesiastico, & Judex laicus debet à lite supersedere, & Clericus opponere declinatoriam pro remissione; quia si laicus post delictum confugiens ad Ecclesiam gaudet immunitate, à fortiori eam debet gaudere, qui per ordinum susceptionem propriam personam Deo perpetuò consecrat. Rursus ratione fructuum præbendæ sibi locatæ potest laicos conveniri coram judice Ecclesiastico, ut notat Abbas *in c. si Clericus laicum 1. not. coll. 4. de for. compet.* ubi habetur quòd Clericus possit convenire laicum coram judice Ecclesiastico pro rebus Ecclesiæ, & suis sive agat actione reali, sive personali, ut tenet etiam Rota Romana. Hinc laicus Emphytevta Ecclesiæ, vel Clerici factus est subditus Ecclesiæ, maximè si Emphytevta se illi expressè submisit, quod judex laicus non potest impedire. Et licèt Ecclesia non posset laicum ad suum forum trahere, nisi in casu furti, vel violentiæ, ut notat Felinus in *c. cum causis generale de for. compet. n. 4.* adhuc Emphytevta coram Ecclesiastico posset conveniri si pensiones denegaret, aut non solveret, quia privando Ecclesiam jure suo, injuriâ eandem afficeret. Rursus in jure patronatus laicorum, solus Judex Ecclesiasticus judicat; quia tametsi non sit propriè quid spirituale, est tamen aliquid annexum spirituali. Item solus Ecclesiasticus est Judex competens in causis decimarum etiam quæ conceduntur Principibus nomine fœudi; quia tametsi dominium fructuum ad laicos pertineat, fœudúmque censeatur sæculare, originem tamen suam trahit à jure Ecclesiastico, & spirituali, ut notavit Rota Romana die 28. Maii 1631. cum Tannero *in 2. 2. disp. 5. dub. 2.* & Bonacina *de legibus disp. ult. q. 5. punct. 6. num. 1.* laicum non posse cognoscere in causa decimarum etiam titulo compromissi.

13 Unus tantùm adest casus, in quo Judex laicus procedere potest in causa decimarum, & est si decimæ authoritate summi Pontificis sint in Principes translatæ contractu permutationis, eò quia tunc Principes aliis rebus æqualis, vel majoris æstimationis illis compensant: in hoc casu decimæ ratione permutationis debentur Principi sæculari, quia Ecclesia jus suum transtulit à decimis in rem subrogatam. Rursus debet Judex Ecclesiasticus cognoscere, an quis gaudeat immunitate loci sacri, nec ne, ut liquet *ex c. fin. de immunitate Eccles.* & ex bulla Gregorii XIV. qui expressè hoc declaravit, quia cùm causa immunitatis sit Ecclesiastica tractari debet à judicibus Ecclesiasticis, adeò ut nulla obstet consuetudo in contrarium, quia bulla Gregorii revocat expressè omnes contrarias consuetudines, & licèt Pontifices, vel Episcopi nonnunquam tali consuetudini non contradicant, non tamen tunc censentur consentire, sed tantùm dissimulare, ad impediendum majus malum, ut rectè notat Laudensis *decis. Pat. 36. n. 265. p. 1.* adeò ut etiam cognoscere, an locus sit sacer, nec ne, pertineat privativè ad judicem Ecclesiasticum, & patet *ex c. ex parte de verb. signif.* ad eundem etiam pertinet cognoscere, quando reus asserit se captum in loco sacro id negantibus satellitibus; quia hæc causa est accessoria immunitati; & accessorium sequitur naturam sui principalis; hoc idem valet, quando reus captus à satellitibus dicit, se Clericum esse, ut desumitur *ex c. si judex de sent. excomm. in 6.* Imò tametsi Judex laicus jam effecisset processum, an reus gaudeat immunitate nec ne, adhuc Judex Ecclesiasticus non teneretur illi acquiescere, quia ex vigore Bullæ Gregorii XIV. hæc causa expressè committitur judici Ecclesiastico, siquidem quando delegatur cognitio causæ; intelligitur etiam delegata potestas inquirendi, & sumendi probationes super eadem causa, ut liquet *ex c. praeterea de offic. delegat.*

14 Hinc Judex Ecclesiasticus non tenetur stare processui facto à Judice sæculari; cùm acta instructorii unius judicii non probent in alio, nisi inter easdem personas, & in eisdem causis, ut desumitur ex *c. inter dilectos §. in omnibus de fide instrum.* Cæterum ut Judex Ecclesiasticus tradat reum brachio sæculari, non sufficiunt indicia, & conjecturæ, quòd non gaudeat imunitate, sed necessariò requiritur probatio concludens, cùm in bulla Gregorii XIV. expressè dicatur, quòd debeat constare de delicto: hinc quando lex exigit probationem, intelligitur de vera, non præsumptiva. Tum quia quando lex vult, quòd probatio præsumptiva sufficiat, id exprimit, ut liquet *ex c. pro humani. de homicid. in 6.* Præterea Ecclesia habet jus defendendi delinquentes ad se confugientes præter delicta excepta, & delinquentes habent jus, ne præter talia delicta extrahantur.

15 Est etiam Ecclesiasticus Judex competens in dubio, ad quem pertineat jurisdictio, quòd si causa decisa fuerit per duos judices, unum laicum, & alium Ecclesiasticum; adhuc appellatio facienda est ad Ecclesiasticum, eò quia dignior trahat ad se minus dignum. Præterea cùm agatur de justitia judicum arbitrorum, quorum alter est Ecclesiasticus, & non subjectus potestati laicali, nequit appellatio fieri coram laico, ut notat Felin. *in c. 5. de praescript. n. 6.* Quinimò Judex Ecclesiasticus potest etiam supplere defectus judicis laici in administranda justitia in causis, quæ aliàs sibi de jure non competerent, & potest judicem laicum compellere, ut suo officio rectè fungatur, cùm id pertineat ad bonum commune, pacémque fidelium, ut possit haberi recursus ad Ecclesiasticum judicem, quando laici nolunt propria obire munera, & sinunt delicta abire impunita cum detrimento reipublicæ. Tum quia Prælatus Ecclesiasticus potest judicare de peccatis omnium suarum ovium, ut desumitur *ex c. novit de judic.* Tum quia defectus, & negligentiæ inferiorum supplentur per superiorem.

16 Hinc quando Judex Ecclesiasticus sibi usurpat jurisdictionem laicalem, non potest à judice laico puniri; & licèt ex doctrina Innocentii in *c. cùm olim 1. de restit spoliat. & in c. cùm dilectus de pæn.* ordinario competat jurisdictio in

extraneos impedientes suam jurisdictionem, ut desumitur *ex c. 1. de offic. delegat.* non tamen id procedit quoad judices laicos contra Ecclesiasticos Prælatos, quia non licet superiores ab inferioribus puniri, nequequoad bona, cum Clerici sint exempti etiam quoad patrimonialia, ut docet Bonacina *in bulla cœnæ disp. 1. q. 8. punct. 3. n 12.* Cæterum Judex Ecclesiasticus contra suos reos potest implorare brachium sæculare pro executione suæ sententiæ. Nec tenetur censuras præmittere. Quòd si Judex laicus brachium præstare detrectaret, posset ab Ecclesiastico per excommunicationem cogi.

§. III.

De modis, quibus Judex iuridicè procedit contra Reos.

1 MOdi procedendi in judiciis tres assignantur, quorum primus est per accusationem, secundus per denuntiationem, tertius per inquisitionem. Tunc Judex procedit juridicè viâ accusationis, quando delata accusatione interrogat testes, & postea habita saltem semiplena probatione procedit ad Reum interrogandum: adeò ut nequeat Judex aliquem condemnare sine prævio accusatore generatim sumpto: siquidem in hoc judicio semper requiritur aliquis accusator sive formalis, sive virtualis, qui præcedat sententiam judicis. Accusator virtualis juxta præsens institutum dicitur omne id, quod vices supplet accusatoris, quo pacto in criminibus contra bonum publicum simplex denuntiatio dicitur virtualis accusator; & in privatis si notoria sint; ipsa facti evidentia habetur per se sufficiens accusator. Viâ accusationis semper procedit Judex, quando est aliquis actor, seu accusator spondens se objecta probaturum.

2 Cæterum Judex non semper procedit via accusationis propriè sumptæ, sed plerumque per querelam. Via denuntiationis dicitur Judex procedere juridicè, quando de crimine ab aliquo commisso, & ad ipsum delato procedit ex officio, ad capiendas informationes, & testes examinandos à denuntiatore nominatos, vel etiam alios, quos ipse judex inquirendo ex officio noverit esse informatos, quia post examen testium rectè procedit ad examinandum delinquentem. Unde hoc est discrimen inter viam accusationis, & denuntiationis, quia per viam accusationis actor, seu accusator spondet se objecta probaturum: in via autem denuntiationis, qui denuntiat crimen, non vult suscipere onus illud probandi, adeò ut accusatori incumbat onus probandi, non ita dènuntiatori.

3 Rursus denuntiatio duplex est, una, quæ dicitur Evangelica, & eò dirigitur, ut errores fratris corrigantur, & hæc denuntiatio fit superiori, ut patri. Alia judicialis, quæ intendit punitionem criminum ob bonum commune, vel saltem ut impediantur mala, & damna inde emergentia, & hæc fit superiori, tanquam judici. Per inquisitionem proceditur, quando Judex, seu superior procedit ad purgandam provinciam, vel locum suæ jurisdictioni subjectum à corruptis moribus, vel ad investigandos authores alicujus tumultûs, vel criminis, quod damnum intulit toti communitati.

Est autem inquisitio triplex, generalis, specialis, & mixta: tunc inquisitio dicitur generalis quando Judex inquirit de persona in communi, & de crimine itidem in communi, ut num subditi servent leges, & an de nullo sit suspicio alicuius criminis. Inquisitio specialis est, quando de certa persona, certóque crimine inquiritur, ut an furtum fuerit à Titio commissum. Inquisitio mixta dicitur, quando vel solum crimen est speciale, vel sola persona, ut cùm quæritur, an Titius servet statuta, an illud furtum fuerit commissum à Titio, vel Caio. Prius tamen, quam Judex procedat ad inquisitionem specialem, vel mixtam, necesse est præcedat infamia, vel clamorosa insinuatio, vel indicium, vel semiplena probatio. Est infamia virorum proborum opinio, & frequens vox, quæ hominem de aliquo crimine rationabiliter constituit suspectum: adeò ut ad infamiam judicialem requiratur hæc frequens vox virorum proborum; quia si fuerit vox tantùm sycophantarum, nebulonum, & virorum nequam, non sufficeret ad invehendam judicialem infamiam. Quot verò homines desiderentur ad invehendam infamiam ex Navarro *c. inter verba. q. 3. n. 697.* relinquitur arbitrio prudentis viri, eò quia in jure nihil de hoc statuatur. Clamorosa insinuatio est vox totius populi, vel saltem publicus rumor maioris partis de tali crimine extra judicium. Indicia dicuntur signa, & circumstantiæ, ex quibus prudenter, & rationabiliter conjicitur de aliquo facto, & sunt in triplici differentia: siquidem alia dicuntur indicia levia, quæ tantùm sufficiunt ad detinendum reum, ne fugiat. Indicium leve censetur dictum socii criminis. Alia sunt indicia gravia, quæ sufficiunt ad citandum, & examinandum reum. Alia indubitata, quæ non solùm sufficiunt ad examinandum, sed etiam ad torquendum reum, vel ad deferendū eidem juramentum, cùm delatio juramenti sit veluti quædam tortura: hæc indicia indubitata sunt fuga delinquentis suscepta statim post commissum crimen; inimicitia gravis conjuncta cum aliis indiciis: si apud aliquem suspectum de furto reperiatur res furto ablata; hæc omnia indicia sufficiunt ad torturam, non autem ad condemnandum reum pœna ordinaria.

Probatio semiplena multiplex est, prima est testificatio unius testis oculati, vel fide dignissimi legitimè deponentis cum juramento, & hic testis dicitur omni exceptione major, quia scilicet deponit cum juramento se vidisse crimen: ut etiam qui deponit se crimen audivisse, quoties testificatio criminis non cadit sub sensum visûs, sed tantùm auditûs, ut si proferret hæresim, vel convitia contra Principem, vel blasphemias contra Deum. Secunda est confessio ipsius rei facta extra judicium cum calore iracundiæ, & quæ probetur per duos testes asserentes, se fuisse præsentes in tali confessione, ut etiam si confessio fiat coram vero judice, non tamen sedente pro tribunali, & probetur per duos testes. Quòd si confessio fiat coram judice incompetente, non habetur, ut semiplena probatio, nec ut sufficiens ad tor-

ad torturam. Tertia semiplena probatio habetur per scripturam ipsius rei clarè cognitam, & in qua fateatur se authorem delicti. Quarta est vehemens præsumptio, quando indicia talia sunt, ut vehementer persuadeant, quòd Titius fuerit author talis criminis, & tunc indicium debet probari saltem per duos testes. Quinta est testificatio duorum sociorum, qui simul, & uniformiter testificentur de Authore delicti. Per infamiam etiam gravem, & clamorosam non habetur semiplena probatio, ut nec etiam per fugam ipsius rei è carcere, in quo detinebatur ob illud crimen; maximè si revertens assignet causas suæ fugæ, quia nimirum timebat calumniam, vel carceris rigorem, & alia id genus.

6 Ad inquisitionem generalem non est necesse, quòd præcesserit aliqua infamia, vel accusatio, aut denuntiatio, quia hujusmodi inquisitio necessaria est ad purgandam rempublicam, moresque corruptos restaurandos. Tum quia per hanc inquisitionem nulli fit injuria, quia de nemine in particulari fit inquisitio. Neque subditi interrogati tenentur patefacere criminosos occultos, qui nulla talis criminis infamia laborant; tametsi judex sub juramento præciperet, ut quis aperiret veritatem, de eo quod scit; non enim potest judex præcipere aliquid contra jus naturale, quod obliget ad diffamandum proximum, cum jus naturale consulat bonæ famæ proximi: qui enim delinquit, & ejus delictum est totaliter occultum, adhuc possidet jus ad integritatem propriæ famæ, proinde non tenetur se prodere. Præterea quia judex si hoc pacto compelleret subditos, inciperet potius judicium à se ipso, & esset ipse quasi accusator, & judex; cùm ipse nemine provocatus obligaret alios ad accusandum, vel denuntiandum judicialiter: & judex non debet alios provocare, sed ipse ab aliis provocari, scilicet à denuntiatoribus, infamiâ, & alio simili. Imò si crimen nullo modo posset probari censeretur peccare contra justitiam, & contra charitatem proximi, qui illud aperiret; nisi fortassis existimaret esse necessarium ad emendationem delinquentis; sed tunc esset delictum aperiendum superiori, ut Patri, non ut judici: vel malum aliquod spirituale, vel temporale immineret, quod commodè averti non posset absque ope superioris.

7 Quòd si crimen manifestum sit, inest judici jus inquirendi tantùm in genere, quis illud commiserit; non ita in particulari, an Titius illud perpetraverit, nisi de illo sint sufficientia indicia, aut rumor publicus; quia quando inquisitio fit tantùm in genere, nulli in particulari præjudicatur; & licèt nonnunquam ob illam generalem inquisitionem occulta crimina detegantur, id tamen sequitur per accidens ex imperitia eorum, qui interrogantur, qui ignorantes jura, censent se teneri occulta manifestare; non verò provenit ex ipsa cognitione interrogationis generatim sumptæ, ut notat Navar. *c. 18. n. 40.* Cæterum modus procedendi per specialem inquisitionem, quâ intenditur pœna delinquentis, exigit præviam infamiam, vel clamorosam insinuationem, ut liquet ex *c. inquisitionis §. 3. de accusat.* quia quamdiu est aliquis in possessione boni nominis, & famæ, non debet sine causa privari bono nomine: sin autem inquisitio specialis de ipso fieret, num perpetràverit tale crimen? eo ipso falsò tem redderetur suspectus, ac non nihil detraheretur ejus famæ: siquidem daretur occasio suspicandi eum commisisse delictum, de quo inquiritur, vel saltem dedisse occasionem ad illam inquisitionem specialem: quòd si inquisitio non tendat ad punitionem criminum, sed ad malum impediendum in beneficiorum, vel officiorum collationibus, aut matrimonio contrahendo, tunc licitum est inquirere de impedimentis, vel delictis personarum particularium, tametsi nullus sit de illis rumor; idque ne beneficia, vel officia conferantur indignis; & ne matrimonium illegitimè contrahatur, quapropter ex Concilio Tridentino præmittuntur denuntiationes.

Quanta verò debeat esse infamia in modo procedendi per specialem inquisitionem, quâ intenditur pœna delinquentis, certum est, non sufficere, si duo, vel plures etiam jurati affirment, se vidisse Titium in fragranti crimine; quia tunc res adhuc censetur occulta, proinde non prodenda per publicam inquisitionem; unde requiritur, ut rumor, qui de illo spargitur, commisisse tale crimen, sit publicus, & major pars hominum degentium in tali loco hoc idem sciant. Rursus hæc infamia non est perfunctoriè & in extima tantùm superficie attendenda, sed in sua radice, & origine, an scilicet oriatur ex malevolis, aut viris sicophantis, & nebulonibus, quia tunc rumor, qui spargitur ab hujus furfuris hominibus non sufficit ad veram ingenerandam infamiam, quæ sufficiat ad publicam inquisitionem. Potest etiam aliquis infamari de uno crimine, & tunc nec etiam sufficit, ut inquiratur de aliis disparatis, quia cum fama divisibilis sit, potest adhuc, quo ad alia vitia retinere bonam existimationem: quod tamen procedit, quando vitia non sunt annexa, nec unius suspicio generatur ex alio, de quo jam est infamatus. Sin verò duæ famæ contrariæ simul probatæ concurrant, una in favorem, & altera in odium rei, tunc bona fama debet malæ prævalere; & si reus probaret se per triennium fuisse honestè conversatum, tunc infamia contra ipsum probatâ sufficienter purgaretur. Quòd si prædictæ famæ inæqualiter tam respectu temporis, quàm probationum se proderent, in ordine ad tempus, standum esset priori; & in ordine ad probationes standum esset verisimilioribus non considerata prioritate, vel posterioritate temporis, ut docet Lugo *de just. & jur. disp. 37. sect. 6. num. 62.* 8

Quamvis ad specialem inquisitionem non sufficiant sola indicia, etiam manifesta, eò quia secundùm jus requiratur etiam infamia, vel clamorosa insinuatio, consuetudo tamen in plerisq; locis invaluit, ut juri positivo potuerit derogari, si habitis indiciis de aliquo formetur contra illū inquisitio. Neq; hæc praxis reprobatur, dummodo circumspectè, & secundùm leges, ac consuetudines locorum fiat inquisitio in causis gravioribus, ut in homicidiis, sacrilegiis, incestibus, ac criminibus hæresis, Apostasiæ, læsæ majestatis; potuit enim hæc praxis induci, eò quia expe- 9

expediat, delicta ob commune bonum puniri, tametsi persona particularis infametur; siquidem jus humanum potest contraria consuetudine legitimè præscripta aboleri, ut docent communiter cum Molina *tom. 4. tract. 3. disp. 47.* Navarro *c. 18. n. 38.* necessitas autem infamiæ præcedentis non est de jure naturæ, sed de jure positivo, ut docet Sotus *de secret. membro 2. q. 2. dubio 2.* Non tamen sufficit ad inquisitionem specialem infamia orta postquam reus est incarceratus, si ante nulla esset, quia tunc infamia oritur ex ipso facto judicis, qui illam non invenit, nec supposuit; sed posuit, ut notat Navarrus *c. inter verba. Corrolar. 62. num. 591.* Quòd si inquisitio contra Prælatum, aut collegium instituatur, tunc præter simplicem infamiam ad specialiter inquirendum, requiritur etiam clamorosa insinuatio, quia tunc talis infamia requiritur, quæ non possit absque scandalo, & periculo tollerari, ac proinde debet frequenter aures judicis pulsare, antequam Judex ex officio inquirat contra Prælatum. Secus si inquisitio fiat contra subditum, sufficit infamia etiam sine prævia, & clamorosa insinuatione, ut docet Farinacius *consil. 130.*

10 Inquisitio mixta, qua specialiter inquiritur de persona, & generatim de crimine exigit necessariò præviam infamiam, vel semiplenam probationem, & accusationem, vel saltem requirit manifesta indicia juxta locorum consuetudinem communiter receptam. Quòd si crimen sit manifestum, tunc quæritur ejus author in communi absque infamia delinquentis, & sine semiplena probatione, & accusatione, adeò ut si commissum fuerit homicidium, de quo publicè constet, possit tunc in genere inquiri, quisnam illud perpetravit; non verò in specie, an Titius fuerit homicida, nisi præcesserit infamia, aut semiplena probatio, & accusatio. Rursus in hac inquisitione mixta, & generali non tenetur interrogatus juxta probabilem sententiam manifestare authorem criminis: quia quando duo, vel tres extra judicium sciunt delictum, & delinquentem; adhuc delinquens non censetur laborare infamia publica, ut docet Navarrus *c. 18. n. 38.*

11 Non desunt tamen, qui censeant, cum Sylvestro *V. correptio q. 8.* teneri tunc interrogatum crimen manifestare, quia tametsi nequeat Judex inquirere specialiter sine infamia præcedenti illius personæ, de qua inquirit, eò quia per ipsam inquisitionem specialem videatur infamari inquisitus, cùm tamen sit innocens; nihilominus si Judex tantùm generaliter interroget; & per depositionem testis infametur reus, tunc non infamatur innocens, sed noxius: utraque sententia probabilis est, suósque habet propugnatores; prior consulit charitati proximi; posterior justitiæ, & communi bono reipublicæ, ne delicta permittantur grassari impunita.

12 Modus procedendi per accusationem fit per delationem criminis in libello accusatorio, ad publicam vindictam legitima interveniente subscriptione, ut docent communiter cum Julio Claro *q. 12. n. 1.* Est autem libellus accusatorius brevis scriptura intentionem accusatoris, vel Actoris contra reum clarè explicans, & continet petitionem, causam, & actionem accusatoris: ubi accusatio sumitur propriè, & strictè prout accusator distinguitur ab actore, eò quia Actor propriè dicatur, qui in judicio prosequitur suum jus ob privatum suum bonum, ut satisfactio illi fiat de damno, vel injuria ei privatim illata: Accusator verò is dicitur propriè, qui crimen alterius defert in judicium ob publicam punitionem, & vindictam delicti, non verò directè ob bonum suum privatum. Rursus differt accusatio à denuntiatione, quia illa semper fiat ob publicam criminis vindictam, non ita denuntiatio, quæ plerumque fit ad superiorem, non ut Judicem, sed ut Patrem ad eum finem, ut non puniat, sed paternè moneat delinquentem.

Tum quia Accusator ex jure communi tenetur Judici offerre libellum accusatorium contra reum, & rursus in eodem libello se subscribit: Secus denuntiator ad id ex jure communi non tenetur. Consuetudo tamen invaluit, ut accusatio plerumque non fiat in scriptis, seu in libello, sed tantùm per querelam verbalem à Notario in scriptis redactam, & in hoc consuetudo derogat juri positivo. Et licèt ex jure olim requireretur, ut Accusator se subscriberet in libello criminali, eò quia per talem subscriptionem susciperet in se pœnam talionis, si delictum plenè, vel saltem semiplenè non probaret; quod leges meritò introduxerunt ad coercendam temeritatem Accusatorum: hodie tamen ex consuetudine non amplius requiritur talis subscriptio, eò quia pœna talionis deserit esse in usu, & fiscus officio fungitur Accusatoris. Debet tamen in accusatione ex jure communi exprimi locus, & tempus, quo crimen fuit patratum *l. libellorum ff. de accusat.* quod etiam servatur in denuntiatione querelæ, alioquin nisi exprimerentur circumstantiæ loci, & temporis incerta redderetur accusatio, nec testes contra reum deponentes possent facilè convinci falsitatis. 13

Modus procedendi per denuntiationem est multiplex, ut desumitur ex *c. novit de judiciis*; siquidem alia est denuntiatio Evangelica per Evangelium introducta juxta illud Matth. 18. *si peccaverit in te frater tuus.* Alia canonica per canones invecta, & per hanc proceditur specialiter, vel generaliter, ut removeatur quis à beneficio, vel officio; vel ut Clerici, aut laici à criminibus arceantur; vel denuntiatur alicuius promovendi indignitas, ne eligatur, ordinetur, instituatur, confirmetur; denuntiatur etiam matrimonium, ne aliquod impedimentum illi obsit. Alia est denuntiatio judicialis, quâ judex procedit contra malefactores, ne scelera grassentur impunita: vel quâ procedit judex, ut alicui privato competens satisfactio fiat in eo, quod sua interest. Alia est etiam denuntiatio regularis, qua in regularibus ordinibus proceditur contra Religiosos juxta eorum constitutiones. Quia verò regularis, & canonica denuntiatio, quoad rem est etiam judicialis, ideo rectiùs denuntiatio bipartitur 14

partitur in eam, quâ crimen denuntiatur Prælato ut Patri; ad eum finem, ut subditi delinquentes moneantur, & corrigantur. Et in judicialem, quâ crimen defertur ad superiorem tanquam judicem ad eum finem, ut crimina puniantur, vel ut pars offensa competentem satisfactionem obtineat, vel ut quis tanquam indignus, officio, dignitate, vel beneficio privetur, aut ne quis indignus promoveatur ad beneficia, vel officia; vel ne volentes nuptias contrahere, si habeant canonicum impedimentum, conjugio copulentur.

15 Hinc denunciationes distinguuntur ex fine, & natura sua; siquidem denunciatio judicialis fit vel ob publicam punitionem criminis, vel ob competentem partis offensæ satisfactionem, vel ad removendos indignos à beneficio, vel officio, vel ad eos impediendos, ne promoveantur, vel ad impediendum, ne matrimonia contrahantur contra Canones, & leges. Alia verò denuntiatio solùm fit ob privatam emendationem, & pœnitentiam proximi peccantis, adeò ut proximus plenè emendatus non sit ampliùs denuntiandus, quia cessat finis denunciationis, non tamen ita res se habet in denunciatione judiciali. Rursus cùm denunciatio ordinatur ad emendationem proximi debet fieri, quantùm potest, cum minimo detrimento famæ, & honoris illius, qui denuntiatur, ut desumitur ex modo, quo Christus constituit fraternam correctionem, ut priùs secretò frater corripiatur; nec ulteriùs procedatur, si secretè correptus, & monitus resipiscat: sin minùs ut coram uno, aut duobus testibus corripiatur, ut sic pudefactus resipiscat; quòd si adhuc non se corrigat, tum denuntiatur Prælato, qui plura, & efficaciora remedia potest, & solet adhibere ad privatam fratris emendationem. Hæc tamen non procedunt in judiciali denuntiatione, quæ bipartitur in publicam, & privatam; & illa est, quæ fit vel ob publicam punitionem criminis, vel ob publicam utilitatem, ut quæ fit ad removendos indignos à beneficio, vel officio, vel ad illos impediendos, ne promoveantur. Privata fit, ut quisque privatim suum fortiatur jus, ac propriam damni, vel injuriæ satisfactionem.

16 In foro Ecclesiastico judex in pluribus casibus potest per denuntiationem judicialem procedere. Primò quando Clerici, vel Regulares conqueruntur de injustis oppressionibus suorum Prælatorum. Secundò quando Laicus licèt denuntietur, ejus tamen crimen ex suâ natura est Ecclesiasticum, cujusmodi sunt crimina hæresis, & simoniæ, quæ puniuntur in foro Ecclesiastico. Tertiò quando in laicis ob defectum Judicis sæcularis crimen in foro laicali non auditur, vel quia judex fit pecuniâ corruptus, vel quia careat potestate, vel jurisdictione; vel quia judex sæcularis sit tyrannus, vel quia in judice sæculari juxta leges civiles, in quibusdam causis non detur actio; tunc judex Ecclesiasticus supplet negligentiam sæcularis. Quartò judicat etiam laicos ratione pacis violatæ, vel juramenti non servati. Quintò quando laici sunt personæ miserabiles, quæ recurrunt ad judicem Ecclesiasticum, ut parcant expensis. Sextò etiam procedit in laicos per denuntiationem judicialem, quando est aliquis clam damno affectus, & author damni illati est occultus, tunc enim Ecclesia solet per censuras cogere occultum authorem ad restitutionem intra certum tempus, immo etiam scientes ad revelandum, ut desumitur ex *c. si sacerdos de offici. Ordinar.* quo pacto Episcopi solent anathemate eos percutere, qui per vim, vel iniquè, aut occultè detinent aliena, licèt cautè procedatur in hoc.

An verò necesse sit, præcedat denuntiationem monitio privatim facta. Respondetur cum distinctione, vel enim denuntiatio judicialis fit in foro sæculari, & tunc sive illa generalis, sive specialis fuerit, non est necesse quòd præsupponat admonitionem, ut notat Bart. in *l. Divus ff. de custodia reor. & in extravag. ad reprimendum in verf. de denunt.* Quòd si denuntiatio judicialis fiat in foro Ecclesiastico, & sit denuntiatio canonica, seu per Canones inducta, & concessa, tunc etiam subdistinguitur, si enim denuntiatio sit generalis, non est necesse, ut illam præcedat admonitio, ut notat Glossa in *c. ad dissolvendum de desponsat. impuberum.* Angelus *V. denuntiatio n. 5.* Quòd si denuntiatio canonica sit specialis, tunc necesse est, præcedat eam monitio, ut communiter docent iuris pontificii periti; & desumitur ex illo Matth. 18. *si peccaverit in te frater tuus*: ex quo loco Canones canonicam induxerunt denuntiationem. 17

Præter recensitos modos potest etiam iudex aliis modis in iudicio procedere; etenim si malefactor deprehendatur in flagranti delicto, tunc potest iudex inquirere contra eum accipiendo testes, & informationes. Non tamen hæc sola deprehensio facit plenam probationem ad reum condemnandum, sed tantùm semiplenam ad illum torquendum, ut notat Julius Clarus *lib. 5. recept. sent. in pract. criminal. q. 8. n. 2.* Hinc neque sufficit sola deprehensio in flagranti crimine ad executionem pœnæ statim faciendæ; sed tantùm sufficit ad examinandum, & interrogandum deprehensum, ut si crimen fateatur, statim contra ipsum fiat executio pœnæ; & si neget, ducatur ad torturam absque alio processu. Julius Clarus *loc. cit. n. 2.* asserit in gravibus delictis, pœnisque itidem gravibus imponendis solam deprehensionem non sufficere ad executionem pœnæ: sed tantùm sufficere ex consuetudine in delictis levibus, adeò ut deprehensi in furto fructuum per officiales rectorum, cum iisdem fructibus ad collum adpensis soleant per civitatem circumduci; ut etiam deprehensi cum armis prohibitis statim ducuntur ad pallatium judicis, vel detruduntur in carceres, & compelluntur ad solutionem pœnæ inflictæ à lege: id tamen fit solùm cum personis vilioribus, non cum honestis, & nobilibus. 18

Subinde judex procedit per evidentiam criminis, quando crimen est notorium, & etiam notorius malefactor: & tunc judex potest procedere contra malefactorem usque ad executionem sententiæ contra ipsum, quia evidentia criminis tunc stat loco accusatoris, ut etiam evidentia malefactoris, ut liquet ex *c. evidentia de* 19

accusat. quapropter judex ex officio suo susceptis informationibus, ex testium, trium, vel duorum depositionibus contra reum procedit, eúmque statim damnat. Ut autem crimen sit notorium debet esse tale per evidentiam facti, ut habetur in jure,& est illud quod nulla tergiversatione celari potest, eò quia delictum patratum fuerit coram populo, & major pars ejusdem id asserat, & testificetur de visu. An verò ut crimen dicatur juxta præsens institutum notorium sufficiat, factum ipsum esse notorium, scilicet quòd Petrus interfecerit Paulum: vel debeant etiam notoriæ esse qualitates facti, seu quòd, nulla supersit defensio, aut excusatio, qua possit Petrus suum delictum tergiversari. Respondet Julius Clarus *q.9. n.3.* requiri etiam, ut ipsæ qualitates facti notoriæ sint, quæ sententia vera est, quia potuit contigisse, quòd Petrus in sui defensionem Paulum occiderit.

30 Alius modus procedendi in judicio est per querelam ab alio porrectam contra alium; qui tamen modus ex consuetudine successit accusationi, à qua tamen differt, quia in accusatione ex jure antiquo requiritur solemnis libellus, & inscriptio, seu subscriptio Accusatoris: & in querela non est necessarius libellus, sed sufficit simplex quædam scriptura, quæ datur judici loco libelli, in qua tamen continentur nomina accusatoris, accusati, judicis, & criminis commissi, & rursus quo loco, anno, mense, die, hora commissum sit crimen, solet etiam exprimi dies, in quo porrigitur scriptura querelæ. Cæterum per querelam ab aliquo porrectam dupliciter in judicio procedi potest. Primò, ut querela sit loco accusationis, & tunc illa porrigitur per libellum subscriptum ab accusatore, & munitum aliis circumstantiis prærecensitis. Secundò ut querela non sit loco accusationis, sed tantùm loco diffamationis: siquidem perinde ac diffamatio aperit viam judici ad procedendum ex suo officio per inquisitionem contra reum, seu ad testes, & informationes contra ipsum recipiendas, ut notat Julius Clarus *lib.5. in pract. criminal. q.10. n.1.* Rursus hæc querela nonnunquam fit nudis verbis, sed aliquando porrigitur à Procuratoribus, vel aliis deputatis à fisco, qui ex officio suo denuntiant, petunt, & instant, ut judices contra delinquentes inquirant. Subinde etiam porrigitur querela ab aliquo officiali, sive ministro deputato ab ipsis, qui loco Syndici, fiscalis, vel partis denuntiat, petit, & instat, ut judex inquirat contra delinquentes. Quandóque exhibetur querela à quovis alio privato, qui in judicio comparens suâ sponte denuntiat, subministrat testes, & indicia, ut iudex ex suo officio inquirat contra reos, ut notat Julius Clarus *loc. cit. n.3.*

§. IV.

Subjiciuntur, & diluuntur aliquot selecta quæstiones.

1 Quæri solet, an iudex possit ex se relaxare pœnas à iure taxatas, si Accusator, vel pars læsa consenserit. Respondetur, ordinariè loquendo nullum inferiorem Judicem posse pœnam à iure taxatam minuere, etiam consentientibus Accusatore, & parte læsa, ut docet D. Thomas 2. 2. *q.67. art.4.* ratio est perspicua, quia Judex inferior nequit dispensare in lege superioris; idque vel maximè est verum in pœnis à iure taxatis contra delinquentes ob bonum publicum, & tranquillitatem reipublicæ, cui certè fieret iniuria, si Judex inferior minueret pœnas taxatas per leges. Quòd si sermo sit de pœna, quæ iniungitur in satisfactionem partis læsæ, potest tunc remitti accedente consensu ipsius partis læsæ; quia consentienti non fit iniuria: pœna itidem arbitraria minui potest, & augeri intra terminos æquitatis pro varietate temporum, locorum, ac personarum, arbitrio Judicis. Quòd si Judex pœnam remitteret, ex cuius remissione oriretur damnum parti, tunc teneretur ad restitutionem parti læsæ; & reus itidem non obstante remissione Judicis ratione damni dati, teneretur etiam ad satisfactionem parti læsæ, nisi hæc consensisset. Ratio est, quia nequit Judex satisfactionem condonare reo, quam alteri debet ex iustitia, vel iure naturæ; nisi creditor consenserit. Princeps tamen supremus potest quandoque pœnam minuere à lege taxatam; siquidem cùm possit ex rationabili causa dispensare in iure positivo, ideò quando lex taxat pœnam alicui crimini, potest Princeps accedente causa rationabili dispensare in lege illa. Secùs in causis civilibus rarò contingit casus, in quo Princeps non teneatur etiam ipse iudicare secundùm legem scriptam, alioquin fieret iniuria subdito habenti ius ex lege ad rem, quam petit, vel defendit: & sine iusta causa nequit subditus à Principe privari suo iure, ut docet Suarez *lib.5. de leg. c.11.* Lugo *de justit. & jur. disp. 37. sec 8.*

Quamobrem Judex non potest pœnam mortis ex se commutare in mulctam pecuniariam, quando commune bonum exigit reum occidi. Neque potest reum liberare, quia fieret ipse reus omnium malorum, quæ postea sequerentur ob talem liberationem: tenetur enim Judex ex proprio officio consulere bono communi, & reipublicæ damna impedire; imò non debet Judex se proclivem ostendere in commutandis pœnis corporalibus in pecuniarias; ne constituti in pinguiori fortuna, & coacervatis pecuniis prædivites inde occasionem accipiant liberiùs delinquendi spe commutationis pœnæ corporalis in pecuniariam. Quòd si nonnunquam ob concurrentes circumstantias Judex has pecuniarias mulctas exigit, debet tunc pecunias applicare in pias causas, non in proprium usum, ut notant Molina *tom.4. tract. 3. disp. 49. n. 3.* Navarrus *c.23. n.14.* Hinc regulariter non potest Judex ad mortem condemnare reum, à quo ipse, vel ipsius Ministri veritatem patrati delicti illegitimè extorserunt, vel promissâ impunitate, vel minis, deceptionibus, & fictis promissionibus, nisi adessent alia indicia sufficientia, & coniecturæ, ac præsumptiones patrati ab eo delicti. Quòd si ingens reipublicæ damnum immineret, & ad illud avertendum necessaria foret punitio, tunc reus posset puniri, ut censent Covarruvias *l. variar.*

3. variar. c. 2. n. 16. Reginaldus *lib. 25. n. 653.* Navarrus *lib. 2. c. 3. n. 242.*

3 Quæritur secundò, an Judex exercendo officium justitiæ possit licitè aliquid accipere, & an teneatur ad restitutionem eorum, quæ à litigantibus accepit. Pro solutione quæsiti juvat prænotare: quæ Judex à litigantibus accipere potest, ad quatuor reduci capita: siquidem Judex aliud dicitur accipere, ut stipendium pro officio exercendo: aliud pro expensa, pro suo labore, & sumptibus, quos fecit in exercendo officio: aliud tanquam munus, quod illi offertur, & quasi aliqua ratione eidem debitum à litigantibus: & aliud accipit tanquam Xenium. Munera in jure dicuntur sportulæ, & quamvis antiquitus sportulæ dicerentur quæcunque vel in cibo, vel in pecunia dari solerent à magnatibus his, qui officii gratia eos essent comitati, vel domi eos salutâssent: nihilominus juxta præsens institutum sportulæ dicuntur quæcunque munera consistentia in cibo, vel pecunia, quæ dari solent judicibus à litigantibus ultra stipendium iisdem debitum. Xenia verò dicuntur, quæcunque dantur judicibus, & quæ pertinent ad esculenta & poculenta, quæque intra paucos dies absumi solent. Olim Xenia vocabantur illa munera, quæ dabantur hospitibus, & pertinebant ad esum, & potum. Rursus alia est ratio de judicibus sæcularibus, & alia de Ecclesiasticis; ut etiam alia de ordinariis, & alia de delegatis.

4 Tametsi non defuerint, qui putârint, simoniam esse aliquid accipere in pretium administrandæ justitiæ. Sententia tamen communior est, nullam ex natura rei intervenire simoniam nisi officium judicis sit spirituale, aut spiritualibus annexum. Unde in judice sæculari aliquid accipere pro exercendo suo officio, non redolet simoniam: siquidem officium judicis est opus exercere personale, quod fit ex industria, studio, peritia, & labore judicis, ut habetur in *c. cùm ab omni de vit. & honest. Cleric. in fin.* Cœterum quando per conventionem, aut legem taxatum est judici stipendium pro suo officio, non potest tunc quidquam pro suo labore, vel industria accipere, sive fuerit Judex ordinarius, sive delegatus: quia eo ipso, quòd Judex etiam sæcularis habet stipendium taxatum non potest quidquam supra tali stipendio exigere; sicut miles stipendio conductus, aut quivis alius operarius etiam taxata mercede conductus ad aliquid agendum, non potest pro suo opere quidquam ultra exigere. Hinc si Judex aliquid pro stipendio accipiat ultra stipendium sibi ex conventione, vel lege præscriptum, aut consuetudine, tenetur iis restituere, à quibus a cepit. Quamobrem Judex Ecclesiasticus, sive ordinarius, sive delegatus, si beneficium habeat Ecclesiasticum, cui sit annexa jurisdictio ad aliquid agendum, nequit quid aliud loco stipendii accipere à litigantibus, quia ut vulgò dicitur, beneficium est propter officium; quapropter quia ratione beneficii habet stipendium sibi assignatum, non potest ultra tale stipendium quidquam exigere pro stipendio sui operis, ut notat Abbas in *c. cùm ab omni de vit. & honest. Cleric.* Neque obstat, quòd proventus beneficii sint tenues, nec sufficiant ad plenam sustentationem judicis, quia ut respondet Gabriel in *4. dist. 15. quæst. 6. art. 2. conclus. 4.* adhuc non obstante tenuitate beneficii non posset quidquam accipere pro stipendio: quia quòd beneficium sit tenue sibimet debet imputare, quia consensum præbuit in sui electionem, cui renuere potuisset: siquidem eo ipso quòd ratam habet sui electionem, beneficium accepit cum suo onere. Neque potest Judex Ecclesiasticus ordinarius accipere stipendium à partibus pro assessore, & aliis officialibus, quia tenetur ex suo beneficio eos alere, & de congruis stipendiis iisdem providere. Rursus nec Judex Ecclesiasticus ordinarius habens beneficium, cui sit annexa jurisdictio, potest accipere à litigantibus munera, vel sportulas, idque desumitur ex *c. cùm ab omni de vit. & honest. Cleric.*

Judex tamen sæcularis tam ordinarius, quàm delegatus ex jure civili, communi, non prohibetur aliquod munus accipere: siquidem in authentica de judicibus cui initium est à *Zenone §. ne autem coll. 6.* duo dicuntur, quorum primum est, quòd si lis fuerit de re excedente summam centum aureorum possit Judex sub litis initium duos accipere aureos ab utraque parte: & Glossa id explicat, quod quælibet pars in principio litis debeat dare duos aureos judici, & totidem in fine litis. Secundum est, quòd si lis non attigerit prædictam summam nil possit judex accipere: imò etiam significatur esse alicubi consuetudinem, qua Judex in fine litis accipit decimam partem. Hinc quoad judices sæculares sunt attendendæ leges speciales, statuta, & consuetudines locorum, Regnorum, ac Provinciarum; ac sedulò inspiciendum, quid hujusmodi leges constituant, quia alicubi habentur statuta, quibus prohibentur judices quidquam accipere; & alibi permittuntur judices accipere munera ab aliquo eorum, qui suæ jurisdictioni subjiciuntur, præter quam à propinquis, & cognatis intra secundum gradum. 5

Sin verò loquamur de judice Ecclesiastico: is vel ordinarius est, vel delegatus; si ordinarius non potest munus accipere, eò quia supponatur promotus ad beneficium, à quo congruam habeat sustentationem. Sin verò fuerit delegatus summi Pontificis, nec potest munus ullum accipere, quia id ipsi prohibetur in *c. statutum de rescript. § insuper in 6.* Sin verò fuerit delegatus ab aliquo inferiori ut ab Episcopo, Archiepiscopo, nec videtur posse aliquod munus accipere, cùm id etiam videatur prohiberi in *c. cùm ab omni de vit. & honest. Cleric.* ibi enim generaliter constituitur, quòd judex delegatus sive à Papa, sive ab inferiori Ecclesiastico, non possit munera recipere, idque tametsi delegatus Papæ haberet beneficium minimè sufficiens ad vitæ sustentationem, quia ad excludenda munera sufficit, si habeat beneficium, tametsi illud tenue fuerit, quia semel quòd ad ipsum est electus, illudque 6

ratum habet, accipit illud cum tali onere. Quamobrem si delegatus Papæ pro exercitio sui officii aliquod exigat munus, tenetur illud restituere, ut liquet ex *c. statutum de rescript. §. insuper in 6.* ubi etiam dicitur, quòd si remissio fieret ab eo, qui dedit munus, adhuc foret invalida. Quòd si Judex restitueret munus danti, & is cui facta est restitutio iterum donaret judici, eúmque rogaret, ut dignaretur illud acceptare, in hoc casu respondet Glossa in *d. c. statutum*, donationem valere, eò quia in dicto capite solùm statuatur, quòd invalida sit remissio, non verò donatio.

7 Quod verò ad expensas attinet, si sermo sit de judice ordinario Ecclesiastico communis sententia est, non posse quidquam exigere, tametsi extra suum domicilium proficiscatur ad locum suæ jurisdictionis, quia redditus beneficii habet pro stipendio, & expensis; excipitur tamen quando Ordinarius proficiscitur pro consecranda Ecclesia, ut liquet ex *c. cùm sit Rom. de simon.* vel pro sua provincia visitanda. *c. cùm Apostolus de cens.* Judex verò delegatus Papæ quando proficiscitur extra suum domicilium jus habet petendi expensas moderatas, ut liquet ex *c. statutum de rescript. §. insuper in 6.* nomine expensarum etiam intelliguntur, quæ sunt necessaria ad iter, & ad vecturas equorum; neque tenetur deducere eas expensas, quas domi fecisset, si ibi mansisset, ut notat Angelus ex Panormitano. Imò nec tenetur deducere majores expensas, quas fecit, si minores facere potuisset, dummodo majores non sint immoderatæ, ut notant Abbas, Sylvester, & alii in *c. statutum de rescript. §. insuper in 6.* quoad judicem verò delegatum ab inferiori Ecclesiastico licèt Glossa in *d. c. statutum* indistinctè afferat, non habere jus petendi expensas; meliùs tamen Sylvester, & Angelus ex Panormitano procedunt cum distinctione: si enim delegatus ab inferiore Ecclesiastico, ut Vicarius Episcopi sit delegatus ad universitatem causarum, tunc non habet jus petendi expensas, eò quia talis judex delegatus æquiparatur ordinario, cum quo habet idem tribunal: quòd si fuerit delegatus ad specialem causam, tunc potest petere expensas bona fide non verò fraudulenter. Judex verò sæcularis sive ordinarius, sive delegatus habet jus petendi expensas, cùm id jure positivo, vel naturali illi non prohibeatur. Ad Xenia quod attinet, seu ad esculenta, & poculenta docent communiter; hæc non prohiberi, posse accipi à quocunque judice sæculari, vel Ecclesiastico ordinario, vel delegato, eò quia talia xenia non sint ullo jure positivo prohibita, quinimò in ipso jure solent excipi, eò quia dari soleant in parva quantitate, & quæ intra paucos dies consumuntur, quæ ratione non dicuntur animum judicis corrumpere.

8 Quæritur tertiò, an reus teneatur veritatem fateri, vel etiam jurare se in quavis parte litis veritatem dicturum. Respondetur, reum ad id non teneri, si judex non interroget juridicè, seu non servet ordinem juris in interrogationibus: ratio est, quia judex quando non procedit juridicè non potest reo obligationem imponere, ut crimen fateatur, vel juramentum deponat. Ordo autem juris, ut docet D. Thomas *2. 2. quæst. 69. art. 1.* Navarrus *cap 25. num. 36.* & communiter alii, est ut primò præcedat infamia, quæ tamen est legitimè probanda per duos, vel tres testes omni exceptione majores. Secundò quando suppetunt indicia legitimè probata. Tertiò cùm habetur probatio semiplena, quæque fit per unum testem probatum omni exceptione majorem. Imò nec ista sufficiunt ad juridicè interrogandum nisi conjuncta fuerint cum formali accusatione, vel cum supplente vices accusatoris, ut sunt notorium delictum, fama de authore, & denunciatio juridica.

Quòd si judex non intendat criminis punitionem, sed tantùm illud impedire, tunc tenetur subditus fateri veritatem etiam de occultis, ut docent Reginaldus *lib. 24. num. 135.* Lessius *lib. 2. cap. 21. num. 8.* Layman, *lib. 3. tract. 6. cap. 5.* Quòd si reus dubitet, an juridicè interrogetur, Sylvester *V. inquisit. 1. quæst. 3.* Paludanus *in 4 dist. 19. q. 4.* & alii censent, tunc obligari ad veritatem aperiendam, quia in dubio præsumendum sit in favorem superioris habentis facultatem præcipiendi. Communior tamen sententia, & probabilior est, non teneri veritatem aperire cum gravi sui, vel alterius incommodo, nisi constet, judicem legitimè præcipere, ac juridicè procedere, & habere authoritatem obligandi; quia in dubiis semper favendum est ipsis reis, nisi grave damnum inferatur reipublicæ. Judex tamen in extrahenda à reo confessione delicti tenetur cautè procedere, ne illam illegitimè extorqueat, spe impunitatis, vel fictis promissionibus, aut alia deceptione, & fraude: alioquin si deceptoria pollicitatione à reo confessionem criminis extorterit, non poterit reus ea confessione damnari, sed duntaxat ex indicio torqueri, ut docent Juristæ. Debet etiam judex cavere à cavillosis, fraudulentis, & dolosis interrogationibus, sed debet, ut judicem decet, justitiam inter, & charitatem procedere. 9

Cæterùm si judex juridicè interroget, docet D. Thomas, & cum ipso communiter Theologi, teneri reum veritatem fateri, tametsi capite plectendus esset, eò quia teneatur quisque parere suo superiori legitimè præcipienti; licèt in re parvi momenti occultare veritatem, aut mentiri in judicio, non censeatur peccatum mortale, ratione parvitatis materiæ, secluso juramento. Sin autem judex interroget de aliquo, quod absque culpa saltem lethali patratum est, tunc non tenetur reus respondere ad mentem judicis, sed potest tergiversari, non tamen mentiri, quod nunquam licitum est. Sunt tamen, qui censent, reum non peccare mortiferè negando crimen in causis etiam capitalibus, & aliis, in quibus imponeretur pœna gravis temporalis, ut condemnatio ad triremes, vel ad carcerem perpetuum, vel 10

vel ad confiscationem bonorum; dummodo negato crimine affulgeat spes evadendi, & dummodo non juraverit absolutè se veritatem dicturum: & nituntur ea ratione, quia lex humana non censeatur obligare cum tanto incommodo: non enim lex humana potest obligare cum periculo mortis, nisi momentum negotii illud exigat, siquidem natura vehementem indidit hominibus propensionem ad sui conservationem, & summam libertatem ad propriam vitam tuendam; hinc reus non tenetur comparere coram Judice, quoties vitæ imminet periculum. Neque reus tenetur obedire, quando compellitur ad juramentum, etiam si Judex juridicè interroget ob commune bonum; potest enim reus veritatem reticere ad propriam vitam tuendam, quoties affulget spes evadendi periculum mortis. Ita docent Navarrus *lib. 2. cap. 41. n. 142.* Lessius *lib. 2. c. 31. n. 16.* Diana *tract. 1. miscell. resol. 27. p. 2.* & alii supra viginti, quos citat idem Diana, qui etiam addit, quòd si reus interrogatus in judicio veritatem negavit, qua manifestata condemnatus fuisset, non deberet obligari à Confessario ad se retractandum, sive contra illum fit à Judice lata sententia condemnatoria, sive absolutoria, eò quia finito judicio, finiatur etiam obligatio Rei.

11 Si quæratur quartò, an Judex possit interrogare reum confessum de sociis criminis nulla indiciorum suspicione, aut infamia laborantibus. Respondetur negativè, nisi fortassis crimen tale sit, quod necessariò, & suapte natura socium exigat, vel nisi crimen sit exceptum, ut quando tendit in publicam perniciem, cujusmodi sunt crimina hæresis, proditionis, veneficii, latrocinii. Cæterùm, quia reus censetur persona vilis, & infamis, ideò ejus confessio, seu testificatio non efficit semiplenam probationem, nisi alterius aliud indicium, vel alterius Rei in tortura consensus accesserit. Fœminis ob sexus fragilitatem, non æquè, ac masculis est fides adhibenda, ut docet Lessius *lib. 2. cap. 29. numer. 161. & 2.* Navarrus *cap. 10. num. 59.* & alii plures. Cæterùm reus non censetur peccare contra justitiam si crimina quantumvis occulta testium contra se deponentium aperiat, si inde eorum dictum infirmare possit, cujusmodi sunt perjurium, crimen falsi, excommunicatio, à qua testis nondum est absolutus, infamia juris, vel facti. Quòd si criminis manifestatio non esset necessaria ad propriam defensionem, tunc reus peccaret contra justitiam, si talia crimina aperiret, quia sine propria utilitate inferret damnum proximo: neque est eadem ratio, quando per manifestationem talium delictorum infirmat eorundem testimonium, séque defendit; quia quisque habet jus se defendendi, & adhibendi ea omnia media, quæ necessaria sunt ad propriam vitam tuendam: & quia manifestatio talium delictorum censetur unum ex necessariis mediis ad tuendam propriam vitam, quam reus per se intendit, ideò per accidens se habet quòd ex tali manifestatione damnum inferatur testibus deponentibus contra reum. Cæterùm si reus juridicè interrogatus imponeret Accusatori notam mendacii, & calumniæ, teneretur ad restitutionem famæ, quia tunc peccaret contra justitiam, ut notat Navarrus *cap. 18. num. 49.* Sylvius *2. 2. quæst. 62. art. 3. quæst. 11.* Filliucius *tract. 40. cap. 9. quæst. 2. num. 261.*

Si quæratur quintò, quænam indicia requirantur ad torquendum reum. Respondetur, non quodvis indicium sufficere, sed requiri indicium grave probatum per duos; vel tres testes. In specie indicia sufficientia ad torturam numerantur. Primò unus testis, dummodo sit omni exceptione major. Secundò confessio rei extra judicium. Tertiò fama publica cum alterius indicii adminiculo, ut notat Farinacius in *pract. criminal. quæst. 37. num. 3.* Quòd si reus semel tortus non fuerit veritatem confessus, non debet iterum torqueri, nisi fortassis novum superveniat indicium; quia tormentum torturæ toleratum infirmat priora indicia; nisi tamen priora indicia fuerint gravissima, ac vehementem pariant patrati criminis suspicionem; quia tunc reus præsumitur malitiosè reticuisse veritatem, consequenter potest tortura iterari; ut etiam, qui crimen semel in tortura confessus est, & postea extra torturam illud negavit; quòd si tertiò tortus, & confessus, & tertiò extra torturam retractet, tunc absolvendus est regulariter loquendo; nisi gravissima adesset præsumptio de Rei malitia, ita docent Layman. *lib. 3. tract. 6. cap. 5. n. 10.* Lessius *lib. 2. cap. 31. n. 168.* & alii ferè communiter. 12

Cæterùm tortura adhibetur tantùm in criminibus gravioribus in subsidium probationis, & quæ pœnam corporalem, vel triremium merentur; non verò in iis, quæ tantùm pœnam pecuniariam, vel exilium; ratio est, quia tortura instituta ad eliciendam confessionem criminis, non debet tanta esse, nec major pœna, quàm sit illa, quæ in ejusmodi criminis damnationem inferretur. Neque debet hæc tortura adhiberi, nisi quando reus est legitimè convictus, ut possit de crimine condemnari. Sunt etiam Personæ quædam, quæ torqueri non debent, vel ob earum imbecillitatem, cujusmodi sunt impuberes, & senes decrepiti, quamvis, isti terreri possint ostendendo illis locum tormentorum. Neque torqueri debent mulieres prægnantes ob periculum abortus; earum enim tortura debet differri, postquam vires ex puerperio fuerunt confirmatæ: neque torquentur tortura viri nobiles ex ordine equestri, neque alii in magna dignitate constituti: hi enim non torquentur nisi in criminibus exceptis, cujusmodi sunt hæresis, proditio, crimen læsæ majestatis, & veneficium. 13

Quæritur sextò, an reo justè condemnato ad pœnam corporalem licitum sit effringere carcerem, & ex illo fugere. Triplex est carceris genus, primum in pœnam criminis, & hoc nunquam adhibetur, nisi per definitivam sententiam, præviis probationibus, & defensionibus. Secundum ad custodiam, ad quod quamvis non requiratur plena informatio de- 14

licti; nunquam tamen adhiberi potest, nisi reus fuerit de culpa valdè suspectus. Tertium genus est ad afflictionem, & est quædam torturæ species, quæ non adhibetur nisi pro gravi crimine, nec sine sufficienti causæ cognitione ob magnum præjudicium, quòd infertur ei, qui in tali carcere detinetur. Communiter respondent DD. posse reum fugere non solùm ante sententiam, sed etiam post Judicis sententiam, si injustè fuerit condemnatus, quia tunc iniustè detinetur in carcere. Quòd si fuerit iustè condemnatus, Henriquez *quodlib 9. quæst. 25.* Covarruvias *lib. 1. variar. resol. c. 2. n. 13.* & alii censent, non licere tunc reo fugere, eò quia per talem fugam fit iniuria iustitiæ ministris, licet non fiat iniuria in personis, fit tamen in rebus ad iustitiam pertinentibus, cuiusmodi sunt carcer, parietes, & vincula. Tum quia licèt quis habeat ius fugiendi, non tamen dicitur habere ius conculcandi alienas segetes inter fugiendum, nec jus perfodiendi domum alienam. Demum quia in iure civili infligitur pœna capitis fugientibus è carceribus *L. 1. & 2. ff. de effractor. & l. milites §. ejus ff. de re militari & l. in eos ff. de custod. a reor.*

15 Verùm contraria sententia est probabilior, & communior, quam propugnant Caietanus *2. 2. q. 60. art. 4.* Sotus *lib. 5. de justit. quæst. 6. art. 4.* Armilla *in V. carcer num 3.* Tabiena *eod. V. num. 1.* Lessius, Valentia, Filliucius, Sanchez, & ferè communiter alii, censentes reum non solùm ante sententiam, verùm etiam post iudicis sententiam, habere ius fugiendi è carcere, tametsi detineatur in carcere ob debita, licèt teneatur prima opportunitate satisfacere postea suis creditoribus. Imò asserunt, posse fugere, tametsi custos carceris ob ipsius fugam grave damnum patiatur; quia fugiendo utitur iure suo, & nulli facit iniuriam: damnum enim, quod ex tali fuga oritur custodi per accidens sequitur respectu Rei, quia hic tantùm intendit fugam, & non damnum alterius; & cùm habeat ius ad fugam per accidens se habet respectu Rei fugientis damnum custodis. Imò asserunt, nec teneri de damno, quod Actoribus, & reipublicæ evenit, si carcere pertuso, etiam alii in carcere detenti fugiant, eò quia aliorum fuga etiam sequatur per accidens, & primus reus, qui carceres disrupit, usus fuit iure suo, & non tenebatur impedire fugam aliorum. Verum tamen est, reum non habere ius fugiendi, inferendo directè iniuriam custodi carceris, vel alicui alteri officiali, aut Ministro iustitiæ: quia si Custos, & Minister iustitiæ habent ius detinendi reum, & impediendi, ne fugiat; reus non habet ius inferendi iisdem vim, aut iniuriam, sed habet ius fugiendi simpliciter: quia ius carceris non videtur adimere reo ius fugiendi, & effringendi carcerem; siquidem ex ipsa constitutione carcerum ad custodiam reorum, solùm sequitur ius, ut delinquentes nullam inferant iniuriam custodibus, qui censentur tacitè assumere tale officium, cum periculo damni, scientes carceres subinde infringi à reis tentantibus fugam. Hinc sequitur, licitum esse reo uti adulterina clavi, ad aperiendum ostium carceris, & ad fugiendum, immò etiam carceres, & parietes dirumpere, quia ut notat Sotus nullius injariæ sunt capaces muri, parietes, & vincula. Ad fundamentum oppositæ sententiæ, respondetur, habentem jus fugiendi non habere jus conculcandi alienas segetes inter fugiendum, si alia media illi suppetant, quibus commodè possit fugere; ita minus potest alienas segetes conculcare, & etiam domum alterius perfodere, si aliter non possit fugere, & tunc satis est, si postea resarciat damna illata proximo.

16 Quæritur septimò, an licitum sit juvare reum in fugiendo, ac frangendo carcerem. Respondetur, id non esse licitum ipsis Ministris justitiæ, imò nec reis consulere fugam, aut instrumenta porrigere, quia tunc agerent contra proprium officium, quo tenentur diligenter custodire reos in carcerem detrusos. Cæterùm Cajetanus, & alii plures censent, licitum esse extraneis, vel certis amicis, & consanguineis, non solùm reo consulere fugam, sed etiam instrumenta porrigere, quibus carcerem disrumpat, quia tunc amicus, vel consanguineus tantùm cooperatur in eo, ad quod reus habet jus; eo enim ipso, quòd reus habet jus fugiendi, potest etiam licitè vincula disrumpere, & carcerem pertundere: siquidem cui licitus est finis, sunt etiam licita media ad assecutionem finis necessaria, unde si reus habet jus fugiendi, & infringendi carceres, erit licitum ejus amico, vel consanguineo instrumenta illi porrigere ad id necessaria, cùm tunc cooperetur in eo ad quod reus habet jus: quod enim alicui licitum est facere, id potest alius eidem suadere, ut faciat, nisi ratione officii prohibeatur, sicut prohibentur Ministri justitiæ. Quòd si licitum est amico, vel consanguineo consulere reo fugam, erit etiam licitum porrigere eidem instrumenta, quibus vincula disrumpat, carcerem effringat: qui enim potest alicui consulere finem, potest etiam eidem porrigere media necessaria ad assecutionem finis. Non tamen licitum est amico, vel consanguineo exteriùs carceres infringere, ut aditum aperiat reo fugienti, quia solus reus habet hoc jus.

17 Quæritur octavò, an lege humana possit prohiberi, ne reus carcerem effringat. Respondetur, quòd licèt jure naturali, id non sit prohibitum, potest nihilominus jure humano prohiberi, nil enim refert, quin possit reus condemnari ad pœnam hanc, ne carcerem effringat: & hac lege semel constituta, erit cæteris prohibitum porrigere instrumenta reo ad carcerem effringendum, & si reus carcerem infringeret, posset severiori pœna puniri, ut transgressor alterius legis. Imò in jure civili infligitur pœna capitis reis disrumpentibus carcerem, & fugientibus *l. 1. & 2. ff. de effractor. & l. milites §. ejus ff. de re militari.* quæ leges cùm justæ sint, vim habent obligandi in conscientia post sententiam judicis, videntur enim hujusmodi Leges

insti-

institutæ tacita quadam conventione habita inter conditores legum, & reos, ut isti pœnæ capitis se subjiciant, si ut effractores carceris capiantur. Potest etiam, si reus condemnetur ad carcerem tanquam ad pœnam, lex humana ei præcipere, ne fugiat è carcere, tametsi fame deberet perire, quia sicut justè potest reus damnari ad mortem, sic etiam justè potest damnari, ut fame pereat, proinde etiam ut in carcere maneat, ne fugiat. Cæterum reus posset licitè pecunia corrumpere Ministros justitiæ, ut è carcere posset evadere, ut notat Glossa *in c. inter cætera 22. q. 4.* quia cùm habeat jus conservandi propriam vitam, habet etiam jus ad media necessaria, pro assecutione talis finis, & quia in tali causa corrumpere pecuniâ custodem esset medium necessarium; ideò esset licitum reo, qui pecunia redimeret suam vitam: neque obstat, quod non sit redemptio injustæ vexationis, cùm reus supponatur justè in carcere detineri, quia licèt id verum sit, adhuc tamen reus tunc pecunia redimit periculum vitæ propriæ, ad quam conservandam habet jus. Nec obstat damnum, quod inde infertur custodi carceris, quia scienti, & volenti non fit injuria; reus enim directè tantùm intendit uti jure proprio, & custos debet sibi imputare si sciens, & volens sinat se corrumpi.

18 Si dicas, custodem carceris peccare in periculo ut reus fugiat, proinde reum peccare cooperando in peccato custodis. Contra est, quia tametsi custos carceris peccet, & reus etiam peccaret, si directè offerret pecunias ad fugiendum ex facultate custodis, eò quia sic offerendo cooperaretur ejus peccato: nihilominus potest reus pecuniam validè, & astutè offerre custodi ad ejus benevolentiam sibi conciliandam, & hac ratione viam sibi sternere ad fugam; tunc enim non censetur reus peccare, sed tantum uti jure suo: neque pecuniam offerre est directè petere à custode aliquid ad fugiendum.

TITULUS XXXIII.

De Majoritate & Obedientia.

Quia ex Ministris, & Judicibus, alii sunt majores, minores alii, sine quorum subordinatione non potest Ecclesiæ status universalis consistere, ut dicitur *in c. ad hæc dist. 89.* siquidem ea est rerum humanarum conditio, ut sine certo ordine vix subsistere possit, quapropter Apostolus *1. ad Corinth. c. 14.* præcipit nominatim omnia honestè, & secundùm ordinem fieri, quo fit, ut in Ecclesia certus ordo dignitatum sit constitutus, omnibúsque sint sua munia assignata, ut dum quisque ea cognoscit, omnia æquali, & concinna contineantur ratione, & minores debitam superioribus exhibeant reverentiam, & majores minoribus impendant dilectionem. Quamobrem hîc agitur de majoritate & obedientia, quam debent inferiores illis, qui in eminentioribus gradibus sunt constituti: unde agitur hîc de ordine in Ecclesia inter varias dignitates [illegible]stituto: & quomodo dignitates inferiores debeant superioribus parêre. Nomine siquidem majoritatis significatur authoritas, & potestas superiorum: & nomine obedientiæ inferiorum subjectio, & obsequium.

SUMMARIUM EXEGETICUM

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *CUM CERTUM 1. h. t. Gregorius rescribens Augustino Anglorum Episcopo declarat, primò ordinatum haberi priorem aliis, & majori in honore: hinc Glossa ait, eum esse priorem in jure, qui prior est tempore. Textus autem loquitur directè de Episcopis, inter quos prior consecratione præcedit Episcopos juniores, extenditur tamen decretalis etiam ad Canonicos, Judices, & Officiales: qui enim ex illis priùs accepit possessionem præcedit alios in voce, stallo, aliisque prærogativis, tametsi electione, vel collatione fuerint priores.*

C. *SI QUIS 2. h. t. Declarat idem Pont. eum qui non obsequitur Episcopi decreto esse anathemate percutiendum, ac excommunicandum cum in lib. Regum legatur,* qui non obedierit Principi morte moriatur. *Procedit tamen decretalis de decretis justis, & liquet, Episcopos*

posse hujusmodi decreta pro suis diœcesibus instituere in synodo diœcesana: & pœna pertinaciter contravenientibus erat abjectio ex Ecclesia, & anathematizatio, quæ est veluti mors quædam spiritualis, quæ imitatur mortem temporalem, quâ puniebantur inobedientes mandatis Principis.

C. *LEGEBATUR 3. h. t. Declarat Leo Papa, clericum sponte obedientem non teneri scripto, vel juramento promittere obedientiam Episcopo. Verùm hodie omnes beneficiati, sive curati, sive non curati, tenentur juramentum obedientiæ præstare Episcopo, & præsertim si beneficia sint curata.*

C. *OMNES 4. h. t. mandat Clemens III. omnes de diœcesi etiam Principes teneri Episcopis obedire. Allegatur hæc constitutio* ex epist. 1. D. Petri c. 2. *Verùm Apostolus tantùm loquitur de obedientia erga Reges, & Principes. Cæterum de obedientia Principum erga Episcopos nec in illa, nec in aliis Epistolis D. Petri fit ulla mentio. Hinc plures censent, hoc præceptum pro Principibus Clementem Papam ore tenus accepisse à suo Magistro D. Petro, nec fuisse scripto traditum: sicut nec scriptum reperitur illud:* beatius est dare magis, quàm accipere, *quod divus Paulus* Actor. 20. *ait à Christo dictum. Cæterum notat Glossa, quòd si Rex plures habeat Episcopos in suo Regno debeat suas causas tractare coram Episcopo, in cujus territorio habet regalem larem, & debeat decimas solvere illi Episcopo, in cujus territorio sunt prædia; alioquin ubi audit divinum officium; quòd si in multis locis audiat, proportionaliter debeat dividere.*

C. *ILLUD 5. h. t. rescribit Innocentius III. Capitulo Herbipolensi, non obedientem Apostolicis canonibus notam incurrere inobedientiæ, seu ut notat Glossa infamiam. Episcopi sine consensu Papæ non possunt suos Episcopatus dimittere* c. 2. de Transl. Prælat.

C. *SOLITÆ 6. h. t. idem Pont. rescribit Imperatori Constantinopolitano, imperium non præesse sacerdotio, sed subesse; proinde teneri Imperatorem Pontifici obedire: siquidem de Pontifice intelligitur illud Jeremiæ 8.* Ecce constitui te super gentes, & Regna. *Tum quia dignitas Pontificalis est luminare majus, quod præest diei: & dignitas Imperatoria, vel legalis est luminare minus, quod præest sæcularibus, & carnalibus. Hinc Imperator, & alii Principes laici non habent potestatem in clericos, eò quia non sint eorum curæ commissi, sed Papæ.*

C. *PER TUAS 7. idem Pont. rescribit Episcopo Florentino, ordinatum Subdiaconum à Papa non eximi ab obedientia Episcopi, quamvis ei inter alios ab Episcopo deferatur ob reverentiam Papæ. Hinc notat Glossa, hunc Subdiaconum in aliquibus esse præferendum non tamen iis, qui sunt in majori ordine constituti. Imò censet probabile, ob crimen non posse ab Episcopo deponi.*

C. *INTER QUATUOR 8. h. t. idem Pont. rescribit Patriarchæ Constantinopolitano, quòd si agatur de obedientia, & subjectione, non sit attentandum in præjudicium Rei, vel possessoris ante citationem. Quia ut notat Glossa contrà absentem non citatum, non convictum, vel non confessum, non debet procedi.*

C. *QUOD SUPER 9. h. t rescribit idem Pont. cuidam Episcopo, ut Abbates, & sacerdotes diœcesana lege sibi subjectos per censuram compellat venire ad synodum, sibique debitam exhibere reverentiam. Hinc notat Glossa, Abbates habentes populos teneri ad synodum venire, non ita non habentes populum, nisi ex rationabili causa vocentur. Imò nec teneri exemptos, si populum non habeant.*

C. *CUM IN ECCLESIIS 10, h. t. idem Pont. rescribit Abbatibus Bononiensibus sancti Stephani, & sancti Proculi, Priorem posse excommunicare Canonicos Regulares sibi non obtemperantes, quòd si à Papa, vel alio absolvantur, teneri præstare juramentum de obediendo suo superiori, & incorrigibiles esse expellendos de consortio fratrum. Ex quo textu liquet, à contumaci posse exigi juramentum de obedientia. Et excommunicatum non esse absolvendum nisi præstito juramento,*

C. *HIS QUÆ 11. h. t. Honorius III. præcipit, ut Capellani Ecclesiæ titularis alicujus Cardinalis exhibeant obedientiam, reverentiam, & honorem Cardinali, & ut idem præstent Presbyteri & Clerici; rursus ut pro scrutinio, baptismo, & capitulo celebrandis suis temporibus conveniant ad Ecclesiam; præterea ut recipiant humiliter correctionem Cardinalis, servent excommunicationem, suspensionem, & interdictum. Rursus declarat Pontifex, quòd si Cardinalis moriatur, succedit capitulum, quamdiù vacat Ecclesia, & solus Papa tunc corrigit, excommunicat, suspendit, & interdicit. Ubi notat Glossa, contra obedientiam erga Prælatum non dari Præscriptionem.*

C. *DILECTA 12. h. t. idem Pont. declarat, eos peccare graviter, qui suspensionem, quæ non est censura, non servant, eò quia imposita sit ab Abbatissa, quæ non potest excommunicare. Hinc notat Glossa, Abbatissas ratione officii præsertim accedente Pontificis consensu esse capaces jurisdictionis spiritualis, proinde beneficia conferre, Clericos instituere, destituere, Vicarios, ac Provisores nominare. Verùm probabilior sententia est, Abbatissæ non convenire proprie jurisdictionem spiritualem, nec potestatem ferendi censuras Ecclesiasticas per modum pœnæ, quarum Transgressores fiunt irregulares: sed tantùm ei convenire potestatem subtrahendi prebendas, & præcipiendi, ne celebrent, donec satisfecerint: quia neque ex traditione, neque ex jure colligi potest, convenire fœminis jurisdictionem Episcopalem: sed tantùm ex commissione Prælatorum habent quemdam usum jurisdictionis spiritualis, quo clericos ad beneficia sibi pleno jure subjecta instituunt.*

C. *DILECTI 13. h. t. Gregorius IX. declarat, Metropolitanum non posse juramentum exigere à suffraganeo ultra formam canonicam, & si exigat, non teneri jurare, & si juret juramentum nullum habere valorem. Quia juramentum non extenditur ad ea, quæ de jure præstanda non sunt.*

C. CUM

C. CUM OLIM 14. h. t. idem Pontifex declarat. potestatem confirmandi electiones Abbatum sede vacante pertinere ad capitulum vice Episcopi. Ubi notat Glossa, posse capitulum sede vacante confirmare electionem, non tamen dare licentiam alicui transeundi ad aliam Ecclesiam, neque posse beneficia conferre.

C. STATUIMUS 15. h. t. idem Pont. statuit, ut Presbyteri primum locum, Diaconi secundum, Subdiaconi tertium, & sic de reliquis ordinatim obtineant; tametsi posterius admittantur: & qui major est ordine, quamvis posterius sit receptus, potior sit in portione percipienda. Hinc notat Glossa, eos reputari majores, & digniores, qui sunt in majori ordine constituti, etiam in prebendis, & stipendiis: verum in hoc standum est consuetudini.

C. CUM INFERIOR 16. h. t. idem Pont. rescribit Archiepiscopo Colocensi, quod si aliqua Ecclesia posita in jurisdictione alicujus Archidiaconatus eligatur in Episcopatum, statim eximitur à jurisdictione Archidiaconi & Archiepiscopus erigens eam in cathedralem recompensat jurisdictionem Archidiaconi in sua diœcesi sine præjudicio tertii. Verùm notat Glossa, ad id requiri licentiam Papæ, ad quem pertinet res tam ardua, qualis est, ut Ecclesia erigatur in cathedralem.

C. HUMILIS fin. h. t. declarat idem Pont. quòd si quæstio sit inter duos Archiepiscopos, quis eorum sit primus, & Papa aliquid determinet, ante publicationem hujus determinationis requiratur consensus Prælatorum; & Capitulorum utriusque partis, & capituli alterius, & si nolint consentire compareant Prælati personaliter, & capitula per Procuratores coram Papa ad dicendum jus & si succubuerint tenentur ad expensas parti. Quia ut notat Glossa cum una pars habeat intentionem fundatam, proinde condemnatur alia ad expensas.

IN SEXTO.

C. EPISCOPALI UNIC. h. t. Bonifacius VIII. declarat quòd Episcopali sede vacante possit capitulum, seu is ad quem pertinet jurisdictio Episcopalis idem quod posset Episcopus, si viveret: proinde ab excommunicatione absolvere, nisi fuerit à sede Apostolica id specialiter interdictum. Quia sede vacante capitulum succedit Episcopo in administratione jurisdictionis Episcopalis.

IN EXTRAVAGANTIBUS JOANNIS XXII.

C. ECCLESIÆ UNIC. Joannes XXII. statuit, ut in Tuscia, Sabina, terra Arnolphi nemo præsumat eligere Officialem, neque electo obedire sine facultate sedis Apostolicæ: quòd si civitas, vel persona particularis jus habeat eligendi; electus non sit censendus officialis, nisi postquam confirmatus sit a sede Apostolica; & si secus fiat sit irritum. Verùm hæc decretalis loquitur de terris, in quibus jus talia faciendi competit Papæ, vel suis Officialibus.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

C. UNAM SANCTAM 1. h. t. Bonifacius VIII. declarat, omnes Christi fideles de necessitate salutis subjici Romano Pontifici habenti duplicem gladium, scilicet spiritualem, qui est in manu sacerdotis, & exercetur ab Ecclesia & temporalem, qui est in manu Regum, & militum ad nutum; & secundum gladium esse sub primo, & non esse potestatem nisi à Deo, & quæ sunt à Deo, ordinata esse: proinde secundum gladium judicari à primo, & eum qui primum exercet judicari à Papa, & Papam à nemine judicari nisi à Deo.

C. UT PRÆLATORUM 2. h. t. Joannes XXII. prohibet Episcopis, & superioribus Prælatis sine causa rationabili mutato habitu discurrere extra suam diœcesin, vel civitatem indiscretè, & venire Romam latenter mutato habitu: & mandat, ut cùm primùm Romam venerint præsentent se Romano Pontifici, & non recedant sine ejus licentia, & si secus fecerint, sint excommunicati, ut etiam qui eos receptant, & non manifestant Papæ.

C. ETSI 3. & ult. h. t. idem Pont. prohibet, ne ullus Præsul absque sui superioris licentia audeat pernoctare extra suam diœcesin, nisi pro negotiis suæ Ecclesiæ. Rursus mandat, ut omnis Episcopus qui Romam venerit, debeat prius palatium Papale visitare exhibiturus reverentiam Papæ, si detur occasio, & non debeat recedere à curia nisi super hoc petita, & obtenta licentia à Papa: & secus facientes excommunicantur, ut etiam eorum Receptores.

COMMENTARIVS PARATITLARIS.

§. I.

De Summo Pontifice, ejúsque majoritate.

[illegible]unitur in hoc titulo majoritas pro quadam prærogativa, qua in statu clericali unus præ[illegible]al-[illegible] seu major minori, [illegible] quo [illegible]itur obedientia, qua [illegible] tenentur suis parere [illegible]ribus, sicut in cœlesti Hierarchia non omnes sunt pares potestate, dignitate, & ordine, cum dentur Principatus, Potestates, Virtutes, Throni, Dominationes, Angeli Archangeli, differentes in ministeriis: ita in Ecclesia militante dantur diversi ministrorum gradus, alii majores: mi-

minores alii, diversi, ac distincti ordines, quæ varietas necessaria videbatur ad perfectum militantis Ecclesiæ regimen, ut explicatur in *can. ad hoc dist. 89.* Quamobrem majoritas in hoc titulo intelligitur esse excellentia unius personæ præ altera; unde in hoc titulo agendum erit de personis Ecclesiasticis constitutis in majoribus, & minoribus dignitatibus, omissis Episcopis, & Archiepiscopis, de quibus abundè jam diximus in titulis præcedentibus.

2 Quia verò summus Pontifex principem occupat sedem, estque caput totius Ecclesiæ Catholicæ, ideò ab ipso initium dabimus. Papa dicitur quasi admirabilis à Papæ, seu interjectione admirantis eò quia Vicarius sit Christi, & Dei, cujus est terra, & plenitudo ejus; siquidem est Papa totius Christiani orbis pastor, omniumq; Ecclesiarum caput, & Episcoporum omnium Episcopus ex Christi institutione: est enim de fide, Papatum jure divino in divum Petrum, ejusque successores fuisse à Christo institutum, tametsi quoad ordinariam baptizandi, prædicandi, solvendi, & ligandi potestatem Episcopi, & sacerdotes in locum successerint Apostolorum, ut liquet *ex c. in novo dist. 21. cap. quorum vices dist. 68.* & omnium Apostolorum potestas quoad hoc fuit æqualis: sed quoad potestatem extraordinariam, majoritatem, ac primatum, Petrus cæteris Apostolis fuit semper Prælatus.

3 Neque suprema potestas collata à Christo D. Petro cessavit cum D. Petro, sed ad successores legitimè electos in munus, & officiū D. Petri transivit, adeò ut etiam nunc Romanus Pontifex legitimè electus, & Petri successor sit verus Christi Vicarius in Ecclesia militante. Idq; evincitur ex illo Matth. 16 *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et iterum: *Tibi dabo claves regni cælorum, & quodcunque solveris super terram erit solutum, & in cælis, & quodcunq; ligaveris, erit ligatum* quæ verba tametsi prolata in persona Petri; non tamen ad solam Petri personam restringuntur; sed ad ejus successores legitimè electos in pastorali munere regendi Ecclesiam universam extenduntur, ut communiter docent SS. PP. & Concilia: idque clare etiam deducitur ex præfatis Christi verbis; non enim Christus dixit: *Tu es Petrus, & super te* scilicet denotando personam: sed dixit, *& super hanc Petram* nimirum denotando *officium* ædificabo Ecclesiam meam; atqui officium transit in successores, qui enim immediatè successit D. Petro, habuit idem officium in Ecclesia, ut etiam alii successores: unde cùm munus, & officium Petri regendi universam Ecclesiam, ac pascendi dominicum gregem perseveret in Ecclesia, in eadem etiam perseverat dignitas, præeminentia, & prærogativa D. Petri.

4 Tum quia Christus cùm dixit, *tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, expressè significavit, Petrum, ut caput Ecclesiæ, esse totius Ecclesiæ fundamentum: sed Ecclesia est perpetua, proinde ejus fundamentum debet in Ecclesia esse itidem perpetuum; non enim de ratione fundamenti est, tantùm inchoare ædificium, verùm etiam illud perpetuò fulcire: cùm deficiente fundamento necessè sit, corruat ædificium, quod sine fundamento non subsistit: & cùm certum sit adhuc manere Christi Ecclesiam, debet etiam esse certum de fide, quòd perseveret ejus fundamentum, quo fulciatur: atqui D. Petrus nunc non est fundamentum Ecclesiæ, quæ nunc existit; quia cum Ecclesia visibilis sit, debet, & ejus fundamentum visibiliter existere: quapropter fundamentum Ecclesiæ debet nunc esse aliquis Petri successor: hinc S. Leo Papa *serm. 3. de anniversario die sua assumpt. ad Pontif* ait: soliditas illius fidei, quæ in Apostolorum Principe est laudata, perpetua est; & sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit, ita permanet, quod in Petro Christus instituit.

Præterea Christus *Joan. 21.* indefinitè dixit Petro, *pasce oves meas* nimirum tradidit tunc Petro potestatem pascendi omnes Christi oves: atqui fideles, qui nunc in Ecclesia visibili vivunt, sunt oves Christi, de quibus etiam loquebatur Christus: & cùm Petrus ampliùs apud nos non vivat, nos non pascit visibiliter per se ipsum immediatè, sed tantùm per suos successores, quibus communicatum fuit officium pastoris, & cura pascendi dominicum gregem: cùm enim Petro demandata fuerit indefinitè cura pascendi dominicum gregem, non potuit hæc cura ei demandari immediatè pro semper, utpote aliquando morituro; ex suppositione, quòd esset perseveratura Ecclesia: ergò immediatè, vel mediatè per suos successores pro tempore existentes. 5

Evinci etiam solet ex summa præeminentia in Pontifice Romano, ex perpetua successione summorum sacerdotum, qui naturali generatione ex Aarone primo sacerdote descendebant. Sicut Deus contulit Aaroni potestatem sacerdotalem in totam Ecclesiam Israeliticam, & cum prærogativa eam transferendi in posteros generandos ex eodem semine: ita collata fuit à Christo Petro suprema authoritas in totam Christianam Ecclesiam cum prærogativa eam transferendi in successores; non enim benè provisum fuisset à Christo suæ Ecclesiæ, si moriente Petro eam destitutam visibili capite reliquisset. Hinc D. Petrus morti proximus sibi successorem delegit Clementem, ut fatetur ipse Clemens *l 3 constit. Apost. c. 46.* licèt postea Clemens humilitatis causâ voluerit cedere Lino, & Cleto, qui in exercitio pastoralis officii fuerant Petro coadjutores, quibus defunctis successit postea Clemens Pontifex IV. Non potuisset autem Petrus sibi successorem deligere, nisi didicisset à Christo supremam pastoris authoritatem fore semper in Ecclesia conservandam per legitimum successorem: quia Petrus non poterat propria authoritate hanc supremam pastoralem dignitatem, ut conservandam in successoribus instituere: cùm Petrus ut Vicarius Christi eam ab ipso acceperit, non poterat in aliam formam à Christo traditam immutare: unde præeminentia, & authoritas suprema gubernandi universalem Ecclesiam non est cum persona, & officio Petri extincta, sed perseverat in successoribus; adeò ut Romani Pontifices pro tempore existentes, fint veri Christi Vicarii in militante Ecclesia. Tum quia Christus, ut testatur D. Paulus ad Eph. 4. 6

con-

constituit in Ecclesia pastores, & Doctores duraturos usque ad finem mundi, *donec occuramus omnes in unitatem fidei*: unde si voluit alios Pastores esse perpetuos, à fortiori etiam ipsum primum caput omnium Pastorum, cùm suprema authoritas infallibilis sit magis necessaria ad regimen universalis Ecclesiæ ad decidendas controversias, sedanda schismata, confutandas hæreses, evellendos errores, pravósque mores corrigendos.

7 Ex fine ipsius regiminis, quod non est propter Principem, sed propter rempublicam, ut ejus bonum promoveat, patriam conservet, dissidia sedet, etiam evincitur hæc præeminentia in summo Pontifice: sicut enim extincto Principe, non extinguitur ejus officium, sed transit ad successores jure, vel hæreditatis, vel electionis: ita regimen supremum Ecclesiæ, non fuit institutum in commodum ipsius Petri, aut supremi Pontificis, sed in utilitatem Ecclesiæ, ut ait D. Augustinus de *Pastor. c. 1.* inquiens, *quòd Christiani sumus propter nos est, quòd verò Præpositi propter vos*: sed perseverat eadem Ecclesia, & quidem cum majori necessitate, quàm antea, ut in ipsa sit unus supremus pastor infallibilis authoritatis in definiendis controversiis fidei, cùm multiplicentur errores, & sectæ, ergò adhuc debet perseverare in Ecclesia officium summi Pontificis cum eadem præeminentia, ac infallibili authoritate, quam Christus contulit D. Petro, alioquin malè provisum esset Ecclesiæ, si cùm urgeat major necessitas habendi infallibilem aliquam, & supremam authoritatem, ea privaretur: hinc omnia Concilia generalia hanc præexcellentiam Romanæ Sedis supra omnes alias expresè fatentur: & in Concilio Niceno *1. can. 2.* definitur, ut omnibus liceat appellare ad Romanum Pontificem, ut ad supremam, ac infallibilem totius Ecclesiæ authoritatem.

8 Hinc Romanus Pontifex defacto existens est legitimus Petri successor in primatu totius Ecclesiæ, quia id fuit definitum in Concilio Florentino ab Eugenio IV. in suo decreto, ubi ait: *Item definimus, Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.* Confirmant eandem veritatem omnia Concilia œcumenica, & sacri Canones, quorum omnium illa vox est Concilii Chalcedonensis *act. 1.* præsente Marciano Augusto: *Ecclesiam Romanam caput esse omnium Ecclesiarum.* Constat etiam ex Pontificum Decretalibus, in quibus nemine contradicente, hanc semper sibi authoritatem vendicârunt. Neque in propria causa suspecti habendi sunt, cùm omnes Pontifices hoc testantes fuerint sancti, vel martyres, & non videtur verò simile voluisse falsò sibi hanc dignitatem arrogare: eorum testimonia congerit fusè Andreas Duvallius *in tract. de sum. Pontif. potest. p. 1. q. 9.* Tum quia hanc eandem veritatem testati semper sunt omnes aliarum Ecclesiarum Patriarchæ, & Præsides, ut etiam SS. Patres, quos omnes referre infinitum foret; præsertim Augustinus *epist. 162.* ubi expresè asserit, viguisse semper in Ecclesia Romana principatum cathedræ Apostolicæ: & D. Hieronymus in *epist. 57.* quam dirigit ad Damasum vocat Romanum Pontificem Piscatoris successorem in eadem fidei cathedra, supra quam est Ecclesia ædificata, & ut alios missos faciam, unum non reticebo Bernardum, qui *lib. 2. de considerat. c. 7. & 8.* ait, loquens de Romano Pontifice: *Tu sacerdos magnus, tu summus Pontifex, tu Princeps Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, potestate Petrus, functione Christus.* Imperatores itidem Christiani hanc agnoverunt veritatem, quam fassi sunt; ut Constantinus Magnus referente Eusebio in ejus vita: Valentinianus *in epist. ad Theodosium* præfixa Concilio Chalcedonensi. Martinus in *epist. ad Leonem.* Justinianus in *novellis constitionibus const. 113.* Carolus Magnus, aliique Imperatores.

9 Praxis itidem Ecclesiæ inconcussam hanc veritatem semper edocuit: siquidem post electiones novorum Episcoporum ubique terrarum, constat, eos postea creatos, & confirmatos, ac investitos fuisse à Romano Pontifice, vel per se, vel per suos Legatos, ut constat ex Concilio Sardicensi: hinc orta fuit antiquissima consuetudo, ut Patriarchæ Orientis statim post electionem epistolas mitterent synodicas ad Romanũ Pontificẽ, quibus postularent electionis confirmationem, ut liquet ex *epist. 33. & 38.* Joannis Magni, & ex *epist. 63.* Gregorii Magni, & consueverunt tunc Pontifices Romani pallium mittere in confirmationem electionis, & in tesseram plenitudinis Archiepiscopalis, ut desumitur ex variis juribus. Hinc Leges Ecclesiasticas, quæ ab exordio Ecclesiæ omnes fideles obligârunt soli Romani sanxerunt Pontifices, ut satis liquet ex antiquis libris decretalium; ut etiam fatentur omnes Recentiores Canones, & Concilia, quæ Pontificum decreta veluti à Christo emanata venerantur, & humillimè suscipiunt. Tum quia transgressores legum divinarum, & Ecclesiasticarum semper solus Romanus Pontifex pœnis mulctavit Ecclesiasticis, & nonnunquam etiam in pœnam delictorum Episcopos dejecit è propriis sedibus, & anathemate percussit, ut Felix I. qui deposuit Petrum Antiochenum; & Damasus Clavianum Constantinopolitanum. Tum quia ex toto terrarum orbe in controversiis, dubiisque de fide, quæ oriebantur ad solum Pontificem Romanum directæ fuerunt appellationes ab Episcopis, Regibus, aliisque fidelibus, ut constat ex variis decretalibus: hinc ipsi Ecclesiæ Doctores in dubiis circa fidem, morésque fidelium solum Romanum consuluerunt Pontificem, à quo Christi oraculum audirent, eique acquiescerent, quo pacto Hieronymus consuluit Damasum, & alii alios. Tum quia ad solum Romanum Pontificem semper pertinuit convocare Concilia, & eadem confirmare; adeò ut sine Pontifice, ut capite, & ejus confirmatione nullius sint authoritatis, nullúmque sortiantur valorem.

10 Demum quia nullus alius hactenus inventus est, qui se Petri affirmavit successorem, vel ab aliis, ut talis sit habitus præter Romanum Pontificem, cui tota Ecclesia omni semota hæsitatione primatum semper dedit: neque à sententia Romani Pontificis concessa est ad alium judicem appellatio. Quamobrem luce meridiana clarius est, Romanum Pontificem esse defacto successorem S. Petri in primatu totius Ecclesiæ. Adeò ut crassissime erraverint, qui putârunt, Episcopum Antiochenum successisse S. Petro in primatu totius Ecclesiæ, eò quia D. Petrus Antiochenam Ecclesiam prius gubernavit: quia exinde tantum sequitur, Episcopum Antiochenum successisse Petro in officio pastorali solius Ecclesiæ Antiochenæ, non verò totius orbis, ac universalis Ecclesiæ; quia legitima successio fit tantùm per alterius locum cedentis substitutionem, & D. Petrus cùm acceperit à Christo supremam authoritatem gubernandi universalem Ecclesiam donec viveret; non poterat Petrus adhuc eo vivente alium constituere universalem pastorem totius dominici gregis.

11 Præterea, quia nulla hactenus sedes præter Romanam, puram, ac illibatam servavit fidem, cùm constet, cæteras patriarchales sedes Alexandrinam, Antiochenam, Jerosolymitanam, Constantinopolitanam, à vera fide, & doctrina defecisse; adeò ut Marcus summus Pontifex scripserit ad Athanasium de Romana Sede: *Hæc sancta Apostolica mater omnium Ecclesiarum, Christi Ecclesia, quæ per omnipotentis Dei gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam aberrare probatur, sed illibata hactenus permanet secundùm ipsius Domini pollicitationem, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.*

12 Quamobrem primatus universalis Ecclesiæ conjunctus Romano episcopatui, non est de jure Romano Imperatorum, sed ad minimum de jure Ecclesiastico, & probabilius etiam de jure divino. Quòd non sit de Jure Romano Imperatorum ex eo liquet, quia Imperatores, & Principes sæculares non possunt alteri conferre jus, quod non habent: & cùm Imperatores, & Principes sæculares nullum habeant jus circa res divinas; eò, quia eorum potestas non excedat potestatem, quam habent Respublicæ sæculares, à quibus eliguntur in Principes; & respublicæ in electione Principis tantùm versentur intra limites humanorum jurium; sequitur non posse Principes aliam potestatem habere, quàm intra limites humanorum jurium; & cùm potestas Ecclesiastica sit extra, & supra limites humanorum jurium, sequitur non posse Principes sæculares jus ullum conferre, nec habere in res divinas. Hinc commentum illud, quòd Pipinus Gallorum Rex contulerit Zachariæ jurisdictionem Ecclesiasticam in Gallias communiter rejicitur; cùm constet, ante Pipinum Romanos Pontifices jurisdictionem exercuisse in Gallos.

13 Quòd ad minimum possit dici de jure Ecclesiastico, ex eo evinci potest, quia nullus inter Doctores Catholicos est, qui non asserat, conjunctionem primatus Ecclesiæ cum Episcopatu Romano esse vel de jure Ecclesiastico, vel de jure divino: quinimò si pauci excipiantur, asserentes esse de jure Ecclesiastico, ut Aliacensis *Corol. 2. & 3.* Sotus in *4. dist. 24. q. 2. art. ult.* Bannes *2. 2. q. 1. art. 1.* ferè omnes alii docent esse de jure divino. Cæterùm asserentes, esse tantùm de jure Ecclesiastico nituntur, his rationibus. Primò quia quando Christus hanc Petro contulit potestatem, eam ad nullum certum locum coarctavit; sed eandem potestatem in persona Petri tradidit omnibus successoribus; proinde primatum Ecclesiæ universalis conjunctum esse cum Romano episcopatu ajunt non esse de jure divino, seu non esse institutum à Christo ex speciali ejus ordinatione; sed de jure Ecclesiastico, ex sola dispositione S. Petri instituentis talem conjunctionem cum Episcopatu Romano. Tum quia Christus contulit Petro hanc potestatem, cùm dixit: *tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, in quibus nulla apparet ad locum limitatio, sed dontaxat explicatur universalis potestas. Secundò, quia potuisset D. Petrus supremam in universalem Ecclesiam exercuisse authoritatem, tametsi nullam sibi specialem appropriasset sedem; sicut defacto eandem potestatem exercuit toto eo tempore antequam fundâsset Ecclesiam Antiochenam, & Alexandrinam; vel potuisset semper sedisse in Antiochena; vel etiam relicta Roma aliò sedem transferre; & si ita Petrus fecisset, certè qui ei successisset in Pontificatu, non fuisset specialiter Episcopus Romanus: unde tametsi D. Petrus suum diem Romæ obierit, ibique suam fixerit sedem; adhuc potuisset alius, quàm Romanus Episcopus in ipsius dignitatem succedere; ut defacto posset etiam succedere, cum mors Petri non immutet Christi voluntatem in ordine ad conferendam universalem potestatem uni capiti totius Ecclesiæ.

14 Docentes conjunctionem primatus universalis Ecclesiæ cum Episcopatu Romano esse de jure divino, & ex Christi institutione, ac speciali ejus ordinatione, censent Petrum ex speciali Christi mandato sedem suam juxta communem Patrum sententiam fixisse Romæ, quando illi obviavit in fuga, & apparuit, ac interroganti Petro, quò iret; respondit, *venio Romam iterum crucifigi*, quibus verbis plures SS. Patres asserunt, Christum mandâsse Petro, ut Romam reverteretur, ibique suam sedem figeret, ac sua morte perpetuò firmaret. Alii tamen censent cum Marcello Papa, Petrum habuisse hoc mandatum à Christo, quando suam sedem primò Antiochia Romam transtulit, ut refertur *c. rogamus 24. q. 1.* Hinc licèt urserint tot persecutiones, insurrexerint tot tyranni, adfuerint tot pericula, cum ab exteris fuit urbs Roma obsessa, & possessa, & occasionem habuissent Romani Pontifices aliò transferendi sedem Apostolicam, cùm tamen sedem aliò non transtulerint, quinimò Petrus aufugiens debuerit ex suasu Christi Romam reverti, id sanè argumento est, voluisse Christum primatum universalis Ecclesiæ conjunctum cum romano episcopatu: & quamvis Pontifices subinde habi-

verint

verint Avenione, & alibi ob persecutiones, nunquam tamen desiverunt esse Romani Pontifices: unde quamvis ob aliquam causam Pontifex Romæ non habitaverit, quia tamen semper retinuit Romanum Episcopatum, semper fuit Pastor totius Ecclesiæ. Hanc sententiam propugnant Cajetanus *tom. 1. opusc. tract. 3. de Pontif. instit. cap. 13.* Canus *lib. 9. de locis Theol. c. 4. 5. & 6.* Suarez *disp. 10 sect. 3.* Turrecremata in *c. rogamus 24. q. 1.* Bellarminus *lib. 2. de Rom. Pontif. c. 12.* quæ sententia perquam probabilis est. Ad primam rationem, quâ nititur sententia asserens, esse tantùm de jure Ecclesiastico, & petitam ex forma, quam Christus tradidit S. Petro hanc supremam authoritatem gubernandi universalem Ecclesiam: respondetur ex inde tantum sequi, conjunctionem primatus universalis Ecclesiæ cum Romano Episcopatu non esse de iure divino ex primaria Christi institutione, non verò de secundaria Christi voluntate. Ad aliud, quod addebatur, potuisse Petrum exercuisse authoritatem in universam Ecclesiam nulla sibi appropriata particulari sede. Respondetur, in illis casibus talem conjunctionem primatus totius Ecclesiæ cum Episcopatu Romano non fuisse de jure divino, quia tunc non accessisset secundaria intentio Christi, sed manfisset sola prima Christi voluntas, vi cujus authoritas regendi universalem Ecclesiam fuit collata Petro, ejusque successoribus absque ulla restrictione ad locum. Ad secundum respondent plures, nunquam cessaturam Sedem Apostolicam in Episcopatu Romano; quia cùm Christus instituerit unum, debuit etiam præstare aliud à quo dependet: hinc asserunt, nunquam in Clero Romano defecturam fidem, licèt defectura esset in cæteris aliis mundi partibus. Quinimò licèt urbs Roma occuparetur à barbaris, adhuc maneret Romanus Episcopatus, cui annexus esset primatus totius Ecclesiæ.

§. II.

De Majoritate Romani Pontificis, super cæteros omnes principes.

1 SOlet quæstio hæc moveri inter politicos, & Ecclesiasticos, an sit Papa major quocunque Principe sæculari, etiam Imperatore ipso, idque tam dignitate, quàm jurisdictione. Verùm si de sola dignitatis præeminentia sit sermo, declaratum fuit in *c. duo sunt dist. 96. & in c. solitæ h. t.* dignitatem pontificiam antecellere imperatoriæ, sicut sol præstat lunæ, scripsit enim Innocentius III. Imperatori Constantinopolitano in *d. c. solitæ*, quòd fecit Deus duo magna luminaria in firmamento Cœli, luminare majus, ut præesset diei, & luminare minus ut præesset nocti, utrumque magnum, sed alterum majus. In firmamento igitur Cœli, hoc est universalis Ecclesiæ fecit Deus duo magna luminaria, id est duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis authoritas, & regalis potestas; sed illa, quæ præest diebus, id est spiritualibus major est; quæ verò carnalibus minor; ut quanta est inter solem, & lunam, tanta inter Pontificem, & Reges differentia cognoscatur. Hinc Romanus Pontifex dicitur supremus omnium fidelium Pastor, Judex, & caput omnium credentium: hinc Papa etiam dicitur à græca voce Papos id est Pater Patrum, ut notat Glossa *in proæmio clement. V. Papa*, eò quia ut caput omnes dignitates in mundo præcedat: an dicatur Pater communis scilicet omnium fidelium, vel Pater Patrum, quem titulum Stephanus Archiepiscopus Carthaginensis tribuit Damaso Pontifici in epistola trium Conciliorum Africæ nomine scripta, Eusebius in *Chron. anno 44.* illum vocat Pontificem Christianorum, & mundi Magistrum, Prosper *lib. 1. de vocat. gent. c. 6.* Principem sacerdotum, S. Bernardus *lib. 2. de considerat.* Christi Vicarium, Concilium Chalcedonense *in epistola ad Leonem ejusd. Concil.* Caput Ecclesiæ, Hieronymus in epistola ad Damasum fundamentum Ecclesiæ totius catholicæ, Ambrosius *epist. 81.* ad Siricium Papam Pastorem ovilis dominici; Concilium Lateranense sub Innocentio III. *cap. 5.* Patrem, & Doctorem omnium Christianorum, Concilium Chalcedonense *art. 3.* Episcopum universalem totius Ecclesiæ Catholicæ. Dicitur enim Episcopus universalis, non quòd solus omnium urbium, & Ecclesiarum sit Episcopus, sed quia totius Ecclesiæ curam gerat generalem, ac præsit omnibus Christi fidelibus quantumvis in dignitatibus constitutis.

Cæterùm nonnunquam tribuuntur Romano 2 Pontifici aliquot tituli, qui intelligendi sunt in eo sensu, quo communiter accipiuntur à viris doctis; etenim quando Papa dicitur esse contra jus, supra jus, & extra jus, id debet intelligi de suprema potestate supernaturali Ordinis, & jurisdictionis in regimine militantis Ecclesiæ: sitque Pontifex extra jus, non quòd non subjiciatur juri divino, sed quia non subjicitur juri civili, & sæculari, & dicitur esse contra hoc idem jus, eò quia si Principes sæculares leges sancirent, quæ assecutionem æternæ salutis impedirent, posset Pontifex illas abrogare, illisque contradicere, cùm teneatur pascere, & protegere dominicum gregem; unde dicitur etiam supra jus positivum, & humanum, quia jus Ecclesiasticum dependet à summo Pontifice; & juri civili non subjicitur; estque supra illud, quatenus si sit impedimento saluti animæ, illud abrogat. Secundò dicitur, quod idem habeat cum Deo consistorium, quod intelligitur quatenus in militante Ecclesia vices gerit ipsius Christi, qui simul est Deus, & homo; & cujus est Vicarius, qui idem habet tribunal, & consistorium cum illo, cujus gerit vices, ut constat de Vicario generali Episcopi. Tertiò dicitur, quòd data sit illi omnis potestas in cœlo, & in terra, quod est intelligendum in ordine ad ligandum, & absolvendum, quatenus peccata, quæ absolvuntur in terris sunt etiam absoluta in cœlis, & quæ ligantur in terris, sunt itidem ligata in cœlis. Quartò dicitur etiam Deus *dist. 96. c. satis.* quatenus vices gerit ipsius Dei in regimine Ecclesiæ, & sicut quod Minister Principis exequitur, id dicitur à Principe fieri, eò quia Minister nomine Principis exequatur, & di-

& dicatur princeps ipse, id est ministerialiter; ita Pontifex, quia est caput visibile totius Ecclesiæ, & vices gerit ipsius Dei in ejus regimine: & omni studio curat, ut Dei præcepta serventur, ideò dicitur exequi, quæ pertinent ad regimen Ecclesiæ nomine Dei. Tum quia etiam Christus Joan. 10. dixit *ego dixi dii estis vos*, si igitur fideles divinitatis nomine honorantur; non debet vitio verti, quòd Constantinus Imperator Papam Deum vocaverit. Quintò quòd possit sacramenta mutare, quod est intelligendum tantùm de circumstantiis, & ritu, non verò de ipsa essentia, quæ fuit instituta à Christo. Sextò quòd possit ea in terris, quæ Deus in cœlis, quod etiam intelligitur in ordine ad absolvendum à peccatis, & ligandum per censuras, quatenus Deus suo in terris Vicario impertitur supernaturalem potestatem ordinis, & jurisdictionis in regimine Ecclesiæ militantis. Septimò, quòd non sit par, quod intelligitur in Ecclesia militante, quia ipse solus est Christi Vicarius, & cùm hæc sit prima dignitas in Ecclesia, ac sola, non est ei par.

3 Tum quia dignitas Pontificis est major in spiritualibus quacunque alia dignitate, quæ possideatur à quovis Principe in terris, cùm spiritualia præcellant temporalibus. Convenit enim Pontifici omnis potestas pertinens ad spiritualem salutem animarum, adeò ut ipse possit, ac debeat judicare de controversiis fidei, & morum: siquidem vel nullus est in Ecclesia judex, vel hic est summus Pontifex. Si nullus dicatur esse judex, tunc melior fuit Synagogæ conditio, in qua summum tribunal Pontifex habuit *Deuteron. cap. 17.* Sin verò adest in Ecclesia iudex, hic necessariò est Christi Vicarius, & D. Petri successor, ad quem propterea semper recurrere consueverunt Christi fideles, & sancti in dubiis, quæ circa fidem oriebantur: hinc S. Hieronymus ad Damasum *epist 57.* scripsit: à Pastore præsidium ovis flagito, discerne, si placet: non timebo tres hypostases dicere, si jubebis. Theodoretus ad Leonem I. scripsit: nos pusilli ad Apostolicam vestram sedem currimus, & pro Ecclesiarum ulceribus medicinam à vobis accipimus: & S. Gregorius ad Episcopos Galliæ; ait si quam contentionem de fidei causa evenire contigerit ad nostram studeat perducere notionem, quatenus à nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari.

4 An verò Pontificis majoritas eò protendatur, ut etiam ipsius jurisdictioni ipse Imperator non tantùm in spiritualibus, verùm & in temporalibus subjiciatur: sicut quoad primam partem nulla est difficultas, eò quia Imperator eo ipso quòd est Christianus, & baptismi charactere insignitus subjicitur in spiritualibus Christi Vicario: ita quoad secundam partem tota videtur insurgere difficultas, & tres sunt in hac materia doctorum opiniones. Prima asserit, Imperatorem in temporalibus non subjici jurisdictioni Pontificis Romani, idque nituntur probare ex pluribus juribus præsertim ex *c. suscipitis c. quoniam dist. 10. c. cùm ad verum dist. 96. c. convenire 23. q. 8.* siquidem ex hisce textibus assignatur Imperatoris propria potestas non subjecta ulli alteri; & Papæ etiam potestas non subjecta: ait enim Nicolaus in *d. c. cum ad verum*, nec Imperatores jura Pontificis arripuisse, nec Pontifices jura Imperâtorum usurpâsse.

Secunda sententia totaliter ex diametro opposita docet, summum Pontificem Romanum habere etiam temporalem superioritatem in omnes mundi Principes, etiam Imperatores saltem *habitu*; quamvis *actu* non semper illam exerceat, fundatur hæc opinio in jure canonico, siquidem *in extravag. unam sanctam. h. t.* dicitur: *omnem humanam creaturam summo Pontifici subesse: & Petro, utrùmque gladium spiritualem, & temporalem esse concessum, & oportere gladium sub gladio esse; & temporalem authoritatem spirituali subjici potestati.* Hinc Romanum imperium in Italia à Cajo Julio Cæsare fundatum, cum Romæ perseverâsset usque ad Flavium Constantinum Magnum Silvester Papa illud in Græciam transtulit, ubi à Constantino usque ad Carolum Magnum viguit: & authoritate Papæ à Græcis iterum translatum fuit ad Germanos in personam Caroli Magni Anno reparatæ salutis 776. Secundùm textum, & Glossam in *c. venerabilis 34. de elect.* 5

Hinc fit quòd summus Pontifex Imperatorem electum confirmet, confirmatum consecret, coronet: rursus ex justa, & urgente causa deponat sicut in *c. ad Apostolica de sent. & re judicat. in 6.* Innocentius III. deposuit, & anathemate percussit Fridericum II. Imperatorem. In hac igitur sententia Imperator etiam in temporalibus est minor Romano Pontifice; cujus jurisdictioni subjicitur, & jura procul dubio videntur huic sententiæ favere, cùm desumatur partim ex *c. novit de judic.* partim ex *c. cùm ad verum dist. 96.* partim ex *c. quoniam 10. dist.* partim *in l. bene à Zenone. C. de quatrien. descript.* ex quibus textibus habemus, Romæ successorem Petri, & Christi Vicarium in terris summam in Ecclesia potestatem habere, & omnes etiam Principes esse illi tanquam capiti, Pastori, & Patri subjectos, & non in spiritualibus tantùm; sed etiam quoad temporalia, cùm Christi Vicarius utramque potestatem, seu utrumque gladium à Christo Domino acceperit: siquidem in *c. omnes dist. 26. de Roman. Eccles.* dicitur, quòd solus Deus ipsam fundavit, & supra Petram fidei nascentis erexit: quia beato Petro æternæ vitæ clavigero, terreni simul & cœlestis imperii jura commisit: hine ait Glossa quòd Papa utrumque habeat gladium spiritualem, & temporalem. Rursus in *extrav. si fratrum de sede vacante.* habetur quòd vacante imperio jurisdicto ad Romanum devolvitur Pontificem, cui terreni simul. & cœlestis imperii jura Deus ipse commiserit. Et in *extravag. unam sanctam*, quæ est inter communes *de major. & obed.* definitur, unum esse Ecclesiæ caput, non duo, quasi monstrum esset Ecclesia; cùm Christus soli Petro dixerit *pasce oves meas, &* infra dicitur, unum esse tantum ovile, & unus pastor; & in Ecclesia, seu in Pastoris potestate duos esse gladios spiritualem,

tualem, & temporalem; temporalem pro Ecclesia, spiritualem ab Ecclesia exercendum: temporalem gladium manu Regum, & militum, sed ad nutum, & imperium sacerdotis regi, spiritualem verò sacerdotis ministerio. Et gladium temporalem subjici spirituali evincitur ex illo *Luca* 22. ubi Apostolis dicentibus: ecce gladii duo hic, in Ecclesia scilicet, non respondit Dominus nimis esse, *sed satis*. Et ex illo *Matth.* 26. ubi Christus jussit, Petrum convertere gladium suum in vaginam, scilicet gladium temporalem; quia oportet gladium esse sub gladio, & temporalem authoritatem potestati spirituali subjici, præsertim cùm Apostolus *ad Rom.* 13. dicat, non esse potestatem nisi à Deo, & quæ sunt à Deo, esse à Deo ordinata: non essent autem ordinata, si gladius non subesset gladio, & potestas temporalis nō regeretur à spirituali, ac deduceretur ad suprema: hinc S. Dionysius ait, legem divinitatis esse infima per media in suprema reduci: & quemadmodum spiritualia dignitate, nobilitate, & excellentia, cuilibet terrenæ potestati præcedunt; perinde ac anima nobilior hominis pars præest corpori; ideò ratio exigebat, ut temporalia spiritualibus subjicerentur, & non tantùm in spiritualibus, sed in temporalibus; siquidem testante Jeremia *c.* 1. spiritualis potestas terrenam potestatem instituit, & judicat: ait Propheta ecce *constitui te hodie super gentes: & Regna*. hinc Apostolus 1. ad Corinth. 2. ait *spiritualis homo judicat omnia, ipse autem à nemine judicatur*; & qui potestati à Deo sic ordinatæ resistit, Deo resistit. Præterea *in c. ad Apostolica de sent. & re judic. in* 6. ex illis verbis Christi ad Petrum, *quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solveris, erit solutum & in cælis*. ostenditur, quòd Romanus Pontifex possit ex justa, & debita causa Imperatorem privare dignitate imperatoria, & abrogare imperium, quod non esset, nisi Imperator etiam quoad jurisdictionem temporalem subjiceret summo Pontifici. Hinc in *clement.* 1. *de jurejuran.* habetur, quòd Imperator consueverit jurare, se Romano Pontifici, & Romanæ Ecclesiæ fidelem futurum, & jura Pontificis, & Ecclesiæ perpetuò defensurum. Rursus ex *c. venerab. de elect. & clement* 1. *de jurejuran.* liquet, eum qui in Regem Romanorum eligitur approbari, & confirmari à Romano Pontifice, & etiam ungi, consecrari, & coronari, nimirum tanquam inferiorem à superiore. An verò electus in Regē Romanorum ritè, & legitimè possit res imperii administrare, adeò ut ratæ sint, quas facit; tametsi nondum sit confirmatus, unctus, consecratus, & coronatus, diversæ sunt sententiæ utriusque juris peritorum.

7 Si Canones, & jura per se sola spectemus, qui electus est in Regem Romanorum; nisi confirmetur, & coronetur à Romano Pontifice, revera non est Imperator, sed tantùm electus Imperator, proinde res imperii non administrat, quia nullus operatur, antequam fit: & Imperator per confirmationem, & coronationem consequitur imperium, quod propterea ante non habebat. Tum quia cæteri, qui per electionem, & confirmationem authoritate superioris factam præficiuntur Ecclesiis, non consequuntur jurisdictionem ex sola electione, ut liquet in Episcopis, cæterisque in Ecclesia Prælatis *ex c. nosti de elect.* Cæterum ex consuetudine introductum est, ut Imperator ex sola electione imperium administret. Quòd si Imperator non solùm electus fuerit, sed etiam confirmatus à Pontifice, licèt nondum unctus, consecratus, & coronatus, authoritatem administrandi statim ipso jure consequitur; quia etiam Episcopi electi, & confirmati, quæ jurisdictionis sunt, administrant, priusquam consecrentur, licèt non exerceant, quæ ad potestatem ordinis pertinent: atqui Imperator per consecrationem, nullum ordinem Ecclesiasticum suscipit. Tum, quia eo ipso quòd Imperator electus authoritate Romani Pontificis est confirmatus, revera est Imperator, quia jurisdictionem Imperatoriam dat Pontificia confirmatio. Ex quibus liquet, Imperatorem etiam quoad dignitatem temporalem subjici Romano Pontifici; cui propterea dixit Deus per Jeremiam *c.* 1. *ecce constitui te super gentes, & Regna*.

Suis etiam nititur hæc sententia rationibus, 8 quia quævis virtus, & potestas, quæ versatur circa finem aliquem, utitur tanquam administris omnibus illis artibus, & disciplinis, quæ utiles sunt, & conducunt ad assecutionem finis; adeò ut ars circa talem specialem finem præstit, ac præcipiat omnibus aliis artibus, & disciplinis, quæ conducunt ad talem finem: atqui summus Pontifex, ut Christi Vicarius promovet fideles ad assecutionem æternæ salutis, ut ad finem ultimum, proinde debet præesse universis Principibus, Regibus, & Imperatoribus, qui cætera tractant, quæ ad civilem, & temporalem hominum salutem referuntur. Tum quia ut argumentatur Glossa in *c. causam de foro compet. in V. ad Regem* cùm Ecclesia sit unum corpus duo simul in illa esse capita nequeunt; & cùm ex Evangelio constet, Beati Petri successorem esse Christi Vicarium, & caput Ecclesiæ juxta illud Joan. *pasce oves meas*, & illud Matth. *& super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*. sequitur, quòd Imperator etiam quoad potestatem temporalem subjiciatur summo Pontifici; alioquin si supremam in temporalibus potestatem haberet, duo essent in Ecclesia capita; unum in spiritualibus; seu summus Pontifex; alterum in temporalibus scilicet Imperator: & essent etiam duo Dei Vicarii in terris, unus in spiritualibus, alter in temporalibus, quod adversatur *c. fundamenta de elect. in* 6. Demum, quia si Imperator in temporalibus erret à lege, & jure, ac à recta ratione deflectat ad Romanum Pontificem pertinet illum corrigere; quia temporalia, & terrena judicantur, & diriguntur per regulam cœlestium & spiritualium, non è contra; adeò ut Pontifex, Imperatorem judicet, non verò Imperator Pontificem.

Tertia sententia duas præcedentes videtur 9 conciliare, siquidem concedit summo Pontifici gladium, & jurisdictionem etiam temporalem super omnes mundi Principes etiam Imperatorem, non tamen absolutè, & directè: sed in suffragium spiritualis potestatis, & indirectè, qua-

tenus hæc jurisdictio in Pontifice supra omnes Principes, Reges, & Imperatores, quoad temporalia bona est necessaria, ut Pontifex Dominicum gregem possit pascere, defendere, & ducere ad ovile cœlestis beatitudinis: est enim hoc munus proprium Pastoris, qui ex officio non solùm pascit oves, sed etiam arcet lupos nitentes destruere gregem: & cùm summus Pontifex sit de jure divino Pastor dominici gregis, ideò ad ipsum pertinet non solùm pasci oves Christi; sed etiam Principes, Reges, & Imperatores, si noxii sint Christi ovibus, eas avertentes à consecutione æternæ salutis, ac docentes hæreses, aut inducentes pravos mores, potest illos arcere; & si opus fuerit, etiam principatu, regno, & imperio eos privare; si per talia media impediat, ne sint ampliùs nocumento dominico gregi: alioquin Christus perperam constituisset D. Petrum, & ejus successorem in Ecclesia legitimè electum pastorem sui gregis, *pasce oves meas*, si potestas illi non esset impediendi Reges, & Imperatores, ne damnum inferant Christi ovibus; unde quando non posset hoc damnum impediri nisi Reges, & Imperatores privarentur Regno, & imperio, si nō posset illos privare, nec posset arcere lupos, ne destruerent gregem, neque posset exercere munus veri Pastoris: ergo ex eo, quòd summus Pontifex sit de jure divino Pastor dominici gregis, habet necessariò jurisdictionem non solùm quoad spiritualia, sed etiam quoad temporalia supra Reges, & Imperatores saltem indirectè, & quando jurisdictio temporalis exercetur in suffragium spiritualis, eò quia illa jurisdictio necessaria sit ad rectum Ecclesiæ regimen, & animarum gubernationem.

10 Hinc quia plurimum interest Ecclesiæ, si habeat probos Imperatores, non tyrannos, nec hæreticos, ne scilicet ad exemplum Regis corrumpantur subditi; ideò convenit Papæ potestas approbandi Imperatorem, eúmque confirmandi, & etiam ex justa, & urgente causa eum deponendi; alioquin, si hic finis de servanda Ecclesiastica indemnitate non adesset, nec posset Pontifex urgente necessitate, & pro salute fidelium Imperatores deponere, nec posset suo fungi munere: ut enim docet D. Thomas, cui committitur principale, committitur etiam accessorium, & cùm res omnes humanæ ordinentur in finem beatitudinis, quæ est salus æterna, ideò Romanus Pontifex debet omnia adhibere media, ut oves Christi hanc salutem consequantur, unde si necessitas exigat, potest etiam Reges, & Imperatores deponere, si hæc depositio sit medium necessarium, ut Christi oves æternam salutem consequantur.

11 Neque obstat, quòd objiciunt Principum assentatores, Christum Dominum non herodem Regno, non Pilatum Prætorio expulisse, tametsi impios, & injustos, imò utrique & præsertim Cæsari se subjecisse, ac jussisse pro se, suóq; Vicario tributum persolvi, & expresè dixisse, Regnum suum non esse de hoc mundo; propterea non posse summum Pontificem hanc potestatem supra Reges, & Imperatores sibi usurpare. Nam contra est, quia si exemplo Christi Domini res agatur, certum est, hanc prærogativam, præeminentiam, & majoritatem supra omnes terræ Principes, Reges, & Imperatores fuisse ei collatā, adeò ut dignitas Christi fuerit simul sacerdotalis, & regia, ut probat D. Thomas *l. 1. de regim. Princ. c. 12. & sequent. & p. 3. q. 59. art. 4.* Hinc *Matth. ultimo* dixit Christus *data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra* si omnis potestas data fuit Christo: ergo etiam potestas supra omnes Principes, Reges, & Imperatores, alioquin si defuisset Christo hæc potestas, non data fuisset illi omnis potestas: si igitur data est Christo omnis potestas, utique fuit *Rex Regum, & Dominus Dominantium*, ut habetur in *Apocal. 6.* & etiam fuit *Princeps Regum terræ*, ut legitur *in Apocal. 1.* etenim ratione unionis hypostaticæ debebatur Christo hæc potestas super omnes Principes, Reges, & Imperatores terræ; siquidem cum forma Deitatis fuerunt communicatæ naturæ humanæ assumptæ à Verbo omnes illæ divinæ proprietates, quarum natura humana erat capax; & hanc fuisse capacem potestatis, & jurisdictionis, quæ esset supra omnes Principes, Reges, & Imperatores, non solùm quoad spiritualia, verùm etiam quoad temporalia, nullus superest ambigendi locus. Hinc Christus hac eadem potestate aliquando usus fuit solvendo leges civiles, & de rebus temporalibus aliorum disponendo: siquidem ream adulterii, & compertam in flagranti, non solùm absolvit, verùm etiam exemit pœna legibus præscripta. Ficulneam nulla Domini licentia arefecit. Porcorum greges invitis, ac plorantibus dominis immisso dœmonio aquis præfocavit: cùm hæc, & alia ex se absolutè egerit, usus fuit ea potestate, quæ ratione unionis hypostaticæ ei conveniebat supra res omnes humanas, quarum erat dispoticus Dominus; proinde hanc eandem potestatem potuisset, etiam exercuisse supra Principes, Reges, & Imperatores, eos deponendo è suis sedibus, suisque privando dignitatibus.

Neque ullum facessit negotium, quòd Christus dixerit, Regnum suum non esse ex hoc mundo: non enim negavit Regnum suum esse in hoc mundò, cùm revera fuerit in hoc mundo, sed dixit, non esse ex hoc mundo, & rectè, quia nullo jure, aut titulo humano obtinuit ex mundo, sed ex hypostasi divina suæ unita humanitati: unde Regnum Christi non fuit ex mundo, quia illud non quæsivit, ut solent cæteri homines per electionem, vel per hæreditariam successionem, vel armorum vim, vel per donationem: sed quia immediatè à Deo ex vi unionis hypostaticæ illud habuit. Quamobrem ire inficias minimè possumus, Christum fuisse Regem Regum, ac dominum dominantium, ut loquitur Joan. Apocal. 7. ac propterea habuisse etiam potestatem in Reges, ac Imperatores omnes. Neque obstat, quòd non legamus, Christum defacto nullum deposuisse Regem, & Imperatorem: nam ex inde tantùm sequitur, Christum quoad hanc partem noluisse uti sua jurisdictione, & potestate, non verò quòd illam non habuerit, non enim ex negatione actùs rectè infertur negatio potentiæ, quia si Christus, ut certum est de fide, habuit hanc potestatem supra omnes Reges, & Imperatores, utique potuit etiam illa uti. Cæterum noluit 12

ea uti,

ea uti, quia venerat pro nostra redemptione, passurus, & moriturus, & ut nos doceret non vindictæ, & potentiæ, sed humilitatis, & patientiæ exempla: etenim si Herodem, & Pilatum Ierosolymis Regno, & Præfecturæ expulisset, si Romæ Cæsarem imperio privasset, omnes gentes, se ultro ei subjecissent, eúmque obsequiis fuissent prosecutæ; proinde nec pati, nec mori, ut erat in animo, potuisset, nec genus humanum eo modo, quo erat illi cordi redimere: quamobrem habuit quidem Christus Dominus potestatem supra omnes terræ Principes, Reges, & Imperatores, sed illa uti noluit, ut nobis humilitatis, & patientiæ daret documenta. Hinc etiam summi Pontifices exemplo Christi nonnunquam hac non utuntur potestate, quando aliunde possunt impedire, ne oves Christi detrimentum patiantur. Cæterum quando non suppetunt alia media, utuntur Pontifices hac potestate, qua Innocentius III. in Concilio Lugdunensi Fridericum II. Imperatorem anathemate percussit, & imperio spoliavit. Ad id, quod addebatur, jussisse Christum pro se, & Petro tributum solvi respondetur, ex inde non sequi, Christum voluisse Petrum subjectum Cæsari, siquidem Christus non ex ullo debito, sed spontanea voluntate tributum solvit, unde dixit Petro Matth. 17. *Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum? à filiis suis, an ab alienis, & ille dixit ab alienis: dixit illi JEsus: ergo liberi sunt filii: ut autem non scandalizemus eos, da eis pro me, & te.* Unde Christus, & Petrus non tenebantur tributum solvere (sicut nec filii, & familia Regum) sed erant liberi.

13 Præterea dato etiam, & non concesso, quòd Romani Pontifices subjicerentur Cæsari quoad res temporales, non inde sequeretur, non posse in quibusdam circumstantiis, & quando agitur de servanda indemnitate Ecclesiastica Reges, & Imperatores deponere: quia jus naturale defendendæ religionis, ac impediendæ animarum damnationis, multò est fortius jure subjectionis erga Principes sæculares; quapropter quoties periculum imminet religionis, Romani Pontifices censentur liberi ab omni subjectione, & cum plena facultate impediendi, ne religio detrimentum patiatur, etiam cum depositione Regum, & Imperatorum. Præterea hæc potestas indirecta Pontificis Romani in Principes, Reges, & Imperatores temporales, est verè spiritualis, & Ecclesiastica, utpote data ad regimen Ecclesiæ, ac servandam religionis indemnitatem, ac est Pontificio characteri annexa, quapropter non potest Pontifex quoad illius exercitium subjici ulli Regi, aut Imperatori.

14 Objiciunt secundò illud Matth. 20. *Scitis, quia Principes gentium dominantur eorum, & qui majores sunt, potestatem exercent inter eos, vos autem non sic*; quibus Christus prohibuit suis discipulis omnē dominationem, & majoritatem, ut inde superbiæ, & dominationis radices evellerentur. Sed contra facilè enim occurritur objectioni, siquidem tunc contendebant Apostoli, quis in eorum collegio primatum obtineret? quod occasionem dabat desiderandi primas sedes, & supplicatio filiorum Zæbedei ansam aperiebat importunæ emulationi matre interpellante pro filiis, ut iisdem primæ concederentur sedes: hinc Christus, ut primas radices germinantis ambitionis evelleret, monuit illos officii, & professionis Apostolicæ, eisque significavit Regnum suum, nec apparatu niti, nec pompâ splendescere: neque Apostolos ac eorum successores fuisse vocatos, ut Rempublicam regerent, ac imperarent, sed ut animas pascerent, corruptos mores restaurarent, errores corrigerent, scelera impedirent, studia virtutum promoverent, exemplo fortiùs, quàm verbo. Quæ omnia licèt sint veritati consona; nihilominus, si Reges, & Imperatores in hæreses, quod Deus avertat, laberentur, & Religioni, ac Christi ovibus extremam, ac inevitabilem toto nisu molirentur perniciem, certè Christus in hoc casu non prohibet, similes lupos à supremo Pastore, à Romano Pontifice arceri, & coërceri, ne dominicum gregem perdant, destruántque: certè Christus tunc non prohibet furentibus Principibus gladium eripi, ne suas oves perimant; seu eos spoliari regia, ac imperatoria dignitate, si opus fuerit, si talis dignitas gladius fuerit, quo in Christi oves sæviant; cùm Christus instituerit Petrum, & ejus successorem in militante Ecclesia supremum dominici gregis Pastorem, & officium pastoris sit arcere, & coërcere lupos nitentes oves perdere. Tum quia non solum ex officio supremi Pastoris, verùm & ex jure naturalis defensionis oritur, coërcere injustum aggressorem, unde si Princeps sæcularis in Religionem sæviat, hæc ex jure naturæ potest, & debet se defendere omnibus iis mediis, quæ visa fuerint ad id aptiora.

Objiciunt tertiò Apostolum ad Rom. 13. ju- 15
bentem, *ut omnis anima* (proinde etiam Romanus Pontifex) *sublimioribus potestatibus subjecta sit.* & illud Matth. ubi Christus præcipit: *Ut reddantur, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo, & ut obediamus Regibus etiam Dyscolis, non solùm propter iram, sed etiam propter scientiam.* Addunt etiam Orientis Ecclesiæ laudabile exemplum, quo quando sæviente persecutione, & Christiani adigerentur exquisitis tormentorum generibus ad cultum Idolorum; nemo in dignitate Ecclesiastica constitutus ausus est contra furentes Principes quidquam objicere, nemo eos privavit imperio, nemo anathemate eos percussit. Si dicas, id processisse ex Christianorum exiguo numero, qui contra furentes Imperatores minimè ausi sunt verbum proferre. Respondent, tunc Christianos licèt numero paucos, non tamen timuisse tormentorum acerbitates, cùm pœnas veluti delicias amplexi fuerint, & ad mortem tanquam ad thalamum singulari perrexerint alacritate; unde potuissent facilè tyrannos increpare, eósque suis privare dignitatibus.

Sed contra quia ex præcitatis textibus non
probatur, summum Pontificem non habere po- 16
testatem saltem indirectam privandi Reges, & Imperatores Regno, & Imperio. Sunt enim textus generales, qui non se extendunt ad casum extraordinarium, & quando urget necessitas

sitas

tifex accederet, nec posset Concilium contra illum prævalere. Siquidem Pontifex nomine omnium sententiam dicebat, quam nullus unquam ausus fuit improbare; idque etiam desumitur ex veteri testamento *Deuter. 17.* ubi quamvis expressa mentio fiat Concilii Sanedrin, ad quod consueverant causæ majoris difficultatis deferri, nihilominus non Concilii, sed sumi sacerdotis erat ultimum judicium ferre, cui omnes acquiescerent. Neque à sumo sacerdote dabatur appellatio ad alium judicem; habetur enim *Deut. 17. Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto judicis, morietur homo ille*: non dicitur, qui superbierit nolens obedire Concilii, aut sacerdotum, sed in singulari, sacerdotis imperio, ut intelligerent omnes, supremam potestatem non in Concilio, sed in summo sacerdote residere.

4 Certum est, extitisse in loco Sanctuarii septuaginta judices, eósque fuisse de consistorio quod vocabatur domus judicii; & hos adstitisse sumo sacerdoti judicanti, non solùm ut Consiliarios, verùm etiam ut habentes potestatem judicandi, perinde ac adsunt Episcopi in Conciliis, qui non tantùm consulunt, verùm etiam suffragium habent decisivum: unde sumus Pontifex nomine, & consensu omnium, tanquam Concilii præses sententiam ferebat, cui omnes acquiescerent. Rursus si quid in lege expressum non esset, aut dubium; ad solum sumum sacerdotem pertinebat Deum, & oraculum consulere; quod fiebat, vel per Prophetam, sine quo sumus sacerdos referente Josepho apud Abulensem *q. 4.* nunquam pronuntiabat: vel per oraculum ex Sanctuario (ad quod soli Pontifici aditus patebat Levit. 16.) Deo responsum ad quæsita reddente: vel per rationale *Urim*, & *Tumim*; erat siquidem vestis sumi sacerdotis gemis splendida, & ornata, qua pectus velabat, & habebat grandioribus litteris hæc duo inscripta verba, *doctrina, & veritas*, quia verò ex hac veste fundebantur oracula, græcè *logion* dicitur, quasi vestis sermocinans. Siquidem sumus Pontifex per pectoralem vestem consueverat in dubiis Deum consulere, & ab eo responsa accipere, ex quorum præscripto populo sententiam dicebat, ut liquet ex illo *Exod. 28. n. 30. Et gestabit judicium filiorum Israel in pectore suo in conspectu Domini semper.* Cæterum judex, cujus meminit textus *Deut. 17.* fuit ipse summus sacerdos, à quo non dabatur appellatio ad alium judicem, ut notat Abulensis in præfatum textum *q. 5.* inquiens *summo sacerdote occupato, aut aliàs absente, Vicarius suus loco ejus proferebat sententiam ex consensu aliorum judicum, id est seniorum de domo Concilii, sive judicii, & tunc si aliquis non obediret decreto ejus, mori debebat, cùm non esset alius judex superior.* Ex quibus liquet, quænam fuerit in lege Mosaica sumi Pontificis majoritas, authoritas, & prærogativa supra Concilium, cùm solus Pontifex sanctuarium ingrederetur accepturus in dubiis responsum à Deo, & solus oraculum consuleret, ut à Deo edoceretur; solus judicium, & veritatem ad pectus gestaret, solus sententiam in Concilio pronuntiaret, cui soli omnes acquiescerent; ac demum soli sumo sacerdoti, & non Concilio, nec aliis sacerdotibus simul congregatis diceretur: *qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio morte morietur.*

Quia verò hujusmodi prærogativæ in lege veteri summo Pontifici concessæ minimè pertinebant ad leges cœremoniales, sed ad morales, ob unitatem Ecclesiæ, pacem, & tranquillitatem fidelium, dissidia avertenda, schismata vitanda, ac demum lites finiendas: multò magis concedendæ sunt in lege Evangelica summo Romano Pontifici, nisi velimus asserere, quod absurdum est, Deum melius antiquæ, quàm novæ legi consuluisse, plusque synagogam, quàm Ecclesiam dilexisse; plus ancillam, quàm sponsam amâsse, & dominæ famulum prætulisse. 5

Romanum Pontificem etiam sine Concilio, & supra Concilium authoritatem habere infallibilem ex eo itidem evincitur, quia in rebus fidei definiendis eandem prorsus authoritatem habet, quam Sanctus Petrus institutus à Christo primus Pontifex, & pastor universalis Ecclesiæ habuit: siquidem Sanctus Petrus non ut privata persona, sed, ut publicus, ac supremus pastor totius dominici gregis accepit à Christo hanc infallibilem authoritatem, ut continuandam in suis successoribus ut liquet ex illo Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, & iterum: *Tibi dabo claves Regni cœlorum.* Lucæ 22. *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Demum Christus Joan. 21. indefinitè dicit Petro: *Pasce oves meas*, quæ verba non solùm ad Petrum, sed etiam ad ejus successores legitimè electos necessariò se extendunt; cùm Christus non dixerit *super te* (denotando personam) sed *super hanc Petram* (significando officium, & dignitatem supremi pastoris) *ædificabo Ecclesiam meam.* Tum quia Petro demandatur indefinitè generalis cura totius dominici gregis *pasce oves meas*: sed non immediatè, & pro semper, utpote aliquando morituro, sed immediatè, vel mediatè per suos successores pro tempore existentes, quia cùm Ecclesia perpetua sit, perpetuum itidem debet esse ejus fundamentum, quo sublato necesse est, corruat ædificium: atqui D. Petrus nunc non est fundamentum Ecclesiæ illius, quæ defactò existit, cùm non ampliùs ille visibiliter in hoc mundo existat: unde necesse est, hoc fundamentum nunc esse aliquem Petri successorem, in quo perseveret eadem prorsus authoritas, quam Christus contulit Petro, ut supremo pastori. 6

Præterea certum est, nos oves esse, & agnos, de quibus loquebatur Christus, cùm dixit Petro indefinitè *pasce oves meas*: atqui nunc Petrus secundùm sensibilem, ac corporalem præsentiam nos non pascit, sed tantùm ejus in sede Apostolica successor, quapropter stat, Romanum Pontificem legitimè electum, eandem habere jurisdictionem, & authoritatem, quam Christus soli Petro concessit, ut supremo pastori totius dominici gregis: atqui S. Petrus hanc 7

hanc infallibilem authoritatem in rebus fidei definiendis non habuit à Christo dependenter à Concilio generali, ut evidenter liquet, ex omnibus promissionibus à Christo factis Petro, ut futuro Ecclesiæ Pastori: siquidem omnes promissiones factæ sunt soli singulari personæ Petri, ut supremo Pastori totius dominici gregis, nulla facta mentione de Ecclesia, seu Concilio generali: etenim Matth. 16. dicitur singulari personæ Petri, *Tibi dabo claves Regni cœlorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solveris super terram erit solutum & in cœlis.* Rursus Lucæ 22. *Ego rogavi pro te* (loquitur de sola singulari persona Petri) *ut non deficiat fides tua; & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Joan. 21. etiam singulari personæ Petri dicit Christus: *pasce oves meas*, ex quibus omnibus satis perspicuè liquet, potestatatem confirmandi fratres in fide, ligandi, solvendi, & pascendi oves, Christum non limitâsse in Petro per dependentiam ab Ecclesia, & Concilio generali, de quo nulla fit mentio in præfatis promissionibus: sed illam contulisse Petro absolutam ab omni dependentia, ab Ecclesia, & Concilio generali: ergo cùm legitimi successores Petri hanc eandem habeant authoritatem in definiendis rebus fidei quam Christus contulit Petro, ut duraturam in successoribus; sequitur, Romanum Pontificem independenter à Concilio generali infallibilem habere authoritatem, adeò ut in definiendis rebus fidei, non sit errori obnoxius: siquidem hoc privilegium fuit concessum Petro in favorem omnium successorum, & privilegium semper præsumitur in favorem privilegiati: ex 16. regula juris: *decet concessum à Principe beneficium esse mansurum.*

7 Neque ullum facessit negotium, quod respondent aliqui, requiri Concilium generale in definiendis rebus fidei tanquam conditionem, sine qua Spiritus Sanctus non assisteret Pontifici definienti; eò quia Pontifex debeat in suis definitionibus procedere humano modo, seu præmisso Prælatorum Concilio. Siquidem hoc non nisi temerè asseritur, quia quando Christus promisit Petro hanc Spiritus Sancti assistentiam, eam non promisit sub illa conditione, ut præmitteret Concilium generale, sed absolutè ac omninò independenter à Concilio: hinc Lucæ 22. dixit Christus Petro: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, non enim fit ulla mentio de conditione illa, aut dependentia à prævio Concilio. Et licèt Pontifex in suis definitionibus, debeat humano modo procedere, non tamen ad id est necessarium Concilium generale, sed sufficit prævia Doctorum consultatio, cœtûsque Doctorum, qui sint rerum periti.

8 Hæc eadem veritas ex eo itidem evincitur, quia si certitudo definitionum rerum fidei, quas Pontifices ediderunt, à consensu Ecclesiæ dependeret, non Ecclesia in Petro, & ejus successoribus fundaretur, sed potius Petrus in Ecclesia; nec Petrus esset fundamentum Ecclesiæ, sed Ecclesia esset fundamentum Petri, quod adversatur scripturis Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, cùm potius ex responsione adversariorum debuisset Christus dixisse, & super hanc Ecclesiam fundabo Petrum. Rursus cum Lucæ 22. dixit, *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* In sensu adversariorum oportuisset potius dixisse, & tu Ecclesia confirma Petrum, quæ omnia sunt inaudita, & vero, ac clarissimo sensui adversantur scripturarum.

Tum quia praxis ab initio Ecclesiæ fuit, ut 9
Concilia authoritatem infallibilem non haberent, nisi priùs à summo Pontifice confirmarentur, liquet enim ex actis omnium Conciliorum, viguisse consuetudinem illam in Ecclesia, ut statim mitterentur ad Pontificem eorum decreta, ut ab eodem confirmarentur: hinc primum Nicœnum confirmatum fuit à Sylvestro, Primum Constantinopolitanum à Damaso, Ephesinum à Cœlestino, Chalcedonense à Leone, & sic de aliis Conciliis, quorum nullum habuit in Ecclesia authoritatem, nisi post confirmationem, & approbationem Pontificis. Tum quia constat plura Concilia, & legitimè congregata per authoritatem Pontificiam, & præsentibus etiam subinde legatis Pontificis celebrata, errâsse contra fidem; ut liquet in Concilio Ariminensi, ubi sexcenti Episcopi subscripserunt in favorem Arii: ex secunda synodo Ephesina legitimè congregata, etiam præsentibus legatis Apostolicis, adeò ut nihil planè defuerit ad omnimodam Concilii rationem, nisi sola approbatio Pontificis, & nihilominus in illa synodo approbatus fuit error Eutichetis de una in Christo natura: errarunt etiam Concilia Constantinopolitana sub Leone I. & Nicolao I. tametsi hæc Concilia omnes habuerint conditiones requisitas, quia tamen iisdem defuit authoritas Pontificis nullius fuerunt momenti: unde satis perspicuum est; Concilium non esse infallibile, & posse errare, consequenter nisi authoritas Pontificis esset omninò infallibilis absolutè, ac independenter à Concilio generali, in declarandis, ac definiendis rebus fidei, non possent decreta Pontificum suam desumere certitudinem, ac infallibilitatem à Conciliis generalibus: quia quod fallibile est, & errori obnoxium, nequit esse regula certitudinis omninò infallibilis; perinde ac curvum, non potest esse regula recti: hinc apertè constat, Pontificem etiam extra Concilium generale in definiendis rebus fidei habere authoritatem omninò infallibilem.

Hinc Pontifici definienti res fidei extra Con- 10
cilium generale tenetur tota Ecclesia parere: siquidem tenetur Ecclesia obedire suo Pastori, & capiti, alioquin corrueret totum Ecclesiasticum regimen situm in debita subordinatione omnium fidelium in unum supremum caput: atqui si authoritas summi Pontificis extra Concilium generale non esset omninò infallibilis, & posset errare in proponendis rebus fidei; posset etiam tota Ecclesia in errorem contra fidem induci: siquidem tenetur Ecclesia sequi definitionem Pontificis, quando illam proponit ex cathe-

cathedra universali Ecclesiæ : & perinde repugnat totam Ecclesiam posse errare in fide, ac implicat posse Deum testificari falsum, quia promisit Deus Ecclesiæ; portas inferi non prævalituras adversus eam: hinc D. Paulus 1. *ad Timoth. 3.* ait: *Ecclesia est columna, & firmamentum veritatis*: si igitur ex Christi promissione non potest Ecclesia in errorem induci, licèt teneatur parere, ac credere summo pontifici definienti ex cathedra; sequitur summum Pontificem ut definientem, ac docentem ex cathedra esse infallibilem, & nulli obnoxium errori.

11 Perspicuum igitur est, summum Pontificem, neque in fide, neque in moribus ex cathedra docentem errori obnoxium esse, ac statim à sua canonica electione infallibilitatis privilegio à Christo donari, & ejus decreta etiam extra Concilium esse infallibilia; & hunc semper fuisse sensum Ecclesiæ, omniúmque fidelium, liquet ex usu, & praxi Pontificum, qui pleraque fidei dogmata sine Concilio declaraverunt, pluresque errores damnârunt, quorum condemnatio à tota Ecclesia statim acceptata fuit, independenter à quovis Concilio: eò quia authoritatem infallibilem esse in Christi Vicario docente ex cathedra, semper fideles crediderunt; ut patet ex primis trecentis Ecclesiæ annis, quibus nulla unquam Concilia generalia propter ingruentes persecutiones coacta leguntur, tametsi plures in fide quæstiones toto illo tempore feliciter sopitæ, ac decisæ fuerint per Pontificum tunc existentium definitiones, quibus omnes fideles statim acquieverunt, ut infallibilibus.

12 Neque verum est, quod ajunt aliqui, illos errores pro hæresibus habitos minimè fuisse, donec Pontificum definitionibus Conciliorum generalium accederet calculus. Nam quàm id falsum sit ex eo statim liquet, quia hujusmodi Concilia non leguntur coacta ad comprobandam definitionem Pontificis; neque constat ad errores à sede Apostolica condemnatos, ut hæreses, semper accessisse Concilii generalis condemnationem: siquidem nullibi legimus, Concilium generale Pelagianos damnâsse, ut ipsi pro hæreticis in Ecclesia haberentur: & nihilominus cùm primùm à Zosimo Papa fuerunt errores Pelagianorum damnati, statim toto orbe pro hæreticis habiti fuerunt Pelagiani. Certum est etiam, Novatianos à nullo Concilio fuisse damnatos, cum jam tempore Cypriani inter hæreticos censerentur, & Nicenum Concilium omnium œcumenicorum primum centum viginti quinque annis referente Baronio *tom. 2. & 3.* præcesserint. Cherintus item Apostolorum tempore, & paulò post Apollinarii, Valentiniani, Marcionistæ hæreseos labe infecti habiti sunt, & contra eorum hæreses Ireneus, & Tertullianus calamum acuerunt, & Pontifices damnârunt, nullo tunc accedente Concilio generali definitionem Pontificis corroborante.

13 Hinc ob hanc infallibilitatem decretorum Romani pontificis extra Concilium usus, & praxis semper invaluit, ut pontifices plura fidei dogmata independenter à quovis Concilio semper definiverint. Stephanus Papa in celebri illa controversia tempore Cypriani Anno 256. num hæretici ad fidem catholicam reversi deberent rebaptizari definivit Pontifex propria authoritate, nec ullo postea accedente Concilio, baptismum hæreticorum collatum cum debita forma esse validum. Damasus I. hæresin Apollinaris, & simul Timotheum, & Vitalem Apollinaris discipulos negantes divinitatem Spiritus sancti, sine ullo Concilio, sed propria authoritate damnavit, ut refert Theodoretus *lib. 5. cap. 6.* inquiens: *Damasus simul ut exortam hanc hæresin acceperit, non Apollianarem solùm, verùm etiam Timotheum ejus discipulum abdicavit:* & omnes fatentur, Damasum extra Concilium œcumenicum hæresin damnâsse Apollinaris. Anastasius Papa propria authoritate sine Concilio Ruffinum Origenistarum Coryphæum damnavit, Innocentius I. itidem cum Zosimo hæresin damnavit Pelagianam extra omne Concilium œcumenicum, qui propterea teste Augustino *insigne Pontificis infallibilitatis documentum post se reliquit.* Theodorus Papa hæresin Monothelitarum, ejúsque præcipuos Authores ante omne œcumenicum Concilium anathematizavit, ut scribit Anastasius in vita Theodori inquiens: *Sanctissimus Papa Theodorus scripsit Paulo Patriarchæ; sed cùm non posset à suo conamine revocare, justè ab Apostolica sede depositionis sententia percussus est.* Innocentius II. hæresin Abaliardi sine œcumenico Concilio anathemate percussit; qualis fuerit hæc hæresis significavit D. Bernardus epist. 292. inquiens: *cùm de Trinitate loquitur Arium sapit: cum de gratia, sapit Pelagium; cum de persona Christi, sapit Nestorium.* Sixtus IV. Petri Osmanni Professoris Salmanticensis errores damnavit propria authoritate independenter à quovis Concilio. Gregorius XIII. Michaelis Baii Lovaniensis universitatis Cancellarii septuaginta novem propositiones, ut hæreticas declaravit, quas postea ipse Baius sequente anno recantavit, Palinodiam dicens. Innocentius X. quinque Jansenii propositiones etiam absque ullo Concilio propria Apostolica authoritate hæreticas declaravit. Innocentius XI. anathemate inussit perniciosissimas, & fœdissimas propositiones Ludovici Molinos. Innocentius XII. alias propositiones in quodam libello Parisiis impresso, cui titulus erat *Maximæ SS. Patrum pro interiori animæ profectu* independenter à Concilio, & propria duntaxat Apostolica authoritate prohibuit, ac damnavit.

Etenim expediebat Ecclesiæ propter cujus re- 14
gimen hæc potestas data est Christi Vicario, ut eidem non daretur alligata, & quasi dependens à Concilio generali; cùm difficillimum sit Concilium generale congregare; nec ordinariè fiat sine ingenti labore, multóque dispendio, ac incommodo Ecclesiæ: & nonnunquam sit etiam moraliter impossibile, œcumenicum cogere Concilium propter persecutiones, bella, & alia, quæ occurrunt impedimenta. Aliunde verò potest persæpe urgere necessitas damnandi statim novam insurgentem hæresin, vel declarandi veritatem aliquam necessariam, quæ in dubium revocatur: unde oportuit, ut summus Pontifex hanc haberet infallibilem potestatem independentem

à Concilio generali. Tum quia id utilius erat ad majorem Ecclesiæ unitatem; siquidem nisi caput Ecclesiæ haberet in omnibus superiorem potestatem, facilè possent oriri schismata; hinc Christus soli Petro dixit, quòd pasceret suas oves: *Pasce oves meas*: per illam enim vocem *pasce* summam potestatem, omnémque pascendi curam fuisse Petro datam docent omnes SS. Patres, & ita sentiunt fideles: actus autem pastoralis, & officium pastoris, non est tantùm præbere cibum ovibus; sed etiam eas ducere, reducere, compellere, abigere, mederi, seccare, tueri, arcere lupos, & coërcere, quidquid ipsis potest noxium esse. Hinc verbum *pascere* significat etiam jurisdictionem in regendis, & gubernandis ovibus, quapropter dixerat Isaias 44. *Qui dico Cyro pastor meus es tu*: Rex Cyrus pastor dicitur, quia nomen pastoris perinde ac Regis jurisdictionem dicit, quapropter ait David Psalmo 2. *Reges eos in virga ferrea*: Ubi textus græcus, & hebraicus habet, *pasces oves*, Mystici pastoris functiones eleganter describuntur Ezechielis 34. Rursus dixit Christum ad solum Petrum, *pasce oves meas*: nec exprimit quas, eò quia indefinitè omnes commiserat illi pascendas, non enim excipit istas, vel illas, cum nullas in specie notet; sed absolutè, & generatim omnes committat pascendas, scitè S. Leo Papa *serm. 3. de assumpt. sua* ait: De toto mundo unus Petrus eligitur, qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur, ut quamvis in populo Dei multi sint sacerdotes, multique pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus. Magnum, & mirabile dilectissimi huic viro consortium potentiæ suæ tribuit divina dignatio, & si quid commune cum eo, cæteris voluit esse Principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit.

15 Neque inde sequitur, supervacaneà esse in Ecclesia Concilia, & frustra congregari, cùm ex illis non habeatur major authoritas decretorum, quàm si à solo Pontifice emanarent. Nam contra est, quia tametsi authoritas Pontificis sine Concilio sit omninò infallibilis, adhuc authoritas Conciliorum est subinde in Ecclesia Dei saluberrima, & Concilia plerumque utiliter congregantur, ut ait Augustinus Epist. 118. siquidem præ cæteris utilitatibus, hæc est una ex præcipuis, quia Concilium efficax est motivum credibilitatis, quo hæretici convertantur, & fides Catholicorum magis confirmetur. Non tamen sunt Concilia per se utilia, ut regulæ fidei, sed duntaxat, ut motiva credendi cum capite, & ratione capitis, quia tunc ratione capitis dicuntur Concilia regulæ fidei, non vero sine capite.

16 Si dicas, ad definiendum aliquid de fide debere præcedere sufficientem diligentiam, quam certum est, fieri in Concilio generali, non ita est certum fieri à solo Papa. Contra, quia non est timendum, quòd Papa definiens aliquid in Concilio, vel extra Concilium negligat adhibere sufficientem diligentiam: siquidem qui promisit Petro, & ejus successoribus assistentiam Spiritus Sancti ad definiendum, ac decernendum ex cathedra, quæ ad fidem, & mores pertinent; promisit etiam media, seu sufficientem inquisitionem veritatis, & spopondit etiam, pontificem adhibiturum eam diligentiam, quæ ad id sufficiat: perinde ac si Deus promitteret segetum ubertatem, utique sponderet etiam curam agricolarum circa culturam terræ, cùm hæc debeat præcedere ubertatem segetum: & sicut ut procedatur humano modo diligens examen, & matura inquisitio debent præcedere decreta, quibus Pontifex ex cathedra definit res pertinentes ad fidem, & mores, ideò idem Christus qui promisit assistentiam summo Pontifici in hisce definitionibus, promisit etiam inquisitionem veritatis, & illum esse adhibiturum eam diligentiam, quæ requiritur, ut rectè procedatur humano modo.

Cæterum Romanus Pontifex non est alligatus, ut tantùm adhibeat diligentiam in Concilio, vel extra Concilium; quia utroque modo potest consulere viros doctos, & diligenter inquirere antequam definiat. Hinc Concilia generalia ad id etiam in Ecclesia sunt utilia, quia inquisitio veritatis fit in ipsis per diligentiam Patrum, qui ibi sunt congregati: diligentiam quòd definitur tanquam de fide, inquiritur in scriptura, & traditionibus, & in Concilio rectè fit hæc inquisitio, etiam per Patres totius Ecclesiæ. Tum quia si hac ratione Patres aliquandò dissentiunt, melius uniuntur, & unusquisque eorum cognoscit, quid in sua diœcesi debeat proponere credendum suis subditis; proptereà nulli dubium, quin Concilia sint in Ecclesia utilia. 17

Si dicas, debere in Ecclesia semper esse authoritatem aliquam infallibilem, proinde hanc saltem mortuo Pontifice esse in Concilio, alioquin tunc nullibi esset: ex quo conjicitur, authoritatem Concilii etiam sine Pontifice esse infallibilem. Contra est, quia mortuo Pontifice nulla est in Ecclesia authoritas infallibilis in ordine ad condenda decreta fidei: sed tantùm adesse authoritatem ad illa ordinanda, quæ ad electionem Pontificis pertinent: si nullus adsit Pontifex, aut iste sit dubius, ut sæpe contingit in schismate; vel si sit manifestè hæreticus; tunc est in Ecclesia potestas decernendi ea, quæ necessaria sunt, ut verus Pontifex manifestus fiat, vel eligatur. Quòd si sit hæreticus manifestus ratione hæresis cadit ex se ex Pontificia dignitate, quia Christus tunc supponitur illum deponere ex suo Vicariatu; & Ecclesia illum non deponit, sed eum supponat depositum, eum declarat spoliatum Pontificia dignitate ob hæresim. 18

Dices, Concilium generale legitimè coactum repræsentat Ecclesiam universalem: atqui Ecclesia universalis teste Paulo 1. ad Timoth. 3. *est columna, & fundamentum veritatis*, & non potest errare, proinde est authoritatis infallibilis. Sed contra, quia licèt Concilium generale unà cum capite repræsentet universalem Ecclesiam, quæ est columna, & firmamentum veritatis, ac proinde sit authoritatis infallibilis; non 19

non ita sine capite, & quando est acephalum. Patres igitur Concilii cum suo capite, seu summo Pontifice constituunt corpus mysticum Ecclesiæ habentis infallibilem authoritatem, possuntque loqui, ac definire infallibiliter; adeò ut teneantur fideles credere ob authoritatem capitis: Secus si Patres separentur à capite, nemo tenetur eis credere, vel obedire in iis, quæ non spectant ad electionem Pontificis, quia authoritas Conciliorum seorsim à Pontifice est purè humana.

20 Objicitur primò illud *Matth. 18.* ubi Christus alloquens suos discipulos, & eorum successores, à quibus vult Christianos incorrigibiles Ecclesiæ denuntiari, ad nullum alium judicem eos damnandos remittit, quàm ad ipsam Ecclesiam, quam vult esse ultimum tribunal; propterea authoritatem Ecclesiæ esse infallibilem, ait enim Christus: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum, si autem te non audiat, adhibe adhuc tecum unum, vel duos, quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus: amen dico vobis, quodcunque alligaveritis super terram, erit alligatum & in terris.*

21 Hic est ille textus, quo Adversarii epinicium sibi videntur canere. Sed reverà infirmo nituntur fundamento: esto enim Ecclesia sit authoritatis infallibilis, & quodcunque ista alligat, sit alligatum & in cœlis; non tamen id debet intelligi de Ecclesia mutila, acephala, & manca, sed de Ecclesia perfecta, & cum omnibus suis partibus, proinde cum capite: unde licèt nullus ibi sermo fiat de Petro, ejúsque successoribus, sed Christus suos alloquatur discipulos in communi, non tamen censendus est Christus exclusisse Petrum, qui erat Princeps Apostolorum, & caput totius Ecclesiæ, ad quam loquebatur Christus: quamobrem est Ecclesia infallibilis authoritatis, sed cum capite, & ratione capitis. Præterea licèt Christus fuerit allocutus Apostolos in communi; omnes tamen sciunt generali locutione casus speciali nota dignos, ac privilegiatos non includi. Tùm quia nomine Ecclesiæ, cui jubet contumaces denuntiari, intelligit Christus eos omnes, quibus potestas ligandi, & solvendi, ac puniendi conceditur, ut facilè conjicitur ex fine denuntiationis, qui est correctio, & ex adjuncta causali, *Quæcunque enim alligaveritis super terram &c.* potestas autem ligandi, & solvendi non tantùm concilio inest universali, sed etiam Episcopis, aliisque Ecclesiæ Prælatis. Præterea ibi nomine Ecclesiæ non intelligitur Concilium generale ut perperàm autumant adversarii, alioquin quoties Christianus sacrilegio, homicidio, furto, alióque scelere peccaret, & esset contumax oporteret Concilium generale cogi, ut in illo delinquentis causa agitaretur, quo nihil absurdius cogitatu, nil ad executionem impossibilius. Quòd si etiam per Ecclesiam intelligeretur Concilium, non tamen sine suo capite; de quo est præsens controversia. Cæterùm verus, ac legitimus sensus citati textûs *si peccaverit in te frater tuus &c.* est; quòd si is secretæ, ac fraternæ tuæ admonitioni non acquieverit, dic Ecclesiæ, hoc est proprio Pastori ipsius delinquentis, ut explicat S. Chrysostomus *homil. 61. in Matth.* ut etiam D. Thomas in *4. dist. 19. & 21. q. 24.* ipse enim Prælatus, qui præest Ecclesiæ, quando agit non ut privata persona, sed ut publica, utiturque potestate Ecclesiastica nota phrasi Ecclesia vocatur, eò quia tunc eam repræsentat. Neque veritati est consonum, quod somniârunt aliqui, sermonem in præfato textu fuisse de Papa delinquente, & contumaci, qui denuntiandus esset Ecclesiæ, & ab hac puniendus; cùm enim ibi nulla fiat mentio de Christi Vicario, ita interpretare textum, est impiè somniare: deindè dato, & nõ concesso quòd sermo esset de Papa, & Concilio generali, adhuc exinde nil aliud sequeretur, quàm Papam publicè criminosum, posse ad Concilium, & Ecclesiam deferri, ac de remediis eum emendandi tractari, eúmque admoneri, rogari, & si Ecclesiæ adhuc esset infestus, eum jure defensionis coërcere; non verò illum deponere, & jurisdictionem superiorem in eum exercere: & tametsi omnia in cassum fierent, res esset Deo committenda, cui Ecclesia est curæ, & quam agitari variis fluctibus, & concuti procellis licèt nonnunquam permiserit; nunquam tamen voluit opprimi, ac mergi. Non enim possumus cogitare Ecclesiam tunc fore destitutam omni auxilio, cùm Deus specialiter illi assistat, & ibi sit maximè parata divina custodia, ubi visum est humanum subsidium defuisse.

Objicitur secundò illud D. Pauli 2. *ad Corinth. c. 13.* ubi Apostolus ait: *potestatem sibi à Deo datam esse, in ædificationem, non destructionem Ecclesiæ.* proinde potestatem papalem datam esse propter Ecclesiam; ex quo inferunt, hanc esse perfectiorem, ac majorem Papa, eò quia Ecclesia sit finis; & dignitas papalis medium, & finis est semper mediis perfectior: & quando medium in finis perniciem dirigitur tollendum omninò est, proinde à Concilio generali posse Papam tolli, si hic sua authoritate aliquid moliatur in detrimentum Ecclesiæ, quia tunc esset medium noxium ad suum finem. Mirandum sanè, quòd ex eo, quia Pontifex sit propter Ecclesiam, inferatur, hanc præesse Pontifici, ac posse exercere jurisdictionem in illum; quænam consequentia ex illo antecedenti? nunquid etiam Rex est propter Regnum? nunquid imperator est propter subditos imperii? nunquid quilibet Prælatus est propter regendos suos subditos? ergóne Rex subjicitur subditis? ergóne populus potest in Imperatorem jurisdictionem exercere? ergóne Prælati subjiciuntur iis, quibus præsunt? quid hoc esset? quàm asserere ordine prorsus inverso, fundamentum fulciri domo, & non hanc pendere à fundamento, ac sustineri ab illo? Est pontificia potestas medium conservandæ Ecclesiæ datum: sed perinde ac Rex est medium ad promovendam utilitatem Regni: sed sicut subditi non possunt jurisdictionem exercere in Regem; ita neque Ecclesia in Pontificem: unde ex eo, quòd summus Pontifex sit propter Ecclesiam, non sequitur, Papam posse à subditis judicari, nec multò minùs depo- 22

ni; id enim in maximum cederet Eccleſiæ detrimentum, cujus veritatem ſcinderet, tranquillitatem turbaret: cùm nunquam deeſſet humanæ malitiæ occaſio fingendi delicta, ob quæ Pontifices è throno deberent ejici, ut inde promoverentur ambitione tumidi, animo inquieti, rerúmque novarum cupidi. Quamobrem in bonum Eccleſiæ cedit, & nunquam in perniciem Papa, tametſi ex ſe malus, quia inde plura impediuntur mala pejora, quæ ſequerentur: ſi à ſubditis poſſet in jus vocari.

23 Objicitur tertiò textus deſumptus ex *c. 15. in actis Apoſtolor.* ubi Apoſtoli cū primum in Eccleſia congregâſſent Concilium in epiſtola ſynodali, quam ad fideles ſcripſerunt, ita loquuntur, *viſum eſt Spiritui S. & nobis, nil ultra imponere vobis oneris*, & cùm nulla fiat mentio Petri, ſed tantùm Collegii Apoſtolici, ſeu Eccleſiæ congregatæ in Concilio, ideò authoritas infallibilis deducitur eſſe in Eccleſia congregata in Concilio generali, non verò in uno tantùm ſummo Pontifice. Sed contra, quia conſequentia non deducitur ex illo antecedenti: ex eo enim quòd illud Concilium fuerit authoritatis infallibilis, inde non ſequitur, hanc authoritatem non eſſe in ſolo Petro: ſiquidem præfuit tali Concilio Petrus, ratione cujus inerat toti Concilio infallibilis authoritas, quòd ſi non adfuiſſet caput, nec fuiſſet authoritatis infallibilis, cum tota infallibilitas à capite, ſeu ſummo Pontifice derivetur in Concilium generale.

24 Neque obſtat, quòd in epiſtola ſynodali Apoſtoli ſcripſerint, *viſum eſt ſpiritui ſancto, & nobis*; quia talis eſt omnium conciliorum ſtylus, etiam quibus ſummus Pontifex cum ſumma poteſtate præeſt, ut nomine Concilii decreta expediantur, ut liquet in omnibus Conciliis, & etiam in ultimo Tridentino: quia cùm Concilium ſit legitimum, & perfectum, includit etiam caput, à quo ſuam deſumit infallibilitatem: & licèt de illo nulla fiat expreſſa mentio, non tamen illius influxus excluditur, ſed ſemper velut neceſſarius, & principalis ſubintelligitur. Imò in illo primo Eccleſiæ Concilio licèt omnes Apoſtoli à Spiritu Sancto immediatè gubernarentur, ne errori eſſent obnoxii; adhuc multa primatûs ſui argumenta ſupra Concilium dedit Petrus; cùm omnium primus ſententiam dixerit; cùm quid definiri debuerit præſcripſerit: cùm calentem priùs diſputationem, & diſſidentes animos compoſuerit, ac veluti pronuntiato oraculo ſilentium omnibus impoſuerit, ut conſtat ex contextu: ex quibus ſatis manifeſtè deprehenditur, Concilium dependere à ſummo Pontifice, non hunc à Concilio; perinde ac domus nititur fundamento, non fundamentum domo.

25 Objicitur quartò textus deſumptus ex *c. 8. in act. Apoſtol.* ubi Petrus, & Joannes à Collegio Apoſtolico Samariam mittuntur, ut eorum rationibus Chriſtiani recèns ad fidem converſi Spiritum S. acciperent: ex eo enim, quòd Petrus mittatur à Concilio, videtur ſubeſſe Concilio, & ab eodem dependere, quia miſſio ſubjectionem arguit. Sed contra, quia non quævis miſſio ſignum eſt ſubjectionis, ac inferioritatis, cùm & in SS. Trinitate omnes tres perſonæ æquales ſint, pariſque majeſtatis, & nihilominus Joan. 3. filius dicatur mitti à Patre, & Joan. 14. Spiritus Sanctus à filio. Rurſus Matth. 2. Herodes dicitur miſiſſe tres Reges Orientis in Betlehem: unde liquet, verbum mittere non ſemper ſignificare ſubjectionem, ſed plerumque etiam impulſum aliquem, quo alius movetur non ſemper præcepto, & imperio; ſed etiam ſolo rogatu, conſilio, allegatione rationum, & argumentorum, quibus ad aliquid agendū alius movetur. Fuit igitur Petrus à Collegio Apoſtolico Samariam miſſus, non præcepto coactus, non imperio adactus; ſed ſuaſione motus, & allegatione rationum impulſus, eò quia ejus præſentia plus fuiſſet habitura efficaciæ ad Chriſtianos recèns ad fidem converſos firmandos, & ad implorandam divinam opem, ut & ipſi Spiritum Sanctum acciperent: quemadmodum ſi Princeps per ſe immediatè ſupplicet Regi pro aliquo favore, faciliùs gratiam impetrat, quàm ſi per ſuum adminiſtrum Regi ſupplicet.

26 Objicitur quintò alius textus deſumptus ex *c. 20. actor.* ubi habetur *attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei*, ex quo Adverſarii inferunt, regimen Eccleſiæ comiſſum etiam fuiſſe Epiſcopis in Concilio congregatis. Sed contra, quia inde non ſequitur, authoritatem infallibilem eſſe in Concilio, & hoc præeſſe Pontifici: etenim ſi omnis, cui Eccleſiæ regimen eſt comiſſum, Pontifici Romano authoritate, & poteſtate præcelleret, non ſolùm hæc prærogativa Concilio ineſſet generali, ſed etiam particulari, imò & cuilibet Epiſcopo, & Parocho, cui concredita eſt cura dominici gregis, quo nil abſurdius excogitatu. Verum eſt, quemlibet Epiſcopum curam gerentem particularis ſuæ Eccleſiæ, eo ipſo mediatè Eccleſiam univerſalem regere, eò quia regimen partium cedat in regimen totius; quemadmodum bonum, vel malum unius membri, eſt etiam bonum, vel malum totius corporis, & tamen inde non ſequitur, omnia membra non dependere à capite, ut etiam eorundem motus: unde tametſi Epiſcopi Eccleſiam regant, ut membra corporis myſtici totius Eccleſiæ, ſubjiciuntur tamen capiti, à quo dependent, quoad totam jurisdictionem: unde ſummus Pontifex, & Epiſcopi Eccleſiam regunt; iſti tamen ut membra; ille verò ut caput.

27 Objicitur ſextò illud D. Pauli ad Galat. 2. ubi Petrus viſus eſt erràſſe, & alios ſuo exemplo ſeduxiſſe, quem propterea Paulus correxit, ac palàm reprehendit, habetur enim: *Paulus cùm Cephas veniſſet Antiochiam in faciem ei reſtitit, quia reprehenſibilis erat, priùs enim cum gentibus edebat, poſtea ſubtrahebat, & ſegregabat ſe timens eos, qui ex circumciſione erant: & ſimulationi ejus conſenſerunt cæteri Judæi; ita ut Barnabas duceretur ab eis in eandem ſimulationem.* Ex quo textu inferunt adverſarii, Pontificem eſſe errori obnoxium, ac poſſe alios ſeducere, & ideò à Concilio judicari, & corrigi, nec ejus ſententiam eſſe regulam credendorum, cui Concilium teneatur ſubjacere. Sed contra, quia neque ex iſto textu inferri poteſt, Concilium eſſe ſupra Papam: etenim ex eo, quòd Petrus fuerit

fuerit reprehensus à Paulo, tantùm sequitur Petrum potuisse reprehendi, argui, & corrigi à Paulo, non verò quòd subjiciatur Concilio generali, hæc enim consequentia eodem pacto sequitur ex illo antecedente; sicut ex eo, quòd si sol erit, Turca saltabit: quæ enim connexio dependentiæ à Concilio ex eo quòd redarguatur à D. Paulo? potuit enim corrigi, non quia erraverit in fide, sed quia fortassis nimis cautè se gessisset, quo pacto etiam pontifex si quoad proprios particulares mores non rectè se gereret, dignus reprehensione foret: sicut D. Bernardus Pontificem quoad hoc reprehendit, & alii Sancti hoc idem præstiterunt: & eadem ratione non solùm à Concilio generali, verùm etiam à quovis particulari corrigi potest, si opus fuerit, non enim id arguit in corrigente ullam superioritatem.

§. IV.

Concilia generalia subesse Pontifici, evincitur ex scripturis, rationibus, ac eorundem Conciliorum testimoniis.

1 Concilia generalia nisi authoritate summi Pontificis muniantur, non plus habere authoritatis, quàm nobilium hominum cœtum, ac proinde eorum authoritatem humanam tantùm esse, & nullam inducere in Ecclesiam infallibilem credendorum regulam, evincitur ex sacris scripturis, rationibus, & ipsorum Conciliorum generalium testimoniis. Ad scripturas quod attinet, id evincitur ex illo Matth. 16. ubi hæc infallibilis authoritas soli Petro, ut Christi Vicario, & ejus pro tempore successori in Ecclesia conceditur; ait enim Christus Petro: *tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* & iterum *tibi dabo claves Regni cælorum, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis,* etenim is est verus superior Concilii, qui est fundamentum, caput, & Pastor Ecclesiæ universalis, etiam congregatæ in Concilio generali; adeò ut perinde Concilium dependeat à Pontifice, sicut domus dependet à fundamento, à quo fulcitur; & perinde Concilium generale subest Pontifici, ac corpus capiti: non enim grex pastorem regit, sed sequitur, eique obedit: atqui D. Petrus consequenter, & ejus legitimus successor absolutè, & absque ulla restrictione est fundamentum Ecclesiæ universalis, Matth. 16. *tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam:*

2 Ecclesia enim licèt congregata in Concilio generali est maximè, & propriè Ecclesia; consequenter debet hæc initi fundamento, & ab illo dependere, scilicet à summo Pontifice vero Petri successore: siquidem Petri dignitas, & summi Pontificis munus non fuit cum ipso Petro extinctum, sed ad ejus successores Romanos Pontifices dimanavit, ut definitum fuit in Concilio Constantiensi, *sess. 8. 15. & 27.* ut semper docuerunt omnes SS. Patres, quorum authoritates congerit Bellarminus *lib. 2. de sum. Pontif.* hinc S. Leo *serm. 2. de anniversf. assumpt. suæ* ait: *manet dispositio veritatis, & beatus Petrus in accepta fortitudine Petræ perseverans suscepta Ecclesiæ gubernacula non relinquit, perseverat enim Petrus, & vivit in successoribus suis.* Non enim Ecclesia tantùm initio suæ constructionis indiguit fundamento, sed etiam, quamdiu erit perseveratura, eodem indigebit, imò multò magis post Petri obitum; cùm miraculorum gratia ceperat restringi, & persecutores Ecclesiæ acriùs in ipsam invehererent, & maximè in Romanos Pontifices. Cùm igitur Petrus, & Romanus Pontifex Petri successor, & pro tempore existens sit fundamentum non unius, vel alterius Ecclesiæ, nec omnium Ecclesiarum seorsim sumptarum, sed absolutè Ecclesiæ Christi; multò magis erit fundamentum Concilii generalis, cùm hoc non propriè, sed tantùm repræsentativè sit Ecclesia Dei: etenim, quod repræsentat semper minus est repræsentato quà tali, unde perinde ac domus dependet à fundamento, quo fulcitur; ita Ecclesia, & à fortiori Concilium generale dependet à Romano Pontifice Petri successore, ne dicamus, à domo sustentari fundamentum, & non hoc fulcire domum. Si enim Concilium prævaleret Petro, & ejus successori, & tunc doceret, uniret, judicaret, corrigeret, utique Concilium esset fundamentum ipsius Petri; non Petrus Ecclesiæ; hinc cùm Christus dixit: *tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Sensus esset, Concilium est petra, & super hanc petram ædificabo vicarium meum, quo nil absurdius. Tum quia si Concilium esset supra Papam, oves essent supra Pastorem, & fundamentum fulciretur à domo.

Evincitur hæc eadem veritas etiam ex illo textu *Lucæ 22.* ubi Christus alloquens Petrum ait: *Simon Simon ecce Satanas expetivit, ut cribraret vos sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Duo in hoc textu sunt digna notatu: primò quòd Christus specialiter curat, orat, & providet, ne fides Petri deficiat, eò quia jam destinatus esset pastor, & caput totius Ecclesiæ; proinde major eidem cura impenditur, cùm illius in doctrina fidei error, totius Ecclesiæ esset error: hæc major cura Christi pro Petro, ut reliquis Apostolis à Satana expetitis pro solo Petro, specialiter, & enixiùs oret, indicio erat, Petrū jam destinatum fuisse ad regimen Ecclesiæ, cujus foret regula indefectibilis; alioquin non fuisset major ratio, cur potiùs pro Petro, quàm pro cæteris Apostolis preces fudisset, cùm omnes essent obnoxii erroribus, & lapsui. Secundò, quod notatur, est, Christum injunxisse Petro, ut suos fratres, seu fideles omnes conservaret, confirmaret, proinde etiam Concilia, quæ sua authoritate congregaret; Patres enim Concilii dicuntur fratres successores Petri, quos propterea si non legitimè procedant Romanus Pontifex corrigit, & dissolvit, sicut congregavit; & si ritè se gesserint, eos confirmat: *& tu aliquando conversus confirma fratres tuos:* confirmare ad eum pertinet, qui majoris est authoritatis, & majestatis: ergo nulli dubium, quin Concilium generale Romano subsit Pontifici. 3

Tertius textus est ille Joan. ult. ubi cùm Christus ter Petrum interrogasset; an illum amaret: 4

amaret: *contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio amas me? & dixit ei, Domine tu omnia nosti, tu scis, quia amo te, dixit ei: pasce oves meas:* est notatu dignum, quòd illa verba *pasce oves meas* ad solum Petrum dirigerentur: siquidem cum solo Petro tunc loquebatur, solum interrogavit, an illum amaret, & responsum ab ipso solo accepit, exclusis à summa, & Monarchica potestate pascendi oves cæteris Apostolis: siquidem per illam vocem *pasce* summa significatur potestas, & omnia pascendi jura Monarchicè, & ordinariè Petro demandata, cùm hæc eadem potestas in aliis non fuerit nisi delegata: & cùm Christus dixerit indefinitè Petro pasce oves meas; & Patres in Concilio generali congregati, sint & ipsi oves Christi, utique ad Petrum, & ejus successorem pro tempore in Ecclesia existentem pertinet etiam has oves pascere, & sicut oves subjiciuntur pastori, cui obediunt, ita Concilium generale, summo Pontifici subjicitur, à quo propterea compellitur, dirigitur, confirmatur, tuetur, vel si opus est dissolvitur, ac destruitur, cùm officium pastoris non tantùm sit suppeditare ovibus cibum, sed etiam eas ducere, reducere, compellere, abigere, mederi, seccare, tueri: hinc Bernardus *lib. 3. de consid. c. 7.* alloquens Pontificem ait: *Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem & alii cœli janitores, & gregum Pastores, sed tu tantò gloriosiùs, quantò differentiùs, utrumque præ cæteris nomen hæreditâsti, habent illi sibi adsignatos greges singulis singulos, tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed & Pastorum tu unus omnium pastor: unde id probem, quæris? ex verbo Domini. Cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sicut absolutè, & indiscretè tota commissa sunt oves? Si me amas Petre pasce oves meas? quas? illius, vel illius populos civitatis, aut Regionis, aut certi Regni? oves meas, inquit: cui non planum est, non designâsse aliquos, sed adsignâsse omnes? nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.*

5 Hoc idem asseruit Innocentius III. in *c. solitæ 6. de major. & obed.* inquiens, nobis autem beato Petro sunt oves Christi commissæ dicente Domino pasce oves meas: non distinguens inter has oves, & alias, ut alienum à suo demonstraret ovili, qui Petrum, & successores illius Magistros non recognosceret. Ex hoc Joannis textu liquet, quantum Romanus Pontifex potestate, & authoritate præcellat Concilio generali: vel enim Episcopi in generali Concilio congregati sunt oves Christi, vel Pastores universæ Ecclesiæ: si oves; ergò unum visibilem habent pastorem, cui subsunt, ac obediunt, & hunc pastorem esse Petrum, & ejus successorem pro tempore in Ecclesia existentem, liquet ex verbis Christi *Petre amas me? pasce oves meas.* ac si diceret, pasce omnes oves meas, adeò ut meæ non sint, quas tu non pascis. Quòd si Episcopi congregati in Concilio generali efficerent Pastorem Ecclesiæ, adeò ut Concilium seorsim à summo Pontifice esset pastor Ecclesiæ; jam non unus in Ecclesia esset pastor, sed duo pastores, æquè supremi, cùm Petrus, & ejus successor sit ex Christi institutione verus totius Ecclesiæ Pastor, quod adversatur scripturis asserentibus, unum esse Pastorem, & unum ovile.

Tum quia Christus soli Petro, & ejus successori pro tempore in Ecclesia existenti curam commisit pascendi suas oves, & non alteri, non enim potest in Evangelio assignari textus ullus, in quo Christus dixerit Concilio, pasce Petrum, ejúsque successores: ergò soli Petro demandatum fuit officium pascendi oves Christi, proinde etiam ipsos Episcopos, cùm & ipsi oves sint Christi. Futilis enim est illa distinctio, fuisse Petro commissas omnes Christi oves, sigillatim sumptas, non verò simul in Concilio generali collectas; & Pontificem esse super omnes Episcopos separatim, non verò collectivè sumptos in Concilio generali: siquidem hæc distinctio nullo nititur Evangelii, vel sacræ scripturæ fundamento; & cùm adversetur textui scripturæ luce meridiana clariori, prorsus temerarium est distinctionē fingere voluntariam ad oppugnandas sacras scripturas ipso sole clariores. Præterea si officium Pastoris soli Petro demandatum fuit: ergò ad ipsum solum pertinet cura pascendi oves, sive in unum collectas, sive divisim dispersas: cùm officium pastoris sit, curam de ovibus gerere non tantùm vagè discurrentibus, sed etiam simul collectis, & ipsas tueri, ducere, reducere, & totum gregem tueri, lupos arcere, & quidquid toti posset gregi noxium esse coërcere. 6

Præterea à sensu negativo valet argumentari, 7
est siquidem in utroque jure receptissimum axioma, quòd regulæ tamdiù sit inhærendum, donec contrarium, vel exceptio probetur, hinc habetur: *nec recedimus à regula, donec contrarium probetur L. ab ea part. ff. de probat L. apud antiquos C. de furt. c. 2. de conjug. lepros. c. ad decimas. de restit. spoliat. in 6.* idque vel maximè locum habet in sacris scripturis, & in iis præsertim, quæ ex sola Dei dependent voluntate, & institutione, ut docet D. Thomas *in 3. p. q. 1. art. 3.* atqui nullibi in sacris litteris reperimus fuisse Concilio demandatum munus Pastoris dominici gregis, & cura Petri, ejúsque successoris, sed hoc munus fuisse demandatum soli Petro. Joan. ult. *Petre amas me? pasce oves meas.* Tum quia soli Petro dicitur *super te fundabo Ecclesiam meam*, & ad illum solum dixit Christus *confirma fratres tuos.* Quòd si Episcopi, & patres in Concilio congregati sunt fratres Petri, & ejus successoris, utique ad Romanum Pontificem pertinet ipsos confirmare, adeò ut Concilium generale, quatenus collectim comprehendit omnes Episcopos, & Patres indigeat confirmari à summo Pontifice.

Præterea summum in Ecclesia Pontificem po- 8
testate, & authoritate præcellere cuique Concilio generali, ipsamet Concilia œcumenica, & generalia testata sunt: cùm enim hanc veritatem sole clariorem noverint; se summo Pontifici tanquam capiti, & Pastori universali subjecerunt. Etenim anno 324. & Constantini Magni 19. in thermis Trajani celebrata fuit Romæ à Sylvestro Papa synodus præsente ipso Constantino Imperatore recèns baptizato, & Helena ejus matre,

matre, cui interfuerunt Episcopi Græci,& Latini 284. in hac enim synodo *c. ult.* expresse fuit definitum : *Romanum Pontificem omnium mortalium judicem à nemine posse judicari : imò nec quidem ab omni clero.* scilicet nec à Concilio, in quo totus Clerus congregatur : hoc enim decreto manifestè declaratur,authoritatem Romani Pontificis prævalere concilio , quia si esset infra Concilium, utique posset ab illo judicari : unde liquet etiam vel à primis orientis Ecclesiæ initiis, Episcopos tam græcos , quàm latinos in unam synodum collectos absque ulla adulatione novisse hanc veritatem, ac totum Concilium fassum eandem fuisse.

9 Anno 325. ex Baronii calculo celebrari cœpit Nicæna synodus œcumenica ; ubi interfuerunt Episcopi ex toto terrarum orbe 380. sanctitate, & doctrina magna ex parte clarissimi. Causa vocandæ synodi hæresis fuit Arianorum ; ut etiam error Quartodecimanorum, qui judaico more, non Dominico die Pascha, sed luna decima quarta in quamcunque diem incidisset, agebant. Hoc igitur Concilium miraculis à Deo patratis clarum, ac confirmatum,epistolam synodalem scripsit ad Sylvestrum Papam , cui acta Concilii transmisit, rogavitque, ut ea confirmaret,roboraretque; censuit enim Concilium non esse firma, quæ decreverat , nisi à summo Pontifice Romano confirmarentur. Dicitur enim in illa epistola *quidquid autem constituimus in Concilio Niceno precamur vestri oris consortio confirmetur.* Anno 381. Patres Ecclesiæ initium dederunt alteri synodo œcumenicæ; quæ fuit prima Constantinopolitana sub Damaso Papa, & Theodosio Magno Imperatore, in quo adfuerunt Episcopi Catholici 170. Ariani, & Macedoniani 36. teste Nicephoro *in histor. Eccles.* coacta fuit hæc synodus præsertim ut Concilium Nicænum confirmaretur; & Macedoniani ad bonam frugem reducerentur, cùm spes aliqua illuceret. Ex hac Synodo authoritatem Pontificis esse supra Concilia generalia ex pluribus liquet. Etenim Leo I. summus Pontifex rejecit quintum Canonem, eò quia Concilium post Romanum Episcopum primatum daret Constantinopolitano contra privilegium Alexandrini ; ut liquet ex epistola Leonis 53. ad Pulcheriam Augustam,&Marcianum Imperatorem: licet post plura sæcula Innocentius III. publicæ quietis causa hoc privilegium Constantinopolitano Patriarchæ concesserit, ut constat ex *c. antiqua de privil.* Si igitur summus Pontifex correxit errorem Concilii, certè id præstitit,quia ejus authoritas erat supra Concilium,& hoc subjiciebatur Pontifici Romano. Tum quia Damasus Papa præveniens judiciū Concilii Constantinopolitani hæreses Sabellii, Macedonii, & Eunomii prædamnavit ; & dato ad Paulinum Episcopum libello anathematismos in eorum hæreses dixit, ut legitur *tom. 1. Conciliorum ante Conc. Constantinopol.* ex quibus liquet, Concilium subjici sententiæ summi Pontificis ; & hunc esse supra quodvis Concilium generale; alioquin non prævenire sententiam Concilii, nec quæ à Concilio decisa sunt corrigeret,& immutaret.

10 Anno 430. inchoata fuit tertia œcumenica synodus Ephesina contra hæresin Nestorii Episcopi Constantinopolitani negantis Virginem Matrem *Theotocon*, hoc est Deiparam, esse vocandam, eò quia duas in Christo hypostases assereret, iretque inficias, Deum humanitati secundum substantiam unitum esse, sed tantùm secundum dignitatem,& authoritatem,proinde Beatissimam Virginem peperisse filium natura purum hominem, sed dignitate,& authoritate divinum. Fuit hæc synodus generalis coacta à Cœlestino I. summo Pontifice rogatu Theodosii Junioris Augusti, & in eo teste Cyrillo epist. 34. interfuerunt Episcopi ferè 300. Sūmi Pontificis authoritatem fuisse supra hoc generale Concilium,ex eo conjicitur,quia Cœlestinus non exspectata Concilii sententia Nestorium, & ejus opiniones hæresin olentes prædamnavit:idque fortassis exemplo D. Petri,qui in confessione divinitatis Verbi divini, in electione S. Matthiæ, & abrogatione Legis Mosaicæ prævenit suo suffragio cæterorum Apostolorum sententias. Tum quia Cœlestinus eidem Concilio præscripsit formam,& regulam, juxta quam Patres judicarent. Tum quia in hac synodo Romanus Pontifex caput Concilii apertè dicitur : & Patres in Concilio congregati acclamantur membra sub eodem capite ; quapropter Legatus Apostolicus gratias egit Patribus, quod sanctis suis vocib⁹, pūsq; præconiis sanctæ Ecclesiæ membra sub sancto suo capite se exhibuerint: membra autem subjiciuntur capiti: ergò & Concilium summo Pontifici Romano,cùm aliud non fuerit Concilium illud generale,quàm omnes illi Patres simul congregati , & qui se membra Ecclesiæ sub capite, seu summo Pontifice Romano,cui subjiciebantur, dixerunt.

Anno 451. quarta œcumenica synodus primo Niceæ indicta , postea Chalcedone coacta fuit authoritate Leonis Papæ ad preces Marciani Imperatoris : interfuerunt huic synodo quinque Legati Apostolicæ Sedis Pascasius ; Lucentius ; Bonifacius, Basilius,& Julianus ; & Episcopi ex toto orbe 630 præsentes aliquando Marcianus , & Pulcheria: ansam congregandæ Synodi dederunt hæresis Eutychiana,&Dioscorus Episcopus Alexandrinus.Siquidem Eutyches, Ecclesiæ infensus in Nestorium vi,ac impetu fortius,quàm ratione agens,in aliam impegit hæresin : quia sicut Nestorius duas in Christo hypostases ; seu personas asseruit, ita Eutyches negavit duas fuisse in Christo naturas; sed unam duntaxat humanitate consumpta, & Deum ex virgine instar radii ex pellucida chrystallo elapsum potius ; quàm natum. Dioscorus autem non solum Eutychianam hæresin in synodo Ephesina 2. confirmaverat,verùm etiam ausu insolente Romanum Pontificem anathemate percusserat. Fuisse hoc Concilium generale Chalcedonense confirmatum à Leone summo Pontifice , liquet ex subscriptionibus Legatorum,& ejusdem epistolis quinquagesima septima, octava, & aliis ; quæ habentur *tom. 2. Concil. ante Concilium Chalcedonense* ; adeò ut synodus œcumenica non solùm formam, & modum, quo deberet procedere à Leone accepit, sed etiam totam authoritatem, & infallibilitatem ; cùm enim,ut liquet legenti synodū illam, Leo jusserit, alia fieri, & alia 11

omitti à Patribus, fuit procul dubio supra Concilium, perinde ac militiæ præfectus est supra exercitum, cui imperat. Tum quia Patres hujus Concilii confessi sunt, se esse filios, & ad ipsos pertinere obsequi, & parere; & Leonem esse Concilii caput, ut legitur *act. 16.* ubi habentur hæc verba: *rogamus igitur,ut tuis decretis nostrum honores judicium, & sicut nos capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic & summitas tua filiis, quod decet, adimpleat.* Tum quia idem Concilium vocat Leonem *caput universalis Ecclesiæ*,ut in *act. 1. 2. & 3.* quòd si Concilium fatetur, Pontificem esse proprium suum caput, fatetur etiam ejus superioritatem supra Concilium. Pleraque alia in eodem Concilio generali habentur documenta, quibus Concilium se fatetur subjici summo Pontifici Romano. Hinc constat, ex quatuor œcumenicis Conciliis,quæ S.Gregorius Magnus loco totidem Evangeliorum habuit *c. 2. dist. 15.* Concilia generalia subjici summo Pontifici Romano,& hunc esse caput totius Ecclesiæ etiam in Concilio congregatæ. Hanc veritatem fassa sunt omnia sequentia Concilia habita in Ecclesia: & quia nimis prolixum foret eorum catalogum retexere, sufficiet nonnulla tantùm addere.

12 In Concilio Florentino expressè fuit declaratum, ac definitum, authoritatem Pontificis esse supra quodlibet Concilium generale, adeò ut Concilium quantumvis œcumenicum subsit Pontifici Romano: habetur enim in decreto Pontif. *Definimus, sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universalem orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiúsque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem & Doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam à Domino JEsu Christo plenam potestatem traditam esse.* Notanda sunt illa verba: totius Ecclesiæ caput, per hæc enim significatur Ecclesia etiam simul in unum collecta in Concilio generali, quia Pontifex ut Christi Vicarius, & Petri successor habet authoritatem pascendi Ecclesiam etiam sic collectam doctrina fidei. Concilium Lateranense sub Leone X. *sess. 11.* postquam declaravit decreta Concilii Basileensis nullius fuisse roboris, & authoritatis, subdit. *Cùm etiam solum Romanum Pontificem pro tempore existentem tanquam authoritatem supra omnia Concilia habentem, Conciliorum judicandorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus, & potestatem habere, ne dum ex sacræ scripturæ testimonio, dictis sanctorum Patrum, & aliorum Romanorum Pontificum, etiam prædecessorum nostrorum, sacrorum Canonum decretis, sed propria etiam eorundem conciliorum confessione manifestè constet.* & adfert Concilium Nicænum, & synodum Alexandrinam.

13 Præterea Concilia etiam celebrata sub initiis Ecclesiæ definivisse, Pontificem à nemine judicari, ac esse supra Concilium, liquet in causa Marcellini. Cùm Romæ Vulcanalia agerentur, Marcellinus Pontifex ab Imperatoribus Diocletiano, & Maximiano minis primùm, deinde blanditiis evictus fuit, ut thus Vestæ adoleret; cujus delicti à viris Christianis 72. in synodo 300. Patrum, qui convenerant Sinuessæ in crypta Cleopatrensi convictus est, cùmque nemo auderet contra Pontificem sententiam proferre; omnésque, ut sibi jus diceret, séque ipsum, vel absolveret, vel condemnaret, unanimi consensu instarent; ipse in terram fusus, velato capite, conspersus cinere primus sententiam in se ipsum dixit, in quiens *peccavi coram vobis, & non possum esse in ordine sacerdotum, quoniam avarus corrupit me auro.* In fine hujus Concilii habetur: *Prima sedes non judicatur à quoquam*: habentur acta hujus Concilii *tom. 1. Conciliorum*, & exemplo Marcellini à nemine judicati utitur Nicolaus I. in celebri illa ad Michaelem Imperatorem epistola, quæ lecta fuit in synodo VIII. *act. 6.* Concilium Lateranense sub Alexandro III. *c. licèt de elect.* habet in *Romana Ecclesia speciale aliquid constituitur, quia non poterit ad superiorem recursus haberi*: supponit enim Romanam sedem non habere in terra superiorem. In Concilio Romano V. sub Simacho approbatur dictum Ennodji, *quòd Deus voluit, Petri successores cœlo tantùm debere Innocentiam.* eandem veritatem expressè asserunt viri sanctissimi; ut Gelasius Papa in epist. ad Episcopos Dardaniæ; Leo Magnus *epist. 48.* ad Anastasium; Gregorius Magnus *lib. 1. epist. 30.* ad Theopistam. Pascalis in *c. significasti extra de elect.* & alii.

Hinc juvat argumentari, ac ostendere etiam rationibus, Concilium generale subesse summo Pontifici: etenim Concilium generale non habet infallibilitatem nisi dependenter à confirmatione Pontificis, ut liquet ex omnibus, & singulis Conciliis hactenus celebratis in orbe terrarum, quæ eatenus valida sunt, quia fuerunt à summo Pontifice congregata, & confirmata; adeo ut nullius sint roboris, & valoris, quæ non fuerunt à Pontifice confirmata: ex quo liquet, totam infallibilitatem Concilii generalis in decretis fidei pendere à sola infallibilitate ipsius Pontificis, proinde hunc esse supra Concilium, & istud dependere ab authoritate Pontificis, ut capitis; ergo cum tota infallibilitas Concilii derivetur ab infallibilitate Pontificis legitimi successoris Petri, cui Christus promiserat infallibilitatem Lucæ 22. *rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*; sequitur, esse summum Pontificem supra Concilium, & hoc dependere ab authoritate illius. 14

Id enim videbatur exigere regimen Ecclesiasticum quod est Monarchicum, siquidem de ratione hujus regiminis est, ut potestas resideat in uno supremo capite, seu in uno Principe, qui præsit cæteris omnibus: ergo si regimen Ecclesiasticum est Monarchicum, debet necessariò suprema authoritas esse tantùm in summo Pontifice, qui propterea sit supra Concilium etiam generale, adeo ut Concilium quodlibet quamtumvis œcumenicū subsit Pontifici. Regimen Ecclesiasticum esse monarchicum ex eo evincitur, quia cū Christus, vel maximè suam dilexerit Ecclesiam, ita optimè eidē consultum voluit, non enim 15

enim Dei amor ſterileſcit intra corticem hærens, ſed foras erumpit in flores, & fructus; adeò ut quò plus amat, eò plus conferat boni rei amatæ, cùm aliud non ſit Deum amare creaturas, quàm Deum eiſdem ſuam communicare bonitatem: atqui optima gubernandi forma eſt Monarchica, quia unus Princeps ſemper præſtò eſt, & accinctus operi; ſi enim ſint plures, qui præſint eidem reipublicæ, & hi loco diſſiti, moribus diverſi, conſuetudinibus differentes, non niſi difficulter, & ſerò unà conveniunt: interim cùm medici tam multi non ſtatim cum pharmacis accurrunt, malum ingraveſcit, & plerumque ægrotum abſumit. Secùs ſi unus tantùm imperet, facilè convenit, & faciliùs ſuo imperio ad exequenda ſemel deſtinata alios impellit. Plures enim cum ingenio, moribus, doctrina, affectu diſſentiant, difficulter in unam, eandémque unanimes collimant ſententiam: è contra ſub uno capite cuncta ex ordine faciliùs proveniunt, ſicut è contra multitudini, ut plurimùm miſcetur confuſio.

Hinc ſub uno Principe magis diuturnum eſt Regnum, firmiúsque viget: ſin verò plures ſint Principes, vel Reges, qui eidem præſunt Regno, raro contingit, vel quòd invidia eos non pulſet, vel quòd ambitio cædes ſociorum ei non ſuadeat, vel quòd diſſidia, & æmulationes non gliſcant. Unde nulli dubium, quin regimen Monarchicum ſit cæteris perfectius; quod natura ipſa in feris etiam dictat, ut enim ait S. Hieronymus *epiſt. 4. multa animalia, & ferarum greges ductores ſequuntur ſuos. In apibus Principes ſunt: grues unam ſequuntur ordine litterario: Imperator unus: Judex unus Provinciæ: Roma ut condita eſt, & duos ſimul fratres Reges habere non potuit, & fratricidio dedicatur. In Rebeca utero Eſau, & Jacob bella geſſerunt. Singuli Eccleſiarum Epiſcopi, ſinguli Archipresbyteri, ſinguli Archidiaconi, & omnis ordo Eccleſiaſticus ſuis rectoribus nititur; in navi unus gubernator: in domo unus Dominus, in quovis grandi exercitu unius ſignum ſpectatur. Et ne plura replicando faſtidium legenti faciam, per hæc omnia ad illud tendit oratio, ut doceam te, non tuo arbitrio dimittendum, ſed vivere ſub unius diſciplina Patris, conſortiſque multorum,*

16 Tum quia regimen Monarchicum exercuit Chriſtus, cùm primùm ſuam Eccleſiam fundavit, cujus fuit Chriſtus ſupremum, & unicum caput; atqui Concilium non eſt unum ſupremum caput, ſed quædam multitudo; proinde ſi ſumma poteſtas reſideret in Concilio generali, non eſſet poteſtas Monarchica, ſed Ariſtocratica, quæ eſt optimatum imperium: ergò ſi regimen Eccleſiaſticum eſt perfectum, proinde Monarchicum ſequitur, ſupremàm poteſtatem in Eccleſia tantùm reſidere in capite, ſeu ſummo Pontifice legitimè electo, cui Concilium ſubſit, quoad ea, quæ pertinent ad fidem, & mores.

17 Præterea cùm hæc poteſtas in Eccleſia verſetur circa deciſiones dogmatum, & quæſtiones fidei, veramq; ſcripturarum intelligentiam, vimque habeat obligandi totum populum Chriſtianum, non potuit hominum voluntate, aut præſcriptione inſtitui; ſed ſola Dei voluntate, deponentis ſuam authoritatem, & poteſtatem in alium, qui in terris vices ſuas gereret: atqui Concilium hanc poteſtatem non accepit à Chriſto, ſed tantùm Petrus, & ejus in Eccleſia ſucceſſor legitimè electus: non enim Chriſtus Concilio dixit, *Tibi dabo claves Regni Cælorum: ſed ſoli Petro*: non enim Chriſtus alloquebatur Concilium, quando dixit *& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, ſed Petrum: non Chriſtus interrogavit Concilium, ſi illum amaret; ſed Petrum, *Simon amas me, paſce oves meas.* Non enim Chriſtus loquebatur cum Concilio, quando dixit *ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua*, ſed cum ſolo Petro: unde ſi Chriſtus hanc authoritatem, & poteſtatem commiſit Petro, ut ſuo in Eccleſia militante Vicario, & proinde ejus ſucceſſoribus legitimè electis: ſequitur, hanc poteſtatem infallibilem eſſe in ſolo ſummo Pontifice, qui præſit Concilio, & in hoc non derivari, niſi authoritate ejuſdem Pontificis congregantis, dirigentis, ac confirmantis decreta Concilii. Tum quia, vel Concilium pertinet ad Chriſti oves, vel officium ipſi ineſt Paſtoris Eccleſiæ: ſi eſt Paſtor aſſignandæ ſunt oves, quarum ſit Paſtor, & quando Chriſtus demandaverit officium eidem paſcendi oves: atqui nullibi legitur officium paſtoris fuiſſe demandatum Concilio univerſali. Imò ſtante Chriſti promiſſione, nec potuit illi demandari, quia Chriſtus promiſit, fore unum paſtorem, & unum ovile; & cùm dixerit Petro *paſce oves meas*, illi tantùm concredidit ſuas oves, officiúmque commiſit Paſtoris: ſi igitur eſt unicus tantùm in Eccleſia Paſtor, id officii ad Concilium non pertinet; ſed ad ſolum Petrum, ejuſque ſucceſſores. Quòd ſi concilium ad oves ſpectet, jam non ſupra; ſed infra eſt Paſtorem. Nec Concilium paſcit, ſed paſcitur à Paſtore, ſeu ſummo Pontifice, neque regit, ſed regitur.

Neque poteſt Concilium majoris eſſe autho- 18
ritatis, quàm ipſa Eccleſia univerſalis: ſiquidem Concilium tametſi generale, non tamen eſt ipſa Eccleſia univerſalis, ſed eam tantùm repræſentat, perinde, ac Legatus repræſentat Principem, à quo mittitur; & Vicarius ſuum Principalem; quapropter cum Concilium generale tantùm repræſentet Eccleſiam univerſalem, ſequitur non eſſe majoris authoritatis, quàm ſit ipſa Eccleſia: atqui ſummus Pontifex eſt ſupra Eccleſiam univerſalem, à qua non poteſt judicari, cùm ſit illius Magiſter, Paſtor, & fundamentum: quid enim abſurdiùs, quàm Magiſtrum à diſcipulis edoceri? Paſtorem ab ovibus duci? fundamentum à domo fulciri? ergò Concilium perinde ſubjicitur ſummo Pontifici, ac Eccleſia, & oves Paſtori, diſcipuli Magiſtro.

Neque obſtat, Pontificem poſſe ſua poteſtate 19
abuti. Quia eſto, poſſet eſſe moribus corruptis, ſalva tamen religione, & fide: non propterea deſineret eſſe Pontifex, Magiſter, & Paſtor: proinde adhuc audiendus eſſet, & quæ dicit, facienda; licèt non imitanda, quæ faceret. Si igitur Pontifex eſt Paſtor, & Magiſter totius univerſalis

Ecclesiæ, utique ejus authoritas est major, quàm illa Ecclesiæ; & à fortiori etiam major, quàm illa Concilii universalis, quod tantùm Ecclesiam repræsentat, nisi plus velimus concedere imagini, quàm prototypo; plus legato, quàm Principi: & sicut legato non potest dari jus in Principem, cujus est Legatus; alioquin esset supra Principem; ità repugnat, Concilium generale habere jus aliquod in Pontificem, cùm hic sit Principalis, & Christus dixerit Petro, & ejus successori pro tempore *pasce oves meas: super te fundabo Ecclesiam meam*: non enim hæc verba fuerunt principaliter in Ecclesiam, & Concilium directa, alioquin sensus verborum esset, & tu Ecclesia pasce Ecclesiam meam, quo nil absurdius.

20 Si dicas, summum Pontificem præesse toti Ecclesiæ seorsim, & distributivè sumptæ, non verò collectivè, & congregatæ in Concilio. Contra est, quia summus Pontifex etiam respectu totius Ecclesiæ in unum collectæ, est verus Christi Vicarius, adeò ut per talem collectionem non deperdat potestatem à Christo acceptam; quinimò tunc vel maximè debet eam habere, cùm tunc sit maximè exercenda: siquidem Pontifex accepit hanc potestatem in universalem Ecclesiam. Præterea, Christus Dominus perinde Ecclesiam gubernat per suum Vicarium, sicut ipse gubernaret, si visibili præsentia corporali eam regeret: atqui si Christus visibiliter Ecclesiam gubernaret, ipse solus independenter à Concilio generali exerceret usum suæ potestatis; siquidem eam gubernaret eodem modò visibiliter, quò istam gubernavit cùm primùm illam instituit, scilicet independenter à Concilio generali: ergò Concilium generale subest authoritati summi Pontificis: quia Vicarius facit idem tribunal cum suo Principali: sicut instrumento non tribuitur alius modus operandi in virtute causæ principalis, nisi ille, quo causa principalis ageret, præsertim quando est instrumentum morale: ita Pontifici tribuitur authoritas Christi, proinde ei subjicitur Concilium.

21 Superest tantùm ut respondeamus authoritatibus petitis à Conciliis Constantiensi, & Basileensi, quibus quasi unicè nituntur adversarii: etenim Concilium Constantiense quod attinet *sess. 4. & 5.* expressè definivit Concilium universale habere potestatem immediatam à Christo, cui teneatur obedire quilibet cujuscunque dignitatis, & conditionis sit, etiam papalis. Rursus *sess. 15.* anathemate percutit omnes, cujuscunque sint dignitatis etiam papalis, qui venientibus ad Concilium sunt impedimento. Rursus *sess. 27.* Concilium generale plurimùm commendat Gregorium XII. eò quia se sponte abdicaverit papatu, eúmque declarat gratiis, & privilegiis à Concilio cumulatum, ne à futuro Papa, neque à Concilio iisdē privari possit. Rursus *sess. 39.* præcipit futuris Papis, ut singulis decenniis Concilium generale congregent; & si contigerit, duos insignia pontificalia induere, jubet sub interminatione divinæ maledictionis statim renuntiare; quòd si secus fecerint, eos privat omni jure, quod à Papatu habebant, eósque inhabiles declarat ad omnes imposterum dignitates. Rursus *sess. 45.* sub initium oratores Regis Poloniæ, magnique Ducis Lithuaniæ Martino V. Romano jam electo supplicârunt, ut velit quemdam libellum Joannis de Falchenberg continentem opiniones hæreticas damnare, & nisi faciat, suorum Principum nomine ad futurum Concilium se appellaturos: ex quibus adversarii inferunt, Patres Concilii Constantiensis definivisse, Concilium generale non subesse, sed præesse Pontifici, cui etiam leges statuit.

Verùm licèt hæc audienti videantur aliquod 22
facessere negotium, nihilominus tantùm abest, quòd Concilium Constantiense declaraverit, Pontificem subesse Concilio, ut expressè contrarium definierit, ut legenti acta illius Concilii statim patebit. Fuit hoc Concilium coactum ob schisma, quod tunc temporis erat in Ecclesia, & incertum, quinam esset legitimus Pontifex; tunc enim pertinet ad Concilium generale consulere Ecclesiæ, & omnia removere scandala: siquidem quando plures sunt electi Pontifices, omnes cum summa pontificia potestate deberent præesse Ecclesiæ, quod est absurdum, contra regimen monarchicum, & contra promissionem Christi, qui spopondit, *unum fore Pastorem, & unum ovile*: atqui quando ex pluribus electis non constat quis eorum sit legitimus, non est major ratio, cur potiùs unus, quàm alter deponatur, cùm de omnibus dubitetur: ergò sunt omnes deponendi; non tamen tunc Concilium ullam exercet authoritatem in Papam, sed tantùm in eum, quem credit non esse Papam: siquidem dubius Papa, & de quo non constat, pro nullo habetur, cùm in jure sint paria, non esse, & non apparere, *L. duo sunt Titii 30. ff. de testament. tut. L. in lege 77. ff. de contrahent. emptor. L. omnia 32. §. species ff. de legat. 2.*

Concilium igitur Constantiense tametsi plu- 23
ra ante electionem Pontificis statuerit, electo postea Martino V. nil ampliùs statuit; sed omnia statuta Pontifici recèns electo subjecit, & omnia non nisi nomine electi Pontificis sacro approbante Concilio sunt constituta. Quòd si electo Pontifice Concilium nil ampliùs statuit; nomine proprio, sed tantùm nomine Pontificis approbante Concilio; perspicuum est, censuisse Concilium se subesse Pontifici, & tunc præesse Papam, ut supremum Ecclesiæ pastorem etiam Concilio generali; alioquin si Concilium fuisset supra Pontificem, non fuisset ratio, cur post electionem Pontificis debuisset cessare à statutis, & decretis, & omnia agere nomine Pontificis recèns electi; non enim potestas superior cessat ex accessu minoris; quis enim dicat, Imperatorem privari dignitate imperatoria, eò quia Electores Imperii Regem eligant Romanorum? Quòd verò Concilium censuerit, Pontificem præesse Concilio generali, liquet ex *sess. ult.* Concilii Constantiensis, ubi expressè, hæc veritas definitur; ibi enim dicitur, quòd supre-

ſuprema in Eccleſia poteſtas non penes Concilium, ſed penes Papam ſit.

24 Quamobrem licèt Concilium Conſtantienſe *ſeſſ.39.* ſtatuerit ſingulis decenniis Concilia generalia cogenda eſſe; non tamen id futuro Pontifici imperavit, nec ullas condidit leges, quibus eum obligaret coactivè, ſed tantùm quandã directionem propoſuit Pontifici mox eligendo; unde non proceſſit Conciliũ coactivè in Pontificem, ſed tantùm directivè; quo pacto poteſt conciliũ leges ſtatuere, quæ etiam Pontificem, quoad vim tantùm directivam, & nullo modo coactivam obligent, maximè cùm leges ſancitæ ordinentur ad obſervantiam divini, & naturalis juris: qua ratione licet nemo ſit ſibi ſubjectus, nec ſe ipſo inferior, adhuc S. Thomas *1.2. q. 96. art. 5. ad 3.* docet, Principem ſuis obligari legibus, & deſumitur *ex cap. quæ contra diſt. 8. c. juſtum diſt. 9. c. cùm omnes de conſtitut. ff. quod quisque juris l. digna vox C. de leg. l. 23. de legat. 3.* Quòd verò ad appellationem attinet à Papa ad futurum Concilium nomine Regis Poloniæ factam, reſpondit Martinus V. ut habetur *in act. Concil. ſeſſ. 45.* ſe ſanctè obſervaturum, quæ contra Wicleffum, & Huſium à Patribus fuerunt conciliàliter decreta, & hæc rata habere, & confirmata; non verò alia, quæ ad fidem non pertinerent, aut quæ non conciliàliter, & cum debito examine, diſcuſſione, initisque ſuffragiis, eſſent definita.

25 Aliud Concilium, quod adverſarii objiciunt eſt Baſileenſe, quod *ſeſſ.2.* expreſsè definit, concilium eſſe ſupra Papam, nec hunc poſſe, niſi Patres conſenſerint, Concilium diſſolvere; vel aliò transferre, & *ſeſſ.3.* expedit monitorium contra Eugenium IV. pœnàsque detrectanti obtemperare decernit, & *ſeſſ 4.* prohibet, ne durante concilio Pontifex ad promotionem procedat novorum Cardinalium, & *ſeſſ. 7.* non poſſe Papam de beneficiis Cardinalium à Concilio punitorum diſponere. Rurſus *ſeſſ.8.* Eugenium authoritativè, & ſub pœnis contumaciæ ad Concilium citat. Imò *ſeſſ.9.* reſcindit omnia acta, & proceſſus ab Eugenio Papa contra Wilhelmum Concilii protectorem factos. Deinde *ſeſſ.13.* conditiones Eugenio Papæ tribus formulis comprehenſæ à Concilio præſcribuntur, in qubus niſi conſentiat, papatu exuitur: *ſeſſ.18.* iterum expreſsè definit, majorem eſſe authoritatem concilii, quàm Papæ, & hunc, niſi obtemperet, poſſe à concilio puniri. Rurſus *ſeſſ. 26.* definit, Papam notoriè criminoſum juriſdictioni concilii ſubjacere, & ipſum Eugenium Papam in jus vocat. Imò quod pejus, legati Eugenii IV. *in appendice ad ſeſſ. 17.* jurant fideliter laborare pro ſtatu; & honore Concilii Baſileenſis; & ejus decreta defendere, & manutenere, & ſpecialiter decretum Concilii Conſtantienſis de ſubjectione Pontificis, & aliud ſynodi Baſileenſis decretum, quo Papa concilio univerſali teneatur obedire. Hinc adverſarii argumentantur, quidquid à Concilio generali definitur, & à legitimo Pontifice confirmatur id pro vero, & rato à tota Eccleſia haberi debet: atqui Pontificem ſubjacere concilio generali; & à concilio citari, judicari, ac puniri poſſe, definivit Concilium Baſileenſe, & totum confirmavit Eugenius IV. legitimus Chriſti Vicarius: ergo certum eſt, ac indubitatum Pontificem ſubeſſe concilio.

Sed contra, quia hæc omnia ſtatim corruunt, 26
ſi quis legat hiſtoriam Concilii Baſileenſis: ex præſcripto Concilii Conſtantienſis *ſeſſ. 39.* & poſtea Senenſis, Martinus V. concilium generale Baſileæ indixerat: & quia ſenio jam confectus, & morbo correptus, non potuit illuc proficiſci, eam curam Juliano Cardinali Diacono commiſit: ſed mortuo Martino ſucceſſit Eugenius IV. qui eidem Juliano mandatum repetiit convocandi Baſileenſe Concilium: unde anno à reparata ſalute quadringenteſimo trigeſimo primo ſupra milleſimum ſub finem æſtatis initium dari cepit Concilio Baſileenſi, ſed pauciſſimi ex Patribus comparuerunt, bello Burgundiæ inter, & Auſtriæ Duces graſſante, ac propterea impeditis itineribus; & præſertim, quia Huſſitæ hæretici cæſis catholicorum exercitibus finitima Baſileæ incurſarent: & ex parte altera ſpes maxima illuxerat, græcam cum latina Eccleſia conjungendi, ſi Concilium in Italiam transferretur; idque cauſæ fuit, cur Eugenius IV. injunxerit Juliano Cardinali dimittere Baſileenſem ſynodum. Hæcque dimiſſio fomes fuit diſſidiorum, quibus Patres Baſileenſis conventûs ceperunt acriùs contra Eugenium invehere: negârunt, concilium jam ſemel legitimè coactum diſſolvi ampliùs poſſe, & aliò transferri. Præſertim cum Bohemi hæretici recenti victoria ſuperbientes vocati ad concilium annuerint, ſeque jam itineri accinxerint, qui ſi concilium ex- tempore ſolutum audirent, Patresque dilapſos; ſe à Patribus Concilii deceptos exiſtimarent: Baſileenſium querelis addebantur Sigismundi preces minis immixtæ, diram Pontifici, ac imminentem præcinentis procellam, ſi cæptis inſiſteret.

Verùm plura perſuadebant Eugenio ſuſcepto 27
hærere conſilio, nec animum mutare; cùm enim pacis componendæ cum Eccleſia græca deſiderio flagraret, & neceſſitas urgeret, ut Romanus Pontifex Concilio intereſſet, nec Baſileam proficiſci poſſet ob loci diſtantiã, quæ Græcis non modico foret incommodo; ideò Bononiam delegit, in qua ſynodus œcumenica congregaretur. Hinc Patres Baſileenſis conventûs magis exaſperati; cùm flectere Pontificem non valuiſſent, ad ipſum oppugnandum caſtra moverunt: hæcque cauſa fuit, cur tot impia ediderint decreta pœnas ſtatuerint, acta reſciderint, & totum in Pontificem moverint Acherontem; furebat etiam ambitio plurium, omnia miſcebat Dominicus de Capranica, cui purpuram Eugenius negabat, quam Martinus contulerat, quæ cauſa alios quoque in Pontificem armabat. Philippus Maria Mediolanenſis Dux Eugenio infeſtus Columnienſes in eum concitavit expilato ſacro ærario. In hac igitur rerum perturbatione Patres ſynodi Baſileenſis plura contra Eugenium ſtatuerunt, quæ tamen nullius fuerunt roboris, nulliùſque authoritatis, cùm Eugenius jam miſerit diſſolvi hanc ſynodum, quam Bononiam tranſtulit: unde cum non fulciretur Pontificia authoritate, nil potuit decernere firmæ authoritatis: ait enim S. Antoninus *3. p. tract. 22. c. 10. §. 4. Eugenius IV. Concilium Baſilea congregatum authoritate Apoſtolica* diſſol-

dissolvebat, ibi tamen obturaverunt aures suas, & ceperunt Eugenium citare, sollicitati ad hoc à Duce Mediolani agrè Pontificem ferente. Sigismundus verò Imperator, & Veneti dissuadebant iis, qui Basilea erant congregati, ne pergerent, at illi deposito Eugenio, Felicem V. elegerunt. & Panormitanus (teste Ænea Sylvio, sic Patres Concilii Basileensis allocutus est) *Vos Patres nostras contemnitis preces, Reges, & Principes contemnitis; at cavete, ne dum omnes despicitis, ab omnibus despiciamini.*

28 Præterea Eugenius IV. decreta Basileensis synodi, quibus authoritatem pontificiam Patres impetebant contrariis decretis sæpius oppugnavit, missis etiam Archiepiscopis Colloceinsi, & Tarentino, qui ab hujusmodi decretis concilium prohiberent. Cæterum si quæ Pontifex ex illo concilio visus est confirmâsse, id omninò coactè, & metu imminentis schismatis egit, cùm enim Pontifex domi, forisque armis, & periculis esset obsessus, vitæ, ac libertatis incertus, metùque perculsus gravissimi schismatis, pejora impediturus mala; nonnulla invitus subscripsit, quæ tamen rata minimè fuerunt, utpote vi, ac metu extorta; quid enim tam legibus, ac naturæ consentaneum, quàm invalida esse, quæ vi, metùque extorquentur, & quæ in comune redundant damnum? cæterum licet metu, impendentium malorum Eugenius IV. aliqua confirmaverit, quæ contra dignitatem pontificiam fuerunt in Concilio illo statuta; non tamen inde infertur, eum in fide errâsse, quia liquet, ex metu illa tantùm confirmâsse, de quibus tunc erat controversia; cæterum illam propositionem Patrum Basileensium declarantium hæreticum eum, qui neget, Papam Concilio subjici, nunquam Eugenius cònfirmavit, imò positive rejecit, ut refert Turrecremata, qui omniū, quæ in Concilio Basileensi agebantur, spectator aderat, subdens Pontificem nulla ratione flecti potuisse, ut decretis Concilii subscriberet: quapropter cùm non fuerint hæc decreta à Pontifice confirmata, nullum fuerunt sortita valorem. Imò ex Concilio Basileensi si res intimiùs consideretur, potiùs desumitur argumentum evincendi authoritatem Papæ supra Concilium generale, etenim licèt Patres obniterentur, Principes moverent, & Eugenium ipsum in jus vocarent, eique pontificatum adimerent: nihilominus Eugenius synodum Basileensem dissolvit, illique aliud œcumenicum Concilium in Italia opposuit, quod utraque Ecclesia græca, & latina amplexa est, ut legitimum, & abominata Basileense latrocinium, ut vocabant: & in Florentino Concilio consentiente utraque Ecclesia græca, & latina definitum fuit, summum Pontificem Romanum legitimè electum esse supra Concilium, quantumvis œcumenicum; & Concilium Lateranense sub Leone X. *sess. 11.* cùm declarâsset, decreta Concilii Basileensis nullius fuisse roboris, & authoritatis, etiam definivit authoritatem summi Pontificis esse supra quodvis Concilium generale.

29 Solent tamen contra hanc Pontificis authoritatem supra Concilium generale aliquot opponi Canones, præsertim *c. legimus 24. dist. 93.* qui Canon decerptus est ex Epistola S. Hieronymi ad Evagrium, ubi ait: *sed dicis, quomodo Romæ ad testimonium Diaconi Presbyter ordinatur? quid mihi præfers unius urbis consuetudinem? quid paucitatem, de qua ortum est supercilium in leges Ecclesiæ vendicas? si authoritas quæritur, orbis major est urbe.* Ex hac enim Hieronymi sententia approbata ab Ecclesia infertur, Concilium universale, quod totum orbem Christianum repræsentat majoris esse authoritatis, quàm Urbs, ac Urbis Romanæ Episcopus, unde Glossa in hunc locum ait: *est hic argumentum quò statuta Concilii præjudicant statutis Papæ: & in c. nemo 9. q. 3. habetur cùm Papa peccat, potest ejus peccatum etiam Ecclesiæ denuntiari. Et in c. si Papa §. 40. certè credo, quòd si notorium est crimen Papæ, & inde scandalizatur Ecclesia, & incorrigibilis est, quod inde possit accusari; nam contumacia dicitur hæresis c. si quis Presbyteri d. 81. & contumax dicitur infidelis cap. nullus d. 38.*

Sed contra quia D. Hieronymus in præcitato textu, non agit de potestate Romani Pontificis, an major, vel minor sit Concilio, sed tantùm invehit in Diaconos superbientes, ac se Presbyteris tunc æquantes, imò & præferentes; siquidem cùm administratio bonorum Ecclesiæ illis concrederetur, & Romæ causis etiam præessent, ut refert S. Augustinus *in quæst. ex utroque mixtis q. 101.* oriebatur, ut à populo lucrum, non dignitatem spectante, magis colerentur; quòd erat illis ansa superbiendi: unde eorum arrogantiam S. Hieronymus confutat in epistola ad Evagriū, ubi asserit, non esse propterea Romanos Diaconos Presbyteris majores, licèt consuetudinem præcedendi Presbyteros in abusum vertissent. Ad Glossam quod attinet respondetur, hanc tantùm velle, Papam ob notorium crimen, quo Ecclesia scandalizatur, esse concilio denuntiandum; non verò asserit, esse ab eodem judicandum, cùm aliud sit, unū denuntiandum esse alteri, & aliud, unum ab altero judicari. Denuntiatio enim, quæ intenditur à Glossa est ad effectum justæ, & charitativæ reprehensionis, & assumitur, ut medium ad corrigendum publicum crimen, quod aliis est scandalo: exinde tamen non sequitur, Concilium esse supra Papam, cùm possit superior etiam à subdito moneri de suo defectu, ut corrigatur. Præterea, dato, & non concesso, quòd Glossa censuisset, Concilium generale esse supra Papam, non tamen inde sequeretur, esse adhærendum sententiæ Glossæ, cùm hæc exiguæ sit authoritatis, & plura asseruerit, quæ veritati minimè sunt consona; etenim quærens pro quo peccato deponi Imperator possit? respondet Glossa *pro quolibet si est incorrigibilis; unde deponitur, si est minus utilis*, quæ opinio Glossæ communiter censetur erronea; & esset fomes seditionum, ac incentivum bellorum, imò repugnat Evangelio Matth. 23. unde authoritas Glossæ, non semper est magni facienda. 30

Neque ullum facessit negotium, quod objicitur ex *c. confidimus 25. q. 1. c. contra. c. prima salus c. ideò ead. caus. & q.* ubi legimus, summum Pontificem sacris Canonibus, & universalium synodorum decretis alligari, ex quibus videtur inferendum, Concilium generale esse supra Papam, 31

cùm

cùm hic teneatur ejus legibus parere; obedire siquidem decretis alterius, perinde est, ac illi subjici. Sed contra, quia præcitati textus tantùm loquuntur de statutis in Conciliis, & sacris Canonibus, quæ ad jus divinum, & naturale pertinent; siquidem quæ sunt juris naturæ, & divini, obligant etiam Romanum Pontificem, & quod de hisce statutis fit sermo; liquet ex *c. sunt quidam 24. q. 1. c. omnia c. satagendum eod.* Secus quæ tantùm sunt juris humani, tantùm possunt obligare ex quadam decentia, & honestate, non verò ex necessitate, ut constat ex *l. ex imperfecto ff. de legat. 5. & l. digna vox. C. de leg.* Præterea ut docet D. Thomas *1. 2. q. 96. art. 5. ad 3.* Canones, & Concilia generalia tantùm possunt obligare summum Pontificem, quoad vim directivam, non verò quoad vim coactivam; adeò ut concilia possint statuta condere, quæ inserviant Pontifici, pro regulis rectè procedendi, non verò quæ sint præcepta coactiva, & Pontifex teneatur illa servare. Cæterum ut loquitur D. Thomas cùm Principis exemplum plurimum valeat in populo, fieri vix potest, ut ab aliis lex illa servetur, quæ à Principe habetur ludibrio.

32 Hinc præfati Canones tantùm directivè exhibent Pontifici modum procedendi, non verò coactivè, ut eosdem canones rectè interpretatur Gratianus inquiens: sacrosancta Romana Ecclesia jus, & authoritatem his Canonibus impertitur, sed non eis alligatur, habet enim jus condendi Canones: utpote quæ caput est, & cardo omnium Ecclesiarum, à cujus regula nemini dissentiri licet: ità ergo canonibus authoritatem præstat, ut seipsam eis non subjiciat; sed sicut Christus, qui legem dedit, ipsam legem carnaliter implevit, octava die circumcisus, quadragesima die in templo cum hostiis præsentatus, ut in seipso eam sanctificaret; postea verò ut se dominum legis ostenderet, contrà legis litteram leprosum tangendo mundavit; Apostolos quoque contra litteram Sabbathi per sata prætergredientes, spicas vellentes, & confricantes manibus suis, producto exemplo David, & circumcisionis, & templi, excusavit, dicens: non legistis quid fecerit Abimelech, quando venit ad eum David, & dedit ei panes propositionis, de quibus non licet comedere, nisi solis sacerdotibus; & comedit ipse, & pueri ejus: sic summæ sedis Pontifices Canonibus sive à se, sive ab aliis sua authoritate conditis reverentiam exhibent; & eis se humiliando ipsos custodiunt, ut aliis observandos exhibeant; nunquam verò, seu jubendo, seu definiendo, seu aliter agendo, sed decretorum dominos, & conditores esse ostendunt; in præmissis ergo capitulis aliis imponitur necessitas obsequendi; summis verò Pontificibus ostenditur inesse authoritas observandi, ut à se tradita observando, aliis nõ contemnenda demonstrent: exemplo Christi, qui sacramenta, quæ Ecclesiæ servari mandavit, primò in se ipso suscepit, ut ea in se ipso sanctificaret: oportet ergo primã sedẽ observare ea, quæ decernendo mandavit, non necessitate obsequendi, sed authoritate impertiendi.

33 Objicitur etiam *c. sicut sancti d. 15.* ubi S. Gregorius Magnus asserit, nec à summo Pontifice solvi posse, quos quinque Concilia œcumenica ligârunt: aut ligare, quos illa solverunt. *Et c. 21. octava synodi œcumenicæ*, ubi dicitur universalis synodus cum convenienti reverentia quamlibet quæstionem de Romana sede exortam audire tenetur, & in ea proficere; non tamen audacter sententiam in Romanum Pontificem dicere; quòd si non audacter, sed cum debita reverentia, adhuc poterit in Romanũ Pontificem sententiam proferre, adeò ut non prohibeatur absolute judicari, sed tantùm audacter judicari. Sed ad primum quod attinet desumptum ex *c. sicut sancti*, respondetur, ibi tantùm esse sermonem de hæreticis, quos illa quinque Concilia œcumenica damnârunt: & sicut non est in potestate Pontificis efficere, ut hæresis, non sit hæresis, ita nec est in potestate ejusdem absolvere ab hæresi, quos illa Concilia damnârunt, ut hæreticos. Ad secundum respondetur, ex inde nil sequi contra authoritatem Papæ, imò ibi Concilium asseruit, authoritatem Papæ supra Concilium generale: etenim cùm dixerit Concilium non debere audacter sententiam in Romanum Pontificem dicere: illud adverbium *audacter* non significat modum judicii, sed ejus substantiam, eò quia intolerabilis esset audacia, si Concilium generale vellet in Romanum Pontificem sententiam dicere, cùm ejus authoritas sit supra quodcunque Concilium generale: hunc esse verum sensum illius Concilii ex eo liquet, quia si solum modum, & non ipsum judicium prohibuisset, nihil speciale circa Pontificem disposuisset, cùm aliàs, & per se audax, & temerarium jûdicium in omnibus causis prohibeatur. Quamobrem in citata synodo permittitur quidem Concilio generali, ut quæ subjiciuntur summo Pontifici, cognoscat, & examinet, non tamen quoad effectum judicandi, & exercendi ullam jurisdictionem, sed tantùm admonendi, reprehendendi, & omni honesta, ac præmissa ratione procurandi emendationem.

Objicitur demum S. Antoninus *4. 3. p. 1 c. 2. §. 6.* 34 ubi asserit, in iis, quæ ad fidem pertinent majorem esse authoritatem Concilii, quàm sũmi Pontificis, & infra subjungit. In iis, quæ universalis Ecclesiæ statum concernunt, non posse Papam contra Concilium aliquid statuere. Sed contra, quia D. Antoninus tantùm voluit, quòd, quæ semel à Conciliis in materia fidei statuta sunt, & à Pontifice confirmata, mutari ampliùs non possint, nec ab ipso summo Pontifice; quod verum est: quia quæ sunt declarata de fide à Concilio cum suo capite, seu summo Pontifice, non possunt non esse de fide, proinde, nec ab ipso Pontifice potest fieri, ut non sint de fide.

Neque ullum facessunt negotium exempla 35 Pontificum, qui à Conciliis videntur fuisse judicati & damnati: solent enim adversarii contra nostram assertionem objicere Marcellinum, quem synodus Sinuessana judicavit; eò quia Romæ cùm Vulcanalia agerentur ab Imperatoribus Diocletiano, & Maximiano minis primò, deinde blanditiis evictus est, ut thus Vestæ adoleret; cujus delicti à viris Christianis septuaginta duobus in synodo trecentorum Patrum convictus fuit. Liberium à Constantio judicatum; & damnatum Sylverium à Justiniano proscriptum; Joan-

Joannem XII. ab Ottone I. in Concilio Romano expulsum. Gregorium VI. ab Henrico III. depositum. Nam hæc exempla, & alia, quæ iis similia possunt congeri, nostram non impugnant assertionem: siquidem Marcellini causam Patres congregati in synodò Sinuessana cognoverunt quidem, & examinârunt, non tamen Marcellinum condemnârunt; siquidem, ut legitur in illo Concilio Patres dixerunt: *absit, ut à nobis summus Pontifex judicetur. Negâsti tu? negavit & Petrus Magister tuus: & quis Apostolus ausus fuit inde eum judicare? sed egressus foras, flevit amare. Tu ergo in sinum tuum causam collige, tuo te ore judica, non nostro judicio, nam prima sedes à nemine judicatur.* Constantius fuit Imperator Arianus, qui propterea eodem jure Liberium Papam in Bëoream Thraciæ relegavit, quo Nero Romæ est Martyres persecutus. Cæterum quia Liberius postea defecit, & in Athanasii condemnationem consensit, ideò de hæresi suspectus est habitus, & Catholici Felici adhæserunt. Ad Sylverium quod attinet, hunc per vim, & metum imò accepta etiam pecunia Theodosius Gottorum Rex solio pontificali imposuit; sed postea Clerus subscripsit ejus electioni. Cúmque Theodora Augusta ei persuadere non posset, ut Anthymum hæresis Eutychianæ damnatum restitueret, per Bellisarium eum in exilium egit, & Vigilium, à quo ingentem auri sumam acceperat, & majora promissa, Pontificem jussit; exilio Sylverii ea causa prætexta, quòd contra Imperatorem cum Gottis colluderet. Exhorruit postea Bellisarius impium facinus, quod pœnitentia expiavit. Ad depositionem Joannis XII. quod attinet, fuit illà valdè dubia, ut legitur in Luitprando *lib. 6. c 8.* proinde nil facit ad probandam Concilii superioritatem, cùm principium dubium non sit idoneum medium veritati demonstrandæ; neque rebus dubiis est danda fides, & plures Historici eam depositionem negant.

36 Præterea si Concilium assensum præbuisset expulsioni Joannis XII. id fecisset non jussu Ottonis Imperatoris, sed quia electio Joañis nō fuit legitima, vel fortassis ipse invalidè intrusus. Potest enim Pontifex invalidè promoveri ad pontificatum, eò quia vi sit potiùs intrusus, quàm electus; & plures censent, hac ratione Joannem XII. ad pontificatum ascendisse, & quia sic intrusus, & invalidè electus non est Pontifex; ideò Concilium potuit in ipsum sententiam dicere, quia tunc non exercuit jurisdictionem in Pontificem. Pari pacto negant plures Gregorium VI. fuisse legitimum Pontificem, quia tunc temporis tres sibi Romæ pontificatum vindicabant, unus in Vaticano, alter ad sanctam Mariam, & tertius in Palatio Lateranensi, adeò ut omnes simul federint in pontificatu. Plures tamen Historici asserunt, Gregorium VI. fuisse quidem legitimum Pontificem, sed eum sponte se abdicâsse pontificatu, ut minas declinaret Henrici Regis, qui armata manu irruerat & ut impediret imminens in Ecclesia schisma, cùm Henricus alium desideraret in pontificatu.

37 Potest Papa, si *velit* pontificatu se abdicare, ac renuntiare etiam non spectato Ecclesiæ consensu, ut habetur *c. 1. de renunt. in 6.* & in Concilio Constantiensi *sess. 2. & 6.* & sunt exempla in Gregorio VI. & Cœlestino V. quorum primus pacis, alter pietatis causa se papatu abdicavit. Siquidem Pontifex nullo jure naturali, aut positivo prohibetur renuntiare, & ex alio capite ex tali renuntiatione persæpè nullum in Ecclesia damnum redundat. Excluditur etiam Pontifex à dignitate, si sit invalidè electus, aut intrusus. Electionem Pontificis invalidam esse, & electum esse intrusum, pluribus modis potest contingere. Primò si electio facta fuerit præter formam canonicam in Concilio Lateranensi præscriptam *can. 1.* & jure recentiori contra Bullam Gregorii XV. quæ incipit *æterni Patris*, & desumitur etiam ex *c. licèt 6. de elect.* Secundò si defectus aliquis juris diviñi, aut naturalis electioni misceatur, ut si electus esset hæreticus, aut electioni non assentiretur, aut legitimo aliquo detineretur canonico impedimento. Tertiò si electio fuerit simoniaca, data, accepta, aut promissa pecunia, aut alia re pretio æstimabili, ut liquet ex *c. si quis pecunia d. 79.* & Bulla Julii II. quæ incipit *cùm tam divino.* Demum si electio fuerit per gravem metum, & injustum facta, ut liquet *ex sess. 29.* Concilii Constantiensis, quod intelligitur de metu injustè incusso ad certam, & determinatam personam eligendam, ut etiam si electio ab iis facta fuerit, qui jus eligendi non habent, nec sunt Cardinales, ut desumitur *ex c. de elect.* & Bulla Gregorii XV. quæ incipit *æterni Patris.*

Quòd si Papa dubius fuerit, eò quia in schismate creatus, nec constat ex pluribus electis, quis eorum sit legitimus, tunc devenitur ad novam electionem, ut definitur in Constantiensi *sess. 4. & 5.* quia ubi plures Pontifices electi sunt, vel oporteret omnes cùm summa potestate Ecclesiæ præesse, quod est absurdum: aut aliquos deponi; & quia in dubiis non est ratio, cur unus potius quàm alter debeat deponi; ideò deveniendum est ad novam electionem per Concilium generale, quod tunc non exercet jurisdictionem in Papam, sed solum in eum, quem credit non esse Papam; quia dubius Papa, & de quo non constat, pro nullo habetur; siquidem in jure paria sunt, non esse, & non apparere *l. omnia 32. §. species ff. de legat. 2.* Quòd si Papa in hæresin laberetur, quia tunc amissa fide non esset ampliùs membrum Ecclesiæ Christianæ, ita nec esset caput ejusdem; adeò ut eo ipso quòd Papa est hæreticus, cadat à pontificatu ex se ipso: cùm idem sit labi in hæresin, ac se privare pontificatu; ideò concilium posset in illum sententiam dicere, quia tunc non exerceret authoritatem ullam in Papam; sed tantùm in eum, qui ob hæresin non est ampliùs Papa. 38

Rursus si Pontifex legibus injustè latis, aut alio modo moliretur Ecclesiæ detrimentum, & in perniciem fidelium leges sanciret, & aliena jura injustè invaderet, tunc monendus priùs esset, ac rogandus, ut à cœptis desisteret, quòd si preces non sufficerent, posset etiam bello, & armis coërceri, vel alio modo compesci ad ea, quæ juris sunt naturalis, quia tunc defensio esset justa, & contra injustum aggressorem habet quisque jus se defen- 39

defendendi, ut docent Turrecremata *l. 2. c. 106.* Bellarminus *de concil. author. lib. 2. c. ult. ad secundum argumentum.* quia tunc non resistitur Papæ, sed injusto invasori. Neque fideles tenentur obedire Papæ, nisi quando agit ut Papa, & caput Ecclesiæ; non verò quando se gerit ut hostis: quia tunc non exercetur ulla jurisdictio in Pontificem, sed tantùm jure defensionis agitur, quod non fundatur in jurisdictione, & authoritate, sed in præcepto, & facultate naturali, quæ à Pontifice tolli non potest; cùm & ipse juri naturali subjiciatur, ut desumitur ex *tota causa 25. q. 1.*

40 Præterea si summus Pontifex in materia præsertim fidei contra omnes Concilii Patres sentiret, & contra omnes vellet definire, tunc, ut docet Abbas Panormit. *2. p. consil. q. 1.* talis definitio haberetur pro temeraria, neque debito examine, & inquisitione veritatis innixa: Pontifex enim, ut privatus Doctor est errori obnoxius; & tunc si se solo contra cæteros vellet definire, utique non definiret, ut Pontifex, nec ut persona publica, sed tantùm ut simplex doctor, & persona privata: quia non publicam, sed privatam opinionem sectaretur, & temerariè decideret, plus sibi, quàm cæteris omnibus fidens. Hoc volunt, qui asserunt, majorem esse Concilii authoritatem directivam, quàm solius Pontificis. Cæterum Pontifex non tenetur illi parti accedere, quæ pluribus suffragiis juvatur, siquidem plerumque sententia paucorum melior esse potest *l. nemo judex C. de sent. & interlocutor. c. sanè d. 9.* & passim alibi.

§. V.

A summo Pontifice ad Concilium generale non dari appellationem; Sed ab hoc ad Pontificem, evincitur.

1 Non posse à sententia summi Pontificis appellari ad Concilium generale, sive præsens, sive futurum ex eo liquet, quia summus Pontifex est in militante Ecclesia proximus, & immediatus Christi Vicarius, & supremam in eadem habet potestatem, ut Concilia definiverunt, adeò ut propositio huic contraria sit manifesta hæresis in Concilio Constantiensi damnata *sess. 8. art. 37.* ubi inter alios Wicleffi errores, hic etiam ponitur: *Papa non est immediatus, & proximus Vicarius Christi.* Quòd si hæc propositio est hæretica, erit de fide; Papam esse immediatum, & proximum Vicarium Christi, habentem in Ecclesia Dei supremam authoritatem; ut definitur *sess. 45.* ejusdem Concilii Constantiensis in Bulla Martini V. in qua habetur: Papam canonicè electum esse verum Beati Petri successorem habentem supremam authoritatem in Ecclesia Dei. Rursus, summum Pontificem electum esse verum, proximum, & immediatum Christi Vicarium in Ecclesia militante definivit etiam Nicæna synodus *can. 39.* (inter octoginta Articulos, qui habentur *tom. 1. concil. post acta.* Concilii Nicæni) ubi habetur: *ille, qui tenet sedem Romæ caput est, & Princeps omnium Patriarcharum.* Quandoquidem ipse est primus sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum, ut sit Vicarius Christi, super cunctos populos, & cunctam Ecclesiam Christianam; & quicunque contradixerit, à synodo excommunicatur. Hanc eandem veritatem etiam definiverunt alia Concilia, ut Lugdunense, *in c. ubi periculum de elect. in 6.* Florentinum *sess. ult. in litteris unionis.* Lateranense *sess. 11.*

Quamobrem nulli dubium, quin summus Pontifex legitimè electus sit in militante Ecclesia verus, immediatus, ac proximus Christi Vicarius: atqui à Christi Vicario non potest appellari ad Concilium generale; siquidem proximus, & immediatus Vicarius habet omninò idem tribunal cum suo principali, cujus vices gerit, adeò ut Vicarius agat in eodem tribunali cum suo principali: quo pacto Vicarius generalis Episcopi facit unum tribunal cum Episcopo, ut desumitur ex *cap. non putamus de consuet. in 6. & c. Romana de appellat. clement. 2. de rescript.* quapropter Vicarius generalis utitur authoritate Episcopi; adeò ut quotquot subduntur Episcopo, subdantur etiam Vicario generali; & qui judicantur in tribunali Vicarii, judicentur in tribunali Episcopi. Tum quia Vicarius generalis habet jurisdictionem ordinariam, ut docet Glossa *l. fin. V. Rectorum de offic. ejus, qui vic. & in c. 2. V. officialem de offic. Vic. in 6. & in c. Romana V. generaliter de appellat. in 6.* Dominicus *in c. 2. n. 6. de offic. Vicar. in 6.* Ancharanus *n. 2. q. 2.* Franc. *n. 4.* Decius *in rubric. de offic. delegat. n. 3.* Berbius *n. 8.* Bart. *l. 1. in fin. ff. quis, & à quo appellat.* Felin. *in rubric. de offic. delegat. num 4.* Rebuffus *in prax. benefic. tit. de Vicar. n. 6.* Sylvester *V. Vicarius q. 4. dict. 2.* Tabiena *q. 5.* Covarruv. *lib. 4. var. c. 20. n. 4.* Armilla *n. 5.* Guttieres *lib. 1. quæst. can. c. 19. n. 15.* siquidem jurisdictio Vicarii est ordinaria, & concessa à lege, ut desumitur ex *cap. de judic. 2. quæst. 6.* 2

Hinc summus Pontifex habet idem tribunal cum Christo, cujus vices in militante Ecclesia gerit, & cui subrogatur ut caput sensibile; cùm Christus non sit sensibiliter præsens quoad humanitatem: atqui à sententia emanata à Christi tribunali non potest dari appellatio ad Concilium generale: siquidem appellatio fit à minori ad majus tribunal, & non datur tribunal majus in Ecclesia militante illo Christi, in quo summus Pontifex ut Christi Vicarius sententiam dicit: ergo à Papa ad Concilium generale, non potest appellari: quia sicut à Christo non potest appellari ad alium inferiorem; ita nec ab ejus Vicario ad Concilium generale. 3

Quòd si Concilium hanc Vicariam potestatem sibi vindicet, id omninò absurdum est, & contra scripturas: alioquin plures essent in Ecclesia supremi Pastores quod falsum est, cùm constet ex scripturis, Christum soli Petro dixisse: *pasce oves meas:* quòd si duo in Ecclesia essent Christi Vicarii, duo supremi Pastores, jam 4

possibile esset, vellem magis totis viribus stare, & respondere pro vobis: itaque recurro ad eum, cui in præsenti datum est judicare de universis, hoc est ad vos, vos appello, ad vos recurro: vos judicate inter me, & vos.

12 Cùm igitur certissimi sit juris à minori judice ad majorem fieri appellationem, & fideles semper noverint; atque inconcussam habuerint veritatem, summum Pontificem canonicè electum esse supra quodlibet Concilium generale, à Concilio universali ad Papam recto jure appellari censuerunt, ut liquet *ex c. ipsi sunt 9. quæst. 3. c. patet ead.* & plerisque aliis juribus: quapropter Concilia œcumenica non semel inter Patrum dissidia appellârunt ad summum Pontificem tanquam ad supremum judicem, cujus sententiæ debeat Concilium generale acquiescere. Sic synodus Sardicensis œcumenica sub Julio Pontifice imperantibus Constante, & Constantio, anno ab orbe redempto 347. in causa Athanasii coacta *can. 3. & 4.* Alias 7. ait. Quòd si aliquis Episcopus adjudicatus fuerit in aliqua causa, & putet se bonam causam habere, ut iterum judicium renovetur; si vobis placet S. Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur, vel ab his, qui examinaverunt, vel etiam ab aliis Episcopis, qui in propinquo morantur, Julio Romano Episcopo; & si judicaverit, renovandum esse judicium, renovetur, & det judices. Sin autem probaverit talem causam, ut ea non refricentur, quæ acta sunt: quæ decreverit Romanus Pontifex, confirmata erunt. Si ergo omnibus placet, statuatur. Synodus respondit: placet. Ex quo liquet, Concilium decrevisse in dubiis à Concilio etiam generali dari appellationem ad Papam, ut supremum judicem.

13 Hanc eandem appellationem à Concilio generali ad summum Pontificem etiam statuit Nicæna synodus *can. 18.* ubi hæc habentur: *Placuit, ut omnes Episcopi, qui in quibusdam gravioribus pulsantur, vel criminantur causis, quòd si necessè fuerit liberè Apostolicam sedem appellent, atque ad eam, quasi ad matrem confugiant, ut ab ea sicut semper fuit, piè fulciantur, defendantur, ac liberentur. Cujus dispositioni omnes majores Ecclesiasticas causas, & Episcoporum judicia, antiqua Apostolorum, eorùmque successorum, atqui Canonum authoritas reservavit.* Hinc S. Leo Papa Epist. 23. ad Theodosium Augustum, Flavianum Patriarcham Constantinopolitanum à Concilio Ephesino, quod generale fuit, ad sedem Apostolicam appellantem benignè recipit, rogàtque Imperatorem, ut appellationi deferat. Leo enim in illa Epistola duas exhibet Imperatori causas, ob quas acta Concilii Ephesini II. debuerint rescindi; quarum prima erat, quòd in illo concilio omnia per vim, & tumultum fuerint peracta. Secunda, quòd Flavianus ad Apostolicam sedem appellaverit, & licèt non exceperit de nullitate sententiæ, etiam supposito valore sententiæ, maluit appellare à Concilio universali ad Romanum Pontificem usurus certo, & indubitato jure superante exceptionem omnem. Theodoretus etiam in eadem synodo à Concilio appellavit ad Leonem Papam, ut liquet ex Epist. 113. quam direxit ad Leonem. Hinc *can. si quis 2. q. 6.* Sixtus Papa alloquens Episcopos congregatos in Concilio generali ait. Si quis vestrum pulsatus fuerit in aliqua adversitate, libenter hanc sanctam Apostolicam sedem appellet, & ad eam quasi ad caput refugium habeat, ne ipse innocens damnetur, aut Ecclesia detrimentum patiatur. Rursus *cap. ad Romanum 6. cap. 2. quæst. 6.* Marcellus Papa Episcopo Antiochiæ ait: ad Romanam Ecclesiam omnes Episcopi, qui voluerint, vel quibus necesse fuerit, quasi ad caput suffugere, eùmque appellare debent, ut inde accipiant tuitionem, atque consecrationem.

Neque urget, quòd plerumque à sententia summorum Pontificum ad futurum Concilium fuerit appellatum: siquidem contra Bonifacium VIII. appellavit Philippus Pulcher anno 1303. cui appellationi accessit consensus Parisiensis universitatis. Regius Procurator Caroli VII. Francorum Regis contra Pium II. anno 1460. Rursus contra Sixtum IV. Ludovicus XI. anno 1478. contra Innocentium VIII. universitas Parisiensis anno 1491. Contra Leonem X. eadem universitas Parisiensis anno 1517. Contra Innocentium IV. Legatus Friderici II. anno 1245. Contra Joannem XII. Michael Cæsenas generalis ordinum minorum anno 1331. Contra Julium II. Respublica Veneta anno 1509. Contra eundem Julium Respublica Florentina anno 1511. Contra Clementem VII. Carolus V. Imperator anno 1526. 14

Sed contra, hic enim catalogus appellationum nullius est momenti, eò quia in arbitrio est cujusvis illegitimè appellare, & contra jus: quando enim res subinde non fluxerunt ad vota, hujusmodi appellationes fuerunt inductæ, contra fas, & ordinem juris, proinde nullius fuerunt valoris. Præterea, quia appellationes non fuerunt à Papa ad Concilium factæ, ut ad majus tribunal, à quo sententiæ Papales quasi rescindi possent; sed ad meliùs, pleniùsque informandum ipsum Papam. Ad quam tamen informationem exactiorem non est necessarium Concilium generale convocare; cùm à viris prudentia, doctrina, & pietate clarissimis, possit res tota examinari, & exactiùs summus Pontifex ab iisdem informari; unde Concilium generale non est cogendum, nisi ob gravissimas quæstiones in materia fidei, ut dissentientes animi componantur, simulque conveniant, vel ad removendum schisma, & uniendam Ecclesiam: in his enim casibus docent sancti Patres, Concilium generale cogendum esse, ut ait Augustinus *lib. 4. contra duas epist. Pelagian. cap. 12. & lib. 1. de Bapt. contra Donatistas cap. 7. & cap. 18.* Quòd verò plures ex illis appellationibus factæ fuerint ad futurum generale Concilium, non ut ad tribunal superius; sed ut inde meliùs Romanus Pontifex informaretur, patet ex ipsa forma appellandi Philippi Regis, & universitatis Parisiensis; habetur enim in forma illa: *à sanctissimo Domino* 15

Nostro Papa Innocentio minus debite consulto ad se ipsum melius consulendum, & ad sanctam sedem Apostolicam etiam melius consulendam, nec non ad sacrosanctam synodum celebrandam, illumque, vel illos, ad quem, sive ad quos de jure provocare, & appellare nobis licet. Unde à Papa non fuit appellatum ad Concilium generale, tanquam ad tribunal superius, sed ad Concilium authoritate Papali coactum, fultum, & confirmatum, ut inde Pontifex exactiùs informaretur.

16 Præterea appellationes à Papa ad futurum Concilium, sunt contra Canones, & contra rationem: sicut enim est contra rationem à supremo Principe appellare ad ejus Concilium subordinatum, ac totaliter dependens ab eodem Principe: ita cùm Concilium generale subjiciatur Papæ, ut hactenus evicimus, est rationi dissonum, à Papa, seu supremo Principe ad ejus Concilium appellare, cùm Pontifex, si velit, possit illud, vel non convocare, vel protrahere, vel non confirmare. Tum quia appellare à primo ad secundum tribunal est se subtrahere à jurisdictione, & potestate primi, cùm causa transferatur ad secundum: atqui Christiani non possunt à jurisdictione, & potestate Pontificis eximi, alioquin non essent ampliùs oves, quas supremus in Ecclesia militante Pastor pasceret, nec per consequens essent Christiani; cum Christus in quoscunque Christianos Petro, & ejus pro tempore successori potestatem dederit pascendi suas oves, *pasce oves meas*, indefinitè, scilicet omnes, qui Christianæ Religioni nomen dederunt.

17 Tum quia appellans per appellationem recedit ab obedientia, & communione ejus à quo appellat: & nulli Christiano quamvis regia, vel imperatoria dignitate insignito licet recedere ab obedientia, & communione summi Pontificis: ergo neque licet à Papa ad Concilium generale appellare. Quamobrem hujusmodi appellatio satis ignota Canonibus asylum deploratis, ac perditis est causis. Quòd si hujusmodi appellatio licita esset, utique non solùm Regibus, & Imperatoribus, verùm etiam cuilibet Christiano licitum foret à Papa ad Concilium appellare; consequenter licitum esset, quoties res in Curia Romana non fluunt ad vota, appellare ad Concilium: cùm sit appellatio species defensionis, proinde juris naturalis, debet omnibus æquè concedi, ut desumitur ex *c. super 17. de appellat. c. cum appellationibus eod. in 6. l. 4. §. item ff. eodem.* Hinc oporteret, & rhedas, & equos, & currus, & naves, velo, & remige instructas in promptu semper esse, ut ex toto orbe Episcopi, & Prælati Ecclesiarum convenirent ad Concilium.

18 Quinimo deberent perpetuò morari in Concilio, cùm post unam appellationem alia statim succederet: hinc Pastores deberent suas negligere oves, ut continuas appellationes in generali Concilio audirent, quo nil absurdius. Tum quia per has appellationes eadem facilitate possent sententiæ eludi, quâ & concilia impediri; siquidem si sententia in Concilio lata non esset ad votum appellantis, posset hic semper appellare ad aliud concilium: exemplum exhibet memoratu dignum Concilium Lugdunense primum, ubi Fridericus II. Imperator qui ad concilium provocaverat, & ab ipso damnatus fuerat, ad aliud Concilium plenius Lugdunense provocavit, licèt absq; fructu. Nil faciliùs, quàm universali Concilio unum vel alterum opponere, vel ut illegitimum appareat, aut non universale, præsertim cùm multa requirantur ad Concilium, ut verè sit universale.

19 Præterea appellationes à summo Pontifice ad futurum Concilium universale videntur naturæ adversari ipsius appellationis; siquidem appellatio est à minori ad majorem judicem *can. anteriorem 2. quæst. 6. cap. cùm inferior. de majorit. l. 4. ff. de recept.* atqui Concilium, quod nondum est, non est majus Papâ cùm ab ipso dependeat, ut sit, & ut authoritatem habeat, proinde est omninò incertum, quando futurum sit, cùm id non dependeat à voluntate appellantis, sed Pontificis, à quo appellatur: atqui incertitudo omnem actum vitiat, impeditque ne ullum producat effectum *l. cùm 17. de in diem addict. l. cùm post. 69. §. 1. gener. ff. de jure dot. l. ita stipulatus 15. ff. de V. O.* ridiculum autem est de judice existente appellare, ad judicem nondum existentem, & incertò nasciturum. Tum quia appellatio non admittitur, saltem quoad effectum suspensivum, quando res dilationem non patitur *l. si res 7. ff. de appellat. recipien.* & plerumque in causis præsertim fidei gravissimum imminet in mora periculum, quod non patitur Concilium exspectari, & Patres per totum orbem citari, & congregari.

20 Hinc appellatio à Papa ad futurum Concilium gravissimè prohibetur, & Sixtus IV. anathemate percussit, qui à sede Apostolica ad futurum Concilium appellare ausi fuerunt, inquiens in suo diplomate. Nos qui disponente Domino qui nos unxit oleo lætitiæ præ consortibus nostris, in eo sumus officio constituti, ut singularum animarum saluti consulere, justitiam colere, & iniquitatem odisse debeamus, attendentes quòd de minoribus ad majores judices duntaxat appellare legalis permittit authoritas, quæ propterea inhibet ab imperiali, & supremo Prætorio judicio appellari, & quòd non homo, sed is duntaxat, qui solo verbo fecit cœlum & terram, Apostolicam sedem, & in ea sedentem prætulit universis, etiam Conciliis, quæ ab ea robur accepisse SS. Patrum decreta testantur, & etiam Gelasius Papa contra Acazium, Fausto legato scribens, dum ait: ipsi sunt Canones, qui appellationem totius Ecclesiæ, ad hujus sedis examen voluère deferri, ab ipsa autem nunquam appellari debere, sed ipsam de tota Ecclesia judicare: de ipsius autem judicio nunquam judicari senserunt. Hactenus Sixtus in præfato suo diplomate, quod Ludovicus Gallorum Rex jussit in solemnem hominum frequentiam promulgari, & Pontifex per Apostolicas litteras plurimas eidem gratias egit, ut refert Odoricus Reinaldus in *suis annal.*

nal. Eccles. anno 1583. n. 21. Hinc in Bulla cœnæ quot annis solemnes in illos pronuntiantur diræ, & anathemate percutiuntur, qui à summo Pontifice ad futurum Concilium appellant.

§. VI.

Summus Pontifex docens ex Cathedra, non est errori obnoxius. Exponitur modus, quo Spiritus S. ei assistit, ne erret.

1 Perspicuum est ex præexpensis, Romanum Pontificem ita esse regulam infallibilem veritatis, ut errare non possit in proponendis rebus fidei, legibúsque ferendis pro tota universali Ecclesia, si id præstet, non ut privata persona; sed ut publicus Pastor totius dominici gregis, ac docens è cathedra. Non enim hæc distinctio, quâ Romanus Pontifex consideratur, ut privata persona, & ut publica solemniter authoritativè ex pontificia potestate docens è cathedra est recèns inventa, nec ullum figmentum; sed fuit antiquissima in summo sacerdote etiam veteris testamenti necessaria, ubi celeberrimum fuit oraculum *Urim*, & *Thummim*, quod in rebus ambiguis, & obscuris summum docebat sacerdotem, à quo propterea deferebatur in pectore. Hoc igitur oraculum non privatæ, ac domesticæ vesti, sed solemni, & Pontificali inspiciebatur intextum: ut nimirum significaretur, Ecclesiæ munus esse instruere; & in causis ambiguis judicare ad summum quidem pertinere sacerdotem, non tamen semper, & ubique; sed duntaxat quando Pontificem, ac personam publicam agit: tunc enim Deus ob assistentiam, quam suæ spopondit Ecclesiæ, ita interno lumine mentem illustrat summi Pontificis, ut non sinat eum falli, nec fallere. Hinc sacerdotes, non nisi priùs induti Ephod consueverant oraculum consulere, ac responsum ab illo accipere *1. Regum c. 23. cùm David rescisset, quia praparet ei Saul clàm malum dixit ad Abiathar sacerdotem applica Ephod.* & 1. Regum c. 30. *Confortatus est autem David in Domino Deo suo, & ait ad Abiathar sacerdotem filium Achimalech, applica ad me Ephod, & applicavit Abiathar Ephod ad David, & consuluit David Dominum*: erat Ephod vestis auro intexta, variisque ex serico distincta coloribus, cui oraculum erat insertum.

2 In Lege Evangelica Christus Matth. 23. jubet Scribas, & Pharisæos audiri, eorúmque doctrinam servari, eò quia super cathedram Moysis, & Prophetarum sederant: quia tota ratio, & origo eorum in docendo authoritati cathedræ adnexa erat, in qua, cùm publicè docerent, sedebant. Unde quando personas agebant publicas, tunc veritatem ex cathedra docebant; & Christus jussit eos audiri, eorúmque doctrinam servari: Secus ut erant personæ privatæ, Scribæ, & Pharisæi erroribus, & falsis doctrinis erant obnoxii. Rursus hanc distinctionem, qua Romanus Pontifex consideratur, ut privata persona, & ut publica solemniter authoritativè ex pontificia authoritate, & potestate docens ex cathedra, docuerunt Concilia, præsertim Sextum Constantinopolitanum sub Agathone Papa. Siquidem approbat Concilium, quæ Agathon ut persona publica docens è cathedra scripserat: & *sess. 18.* fatetur, Agathonem docentem authoritativè ex cathedra, & S. Petrum ut Christi Vicarium ejusdem esse authoritatis. Hanc eandem distinctionem expressè etiam loquitur Stylus epist. 165. disputans enim contra Donatistas distinguit in Romano Pontifice cathedram, seu personam publicam à privata, & errorem personalem, & docet posse cadere in Petri successores; non ita in cathedram: eò quia Ecclesia, quæ est columna veritatis non sit capax erroris, qua ratione describitur sine ruga, & macula, & tota pulchra, & sancta: quia tametsi plures sint in Ecclesia peccatores, ut habetur 1. Joan. 1. qui dicit se sine peccato, ille mendax est: nihilominus dicitur Ecclesia tota pulchra, eò quia non sint ipsæ privatæ personæ attendendæ, sed publica ejus forma; quæ ad omnes pertinet: scilicet considerandæ sunt leges, doctrina, sacramenta, quæ omnia in Ecclesia sunt sancta, ac immaculata.

3 Romanus igitur Pontifex, ut docens ex cathedra non est errori obnoxius, nec potest errare in rebus fidei, & tunc non loquitur, ut privata persona, quia ut talis perinde, ac alius Doctor potest errare; sed ut publica solemniter authoritativè, & ex pontificia potestare, ac ut est Pastor totius Dominici gregis, & ut talis universam docet Ecclesiam, sive in Concilio, sive extra Concilium; re priùs maturè discussa, quam definit, & jubet tanquam fidei veritatem haberi; & qui eam non credunt, hæreticos esse declarat. In hoc sensu, quæ à Romano Pontifice, ut docente ex cathedra definiuntur omnem excludunt errorem, dubium omne rejiciunt; non quia sint hominis voces, sed quia sunt Dei decreta, per os sui in Ecclesia militante Vicarii loquentis.

4 Hinc Pontificis decreta non ea ratione sunt infallibilia, quia ab Ecclesia acceptantur, creduntúrque fide divina, quasi infallibilitas ab Ecclesia in Pontificis decreta derivetur: sed quia in se vera, certa, ac infallibilia sunt, ut unanimi consensu semper docuerunt SS. Patres, definiverunt Concilia, professi sunt sacri Canones, & universalis Ecclesia semper asseruit. Sicut igitur in veteri testamento non omne Pontificis responsum oraculum fuit, ita neque omne, quod docet Romanus Pontifex infallibilis est authoritatis: sed illa duntaxat sunt infallibilia, quæ Romanus Pontifex, ut persona publica, & Christi Vicarius solemniter, authoritativè docet ex cathedra. Cæterùm ut Pontifex dicatur aliquid definire ex cathedra, non est alligandus certo alicui medio; sed sufficit si authoritativè, ut Pastor universalis Ecclesiæ, aliquid proponat Ecclesiæ universali, ut credendum de fide divina: alioquin inutilis redderetur in Romano Pontifice, & inefficax hujusmodi authoritas: siquidem cujus error damnaretur à summo Pontifice; posset semper asserere, se illegitimè damnatum fuisse, eò quia summus Pontifex, vel non

quens de Apostolica Sede ait: *Ad hanc propter potentiorem principalitatem necesse est, omnem convenire Ecclesiam; hoc est qui sunt ubique fideles:* asserit Irenæus; oportere omnem Ecclesiam in rebus fidei cum Ecclesia; & Sede Romana convenire per fidem, & per doctrinam successorum Petri confundi omnes hæreticos. S. Cyrillus Alexandrinus epist. ad Cœlestinum Papam: *quamvis hæc ita se habeant, non priùs tamen Nestorii communionem confidenter deserere ausi sumus, quam hæc ipsa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde, quid hic sentias, declarare; quo liquido nobis constet, communicare nos cum Nestorio oporteat, an verò liberè ei denuntiare, neminem cum eo communicare, qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet, ac prædicat.* S. Cyprianus lib. 1. epist. 8. *Pseudoepiscopo sibi ab hæreticis constituto Romam navigare audent, & ad Petri cathedram, atque Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis, & profanis litteras ferre; nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum.* Tertullianus de Præscript. *inde à Romana Sede nobis authoritas præsto est: hæc enim felix Ecclesia est, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt.* S. Gregorius Magnus lib. 4. epist. 52. *Si quam verò contentionem, quod longè faciat divina potentia, de fidei causa evenire contigerit; aut negotium emerserit, cujus vehemens sit fortasse dubietas, & pro sua magnitudine, judicio sedis Apostolicæ indigeat, examinata diligentiùs veritate, relatione sua ad nostram studeat perducere notionem, quatenus à nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari.* S. Petrus Chrysologus epist. ad Eutych. *in omnibus hortamur te frater honorabilis, ut his, quæ à beatissimo Papa Romanæ civitatis præscripta sunt, obedienter attendas; quoniam beatus Petrus, quia in propria sede, & vivit, & præsidet, præstat quærentibus veritatem.* D. Bernardus epist. 190. ad Innocentium Papam *Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala emergentia in Regno Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt, dignum námque arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Hæc quippe hujus est prærogativa sedis, cui non alteri dictum est: ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua. Ergò quod sequitur à Petri successore exigitur: & tu aliquando confirma fratres tuos.* Demum S. Fulgentius lib. de incarnat. Verbi, ac gratia, & libero arbitrio ait. *Quod Romana, quæ mundi caput est, tenet, & docet Ecclesia, totus cum ea Christianus orbis ad justitiam nihil hæsitans credit, & ad salutem non dubitat confiteri.*

11 Liquet igitur, Romanum Pontificem docentem ex cathedra, ut personam publicam, & Pastorem totius dominici gregis, ac authoritativè cum plenitudine potestatis non esse errori obnoxium in iis definiendis, quæ ad fidem pertinent. Quinimò censerem, summum Pontificem etiam ut personam privatam moraliter non posse errare in fide, ac esse hæreticum, licèt physicè sit errori obnoxius. Hæc sententia mihi videtur valdè probabilis, quia videtur ad divinam pertinere providentiam attingentem à fine usque ad finem fortiter, & disponentem omnia suaviter, non permittere, ut Christi in Ecclesia militante Vicarius, & Pastor totius dominici gregis turpissimè erret contra fidem: hoc enim impedire magis consentaneum est divinæ providentiæ, ut quem constituit ad Ecclesiam suam in sana doctrina erudiendam, & confirmandam dirigat, ac impediat, ne ipse erret in fide, etiam, ut privatâ persona, ne cæteris sit occasio errandi; si enim Deus impediat, ne summus Pontifex erret in fide, etiam ut privata persona, dicitur, ut talis, non posse errare in fide potentiâ morali; nimirum quia Deus non permittit, illum pertinaci assensu mentis adhærere doctrinæ damnatæ, & hæreticæ: siquidem videtur esse violentum aliter animo sentire, ut privatam personam; & aliter voce authoritativè, & ex plenitudine potestatis edocere.

Quòd si Deus non permittit, eum pertinaci assensu ut privatam personam adhærere hæresi, 12
sequitur, moraliter non posse in fide errare, etiam ut privatam personam, licèt possit physicè; hoc est secundùm naturales, quas habet vires; nisi enim Deus specialiter ei assistat, & impediat, ne erret, cùm & ipse Pontifex homo sit, est ex se obnoxius erroribus, & peccatis, sicut cæteri homines: quia verò ad divinam pertinet providentiam ei specialiter assistere, ac impedire, ne erret, removendo occasiones, illuminando intellectum, flectendo voluntatem; ideò moraliter dicitur non posse pertinaci assensu mentis adhærere hæresi, ac doctrinæ ab Ecclesia damnatæ, & cujus contrarium ipse, ut persona publica authoritativè, & ex plenitudine potestatis edocet fideles. Et licèt Bellarminus *de Pontif. lib. 4. c. 6.* distinguat circa ea, quæ jam sunt definita ab Ecclesia tanquam de fide, & circa alia, quæ nondum sunt de fide definita; & asserat, circa priora non posse errare, etiam ut privatam personam, non verò circa secunda: nihilominus putârim, ad divinam providentiam pertinere, quem constituit supremum Magistrum ad Ecclesiam suam in sana doctrina erudiendam impedire, ne erret in fide, etiam ut privata persona, quoad ea, quæ nondum sunt de fide definita; id enim magis consentaneum est Dei providentiæ, & bonitati, si non permittat, eum errare in rebus fidei, quem constituit suæ Ecclesiæ instruendæ Magistrum.

Quamobrem summus Pontifex etiam ut privata persona licèt spectata natura potentiæ physicæ possit errare, ac in hæresin elabi; tamen ex Dei assistentia, & ob decorem Ecclesiæ, & honorē Christi Vicarii, moraliter, etiam ut privata persona pertinaci assensu non potest hæresi adhærere. Hinc non est hactenus quisquam Pontificum repertus, de quo apertè, manifestè, ac certè constet, quòd fuerit in hæresin formalem prolapsus.

Neque obstat, quòd Eusebius *lib. 5. hist. Eccl. c. penult.* asserat, Victorem V. Papam fuisse hæ- 13
reticum; Marcellinum Thus Vestæ adolevisse, Liberium, & Honorium, ut etiam Anastasium II. defecisse à fide; siquidem de Liberio id affirmat Hieronymus in Chronic. de Anastasio refert Gratianus *c. Anastasius 19. dist.* de Honorio constat ex epist. Adriani relata in VIII. sy-

nodo

vel probabiliorem tota Ecclesia debet, ut talem amplecti, & ex illa ad alia discurrere, quapropter posset gravis error contingere circa res fidei. Tum quia Pontifex in declarandis propositionibus magis, vel minus probabilibus semper versatur circa materiam spectantem ad mores: atqui circa materiam versantem circa mores Pontifex docens ex cathedra non potest errare, quia tunc pascit dominicum gregem, quem instruit circa mores, proinde fungitur munere supremi Pastoris, ac Christi Vicarii, cui Christus promisit assistentiam Spiritus S. ne erret. Tum quia si posset Pontifex in declarandis hisce propositionibus errare, magnum detrimentum posset in Ecclesia sequi, siquidem omnes probi, & pii amplecterentur, sequerentur, ac defenderent eam propositionem, quam Pontifex declaravit probabiliorem, quæ si talis non esset, Ecclesia falleretur, contra scripturas asserentes esse Ecclesiam columnam veritatis.

17 Neque potest Pontifex docens ex cathedra aliquid statuere, ut observandum ab universali Ecclesia, quod Legi divinæ, vel naturali adversetur; siquidem de fide est, Pontificem non posse errare in pascendis ovibus; quæ non solùm doctrina fidei, sed etiam proba morum instructione, ac institutione pascuntur: proinde circa mores instruendos, instituendos nequit Pontifex errare. Tum quia in Ecclesia est certum de fide, nunquam defecturum Spiritum veritatis: sin autem Pontifex præciperet observandum toti Ecclesiæ, quod Legi divinæ est contrarium, Spiritus veritatis in Ecclesia deficeret. Demù quia Pontifex ut docens ex cathedra circa ea, quæ ad mores instituendos pertinent non potest errores docere ob assistentiam Spiritus S. eò autem ipso, quòd præciperet aliquid observandum contrarium Legi divinæ errorem doceret: siquidem doceret esse observandum, quod non esset observandum, quod enim adversatur Legi divinæ observandum non est.

18 Præterea si Pontifex in ferendis legibus de rebus ad salutem necessariis esset errori obnoxius, utique posset etiam tota Ecclesia in negotiis salutis errare, siquidem tota Ecclesia pareret legibus à summo Pontifice sancitis: sed tota Ecclesia in negotiis salutis non potest errare, alioquin portæ inferi prævalerent adversus eam contra Christi promissionem: sive enim Ecclesia falsitate doctrinæ, sive malitia, sive iniquitate morum erraret, utique contra ipsam prævalerent portæ inferi. Tum quia si posset summus Pontifex in præcipiendis rebus ad salutem necessariis errare, posset etiam errare in rebus ad fidem spectantibus: siquidem eadem scriptura S. quæ docet vitia esse turpia, & vitanda, docet etiam virtutes esse honestas, & earum studio esse incumbendum: sin autem summus Pontifex vitium aliquod præciperet, aut virtutem prohiberet, utique contra ipsam divinam scripturam doceret; vitium esse honestum, & virtutem turpem, ac vitandam: siquidem non potest aliquid præcipi, nisi sub ratione boni, & honesti: nec aliquid prohiberi, nisi sub ratione mali, & turpis.

19 Imò nec potest summus Pontifex errare in ferendis legibus, aut decretis, quæ sunt de rebus aliàs indifferentibus, seu quæ neque sunt juris naturæ, neque juris divini, ut si præcipiat jejunium in adventu, aut communionem Eucharistiæ in quatuor anni temporibus: siquidem in iis aliàs indifferentibus, eò quia non sint juris naturæ, nec divini, tenetur Ecclesia obedire Pontifici tanquam suo Pastori: & quia non præcipit rem inhonestam, nec prohibet rem bonam, eo ipso quòd statuit ejusmodi Legem, sive de re, quæ prius erat sub consilio; sive de alia aliò modo indifferenti, jam constituit in materia virtutis actum, quem præcipit, quem propterea tenetur Ecclesia exercere. Nec ullum facessit negotium, quòd unus Pontifex possit mutare, vel etiam abrogare leges sui prædecessoris: quia inde non sequitur hujusmodi Leges non fuisse pro Ecclesia utiliter sancitas; sed quòd pro diversitate temporum, & variatis circumstantiis leges, quæ nunc censentur congruæ, & expedire pro bono Ecclesiæ: postea judicantur, non ampliùs convenire, eò quia non sint ampliùs eædem circumstantiæ.

Non tamen sub hac assertione comprehenduntur illæ Leges, quas statuunt Romani Pontifices ob civile in terris regimen sibi quoad temporalia subjectis; quemadmodùm sunt leges taxantes pretia rerum venalium. Nec comprehenduntur illa Romanorum Pontificum judicia, quæ pendent ex facto, ut quòd ille Episcopus sit deponendus, & alius restituendus; quia in iis, quæ sunt facti, & dependent à judicio rerum gestarum, quod regulatur juxta hominum testimonia, cùm hæc fallibilia sint; ita etiam tale judicium potest falli: hinc quando aliquis ducta occultè una uxore, & postea publicè ducit alteram, & Pontifex jubet, ut illa priore relicta, huic secundæ adhæreat; cui debitum conjugale reddat: vel etiam quando quis alicui nubens, sed cum qua est occultum impedimentum jure naturæ dirimens, & Pontifex præcipit, ut eam habeat pro legitima conjuge, tunc in primo casu potest errare, quatenus potest ipsi repræsentari res, aliter ac sit in se: ut etiam in secundo; sed hoc est errare errore facti, non verò errore juris, aut fidei: & huc pertinet rescriptum Innocentii *c. à nobis 2. tit. de sent. excommun.* ubi habetur, quòd judicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, innititur; judicium verò Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam fallere sæpè contingit, & falli, propter quod contingit interdum, ut qui liber est apud Deū, Ecclesiastica sententia sit innodatus: ut etiam rescriptum Alexandri III. *c. si quando tit. de rescript.* ubi Pontifex ait: si quando aliqua tuæ fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debes (*& subiicit*) Qualitatem negotii, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non possis rationabilem causam prætendas. 20

Quamobrem summus Pontifex tunc est infallibilis authoritatis, quando ut persona publica docens ex cathedra declarat, quæ ad fidem pertinent, vel statuit, quæ bonos mores concernunt ad salutem fidelium necessarios, quia cùm tunc se 21

se gerit authoritativè, & cum plenitudine potestatis, ut Christi in militante Ecclesia Vicarius, & Pastor totius dominici gregis, non est errori obnoxius ob assistentiam specialem Spiritus Sancti. Quomodo verò Spiritus S. intelligatur specialiter assistere Romano Pontifici, ne erret in iis, quæ ad fidem, & bonos mores pertinent diversæ sunt sententiæ. Sunt, qui censent, Pontificem ut gaudentem authoritate divina, & ut habentem assistentiam Spiritûs S. cujus afflatu regitur constitui objectum formale fidei; eò quia tunc Deus per Romanum Pontificem perinde nobis loquatur, ac fuit locutus per Prophetas; hinc inferunt, quòd quando summus Pontifex aliquid definit credendum de fide, illud possimus credere fide divina independenter ab alia revelatione præexistente; eò quia Romanum Pontificem tunc definire talem articulum, perinde sit, ac Deum, eundem articulum revelare per suum in Ecclesiâ militante Vicarium, tanquam per organum Spiritûs S. Adhærent huic sententiæ Suarez *de fide disp. 3. sect. 11. n. 8.* Turrianus *in 2. 2. tom. 1. disp. 23. dub. 5.* & plures alii.

22 Communior tamen sententia est, ut quando summus Pontifex etiam docens ex cathedra aliquid proponit fide divina credendum, illud supponat jam revelatum; adeò ut Ecclesia seu summus Pontifex, ut definiens talem articulum sit tantùm infallibilis regula applicans objectum jam revelatum, non verò sit Organum, per quod Deus loquatur, aut revelet, quod antea revelatum non erat. Unde juxta probabiliorem sententiam, quando Pontifex definit aliquid pro totâ Ecclesia, Deus tunc illi non revelat immediatè objecta definienda, tametsi posset ei eadem revelare; sed illi duntaxat assistit, ne erret in declarandis fidei articulis, & statuendis, quæ ad regimen universalis Ecclesiæ spectant; quod absque nova revelatione facta Pontifici, & absque eo, quòd Deus illi immediatè loquatur, potest fieri. Sed adhuc superest explicandum, quænam sit hæc specialis assistentia Spiritus S. ratione cujus Pontificis definitiones non sint errori obnoxiæ. Tannerus *q. 1. dub. 7. n. 217.* censet, hanc Spiritûs S. assistentiam per se non exigere positivam inspirationem, seu locutionem divinam factam immediatè ipsi Pontifici; sed ad id sufficere speciale auxilium Dei, etiam merè negativum. Quamobrem hujusmodi assistentia Spiritûs S. includit auxilium extrinsecum, quo Deus non permittit, aliquid non verum, tunc à summo Pontifice proponi; & etiam concursum denegat ad definiendum objectum falsum. Rursus præter hanc positionem impedimentorum, ne Pontifex erret, & denegationem concursus ad definiendum objectum falsum; adhuc censerem, hanc specialem assistentiam Spiritûs S. includere aliquam internam inspirationem ejusdem Spiritûs S. & illustrationem intellectûs, quâ Pontifex veritatem assequitur, quando res definiendæ obscuræ sunt; quia per hanc internam illustrationem intellectûs, & specialem inspirationem, & motionem voluntatis, explicatur assistentia propria Spiritûs S. cui proprium est inspirare, illustrare, ac movere.

23 Neque huic sententiæ obstat, quòd in definitionibus Ecclesiæ, & Conciliorum dicatur: *visum est Spiritui S. & nobis*, ex quo videtur inferri, Spiritum S. loqui per Ecclesiam tanquam per instrumentum, cui imediatè ea revelat, quæ Pontifices, & Concilia definiunt. Quia illa verba adhibentur, eò quia, quæ à summo Pontifice docente ex cathedra, ut etiam à Concilio generali unà cum capite declarantur de fide, fuerunt priùs à Deo revelata imediatè; non tamen ipsi Pontifici definienti; sed Apostolis, aut Canonicis scriptoribus, de quibus dicitur, quòd visum fuerit Spiritui S. quia quod definitur, fuit ab illo immediatè Apostolis, vel canonicis scriptoribus revelatum. Alia quæ definiuntur non ut articuli fidei certi; sed alia certitudine huic proxima, possunt etiam dici Spiritui S. visa. quia Spiritus S. ea permittit ab Ecclesia definiri, non permissurus si vera non essent.

§. VII.

Proponuntur, & diluuntur aliquot difficultates circa Canonizationem, & beatificationem Virorum, qui cum famâ sanctitatis mortalitatem exuerunt.

Diximus, Romanum Pontificem docentem ex cathedra non esse errori obnoxium in iis definiendis, quæ fidem concernunt, & ad bonos mores conducunt; superest inquirendum, an hujusmodi infallibilitas se itidem extendat ad canonizationem, & beatificationem virorum pientissimorum, qui cum famâ sanctitatis migrârunt ex hac vita. Rationes dubitandi sunt, primò, quia is est errori obnoxius qui medio innititur fallibili: atqui Pontifex in canonizatione Sanctorum innititur medio fallibili, seu testimoniis hominum: ergo dicendus est errori obnoxius. Tum quia, quando Pontifex solemni apotheosi declarat, aliquem esse Sanctum, non proponit novum articulum fidelibus credendum, eò quia fuerit priùs revelatus Apostolis, vel canonicis scriptoribus, quia nec Apostolis nobis tradiderunt Sanctum Franciscum, vel Dominicum cœlesti donari beatitate, nec in scripturis canonicis id reperitur: unde quando Ecclesia declarat, aliquem esse sanctum, id non proponit tanquam articulum fidei, quem habeamus per traditionem in Ecclesia, vel per canonicos Scriptores; sed tantùm ut veritatem moraliter omnino certam; & cui fides humana adhiberi debeat; non verò divina. Tum quia ex Augustino multa corpora dicuntur honorari in terris, quorum animæ torquentur in gehenâ, & *c. Audivimus de reliquiis & venerat. sanct.* Pontifex asserit, quemdam in ebrietate occisum pro sancto coli: & in Martyrologio Usuardi 21. Junii, cum sanctis recensetur etiam Eusebius Cæsariensis, quem tamen constat Ariana fuisse infectum hæresi, & à S. Hieronymo *lib. 2. adversus Ruffinum c. 4.* vocari Arianorum Principem.

24 Certum est tamen, summum Pontificem non posse errare in canonizatione Sanctorum, alioquin posset etiam tota Ecclesia errare; siquidem tota Ecclesia tenetur obedire Pontifici, & colere pro sancto, quem Pontifex sanctum declarat; proinde si posset summus Pontifex errare, posset etiam tota ecclesia in errorem induci quod advers-

adversatur scripturis, in quibus Ecclesia dicitur columna veritatis. Idque ex eo firmari etiam potest, quia quando Pontifex solemni apotheosi declarat, aliquem esse sanctum, adhibet verba indicantia infallibilitatem: etenim Pius II. in Bulla canonizationis S. Catharinæ Senensis, sic loquitur *Authoritate Domini nostri JEsu Christi, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, ac nostra, Catharinam Senensem in cœlestem Jerusalem esse receptam, & æterna gloria corona donatam de fratrum nostrorum consilio declaramus, eámque tanquam sanctam publicè, privatéque colendam esse decernimus, ac definimus.* iisdem quasi fermè verbis etiam utuntur alii Pontifices in Sanctorum canonizatione, omnes enim utuntur authoritate Domini Nostri Jesu Christi, ut Leo X. in Bulla canonizationis S. Francisci de Paula ordinis minimorum institutoris. Clemens VIII. in Bulla S. Hiacynthi Poloni. Paulus V. in Bulla S. Franciscæ Romanæ, & S. Caroli Borromæi. Clemens IX. in Bulla S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, & S. Petri de Alcanthara. Clemens X. in Bulla S. Cajetani. S. Francisci Borgia, & aliorum: sed authoritas Domini nostri JEsu Christi est infallibilis; nec illam adhiberent summi Pontifices, nisi res in Ecclesia tanti momenti infallibilis esset.

3 Præterea, si Pontifex in canonizatione Sanctorum erraret, illud sequeretur inconveniens, quòd Sancti canonizati fraudarentur à fructu suffragiorum, & sacrificiorum Ecclesiæ, quia ut ait Augustinus de verbis Apostoli, & refertur in *c. cùm Martha* §. 3. *de celebrat. miss.* injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre; & eodem modo injuriam facit sancto Canonizato, qui orat pro illo. Præterea defraudarentur etiam fideles per effusas preces exposcentes opem à Sanctis canonizatis: siquidem si eorum animæ torquerentur in gehenna maledictionem peterent, pro benedictione. Præterea, quia ut ait Augustinus *epist. 118.* in solemnitate insaniæ est dubitare de eo, quod facit Ecclesia: atqui Ecclesia solemniter invocat, & honorat sanctum canonizatum: ergò insaniæ est dubitare, eum non esse cœlesti donatum beatitate. Tum quia, quod Pontifex, ut supremus Pastor præcipit toti Ecclesiæ, non potest esse falsum, cùm Christus pro ejus in Ecclesia militante Vicario rogaverit, ut non deficeret ejus fides, cùm totam doceret Ecclesiam: atqui summus Pontifex, ut Pastor universalis Ecclesiæ docet totam Ecclesiam aliquem esse cœlesti beatitate donatum, ac sanctũ; & præcipit, ut fideles illum invocent, & honorent: ergò nulli dubium, quin sit honorandus, & invocandus ut sanctus.

4 Neque rationes, quæ ab initio fuerunt in oppositum exhibitæ ullius sunt momenti. Ad primam respondetur, tunc Pontificem posse errare, quando innititur medio fallibili privato; & judicat tantùm ex privata, & naturali notitia, quam præhabuit, non verò quando nititur medio publico, & supernaturali. Pontifex autem in canonizatione Sanctorum non procedit secundùm solam naturalem notitiam, sed attendit testimonia divina, cujusmodi sunt, sanctitas vitæ, probitas morum, frequentia miraculorum, quæ fuerunt facta per eorum merita, & invocationem à Deo; & rursus etiam specialiter dirigitur à Spiritu S. quæ omnia non permittunt, Pontificem errare in canonizatione Sanctorum.

Præterea licèt innitatur mediis humanis non tamen inde sequitur posse errare: quia ideo posset errare, quia Spiritus Sanctus ei specialiter non assisteret, nec à Deo præservaretur ab errore: sed divina providentia præservat Pontificem, ne in canonizatione sanctorum per testimonia humana fallatur, ne tota Ecclesia inducatur in errorem, & ne, quæ columna est veritatis, fiat schola errorum: ideo non potest summus Pontifex in canonizatione sanctorum, tametsi mediis, ac testimoniis utatur hominum, errori esse obnoxius. Tum quia Pontifex tunc non utitur testimonio humano, tanquam motivo credendi; sed tantùm ut explicante testimonium divinum in sacris scripturis universaliter revelatum de omnibus, qui in statu gratiæ divinæ moriuntur. Tũ quia hujusmodi testimonium est publicum, cui speciali providentia Deus assistit, ne si illud falsum esset, tota Ecclesia errare posset. Tum quia etiam in declaranda hac, vel illa scriptura canonica, vel Apostolica traditione, utitur Pontifex publico testimonio humano Ecclesiæ, ut conditione explicante; & nihilominus non dicitur tunc Pontifex errori obnoxius. 5

Ad id quod addebatur, multa corpora honorari in terris, quorum animæ torquentur in gehenna, Bellarminus asserit: se in D. Augustino nunquam potuisse talia verba reperire, non obstante diligentia adhibita per se, & per alios; & plures negant, verba illa esse Augustini: sed dato etiam, quòd prolata fuissent à D. Augustino adhuc possent facilè explicari, vel de corporibus, quæ fortassis per errorem supposita sunt loco corporum Sanctorum, adeò ut Reliquiæ, quæ dicuntur esse talis sancti, non sint illius, & anima earundem, quæ coluntur, ut reliquiæ talis sancti, cujus non sunt, torqueatur in gehenna: ex quo non sequitur, sanctum quem Ecclesia colit, non donari cœlesti beatitate, sed in gehenna torqueri: vel possent etiam intelligi verba illa de corporibus Principum, & Magnatum, quæ splendidissimis sepulchris coluntur, & habentur in veneratione; licèt multorum ex illis animæ torqueantur in gehenna. 6

Quamobrem non imus inficias, aliquos posse particulariter ab aliquibus, ut Sanctos coli, qui Sancti non sint, ut contigit de illo in *c. Audivimus*, qui sine Romani Pontificis consensu colebatur, ut Sanctus. Imò possunt etiam qui Sancti non sunt in Martyrologium intrudi, non tamen authoritate summi Pontificis, & totius Ecclesiæ, sed tantùm alicujus particularis; sicut intrusus fuit Eusebius Cæsariensis pro Eusebio Samosateno, ut refert Baronius: sic etiam fuerunt intrusi alii ab aliis privatis Ecclesiis absque authoritate Romani Pontificis, qui toti Ecclesiæ eos non proposuit colendos ut Sanctos, nec eos unquam canonizavit. 7

An verò etiam in beatificatione Sanctorum sit Pontifex infallibilis: juvat animadvertere canonizationem per hoc differre à beatificatione, quia illa est per modum ultimæ sententiæ defi- 8

nitivæ à Pontifice latæ de sanctitate, & gloria alicujus canonizati, qui ut cœlesti beatitate donatus declaratur à Pontifice, ac proponitur toti Ecclesiæ, ut honoretur, ac colatur, & invocetur, ut sanctus. Beatificatio autem est indulgentia, seu concessio Pontificis facta alicui Provinciæ, vel Religioni Monachali, ut possit aliquis vir piissimus, qui cum fama Sanctitatis mortalitatem exuit, beatus vocari, eique cultus aliquis exhiberi; solet hæc beatificatio viam sternere ad canonizationem: & hoc discrimen desumitur ex forma, qua Pontifices utuntur in Bullis canonizationis, & beatificationis: siquidem in Bullis canonizationis utuntur verbis: *definimus, decernimus, mandamus*: in Bulla verò beatificationis utuntur his aliis verbis: *concedimus, indulgemus*. Unde ex eo, quod Pontifex non possit errare in canonizatione Sanctorum, inde non sequitur, quod non possit errare in beatificatione, præsertim cùm ex tali errore universalis Ecclesia non erret, cùm toti Ecclesiæ non proponatur colendus, sed tantùm uni Provinciæ, vel Religioni.

9 Verùm licèt beatus non proponatur ut colendus toti Ecclesiæ, proponitur tamen alicui Regno, vel Ordini religioso: in his autem, & similibus decretis, licèt non respicientibus universalē Dei Ecclesiam, non potest esse error; quia propositio facta particulari Ecclesiæ, Regno, vel Provinciæ pertinet etiam ad Religionem, cultúmque cœlitibus præstandum; proinde nullus potest error intervenire, ut neq; in decretis morum. Tum quia eadem incomoda, & inconvenientia, ac absurda sequerentur ex errore in beatificatione, ac in canonizatione: proinde si in hac non potest error contingere; neque in illa: siquidem utramq; præcedit inquisitio vitæ, morum, sanctitatis, virtutum, ac miraculorum: quod autem inquisitio sit major, vel minor non invehit majorē certitudinem in uno actu, quàm in alio: quia utraque inquisitio debet esse prudens, ac matura discussis singulis discutiendis.

10 Præterea sicut pertinet ad Religionem, aliquem proponi per solemnem apotheosim colendum toti Ecclesiæ, ac honorandum ut sanctum: ita pertinet ad Religionem, quòd aliquis proponatur alicui tantum regno, provinciæ, vel Ordini Religiosorum colendus ut Beatus: unde si Pontifex non potest errare in iis, quæ pertinent ad Religionem; neque est obnoxius errori, quando declarat, aliquem esse colendum ut Beatum ab aliquo Regno, provincia, vel Ordine Religiosorum. Quamobrem Pontifex in hujusmodi beatificatione non potest errare, ut declaret, aliquem esse Beatum, & ut talem colendum, qui reverà Beatus non sit; quia licèt in Beatificatione cultus restringatur ad particulare regnum, provinciam, vel ordinem religiosorum, continet tamen declarationem beatitudinis, & gloriæ illius, qui beatificatur; quòd si hæc beatificatio post diligens, maturum, ac grave examen, circa vitam, mores, exercitia virtutum, & miracula, posset esse falsa, id procul dubio cederet in vilipendium Ecclesiæ, & in contemptum Pontificiæ dignitatis, quia cùm Pontifex declarat, aliquem esse beatum, & colendum ut talem, implicitè definit, ac supponit eum cœlesti donari beatitate, & ex vi talis declarationis licitum est omnibus etiam publicè talem invocare beatum, seque illi comendare; ac rogare ut intercedat pro nobis apud Deum: ergò omninò certum debet esse, Papam non posse in tali canonizatione errare, alioquin induceret in errorem totam Ecclesiam; & non est credibile, Deum in re tam gravi talem permissurum errorem in tota Ecclesia, cùm hæc secundùm Apostolum sit columna veritatis.

Demum quia Pontifex beatificans aliquē, concedit, ut aliquod missæ sacrificium in illius honorem celebretur; sed sacrificium missæ offertur nomine totius Ecclesiæ universalis; adeò ut tota Ecclesia mediante illo ministro, ac sacrificio ab eodem oblato sanctum illum veneretur: & in iis quæ pertinent ad cultum universalis Ecclesiæ Pontifex nō est errori obnoxius: licèt Beat' non proponatur colendus per universalis Ecclesiæ ministros, proponitur tamen colendus ab universali Ecclesia per speciales aliquos ministros; idque sufficeret ut Ecclesia universalis diceretur errare, & non esse columna veritatis. 11

Hinc putàrim, æquè esse de fide, summum Pontificem non posse errare in beatificatione alicujus, qui cum fama sanctitatis mortalitatem exuit, ac in ejus canonizatione; quia ex errore utriusq; eadem sequuntur incomoda, & Ecclesia universalis induceretur in errorem; quia coleret ut amicum Dei, ac ut cœlesti beatitate donatum eum, qui non esset Deo amicus, sed inimicus; vel saltem nondum Dei visione perfusus. Tum quia Pontifex æquè in beatificatione, ac canonizatione mediante prævio, diuturno, ac diligentissimo examine inquirit de vitæ sanctitate, morum probitate, heroicarum virtutum exercitio, miraculorum qualitate; & omnia maturè, ac diligentissimè perquirit, non perfunctoriè; & in utroque actu, seu declaratione summus Pontifex procedit, ut Pastor Dominici gregis, ut Magister, ac Vicarius Christi docens totam Ecclesiam, quæ est columna veritatis: nec in re tam gravi ad religionem pertinente potest errare; quòd si Ecclesia non potest errare circa materiam religionis, neq; summus Pontifex, qui eam docet; quia error Magistri transfunditur in discipulos; unde cadem certitudine, quā credimus de fide, Ecclesiā non posse errare circa materiam Religionis, tenemur etiam credere, summum Pontificem, ut eam docentem publicè non esse errori obnoxium. 12

Non tamen desunt qui putent, non esse de fide, Pontificem errare non posse in Beatificatione; prout hæc distinguitur à canonizatione; eò quia si esset certum de fide, talem beatum cœlesti donari beatitate, Pontifex in eo canonizando non ulterius procederet, majorem diligentiam, novámq; examen instituendo pro beato canonizando; quod enim est certum de fide non indiget ulteriori certitudine. Præterea cultus canonizatis exhibetur ut debitus, & illis ubiq; locorum possunt erigi altaria, templa; non ita beatificatis, quibus cultus est tantùm permissus, & altaria iis nō eriguntur, nisi in locis specialib' expressis in Bulla. Item differt beatificatio à canonizatione; quia in hac Pontifex declarat, ac definit canonizatum esse in cœlis beatitate donatum, ac illi deberi ab univer- 13

universali Ecclesia cultum: secus in beatificatione Pontifex non utitur verbo ullo directè declarante, aut definiente talem beatum cœlesti frui gloria; sed tantùm permittit ut colatur. Rursus beatificatio non est ultimum judicium Ecclesiæ in causa sanctitatis talis viri, qui in fama sanctitatis obiit; sed proceditur ad novum examen aliorum miraculorum. Tum quia beatificatio est limitata ad certum regnum, vel ordinem religiosorum: & canonizatio extenditur ad totam universalem Ecclesiam. Demùm quia major solemnitas adhibetur in canonizatione, quàm in beatificatione, quæ fit sine ulla pompa; ex quibus inferunt non esse de fide, Papam non posse errare in beatificatione.

14 Sed contrà, quia illud novum examen non fit, ut Pontifex certificetur de gloria canonizandi; quia eò ipsò quòd illum beatificavit, ac dedit licentiam ut coleretur, tanquam amicus Dei in cœlesti patria, & quidem nomine totius Ecclesiæ, licèt per speciales ministros, ut superiùs ostendimus, implicitè suppponit, ac definit, talem beatum esse in cœlesti gloria; alioquin Pontifex non posset permittere, nec dare licentiam ut nomine totius Ecclesiæ beatus colèretur; quia inde tota Ecclesia censeretur errare. Unde in canonizatione proceditur ad novum examen, novámque diligentiam, ob majorem externam solemnitatem, & pompam, ac præsertim ut Ecclesia per nova miracula confirmetur quòd talis Beatus mox canonizandus fruatur Deo in in cœlesti patria; non quòd antea id fuerit incertum; sed ut quod erat certum per nova signa, & miracula magis exteriùs clarescat, ac confirmetur. Unde canonizatio propriè non dicitur ultimum judicium de gloria; sed solemnis confirmatio præcedentis judicii per nova miracula, quibus iterum probatur, Beatum illum, ad cujus invocationem fuerunt facta signa, & miracula frui Deo in cœlesti patria. Cæterùm si opposita propositio non esset contra fidem; adhuc esset temeraria, scandalosa, & impia; esset temeraria quia sentiret contra communem sensum non solùm Doctorum, sed etiam omnium fidelium; & absque idoneo argumento judicaret, Pontificem errare in re gravissima, ad quam præcedunt semper matura examina; prudentes inquisitiones; & exquisitæ diligentiæ: esset scandalosa, quia oriretur scandalum in animas fidelium, qui crederent, Pontificem, eum in Ecclesia fateri Beatum, qui talis non esset; hinc poneretur obstaculum pietati fidelium: demum esset impia, quia contra Christianam religionem, & cultum sanctis debitum.

15 Cæterum ut Ecclesia publicè celebret festum de aliquo, tanquam de sancto, non semper est necessaria sententia canonica, nec quòd Pontifex solemni ritu definierit, ac declaraverit toti Ecclesiæ ejus sanctitatem; subinde enim sufficit universalis consensus ipsius Ecclesiæ; ut liquet in celebratione festi conceptionis Beatæ Virginis Mariæ, quod Ecclesia celebrat; licèt nondum summus Pontifex ex cathedra definierit, Beatam Virginem Mariam fuisse conceptam sine peccato originali. An verò sit de fide, eam fuisse conceptam absque labe peccati originalis; putârim implicitè esse de fide; quia de fide est, Ecclesiam esse columnam veritatis, & totam universalem Ecclesiam non posse in errorem induci; & quia tota Ecclesia assentitur B. Mariæ Virgini sine labe peccati originalis conceptæ, videtur implicitè de fide, fuisse conceptam sine peccato originali.

§. VIII.

De Maioritate S. Petri supra cæteros omnes Apostolos.

1 PRimatum totius Ecclesiæ fuisse collatum soli S. Petro privativè quoad alios, evincitur ex verbis Christi Matth. 16. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni cælorum*, quibus expresè liquet, Christum spopondisse, collaturũ Petro præeminentiam, ac majoritatem privativè quoad cæteros omnes alios Apostolos; quia solus Petrus est fundamentum, seu caput totius Ecclesiæ; & soli Petro datæ sunt immediatè claves regni cœlorum; seu potestas ordinaria, ut Christi Vicario; & aliis Apostolis; vel delegata, vel cum subordinatione à S. Petro, ut capite totius collegii Apostolici, ac totius Ecclesiæ. Hinc S. Gregorius *l.4. Epist. 36.* ait: *Certè Petrus Apostolus primum membrum sanctæ, & universalis Ecclesiæ est: Paulus, Andreas, Joannes, quid aliud quàm singularia sunt plebium capita?* hoc est subordinata principali, ac universali capiti; licèt omnibus commissum sit officium propagandi Evangelium, & baptizandi omnes gentes; ut scitè Rupertus in Evangel. *lib. 1. cap. 25.* cui titulus est *de primatu Petri Apostoli inter Principes regni Dei*; ubi ait: *Potestas quidem communis est omnibus, sed unum, & singulare unius est Petri Privilegium*: Hunc eundem primatum supra cæteros omnes Apostolos consensu unanimi tribuunt SS. Patres soli D. Petro. S. Damasus Epist. 2. *Princeps Apostolorum Petrus solus, & præ omnibus creditus est.* S. Petrus Damianus serm. 27. *Unus est, quem prænobilitant singularis primatus insignia.* Optatus Milevitanus *lib. 2.* contra Parmenionem. *Negare non potes, scire te in urbe Roma à Petro primò cathedram Episcopalem locatam esse, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus.* Fuit igitur Petrus caput omnium Apostolorum etiam Pauli, Andreæ, & aliorum; proinde majoritas soli convenit Petro, adeò ut nullus ex Apostolis fuerit illi æqualis. S. Augustinus ser. 24. de sanctis, ait: *In uno Petro figurabatur unitas omnium Pastorum.* D. Thomas *in 4. sentent. dist. 25. quæst. 3. art. 2. quæst. 3. ad 1.* docet, quòd licèt omnibus Apostolis data sit potestas communiter ligandi; & solvendi, tamen ut in hac potestate aliquis ordo significaretur, primò soli Petro data est; ut ostendatur quòd ab eo in alios debet ista potestas descendere. Cæteri SS. Patres, ut notat Salmeronius *tom. 4. tract. 21. part. 3.* asserunt post Christum fundamentum Ecclesiæ esse unicum tantùm Petrum.

Evincitur assertio etiam ex illo *Joan. 21.* ubi 2

Christus suas soli Petro concredidit oves pascendas: *Pasce oves meas*, quòd si soli Petro demandatum fuit officiũ supremi Pastoris, est procul dubio cæteris privativè major; perinde ac Pastor est superior ovibus, quas pascit, dirigit, tuetur, ducit, reducit: neque ire inficias possumus, D. Paulum, & reliquos Apostolos pertinuisse ad oves Christi, cujus erant discipuli: cum igitur soli Petro damandatũ fuerit officium supremi Pastoris, non potest in dubium revocari ejus primatus supra cæteros omnes alios Apostolos. Hinc Michaël Nauclerus *de Monarchia Eccles. tom. 1. part. 2. lib. 1. cap. 1.* ait: Potestatem summam penes unum principem spiritualem, Pastorémque universalem esse debere, cui oves suas, & agnos Christus Dominus pascendos, regendósque sublimi authoritate concessit. Hunc verò Pastorem œcumenicum, Monarchicúmque Principem alium non esse à S. Petro, ejúsque successoribus legitimè electis, cum Christus dixerit soli Petro: *pasce oves meas*, quæ verba non solùm ad Petrum, sed etiam ad ejus successores canonicè electos necessariò se extendunt, quia adhuc grex Dominicus existit, & non sine Pastore, non enim cum Christus dixit Petro: *pasce oves meas*, ipsi soli immediatè id dixit, & pro semper, utpote aliquando moriturо; sed immediatè, vel mediatè per suos successores pro tempore vices Christi in militante Ecclesia gerentes; cum oves Christi semper sint in Ecclesia, debet etiam adesse earum Pastor. Quòd si ad oves Christi pertinent quotquot per baptismum, & fidem sunt in Ecclesia; & Apostoli omnes fuerunt in Ecclesia, quando Christus dixit Petro: *pasce oves meas*, utique debuit S. Petrus cæteros omnes Apostolos pascere, qui propterea fuerunt omnes inferiores Petro, qui parem non habuit in officio pascendi Dominicum gregem.

3 Hinc expressè Cajetanus *in opuscul. tom. 1. tract. 3. de Pontifice cap. 10.* expendens verba illa *pasce oves meas* ait: aut omnes, aut istas, aut nullas, vel vagè oves commisit; quòd non has, vel illas determinatè commiserit, liquet ex verbis Christi dicentis indefinitè *pasce oves meas*, id est totum meum gregem, omnes meas oves nemine excepta. Quòd nullas tunc commiserit oves, veritati adversatur: quòd vagè has, vel illas tantùm commiserit pascendas, derogat Christi sapientiæ; ac veritati pronominis adjuncti adversatur: siquidem sapientis Gubernatoris, ac Principis est definire, providere, non vagam relinquere provissionem suam. Præterea illud pronomen *meas* demonstrat oves, non vagè, sed indefinitè omnes, nemine exclusa. Liquet igitur, solum Petrum fuisse à Christo constitutum supremum totius dominici gregis Pastorem; & in tali officio parem non habuisse; sed reliquos omnes Apostolos fuisse inferiores, ac pascendos per Petrum, à quo tanquam à capite pendebant etiam in ordine ad pascendas Christi oves; adeò ut licèt Christus post suam resurrectionem miserit omnes suos discipulos cum pari potestate promulgandi Evangelium, baptizandi gentes, & doctrinâ pascendi Christi oves; nihilominus hæc potestas fuit à Christo tradita aliis Apostolis cum subordinatione à D. Petro, ut à capite; cui tanquam membra subdebantur. Unde S. Joan. Chrysostomus *homil. 87. in Joan.* fatetur, S. Paulum desiderâsse præ cæteris Apostolis videre D. Petrum ob specialem prærogativam supremi omnium Pastoris: ait Chrysostomus: *Pasce oves meas: cur tandem aliis prætermissis de his solum Petrum effatur? singularis, sive eximius ex Apostolis, & os discipulorum, & cœtus, ac vertex erat. Idcircò & Paulus ascendit, ut eum studiosè videret præter cæteros.*

Si dicas, verba in scripturis indefinitè prolata posse intelligi cum aliqua exceptione, ut cum omnes homines dicuntur in Adamo peccâsse, ac mortuos fuisse; in communiori siquidem sententia ex privilegio excipitur B. Virgo Maria Christi mater: ergo cum Christus dixit soli Petro, pasce oves meas, possumus asserere S. Paulum ex privilegio fuisse exceptum, & assumptum in vas electionis: unde non videtur inconveniens asserere, S. Paulum in officio supremi Pastoris fuisse parem D. Petro. Contra, quia est discrimen de B. Virgine Maria excepta ab illa regula generali: omnes in Adam peccaverunt; & de D. Pauli exceptione à verbis illis à Christo soli Petro dictis: *pasce oves meas*: siquidem in favorem B. Virginis Christi Matris urgent plures, ac potissimæ rationes; & nulla militat pro exceptione D. Pauli ab ovibus Christi pascendis à D. Petro: imò in contrarium urgent validissima argumenta; quia status Ecclesiæ Monarchicus minueretur, si fuissent duo supremi pastores paris authoritatis contra illud Ezechielis cap. 37. *Suscitabo super eum Pastorem unum*, & cap. 37. *Erit unus Pastor omnium vestrum.* Rursus sequeretur absurdum; quia inde sterneretur via ad schismata: hinc S. Hieronymus *l. 1. contra Jovinianum* ait: *Inter duodecim unus eligitur, ut capite uno constituto schismatis tolleretur occasio.* Præterea SS. Patres plures adferunt rationes, ob quas debuit Christi mater excipi ab illa generali regula, quâ omnes erant in Adam peccaturi, & nulla assignatur pro exceptione D. Pauli. Præterea certum est, B. Virginem in aliquibus generalibus locutionibus non includi, ut definivit Concilium Tridentinum non comprehendi sub generali regula de peccato originali: siquidem etiam sunt generales locutiones illæ de peccato actuali 2. Paralip. 6. *Non est homo, qui non peccet.* Jacobi 3. *In multis offendimus omnes*, in quibus non intelligitur comprehensa B. Virgo Christi Mater; cùm certum sit, nulla peccati actualis fuisse labe infectam ob plenitudinem gratiæ, & speciale privilegium: unde sicut excipitur à generalibus locutionibus peccati actualis, ita etiam erit excipienda à regula generali contrahendi peccatum originale. 4

Quamobrem est dispar ratio de Beata Virgine excipienda à generali regula contrahendi peccatum originale; & de D. Paulo excipiendo ab illa generali locutione Christi: *pasce oves meas*: quia privilegium concessum Virgini Matri illam excipit à generali regula contrahendi peccatum originale; perinde ac illã etiam excipit à generalibus locutionibus de peccato actuali: atqui nullus ex Sanctis Patribus asserit, privilegium concessum 5

D. Pau-

D. Paulo, quod fuerit exceptus ab ovibus, & non fuerit comprehensus in illa generali locutione *pasce oves meas*, neque ex scripturis conjici potest hoc privilegium concessum D. Paulo: quod si comprehendebatur inter oves Christi pascendas à D. Petro, perspicuum est, D. Paulum perinde fuisse sub jurisdictione D. Petri, supremi Pastoris totius Dominici gregis, ac alios Apostolos, & fideles. Præterea excipere aliquem sine fundamento à propositione universali revelata, non solùm est temerarium, erroneum, ac suspectum de hæresi, verùm etiam est hæresis; quia perinde est, ac negare illud objectum proximè terminare propositionem immediatè revelatam: sicut esset hæreticum asserere, hominem absque ullo speciali privilegio nasci sine peccato originali, eò quia hæc propositio, *omnes in Adam peccaverunt*, comprehendit omnes homines: unde excipere aliquem sine fundamento est negare propositionem immediatè revelatam: propositio enim universalis immediatè de omnibus particularibus revelatur, quo pacto credimus plura fidei mysteria propter revelationes universaliter factas; & communiter docent Theologi, omnia contenta in propositione universali revelata esse de fide: unde excipere D. Paulum, vel alium Apostolum, aut fidelem ab illa universali locutione *pasce oves meas*, non solùm est temerarium, & erroneum, sed etiam videtur esse hæreticum: quia propositiones universales sacræ scripturæ tantùm excludunt eos, quos aliunde colligitur, habere speciale privilegium, quo excipiantur; & hoc deducitur, vel ex alio loco sacræ scripturæ; vel ex Patrum authoritate; vel ratione; ex quibus omnibus Doctores excipiunt à generali regula contrahendi peccatum originale Virginem Matrem: at neque ex scripturis, neque ex authoritate Patrum, neque ex rationibus potest colligi exceptio D. Pauli ab illa generali locutione *pasce oves meas*, unde patet discrimen.

6 Rursus cùm in Symbolo Apostolorum fideles credant unam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, debent etiam credere unum tantùm in eadem Ecclesia supremum Pastorem à Christo institutum: siquidem dicitur Ecclesia *una* præter alias rationes, ut observant Patres, ab uno supremo Pastore; ut notant Cyprianus *lib. 4. epist. 9.* Anselmus *in c. 18. Matth.* Augustinus *in l. de Past. c. 14.* ubi commendans unitatem in ipso Petro ait: *multi erant Apostoli, & uni dixit: pasce oves meas*, & reverà, cùm Ecclesia sit unum corpus, ne hoc sit biceps, & monstrosum, unum tantùm debuit ipsi esse caput, non duo capita; Christus scilicet, postea Christi Vicarius Petrus, deinde Petri successor, ut declaravit Bonifacius VIII. *in extravag. unam sanctam*. Tum quia regimen Ecclesiæ fuit à Christo constitutum Monarchicum, ut communiter docent Expositores cum Salmeronio *tom. 4. p. 3. tract. 5.* ad regimen autem Monarchicum pertinet, ut unum tantùm sit caput, non verò plures ejusdem authoritatis: si enim D. Petrus, & D. Paulus habuissent eandem supremam potestatem, & jurisdictionem, adeo ut uterque in solidum gubernasset, fuisset diminutum regimen Monarchicum, quod propterea non fuisset perfectum: si enim duo essent summi Pontifices, quorum unus in oriente summa Ecclesiæ administratione potiretur, alter in occidente; jam eorum potestas esset divisa, ac proinde neuter in totum orbem, nec unus omnia præstare posset contra rationem Monarchici regiminis. Sin verò æquè singuli summam in Ecclesia haberent potestatem, quam uterque in solidum gubernaret; etiam hoc pacto utriusque potestas ex parte minueretur, & neuter in universas Christi oves diceretur potestatem habere; quia uterque esset Christi ovis, & neuter alteri subjiceretur. Quòd si ita ambo simul primatum tenerent, ut neuter sine altero quidquam posset, jam neuter summam haberet potestatem, cùm unus sine altero nihil posset: ergo D. Petrus in officio summi Pastoris fuit solus, nec parem habuit; adeò ut cæteri Apostoli, & etiam D. Paulus fuerint sub jurisdictione D. Petri, ut supremi Pastoris dominici gregis. Hinc D. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum ait: *super Petrum fundatur Ecclesia; & licèt id ipsum in alio loco super Apostolos fiat, & cuncti claves regni cælorum accipiant, & ex æquo (quod attinet quidem ad prærogativam Apostolatûs) super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur: tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio.*

7 Tametsi omnes Apostoli æquales fuerint in munere Apostolatûs; adeò ut Christus voluerit hoc munus esse commune omnibus Apostolis, cùm dixerit omnibus in ordine ad sacrificium, *hoc facite in meam commemorationem.* In ordine ad promulgandum Evangelium, & baptizandas gentes: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos.* In ordine ad remissionem peccatorum: *quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* & alibi etiam in communi dixerit Magister Christus suis discipulis: *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quæ verò pertinent ad supremam jurisdictionem soli Petro significavit, ut cùm dixit: *Tu vocaberis Cephas. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Tibi dabo claves regni cælorum*; idque adimplens postea dixit: *pasce oves meas*, unde Christus, quæ ad officium pertinerent Apostolatûs omnibus Apostolis communia fecit; quæ verò ad supremam jurisdictionem soli Petro commisit: hinc quando SS. Patres asserunt, omnes Apostolos pares fuisse in potestate, id intelligitur in ratione Apostolatûs, non verò supremæ jurisdictionis, & quoad primatum; adeò ut licèt D. Petrus, & D. Paulus fuerint æquales quoad munera Apostolatûs, non ita quoad primatum, & potestatem jurisdictionis; quia quoad hoc D. Paulus fuit minor D. Petro, cui subjiciebatur, licèt fuerint pares, ut loquuntur plures Patres, in fidei fervore, in passione, tempore, loco, & quatenus sub eodem Tyranno martyrium subierunt.

8 Præterea D. Thomas *in lect. 2. epist. 2. ad Galat.* expendens illa verba D. Pauli *cùm autem venisset Petrus Antiochiam in faciem restiti ei*, & Glossa dixerit restitit ei tanquam par; D. Thomas id explicans ait: *dicendum est: quòd Apostolus fuit*

fuit

fuit par Petro in executione authoritatis, non in authoritate regiminis; vult enim Angelicus Doctor, D. Paulum fuisse sub jurisdictione D. Petri, nec in authoritate regiminis fuisse illi æqualem: & *in 2.2. q. 33. art. 4. ad 2.* probans, quòd subditus, & inferior possit cum debitis circumstantiis superiorem corripere, adfert exemplum D. Pauli, qui licèt subditus fuerit Petro; nihilominus ob imminens periculum scandali circa fidem Petrum publicè redarguit. Hoc idem exemplum etiam adfert Tostatus *in c. 18. Matth. q. 86.* inquiens: ubi specialiter imminet periculum fidei, nisi Prælati publicè arguantur; possunt subditi; imò debent arguere Prælatos suos: unde Paulus etiam si esset subditus Petro, ut communiter asseritur, propter imminens periculum scandali arguit Petrum publicè.

9 Hanc majoritatem in D. Petro fassum fuisse D. Paulum *ad Galat. 1.* notat S. Hieronymus inquiens, cum ad videndum Petrum accederet, non dicendi studio, quia & ipse eundem prædicationis haberet Authorem; sed honoris priori Apostolo deferendi id præstitit; quod si honorem detulit priori Apostolo; jam fatebatur Petrum, ut majorem, ac priorem se, non prioritate ætatis, nec vocationis, aut ordinis; sed prioritate authoritatis, & jurisdictionis: quapropter S. Ambrosius hoc idem expendens, ait: dignum fuit, ut cuperet videre Petrum, quia primus erat inter Apostolos; seu habebat sublimiorem principatum, eò quia Christus ei commiserit curam suarum ovium.

10 Neque urget, si dicas, singula prærecensita vera esse de Petro, & Paulo seorsim sumptis non verò conjunctim, & simul captis; eò quia simul effecerint unicum in Ecclesia Principem, & caput, non verò seorsim. Nam hæc simultas, & hoc caput coalescens in Ecclesia ex D. Petro, & Paulo adstruitur omninò temerè, & absque ullo fundamento; nullibi in scripturis potest colligi D. Petrum, & Paulum in ordine ad regimen Ecclesiæ effecisse unum ac idem caput, ac constituisse unicum Ecclesiæ Principem; nec SS. Patres unquam meminerunt hujus mixtionis D. Petri cum D. Paulo in ordine ad conficiendum unicum in Ecclesia Principem: & solum D. Petrum expressè fatentur, fuisse à Christo constitutum suum Vicarium, eique solùm demandatum officium supremi Pastoris, quando soli Petro dixit: *pasce oves meas.* Unde licèt omnes Apostoli quoad munus Apostolatûs promulgandi Evangelium, baptizandi gentes fuerint æquales; ratione tamen supremæ jurisdictionis fuit Petrus Princeps aliorum Apostolorum; & major D. Paulo; non enim jurisdictio in Ecclesia eodem modo conveniebat D. Paulo, sicut competebat D. Petro. Quòd si parem D. Paulus habuisset jurisdictionem cum D. Petro, utrique Christus dixisset *pascite oves meas*; vos estis, super quos fundabo Ecclesiam meam: sed soli Petro expressè dixit: *pasce oves meas, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; & cùm Christus tunc loqueretur cum solo D. Petro; ideò non debet includi D. Paulus, alioquin non esset major ratio, cur etiam cæteri Apostoli, non deberent cum D. Petro constituere Principem, & caput Ecclesiæ, quod adversatur regimini Monarchico, quo Christus voluit suam Ecclesiam gubernari.

Quòd si excluduntur cæteri Apostoli à primatu collato Petro, eò quia id non habeatur in sacra scriptura, nec inveniatur in SS. Patribus, à quibus Apostoli tantùm dicuntur æquales in munere Apostolatûs, non verò in ratione jurisdictionis; quam fatentur datam immediatè fuisse à Christo soli Petro, ut ejus Vicario, cum illi soli dixerit: *pasce oves meas*: nec etiam primatus D. Pauli habetur in sacra scriptura, nec sancti Patres illius meminerunt; ergo sicut à primatu collato D. Petro excluduntur cæteri Apostoli, ita excludendus est D. Paulus; nullus enim ex SS. Patribus unquam asseruit, D. Paulum fuisse caput Ecclesiæ. Neque regimen Ecclesiæ semel institutum à Christo fuit postea ab eodem immutatum, adeò ut priùs constituerit supremum Pastorem solùm sanctum Petrum, & postea illi adjunxerit S. Paulum: id enim argueret non modicam imperfectionem in Christo, quasi re postea maturius considerata debuisset mutare sententiam; & regimen, quod uni soli dederat, alteri etiam debuerit tradere, quasi non potuisset prævidisse sufficientiam Petri, nec quæ erant postea eventura. 11

Neque obstat, si dicas, Petrum, & Paulum fuisse Episcopos Romanos, & Pontifices vocari successores Petri, & Pauli. Nam respondetur, solùm Sanctum Petrum fuisse Episcopum Romanum, & Pastorem totius Dominici gregis, & D. Paulum solùm in officio adjutorem Petro, cui erat subordinatus, ita enim sentiunt communiter Patres: idque ex eo etiam firmatur, quia Paulus venit Romam postquam ab injusto Præsidis judicio Cæsarem appellaverat, & licèt fuerit æqualis Petro in virtutibus, prædicatione, Zelo fidei; non ita in Episcopatu; quia solus Petrus fuit Episcopus Romanus, & Pastor totius dominici gregis; adeò ut D. Hieronymus in Catalogum ad Dexterum Prætorii præfectum asserat, Petrum Romæ viginti quinque annis cathedram sacerdotalem tenuisse, & statim loquens in eodem contextu de D. Paulo asserit tantùm, quòd pro Christo Romæ truncatur, nulla facta mentione de Episcopatu, quem soli Petro tribuerat: unde licèt Paulus fuerit Romæ socius Petri in martyrio, prædicatione, Zelo fidei; non tamen in cathedra, nec in munere supremi Pastoris, hoc idem etiam fatetur Beda *in act. Apost. c. 15.* ubi ait scimus, Petrum, & Paulum Apostolos anno post resurrectionem Domini 38. seu ultimo Neronis passos fuisse martyrium, & Beatum Petrum Romæ 25. annos Episcopalem tenuisse cathedram: licèt loquatur de Petro, & Paulo, simul Romæ degentibus, & simul passis: nihilominus in cathedra solùm Petrum constituit; & Episcopum fuisse Romanum asserit. Ad id, quod addebatur, Pontifices vocari successores D. Petri, & Pauli. Respondetur ita vocari, non quòd Paulus unà cum D. Petro fuerit caput Ecclesiæ, & Romanus Pontifex, sed quia fuit adjutor Petro in officio prædicationis, baptizandi gentes, in miraculis, virtutibus, & aliis, quibus juvabat D. Petrum Romæ: ubi ambo com- 12 13

commorabantur; & hac ratione Pontifices vocantur successores Petri, & Pauli; eadem ratione solent Pontifices authoritate sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli uti, ac munire Pontificias Bullas, eò quia uterque Romæ laboraverit, & suo cruore primas Ecclesiæ plantas irrigaverit; unde quia D. Paulus fuit Romæ cooperator, & laboravit cum D. Petro, cum quo simul sanguinem fudit, rectè Pontifices utuntur authoritate D. Petri, & Pauli, non intelligentes, quòd fuerint pares in jurisdictione, nec in dignitate supremi Pastoris, sed tantùm in laboribus, virtutibus, miraculis, & morte pro Christo obita.

13 Neque ullum facessit negotium, quòd imago D. Pauli ex consuetudine collocaretur ad dexteram illius D. Petri; quia moris fuit apud antiquos, ut junior si ambularet cum seniore incederet à dextris senioris, eúmque obsequii causa paululum præcederet; ex qua consuetudine fieri potuit, ut etiam in imaginibus D. Paulus pingeretur à dextris Petri. Alii asserunt, moris fuisse apud Græcos, ut latus sinistrum nobilius censeretur, proinde Petrum utpote majorem, ratione jurisdictionis fuisse collocatum à sinistris.

14 Concludendum igitur est, secundùm verum scripturarum sensum, & unanimem sanctorum Patrum consensum D. Paulum quoad munus Apostolatûs fuisse quidem parem D. Petro, quatenus Christus æquè omnibus Apostolis commisit munus promulgandi Evangelium, baptizandi gentes, ac propagandi fidem; sed quoad jurisdictionem, & regimen, D. Paulum perinde ac cæteros Apostolos fuisse subditum D. Petro; eò quia hic solus fuit à Christo institutus Pastor totius dominici gregis, Princeps Apostolorum, ac ejus in militante Ecclesia Vicarius, adeò ut solus Petrus rexerit Romanam cathedram, in qua tantùm coadjutorem habuit D. Paulū. Si enim una sedes duos nō capit sedentes, nec Romanos fratres Romulum, & Remum unum Regnum potuit capere; licèt ambos simul, unum excepit uteri hospitium: nec congruum erat, duos sedisse in eadem Romana cathedra, & pari authoritate rexisse Ecclesiā, quæ si *cant. 6* comparatur cum exercitu rectè ordinato, si Daniel 2. cum Regno, si Joan. 10. cum ovili, si 1. ad Timoth. 3. cum domo, si 1. ad Corinth. 12. cum humano corpore; sequitur, quòd sicut exercitus ritè dispositus ab uno tantùm regitur supremo militiæ præfecto; & sicut Regnum ab uno Rege; ovile, ab uno pastore; domus ab uno Patrefamilias; corpus humanum ab uno capite; ita Ecclesia non nisi ab uno Rectore Petro, ejúsque pro tempore successore gubernari debuit; Hinc Innocentius X. sententiam asserentem, D. Paulum fuisse parem in suprema jurisdictione D. Petro, & ex hisce duobos Apostolis coaluisse caput totius universalis Ecclesiæ, damnavit, ut hæreticam in decreto impresso in typographia Apostolica emanato sub die 24. Januarii anno reparatæ salutis 1647. & publicato die 25. ejusdem mensis.

§. IX.

De Potestate Pontificis in ordine ad eligendum sibi successorem.

Formam electionis summi Pontificis esse de jure Ecclesiastico colligitur ex *c. licet 6. de elect.* & pluribus summorum pontificū constitutionibus, quibus optimo modo providerunt Ecclesiæ circa futuri Pontificis electiones, formam, & modum immutantes: siquidem Christus nullam specialem instituit formam servandam in electione summi Pontificis; sed simpliciter sui in Ecclesia Vicarium instituit D. Petrum; & hic successorem sibi elegit Clementem de monte Cœlio, qui præ modestia voluit Linum, deinde Cletum sibi præferri, adeò ut Clemens non nisi quarto loco post Petrum habuerit pontificatum. Bonifacius II. postea decrevit, ne Pontifex posset sibi successorem eligere, & Pontificem intra triduum esse eligendum post mortem prædecessoris; ne ex indignorum electione grave damnum obtingeret Ecclesiæ. Post hanc constitutionem Bonifacii II. electio Pontificis facta fuit à Clero, aliisque ordinatis in urbe usque ad Sylvestrum Papam. Quia verò Principes laici se immiscebant electioni summi Pontificis non sine gravissimo Ecclesiæ damno ob frequens schisma, quo Ecclesia dilacerabatur scisso templi velo; Adrianus II. decrevit, ne laici imposterum, se ingererent Pontificis electioni, & fuit hæc constitutio edita anno Christi 869. Adrianus III. postea statuit ad Clerum Romanum pertinere Pontificis electionem, non spectata posthac authoritate Imperatoris: & liquet ex *c. constitutio 41. de elect. in 6.* Henricum I. & Ottonem I. expressè renuntiâsse tali juri, imò quia Pontificis electio facta à Clero plura adhuc secum trahebat incommoda, Nicolaus Papa II. sanxit anno Christi 39. supra millesimum, electionem Papæ ad solos pertinere Cardinales, ut liquet *23. dist. cap. in nomine Domini.* 1

Cùm igitur modus electionis fuerit præscriptus ab ipsis summis Pontificibus, & Cardinalibus commissus, videtur sequi, hoc jus primariò esse in summo Pontifice, ut ipse possit sibi successorem eligere; sicut Petrus elegit sibi Clementem, alioquin si non posset sibi successorem eligere, neque potuisset sua lege positiva aliis præscripsisse modum electionis, sicut reverà præscripsit, ac commisit solis Cardinalibus. Quòd si summus Pontifex accepit à Deo potestatem præscribendi formam, & modum electionis servandum ab aliis, & eum immutandi, prout magis congruere visum fuerit; videtur etiam eidem inesse potestas sibi successorem eligendi, præsertim cùm S. Petrus elegerit Clementem, ut sibi succederet, ut testatur Joan. III. *in epistol. anit.* quæ est ad Germaniæ, & Galliæ Episcopos *c. 1.* Sunt etiam, qui censeant, Linum, & Cletum non successisse Petro in Romano pontificatu, sed vivente Petro fuisse ordinatos Episcopos sine ulla Ecclesia, ut Romæ essent coadjutores Petri. 2

3 Victoria *in relect. 11. de potest. Eccles. q. 2. propofit. 10. n. 2. & sequent.* censet, Pontificem habere potestatem eligendi sibi successorem, & probat ex eo, quia sicut potuit ferre legem de electione successoris, ita potuisset constituere, ut Pontifex

vivens eligeret sibi successorem ad tollenda schismata, & removendam occasionem ambiendi supremam illam dignitatem: sicut apud Romanos durante adhuc magistratu Consulum designabantur futuri Consules; ita fieri potuit de summo Pontifice. Rursus potuit Pontifex legem ferre, ut Episcopus adhuc vivens sibi eligeret successorem; ergo hanc legem potuit etiam sancire de summo Pontifice. Tum quia pertinet ad Papam modum definire, quo sibi succedatur; sed unus ex hisce modis est, ut antecessor successorem nominet, non enim in hoc ulla apparet repugnantia. Tum quia Pontifex potest statuere, ut eo adhuc vivente eligatur successor eo modo, quo e igitur Rex Romanorum cum jure succedendi ad Imperatorem.

4 Verùm ad Clementem quod attinet, respondet Turrecremata, Petrum non eum elegisse successorem, sed tantum illum nominâsse, ut postea eligeretur; quæ causa fuit, ut Clemens reverà non fuerit secundus Pontifex imediatè post Petrum, sed secundus fuerit Linus, & tertius Cletus, & postea quartus Clemens, ut liquet ex *can. missa.* Verùm hæc opinio Turrecrematæ est contra communem sententiam præsertim contra Tertullianum *de præscriptionibus.* Hieronymum *l.1. in Jovinianum, & in c. 52. Isaiæ*, Ruffinum *in præfatione relectionum.* Joannem III. Romanum Papam *in epist. ad Episcopos Germaniæ*, Anacletum *epist.1.* Damasum *in vita Petri* & etiam adversatur juri canonico: est siquidem contra *c. si Petrus c. unde 8. q. 1.* unde Bellarminus de *Romano Pontif. lib. 2. c. 5.* asserit, Clementem fuisse à Petro electum, sed ipsum post mortem Petri renuntiâsse, & noluisse succedere, quæ sententia videtur fuisse Epiphanii *serm. 27.* Alii putantes Linum, & Cletum fuisse tantùm Coadjutores Petri, cùm viveret, adeò ut Petrus habuerit priùs Coadjutorem Linum, & postea eo mortuo Cletum; censent de facto Clementem successisse Petro: sed sententia Bellarmini, quæ est etiam Baronii *tom. 1. anno 60. n. 35.* est communior; adeò ut Linus, & Cletus non fuerint Coadjutores tantum, sed etiam veri Pontifices.

5 Secunda sententia negat, Ponti cem posse sibi eligere successorem, & propugnant hanc sententiam Turrecremata *in summa Eccles. lib. 2. c. 51.* Cajetanus *tom. 1. opusc. tract. 3. in Apolog. de comparat. authoritatis Papæ, cum authoritatè Concilii p. 2. c. 22.* Comitolus *in respons. moral. quæst. 98.* Azorius *in summa tom. 2. lib. 4. c. 5. q. 3.* Turrianus *in 2. 2. tom. 2. disp. 15. dub. 3.* Tiraquel. *de jure const. p. 3. limit. 2. n. 4.* & plures alii, inter quos Cajetanus probat hanc sententiam ex illa Aristotelis propositione de somno, & vigilia, ubi ait: *ejus est potentia, cujus est actus*: atqui actus electionis Papæ simpliciter, & absolutè non est Papæ: ergo potestas electiva Papæ non convenit formaliter Papæ. Minorem probat, quia electio Papæ est actus factivus, quantum est ex se, tunc Papæ; adeò ut per actum electionis, & pro illo tempore, quo eligitur Papa efficiatur Papa ille, qui eligitur; ex quo infert, repugnare illi, quod præsupponat pro tunc Papam; quia quod fit, non est, si enim esset non fieret; hinc elector præsupponitur secundum naturam rei electioni, estque simul tempore cum electione; unde actus electionis Papæ, non potest esse Papæ; quia electio Papæ est actus electoris Papæ, non verò ipsius Papæ, quia hic non est elector; sed electus. Verùm hæc ratio, quâ nititur Cajetanus, non videtur magni momenti, quia Pontifex eligens sibi successorem fungitur tunc munere Electoris, non Papæ electi; nec eligit Papam absolutè, ut sit Papa statim post electionem, quoad actum, sed tantùm dat illi jus, ut sit Papa post obitum Papæ, à quo fuit electus.

Turrecremata probat assertum hac alia ratione, quia translato sacerdotio legali oportuerit, ut etiam forma assumendæ personæ ad sacerdotium transferretur, & cùm in sacerdotio legali vim habuerit successio originis, & carnis: siquidem sacerdotes assumebantur ex stirpe Aaron *Exodi 28.* unde decuit, ut hæc forma eligendi sacerdotes transferretur in aliam, cùm & sacerdotium fuerit translatum; adeò ut non per carnis originem, sed per electionem assumptio fieret personæ ad pontificatum. Verùm hæc ratio non videtur magni roboris, quia posset lex sanciri ut Papa eligat sibi successorem, qui secundùm carnem non sit illi consanguineus, nec affinis ad amputandam omnem hæreditariam successionem. Assignat Turrecremata plures alias rationes petitas: vel ex spiritualitate sacerdotii Evangelici, cujus summus principatus, non carni, sed spiritui debetur. Vel ex universitate sacerdotii, quod ad omnes tribus, & nationes potest pertinere, & potest ex quavis natione eligi summus Pontifex. Vel ex qualitate vitæ, & ex sanctimonia, quæ necessaria est in summo sacerdotio; quæ sanctitas minus periclitatur, si summum sacerdotium per electionem instituatur. Vel ex periculo fortuito, quod accidere posset, si successione originis Pontifex eligeretur. Verùm hæ omnes rationes tantùm urgerent, si Pontifex eligeret sibi in successorem consanguineum; non ità, si alium qui nec consanguineus esset, nec affinis, nec ulla necessitudine devinctus Pontifici; tunc enim eligeret, quem merita supra cæteros commendarent, & cessarent omnia prærecensitâ incommoda. 6

Tertia sententia veluti media inter duas præ- 7
recensitas pugnantes ait: præfatas opiniones esse quidem probabiles, sed non esse simpliciter concedendam hanc potestatem Pontifici eligendi sibi successorem, nec esse simpliciter negandam; eò quia posset Papa ordinare modum electionis, qui esset justus; & utilis Ecclesiæ, quique esset in ejus ædificationem, non destructionem: quia tunc cessarent omnia incomoda, quæ possent sequi, ex eo quòd Papa eligeret sibi successorem consanguineum, affinem, vel amicum, nullo habito respectu ad commodum Ecclesiæ; quòd si eum institueret eligendi modum, qui Ecclesiæ magis obesset, quam prodesset, quia tunc manifestam contineret injustitiam, non esset modus ille observandus. Cæterum si Pontifex urgente gravissima necessitate, præsertim ad tollendum schisma; & servandam Ecclesiæ tranquillitatem eligeret sibi successorem dignissimû, qui maximo esset Ecclesiæ comodo, tunc electio esset justa, & Pontifex uteretur legitima potestate eligendi in illo rarissimo casu, & urgente apertissima ecclesiæ

ne-

necessitate; proinde electus in illo casu censeretur legitimè electus. Adhæret huic sententiæ Franciscus Amicus in *cursu Theologico tom. 4. disp.6.sect.6. n.204.* ubi asserit, posse Pontificem sibi successorem post mortem deligere, dummodo talis electio apertam non contineat injustitiam, quia ut declarat Glossa *in c. si transitus dist. 79.* quando Pontifex hoc faceret, quasi ex testamento, dignitatis suæ hæredem substitueret, quapropter invalida esset electio, quia tunc sibi usurparet jus, quod illi non conveniret, non enim Pontifex habet hanc potestatem, ut hæreditariâ cum jure de illa disponendi quomodocunq; sed tantùm in commodum, & utilitatem Ecclesiæ.

8 Probat Amicus hanc assertionem *ex d. c. si transitus*; in quo videtur supponi, posse Pontificem futurum successorem nominare: habetur enim in *d.c. si transitus Papa inopinatus evenerit, ut sui electione ante decernere non possit.* si enim supponit Papam ex inopinato transitu non posse decernere de electione successoris, supponit defacto Papam habere potestatem eligendi sibi successorem. Tum quia nullum potest assignari jus divinum, quod prohibeat, Pontificem eligere sibi successorem; jus humanum, & positivum, non sufficit ad imponendam hanc prohibitionem Pontifici, cum hic plenam habeat potestatem super jus omne humanum, & positivum; & suam potestatem non habeat ab Ecclesia, sed à Deo. Tum quia si Petrus de facto adhuc vivens successorem sibi elegit Clementem, potest & quilibet alius Petri successor etiam sibi eligere successorem, cùm eadem potestas, quæ fuit in Petro, transfundatur in successores legitimè electos.

9 Si dicas, id jure divino esse prohibitum, & colligi ex *c. Episcopus 8. q. 1.* ubi statuitur non licere Episcopo successorem sibi eligere. Respondetur, ibi tantùm agi de jure Ecclesiastico, quod fuit in Concilio Antiocheno determinatum, non verò de jure divino. Tum quia ex dispensatione Papæ potest Episcopus successorem sibi eligere, ut notat Glossa, & expressè habetur *in c. petisti 9. q. 1.* ubi Pontifex Zacharias concedit Archiepiscopo Moguntino, ut sibi successorem post mortem eligat.

10 In hac sententiarum varietate mihi videtur procedendum cum distinctione: si enim nulla gravissima urgeat necessitas, neque exspectetur maximum Ecclesiæ commodum, nec summi mali impedimentum, putârim, tunc Pontificem non posse absque urgentissima causa sibi successorem eligere, quia adest relatio consistorialis, cujus meminit Joannes Baptista Casalius *de vet. sac. Christ. rit. c. 79. in fin.* & Andreas Victorellus *in additionib. ad Ciac. in vita Papæ Pii IV.* quam refert Diana *de potest. Pontif. resol. 4.* his verbis anno 1565. die 18. Papa Cardinales in consistorio alloquens, ætatem suam senio confectam in occasum quasi præcipitem ferri narrans; adjecit scire se, quæri à juris consultis, an Romanus Pontifex sibi successorem deligere queat, sub Paulo IV. agitatam quæstionem, an idem Pontifex adjutorem cum futura successione adsciscere possit? & quamvis nonnulli, Decius in primis id affirment, eam tamen sententiam Pius, ut falsam rejiciendam censuit, volebátque declarare, & si opus fuisset statuere, Pontificem Cardinalibus etiam assentientibus id facere non posse. Major Cardinalium numerus decretum faciendum judicavit. Gambara dixit, declaratum olim à Pontifice in consistorio & decreto firmatum hoc à Pontifice fieri non posse; quare ajebat, videndum, quibus verbis constitutio facienda. Pius auditis sententiis decretum inutile non futurum asseruit, seque declaraturum Pontificem, non posse successorem, adjutorémve cum futura successione sibi eligere. Hactenus Victorellus *loco cit.* apud Dianam *d. resol. 4.*

Hinc non fuit mos in Ecclesia, ut Pontifex sibi successorem eligeret; & quia Bonifacius II. cogitaverat sibi constituere successorem Vigilium Diaconum, facta tamen iterum synodo reum Bonifacius se fassus fuit, eò quia cogitaverit de successore sibi constituendo; & referente Baronio anno Christi 571. decretum ipsum sua subscriptione munitum coram omnibus incendio consumpsit; verùm quia fortassis de illo decreto consistoriali Pii IV. non constat authenticè, vel saltem declarationem illam Pontificis non prodiisse in lucem; ideò opposita sententia, si quid aliud non addatur, non videtur gravi censura inurenda, cùm à pluribus Theologis præsertim Suarezio *de virt. Theol. disp. 10. sect. 5. n. 16.* Amico *tom. 4. disp. 6. sect. 6.* probabilis censeatur. Quòd si in maximum Ecclesiæ bonum cederet, si præsens Pontifex prævidens inevitabile futurum schisma, & gravissima Ecclesiæ incommoda cum detrimento Religionis, posset is malis facilè obviare ex eo, quòd sibi successorem eligeret; tunc non video, cur electio non esset censenda valida cum S. Petrus de facto sibi successorem elegerit. 11

Cæterum præscindendo ab hisce incommodis, malisque in Ecclesia præcavendis, censerem, Romanù Pontificem jure naturali prohiberi à successore sibi deligendo, quia tametsi id nec jure divino, nec ex Christi institutione sit illi interdictum, cum nusquam id in sacris litteris legamus vetitum, & si jure canonico prohibeatur, possit Romanus Pontifex hoc idem abrogare, eò quia sit supra canones: nihilominus jure naturali videtur hæc electio prohiberi: siquidem eo ipso, quòd Christus Vicarium suum creavit Petrum, voluitque in eadem potestate Romanum Pontificem succedere, liberum Ecclesiæ reliquit, ut hoc, vel alio modo Pontifex eligeretur. 12

Attamen hac liberâ potestate à Christo relicta ipsa naturalis ratio præcipit, ut sine urgentissima necessitate; & ad præcavenda imminentia pericula Religionis, Romanus Pontifex nòn eligat sibi successorem, quia ex hac electione plura paulatim orirentur in Ecclesia mala, & hujusmodi electio non esset in ædificationem, sed in destructionem Ecclesiæ. Quamobrem, si de facto Pontifex absque ulla urgente necessitate sibi successorem eligeret, post ejus obitum Ecclesia totâ perturbaretur, & alium in demortui Pontificis locum posset subrogare, ut notat Gomez *q. 1. in reg. Cancell.* 13

Hinc neque potest Romanus Pontifex alteri facultatem concedere, ut in ipsius locum successorem deligat, quia sive per se immediatè, sive per alterum sibi successorem deligeret, eadem semper seque- 14

sequerentur incommoda, & Ecclesia periclitaretur. Neque est par ratio de Cardinalibus compromittentibus, quia tunc eligunt unum veluti arbitrum, quo ipsimet Cardinales Pontificem eligunt; qui enim tunc eligitur censetur eligi communibus omnium suffragiis, quia omnes compromittentes censentur eum eligere, quem eligit Compromissarius. Secus si Romanus Pontifex sive per se, sive per alium successorem sibi eligeret, tunc sanguini potius, quàm meritis, & moribus haberetur ratio.

§. X.

De Adoratione, quâ summus Pontifex colitur.

1 Nomen adorationis esse commune cultui, qui exhibetur Deo, Angelis, & hominibus, liquet ex scripturis, etenim *Deuter. n. 6. & Matth. 4.* adoratio sumitur pro cultu soli Deo exhibito: & *Genesis 19.* pro cultu, qui exhibetur Angelis: *Vidit Loth duos Angelos, surrexit, & ivit obviam iis, adoravitque pronus in terram:* & *3. Regum* ut etiam plerisque aliis in locis sumitur adoratio pro illa reverentia, quâ homines solemus honorare, ac illis nos submittere: est enim adoratio recognitio excellentiæ personæ adoratæ, cui adorans se illi submittit ex affectu protestandi ejus excellentiam: hinc adoratio, quæ fit Deo est submissio facta supremo Principi, & infinitè perfecto ex affectu recognoscendi ejus infinitam excellentiã supra omnes creaturas: adoratio, qua Angelos, & homines honoramus, est tantùm submissio proveniens ex recognitione creatæ excellentiæ. Hinc quia excellentia divina, & creata sunt omninò diversæ, ita adoratio utriusque debet necessariò differre; qua ratione adoratio Dei dicitur latria, & sanctorum Dulia, & B. Virginis ob specialem prærogativam, qua est Mater Christi, Hyperdulia.

2 Quia verò adoratio fit per quandam submissionem, qua significamus excellentiam illius, quem adoramus, ideò dicitur esse honor externo corporis gestu exhibitus, ut genu flexione, capitis apertione, pectoris tonsione, manûs osculo, capitis inclinatione, vel corporis in terram prostratione juxta varias gentium consuetudines: similibus modis solent superiores ab inferioribus honorari; & adoratio dicitur sita in illo externo corporis gestu, prout est signum internæ æstimationis, reverentiæ, submissionis erga alterum, cujus excellentiam illo externo signo protestamur. Et licèt genu flexione subinde homines Deum, Sanctos, & Principes terræ venerentur, non tamen est eadem adoratio, quia illud externum signum est ex se indifferens, & potest tam creaturis, quàm Deo exhiberi: siquidem genu flexionem, & totius corporis in terram prostrationem, quæ summæ videntur esse adorationes etiam hominibus fuisse exhibitas, liquet ex pluribus scripturæ locis *Genesis 3. & 50. 3. Regum 1. 4. Regum & Act. 10.* Quamobrem eadem genu flexio, vel corporis in terram prostratio ad diversas potest adorationes pertinere juxta diversam adorantis intentionem: si enim externã illa submissionis notã intendat quis alteri se subjicere tanquam Deo, & testari ejus infinitam excellentiam supra omnes creaturas, est cultus Latriæ; si ut amico Dei est cultus Duliæ, si ut Matri Dei est Hyperduliæ, si ut viro nobili, vel sapienti, aut potenti est observantia politica: quapropter idem actus externus potest procedere ex diversa intentione, & dirigi ad diversas excellentias, & ad diversam pertinet adorationem Latriæ, Hyperduliæ, duliæ, & observantiæ politicæ.

3 Hinc quando fideles dicuntur summum Pontificem genu flexione, & osculatione pedum adorare, non intelliguntur Pontifici exhibere illum cultum, qui Deo convenit; sed tantùm qui congruit supremo in militante Ecclesia Pastori vices Christi in terris gerenti; adoratio enim non solùm Deo, sed etiam creaturis convenit viventibus; & moris est plerisque in locis, ut subditi suos Principes genu flexione, vel etiam totius corporis in terram prostratione venerentur, ac adorent, idem enim sunt venerari, ac adorare: unde non est, cur carpi debeant fideles, si genu flexione, vel pedum osculatione supremum in Ecclesia Pastorem, seu summum Pontificem dicantur venerari, & adorare. Hunc morem semper viguisse in Ecclesia liquet ex historiis: siquidem apud Surium tom. 5. die 3. Maii in actis S. Quirini habetur, quod aperiens ostium viderit S. Alexandrum, & statim procidens in terram osculatus fuerit ejus pedes. Baronius anno Christi 294. asserit, Prædignam uxorem Claudii se postrâsse ante Cajũ Papam, & ejus pedes exosculatam fuisse: & refert etiam tunc temporis viguisse consuetudinem, quo fideles pedes exoscularentur Pontificis. Paulus Aemilius *in sua historia* de gestis Franc. loquens de Pipino Rege, & Stephano III. Papa ait: Pontifici in Galliam venienti officii causa amplissimus ac nobilissimus quisq; ad primos fines occurrere Principes, cum Carolo adolescentulo, cui sua virtus, fœlicitasque magni postea nomen indidit, & Pipinus tertium à Carisiaco oppido obviam progressus pedes, ut ferunt, exosculatus, coërceri non potuit, quin in equo salientem ipse pedibus ad frœnum prosecutus in Regiam deduceret. Carolum magnum se prostrâsse ad pedes Pontificis, eúmque adorâsse refert Alcuinus apud Canisium *tom. 6. antiquæ lectionis.* Et sic innumera possunt exempla adduci; sed omissis antiquis: contigit nostris temporibus, ut Christina Suecorum Regina Religionem Catholicam professa Romam venerit, & ad Alexandrum VII. summum Pontificem se contulerit, cujus pedes fuit exosculata, ac Christi Vicarium, ut moris est inter fideles adoravit. Eandem præstitit adorationem Regina Poloniæ uxor Joannis III. Subiesckii; Romam siquidem profecta pedes Innocentii XII. exosculata est, & supremum Dominici gregis Pastorem, quâ par est reverentiã adoravit, unà cum Imperatricis ex sorore Nepte.

4 Præterea moris fuit, ut etiam Principes, Reges, & Imperatores à suis subditis adorarentur adoratione scilicet politica; estque observantia, quæ ob dignitatem politicam, vel excellentiam humanã cultum exhibet superiori; qua adoratione *3. Regum. c. 1.* dicitur Bersabee inclinâsse se, & adorâsse Regem, ut etiam Nathan cecidisse in terram ut pronus adoraret Regem imò teste Xenophonte

phonte *lib.8.* & Plutarcho in Alcibiade, cum Regibus Persarum nulli licitum erat loqui, nisi prostratus in terram vestigia pedum Regiorum exosculairetur. Hunc morem etiam viguisse apud Romanos imperantibus Othone, Caligula, Nerone, Adriano, Antonino ostendit Lorinus in *act. Apostol. c.10. vers.24.* & licèt non defuerint, qui hanc Principum adorationem reprobaverint, non tamen illam absolutè damnârunt, sed tantùm ratione adulationis subditorum, vel superbiæ Principum, quo pacto Caligula se adorari instituit, ut Deum, teste Dione *l. pen.* quòd etiam de Claudiano refert Aurelius Victorius *p.2. n.39.*

5 Cæterum politica Principum adoratio non est damnanda, cùm per ipsam subditi, & inferiores tantùm protestentur excellentiam Principis, ejúsque nobilitatem, non verò quidquam in ipsis divinum: hinc consuetudo hoc pacto colendi, ac venerandi Principes communi populorum consensione comprobatur, & quasi naturæ authoritate defenditur. Et licèt aliqui imperatoria majestate insolenter abusi, temerè se Deos jactaverint, & ambitione tumidi, osculum pedis tanquam divinum honorem sibi arrogaverint; non inde populorum observantia est damnanda, sed Principum improbitas, ac dementia culpanda. Quòd si moris fuit, & est ubique terrarum, ut Imperatores, Reges, & Principes adoratione politica à suis colantur subditis; carpendi non sunt fideles, si supremum in Ecclesia Pastorem, & Christi Vicarium genu flexionis reverentia adorent, ejúsque pedes exosculentur.

6 Imò si ut habetur in *cæremoniali Episc. lib. 1. c.2.* subditi tenentur genu flectere coram Episcopo à fortiori debent genu flectere coram summo Pontifice, cui Episcopi omnes subjiciuntur; & si teste D. Hieronymo *epist 61.* ad Pammachium olim Christi fideles pedes consueverunt Episcoporum osculari; siquidem de Epiphanio ait Hieronymus, *nonne cùm ad eum omnis ætatis, & sexûs turba conflueret offerens parvulos pedes deosculans, fimbrias vellens, cúmque non posset promovere gradum, se in uno loco, vix fluctus fundantis populi sustineret.* Multò magis hujusmodi pedum deosculatio, & adoratio congruit Christi Vicario, seu summo Pontifici, cui cæteri Episcopi subjiciuntur. Legimus etiam Clotharium Francorum Regem ad pedes S. Lupi Senonensis Episcopi supplicem se prostrâsse. Aribonem IV. Longobardorum Regem è Regia sella descendisse, & ad pedes S. Corbiniani Episcopi Frisingensis se prostrâsse. Hinc S. Ambrosius *lib. de dignitat. sacer. c. 2.* ait. Regum colla, & Principum submittuntur genibus sacerdotum, & exosculatis eorum dextris, orationibus eorum se credunt communiri. Hanc adorationem fuisse exhibitam Episcopis non solum ratione sanctitatis, quâ tunc temporis eminerent, sed etiam ratione dignitatis sacerdotalis, & episcopalis, referunt communiter Historici, quapropter à fortiori exhibenda erit summo Pontifici, qui ut loquitur Arnobius *in psal. 138.* est Episcopus Episcoporum. Refert Josephus Hebræus *lib. 11. antiq. c.8.* etiam Alexandrum Magnum adorâsse Jaddum Pontificem Judæorum; unde potiori jure licebit Principibus Christianis pedes osculari summi Pontificis, eúmque adorare, ut Christi Vicarium in militante Ecclesia, cùm longè præstantior sit dignitate, & excellentia, ac potestate Pontificibus veteris testamenti.

Morem deosculandi pedes vetustissimum esse 7
constat ex Apullejo *lib.6. meth.* ubi ait post initium, *Tunc Psyche pedes ejus advoluta, & uberi fleturigans Deæ vestigia, humúmque verrens crinibus suis multijugis precibus editis veniam postulabat.* Apud Curtium lib. 3. Mater, & uxor Darii provolutæ ad pedes Alexandri illum enixim rogant, ut sibi liceat patrio ritu Darium sepelire, quem rebantur in acie cecidisse. Hanc consuetudinem deosculandi pedes maximè filii erga Patres servaverunt, ut habetur apud Plinium *lib.9. epist.21.* ubi ait: Libertus tuus, cui succensere te dixeras, venit ad me, advolutúsque pedibus meis, tanquam tuis hæsit; flevit multum, multúmque rogavit, multum etiam tacuit. Et Sidonius Appollinaris *lib. 4. epist. 25.* ait, quam lætus orietur tibi dies, mihi nuntius; amicus illi, cum paternis pedibus affusus, ex illo ore læso, ore terribili: convitium exspectans osculum excepit. Imò de filio prodigo provoluto ad pedes Patris legitur Lucæ 15. & cùm summus Pontifex audiat Pater communis, quid mirum si fideles ante ipsum provoluti ejus pedes osculentur, ac præ filiali reverentia colant, & amplexentur, maximè cum vices gerat ipsius Christi, cui concreditæ sunt ejus oves, *pasce oves meas*; unde S. Ambrosius in ult. c. Lucæ ait, loquens de summo Pontifice, qui cùm dederit claves Regni cœlorum, animásque ligandi, & absolvendi Pontificium tradiderit, jure meritò omnes, qui se peccatorum norunt nexibus obstrictos, caput inclinant, genua flectunt, sacris affunduntur vestigiis, eaque devotis lambunt osculis, veniam, ut quàm supplices petunt, ab ipso cœlesti dispensatore, valeant promereri.

Hanc summi Pontificis adorationem deducunt plures Expositores ex sacris scripturis præ- 8
sertim ex Isaiæ Prophetæ c.49. ubi habetur, *& erunt Reges nutricii sui, & Reginæ nutriciæ suæ, vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent*; ubi Cornelius à Lapide notat verbum illud *lingent* esse auxesin, & significare summam demissionem, & venerationem: & Prophetam fuisse locutum de Christi Vicario in militante Ecclesia asserunt plures alii Expositores explicantes eodem pacto illud Davidis Psal. 71. *coram illo procident Æthiopes & inimici ejus terram lingent.* Et Lorinus expendens verba Psal. 59. *in Idumæam extendam calceamentum meum*: ait, non ineptè calceamenti extensionem in Idumæam denotare supplicem exosculationem pedum Christi, & Vicarii ejus summi Pontificis. Potest etiam ratio assignari, quia cùm Romanus Pontifex vices gerat Christi, sitque supremus Pastor totius dominici gregis, & pascat omnes Christi oves, quas edocet, & earum controversias, ut judex dissolvit, in fide, & Religione aberrantes, & à recto deflectentes iterum ad ovile ducat; & confirmet, ac tot beneficia impertiatur fidelibus, meritò isti ad ejus pedes exosculandos accedunt

dunt, ut Religionis, & fidei disciplina imbuantur.

9 Imò non solùm osculatione pedum, sed etiam inclinatione capitis, quando in publicis orationibus nomen auditur Pontificis, debitus ei cultus exhibetur, quià tunc talis apertio capitis, vel inclinatio ejusdem est actus externæ observantiæ, & in veteri testamentò fuit in usu, cùm Genesis 24. Servus Abrahæ inclinaverit se, & adoraverit Dominum Genesis. 33. Ancillæ Jacob. & filii earùm incurvati fuerunt. Rachael etiam, & Lia cùm pueris suis leguatur prostratione corporis adorâsse: fiebat hujusmodi adoratio, ut tradit Benedictus Pererius in Genesin c. 33 per incurvationem corporis inclinando scilicet caput cum modica corporis dimissione.

10 Neque obstat, quòd Cardinales ordinariè non genu flectant ad occursum Pontificis, nec ejus pedes osculentur, quià cùm ipsi sint Consiliarii Pontificis, cui lateri hærent, & Ecclesiæ regimini invigilant, non debent ad pedes jacere, ut enim ait Lorinus in acta Apostol. c. 10. Cardinales post unam, vel alteram pedum Pontificis osculationem in ipsius electione, deferunt ei manus tantùm, vel os inter missarum solemnia cum ad oscula admittuntur; sunt enim Pontificis, ac Ecclesiæ totius primarii Consiliarii, ac veluti cardines, super quos Deus posuit orbem. Cyrillus Alexandrinus *lib. 2. in Levit.* æquiparat Cardinàles Magdalenæ, inquiens: ex mulieribus, quæ fimbriam vestimenti tremebunda tetigerat incipientium statum expressit: quæ verò caput Christi unguento perunxerat perfectorum statum expressit, & fortasè non absurdè Cardinalium consuetudo multis abhinc annis constantissimè servata fuit deosculandi manus, vel os inter missarum solemnia.

11 Licèt Cardinales non ita sæpiùs Pontificem genuflexione adorent, pedúmque osculatione; illum tamen adorant osculo manùs præsertim ante missam in Capella papali, osculum manùs, quandam significare adorationem ex eo liquet, quia per tale signum ostendimus nostram submissionem, reverentiam, & gratitudinem in alium, cui ex reverentia manus osculamur; quod pertinet ad externam adorationem: hinc Cicero oratione 5. contra Verrem ait: Agrigenti, quod oppidum est in Scicilià, Æneum fuisse Herculis simulachrum, quod os atque mentum detrita haberet, propter frequentiam eorum, qui eò venerationis gratiâ osculaturi accederent. Imò modus iste adorandi per oscula frequentior fuit apud Hebræos: siquidem Esther 5. Regina adoravit Regem Asuerum osculando summitatem ejus sceptri, Sunamitis apprehendit pedem Elisæi eum osculatura in signum reverentiæ, ut constat ex 4. Regum. Rex Nabuchodonosor perterritus sapientia Danielis cecidit in faciem suam osculaturus ejus pedes. Præterea oscula apud Hebræos significâsse adorationem ex eo etiam colligitur, quia verbum osculandi Hebraicè significatur per verbum Nasak, quod refertur ad adorationem. Hinc *Psal.* 2. ubi vulgata legit *apprehendite disciplinam* ponitur verbum *Nasak* quo Hebræi promiscuè utuntur pro osculari, & adorare. Imò non solùm apud Hebræos, sed etiam apud Ægyptios mos fuit, quo osculis submissionem, & reverentiam erga superiores profiterentur in adorationis tesseram; modus autem adorandi per oscula exercetur in manibus, quas adorantes osculantur, ut notat Minutius in Octavio.

12 Quòd si petas, ad quam speciem adorationis reducatur illa, quâ fideles summum Pontificem adorant, diversæ sunt Doctorum sententiæ Joannes Caramuel in Hierarchia Ecclesiastica. *lib. 1. disp. 60. n. 680.* putat, talem adorationem esse reducendam ad latriam si Pontifex consideretur tantùm ut *quo*, quatenus est imago ipsius Christi, seu Dei, & hominis; non ita si consideretur ut *quod*, quatenus est persona; quia tunc tàntùm adoratur ut creatura, quatenus est homo sacer, summus, & cæteris omnibus Prælatus; secus si consideretur ut *quo*, seu ut Vicarius Christi, seu ut via ad terminum, si cesset errandi periculum, ut loquitur Caramuel; talis cultus potest dici latriæ eo sensu, quo cœteræ imagines Christi dicuntur tali cultu adorari: eò quia tunc cultus non terminetur ad lapides, vel ligna, vel colores, sed ad ipsum Christum. Idque explicat hoc pacto: est ob oculos Christi sanguis in aureo calice; actum latriæ religio postulat, & illum elicio, quem ergò adoro? si calicem aureum adoro, proinde non Deum, & non Theolatra sum, sed Chrysolatra, adeóq; Hydololatra. Debeo igitur adorare, ut *quod*, & tanquam latria terminum Christum, qui continetur in calice; non verò calicem, qui continet Christum, quia ille solus, non iste est Deus: at quando dico esse Christum in calice, considero calicem ut *quo*, Christum ut *quod*, illum ut medium, istum ut finem; illum ut viam, istum ut terminum, & adorabundus per calicem ad Christum venio. Hoc sensu asserit Caramuel, adorari imagines, quia Deus est id quod adoratur, & quod imago docet; & imago est via ducens ad Dei adorationem, & propterea adoratur tantùm ut *quo*. Verùm quidquid sit.

13 Putârim adorationem, quâ fideles dicuntur summum Pontificem adorare, nec esse reducendam ad latriam, ut putat Caramuel, neque ad Hyperduliam, ut censet Raynaudus in *suo monastico Pontificio sub notat. 3. funct. 1.* vult enim spectata tam sublimi Pontificis dignitate ejus adorationem esse distingendam à Dulia, cùm hæc ordinaria sit, & reducendam ad hyperduliam, eò quia non qualiscunque cultus sit Pontifici impendendus, sed supra communem ordinem cultus religiosi tributi sanctis, ex quo concludit, quòd si sanctis exhibetur cultus Duliæ spectata sola eorum sanctitate; Pontifici debeatur cultus hyperduliæ, eò quia conjunctio Pontificis cum Christo, quoad fundamentum reverentiæ, est longè altior, quidquid sit de sanctitate personali.

14 Hinc Virgo Mater, quia habet excellentiam specie diversam, quæ fundatur in plenitudine gratiæ, seu ipsam maternitatem Christi, colitur adoratione superiore, quàm sit illa, quæ fundatur in sola gratia sanctificante. Verùm cùm summus Pontifex non solùm consideretur, ut est Christi Vicarius, & ut est imago Christi,

cujus

cujus vices gerit in terris; verùm etiam ut est homo adhuc mortalis, & adoratur ut homo tali dignitate insignitus, juxta consuetudinem fidelium non potest in hoc sensu ejus adoratio reduci ad latriam, quia non adoratur Deus in Pontifice, sed homo tali dignitate insignitus. Et licet sententia Raynaudi non careat probabilitate ob singularem dignitatem, quâ insignitur summus Pontifex: nihilominus quia Hyperdulia communiter tribuitur soli Virgini Matri ob rationem maternitatis.

15 Dicendum est, cum communiori sententia adorationem, quâ fideles Pontificem adorant, esse reducendam ad adorationem Duliæ. Observantia, quam hominibus dignitate insignitis profitemur alia est politica, alia est Religiosa; illa ob dignitatem politicam, humanámque excellentiam defert cultum; & exhibet adorationem cujusmodi est observantia, quâ coluntur Principes, Reges, Imperatores, vel alii sæculari dignitate conspicui. Observantia Religiosa defert cultum ob dignitatem aliquam, & excellentiam conjunctam cum Religione; vel respicientem ipsum Deum, ut cùm quis colitur ut sacerdos, ut Sanctus: dicitur hæc observantia Religiosa non quia sit actus elicitus à virtute Religionis, sed quia referatur ad ipsam Religionem; cui adnectitur. Hinc potest observantia Religiosa bipartiri in naturalem, & supernaturalem, illa fuisset in statu naturæ puræ, si adfuissent sacerdotium, & cultus divinus, quia tunc sola ratione naturali absque ullo respectu ad aliquid supernaturale homines coluissent sacerdotes addictos divino Ministerio. Supernaturalis Religiosa observantia est, quæ ob ministerium supernaturale, vel aliquam supernaturalem excellentiam defert cultum, ut est illa observantia, quâ sæculares honorant Sacerdotes, Episcopos, & alios Ecclesiæ Ministros, ac Religiosos, & omnes fideles summum Pontificem, quatenus personæ omnes istæ Ecclesiasticæ insigniuntur dignitate supernaturali, seu charactere sacerdotali, quo dicunt ordinem ad Christum, quem in sacrificio missæ offerunt Deo Patri: quamobrem ut observantia sit Religiosa, & supernaturalis debet eorum dignitas pensari cum ordine ad ipsum Christum, & ut comprehendit characterem supernaturalem: quia cùm non sit observantia politica, sed supernaturalis, dicitque specialem ordinem ad Deum, debet affectus reverentiæ, & animi submissio esse altioris rationis; quàm in observantia politica, proinde etiam externus cultus, quo submissio significatur, & eorum excellentia indicatur, debet induere rationem alterius virtutis, quia signum specificatur ex ordine ad rem signatam. Et licet cultus Duliæ exhibeatur beatis, qui sunt in Patria, ob statum beatitudinis; nil tamen obstat, quo minus possit extendi ad Viatores; quando ob sanctitatem, vel dignitatem supernaturalem honorantur: sanctitas enim in via, & in patria, quoad rationem sanctitatis est ejusdem speciei, proinde habitus adorationis potest se extendere ad adorandos sanctos, non solùm in patria, sed etiam in statu viæ, & veneratio semper oritur ex eodem dictamine fidei, & ex eodem affectu pietatis, & Religionis: quando enim adoratur summus Pontifex, ut est Vicarius Christi, exhibetur illi cultus, ex sola fide, & ex affectu Religionis; & ideò benè ad ipsum potest se extendere adoratio Duliæ.

16 Cæterùm si sistamus in simplici dignitate supernaturali, quâ sacerdotes sunt digni cultu ob characterem sacerdotalem, & relationem ad Christum, quem in sacrificio missæ offerunt Deo Patri, si omnes sacerdotes dicantur adorari adoratione Duliæ; cùm summus Pontifex præter characterem sacerdotalem, Episcopalem, & relationem ad Christum ipsum offerendum Deo Patri in altari; sit etiam Christi Vicarius; & supremus totius dominici gregis Pastor; consequenter esse adorandum adoratione distincta; & eminentiori, adeò ut ejus adoratio non sit reducenda ad communem adorationem Duliæ, prout hæc se extendit ad omnes sacerdotes; sed aliam superiorem, quæ sive vocetur Dulia eminentior, sive Hyperdulia distincta ab illa; quæ tribuitur Virgini Matri; nil dicitur inconveniens.

17 An verò si Pontifex, quod Deus avertat, esset impius, ac vitiis coinquinatus, adhuc esset adorandus. Respondetur affirmative, quia hæc adoratio exhibetur Pontifici ratione dignitatis, & ministerii, & quia dignitas manet in Pontifice licèt vitiis coinquinato; ideò adhuc in ipso esset adoranda dignitas; & ratione dignitatis, etiam ipse summus Pontifex: sive enim crux sit lapidea, sive ex ligno putrido, vel cedrino; sive ex auro; vel plumbo, semper est digna cultu, quia non nobilitas, vel ignobilitas materiæ adoratur, sed in materia ipsa crux, quæ repræsentat Christum: ita quia Pontifex ut Vicarius Christi tametsi esset impius semper repræsentaret ipsum Christum, cujus vices in terris gereret; nulli dubium, quin adhuc esset adorandus eadem adoratione. Hinc Pontifex non potest à Papatu deponi propter vitia, licèt enormia excluso delicto hæresis; quia eo ipso, quòd Pontifex deficit à fide; eò ipso cessat à dignitate Pontificia. Quòd enim ob nullum crimen, quamvis horrendum possit Papa deponi, desumitur ex *c. 40. dist. 16. c. oves 2. q. 7.* quia cùm sit Romanus Pontifex caput Ecclesiæ non potest judicari à tota Ecclesia, quia hæc semper est inferior, & superior non judicatur ab inferiori.

18 Neque obstat, si dicas, judices sæculares plerumque causas cognovisse Ecclesiasticorum, imò & Pilatum dixisse Christo, nescis quia potestatem habeo &c. & Christũ respondisse Joan. 19. non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi datum esset desuper: & Paulum *act. 22.* appellâsse Cæsarem: siquidem communis responsio est, Pilatum fuisse judicem tantùm de facto; non verò de jure respectu Christi: nam sicut Christus patienter voluit sustinere mortem, & crucifigi; ita voluit ab homine judicari; sicut Matth. 27. voluit solvere tributum Cæsari; quod de jure non tenebatur solvere. Ad secundum etiam respondent; illa verba, quæ Christus dixit Pilato, non haberes potestatem in me, nisi tibi datum esset desuper; esse intelligenda permissivè, in quo sensu etiam dixit Christus; hæc

est

est hora vestra, & potestas tenebrarum, quæ non intelliguntur de potestate jurisdictionis, cùm homines nullam potuerint habere jurisdictionem in Deum, nec Christum, sed de potestate permissionis. Ad aliud petitum ex D. Paulo etiam respondetur, Paulum voluisse judicari à judice Cæsaris non de jure, sed de facto: & hoc pacto Pontifices nunquam fuerunt de jure subditi Imperatoribus, licèt de facto ab Imperatoribus fuerint plures missi in exilium. Quòd si Pontifex esset scandalosus, & simul incorrigibilis, neque posset ab Ecclesia deponi, eò quia Pontifex sit immediatè sub Dei providentia, ad quem pertinet, aut non permittere, quòd sit ita aliis scandalo; vel si cadat in aliqua crimina corrigatur; vel si non corrigatur, tollatur è medio; alioquin ad Ecclesiam tantùm pertinet orare pro Pontifice, ut Deus illum illuminet, ut corrigatur, & agat pœnitentiam.

19 Cæterùm licèt Papa adoretur ab omnibus fidelibus adoratione superiùs explicata, sitque in militante Ecclesia Vicarius Christi: nihilominus dimisso quovis splendido titulo, assumit titulū servi servorum Dei, forsitan ad imitationem Damasi Papæ, qui hoc titulo scripsit ad Stephanum Charatinensem, & ad tria Concilia Africana. Quinimo tanta constantia utuntur Pontifices tali titulo, ut Pontificium rescriptum, si illo careat, habeatur adulterinum, ut scripsit Joan. de Anania *ad proœm. lib. 1. decretal.* Neque Pontifices ficta humilitate utuntur tali titulo, sed morali, ac Theologica veritate, cùm asserat S. Hieronymus in epitaph. Nepotiani, Episcopos ad serviendum, non ad dominandum assumi: quapropter juremeritò summus Pontifex, qui est Episcopus Episcoporum, servum se dicit servorum Dei.

20 Contra Pontificis adorationem solet objici D. Petrus, qui *Act. 10.* respuit, adorari à Cornelio. Sed respondetur, Petrum renuisse Cornelii adorationem, eò quia iste aliquid divinum in Petro cogitabat, ut observat D Hieronymus *lib. contra Vigilantium*, & ideò ne erraret, noluit ejus adorationem admittere, idque colligitur ex verbis Petri, dixit enim: *& ego ipse homo sum.* ne scilicet Cornelius cogitaret aliquid divinum esse in Petro. Objicitur secundò, quia viri sancti hanc adorationem nunquam sibi voluerunt permittere, quo pacto *Act. 10.* Paulus, & Barnabas recusârunt à Lycaonibus adorari, & *Act. 10.* quidam Angelus prohibuit Joannem, ne Angelum adoraret. & Esther. 3. Mardochæus, noluit genu flectere coram Aman. Verùm nec coacervata hæc exempla sunt contra Pontificis adorationem. Paulus enim, & Barnabas adorationem illam recusârunt, quia Lycaones tanquam Ethnici, & gentiles adorationem Deo debitam illis exhibebant. Angelus etiam adorationem Joannis recusavit, non solùm ex urbanitate, verùm etiam ut indicaret quanti esset facienda natura humana postquam illam Verbum assumpserat; & etiam ad significandū quanti Christi discipuli, & sacerdotes essent æstimandi in terris. Mardochæus noluit adorare Aman, eò quia timuerit, ne honor Dei transferretur ad hominem, ut dicitur Esther 3. Cæterùm plures ex Apostolis imò & ipse D. Petrus ex modestia subinde recusârunt honores, qui sibi conveniebant, quod & alii sancti præstiterunt.

Si quæras, cur summus Pontifex quibusdam diebus solemnioribus gestetur super humeros cum tiara in capite. Respondetur, deferri Pontificem in altum, ut supremum totius dominici gregis Pastorem, & ut significetur ad ipsum pertinere Christi oves sibi creditas ex loco eminentiori circumspicere, eisque fausta precatione benedicere, & ut populus illum sublimi loco præsidentem commodè spectare, & suum agnoscere Pastorem valeat, ut inde majorem fidei protestationem concipiat, quoties aspicit Christi Vicarium, & Petri in eo quasi throno successorem: morem hunc gestandi Pontificem super humeros à sellariis esse antiquum in Ecclesia ex eo liquet, quia referente Platina, Stephanus II. à sellariis fuit delatus in Basilicam Constantinianam, & Adrianus II. in Lateranensem à Clero, & proceribus, cum enim Adrianus II. ab Ecclesia S. Mariæ ad præsepe traheretur ad Lateranensem, certatim à Clero, & proceribus, ac plebe deportatus est. Leo itidem VIII. cùm summus Pontifex fuisset tertiò acclamatus ad Lateranense palatium, ut moris erat, fuit delatus; & sic usus fuit in Ecclesia, quo Pontifices à sellariis hominibus gestarentur, in quibusdam solemnioribus diebus, & Isaias visus est, prædixisse hanc celebrem Pontificum gestationem cùm dixit *c. 49. & afferent filios tuos in ulnis, & filias super humeros portabunt*, eò quia Ecclesiæ Pontifices in summo pretio, & veneratione habendi erant à Principibus mundi. Defert verò Pontifex in capite Pontificiam tiaram, seu ut vulgò dicitur triregnum, eò quia sit mitra intexta tribus coronis, quarum media cumulat imam, sicut media cumulatur à summa. 21

Ratio hujus triplicis coronæ censetur esse ab aliquibus, eò quia Pontifex sub suo Patriarchatu habeat Italiam, Illiricum, & Africam. Verùm summo Pontifici multò plures Provinciæ subsunt, quàm tres prærecensitæ, cùm enim sit supremus omnium Pastor ejus jurisdictio, se extendit ad omnes mundi Provincias ubi Christus colitur, unde si ex Provinciis esset numerus coronarum desumendus, jam non ternas, non quinas, non senas, non octonas, aut denas, sed plures centenas deberet coronas in Pontificia mitra gestare, cùm ubique terrarum sint oves Christi, quas supremus Pastor pascit. Quamobrem meliùs dicunt alii, triforme hoc culmen Pontifici convenire, eò quia Hieroglyphicum luculentum sit præcelsæ ejus majestatis ad cœlestia, terrena, & inferna pertinentis: siquidem in terris arbiter sedet pro Christo, & quidquid solvit in terris, est solutum in cœlis, & rursus pro animabus ignes emendatorios sustinentibus indulgentias ex thesauro Ecclesiæ concedit, qua propter ejus potestas adeò est protensa, ut comprehendat omnes etiam in cœlis, ubi est solutum, quod ipse solvit in terra, & apud inferos, ubi animæ expiatorio igne purgantes suam sentiunt opem; & quia nulla datur alia jurisdictio tam ampla, ideò jure meritò triforme culmen summo Pontifici dicitur competere. Hujus Pontificiæ mitræ, seu tiaræ 22

meminit

meminit Innocentius III. *serm. de coronat. Pontif.* ubi ait: *Ecclesia sponsa non nupsit vacua* (loquitur de se ipso) *sed dotem mihi tribuit, absque pretio pretiosam spiritualem, & temporalem plenitudine, & multitudinem utrarumque. In signum spiritualium contulit mihi mitram: in signum temporalium dedit mihi coronam; mitram pro sacerdotio, coronam pro Regno, illius me constituens Vicarium, qui habet in vestimentis, & femore suo scriptum Rex Regum, & Dominus dominantium.* Alii tamen censent hoc ornamenti genus à Constantino Magno suam traxisse originem, & id colligi ex actis B. Sylvestri: dicunt enim Constantinum secedentem Bysantium coronam sui capitis B. Sylvestro obtulisse, quam tamen ob reverentiam clericalis coronæ noluit deferre; & pro Diademate Regio fuisse usum aurifrigio circulari; & Pontifices postea in signum Imperii fuisse usos mitrâ triformi; & id videtur alludere Isaias *c. 61.* cùm dixit: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo; quia induit me vestimentis salutis, & indumento justitia circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona.* Summus Pontifex Ecclesiæ dicitur sponsus à Concilio generali Lugdunensi in *c. ubi periculum de elect. in 6. & in c. quoniam de immunitate*: unde meritò ab Isaiâ dicitur corona decoratus.

§. XI.

De Potestate Summi Pontificis in ordine ad dispensationes.

1 Quæritur primò, an summus Pontifex possit dispensare in jure naturæ. Dispensatio à Glossa in *c. requiritis 1. q. 7.* definitur *relaxatio juris communis facta cum causæ cognitione ab eo, qui jus habet dispensandi*; in qua definitione causa impulsiva est cognitio causæ justæ; efficiens is, qui habet jus dispensandi; formalis relaxatio juris: quia verò plerique censent, posse Principem etiam sine causæ cognitione validè, quamvis non licitè dispensare in jure; ideò omissa causa impulsivâ ab aliis definitur; *relaxatio juris facta ab habente potestatem relaxandi.* Imò sunt, qui omissa etiam causa efficiente eâ breviùs definiunt per solam causam formalem asserentes, *esse juris relaxationem*, quia per id sufficienter differt à legis interpretatione; quia hæc declarat tantùm legem non habere vim obligandi in causa tali speciali, & persona particulari occurrentibus talibus circumstantiis: secus dispensatio adhuc vigente legis obligatione juxta exigentiam alicujus causæ justæ occurrentis eximit subditum à legis obligatione; quâ alioquin obligatus teneretur: adeò ut non solùm superior, verùm etiam subditus possit legem interpretari, non obligare in extremâ necessitate ad non usurpandam rem alienam invito domino; ad audiendum sacrum die festo cum probabili periculo mortis, eò quia inimicus illi insidietur; non item potest inferior dispensare. Hinc respondetur ad quæsitum, non posse Pontificem dispensare in jure naturæ: ratio est perspicua; quia dispensatio, est relaxatio legis, quando obligat: sed quando lex naturalis obligat, ita id, ad quod obligat, est honestum, ut oppositum sit contra rationem, & honestatem, quæ inest legi naturali, adeòque sit inhonestum, & turpe: atqui Pontifex non potest dispensare, ut fiat aliquid turpe. Tum quia relaxando legem non tolleret rationem naturalem: quæ ipsi inest, & ratione cujus id, super quod dispensatur, redditur difforme, ac turpe: qua ratione jus honestatis dicitur esse exemptum ab omni superioritate, eò quia nō possit dispensari, *l. quod ex liberâ C. de oper. liber.* ut notat Decius in *l. semper in contract. ff. de regul. jur.*

2 Quæritur secundò, an possit Pontifex dispensare in jure divino positivo. Affirmant ferè communiter juris pontificii periti, inter quos Panormit. in *c. proposuit de concess. preben. n. 20.* Felinus in *c. quæ in Ecclesiarum de constitut. n. 19. & 20.* Decius *cons. 112. n. 3.* & nituntur, quia Pontifex dispensans in jure divino positivo non operatur potestate humana, sed divina, hoc est vices gerendo ipsius Christi, cujus est Vicarius in militante Ecclesia; liquet enim posse Deum hanc potestatem concedere: siquidem quod potest per se facere, hoc idem potest præstare per hominem; perinde ac inter homines Princeps potest suo Ministro, & inferiori concedere, ut in sua lege dispenset. Asserunt, hanc potestatem dispensandi in jure divino positivo Christum dedisse suo Vicario, cùm dixit Petro *pasce oves meas*: *quodcunque ligaveris super terram; & solveris; erit ligatum, & solutum in cœlis.* Tum quia hæc potestas dispensandi convenire videatur summo Pontifici; cùm non possint fideles accedere sensibiliter ad Christum; ut ipse immediatè dispenset; nec semper Deus miraculâ efficiat; unde pertinuit ad suavem ejus providentiam, hanc suo Vicario concedere facultatem. Præterea, quia Pontifices defactò dispensant in jure divino positivo; etenim de jure divino solus Episcopus est Minister sacramenti confirmationis; & nihilominus Pontifices apud Indos dispensarunt, ut simplices sacerdotes ordinis S. Francisci hoc sacramentum ministrarent. Residentia Episcoporum est de jure divino, & nihilominus dispensatur à summo Pontifice. Ut etiam in voto solemni; quod est de institutione divinâ, eò quia sit actus religiosus, & fuerit à Deo institutus. Ut etiam in lege matrimonii; non obstantibus verbis illis *quod Deus conjunxit, homo non separet.* Demum dispensat in matrimonio rato *L. in vinculo spirituali.* inter Episcopum, & Ecclesiam sponsam suam juxta Innocentium III. *c. inter corporalia de translat. Episc.*

3 Verùm opposita sententia, quam communiter docent Theologi, est vera, quia propriè Pontifex non potest dispensare in lege divina positivâ, quia nullibi legitur; fuisse illi hanc potestatem à Deo impertitam; & nisi id specialiter, constet non debemus temerè illud asserere. Non enim ex præcitatis textibus *pasce oves meas*; *& quodcunque ligaveris super terram; & solveris.* potest deduci; Christum concessisse hanc potestatem

suo Vicario; quia illa verba sunt nimis generalia, ex quibus non est inferenda hæc concessio extraordinaria: neque Pontifices unquam per illa verba intellexerunt, sibi concessam potestatem dispensandi in jure divino positivo. Præterea tota potestas, quam Christus concessit suo Vicario est in ædificationem, non verò in destructionem Ecclesiæ: potestas autem dispensandi in jure divino positivo non esset in ædificationem, & corroborationem Ecclesiæ, sed in ejus destructionem: siquidem si summus Pontifex posset dispensare in uno, vel altero jure divino positivo; posset in omnibus, cùm non esset major ratio de uno, quàm de altero; proinde hæc potestas esset in destructionem Ecclesiæ.

4 Neque enim potest excogitari causa ulla legitima dispensandi in aliquo præcepto divino, quæ non possit habere locum in cæteris divinis præceptis: & concedere potestatem dispensandi in omnibus divinis præceptis, perinde est, ac concedere potestatem destruendi Ecclesiam, cùm hæc constituatur ex præceptis circa sacramenta, & alia instituta à Christo Domino. Hinc patet solutio ad præcipuum fundamentum oppositæ sententiæ, non enim conveniens erat, ut hæc potestas concederetur Christi Vicario, cujus munus est Ecclesiam gubernare, manu tenere, & non destruere. Neque, quæ addebantur de Ministro confirmationis, de residentia Episcopi, voto solemni, & matrimonio rato evincunt, hanc potestatem inesse summo Pontifici: ad ministrum enim confirmationis quod attinet. Respondetur, institutionem Christi non fuisse omninò limitatam ad solum Episcopum; sed cum addito quod ponunt Concilia; nimirum solum Episcopum esse Ministrum ordinarium hujus sacramenti, & alium simplicem sacerdotem Ministrũ extraordinariũ: alii etiam respondent, Christum in illo casu specialiter concessisse potestatem dispendandi, non verò in aliis; sed prior responsio est communior. Ad residentiam Episcopi, quod attinet, respondet Sotus *13. instit. q. 3. art. 4.* posse per modum interpretationis dispensari à Pontifice; hæc tamen responsio communiter rejicitur; quia reverà posita dispensatione ponitur obligatio residendi; proinde non est pura interpretatio; sed mutatio materiæ, quatenus supremus Pastor cedens quasi juri acquisito gubernandi tales oves, hanc curam alteri committit, & tunc cessat obligatio residendi ob mutationem materiæ, quatenus cura pascendi tales oves committitur alteri subjecto, ut Capitulo, vel proximo Episcopo.

5 Quod dicebatur, de voti solemnitate, respondetur, non esse de jure divino, proinde posse à Pontifice dispensari; propriè tamen id non est dispensare in lege nova divina, sed tantùm est cedere jure Deo acquisito ex voto, vel juramento ob authoritatem, quam habet Pontifex ad talem cessionem, tanquam Christi Oeconomus, & dispensator, cui permittitur urgente causa, ut possit cedere aliquo jure acquisito Domino, qui censetur annuere: cùm per votum promittitur aliquid Deo, acquirit Deus jus ad rem sibi promissam; & hoc jure acquisito cùm possit cedere Christi Vicarius nomine ejusdem Christi, ideò dicitur authoritate divina dispensare, & relaxare, vota, & juramenta. Ad aliud, quod addebatur de matrimonio, respondetur, summum Pontificem non dispensare in matrimonio valido, rato, & consummato, sed tantùm in matrimonio nondum consummato: eò quia tunc maritus, & uxor nondum sunt facti una caro; proinde Pontifex non dispensat in jure divino.

Quæritur tertiò, an possit Pontifex relaxare leges Apostolorum. Certum est, Apostolos aliquid tradidisse, & constituisse, quod dupliciter potuit contingere; primò ut erant Ministri Christi, ac viva instrumenta Spiritûs Sancti; & ut tales quidquid tradiderunt, vel constituerunt fuit traditio, vel constitutio divina, quo pacto ediderunt scripturas canonicas, constituerunt baptismum parvulorum ante septennium, cultum, & venerationem sanctarum imaginum, pro mortuis suffragia; invocationem Sanctorum, perpetuam Deiparæ Virginitatem, Symbolum fidei, & alia pleraque docuerunt, à quibus Romanus Pontifex non potest aliquem solvere, nec in illis dispensare, eò quia sint de jure divino, quorum Author fuit solus Deus, & Apostoli tantùm promulgatores, non verò conditores. Secundò nonnulla etiam Apostoli constituerunt, non jam ut viva Spiritûs Sancti instrumenta, nec ut promulgatores; sed ut Pastores, Præsides, Præfecti, ac Gubernatores Ecclesiarum à Christo delecti; & ut tales ediderunt Canones, qui dicuntur Apostolorum, quorum rigorem potest Romanus Pontifex mitigare, eò quia non sint de jure divino; cujusmodi sunt plura præcepta, quæ ab Apostolo Paulo commemorantur de homicida, vel ebrioso non promovendo ad ordines, de bigamo non ordinando, de non eligendo Neophito. Tales etiam sunt nonnullæ Apostolorum traditiones, ut de quadragenario jejunio ante pascha, de continentia sacerdotũ, de observatione quorundam dierum festorum, de cultu diei Dominicæ, de trina mersione in aquam in colatione baptismi, de jejunio servando in quarta, & sexta quaque feria; de abstinentia à sanguine, suffocato, hæc enim, & alia id genus, quæ fuerunt instituta ab Apostolis, ut Ecclesiarum Præfectis, possunt à summo Pontifice relaxari accedente causa justa, ut liquet ex *c. Presbyter dist. 82. & c. Lector. dist. 34.* & ibi Glossa, Abbas, & alii. Cæterùm si dubitetur, an Apostoli fuerint Authores, vel tantùm promulgatores facti alicujus; censendum est, illud esse de jure divino per traditionem Apostolicam, quatenus Apostoli illud jam à Christo institutum promulgârunt. 6

Quæritur quartò, an possit Pontifex dispensare in jure canonico, positivo, & omnibus statutis Ecclesiasticis. Respondent communiter affirmativè, & desumitur ex *c. proposuit de concess. preb.* adeò ut possit Pontifex dispensare in omnibus legibus Episcoporum, & aliorum Prælatorũ; ratio est perspicua, quia lex inferior non obligat nisi cum subordinatione ad superiorem, & cum dependentia ab ipso, à quo propterea potest abrogari. 7

rogari. Imò potest etiam æqualis in eadem sede, & jurisdictione dispensare in legibus alterius æqualis, eò quia moraliter censetur esse idem superior in eadem sede, & cum eadem jurisdictione: qua ratione summus Pontifex potest dispensare in toto jure canonico, cùm sit ipse æqualis suis antecessoribus, & concilio, ut includenti suum caput, seu summum Pontificem, quia si sumatur Concilium sine capite, Pontifex est illo superior. Hinc Concilium nullam potest legem condere, quâ Papæ adimat potestatem dispensandi validè in illa, etiam sine causa; non enim inferior habet potestatem in superiorem; ut neque æqualis in æqualem. Quamobrem potest summus Pontifex dispensare in omnibus illis statutis, quæ non sunt de jure divino positivo. Est autem hoc jus divinum positivum, quod à Deo in se, vel sua humanitate de iis, quæ ad naturale jus non spectant, conditum est, sive ministerio alicujus Angeli, vel alterius ex suis servis, ut Moysis, vel Apostolorum, qui dicuntur promulgatores eorum, quæ Christus per se instituit; & hoc pacto distinguitur à jure humano complectente reliqua præcepta, quæ homines tulerunt accepta à Deo potestate pro ministerio, & dignitate cujusque ad leges condendas.

8 Quæritur quintò, an sicut cum aliis ita possit directè secum dispensare Pontifex in omnibus illis, quæ non sunt de jure divino. Respondent communiter affirmativè cum D. Thoma *in 4. dist. 20. q. 1. art. 5. quæstiunc. 4. ad 3.* ubi docet, posse summum Pontificem sibi concedere indulgentias absolvendo se à vinculo pœnæ immediatè, & directè: ex quo infertur, posse etiam directè secum dispensare in his omnibus, in quibus potest cum aliis; adeo ut possit dispensare in votis à se emissis, est enim hæc dispensatio, quædam condonatio facta nomine Dei alicui homini per Christi Vicarium, quatenus Deus per talem condonationem cedit juri suo in ordine ad rem sibi promissam per votum: condonatio autem non exigit distinctionem personarum; qui enim habet à Rege facultatem condonandi omnibus debita, potest etiam sibi condonare pecuniam, quam suo Principi debet. Jurisdictio est duplex, una exigens partis citationem, & probationem testium, sive sit coactiva, & punitiva, ut jurisdictio ad excommunicationem ferendam; alia est solum jurisdictio directiva, & voluntaria, cujusmodi est potestas dispensandi; licèt prima jurisdictio distinctionem exigat personarum, non ita secunda. Præterea juxta communem sententiam potest Pontifex ut superior dispensare cum tota aliqua communitate, ad quam etiam ipse pertineat: in quo casu indirectè secum dispensat: alioquin deterioris esset conditionis quoad hoc, quam cæteri subditi, cùm isti habeant hominem, qui possit circa eos directè dispensare, & non ita Pontifex, cùm non sit in terris homo superior Pontifice.

9 Dupliciter potest aliquis cum se ipso dispensare, primò indirectè, ut cùm Princeps in aliqua lege dispensat cum tota communitate; tunc enim directè dispensat cum subditis, & indirectè cum se ipso contento in eadem communitate, sic Pontifex per jubilæum dispensat cum tota Christianitate, & cum se ipso indirectè, cùm includatur in Christianitate. Potest etiam quis secum dispensare delegando suam potestatem alteri, ut secum dispenset, ut si Princeps suam potestatem in lege dispensandi alicui committat, ut ex vi illius secū dispenset, quo pacto censent aliqui sumum Pontificem delegare proprio Confessario suam jurisdictionem absolvendi à peccatis: licèt comunior sententia censeat, hanc potestatē absolvendi summum Pontificem à peccatis in sacramento pœnitentiæ habere quemlibet sacerdotem à Christo virtute ipsius sacerdotii. Rursus potest intelligi, ut quis secum dispenset immediatè, & directè, ut si Princeps immediatè sibi legis dispensationem applicet; & difficultas est, an reverà Pontifex possit directè, & immediatè cum se ipso dispensare; & probabilior sententia est affirmativa, quia dispensatio non est actus jurisdictionis contentiosæ, nec coactivæ, in qua oporteat produci testes, aut puniri reum, quæ omnia exigunt distinctionem personarum; sed est liberalis, & gratuita juris relaxatio non exigens necessariò distinctionem inter personam relaxantem, & eam, cui relaxatur. Hinc summus Pontifex potest secum directè dispensare in suis legibus, ut docet Suarez *de legibus lib. 6. c. 12.* idque ex summa ejus potestate, quâ etiam potest validè se eximere à lege: proinde poterit etiam secum dispensare in illa directè, cùm dispensare sit quid minus.

Tum quia Episcopi, ut docent ferè communiter, possunt secum dispensare in legibus, quas ipsi condiderant, ob plenam potestatem in illas: ergò etiam summus Pontifex potest validè se eximere ab omnibus legibus Ecclesiæ sancitis à suis antecessoribus, vel à conciliis. Tum quia si potest indirectè secum dispensare, quando dispensat cùm tota Christianitate; non est ratio, cur etiam non possit secum directè dispensare.

Neq; obstat, quod objiciunt plures eundem super se ipsū non posse jurisdictionem exercere. *l. ille à quo ff. ad Trebell. & l. penult. ff. de recept. arbit.* sed dispensare cum aliquo, est cum illo jurisdictionem exercere, eò quia jurisdictio exercetur circa inferiorem. Nam contra est, quia hæc jurisdictio, quæ exercetur per dispensationem est omninò voluntaria, & potest ab aliquo in semetipsum exerceri. Tum quia eadem persona secundum diversas rationes potest esse superior, & inferior; proinde ut superior potest exercere jurisdictionem in se ipsum, ut inferiorem: neque id est aliquid novi: siquidē tutor, qui pecunias mutuavit Pupillo, potest sibi satisfacere & induere rationem creditoris; & debitoris, siquidem ut debitor potest solvere sibi pecunias, & ut creditor potest illas accipere. Cum igitur hæc jurisdictio non sit contentiosa, nec coactiva, aut punitiva, quæ in se ipsum exerceri repugnat; sed omninò voluntaria, & non sit ad instar excommunicationis, nec absolutionis, nec pertineat ad absolutionem sacramentalem, quæ jure divino postulat distinctionem personarum inter absolventem & absolvendum, potest Pontifex, & quivis alius superior illam in se ipso exercere; est enim discrimen inter actum, qui instar sententiæ exercetur; & dispensationem, quia actus, qui exercetur, instar sententiæ, ut excommunicare, absolvere, non 10

potest ab aliquo erga se ipsum exerceri; benè tamen actus, qui fit per modum dispensationis, quia tunc dispensans non indiget distinctione personarum, nec in propria causa sibi ipsi jus aliquod dicit, contra jus ab adversario intentum, quod esset iniquum *l. unic. C. ne quis in sua causa* sed solùm indiget directione, & prudenti judicio ad mature considerandam justam dispensationis causam.

11 Hinc possunt Prælati erga se ipsos directè dispensare in votis, & aliis in quibus possunt cum subditis dispensare: quia non repugnat juri naturæ hanc dispensandi jurisdictionem ab aliquo exerceri circa se ipsum; neque repugnat jure Ecclesiastico cum nullus reperiatur textus, quo id prohibeatur universaliter, quia in *c. fin. instit.* tantùm in casu speciali collationis beneficiorum ad coërcendum perniciosum Prælati exemplum deciditur; eum, qui beneficiũ conferre potest, non posse se ipsum instituere: & casus specialis non derogat universali, ut notat Abbas in *d. c. fin. n. 5.* Rursus nec jure naturæ id prohibetur, quia hæc jurisdictio secum dispensandi, non est contentiosa, neq; exigit distinctionem personarum; sed solùm postulat directionem ex prudenti judicio ad perpendendam justam dispensationis causam, quod non repugnat exerceri erga se ipsum; licèt magis conveniens foret alieno judicio stare. Neque hæc dispensatio includit aliquam sententiã, per quam quis condemnetur, vel absolvatur: proinde ex nullo capite videtur repugnare; præsertim cùm in voluntaria jurisdictione possit quis plures personas induere, ut notat Abbas *c. ex litteris n. 11. de prob.* & constat ex *l. si consult. ff. de adopt.* ubi si filiusfamilias præses sit potest se ipsum emancipare, vel in adoptionem tradere, eò quia non repugnat eandem personam secundùm diversas rationes obire munus subditi, & superioris.

12 Quæritur sextò, an si Pontifex sine justa causa dispenset in lege, sit talis dispensatio valida. Garzia in *repet. l. Gallus §. & quid si tantùm n. 296.* respondet, injustam esse hujusmodi dispensationẽ factam sine causa, cui sententiæ adhærent alii, ea innixi ratione, quia dispensatio Papæ in propria lege procedit à potestate clavium, quæ est ministerialis, & data Pontifici in ædificationem, & non in destructionẽ; proinde non posse Pontificẽ ea ad libitum abuti, sed illa tantùm uti sub certa regula, & mensura respiciente bonum commune; & quia sub hac regula non continetur dispensatio sine justa causa, inferunt, hanc esse irritam, imò & contrariam juri divino prohibenti, dispensare sine justa causa in jure humano. Communior tamen sententia asserit, dispensationem sortiri suum valorem, ut docent Valent. *to. 3. disp. 5. q. 2. punct. 2.* Sotus *de justit. l. 1. q. 7. art. 3* Molfesius *to. 1. tr. 10. c. 4. n. 51.* Sanctius *in select. disp. 54. n. 38.* & alii plures, inter quos Suarez, Diana, Sanchez, Salas, Granadus, Covarruvias, & huic sententiæ adhærendum puto, quia cùm lex dependeat ex voluntate eam sancientis: si Legislator respectu alicujus illam aufert; censetur respectu illius ablata, quia ut notat Glossa *L. relegati ff. de pœn.* ut lex positiva non vigeat, non est in Principe quærenda alia ratio, quàm ejus voluntas. Tũ quia omnes obligari ex voluntate Principis lege; & unum, vel alterum non obligari ex ejusdem voluntate, etiam nulla accedente rationabili causa; non sunt prædicata incompossibilia ex terminis: quia tametsi peccaret Princeps eximendo unum, vel alterum à lege absque legitima causa, non tamen exemptio nulla foret: quia licèt etiam peccet conferendo beneficia indignis, nihilominus collatio beneficii est valida: & sicut potest quis malè uti divitiis, & dominio proprietatis, prodigè donando, & tamẽ facta tenent; ita quamvis Princeps malè utatur dominio jurisdictionis in distributione officiorum, honorum, vel onerum, in quibus leges, & jura comprehenduntur, adhuc tamen distributiones factæ tenent.

Neque obstat, quòd causa obligationis servandæ legis sit communis omnibus: nam licèt id sit verum, si sit contra bonum commune dispensare cum omnibus; tamen si dispensetur cum uno, vel altero tantùm, adhuc dispensatio est valida, quia dependet à voluntate Principis eximere à sua lege unum, vel alterum. Neque fundamentum, quo nititur opposita sententia urget, quia licèt hæc dispensatio sit jure prohibita, non tamen inde sequitur, esse irritam: siquidem etiam lex naturalis obligat constitutos in lautiore fortuna opitulari extremè indigentibus, & errogare superflua pauperibus constitutis in gravi necessitate; & nihilominus, si non errogent superflua, licèt peccent, adhuc validè illa retinent. Ad id, quod addebatur de potestate clavium, respondetur, quòd tametsi sit veluti Ministerialis, & instrumentaria in ordine ad vota, indulgentias, & juramenta dispensanda; in ordine tamen ad dispensationem in propria lege, est potestas principalis, & ordinaria, proinde quamvis dispensatio fiat sine justa causa, adhuc suum sortitur valorem. 13

Quæritur septimò, an Pontifex dispensando sine justa causa in legibus Ecclesiasticis peccet mortaliter. Certum est, nunquam esse licitum dispensare in lege sine justa causa; difficultas est, an ita sit illicitum, ut dispensatio sit peccatum lethale; plures affirmant, eò quia hujusmodi dispensatio multum deroget bono communi, & viam quasi sternat ad flocci faciendas leges, qua ratione Concilium Tridentinum *sess. 25. c. 18. de reformat.* asserit, dispensare in legibus Ecclesiasticis sine justa causa, perinde esse, ac aditum aperire ad transgressiones legum, quapropter *sess. 25. c. 5.* graviter prohibet hujusmodi dispensationes: quia etiam seclusa malitia extrinseca potest talis dispensatio ex propria materia esse culpa gravis, ut esset dispensare in pluralitate beneficiorum, in cœlibatu sacerdotum, in observatione quadragesimæ, & aliis id genus, quæ pertinent ad graves Ecclesiæ observationes; nihilominus si præscindamus ab omni scandalo, & damno notabili aliorum, censent plures Pontificis dispensationem factam sine justa causa in sua lege esse tantùm peccatum veniale; & hæc sententia est probabilis, quia secluso scandalo, & gravi damno aliorum, non est gravis deformitas, unum tantùm, vel alterum sine justa causa eximere à legis observatione; si nil aliud contingat, quo bono communi derogetur: alio- 14

quia

quin si illi, cum quibus dispensatur inde ansam sumerent legis contemnendæ, tunc nõ posset Pontifex hujusmodi dispensationem concedere: alioquin concurreret ad talem contemptum cum gravi damno Ecclesiæ: ratione scandali nec fortassis posset Pontifex dispensare cum sacerdote in cœlibatu, nec in recitatione continua breviarii. In his, & similibus casibus, in quibus oritur scandalum, aut notabile damnum, non potest Pontifex dispensare absque gravi peccato, & in hoc sensu est intelligendum Concilium Tridentinum prohibens graviter dispensationes sine causa, quoties ex illis, prærecensita orirentur inconvenientia.

15 Cæterum secluso scandalo, & notabili damno aliorum sistendo præcisè in ipsa pura dispensatione, quâ unus, vel alter eximitur à lege, non videtur tanta deformitas, ut peccati lethalis redarguatur summus Pontifex, si dispenset. Neque obstat, hanc dispensationem sine causa adversari justitiæ distributivæ, & legali: quia non semper omne peccatum contra justitiam distributivam est ex genere suo mortale; sed illud tantùm, in quo reperitur materia gravis, & scandalum, aut aliud incomodum extrinsecum: & hæc materia per se non semper est gravis, unde secluso scandalo, & notabili damno aliorum, non videtur hæc dispensatio facta sine justa causa esse peccatum grave: unde si quis sine causa eximatur ab onere legis, cùm id per se non cedat in majus onus alteriùs, nec in aliud damnum, est culpa levis in propria sua latitudine: non ita dispensatio in pluralitate beneficiorum, quia hæc ita adversatur justitiæ distributivæ, ut simul cedat in grave damnum digniorum, si beneficia conferantur indignis. Hinc Pontifex, & quivis alius superior secum sine causa dispensans in legibus, quas ipse tenetur ex honestate observare, peccat mortaliter, vel venialiter juxta gravitatem, vel levitatem materiæ, & scandalum, vel damnum, quod inde potest oriri. Quinimo etiam subditus petens talem dispensationem sine causa, eodem peccati genere inficitur, quo superior eam concedens, quia petit rem intrinsecè malam; nisi fortassis excusetur ex ignorantia invincibili, ut notat Suarez *lib.6.c.18.n.12.*

16 Cæterum si aliquis utatur dispensatione obtentâ sine justa causa, non peccat, quia talis usus præsupponit, dispensationem jam factam fuisse validam, proinde nullam ampliùs legis obligationem remanere: unde cùm talis usus non sit transgressio legis, non videtur ex se induere turpitudinem peccati. Neque urget, quod respondet Amicus *tom.5. disp.6. sect.7.n.109.* utentem tali dispensatione non peccare contra legem humanam, cùm hæc supponatur sublata per dispensationem etiam injustam; sed peccare contra legem naturalem dictantem non debere partem absque justa causa discordare à toto. Nam contra est, quia non peccat contra legem positivam, quæ per dispensationem injustam supponitur sublata, & non ampliùs manere: neque contra naturalem; quia dispensatus non tenetur ex jure naturæ se aliis conformare, cùm obtinuerit legitimam causam exemptionis, scilicet dispensationem validam, quamvis illicitè obtentam.

Neq; obstat, si legislator dicatur graviter peccare utendo secum injusta dispensatione; quia adhuc posset assignari discrimem, quia superior utens secum dispensatione sine causa eatenus peccat, quia tenetur dispensationem revocare, & potest; sed subdito tale onus non incumbit. Cæterum probabilior sententia docet, superiorem sine causa secum dispensantem posse licitè uti tali dispensatione, alioquin superior deterioris esset conditionis, quàm essent subditi. Hinc si absque sufficienti causa Pontifex secum dispensaret in matrimonio, & in gradu jure humano prohibito; adhuc tale matrimonium à Pontifice contractum validum esset, tametsi ipse peccaret, contra legem naturalem non conformando se, ut caput reliquo corpori. Tum quia eodem pacto eximitur Princeps ab obligatione legis sine causâ dispensatus, ac ipse subditus; proinde si valida est dispensatio subditi facta sine justa causa; erit etiam valida dispensatio Principis facta sine justa causa: siquidem validitas dispensationis infertur ex liberatione à lege. Et licèt Princeps ad propriam legem servandam non obligetur imediatè à sua voluntate, sed à lege naturali, & dictamine rationis, cui per injustam dispensationem non derogatur; non proptera inde sequitur, non posse validè secum sine causa dispensare, sicut potest cum suis subditis; sed tantùm ex inde sequitur, Principem sive in propria lege secum dispenset, sive non, nunquam eos effectus incurrere, qui dependent ex lege purè humana, & voluntate ipsius legislatoris, cujusmodi sunt mulcta pœnæ, actûs irritatio, personæ inhabilitas; & alia id genus. 17

Quæritur octavò, quænam sint causæ justæ ad dispensandum in lege. Respondent communiter esse duplicis generis; aliæ sunt intrinsecæ fundatæ in aliqua oppositione ad ipsam observantiam legis, quam propterea reddunt observatu difficilem, aut moraliter quasi impossibilem, quâ ratione infirma valetudo, virium imbecillitas, corporis debilitas reddunt jejunii observantiam observatu difficilem: ut etiam abstinentia ab ovis, & lacticiniis tempore quadragesimæ in quibusdam frigidis Regionibus, quæ piscibus, fructibus, herbisque destituuntur, videtur moraliter impossibilis, cùm non omnes possint solo pane, & frigida vivere. Priori modo lex dicitur cessare negativè, quia tametsi possit ejus non observantia hominem excusare, non propterea ipsius observantia redditur iniqua, cùm adhuc licitè possit, ac sæpè debeat servari, donec superior dispenset. Posteriori modo dicitur lex cessare contrariè, quia nimirum ejus observantia redditur illicita, & contraria fini; atque intentioni legis, ad cujus obligationem tollendam non est necessaria expressâ dispensatio superioris, sed sufficit Epikeia, quâ inferior potest legem superioris interpretare. Aliæ sunt causæ extrinsecæ, quæ dispensationem licitam reddunt, & desumuntur ex variis circumstantiis tum personæ, cum qua dispensatur, ut ex ejus necessitate, utilitate, virtute, nobilitate; quâ ratione monet Concilium Tridentinum, habendum esse delectum personarum in dispensationibus concedendis: tum personæ dispensantis ad osten- 18

ostendendam suam in subditos clementiam, & liberalitatem: tum ipsius Reipublicæ, in cujus comodum debent dispensationes fieri: tum demum, & principaliùs ipsius cultûs divini, ad cujus incrementum dirigi debet omnis dispensatio. Quævis ex recensitis causis sive intrinsecis, sive extrinsecis sufficiens est ad licitam reddendam dispensationem.

19 Quinimo nonnunquam causa est talis, & tanta, ut constituat petitam dispensationem debitam; quâ ratione duplex in jure distinguitur dispensatio, gratuita una, altera debita, ut desumitur ex *c. quanto à nobis 2. q. 4.* ubi explicatur dispensatio debita. Et ex *c. licèt de elect. in 6.* ubi habetur dispensatio gratiosa. Rursus potest dispensatio esse debita, vel ex præcepto, si superior in illa concedenda utatur verbis præceptivis, & non tantùm permissivis: vel ex justitia si dispensatio necessaria sit ad bonum publicum, vel etiam privatam utilitatem spiritualem subditi petentis; vel ex misericordia, & charitate, quæ in gravi periculo damni, tam spiritualis, quàm temporalis superiorē obligat ad dispensandū. Gratiosa dispensatio tametsi aliquā justā causam habeat, non tamen adigit superiorem ad ejus concessionem, eò quia nullum inde urgeat periculum damni, nec causa necessitans ad talem concessionem.

20 Quæritur nonò, quomodo dispensatio debita distinguatur à gratiosâ, & an superior occurrente justa causa teneatur dispensare? Responsio communior est, superiorem ex justâ causâ teneri dispensare in lege à se sancita, eò quia potestas dispensandi concessa sit Prælatis in bonum Reipublicæ, & subditorum; proinde accedente justa causâ videtur Prælatus teneri illam exercere, ac dispensare in lege, ne contra suum officium agat, ut docet Suarez *de legibus lib. 8. cap. 18. num. 10.* Est autem dispensatio debita, quando jus disponit, vel præcipit, ut accedente tali causa concedatur dispensatio, quia tunc superior tenetur se conformare legi præscribenti talem dispensationem. Quòd si jus solùm concedat, ut occurrente tali causa possit dispensari; tunc dispensatio dependet à voluntate superoris, & non est debita. Potest etiam esse debita dispensatio per præceptum ab homine emanatum, ut quando Pontifex concedit dispensationem illam remittens Ordinario, vel discreto Confessario, cui mandat, ut dispenset non absolutè, sed conditionatè, si preces veritate nitantur; quia tunc purificata conditione dispensatio ex vi præcepti est debita. Secundò dicitur etiam debita, quando bonum commune illam exigit ad declinandum grave malum, vel vitandum publicum scandalum, ut desumitur ex *can. cùm constitueretur dist. 5.* tunc enim necessitas publica, & bonum comune exigunt, ut debitam talem dispensationem. Tertiò dicitur etiam debita, quando est necessaria ob bonum spirituale postulantis, vel ad vitandum grave periculum animæ: siquidem Prælatus, & quilibet superior tenetur ex officio consulere saluti subditorum. Quartò dicitur etiam dispensatio debita, quoties, qui eam petit, ea graviter indiget ad vitandum aliquod grave damnum in persona, vel aliis rebus temporalibus, & præsertim, quando sine dispendio potest hujusmodi dispensatio illi concedi: quia tunc urget charitas eruendi ab iminente periculo subditum. Hinc comuniter docent, Episcopum teneri dispensare cum clerico, ne resideat, & id desumi ex *cap. cum ex eo de elect. in 6.* Imò tenetur etiam dispensare in denuntiationibus matrimonii si petens talem dispensationem probet adesse fundatam suspicionem malitiosi impedimenti, ut docent Suarez, Sanchez, Decius, Joannes Andreas, aliique juris Pontificii periti.

21 Quæritur decimò, an Pontifex possit in lege Ecclesiastica dispensare licitè, quando dubitat, an causa dispensationis sit justa, nec ne? aliqui negant, eò quia stante tali dubio se exponeret periculo dispensandi sine justa causa. Sed probabilior sententia affirmat, posse etiam stante tali dubio licitè dispensare; quia tunc videtur pertinere ad suave Ecclesiæ regimen in benigniorem partem propendere, & censere facultatem superioris se extendere etiam ad causam dubiè justam; alioquin si semper causa dispensationis deberet dispensanti apparere justa, vix superior auderet dispensare, quia semper posset agitari aliquo scrupulo, & dubitare, an causa esset justa: cum non desint semper circumstantiæ moventes dubium; si potestas dispensandi ad solas causas certè, & indubitatè justas extenderetur, ut notat Sylvester *V. dispensatio q. 14. n. 20.* Quòd si dubium non versetur circa sufficientiam causæ, sed an causa dispensandi aliqua existat, tunc non potest superior licitè dispensare: quia cùm potestas dispensandi licitè, necessariò exigat justam causam, non potest extendi quando dubium versatur circa existentiam causæ; quòd si causa supponatur existere, & tantùm dubitetur de illius sufficientia in ordine ad dispensationem, tunc potest superior dispensare, quia hoc videtur postulare prudens, discreta, ac suavis gubernatio ad tollendos superiorum scrupulos. Id autem debet intelligi de dubio speculativo, non autem de practico: siquidem, qui in causa dubia dispensat, debet practicè judicare, quòd liceat sibi in tali casu dispensare: alioquin non excusaretur à peccato, ut ostendimus in tractatu de conscientia dubia.

22 Quæritur undecimò, an dispensatio sit stricti juris? Respondent communiter affirmativè docentes dispensationem esse strictè interpretandam, & desumitur ex *cap. is, qui de filiis Presbyt. in 6.* ubi dicitur, quod dispensatio tanquam odiosa, utpote laxativa legis sit restringenda juxta regulam 15. juris *odia convenit restringi*: & assignatur etiam ratio, cur dispensatio sit odiosa, quia nimirum exorbitat à jure, & dicitur vulnerativa juris; cui rationi suffragatur regula 28. juris, quæ sic habet: *quæ à jure communi exorbitant nequaquam ad consequentiam sunt trahenda*; siquidem odiosum est eximi à lege æqualiter obligante omnes; quod intelligendum est de dispensatione in materia odiosa, cujusmodi est dispensatio à lege communi: non ita de dispensatione in materia favorabili; quæ nulli præjudicat, quia tunc tanquam favor conceditur subdito, proinde dispensatio est laxæ interpretationis.

Cæ-

Cæterum licèt dispensatio sit odiosa, & stricti juris, se tamen extendit ad partes, quæ comprehenduntur sub toto concesso, quia juxta regulam 80. juris *in toto partem non est dubium contineri*. Hinc si Pontifex dispenset, ut aliquis promoveatur ad sacerdotium se extendit dispensatio ad reliquos inferiores ordines, sine quibus non confertur sacerdotium. Rursus se extendit etiam ad ea, sine quibus non potest dispensationis effectus consistere; alioquin inutilis redderetur dispensatio, cùm hæc non posset suum effectum sortiri. Rursus ea duntaxat dispensatio est strictè interpretanda, quæ privatis personis conceditur, non verò, quæ toti comunitati, aut integro religioso ordini, quia tunc dispensatio æquiparatur legi comuni, & est interpretanda juxta naturam laboris, & beneficii, seu laxè.

24 Quæritur duodecimò, an possit Pontifex dispensare cum sacerdote in recitatione horarum canonicarum. Respondent communiter affirmativè, sive talis sacerdos teneatur recitare breviarum ratione beneficii Ecclesiastici, aut professionis religiosæ; ratio est, quia tota hæc obligatio est tantùm de jure positivo Ecclesiastico, ut communiter docent tum Canonistæ, tum Theologi. Hinc potest summus Pontifex dispensare cum quocunque Clerico, vel regulari, vel sæculari, ut licitè utatur breviario, prout ipsi magis libuerit; tametsi non sit juxta breviarium Romanum, ad quod antea tenebatur: siquidem superior potestatem habet dispensandi in sua lege, & juxta communem sententiam, qualitas officii est de jure positivo Ecclesiastico, in quo propterea potest Pontifex dispensare. An verò dispensatio concessa Subdiacono, ut possit uxorem ducere, eum eximat ab obligatione recitandi divinum officium. Respondent plures cum Bonacina de horis canonicis *disp. 1. q. 2. punct. 3. n. 5.* negativè; quia græci sacerdotes licèt matrimonio sint conjuncti; non tamen eximuntur ab obligatione recitandi divinum officium. Tum quia, quando dantur duæ leges, quarum una potest servari sine alia, si quis dispensetur in una, non propterea censetur dispensatus etiam in alia, præsertim cum dispensatio sit strictæ interpretationis. Sanchez verò putat, sacerdotem, cum quo dispensatum est, ut matrimonium ineat, teneri ad recitationem divini officii, si habitum non mutet, eò quia tunc nondum censeatur recessisse à statu sacerdotali. Secus si supponatur clericatum deseruisse, & habitum sæcularem induisse. Verùm hæc responsio non videtur sufficiens, quia etiam Subdiaconus contrahens nuptias, quamvis habitum sæcularem induat, adhuc non dicitur assumpsisse statum incompatibilem, & contrarium clericali, quod ex eo evincitur; quia adhuc potest retinere beneficia Ecclesiastica, proinde non debet manere exemptus ab oneribus annexis statui Ecclesiastico: non enim per nuptias deletur character sacerdotalis, vel Subdiaconatus, aut Diaconatus, neque ex eo, quòd Diaconus induat vestes sæculares, se exspoliat charactere. Unde sine dispensatione speciali adhuc Subdiaconus, vel Diaconus dispensatus ut uxorem ducat, tenetur recitare horas canonicas.

Quæritur terriodecimò, an dispensatio semel concessa ex justa causa à summmo Pontifice possit ad libitum revocari. Respondetur, quòd si talis dispensatio concessa fuit in remunerationem meritorum, vel in compensationem pecuniæ, aut beneficii præstiti, tunc docent plures cum Sanchez *lib. 8. de matrimonio disp. 33. n. 5.* non posse licitè talem dispensationem revocare; quia sicut, quilibet privatus homo, tenetur servare contractum à se celebratum; ita etiam summus Pontifex tenetur servare dispensationem, quam per modum contractûs concessit. Cæterum si Pontifex defacto revocaret talem dispensationem valida esset revocatio, quia in rebus dependentibus à jure Ecclesiastico habet liberam facultatem, prout ipsi magis visum fuerit congruere concedendi, vel revocandi. Non tamen dispensationes in foro conscientiæ concessæ à sacra pœnitentiaria possunt absque sufficienti causa revocari; siquidem pœnitentiaria non dispensat ex se, sed ex commissione Pontificis; quæ commissio non censetur collata ad præstandam talem revocationem; quapropter sine justa causa non potest talis dispensatio revocari: cum causa verò sufficiente potest dispensationes à se concessas revocare; licèt Episcopi non possint id præstare, quia pœnitentiariæ amplior est concessa facultas, quàm ordinariis locorum.

Quæritur quartodecimò, ob quas causas Pontifex dispenset super matrimoniis. Respondetur, ob plures, cujusmodi sunt pax inter consanguineos, qui non reconciliarentur, nisi per initum matrimonium; extinctio alicujus magnæ litis; evitatio scandali, quod timetur inter cognatos propter periculosam, & suspectam aliquorum conversationem: vel quia nisi mulier nubat certo viro, sit jacturam famæ passura: hæ siquidem causæ judicantur rationabiles ad concedendam dispensationem, quando matrimonium nondum fuit contractum. Et potiore jure censentur sufficientes, quando matrimonium bona fide contractum est cum impedimento dirimente, præsertim si inde majora timeantur damna. Censetur etiam sufficiens causa, si puella ob defectum dotis difficulter sibi parem inveniat, præsertim in loco domicilii, idque colligitur *ex declarat. Cardinalium circa c. 5. Concilii Tridentini*, quia nimis molestum foret puellæ, si nubere adigeretur extra proprium locum, & à parentibus, ac consanguineis separari. Rursus censetur causa sufficiens dispensandi super impedimentis matrimonii, splendor generis, si Princeps, vel nobilis non possit in suis partibus facilè sibi æqualem invenire, ut etiam si matrimonium sit necessarium ad conservandam illustrem aliquam familiam, ut ineatur inter consanguineos. 25

Rursus censetur etiam causa sufficiens, si persona petens dispensationem plura comulaverit merita: siquidem bonum tunc promovetur Ecclesiæ, si personis de Ecclesia benè meritis hujusmodi beneficia conferantur; tunc enim ansam desumunt ad præclarè se gerendum pro bono Ecclesiæ. Censetur etiam justa causa dispensandi in tertio gradu consanguinitatis, si aliqui consanguinei constituti sint hæredes sub ea conditione, 26

ditione, ut inter se matrimonio copulentur, tunc enim ob acquirendam pinguem hæreditatem potest Pontifex cum ipsis dispensare in tertio gradu. Ut etiamsi puellæ patrimonium sit ita litibus implicatum, ut non reperiatur extraneus, qui velit eam ducere, & econtra, si nubat consanguineo in tertio gradu, cessent lites.

28 Quæritur decimoquintò, an summus Pontifex possit dispensare, ut possit quis matrimonium inire cum muliere sibi conjuncta in secundo gradu affinitatis. Respondetur cum communiore sententia affirmativè: ratio est perspicua, quia ducere sibi conjunctam in secundo gradu affinitatis non est prohibitum jure naturali, nec divino, sed tantum jure positivo: & cum Pontifex, utpote superior possit dispensare in jure positivo humano, validè dispensat in secundo gradu affinitatis. Imò etiam licitè si adsit justa causa dispensandi, ut censent communiter juris Pontificii periti, qui ex sacris canonibus inter alias justas causas dispensandi super hoc impedimento tres recensent: quarum prima est necessitas vitandi ingens scandalum, & desumitur ex *c. quia de consang. & affin.* Secunda, extinctio inimicitiarum, rixarum, & homicidiorum, ut habetur *in c. 2. de dispens. imped.* Tertia, dotis incompetentia; quia plurimi interest puellas præsertim nobilitate illustres sufficientem haberè dotem, ut desumitur ex *l. 1. §. solutum matrimon. c. 15. de consang. & affin.* Unde quando adest aliqua ex istis causis Pontifex licitè dispensat super impedimento secundi gradûs affinitatis. Neque urget quòd, Concilium Tridentinum *sess. 24. c. 5. de reformat. matrimon.* prohibeat, ne in secundo gradu dispensetur, nisi inter magnos Principes. Quia *ex c. significâsti de elect.* potestas Pontificia semper excipitur à decretis Conciliorum, cùm sit Pontifex supra Concilia: hinc Concilium Tridentinum *sess. 25. c. 18. de reformat.* etiam statuit, rigores Canonum esse nonnunquam temperandos, si justa causa id exigat. Hinc Pontifices non solùm cum Principibus, sed etiam cum aliis inferioribus solent in secundo gradu affinitatis dispensare ex justis causis.

29 Quæritur decimosextò, an summus Pontifex possit dispensare in secundo gradu consanguinitatis. Respondetur spectato rigore canonum id prohiberi. Verùm licèt dispensatio censeatur vulnus, quod infligitur juri, est nihilominus nonnunquam ex justa, & urgente causa rigor juris molliendus, & austeritas canonum temperanda, ut monet Concilium Tridentinum *sess. 25. c. 18. de reformat.* quapropter summus Pontifex ob justam, & urgentem causam, etiam privatam potest ex sua benignitate dispensare, ut docent plures, præsertim Sanchez *de matrimon. tom. 3. lib. 8. disput. 19. n. 4.* Layman. *lib. 5. tract. 10. p. 4. c. 6. n. 8.* & plerique alii. Causæ autem dispensandi in hoc gradu consanguinitatis desumuntur ex ipso jure canonico; quarum prima est diuturnitas matrimonii malè contracti, & desumitur *ex c. de gradibus 35. q. 8.* & etiam ex jure civili ex *l. qui in Provincia. ff. de ritu nupt.* Secunda est proles jam suscepta ex matrimonio malè contracto cum impedimento secundi gradûs consanguinitatis, & colligitur ex *cap. final. 35,* & ex *d. l. §. Divus.* Tertia causa est scandalum inde oriundum, ut colligitur ex *c. quia circa de consang. affin.* Quamobrem hisce, & similibus causis urgentibus potest summus Pontifex ex sua benignitate dispensare super impedimento secundi gradûs consanguinitatis.

Quæritur decimoseptimò, an summus Pontifex possit dispensare in primo gradu lineæ rectæ affinitatis, adeò ut socer ducat in uxorem nurum suam, vel filius Novercam, quæ fuit uxor Patris. 30

Censent plures, in hoc primo gradu affinitatis lineæ rectæ non posse Pontificem dispensare, eò quia talis gradus dirimat matrimonium jure naturali: quippe filius eandem reverentiam debet novercæ, quam parentibus, eò ipso, quòd una caro facta est cum parentibus: uxor enim cum marito fit una caro, proinde si filia non potest nubere proprio Patri ob reverentiam ei debitam, nec filius potest ducere Novercam, cum hæc facta sit una caro cum Patre; & ita dicunt de nuru cum socero: unde Pomponius in *l. 17. ff. solut. matrim.* observat, quòd socer locum sustinet parentis. Tum quia in *c. si vir. 23. q. 3.* citatur D. Augustinus *lib. 22. contra Faustum, c. 61.* ubi ex eò quòd vir, & uxor fiant una caro, infert, Nurum esse reputandam filiam; quapropter Vitricus Privigno apud Ovidium lib. de Ponto ajebat marito.

Nam tibi quæ conjux, eadem mihi filia penè est.

D. Paulus 1. Corinth. 5. ait: *Auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes ita ut; uxorem Patris sui aliquis habeat,* & D. Thomas ibid. *lect. 1.* asserit, uxorem Patris perinde repelli à matrimonio, ut personam Patris, vel Matris. Et Spartianus in *Severo,* eum qui Novercam duxerat, & in *Caracalla* eum qui etiam matrem duxit in uxorem, ait parricidio junxisse incestũ. Hinc in Concilio Arvernens. sub Vigilio Papa *c. 11.* cum prohibitum esset matrimonium cum privigno, subditur; *eum qui secus ausu sacrilego authoritatem Divinæ legis, & jura naturæ prorumpere præsumpserit,* ex quibus verbis expressè colligitur affinitatem in primo gradu lineæ rectæ dirimere matrimonium jure naturali, quod etiam habetur in *l. Avunculo §. Noverca ff. de condit. sine causa.*

Nihilominus censent plures, & quidem probabiliter, posse Pontificem ex justa, & urgente causa dispensare in primo gradu affinitatis lineæ rectæ, eò quia hæc affinitas non dirimat matrimonium jure naturali. Docent hanc sententiam cum D. Thoma *in 2. 2. q. 154. art. 9. ad 3.* plures Theologi, inter quos Hurtadus *tract. de matrim. disp. 20. difficult. 4. n. 13.* Mæracius *de matrim. disp. 9. sect. 13. n. 4.* Pontius *de matrim. lib. 7. c. 34. n. 5.* Diana *de potest. Pontif. resolut. 80. n. 5.* Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 66. n. 7.* Præpositus *3. p. q. 7. de imped. matrim. disp. 11. n. 69.* Guttieres *de matrim. c. 99.* Bonacina *de matrim. q. 3. punct. 12. n. 7.* Rubeus *de sacramen. disp. 40. & 41.* Joann. de la Cruz *in direct. conscient. p. 2. de sarcamen. matrim. ar. 5. dubio 9. conclus. 1.* Ochagania *de sacrament. tract. 3. de imped. matrim. q. 60. conclus. 1, n. 5.* ubi docet 31

primum

primum gradum affinitatis non irritare jure naturæ matrimonium, quod etiam asserunt Rebellius *1.2 tract.3.q.15.n.10.* Filliucius *tom.1.tract.10.p.2.c.6.n.109.* Molfesius *tom.1.tract.4.c.10.n.109.* Fernandez *in exam. Theol. moral. p.23.c.16.§.2. sect. 2.n.7.* & hanc sententiam probabilem censent Sotus, Tannerus, Layman, Coninc, & alii plures. Et reverà hæc sententia est valdè probabilis, quia ut docet D. Thomas in *2.2.q.154. art.3.ad 3.* personæ, quæ non conjunguntur secundùm se ipsas, sed per ordinem ad parentes non habent eandem indecentiam, quam contraherent cum ipsis parentibus; siquidem variatur indecentia, vel decentia secundùm consuetudinem legis humanæ, vel divinæ: proinde primus gradus affinitatis non irritat jure naturæ matrimonium, nec Nurus debet ita strictam naturalem reverentiam, & subjectionem socero, ut inter ipsos implicet copula conjugalis. Idque evincitur ex *lib.3. Regum.c.2.* ubi legimus, Adoniam filium David petiisse Abisag in uxorem, licèt fuerit uxor patris sui David; non potuisset autem illam petere in uxorem si inter privignum, & Novercam matrimonium esset jure naturæ prohibitum; cùm igitur in primo gradu affinitatis non dirimatur matrimonium jure naturæ, potest Pontifex dispensare super tali impedimento.

32 Tum quia eatenus in primo gradu lineæ rectæ consanguinitatis dirimitur matrimonium, quia consanguinei media carnali copula efficiuntur una caro, cùm antea id essent per unitatem sanguinis; unde cùm filia ratione sanguinis sit una caro cum Patre, cujus dicitur esse pars, non potest cum ipso matrimonio copulari, quia non potest cum Patre fieri una caro, quia jam supponitur cum ipso esse una caro, & quod jam est, non fit, sed supponitur factum: atqui affines in primo gradu non erant una caro per unitatem sanguinis, non enim filius est pars Novercæ, cui Pater nupsit, sed tantùm solius Patris: hinc liquet discrimen inter primum gradum consanguinitatis, & affinitatis; ex eo enim, quòd ille jure naturæ matrimonium dirimat, non sequitur etiam primum gradum affinitatis dirimere jure naturali matrimonium. Neque obstat quòd *Genesis 39.* maledicatur Ruben eò quia dormierit cum uxore Patris sui, ut habetur *Genesis 36.* atqui id temporis nulla aderat lex scripta illud prohibens: ergo id fuit prohibitum jure naturali. Nam ut rectè respondet Cajetanus eatenus peccatum Ruben dicitur fuisse abominabile, quia fuit peccatum adulterii, eò quòd Ruben adhuc vivente Patre dormierit cum ejus uxore, quapropter induit gravissimam adulterii malitiam.

33 Solet etiam probari assertio *ex can.61. Concilii Agathensis, & can. 30. Agaunensis.* ubi expressè prohibetur matrimonium cum Privigno, & Noverca; simúlque præcipitur, ne ante eam prohibitionem matrimonia contracta dissolvantur: ex quo infertur evidenter, conjugia contracta cum impedimento in primo gradu affinitatis non esse jure naturæ invalida; proinde hoc impedimentum esse dispensabile. Hoc idem etiam desumitur ex *can.10. Concilii Aurelianensis III.*

Ratione etiam potest assertio evinci, quia inter affines in primo gradu nulla reperitur superioritas contra cujus reverentiam fit usus matrimonii: siquidem superioritas propriè est tantùm in eo, qui principium est naturale alterius; & Noverca non est principium naturale filii mariti: quamvis fiat una caro cum principio naturali, ex hoc tamen non sequitur, fieri unam carnem cum filio mariti, sed tantùm fieri principium hujus carnis, ratione cujus est ex natura rei aliqua indecentia in accessu filii ad uxorem Patris jam defuncti; non tamen irreverentia, & impietas, quæ ab intrinseco adversetur juri naturæ. Tum quia Pontifices non raro pro foro conscientiæ dispensant in dicta affinitate lineæ rectæ in primo gradu orto ex copula fornicaria, tametsi videatur esse ejusdem rationis cum illa, quæ oritur ex copula conjugali; siquidem fornicarii, perinde ac conjuges fiunt una caro. Quamobrem licèt Pater per matrimonium consummatum fiat una caro cum Noverca alicujus, non tamen Privignus ab ea accipit esse, nec illi ita arctè conjungitur, ut sit contra jus naturæ mortuo Patre illi nubere. Neque obstat, quòd Pontifices non soleant in primo gradu affinitatis dispensare; quia exinde non sequitur, quòd non possint, sed tantùm quòd nolint, eò quia non deceat.

Hinc patet solutio ad rationes in oppositum; 34
ad primam respondetur, quòd licèt Pater per matrimonium consumatum fiat una caro cum Noverca alicujus; quia tamen Privignus ab ea non accipit esse, ideò non debet illi eandem reverentiam, quam debet Patri, imò nec tantam, quæ jure naturali videatur obstare conjunctioni matrimoniali, sed tantùm quæ causet aliquam indecentiam ortam ex simili conjunctione, si desint justæ, & urgentes causæ. Ad id quod addebatur, ex Apostolo *1. ad Corinth. 5.* Respondetur, D. Paulum ibi non asseruisse, primum gradum affinitatis jure naturali dirimere matrimonium; communiter enim dicunt, Corinthium illum Novercam carnaliter cognovisse vivo Patre: id colligunt ex eo, quòd Apostolus dixerit, eum commisisse talem fornicationem, quæ nec inter gentes auditur: siquidem certum est ex historiis fuisse apud nonnullas gentes usitata matrimonia cum Novercis mortuo Patre, ut refert Theodoretus *lib. de legibus propè finem.* Tum quia Apostolus 2. *ad Corinth. 7.* asserit, illum incestuosum fuisse in Patrem injurium, eò quia ejus uxorem cognoverit, ait enim D. Paulus: *igitur etsi scripsi vobis, non propter eum, qui fecit injuriam, nec propter eum, qui passus est, sed ad manifestandam solicitudinem nostram.* unde propriè non irrogâsset injuriam Patri, si ipso mortuo ejus uxorem duxisset, ut notant D. Anselmus, Cornelius à Lapide, & plures alii interpretes. Ad authoritatem D. Thomæ, respondetur, S. Doctorem *in 2.2.q.154. art.6. ad 3.* clarè docere, solùm inter parentes, & filios, seu matrem, & filium, patrem, & filiam jure naturæ prohiberi matrimonium. Ad authoritatem Concilii Avern. Respondetur ibi tantùm colligi, quòd matrimonium illud videatur jure naturæ aliquam contrahere turpitudinem,

ac esse illicitum, nisi justa, & urgens causa accesserit, ob quam excusetur: in hoc enim casu Concilium non asserit, non posse Pontificem dispensare. Hinc Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 66. n. 9. in fin. & disp. 52. n. 7.* ait, matrimonia contracta cum primo gradu affinitatis primariò non adversari juri naturali, nec irritari sed tantùm secundariò; quatenus hujusmodi matrimonia, nudè, & secundùm se considerata, & pro arbitrio privatorum inita sine justis, ac urgentibus causis indecentiam quandam naturalem contineant: & in hoc sensu etiam solet explicari textus desumptus ex *l. avunculo*, explicatur etiam S. Ambrosius *epist. 66. ad Patruum*, ubi dicitur; illicitum esse jure naturæ, ut Patruus ducat Neptem, scilicet illicitum esse jure naturæ secundariò, non verò primariò.

36 Quæritur decimo octavò, an possit Pontifex dispensare, ut quis ducat uxorem Fratris sui, ut etiam fæmina nubat viro suæ sororis. Respondent ferè communiter affirmativè, eò quia affinitas ex copula conjugali in primo gradu lineæ transversæ non dirimat matrimonium jure naturali, propterea ex justa causa potest Pontifex dispensare, ut quis contrahat matrimonium cum uxore fratris sui: si enim primus gradus affinitatis in linea recta jure naturæ non dirimit matrimonium, ut liquet ex probatis in præcedenti quæstione, à fortiori, neque in primo gradu lineæ transversæ. Hinc ex scripturis constat, Jacobum accepisse duas sorores in suas uxores *Genesis 29.* & quòd Thamar Nurus Judæ Patriarchæ nupserit duobus ejus filiis *Genesis 38.* Et cum hæc matrimonia non reprehendantur in scriptura, nec dicantur fuisse facta ex divina dispensatione: sequitur manifestè, matrimonium cum uxore fratris sui non esse jure naturæ irritum. Idque solet firmari ex illo Levit. 18. ubi habetur *sororem uxoris tuæ pellicatum illius non accipies, nec revelabis turpitudinem ejus illa vivente.* postremis enim verbis significatur non fuisse licitum in veteri lege accipere in uxorem sororem conjugis defunctæ.

37 Hinc Pontifices in hoc primo gradu affinitatis lineæ transversæ ex justis, & urgentibus causis consueverunt dispensare, præsertim cum viris Principibus: quo pacto Alexander VI. dispensavit cum Emanuele Rege Lusitaniæ, ut nuberet sorori suæ uxoris defunctæ. Julius II. dispensavit cum Catharina vidua Regis Angliæ, ut copularetur fratri mariti defuncti. Clemens VIII. dispensavit cum Rege Poloniæ, ut duceret in uxorem sororem uxoris suæ defunctæ. Clemens X. dispensavit cum Petro Rege Lusitaniæ ut nuberet uxori fratris sui Alphonsi. Innocentius XII. Modernus Pontifex dispensavit cum Duce Parmensi, ut duceret uxorem fratris sui defuncti. Quamobrem licèt has inter personas arcta sit necessitudo, non tamen tanta, ut jure naturæ matrimonium irritet.

38 Neque obstat, quod solet objici de Joanne Baptista, qui Matth. 14. dixit Herodi: *Non licet tibi habere eam* (scilicet Herodiadem) *uxorem fratris sui*, quia cùm Herodes utpote gentilis, legibus non obligaretur Judaicis; tale matrimonium debuit esse irritum jure naturæ. Nam communiter respondent cum D. Hieronymo, fuisse tale matrimonium irritum jure naturæ, eò quia acceperit illam in uxorem adhuc fratre suo vivente; adeò ut commiserit adulterium, quod jure naturæ prohibetur. Quòd si cùm nonnullis asseramus, fratrem Herodis tunc mortuum fuisse, adhuc respondent communiter, Herodem tunc fuisse professum legem judaicam, quæ prohibebat fratrem matrimonio copulari uxori fratris sui defuncti; proinde non ex jure naturæ, sed tantùm ex lege positiva fuisse tale matrimonium illicitum. Lex autem Judæorum in novo testamento non obligat.

Solet nihilominus objici, quia *in c. gaudemus de divortiis* statuitur, infideles conjunctos in secundo gradu separandos non esse, ex quo infertur, in primo gradu esse separandos, ac irritum esse matrimonium jure naturæ. Sed contra, quia communiter respondent, ibi solùm esse sermonem de gradibus consanguinitatis, ut notat Perez *de matrim. disp. 38. sect. 5. n. 1.* siquidem ibi quæsitum fuerat à Pontifice, an Pagani, qui in secundo, vel tertio, vel ulteriori gradu lineæ transversæ contraxerant matrimonium, è Paganismo postea ad fidem conversi post baptismum, essent ab invicem separandi; & Pontifex respondit non esse separandos, quia in prædictis casibus Pagani licitè contrahunt matrimonium: & jure canonico non arctantur. Cæterum Pontifex ibi non declaravit, matrimonium contractum in primo gradu affinitatis lineæ rectæ, vel transversæ esse jure naturæ irritum, quia id non fuerat à Pontifice postulatum: sed tantùm declaravit, id quod certum erat; & de quo fuerat interrogatus. Et cùm constet ex sacra scriptura viros commendatos inivisse matrimonium in hoc secundo gradu, ut fuit Abraham, qui duxit Saram filiam fratris sui Aram *Genesis 11.* & Amram Pater Moysis duxit Jochabed sororem Patris sui *Exodi 6.* quam ibi latinus textus vocat Patruelem, & textus hebræus patruam; ex quo colligitur, inter hos consanguineos matrimonium non esse jure naturæ irritum. 39

Quæritur decimo nonò, an possit Pontifex dispensare, ut frater sorori nubat. Plures respondent negativè præsertim Mastrius *de sacramen. matrim. disput. 9. sect. 7.* Bonacina *de matrimon. quæst. 3. punct. 5. num. 1.* Vasquez, Sanchez, & alii plures id colligentes ex scripturis, *Genesis 12.* ubi Abraham suasit Sarai, ut diceret, se ejus sororem, ne scilicet crederetur ejus uxor: eò enim ipso, quòd censebatur soror non poterat uxor credi, eò quia conjugium inter fratrem, & sororem sit contra jus naturæ, ac proinde dictante ipso naturæ lumine censeatur nullum; non enim poterat id argui, nisi ipso naturæ lumine, cùm tunc temporis nondum lex ulla positiva lata fuerit. Hinc ex eo quòd Sara se dixerit sororem Abrahæ; Pharao censuit, eam non fuisse uxorem Abrahæ. 40

Verùm oppositam sententiam docent cum D. Thoma *2. 2. quæst. 145. art. 9. ad 3.* Cajetanus ibidem, Bannius *tom. 1. tract. 12. quæst. 2.* Perez *de matrim. disput. 25. sect. 5. num. 4.*

Diana

Diana de potest. Pontif. resolut. 84. num. 4. Caspensis *tom. 2. tract. 26. sect. 5. num. 4.* Tapia *tom. 2. lib. 4. tract. 2. num. 26.* Escobar *in Theol. moral. tract. 7. exam. 9. c. 9. num. 107.* & alii: & reverà hæc sententia est valdè probabilis; quia conjugium inter fratrem, & sororem jure naturæ non est invalidum; etenim ex eò conjicitur aliquid esse de jure naturæ, quando ubique locorum ab omnibus gentibus recipitur, ac judicatur manare ab ipso jure naturæ: atqui matrimonium inter fratrem, & sororem initum esse jure naturæ irritum non potest hoc modo conjici; quia licèt apud plures gentes fuerit hoc matrimonium rejectum; nihilominus apud alias fuit in usu, & consuetudine receptum: etenim apud Ægyptios consuevisse fratres proprias sorores in matrimonium ducere, referunt Theodorus, & Pausanias in Atticis. Rursus Ptolomeum nupsisse Arsinoë sorori referunt Historici. Apud Athenienses fuisse itidem moris, ut fratres sororibus nuberent refert Ludovicus Vives *ad lib. 15. de civit. Dei. c. 16.* Posset etiam hoc idem evinci ex scripturis exemplo Thamaris sororis Amon, quæ ut legitur *2. Reg. c. 13.* dixit ad suum fratrem, qui nitebatur eam constuprare: *noli frater mi, noli opprimere me, vel facere stultitiam hanc, quin prius loquere ad Regem, qui non negabit me tibi.* Quòd si puella credidisset jure naturæ illicitum, nubere fratri suo, non suasisset ipsi adire Regem pro facultate impetranda.

42 Præterea non videtur rationi consonum, Deum voluisse inter eos irritum esse matrimonium, per quos volebat genus humanum in mundi exordio propagari; & ita illud instituere, ut necesse fuerit in filiis Adæ statim immutare institutionem concedendo speciatim, ut frater nuberet sorori, cum qua non poterat jure naturæ matrimonium inire; non enim videtur probabile, quòd statim filii, & filiæ Adæ contraxerint matrimonium, quod juri naturæ repugnaret: unde asserendum est, Deum concessisse fratribus, & sororibus facultatem transferendi dominium sui corporis vicissim; propterea non est id censendum intrinsecè malum, neque dissonum juri naturæ. Unde quamvis in tali conjugio fratrem inter, & sororem adsit ex natura rei aliqua indecentia ob necessitudinem sanguinis, ratione cujus illicitum est matrimonium contrahere inter fratres, & sorores; non tamen indecentia est tanta, ut urgente aliqua gravissima necessitate, & justissima causa non possit à summo Pontifice dispensari, cùm non appareat, tale matrimonium esse jure naturæ invalidum, neque ex divino præcepto prohibitum.

43 Tum quia fratres non habent inter se immediatam conjunctionem, observantiam, & reverentiam, sed duntaxat ratione parentum; cùm enim frater non sit supra sororem, nec soror supra fratrem, non videtur repugnare mutua translatio dominii circa proprium corpus, cùm id non sit intrinsecè malum. Unde præter primum gradum lineæ rectæ inter ascendentes, & descendentes cætera matrimonia inter consanguineos fortassis non sunt prohibita jure naturæ, nisi secundariò, hoc est, non urgente aliqua gravissima, & rationabili causa: unde quando hæc adest, videtur posse Pontifex dispensare, & licèt secum trahant aliquam indecentiam, non tamen hæc videtur ita intrinsecè mala, quin possit aliquo ingenti bono oriundo ex tali matrimonio honestari, & compensari: hinc quamvis necessariò interdicatur, ne quis cum duabus contrahat sororibus, nihilominus tempore Jacob id fuit dispensatum; cùm Jacob legatur habuisse duas sorores uxores: ita quamvis matrimonium inter fratrem, & sororem sit interdictum jure naturali secundariò, quia tamen non est interdictum primariò, & possit cohonestari ex justissima, & urgentissima causa, ideò potest Pontifex hac concurrente dispensare.

Hoc est discrimen inter ea, quæ primariò interdicuntur jure naturæ, & quæ tantùm secundariò; quia illa sunt intrinsecè mala, nec unquam ex quacunque causa possunt honestari: secus quæ tantùm secundariò prohibentur jure naturæ, tametsi sint absolutè mala, possunt tamen cohonestari, ac fieri licita ob gravissimam aliquam causam, quæ si adsit, potest Pontifex in tali matrimonio dispensare. Hinc patet solutio ad fundamentum oppositæ sententiæ petitum ex Genesis 12. siquidem Abraham potuit suadere Sarai, ut diceret se esse ejus sororem, ne crederetur ejus uxor, eò quia ob necessitudinem sanguinis trahebat secum indecentiam, quâ Pharao faciliùs potuisset judicare, non esse ejus uxorem; non tamen quòd id esset impossibile, nec quòd jure naturæ repugnaret. Tum quia æqualis turpitudo videtur deprehendi in eo, quòd unus, & idem vir duabus successivè nubat sororibus, cum quibus matrimonium consumet, & vicissim in eo, quòd eadem fæmina nubat duobus fratribus, cum quibus matrimonium consumet: & nihilominus hujusmodi matrimonia non sunt jure naturali invalida, & solent inter Principes ex urgentissima causa à summis Pontificibus dispensari. 44

Quæritur vigesimò, an possit Pontifex dispensare ex justa causa, ut Avus nubat Nepti, vel avia nepoti. Communior sententia videtur id negare, eò quia inter Avum, & neptem; & inter Aviam, & Nepotem tanta sit sanguinis necessitudo, ut matrimonium inter ipsos, jure naturæ prohibeatur: & hoc idem videtur etiam asserendum absolutè de omnibus descendentibus respectu ascendentium per lineam rectam, & colligitur ex *l. nuptiæ 53. l. ult. ff. de rit. nupt.* & desumitur ex Cajo, & Paulo antiquis jurisconsultis: in iis siquidem dicitur in linea ascendente in infinitum jure naturæ incestuosas nuptias contrahi, & eas consistere non posse. Tum quia Neptis debet proprio Avo honorem parentis, ut etiam Nepos Aviæ, perinde ac filia Patri, & filius Matri; imò forsan majorem, utpote veris, & altioribus principiis: quapropter apud omnes gentes non minus fuerunt in abominatione matrimonia inter Avum, & Neptem, & inter Aviam, & Nepotem, quàm inter Patrem, & filiam; Matrem inter, & filium; & cùm hæc sint jure naturæ prohibita etiam illa, utrumque enim matrimonium semper est contra reverentiam parentibus debitam 45

bitam. Neque videtur in contrarium obstare *cap. non debet de consanguin.* ubi dicitur, consanguinitatem non dirimere matrimonium ultra quartum gradum: siquidem in prædicto textu tantùm est sermo de consanguinitate in linea transversa, non verò in linea recta, de qua procedit præsens quæstio: non enim jus considerat casus, qui sunt moraliter impossibiles, qualis est, ut quis ducat filiam Abnepotis sui, non enim in lege Evangelica legitur de ullo, qui tamdiu vixerit, donec filia Abnepotis sui potuerit eidem nubere in ordine ad prolem procreandam.

46 Nihilominus valdè probabile est, posse summum Pontificem ex justissima, & urgentissima causa dispensare, ut matrimonium ineatur inter Avum, & Neptem, vel inter Aviam, & Nepotem, ut ex D. Thoma 2. 2. *q. 154. art 9. in resolut. ad 3.* videtur deduci; & docent expressè hanc sententiam Sanchez *de matrim. lib. 7. disp. 51. n. 19.* Diana *de potest. Pontif. resolut. 38. punct. 3.* Bonacina *de matrim. q. 3. punct. 5. §. 1. n. 8.* Ratio est, quia Avus, & Avia verè, & propriè non sunt parentes Neptis, & Nepotis, neque debetur iisdem naturaliter eadem reverentia, quam debet filius matri, & filia Patri, cum quibus matrimonium est jure naturali invalidum. Tum quia Pater est immediatum Principium filii, non ita Avus Nepotis, sed tantùm per accidens, cùm possit esse filius sine Avo: siquidem filii Adæ fuerunt sine ullo Avo. Tum quia est minor participatio sanguinis inter Avum, & Neptem, quàm inter Patrem, & filiam, proinde non debetur tanta reverentia Avo, sicut Patri: unde ex eo, quòd matrimonium inter Patrem, & filiam; matrem, & filium sit jure naturæ irritum, non sequitur esse invalidum etiam matrimonium inter Avum, & Neptem, Aviam, & Nepotem: quia Avus, & Avia, & cæteri ascendentes non nisi per accidens sunt principia Nepotum, & Abnepotum, & respectu filii est per accidens, quòd ejus Pater fuerit genitus ab hoc, vel alio Patre, quapropter reverentia, quam Nepos debet Aviæ, & Neptis Avo, non est necessariò, & per se debita, sed tantùm per accidens, eò quia fundetur in ratione causæ per accidens: hæc autem reverentia per accidens non censetur tanta, ut de jure naturæ irritet matrimonium inter Avum, & Neptem; Aviam, & Nepotem. Tum quia Avus respectu Neptis non habet rationem genitoris, sed duntaxat causæ quasi applicantis genitorem: & causa applicans aliam causam suo effectui non dicitur per se, sed tantùm per accidens causa talis effectus.

47 Hinc ad fundamentum oppositæ sententiæ. Respondetur, reverentiam debitam Avo respectu Neptis, & Aviæ respectu Nepotis se tantùm habere per accidens, proindè falsum est, hujusmodi matrimonia esse æquè abominabilia, ac matrimonia inter Patrem, & filiam, matrem, & filium; quia filii debent reverentiam per se parentibus, non ità Avis. Neque obstat, Avos esse altiora principia, quia inde non sequitur, deberi ipsis majorem reverentiam: quià perinde est, esse principia altiora ac remotiora; ad summum debetur Avo major reverentia politica, non verò naturalis, eò quia Avus fit primus dominus, ac primum principium in gubernando, ut docet D. Thomas 2. 2. *q. 154. art. 9. in solut. ad 3.*

Quæritur vigesimo primò, an summus Pontifex possit dispensare, ut Pater uxorem ducat propriã filiam? Respondetur absolutè negativè, quia matrimonium in primo gradu consanguinitatis lineæ rectæ, ut inter Patrem, & filiam; matrem, & filium est jure naturæ illicitum, ut communiter docent Canonistæ, & Theologi; & omnes gentes semper tale matrimonium fuerunt abominatæ; & si quæ illud permiserint, non fuerunt secutæ dictamen rectæ rationis, sed potiùs libidinis impulsum, ac fuerunt habitæ potiùs belluinæ. Ratio est, quia Pater utpote superior habet dominium in propriam filiam, & hæc naturaliter debet subesse Patri; & non habere dominium in Patrem, adeò ut lex naturæ sit, ut filii subsint parentibus, & non habeant dominium in illos: atqui hæc lex naturæ violatur per matrimonium initum inter Patrem, & filiam; matrem, & filium; quia ex vi matrimonii uxor acquirit dominium in corpus mariti, ut vicissim maritus in corpus uxoris: ergo cùm sit contra legem naturæ, quòd filius non subsit matri, sed acquirat dominium in ipsam, & quòd filia non subsit Patri, & acquirat dominium in corpus Patris, sequitur evidenter, hujusmodi matrimonia in primo gradu consanguinitatis lineæ rectæ adversari juri naturæ, & esse ab intrinseco mala. 48

Præterea cùm per matrimonium maritus, & uxor fiant una caro, supponuntur ante matrimonium initum non habuisse eandem carnem, alioquin non fierent per matrimonium una caro, quia quod est tale antecedenter, non dicitur per subsequens fieri tale: atqui filia, & Pater sunt ex se una caro, quatenus filia est pars substantiæ Patris; & filius itidem cum matre est una caro: ergo talia matrimonia videntur repugnare. Tum quia eo ipso, quòd filius haberet dominium in corpus matris, & filia in illud Patris, non possent filii debitam reverentiam suis deferre parentibus. Quamobrem hujusmodi matrimonia nunquam possunt licitè, & honestè contrahi; nisi ex speciali, & expressa Dei concessione, idque tamen ex toto genere humano non superesset nisi Pater, & filia, quia tunc præsupponeretur, quòd Deus vellet totum humanum genus perire, eò quia permiserit in eum statum incidere; in quo non posset ulterius licitè conservari sine speciali dispensatione in re, à qua natura vel maximè abhorret, siquidem Deus potuisset facillimè impedire, ne genus humanum in eum incideret statum. 49

Non desunt tamen, qui censeant in præsato casu extremæ necessitatis propagandi genus humanum, ne pereat, licitum esse matrimonium inter Patrem, & filiam, cui sententiæ adhærent Filliucius *tom. 1. tract. 10. p. 2. c. 5. n. 168.* Sanchez *lib. 7. disp. 51. n. 10.* Basilius Pontius *de matrim. lib. 7. c. 31. n. 5.* Henriquez *lib. 12. c. 9.* Caspiensis *tom. 2. tract. 26 sess. 5. n. 39.* Baunius *tom. 1. tract. 12. de imped. consang. q. 2. assert. 3.* Texeda *tom. 2. lib. 4. tract. 2. num. 15.* ubi cum Cajetano 2. 2. *q. 154. art. 4. ad 3.* & Soto *in 4. dist. 40.* 50

quæst.

quæst. unic. art. 3. asserit matrimonium inter Patrem, & filiam; Matrem, & filium, non esse ita intrinsecè malum, quin posset ex aliqua justa causa honestari, eò quia ex matrimonio Patris cum filia; & matris cum filio possibilis est prolis generatio. Verùm hæc ratio non videtur urgere, quia matrimonium inter Patrem, & filiam; matrem, & filium non ideò est jure naturæ prohibitum, eò quia adversetur fini principali ejusdem matrimonii, qui est filios procreare; sed quia adversatur debito ordini naturæ, qui est ut filii subjiciantur parentibus, & non acquirant dominium in ipsos. Unde ab aliis probatur ex eo; quia malum ordinis inferioris cujusmodi est damnum privatum irreverentiæ paternæ consurgens ex tali matrimonio debet cedere, & cohonestari propter bonum commune superioris ordinis, & conservationis humani generis, ut huic consulatur per propagationem prolis; quapropter illa indecentia videtur sufficienter compensari per bonum commune conservationis totiùs humani generis. Verùm cùm indecentia sit intrinseca non videtur posse honestari per illud bonum commune situm in conservatione humani generis: sicut ex eo, quòd mendacium, & odium Dei sit intrinsecè malum, nunquam est licitum mentiri, & Deum odisse, tametsi à tali mendacio dependeret conservatio mundi: unde mihi videtur standum primæ sententiæ, licèt non ausim, ut omninò improbabilem oppositam damnare, cùm illam doceant plures doctores, inter quos præter recensitos etiam Sotus in *4. dist. 29. q 1. art. 4. conclus. 3.* Navarrus *in manual. c 13. n. 15.* quia si aliquando Pater potest filio præcipere, ut certum contrahat matrimonium, & filius tenetur parere Patri, & assentiri, ita in extrema necessitate, si genus humanum deberet extingui videtur Pontifex posse præcipere Patri, & nubat propriæ filiæ, ne genus humanum extinguatur: siquidem huic communi bono debet cedere damnum privatum paternæ irreverentiæ oriens ex tali matrimonio; nec in tali casu Pontifex dispensaret in jure naturæ, sed tantùm declaret jus naturæ in illa extrema necessitate non obligare, & huic rationi adhærerem, si illa violatio ordinis naturæ non esset mala ob intrinsecam indecentiam.

51 Quæritur vigesimo secundò, an summus Pontifex possit dispensare, ut fidelis matrimonium contrahat cum infideli, vel hæreticæ? Respondetur, matrimonium fidelis cum infideli non esse irritum jure naturali, nec divino, ut communiùs censent Theologi: etenim non esse irritum jure naturali colligitur ex sacris scripturis, ubi habemus, quòd Esther nupserit Assvero Regi infideli, ac manenti in sua infidelitate: in historiis Ecclesiasticis, legimus S. Monicham virum habuisse Paganum, ut etiam testatur S. Augustinus *lib. 9. confess. c. 9.* Sanctam Clotildem teste Gregorio Turonensi *lib. 2. c. 20.* nupsisse Clodoueo Regi Francorum Ethnico, quia cultûs disparitas non omninò, & directè opponitur fini matrimonii, nec est contra substantiam illius, neque pugnat cum individua vitæ societate, quia adhuc uxorati non obstante illa cultûs disparitate possunt amore conjugali se prosequi absque dissidiis, ac dissentionibus: neque illa cultûs disparitas impedit finem matrimonii, quia possunt filii procreari, & piè educari; & quando non piè educantur, id contigit per accidens ex malitia alterius conjugis infidelis: unde matrimonium inter fidelem, & infidelem initum non est jure naturali irritum; sed tantùm est illicitum ex natura rei, quando est probabile periculum malæ educationis prolis, aut desertionis fidei in conjuge fideli: unde quamvis ob periculum hujusmodi matrimonia sint illicita, non tamen censenda sunt jure naturæ irrita.

Quòd nec etiam sint irrita jure divino, ex eo 52 liquet, quia Christus non dedit tale præceptum, ne fidelis nuberet infideli. Tum quia Christus tantùm elevavit contractum civilem matrimonii ad esse sacramentale, & reliquit contractum, quoad sua necessaria in ratione contractûs legis naturæ, juxta quam non irritatur matrimonium fidelis cum infideli. Hinc S. Hieronymus *lib. 1. adversus Jovinianum* asserit, suo tempore frequentissima fuisse matrimonia inter fideles, & infideles, & licèt illa improbaverit, non tamen censuit illa esse invalida: & D. Augustinus *lib. de fide. & de oper. c. 9.* agens de hisce matrimoniis fidelium cum infidelibus ait: quæ nostris temporibus jam non putantur esse peccata, quoniam reverà in novo testamento nihil inde præceptum est. Quamobrem hæc matrimonia ex solo jure Ecclesiastico sunt irrita, quapropter Pontifex potest dispensare.

Neque obstat, quod *lib. 1. Esdræ c. 9. & 10.* 53 Hebræi dicantur separati à conjugibus infidelibus, quas duxerant, eò quia talia matrimonia fuerint jure divino irrita, quapropter Apostolus scripsit 2. ad Corinth. 6. *nolite jugum ducere cum infidelibus.* Nam contra est, quia præceptum illud, quo matrimonia Hæbreorum cum infidelibus fuerunt irritata, fuit tantùm judiciale, quod expiràvit, cùm primum lex Evangelica fuit sancita: tale præceptum fuisse judiciale ex eo facilè conjicitur, quia talia matrimonia fuerunt solùm interdicta cum infidelibus incolis terræ Chanaan. Hinc cum Esdræ *c. 9.* numerantur Ægyptii inter eos infideles, est sermo de Ægyptiis, qui tunc temporis incolebant terrā Chanaan.

Cæterùm in Lege Evangelica nullum habe- 54 tur jus divinum purè positivum, quo prohibeantur hujusmodi matrimonia, nec in novo testamento ullus reperitur locus, in quo habeatur hujusmodi irritatio. Tum quia in Lege Evangelica non habemus aliud jus divinum purè positivum nisi circa fidem, & sacramenta; & quia hoc præceptum ad fidem non pertinet, nec ad sacramenta suscipienda, sed tantùm ad contractum naturalem à Christo elevatum ad sacramentum ritè celebrandum, non apparet jus divinum illud prohibens; cùm Christus in matrimonio non mutaverit quidquam pertinens ad jus naturæ, & contractum civilem, sed tantùm eundem contractum elevaverit ad esse sacramentum. Neque quod addebatur ex D. Paulo contrarium probat, quia aliud est, quòd tale matrimonium sit prohibitum; & aliud quòd sit irritum; stat enim, matrimonium jure naturali, & positivo posse prohiberi, & non esse irri-

tum eo jure: etenim matrimonium contra priorem fidem sponsalium contractum cum alia, ut etiam post emissum simplex votum castitatis censetur prohibitum jure naturali dictante fidem datam homini per sponsalia esse servandam; & jure divino esse promissum Deo præstandum, & nihilominus in neutro casu matrimonium, est invalidum si contrahatur.

§. XII.

Exhibentur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones circa potestatem Pontificis in sacramenta.

1 Quæritur primò, an possit summus Pontifex aliquibus interdicere usum sacramentorum? Respondent communiter affirmativè, eò quia tempore interdicti usus prohibeatur aliquorum sacramentorum, & desumitur ex *c. si sententia 16. de sent. excommun. in 6.* & ex *c. respondeo 43. de sent. excommun.* non tamen prohibetur usus omnium sacramentorum, siquidem quovis tempore possunt homines baptizari, ac confirmari non obstante interdicto, ut liquet ex *c. quoniam 19. de sent. excommun. in 6.* ex quo habetur, nec prohiberi eorum solemnitates. Imò nec prohibetur sacramentum pœnitentiæ, non solùm constitutis in mortis articulo, sed nec sanis; id enim conceditur in *c. Alma Mater*: ubi tantùm excipiuntur, qui aliquâ culpâ causam dederunt interdicto, nisi priùs satisfaciant pro delicto, vel dent sufficientem cautionem de damni satisfactione; vel si neutrum præstare possint, saltem jurent, se quàmprimum possint, satisfacturos pro viribus, ut satisfiat Ecclesiæ à delinquentibus. Sacramentum tamen extremæ unctionis prohibetur, ne detur etiam in articulo mortis, ut liquet ex *c. quod in te de pœn. & remiss.* ubi cùm prohibeatur usus sacramenti, intelligitur de usu in articulo mortis, cùm non conferatur alio tempore. Neque intelligitur de usu cum solemnitatibus; quia ex *d. c.* habetur, quòd nullo modo conferatur, sive adhibitis solemnitatibus, sive omissis: siquidem prohibetur usus hujus sacramenti quoad substantiam etiam quoad omnes personas, si interdictum sit generale, & comprehendat omnes degentes in tali loco interdicto.

2 Probabile tamen est, sacramentum extremæ unctionis tempore interdicti posse conferri moribundo, si ex aliquo impedimento non possit suscipere sacramentum pœnitentiæ, vel Eucharistiæ: quia Pontifices, & jura non censentur, in suo interdicto hunc extraordinarium casum includere; quinimò cùm concedant suscipere sacramenta baptismi, pœnitentiæ, & Eucharistiæ ob salutis necessitatem, videntur tacitè dispensare etiam in sacramento extremæ unctionis cum moribundo non valente aliud sacramentum suscipere: siquidem potest tunc hoc sacramentum, si suscipiatur, eruere moribundum ab æterna damnatione, si sit dispositus, & præsertim si postquam dedit signa doloris, amiserit usum rationis, & non possit ampliùs confiteri; poterit enim tunc loco sacramenti pœnitentiæ et conferri extrema unctio; quia hoc sacramentum, ut docent plures, in illis circumstantiis potest de attrito facere contritum. Propugnant hanc sententiam Diana de *potest. Pontif. tract. 1. resolut. 2.* Amicus *tom. 8. disp. 19. sect. 12.* Escobar. *tract. 2. exam. 7. c. 4. n. 68.* Baunius *tom. 2. tract. 9. q. 15.* asserit Amicus, quòd tunc in collatione extremæ unctionis sacerdos nonnisi superpellicio, & sacra stola indutus debet illud sacramentum ministrare, quia reverentia sacramenti semper præferenda est utilitati, quam posset moribundus percipere: unde deficientibus superpellicio, & stolâ, non esset hoc sacramentum conferendum, cùm non sit necessitatis, nisi fortassis sine illo censetur infirmus versari in periculo æternæ damnationis, quia tunc posset hoc sacramentum etiam sine superpellicio, & stolâ conferri.

3 Sacramentum Ordinis tempore interdicti, nec potest laicis conferri, id enim prohibetur in *c. responso*, & *c. Alma mater de sent. excommun.* An verò initiati aliquibus Ordinibus possint ad alios majores promoveri. Communior sententia est etiam negativa, quam docent Panormit. in *c. non est vobis.* Covarruvias in *c. Alma mater. p. 2. §. 3. n. 4.* & alii communiter, quia prohibitio est generalis, & communiter intelligitur de omnibus ordinibus tam minoribus, quàm majoribus. Possunt tamen sacerdotes tempore interdicti communicare more laicorum sub una tantùm specie, quia ipsis solet concedi, ut missam celebrent, & divinis officiis assistant clausis tamen Ecclesiæ januis: quòd si possunt celebrare, & assistere sacrificio missæ, non videtur, cur non etiam possint communicare more laicorum, quia cui communicatur facultas, ut possit sacro interesse, communicatur etiam facultas, ut possit de illo participare.

4 An verò ad ministrandum viaticum moribundo possit sacerdos, si non adsint particulæ consecratæ celebrare missam etiam non jejunus, & post prandium. Respondent plures affirmativè, eò quia liceat sacerdoti non jejuno celebrare ad vitandam mortem; ex quo inferunt, posse etiam celebrare ad ministrandum Viaticum moribundo. Tum quia infirmo periclitanti de vita ministratur Viaticum non jejuno; ergò ad illud ministrandum potest etiam sacerdos non jejunus celebrare. Neque obstat, quòd id prohibeatur præcepto Ecclesiæ, quia tantùm prohibetur, quando moribundus non est in periculo imminenti mortis, non verò quando tale periculum imminet; censetur enim Ecclesia tunc concedere facultatem sacerdoti non jejuno celebrandi, ut conferat viaticum moribundo: etenim etiam in articulo mortis potest absolvere à nonnullis censuris, & peccatis, à quibus antea non poterat. Tum quia potest sacerdos, ad subveniendum sibi, vel alteri morienti celebrare non præmissa confessione peccati mortalis, licèt majus sit quàm præceptum præmittendi jejunium sacro, cùm hoc tantùm sit de jure Ecclesiastico, proinde licitè videtur sacerdos posse non jejunus celebrare, præsertim cùm præceptum communicandi in articulo mortis sit divinum, quod prævalere debet præcepto jejunii, quod est præceptum tantùm Ecclesiasticum & humanum.

Non

5 Non tamen sacerdos posset moribundo præbere solam speciem sanguinis, si non posset deglutire particulam consecratam; quia hoc sacramentum, cùm non sit simpliciter necessarium, non obligat, nisi cum debitis circumstantiis ab Ecclesia præscriptis. Quòd si ita res est, sequitur, non esse necesse, ut moribundus comunicet, proinde neque ut sacerdos celebret non jejunus, videtur enim utrinque par ratio. Quòd si est præceptum divinum, ut moribundus comunicet per modum Viatici, sicut censent aliqui, & si est verum, quòd moribundus teneatur observare hoc præceptum, ac proinde communicare; tunc quia præceptum divinum prævalet Ecclesiastico, & comunicare extra sacrificium missæ sub specie tantùm panis sit de jure Ecclesiastico; ad satisfaciendum divino præcepto essent præbendæ moribundo species sanguinis; si non posset deglutire particulam: quia tunc comunicaret, & adimpleret divinum præceptum. Quia verò usus, & praxis Ecclesiæ est in contrarium; ideò adhærendum est comuni sententiæ, & usui ejusdem Ecclesiæ; quia potest Ecclesia prohibere etiã in casu necessitatis; ne mutetur observantia legis Ecclesiasticæ, & ne minuatur reverentia debita sacramentis, & etiã prohibere usum illorum sacramentorum; quæ non sunt simpliciter necessaria, cujusmodi est sacramentum extremæ unctionis. Nec est par ratio de sacramento confessionis, quia hoc est sacramentum necessitatis, perinde ac baptismus.

6 Hinc sacerdos ad conferendum viaticum moribundo non potest celebrare absque indumentis sacris: siquidem reverentia hæc est debita sacramento Eucharistiæ, exigit enim, ut non nisi in sacris vestibus conficiatur; & hæc reverentia debet præferri utilitati moribundi, ut cum D. Antonino *3. p. tit. 13. c. 16. §. 1.* docent plures. Imò si lumina ad altare extinguerentur ante consecrationem, nec posset sacerdos celebrare licitè, etiamsi præceptum Ecclesiæ urgeat audiendi sacrum, quia audire sacrum tali die est præceptum Ecclesiasticum, pro cujus observantia non debet cum tanta indecentia fieri sacrificium in altare. Quòd si lumina extinguerentur post consecrationem, nec possent ampliùs accendi; vel quia candelæ essent absumptæ; & aliæ deessent, teneretur sacerdos inchoatum sacrificium; etiam sine lumine perficere, & absolvere; quia tunc urgeret præceptum divinum integrandi sacrificium; & major esset irreverentia, si hoc imperfectum relinqueretur, quàm si sine lumine perficeretur.

7 Quæritur secundò, an possit Pontifex præcipere, ut infantes filii hæreticorum, vel Apostatarum baptizentur invitis parentibus. Respondetur, quòd si parentes directè subjiciantur jurisdictioni Ecclesiæ, cujusmodi sunt quotquot Christianam profitentur fidem, suntque baptizati, licèt hæretici sint, vel Apostatæ, vel Schismatici; possunt eorum filii; si in potestatem Ecclesiæ venerint ipsis parentibus invitis baptizari: quia Ecclesia habet jus in ipsos parentes; quos potest compellere, ut veram profiteantur fidem, eámque servent, proinde potest etiam ipsos adigere, ut sinant suos filios baptizari, quapropter si habeat in sua potestate ipsos infantes; qui nascuntur ex parentibus baptizatis, quia etiã tales parvuli sunt subditi Ecclesiæ, possunt baptizari. Neq; obstat inde oriri periculũ, quòd & ipsi parvuli, cùm ad usũ pervenerint rationis, deficiant à verá religione, ac imbuantur impiis parentũ moribus; quia tametsi hoc periculum possit adesse; possunt tamen & ipsi parvuli etiam ante usum rationis decedere; ac æternam consequi salutem.

Rursus possunt etiam ad tempus invincibili ignorantia excusari, dum pravis doctrinis imbuuntur à parentibus. Possunt itidem faciliùs ad veram fidem redire, si ipsis innotescat, quòd fuerint à Ministro Catholico baptizati. Infantes itidem infidelium, qui tantùm politicè subjiciuntur Principibus Christianis, possunt etiam invitis parentibus baptizari, quia Principes ut Dei Ministri possunt adigere subditos ad legum divinarum observantiam, proinde etiam compellere infideles, ut propriis infantibus baptismum procurent; & si negligant, possunt etiam illos punire violenta abstractione prolium: quod tamen cautè debet fieri, ne parentes in odium religionis Christianæ suos occidant pueros, antequam baptismum suscipiant: quod si hoc periculum non adsit, tenentur Principes per se loquendo, ut Ministri Dei, procurare, ut parvuli illi baptizentur; & hæc sententia est probabilis, quam propugnat Scotus in *4. dist. 4. q. 9.* Gabriel *q. 2. art. 3. dub. 5.* Lorca *2. 2. q. 10. disp. 37. art. 12. conclus. 2.* 8

Sed contraria sententia videtur communior, 9 & juxta praxin Ecclesiæ, quæ nunquam procuravit, ut infantes infidelium; qui subjiciuntur Principibus Christianis; hoc modo baptizarentur; cùm tamen potuisset id facilè eis persuadere, quapropter censet Ecclesia, id non expedire; & fortassis ne graviora mala inde sequantur; nec occidant filios ex metu, ne sibi eripiantur, & ne turbulentiori odio exardeant contra religionem Christianam, & inde impediantur multorum infidelium conversiones; quapropter in abstrahendis parvulis à parentibus consultiùs est cautè procedere.

Cæterùm filii infidelium mancipiorum pos- 10 sunt etiam invitis parentibus baptizari: siquidem licitum est dominis separare parentes servos à filiis; & illos vendere, aut alia ratione uti jure dominii: & eo ipso, quòd infantes separantur à parentibus; non subjiciuntur illorum regimini, nec est ampliùs periculum, ut ab iisdem pervertantur; consequenter cessant rationes, ob quas non licèt baptizare infantes infidelium invitis parentibus. Imò censent plures, non esse illicitum dominis vendere servos infideles ex intentione, ut separentur à filiis, & isti absque ullo periculo baptizentur; quia hac in re utuntur jure dominii: hinc si in bello justo capiantur infantes infidelium, qui propterea sunt separati à gubernatione parentum; possunt illis invitis baptizari.

Quæritur tertiò, an Pontifex possit concede- 11 re laico, ut in casu necessitatis ministret solemniter sacramentum baptismi. Respondetur communiter affirmativè, quia ritus baptizandi

cum

cum solemnitate non est de jure divino, sed Ecclesiastico, & summus Pontifex in jure Ecclesiastico potest dispensare. Neq; obstat, quòd in catechismo Romano de sacramento baptismi §. *jam verò*, dicatur quòd tale munus sit propriè solius Diaconi, cui propterea cùm ordinatur ab Episcopo, dicitur, quod debeat baptizare. Nam exinde tantùm sequitur, esse proprium Diaconi, ut possit ex commissione solius sacerdotis solemniter baptizare, quia id non possunt præstare reliqui Diacono inferiores, nisi ex commissione summi Pontificis, qui propterea etiam Laico potest committere, ut in casu necessitatis possit solemni ritu conferre baptismum.

12 Cæterùm posse in casu necessitatis parvulos baptizari etiam à proprio Patre, vel matre, & inde hos non amittere jus petendi debitum conjugale, declaravit Joannes VIII. & refertur in *can. ad lumina 30. q. 1.* & habetur etiam in rituali Pauli V de ministro baptismi : eadem ratione possunt parentes urgente necessitate exercere circa proprios filios munus patrini, non contracta cognatione spirituali, quam extra casum necessitatis contraherent in probabiliori sententia. Quòd si laicus existens in peccato mortali deberet in casu necessitatis parvulum baptizare, teneretur priùs sacramentaliter confiteri, si posset id commodè præstare, vel saltem priùs elicere actum contritionis, nè irreverenter se gereret circa sacramentum, quod ministrat. Licèt probabile sit, laicum baptizantem in casu necessitatis in statu peccati lethalis non peccare mortaliter, eò quia tunc non baptizat ut Minister ex officio, sed tantùm subvenit necessitati.

13 Quæritur quartò, an ex suppositione, quòd non adsit præceptum divinum naturale, imò nec positivum de sumendo sacramento confirmationis, possit Pontifex præcipere, ut à fidelibus hoc sacramentum sumatur. Respondent communiter affirmativè ; quia defactò Pontifex præcipit, ut qui ordines Ecclesiasticos sunt suscepturi, non initientur prima tonsura, quin priùs sacramentum confirmationis susceperint, ut habetur in Concilio Tridentino *sess. 23. c. 4. de reformat.* est autem doctrina recepta in materia de legibus ex Panormitano, ut verba imperandi in actu exercito habeant vim legis, ac præcepti : siquidem præcepta superiorum ordinariè feruntur per talia verba imperandi in actu exercito. Tum quia verba Concilii videntur sufficientia ad imponendum præceptum , ac inducendam gravem obligationem. An verò , qui non suscepto sacramento confirmationis si ordinibus Ecclesiasticis initiaretur , peccaret lethaliter, affirmant plures.

14 Hinc Prælati collaturi primam tonsuram diligenter inquirunt, an initiandi sacramentum susceperint confirmationis, imò solent etiam exigere documentum susceptæ confirmationis à proprio Prælato. Tum quia si non esset peccatum grave negligere susceptionem sacramenti confirmationis, posset quis non confirmatus promoveri absque gravi culpa, etiam usque ad Episcopatum, & tunc alios confirmare, quod gravissimum foret inconveniens ; nec sine notabili scandalo audiretur, quòd Episcopus confirmaret, cùm non esset ipse confirmatus. Tum quia plus est conferre sacramentum confirmationis, quam tenere in confirmatione : atqui non desunt, qui doceant, eum peccare mortaliter, qui non confirmatus, tenet alterum in confirmatione; ergò à fortiori graviùs peccaret, si non confirmatus, alios confirmaret.

Quæritur quintò , an possit Pontifex dispensare, ut parvuli confirmentur ante usum rationis. 15
Respondetur affirmativè ; quia quòd infantes non nisi post usum rationis suscipiant hoc sacramentum est de solo jure Ecclesiastico, in quo potest Pontifex dispensare. Tum quia tempore Apostolorum hoc sacramentum ministrabatur cum baptismo, vel post baptismum, sed ante usum rationis, qui mos perseveravit etiam post Apostolos, ut refert Tertullianus *lib. de baptis. lib. 7. & 8.* & constat ex Innocentio I. in epist. ad Decentium *c. 3.* quæ incipit *de confirmandis verò infantibus.* Et hic mos conferendi infantibus baptismum, & confirmationem simul viget etiam nunc in Græcia, & Æthiopia, ut refert Jeremias Patriarcha Constantinopolitanus *respons. 1. c. 2.* Et reverà si infantes censentur capaces baptismi, videntur etiam esse capaces confirmationis, cujus beneficio augetur in ipsis gratia, cū quâ si decesserint antè usum rationis majus consequuntur gloriæ incrementū.

Verùm consultiùs statutum fuit, ut sacramentum confirmationis non conferretur, nisi post usum rationis: nec est par ratio de baptismo, quia sacramentum baptismi est simpliciter necessarium ad salutem, non ita confirmatio, quæ eatenus tempore Apostolorum, & etiam post ipsos per plures annos conferebatur cum baptismo, quia tunc qui baptizabantur, ut plurimum erant adulti, hæcque causa fuit, cur hæc duo sacramenta simul ministrarentur. Cùm verò numerus fidelium crevisset, & baptismus statim ministraretur parvulis recèns natis, sacramentum confirmationis cœpit conferri post usum rationis, ut desumitur ex Concilio Aurelianensi in decreto, quod exstat apud Gratianum in *c. ut jejuni de consecrat. dist. 5.* ubi statuitur, ut non confirmentur, nisi constituti in perfecta ætate : qualis fuerit hæc perfecta ætas, discrepant authores, aliqui censent, fuisse ætatem duodecim annorum, alii decem : sed hodie ex catechismo Romano *c. 12.* infantes ante septeñium non confirmantur ; unde septennes censentur perfectæ ætatis in ordine ad susceptionem hujus sacramenti. 16

An verò etiam sine Pontificis dispensatione possint infantes confirmari nondum septeñes ex justa aliqua causa? affirmant nonnulli asserentes causas sufficientes esse, si Episcopus sit per plures annos absuturus, & non sit alius, qui hoc sacramentum ministret, si infans versetur in mortis periculo, & Episcopus velit ad ipsum accedere, ut notavit Innocentius Papa epist. ad Decentiū. Si infans sit filius alicujus magni Principis; & demum si adsit consuetudo, quâ infantes nondum septennes confirmentur. Imò si Episcopus confirmaret infantem ante usum rationis, etiam absque ulla justa causa probabile est, non peccaturum nisi venialiter , ut docent plures cum Suarez *3. p. tom. 3. disp. 35. sect. 2.* 17

Quæ-

18 Quæritur sextò, an si confessio sacramentalis non fuisset à Christo præcepta, sed tantùm instituta, posset Pontifex eam præcipere. Respondetur affirmativè, quia supposito, quòd Christus eã instituerit, & non præceperit, sed tantùm in libera voluntate hominum reliquerit usum hujus sacramenti, & præceptum ejusdem; posset Ecclesia confessionem præcipere, quia id non videtur excedere ejus potestatem: quia hoc sacramentum consistit in actibus exterioribus, cùm sit signum sensibile rei sacræ nos sanctificantis, & quamvis exigat actum internum contritionis, vel attritionis; quia tamen hujusmodi actus necessariò, & essentialiter nectitur cum confessione illa externa, & sensibili, ideò Pontifex præcipiendo directè externam confessionẽ, potest indirectè præcipere actum internum contritionis, vel attritionis: quemadmodum Ecclesia directè præcipit interesse sacro diebus festis, & indirectè attentionem, & devotionem necessariam, ut auditio missæ debito modo contingat, licèt attentio, & devotio sint actus interni, qui sub sensus non cadunt.

19 Si dicas, Ecclesiam non posse instituere sacramenta, proinde nec ea præcipere, si Christus illa non præcepisset. Contra est, quia eatenus nequit Ecclesia sacramenta instituere, quia eorum institutio pertinet ad potestatem excellentiæ, quam Christus, cujus est propria non cõmunicavit Ecclesiæ: secus præcipere sacramentum jam institutum à Christo non pertinet ad potestatem excellentiæ, cùm sit quid minus, quàm sacramentũ instituere; quâ ratione Ecclesia in Concilio Trid. *sess. 23. c. 4.* præcepit, ut initiandi prima tonsura sacramentum priùs susciperent confirmationis, licèt hoc sacramentum Ecclesia non instituerit. Neque urget, Ecclesiam non posse judicare de actu interno contritionis, vel attritionis, quia sufficit, si possit judicare de ipso actu externo, cui internus necessariò nectitur, quâ ratione potest etiam præcipere orationem, tametsi non possit cognoscere omnem internam conditionẽ requisitam ad orationem: tunc enim directè præcipit actus externos, & indirectè internos.

20 Quæritur septimò, an defectò adsit in Ecclesia hoc præceptũ de usu confessionis sacramentalis distinctum à præcepto añuæ communionis. Respondetur affirmativè ex præcepto lato ab Iñocentio III. in Concil. Lateran. & refertur *in c. de pæn. & rem. 11.* ubi habetur: *omnis utriusq; sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere*: expresè præcipitur usus annuæ confessionis: postea præcipiens usum Eucharistiæ, seu cõmunionis in paschate, subdit. *Suscipiens reverenter ad minus in paschate Eucharistiæ sacramentum.*

21 Neq; dici potest exinde non colligi præceptum añuæ confessionis, eò quia Pontifex tantùm suadeat non præcipiat fidelibus usũ hujus sacramenti. Nam cùm Pontifex dicat; *confiteatur* utiq; hoc verbum cùm sit imperativũ, importat præceptum, quo legislator suum imperium intimat subditis; & cùm sit de re gravissima spectante ad salutem animæ, utique obligat etiam sub reatu culpæ gravis præter pœnam temporalem, quam Pontifex ibi transgressoribus decernit.

Neque ullum facessit negotium, quod respon- 22
det Durandus *in 4. dist. 17. q. 14.* Ecclesiam non posse præcipere, quod non potest cadere sub ejus judicium, eò quia cuilibet legi conveniat vis coërcitiva, quâ possit legis transgressores punire, & Ecclesiam non posse judicare de omnibus peccatis mortalibus, cùm sint interna hominum secreta. Nam contra est, quià tametsi Ecclesia non possit judicare de peccatis purè internis, nihilominus judicat de ipsa externa confessione, & externis peccatis: & quia peccata interna necessariò & essentialiter nectuntur cum actu exterioris confessionis; ideò Ecclesia præcipiens directè externam confessionem præcipit indirectè confessionẽ omnium peccatorum internorum: non est necesse ut omnes actus requisiti ad confessionem cadant sub judicium Ecclesiæ; sed sufficit, si apti sint, ut possint sub tale judicium cadere: & hanc aptitudinem habent omnia peccata interna, & occulta, quatenus possunt sensibiliter aperiri in confessione. Tũ quia præceptum añuæ confessionis obligat ex præcepto divino, & modificatur per præceptũ Ecclesiæ, proinde tenentur fideles aperire in confessione omnia peccata tametsi occultissima; cùm illorum judex sit Deus, qui est scrutator cordium; est enim præceptum confessionis de jure divino quoad substantiam rei præceptæ; quia Ecclesia tantùm determinavit temp⁹, quo divinũ præceptũ esset executioni mandandũ

Quæritur octavò, an Pontifex possit præcipe- 23
re confessionem venialium, & num eam defactò aliquibus præceperit. Respondetur, Ecclesiam posse etiam præcipere confessionem venialium, seu ut fideles confiteantur venialia, si sint iñunes à lethalibus, adeò ut præceptum añuæ confessionis etiam obliget carentes mortalibus: siquidem Ecclesia potest præcipere absolutè añuam confessionem, proinde, qui carent mortalibus, tenentur confiteri venialia, adeò ut fideles saltem indirectè obligentur ad confessionem venialiũ, quia præceptum directè obligat ad confessionem, cujus aliqua materia est sacerdoti exhibenda, & cũ venialia sint materia sufficiens, sia bsint mortalia, sunt venialia aperienda in confessione, quòd si hæc non essent perpetrata ab ultima confessione adhuc essent subjicienda clavib⁹ Ecclesiæ venialia quæ jã quis fuerat confessus. Non tamẽ videtur Ecclesia posse præcipere, ut fideles confiteantur omnia venialia, sive sola sint, sive cũ mortalibus, quia Ecclesia in actus exteriores non habet potestatem nisi indirectè, quatenus sunt necessarii ad confessionem externam; ad quam non requiruntur omnia venialia, sed tantùm aliqua; & cum venialia non sint materia necessaria, sed tantùm sufficiens, adhuc sacramentum sortitur suum valorem. Quamobrem potest Ecclesia præcipere confessionem venialium, eò quia hæc sit valdè utilis profectui spirituali: & ex eo quòd præcipiatur hæc confessio, non mutatur materia sacramenti pœnitentiæ, sed tantùm præcipitur materia, quã Christus liberam reliquit absque præcepto.

Imò Pontifices defactò præcepisse aliquibus 24
hanc confessionem venialium liquet ex *Clement. ne in agro dominico de statu Monachorum*: ubi præcipitur Monachis Benedictinis, ut singulis

mensibus confiteantur, tametsi regulariter contingat, eos non habere nisi peccata venialia. Fuit enim illa clementina edita, & ordinata ab Ecclesia ad profectum spirituale sacri Ordinis S. Benedicti, ad quem profectum maximè potest conducere confessio venialiū, ut quisq; præparet Christo animam suam sponsam non habentem maculam neque rugam. An verò tale præceptum obliget sub peccato mortali? Sotus in 4. *dist. 10. q. 1. art. 4.* negat, quia ex qualitate pœnæ infertur gravitas culpæ, & in clem. exigua pœna injungitur transgressoribus talis legis. Tū quia Confessio venialium versatur circa materiam levem, proinde præceptum, quod versatur circa talem confessionē non videtur obligare sub pœna culpæ gravis: hæc sententia est perquam probabilis. Putārim cum Hurtad. *disput. 7. diffic. 8.* tale præceptum obligare sub culpa gravi, etiam quando sunt sola venialia: quia tametsi materia remota confessionis, tunc sit levis; nihilominus ipsa confessio, quæ est materia proxima ipsius præcepti est gravis, & quidem magis quàm auditio missæ, cùm per sacramentalem confessionē conferatur augmentum gratiæ. Est enim distinguenda in hoc sacramento materia remota à proxima; licet remota, cùm Monachi solùm commiserunt venialia, sit levis, seu ipsum peccatum veniale: materia tamen proxima, quæ est confessio sacramentalis ipsius peccati venialis, est gravis; propterea præceptum cadens super hanc materiam proximam, videtur graviter obligare.

25 Quæritur nonò, an possit Pontifex totaliter abrogare præceptum confessionis sacramentalis. Respondent communiter negativè, quia præceptū absolutè confitendi peccata in articulo mortis, & quoties iminet tale periculum, est præceptum divinum, quod non potest ab Ecclesia abrogari. Semel, quod Christus instituerit hoc sacramentum, & non statuerit tempus, quo debent fideles illo uti; obligat ex Christi institutione, quoties iminet periculum mortis, quia tunc tenetur quisque se Deo reconciliare, & cùm inferior non possit abrogare legem superioris; neq; Ecclesia tale præceptum. Tum quia ut rectè notat Sotus in 4. *dist. 18. q. 1. art. 5.* confessio est taliter instituta à jure divino, ut sit pars essentialis sacramenti pœnitentiæ: atqui Ecclesia non potest destruere fundamenta Ecclesiæ, nec illa immutare; sed tantùm potest statuere circa modum, & ritus ministrandi, & suscipiendi sacramenta. Tum quia nunquam dari potest rationabilis causa abrogandi totaliter præceptum confessionis ob ingentem utilitatem, quā toti affert Ecclesiæ, & singulis fidelibus sacramentaliter confitentibus; unde talis abrogatio cederet in destructionem Ecclesiæ, non in ædificationem illius, & summus Pontifex abuteretur potestate sibi à Christo immediatè collata, quia illam converteret in destructionē, non in ædificationem: quapropter abrogatio foret injusta, & Pontifex graviter peccaret.

26 Cæterùm potest Pontifex abrogare præceptum annuæ confessionis, & determinare aliud tempus quo fideles confiteantur, ut communiter docent Canonistæ, & Theologi; quia hoc præceptum annuæ confessionis est Ecclesiasticū, ut constat ex *c. omnis utriusq; sexus de pœn. & rem.* proinde potest ab Ecclesia abrogari, quia res per quascunq; causas nascitur, per easdē dissolvitur, non tamen censerem, posse summum Pontificem rationabiliter dispensare cum aliquo, ut per totam vitam non confiteatur, neque à fortiori potest dispensare rationabiliter cum aliqua integra Provincia, quia ut rectè docet Suar. *tom. 4. de pœn. disp. 36. sect. 1.* dispensatio ut sit legitima exigit causam legitimam, & rationabilem, & in hac dispensatione nulla videtur posse legitima, ac rationabilis causa occurrere. Cæterum ad vitanda majora scandala posset summus Pontifex cum aliquo dispensare ab annua confessione.

Quæritur decimò, an possit Pontifex dispensare cum aliquo, ne confiteatur ante comunionem sed tantum eliciat actum contritionis, si sit in statu peccati lethalis. Probabilior sententia est negativa, quam propugnant Suarez *tom. 3. q. 80. a. t. 5. disp. 66. sect. 3.* Sotus *in 4. dist. 12. q. 2. art. 4.* Valentia *tom. 4 disp. 6. q. 8 punct. 3.* Canus *relect. de pœnit. p. 5.* & alii plures: cò quia hoc præceptum fuit à Christo institutum, & per Apostolos Ecclesiæ traditum: hinc D. Paulus 1. ad Corinth. 11. ait: *probet autem se ipsum homo*, quod à Concilio Tridentino intelligitur de præcepto confessionis: siquidem Apostolus præmiserat: *ego enim accepi à Domino, quod, & tradidi vobis*, si enim accepit à Domino, ergo fuit institutum à Christo, & per Apostolum promulgatum Corinthiis. Tum quia hoc idem constat ex traditione Ecclesiæ, quæ de hoc sacramento semper ita intellexit, & semper servavit, & ex aurea regula tradita ab Augustino *lib. 4. de bapt. contra Donatistas c. 24. in princ.* quod universa tenet Ecclesia, nec à Conciliis institutum est, sed semper retentum, non nisi authoritate Apostolica traditum, rectissimè credimus. Per illa verba *traditum Apostolica authoritate* Augustinus intelligit, quòd sit institutum jure divino, & tale est præceptum de præmittenda confessione ante Eucharistiam. Tum quia ratio ipsa naturalis hoc suadet, siquidem conveniens est præmissio sacramentalis confessionis, ut cū debita præparatione sumatur Eucharistia. Neque sufficit, si comunicans confiteatur, ut sit in gratia; sed etiam, ut sit in gratia convenienti modo Ecclesiæ, & erat id, quod intelligebat D. Paulus, cum scripsit ad Corinthios: *Probet autem se ipsum homo*: cū igitur hoc præceptū docuerit D. Paulus, & ipse testetur, se illud accepisse à Domino, non est censendum præceptum Ecclesiasticum, sed divinum. Tum quia Apostoli non fuerunt conditores, sed tantū promulgatores legis; nec est veri simile, D. Paulū voluisse statim Corinthiis onus imponere sacramentalis confessionis, si non fuisset à Christo institutū.

Quæritur undecimò, an summus Pontifex possit præcipere, vel prohibere actus internos, ut conjunctos alicui actui exteriori, tametsi talis conjunctio non sit per se necessaria ad aliquod esse morale actûs externi, sed tantùm per accidens ex arbitrio operantis? Probabilior sententia, quàm docent Sotus *lib. 10. de institut. q. 5. art. 5. conclus. 7.* Navarrus *de horis canon. c. 13. n. 18.* & alii plures, est affirmativa, & probatur ex usu Ecclesiæ præcipientis hoc pacto; vel prohibentis actus internos simul tum

tum externis; ut colligitur ex variis juribus, præsertim ex *Clement. 1. §. verùm de hæred.* ubi inquisitores ex odio, vel intentione turpis lucri omittentes contra justitiam, & conscientiam procedere contra aliquem in causa fidei anathemate percutiuntur; ex *Clement. 1. de statu Monach. §. quia verò nonnulli*, ubi Monachus Benedictinus se conferens sine licentia ad curiam Principis animo accusandi Prælatum, excommunicatur, non ita si careat tali intentione, ex *c. commissa §. cæterum de elect. in 6.* ubi punitur, qui recipit beneficium parochiale sine intentione suscipiendi debitum ordinem intra annum. Ex *c. dolentes de celeb. miss.* & *clement. 1. eod. tit.* ubi Clericis præcipitur recitatio attenta, & devota divini officji. Ex *c. 17. dist.* 30. ubi excommunicatur, qui ex contemptu, vel interna superstitione jejunium Ecclesiasticum non servaverit, aut die dominico jejunaverit, & non aliter: & nihilominus talis contempus est tantùm activus interior. Demum etiam ex *c. omnis utriusq. sexûs de pœnit. & remiss.* cum enim ibi præcipiatur annua confessio, præcipitur indirectè dolor necessarius, & confessio actuum internorum.

29 Tum quia Pontifex potest præcipere sacerdoti non solùm, ut sacrificet in altari, sed etiam ut applicet sacrificium pro tali speciali defuncto; licèt applicatio interna non sit necessaria ad esse morale actûs externi, seu sacrificii. Tum quià videbatur omninò convenire, ut hæc potestas communicaretur Christi Vicario, pro majore directione fidelium in ordine ad æternam salutem, ut etiam ad majorem observantiam legis divinæ, quæ per actus internos efficaciùs promovetur: quemadmodum ob eandem rationem expediens erat, ut illi communicaretur potestas irritandi vota fidelium.

30 Quamobrem liquet, Pontificem posse præcipere, vel prohibere actus internos, ut conjunctos alicui exteriori, tametsi illa conjunctio non sit per se necessaria, ad aliquod esse morale externi actûs. Hinc Pontifex potest punire censuris annuam confessionem sacrilegam ex defectu doloris. Hinc si Pontifex ferret excommunicationem contra eos, qui in paschate sacrilegè confitentur, & ut nequeant sacramentaliter validè absolvi, incurrerent isti censuram.

31 Quæritur duodecimò, an Pontifex possit sibi reservare peccata venialia. Respondetur probabiliùs affirmativè, non tamen, quòd adigerentur fideles ea aperire in confessione, sed quatenus non possent de ijs confiteri, nec directè absolvi, nisi ex licentia summi Pontificis, ut docent de Lugo de *pœnit. dist. 20. sect. 2. n. 12.* Hurtadus *dist. 11. de pœnit. difficult. 4.* Coninc. *de Sacrament. disp. 8. dub. 11. n. 80.* & plures alii asserentes, posse sumum Pontificē peccata venialia sibi reservare; ita tamē, ut hæc reservatio non inducat obligationem absolutam aperiendi venialia in confessione: siquidem ad Sacramentalem absolutionem etiam à venialibus requiritur jurisdictio, quæ in probabiliore sententia non est ordinaria, sed delegata, seu concessa ab Ecclesia, ut notat Suar. *de pœn disp. 26. sect. 5. n. 9.* adeò ut Ecclesia possit eam pro libitu concedere, vel negare, vel etiam immutare, prout magis ipsi libuerit, quia jurisdictio delegata dependet à voluntate delegantis; proinde potest Pontifex negare hanc jurisdictionē omnibus sacerdotibus absolvendi ab aliquibus venialibus, & ea ita sibi reservare. Non tamen simplex sacerdos potest ab aliis inferioribus Prælatis tali jurisdictione privari, quia cùm quilibet sacerdos nullâ impeditus censurâ ex generali concessione Ecclesiæ habeat jurisdictionem in omnia peccata venialia, etiam sensibilia, quæ possunt ab Ecclesia judicari, non potest hac potestate privari, nec potest in ipsis hæc potestas restringi à particularibus Prælatis, quia isti communem Ecclesiæ concessionem limitare non possunt. Quamobrem solus summus Pontifex potest in sacerdotibus hanc jurisdictionem restringere, & sibi reservare aliqua peccata venialia, quæ cadant sub sensus.

An verò possit etiam summus Pontifex sibi reservare peccata lethalia interna; negant plures: sed probabilior sententia affirmat, quia non minus requiritur jurisdictio in Confessario ad absolvenda peccata interna, quàm externa: unde si summus Pontifex neget omnibus sacerdotibus jurisdictionem absolvendi ab aliquibus peccatis mortalibus internis, remanet hæc jurisdictio in solo Pontifice, à quo tantùm possent absolvi, cùm peccata non absolvantur, nisi ab habente jurisdictionem: quamobrem licèt de facto non soleant Pontifices sibi reservare peccata mortalia purè interna, possunt tamen, si velint ea sibi reservare. Hinc si Pontifex vellet sibi reservare consensum voluntatis in hæresin, reservatio suum sortiretur valorem, & hæresis licèt mente tantùm concepta non posset absolvi nisi à solo Pontifice, & in aliis inferioribus sacerdotibus jurisdictio quoad hæresin mente conceptam esset sublata. Tum quià reservatio alicujus peccati interni non est pœna, sed tantùm limitatio jurisdictionis in foro pœnitentiali, & hæc limitatio non pertinet ad jurisdictionem fori contentiosi, quæ non extenditur ad actus purè internos; sed ad solum summum Pontificem; qui potest restringere jurisdictionem in omnibus sacerdotibus in ordine ad absolvendum à peccatis: & licèt potestas absolvendi à peccatis in sacramentali confessione sit à Christo; nihilominus quoad exercitium dependet à Pontifice, à quo pro bono regimine Ecclesiæ potest restringi, ac limitari. 32

Hinc si simplices sacerdotes, ut probabiliùs docent plures, non habent potestatem absolvendi à venialibus ex jure divino, sed tantùm immediatè ab Ecclesia, potest summus Pontifex auferre à simplicibus sacerdotibus jurisdictionem absolvendi à peccatis venialibus: siquidem absolutio à peccatis sive hæc mortalia sint, sive venialia semper exercetur per modum judicii, ad quod requiritur necessaria jurisdictio ordinaria; vel delegata in ipso judice, seu Ministro ut expressè declaravit Tridentinum *sess. 14. c. 7.* & cum in simplici sacerdote jurisdictio absolvendi à venialibus non sit ordinaria, cùm simplex sacerdos non sit Pastor, nec Prælatus, est tantùm delegata ab ipso summo Pontifice, qui eam pro libito potest auferre. 33

Tum quià nemo habet jurisdictionem ordinariam in sacramento pœnitentiæ, qui aliunde 34

non habeat aliquam superioritatem, & jurisdictionem circa subditos, quia judicium non exercetur nisi circa subditos: atqui simplex sacerdos nullā habet superioritatem, neque subditos; proinde non habet jurisdictionem ordinariam, sed tantùm delegatam, quæ potest auferri à summo Pontifice. Cæterùm quia ex hac reservatione venialium quasi nulla oriretur utilitas, & aliunde nō videtur materia digna reservatione, quæ tantùm solet adhiberi ad graviora peccata coërcenda, non reservantur cōmuniter peccata venialia.

35 Quæritur tertiò decimò, an tota jurisdictio, & potestas absolvendi à peccatis detur sacerdotibus à sumō Pontifice: adeò ut absolutio tradita à sacerdote non approbato à Papa, vel ordinario in ordine ad audiendas confessiones sit nulla? Certum est, sacerdotem non posse validè absolvere à peccatis mortalibus non antea absolutis, nisi sit approbatus ab ordinario; quia præter ordinationem sacerdotalem in Ministro requiritur etiam jurisdictio, quam debet accipere ab ordinario, cùm simplex sacerdos non sit Prælatus, nec habeat subditos, in quos possit exercere jurisdictionem: absolvere enim à peccatis est actus judicii, & supponit in judice, seu sacerdote absolvente jurisdictionem: hæc enim semper fuit praxis Ecclesiæ, & apertè definitur in Concil. Trident. *sess. 14. c. 7.* & hac ratione probatur etiam consuetudo reservandi aliqua peccata, quia ordinarius potest limitare jurisdictionē subdelegatā, quam confert sacerdoti, quem approbat ad confessiones audiendas; siquidem ob bonum regimen suæ diœcesis potest aliquos casus sibi soli reservare.

36 Difficultas est, an possit Pontifex annullare confessionem factam apud confessarium non approbatū, tametsi pœnitens bona fide fuerit confessus, & respondetur affirmativè, adeò ut pœnitens si fuerit bona fide confessus apud sacerdotē ab Episcopo non approbatū, teneatur iterum eadem peccata confiteri, statim ac ipsi innotescit, quòd talis sacerdos non fuerit approbatus: siquidem potest Ecclesia exigere in sacerdote conditionem aliquam, quâ non positâ non sit capax jurisdictionis ad absolvendum: potestas enim absolvendi à peccatis in foro conscientiæ fuit à Christo collata dependenter à suo Vicario, facta prohibitione, ne ullus sine licentia superioris absolvat; quo fit, ut jure divino requiratur talis facultas, seu licentia, quæ obtinetur per ipsam approbationem, adeò ut hæc sit conditio sine qua sacerdos nequeat absolvere à peccatis mortalibus, aliàs non confessis.

37 Si dicas, quemlibet sacerdotem in sua ordinatione accipere potestatem remittendi peccata ut liquet ex forma illa: *accipe Spiritum S. quorum remiseris peccata, remittentur eis*, & cùm hæc potestas detur illimitatè, sequitur, quemlibet sacerdotem jure divino, seu ex institutione sacerdotii facta à Christo habere potestatē remittendi peccata respectu cujuscunque: & potestas, quæ est de jure divino non potest ab Ecclesia impediri, quin validè exeat in actum, si pœnitens sit dispositus; tametsi sacerdos peccet, si contra prohibitionem Ecclesiæ, aliquem absolvat in hoc sacramento.

38 Verùm licèt sacerdos in sua ordinatione accipiat hanc potestatem remittendi peccata, adhuc tamē requiritur jurisdictio, ut possit absolvere à peccatis; quam cū non habeat ab Ecclesia, non potest absolvere à peccatis absque licentia Ecclesiæ, seu Papæ, vel Ordinarii. An verò sacerdos accipiat hanc jurisdictionem videtur esse difficultas, plures censent, talem jurisdictionem esse ipsum characterem sacerdotalem, & per Ecclesiam non tribui quidquā sacerdoti, quod se teneat ex parte causæ efficientis; sed tantùm per ipsam applicari materiam, seu subjici personas, in quas sacerdos jus possit in hoc sacramento dicere, & absolvere; & in hac sententia tametsi non solum potestas remittendi peccata; sed etiam ipsa jurisdictio sit in sacerdotibus jure divino, adhuc sacerdos non potest actu absolvere, nisi obtineat licentiam ab Ecclesia: siquidem nec potestas, nec jurisdictio possunt exire in actū, nisi Ecclesia applicet materiā, seu subjiciat personas absolvendas, & cū applicatio dependeat ab Ecclesia; ideò sacerdos nō nisi dependenter à Papa, vel ordinario potest in foro pœnitentiæ absolvere. Præterea quia licèt potestas, & jurisdictio sint de jure divino, adhuc Ecclesia ad validitatem actus talis potestatis potest exigere aliquam conditionem, sine qua actus non sortiatur suum valorem: sicuti sacramentum matrimonii licèt sit de jure divino, non tamen contrahitur validè sine præsentia Parochi, aut alterius sacerdotis de ipsius Parochi licentia cum duobus, vel tribus testibus, ut liquet ex Concil. Trident. *sess. 24. c. 1. de reform.* & hæ conditiones fuerunt appositæ ab Ecclesia; quia ante Concilium Tridentinum non requirebantur: unde sicut Ecclesia ad valorem sacramenti matrimonii potest exigere aliquas conditiones; ita pari ratione ad validitatem sacramenti pœnitentiæ potest requirere approbationem Episcopi, quæ antea non requirebatur.

Alii censent, unumquemque sacerdotem in sua ordinatione accipere quidem potestatem, & jurisdictionem, sed in habitu tantùm, non verò in actu; adeò ut non possit illam exercere, nisi dependenter ab ipsa Ecclesia: & in hac sententia nec potest simplex sacerdos tametsi in sua ordinatione acceperit potestatem remittendi peccata, & etiam jurisdictionem actu absolvere, nisi dependenter ab Ecclesia, adeò ut sine impetrata licentia à Papa, vel Ordinario non possit sacerdos validè absolvere à peccatis mortalibus, quæ antea non fuerunt absoluta. Alii asserunt, sacerdotem in sua ordinatione accipere tantùm potestatem remittendi peccata, non verò jurisdictionem, quam volunt de jure divino competere solis Episcopis, à quibus confertur sacerdotibus inferioribus, ut possit suos subditos absolvere; & hæc sententia differt à præcedente, quia in illa sacerdos habet potestatem, & jurisdictionem ordinariam, seu sibi datam de jure divino; in hac verò habet tantùm potestatem ordinariam, & jurisdictionem delegatam, & sola potestas est in simplici sacerdote de jure divino, non verò jurisdictio. 39

Alii cum Amico *tom. 8. disp. 15. sect. 2. n. 10.* censent, quemlibet sacerdotem in sua ordinatione accipere completam potestatem absolvendi sacramentaliter à quocunq; peccato, non tamen absolutè, sed conditionatè, nisi Ecclesia id prohibeat. Verùm hæc sententia mihi displicet; quia for- 40

ma

ma ordinationis est absoluta, dicitur enim: *accipe Spir. S. quorum remiseris peccata, remittentur eis.* Si enim hæc potestas daretur conditionatè, non statim sacerdos illam acciperet, sed deberet expectare purificationem conditionis: siquidem quæ conferuntur conditionatè, non possidentur, nisi posita conditione: & omnes Theologi docent, sacerdotem in sua ordinatione ex vi præfatæ formæ accipere potestatem remittendi peccata: ergo hæc potestas accipitur absolutè, & non conditionatè, nisi Ecclesia prohibuerit.

41 Quamobrem mihi videtur dicendum probabilius, sacerdotem in sua ordinatione accipere quidem absolutè completam potestatem absolvendi à quocunque peccato quoad habitum, non verò quoad ipsum actum, ut censent plures cum Navarro *in sum. c. 4. n. 3.* quia Christus, cùm instituerit suam Ecclesiam ordinatè, & voluerit ejus regimen esse monarchicum, ita instituit sacerdotes, ut isti dependerent, quoad munia sacerdotalia obeunda à suo Vicario, adeò ut nullus sacerdos validè posset exercere hanc completam potestatem absolvendi à quocunque peccato nisi dependenter à summo Pontifice: hoc enim videbatur exigere perfectum, & monarchicum regimen, ut inferiores non operarentur, nisi dependenter, & de licentia superioris. In hac sententia commodè salvantur omnes difficultates: siquidem intelligimus, quomodo sacerdos in sua ordinatione acceperit completam potestatem absolvendi à quocunque peccato, & nihilominus non absolvat validè, nisi priùs obtinuerit licentiam à suo Ordinario.

42 Secundò esto, in ipso Ecclesiæ exordio omnes sacerdotes jure divino absolverint quoscunque pœnitentes voluntariò se submittentes à quibuscunque peccatis, ut tradit Cajetanus *tom. 1. opusc. tract. 7.* & liquet ex *c. placuit, dist. 6.* in quo Urbanus II. prohibet, ne deinceps ulli sacerdoti liceat absolvere absque consensu alterius sacerdotis, cui priùs pœnitens se commiserat: unde supponitur, quod ante talem constitutionem Urbani II. Ecclesia concesserit facultatem, & licentiam cuilibet sacerdoti absolvendi à quocunque peccato quemcunque pœnitentem. Nec ullum facessit negotium, si dicas, Urbanum II. floruisse circa annum Christi 1100. quia etiam Calistus I. & Dionysius I. quorum ille floruit anno 228. & iste 250. statuerant, ne ullus sacerdos subditum alterius parochiæ judicaret: ex quibus infertur; summos Pontifices hanc licentiam subinde concessisse, & postea limitâsse, vel abstulisse, adeò ut hæc potestas quoad actum semper fuerit dependens à Christi Vicario.

43 Rursus intelligitur, quomodo omnes Apostoli jure divino acceperint hanc potestatem absolvendi quoscunque ad se sponte accedentes, nimirum quia illam acceperunt à Christo cum omni plenitudine, & à D. Petro fuit ipsis concessum, ut illam exercerent absque ulla limitatione ad certas personas, vel peccata. Intelligimus etiam, cur omnes sacerdotes in mortis articulo, plenam habeant potestatem absolvendi quoscunque ab omnibus peccatis, quia imminente vitæ periculo Ecclesia concedit licentiam, ut quilibet sacerdos exerceat illam potestatem, quam in sua ordinatione à Christo accepit, ut per hanc concessionem consulat saluti animarum. Demum intelligimus, quomodo sacerdotes habeant potestatem absolvendi quoscunque à peccatis venialibus, imò & mortalibus, si hæc aliàs jam fuerint absoluta; quia cum neutra sit necessaria subjicienda clavibus Ecclesiæ; hæc concedit licentiam, ut quilibet sacerdos circa talia peccata possit exercere illam potestatem, quam in sua ordinatione accepit à Christo.

44 Quæritur quartodecimò, an summus Pontifex possit dispensare in sacrificio missæ, ut aqua non misceatur vino consecrando. Solutio quæsiti dependet ab illa quæstione, an miscere aquam vino in sacrificio missæ sit de jure divino. Censent nonnulli cum Granado *in 3. p. controv. 6. tract. 6. disput. 4. sect. 5.* talem mixtionem esse de jure divino, nititur hæc sententia; primò ex sexta synodo *can. 32* ubi habentur hæc verba: *in omni Ecclesia, ubi spiritualia lumina refulserunt, hic ordo divinitus traditus servatur, ut scilicet aqua misceatur vino in sacramento Eucharistiæ,* & in Concilio Carthaginensi III. *can. 24.* habetur *in sacramentis corporis, & sanguinis Domini nihil ampliùs offeratur, quàm ipse Dominus tradidit: hoc est panis, ac vinum aqua mixtum.* Hinc S. Cyprianus in epist. 23. ait: Dominum, calicem docuisse exemplo magistri sui, vini, & aquæ conjunctione misceri. Secundò quia Christus in consecratione calicis admiscuit aquam vino, & tunc nos docuit modum consecrandi, proinde hæc mixtio est de jure divino. Tum quia peracta consecratione Christus dixit discipulis suis, *hoc facite in meam commemorationem,* unde non solum præcepit illis, quæ ad substantiam sacramenti erant absolutè necessaria; sed etiam, quæ ad ritus maximi erant momenti, & præsertim quæ mysteria continerent, cujusmodi erat mixtio aquæ vino. Tum quia integra calicis consecratio per modum unius peracta fuit, & in illa Christus miscuit aquam vino, proinde hæc mixtio est de jure divino. In hac sententia, quæ probabilior est, & comunior, Pontifex nõ videtur posse dispensare, ut in sacrificio missæ non misceatur aqua vino; quemadmodũ non potest Pontifex immutare, quæ Christus instituit, quoad essentialia.

45 Alii censent miscere aquam vino in calice, non esse de jure divino, sed tantùm præceptum Ecclesiæ, ut putant plures cum Scoto *in 4. dist. 11. q. 6. §. ad secundam quæst. 1.* & hæc sententia videtur esse conformis Concilio Tridentino *sess. 22. c. 7.* ubi habetur: *Monet sancta synodus præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino calice offerendo miscerent.* Verùm inde non evincitur hanc mixtionem non esse de jure divino: quia quæ sunt de jure divino possunt etiam ab Ecclesia præcipi, ex quo non sequitur, quod præcipiantur à sola Ecclesia. Tum quia Concilium asserit, Ecclesiam credere, quòd Christus miscuerit aquam vino: si credit: ergo miscuit, proinde de jure divino. Secundò nititur hæc sententia *can. cùm omne,* ubi dicitur aquam debere permisceri vino in calice juxta Canonũ præcepta, unde supponitur hæc mixtio esse tantùm de præcepto Ecclesiæ. Verùm nec hoc fundamentum est firmum, quia Canones optimè jubent, & præcipiunt exerceri, quæ fuerint in-

stituta à Christo: jubent enim baptizari homines, licèt baptismus fuerit à Christo institutus.

46 Cæterum hæc sententia non caret probabilitate, & eam defendunt, Sotus *dist. 9. q. 1. art. 6. §. colligitur.* Suarez *tom 2. disp. 54. sect. 2.* Vasquez *tom. 3. in 3. p. disp. 177.* Hurtadus *de sacrament. disp. 11. de Euchar. difficult.* 11. Amicus *tom. 7. disp. 16. sect. 4. n. 49.* Præpositus *in 3. p. q. 74. art. 7. n. 54.* & alii, quia licèt Christus miscuerit aquam vino, dicunt id non esse de substantia consecrationis calicis, & Ecclesiam non teneri Christum imitari, quoad omnia, quæ pertinent ad consecrationem, & ministrationem sacramentorum, sed tantùm quoad substantialia: unde concedunt, Christum miscuisse aquam vino; sed negant ad id nos obligâsse. Prior tamen sententia est probabilior præsertim cùm Ecclesia id inviolabiliter semper servaverit, nec unquam voluit Armenis permittere, ut consecrarent in solo vino absque aqua; sicut permisit Græcis, ut consecrarent in fermentato.

47 Quæritur quintodecimò, an possit Pontifex dispensare, ut consecratio Eucharistiæ efficiatur sub unica tantùm specie. Solutio quæsiti etiam dependet ab illa quæstione, an præceptum consecrandi Eucharistiam sub utraque specie sit divinum, vel tantùm Ecclesiasticum. Communior, & probabilior sententia docet, hoc præceptum esse divinum, cui adhærent Suarez *tom. 3. disp. 43. sect. 4.* Cajetanus *in 3. p. q. 80 art. 12.* Vasquez *3. p. tom. 3. disp. 223. c. 3.* Nugnus *in 3. p. q. 74. art. 1.* Coninc *de sacrament. q. 83. art. 1. dub. 5. conclus. 3.* & alii plures, idque etiam videtur colligi ex Tridentino *sess. 22. c. 1.* ubi postquam dixit: Christum sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini obtulisse. Postea subjungit: & ut sub earundem rerum Symbolis, Apostoli, quos tunc novi testamenti sacerdotes constituebat, sumerent, tradidit, & eisdem eorúmque in sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit, dicens: *hoc facite in meam commemorationem*: idem indicatur etiam Lucæ 22. ex quibus Tridentinum infert, Christum præcepisse consecrationem utriusque speciei. Tum quia Christus in consecratione fertur dixisse, *similiter, & calicem*; verbum autem *similiter* præsupponit consecrationem panis, ut sensus sit, sicut consecràvit panem, ita etiam calicem, & hoc totum præcepit Apostolis, ut facerent in suam commemorationem.

48 Ratione hoc idem potest etiam evinci, quia Christus in hac consecratione instituit sacrificium incruentum, quod in sui commemorationem jugiter in Ecclesia fieret, de ratione autem sacrificii est, ut victima immoletur, seu fiat separatio sanguinis à corpore, quando victima alio modo non destruitur: & per consecrationem utriusque speciei fit hæc separatio, quia per consecrationem vini separatur sanguis Christi ab ejus corpore, in qua separatione consistit ratio sacrificii. Tum quia Christus instituit hoc sacramentum Eucharistiæ per modum convivii spiritualis, quo anima reficeretur, & ad rationem convivii, non sufficit solus cibus, nec sola caro, sed requiritur etiam potus; quapropter voluit Christus sub utraque specie hoc sacramentum fieri: sicut igitur utraque species est de integritate convivii; ita pertinet etiam ad integritatem sacramenti.

49 Tum quia Christus Lucæ 22. præcipit Apostolis, & eorum in sacerdotio successoribus, ut offerrent Deo Patri in sacrificium suum corpus, & sanguinem sub speciebus visibilibus panis, & vini: fuit enim hoc sacramentum essentialiter institutum ut sacrificium expressivum realiter cruenti sacrificii crucis, & repræsentans debet exprimere repræsentatum: unde sicut cruentum sacrificium crucis importat realem separationem corporis à sanguine, ita etiam hanc sacramentalē separationem debet exprimere hoc sacrificium incruentum. Neque satis est, sanguinem implicitè repræsentari sub speciebus panis: quia ut sit expressivum cruenti sacrificii, debet utrumque exprimere sensibiliter, & sub forma visibili.

50 Quamvis præfata sententia sit probabilior, & communior, ac propterea sit eidem adhærendum, nihilominus non desunt, qui docuerint oppositum, inter quos recensentur Adrianus *in 4. q. 6. de Euchar.* Major *in 4. dist. 9. q. 3* Fagundez de præcepto Ecclesiæ *precept. 2. lib. 3. n. 5.* & alii. Nititur hæc sententia, ut probet consecrationem sub utraque specie non esse de jure divino, sed tantùm Ecclesiastico. Primò quia Christus in castello Emaus speciem tantùm panis consecravit; & tunc non præcepit consecrationem utriusque speciei, ex quo inferunt, non esse de jure divino, quia Christus non fecisset contra id, quod aliis præceperat faciendum. Secundò quia per consecrationem unius tantùm speciei fit sufficienter commemoratio sacrificii cruenti, eò quia per concomitantiam sanguis habetur in corpore. Tertiò quia legimus, Romanum Pontificem aliquibus Nationibus concessisse, ut sub specie tantùm panis consecrarent; refert enim Volaterranus *lib. 7. Geographia. cap. 4.* Innocentium VIII. id concessisse Norvegis. Quartò quia hoc sacramentum institutum est propter utilitatem animarum, consequenter si aliqua Natio ex defectu vini non posset in utraque specie consecràre, dispensaretur cum ipsa, ne populi illi privarentur utilitate hujus sacramenti. Quintò quia concurrentibus duobus præceptis majus est servandum: & majus est in articulo mortis communicare, quàm in utraque specie consecrare, quia illud cedit in utilitatem animarum. Sextò nonnulli Patres asserunt, Christum communicâsse discipulos euntes in Emaus in specie tantùm panis. Septimò, quia totus Christus continetur sub quavis specie.

51 Verùm hæ rationes non probant consecrationem sub utraque specie non esse de jure divino. Ad primam respondetur, Christum potuisse consecrare solam speciem panis in Castello Emaus, sed tunc non instituit hoc sacramentum, nec præcepit Apostolis, & eorum successoribus modum consecrandi, sed id tantùm præcepit in ultima cœna, quando instituit hoc sacramentum, & præcepit suis discipulis, ut illud facerent in suam commemorationem. Ad secundum respon-

detur

detur hanc commemorationem non fieri sufficienter per sumptionem unius tantum speciei, quia hoc sacrificium repræsentat sacrificium cruentum crucis, cujus est expressivum: & sicut in sacrificio crucis fuit facta realis separatio sanguinis à corpore, ita eadem separatio debet fieri sacramentaliter, seu sensibiliter in sacrificio missæ. Ad tertium respondent plures ob publicam duntaxat utilitatem posse in hoc jure à summo Pontifice dispensari, non per abrogationem juris, sed per interpretationem ejusdem, cui sententiæ adhæret Palaus *tom. 1. disp. 6. punct. 3. n. 6.* ubi censet, posse authoritate Pontificis in una tantùm specie sacrificium offerri, si urgeat aliqua gravissima ratio, & commune bonum alicujus integræ Provinciæ: sed tunc Pontifex non dispensat in jure divino, sed tantùm declarat doctrinaliter, jus divinum ad talem casum specialem non se extendere: subjungit, consecrare in utraque specie non esse per se ex jure divino, sed tantùm ex jure naturali dictante esse Deo sacrificium offerendum integrum, & perfectum: unde si Pontifex permitteret in aliqua Provincia sacrificium offerri in sola specie panis, declararet præceptum naturale sacrificandi integrè non se extendere ad illum casum. Alii tamen censent, neque ob publicam utilitatem posse Pontificem dispensare, ut sub una tantum specie consecretur. Ad quartam licèt hoc sacrificium fuerit institutum ad utilitatem animarum, fuit tamen etiam institutum ad cultum Dei: atqui cultus Dei debet prævalere cuilibet bono non necessario animarum. Ad quintum respondetur, concurrentibus duobus præceptis esse quidem servandum majus, sed negatur esse minus præceptum consecrare sub utraque specie, quia hoc repræsentat sacrificium cruentum crucis, & simul cedit in utilitatem animarum. Ad sextum, licèt Christus communicaverit discipulos euntes in Emaus in specie tantùm panis, inde non sequi, consecrationem sub utraque specie non esse de jure divino, sed tantùm non esse de jure divino, quòd sacerdotes semper debeant communicare sub utraque specie, quo pacto nec sæculares communicant nisi sub unica specie panis, ut etiam sacerdotes in mortis articulo. Ad septimò respondetur, nõ sufficere totum Christum contineri sub utraq; specie, quia tunc sanguis non nisi implicitè repræsentaretur sub speciebus panis; ut è contra, quod non sufficit: quia ut dixi, sacrificiũ missæ est expressivũ cruenti sacrificii crucis: & sicut in hoc, fuit facta realis separatio sanguinis à corpore, ita in sacrificio incruento missæ debet fieri sacramentalis separatio sanguinis à corpore, proinde debet hæc separatio esse sensibilis, & non implicita.

52 Quæritur sextodecimò, quomodo Pontifex potuerit prohibere, ne laici communicarent sub utraque specie. Certum, est non esse de jure divino; quòd laici, & sacerdotes non celebrantes communicent sub utraque specie: siquidem Christus sumentibus unam tantum speciem panis promittit vitam æternam; *si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum.* Hinc Concilium Constantiense *sess. 13.* & Tridentinum *sess. 21. can. 1.* prohibet sub pœna excommunicationis, ne sacerdotes audeant quemquam ex populo communicare sub utraque specie. Neque obstat, quòd gentiles conversi ad Christi fidem communicaverint sub utraque specie: quia id erat illis permissum; eò quia erant assueti bibere de libaminibus idolorum; qui mos postea fuit abolitus. Cæterum fideles consuevisse in exordio Ecclesiæ communicare sub sola specie panis, liquet ex *Act. 2.* ubi dicitur, quòd erant perseverantes in fractione panis; seu in distributione corporis Christi, quòd à fidelibus sumebatur. Tum quia moris fuit antiquissimus, ut in Ecclesia servaretur Christi corpus sub sola specie panis propter infirmos.

Rursus moris etiam fuit, ut viris Eucharistia 53
daretur in manu, & mulieribus in nitidis linteaminibus, quæ dominicales vocabantur; & hujus moris meminit Concilium Altissiodorense *can. 3.* ubi legitur: *unaquæque mulier, quando communicat dominicalem suam habeat; quòd si non habuerit usque in aliam diem dominicam non communicet.* Demum corpus Christi sæviente persecutione dabatur fidelibus, ut domum deferrent; & cùm opus esset, communicarent, nulla prorsus de calice facta mentione: ergo ex his omnibus clarè constat, morem semper viguisse in Ecclesia, ut fideles, non nisi sub specie panis communicarent, licèt ex indulto permissum fuerit, ut sub utraque specie potuerint communicare: ex quo deducitur, non esse de jure divino, quòd laici, & sacerdotes non celebrantes communicent sub utraque specie.

Quòd si dicas, communicantes sub una tantùm specie non implere divinum præceptum, quò 54
dicitur, *nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Respondetur, hoc præceptum sufficienter adimpleri etiam à communicantibus sub una tantum specie, quia cùm sub specie panis ex vi verborum sit corpus Christi, per concomitantiam est etiam sanguis; quia corpus non est vivum sine sanguine, proinde verificatur, quòd manducans corpus Christi, bibat ejus sanguinem, eò quia sanguis continetur sub illa specie panis cum Christi corpore. Neque ullum facessit negotium, si dicas, Christum dixisse, *bibite ex eo omnes,* quasi prævidisset, quòd futuri fuissent aliqui, qui calicem fidelibus adimerent: siquidem sensus illorum verborum *bibite ex eo omnes* est, ut omnes quotquot tunc aderant, biberent ex eodem calice, quia cùm Christus unum tantum porrigeret calicem, ex quo singuli essent bibituri, rectè dixit: *bibite ex eo omnes:* quæ verba non addidit ad species panis, cùm non dixerit *comedite ex eo omnes,* quia scilicet non porrigebat illis unum tantum integrum panem distribuendum per singulos, sed dabat duodecim partes singulis singulas.

Ex eo igitur, quòd fideles laici, & sacerdotes 55
non celebrantes de jure divino non teneantur communicare sub utraque specie, Ecclesia licitè, & justè prohibuit ne laici communicarent sub utraque specie: siquidem pertinet ad summum Pontificem regimen totius Ecclesiæ, & juxta commune ejusdem bonum disponere circa modum suscipiendi sacramenta; ut colligitur ex D. Paulo

Paulo *1. ad Corinth. 4.* ubi ait: *sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & Dispensatores Mysteriorum Dei*, & rursus *c. 11.* postquam plura per epistolam de hoc sacramento ordinasset, subjunxit, *cætera cum venero, disponam*, hoc est quoad modum communicandi: dummodo salvetur substantia sacramenti; ritus, & modus disponitur ab Ecclesia juxta exigentiam temporum, & locorum, ac personarum: hinc baptismus qui usque ad tempora Gregorii Magni conferebatur per trinam immersionem in aquam: nunc fit per solam aspersionem. Fideles olim ter in anno tenebantur sacramentaliter confiteri; & nunc tantum semel. Sacri ordines olim votum non includebant castitatis, nunc est illis annexum. Ante Concilium Tridentinum matrimonia contracta sine parocho, & testibus, ac præviis denuntiationibus habebantur rata; nunc sine præsentia Parochi, & testium irritatur contractus & matrimonium eidem annexum nullius est valoris; eò quia congruebat, ut pro temporum, locorum, ac personarum varietate Ecclesiæ inesset facultas disponendi circa modu ministrandi sacramenta salva semper eorundē substantia; cùm enim circumstantiæ varientur, necessaria erat potestas, quæ pro circumstantiarum varietate posset ritus, & modos accidentales variare in sacramentis suscipiendis, ac ministrandis ad arcenda inconvenientia, & mala, quæ possent oriri.

56 Cæterum Ecclesia ob plures causas, & quidem urgentes prohibuit, ne laici communicarent sub utraque specie. Primò quia cùm moris fuerit in aliquibus Provinciis, ut laici sanguinem sumerent per fistulam argenteam, eis à sacerdote exhibitam, plures arcebantur à communione, præsertim in partibus septentrionalibus ex defectu vini; & fœminæ prænobiles non nisi reluctantes ex eadem fistula sugebant sanguinem, qua aliæ personæ utebantur. Secundò quia subinde Ministri Ecclesiæ in partibus, ubi non sunt vineæ, exigebant pretium pro vino emendo, & pauperes rarius communicabant. Tertiò quia plerumque vinum consecratum effundebatur, & semper aderat periculum, ut aliqua guttula in terram caderet, vel super linteamina: siquidem in tanta fidelium multitudine, & varietate, semper aderat periculum, quòd aliquid sanguinis effunderetur cum maxima sacramenti irreverentia, cùm sanguis semel effusus colligi ampliùs non possit. Quartò etiam ad refellandam hæresin, quā nonnulli asserebant, sub specie panis esse tantum corpus Christi, & sub specie vini tantùm ejus sanguinem, ut fusè refert Bellarminus *lib. 5. de Euchar. c. 28.* Quintò ad refutandum errorem, quòd sola species panis ad salutem non sufficiat, ut habetur in Concilio Constantiensi *sess. 13.* & Tridentino *sess. 21. cap. 1.* Sextò ad promovendam reverentiam debitam huic sacramento; siquidem ob multitudinem, & frequentiam populi vix evitari potuisset frequens sanguinis effusio. Alia plura inconvenientia refert Concilium Basileense in compendiosa narratione de Bohemorum vocatione ad Concilium: siquidem anno quadringentesimo duodecimo supra millesimum, Petrus Erestensis, & Jacobellus Misnensis in Bohemia docebant jure divino præceptam esse communionem sub utraque specie, proinde Romanam Ecclesiam injustè negare laicis usum calicis, ut refert Æneas Sylvius in Historia Bohemorum *c. 25.* Justissimè igitur, & rationabiliter Ecclesia prohibuit laicis, & sacerdotibus non consecrantibus communionem sub utraque specie ob recensitas causas.

Hinc nunquam est licitum laico sumere sanguinem, etiam in articulo mortis, si non posset sub specie panis communicare, & posset sub specie vini; quia cùm hoc sacramentum non sit simpliciter necessarium non obligat, nisi cum debitis circumstantiis ab Ecclesia præscriptis: siquidem præcepta non obligant nisi dependenter ab Ecclesia. Quòd si in aliqua Ecclesia reperiretur vinum consecratum in calice, quod impius aliquis vellet per contemptum effundere in terram; tunc ad tollendum hoc periculum irreverentiæ, ac injuriæ in defectum sacerdotis, posset laicus vinum illud consecratum sumere. Quòd si daretur casus, in quo sumptio sanguinis censeretur necessaria ad salutem infirmi, tunc esset supponendum, quòd sublato omni periculo irreverentiæ Ecclesia annueret tali sumptioni, ut consuleret saluti infirmi. 57

Quæritur decimoseptimò, an Pontifex possit sibi ipsi jus dicere. Respondetur se ipsum non posse à peccatis absolvere, quia eadem persona non potest simul, & semel esse reus, & judex; cæterum potest ex communi thesauro Ecclesiæ sibi applicare indulgentias: secum dispensare, perinde ac cum aliis in legibus Ecclesiasticis: siquidem ut Princeps est supra legem Ecclesiasticam: & sicut Princeps sæcularis potest legitimare filios suos, non ut Pater, sed ut Princeps: ita etiam Pontifex ut supremus Princeps potest secum dispensare in lege, ut notat Barbos. *in c. omnis utriusq. de pæn.* Et licet Canonistæ asserant, Pontificem solutum esse ab omnibus legibus Ecclesiasticis, non tamen id est ita intelligendum, ut sit illi quodlibet permissum; sed tantùm quod ex rationabili causa possit non observare leges. Tum quia illi commendatur, ut se exhibeat formam, & exemplum gregis, & ut quæ alii necessitate præstant, libera eadem ipse exequatur voluntate, ut notat Decius *l. 1. c. p. n. 20.* Alioquin nemo in propria causa dicitur esse judex sui ipsius *c. cùm venissent de judic.* 58

Quæritur decimooctavò, quam summus Pontifex potestatem habeat in Paganos, & infideles. Respondetur, Pontificem posse, imò & debere illis offerre Evangelium, ut ad Christi ovile aggregentur; & si Evangelii Nuntios, & Præcones per injuriam repellant, aut quocunque modo innocentes lædant, potest etiam armis illos coërcere, ac punire, si expediens visum fuerit. Rursus si infideles sive sint Pagani, sive Judæi, temporaliter Pontifici subsint, aut alteri Christiano Principi, adigi possunt ad legis naturalis observationem, & etiam eos punire, si secus fecerint: ut etiam si violent leges à politico magistratu latas. Potest etiam Pontifex, vel alius Princeps licitè illos à Regno, vel Provincia expellere, cum oblata venia eos retinendi, si velint fidem, & baptismum amplecti, ut notat 59

Suarez

Suarez *lib. 4. contra errores Anglorum cap. 6. num. 7.*

60 Quæritur decimononò, quid juris summus Pontifex habeat in animas expiatorio igne purgantes. Respondetur, Pontificem merâ sua voluntate, & arbitrio non posse spoliare purgatorium, sed tantùm mediante thesauro indulgentiarum posse animabus illis opem ferre, & eas è flammis liberare: quia sicut potest liberare à pœna in hoc mundo omnes, si id exerceant, quod ipse mandat; ita posset liberare omnes, qui sunt in purgatorio, si quis id pro eis exerceret, quod Pontifex juberet; qui tamen peccaret, si in discretè concederet has indulgentias: qua ratione Filliucius *tract. 8. de satisfac. c. 9. n. 216.* & alii plures asserunt, Pontificem non posse ad libitum exspoliare purgatorium, licèt, si spectetur potestas Pontificis, & amplitudo thesauri Ecclesiastici, posset Pontifex omnes animas è purgatorio eruere: sed quia ad id etiam requiritur justa causa, & opera debito modo facta à viventibus, ideò casus censetur moraliter impossibilis, quia hæc justa causa non videtur posse dari.

61 Præterea non est omninò certum, an indulgentiarum effectus sit semper infallibilis; plures enim cum Cajetano, & Cano id negant, & ad id evincendum est exemplum obvium; etenim qui pro damnatis ad triremes litrum sufficiens offerret, non propterea ipsum statim liberaret, nisi Dominus liberè tale littum acceptaret: eodem pacto est in libera Dei voluntate positum, ut liberet animas, pro quibus suffragia à fidelibus offeruntur: quapropter effectus indulgentiarum pro defunctis non est omninò infallibilis, quia suffragia tantùm valent per modum impetrationis; & Christus non se obligavit ad semper acceptanda talia suffragia, preces, & orationes, & hæc est ratio, cur pro eodem defuncto plures celebrentur missæ, etiam in altaribus privilegiatis, quibus est annexa indulgentia plenaria cum liberatione animæ è purgatorio: siquidem non sumus certi, quòd Christus statim acceptet talia sacrificia pro tali anima. Neque id potest colligi ex illo Matth. 16. *Quidquid solveris super terram, erit solutum, & in cœlis*, quia verbis illis Petro, & reliquis Apostolis concessa est judiciaria potestas, ut declarat Concilium Tridentinum *sess. 14. c. 6.* atqui judiciaria potestas non pertinet ad defunctos, nec ad illos se extendit. Hinc cessat metus, ne per indulgentias aliquando totum purgatorium exhauriatur.

§. XIII.

De Maioritate Cardinalium.

1 HI, qui in Hierarchia Ecclesiastica primum post Pontificem locum occupant, Cardinales sunt, qui consiliarii Coadjutores, & Administri dicuntur sumi Pontificis in rebus arduis *c. per venerabilem. l. 4. decret. tit. 17.* & à Petro Damiano vocantur oculi Pontificis, & lucernæ splendentes in loco eminenti. Illorum dignitas à Sixto V. æquiparatur Regiæ, & Cardinales æquiparantur Regibus in *constitut. 50. §. Preterea.* Vocantur Cardinales, quasi Ecclesiæ cardines: in cœlo duo poli Arcticus, & Antarcticus vocantur etiam cardines, quia circa illos immobiliter fixos volvitur cœlestis globus. Venti etiam principaliores; & quatuor mundi partes dicuntur Cardinales; ut etiam quatuor principales virtutes, prudentia, justitia, fortitudo, temperantia, & Sanctus Augustinus primarios in aliquo ordine Cardinales vocat: hinc res Cardinales dicuntur, quæ cæteris sunt grandiores, vel eminentiores: quapropter consiliarii, & Administri summi Pontificis vocantur Cardinales ad significandam eorum summam dignitatem, ac supremam eminentiam, qua ratione ab Urbano VIII. titulo eminentissimi insigniti fuerunt, cùm antea non nisi illustrissimi gauderent titulo.

Quæ verò fuerit prima Cardinalium origo, 2
non una est omnium sententia, sed si rem intimiùs introspiciamus, facilè deprehendemus, Cardinales fuisse in Ecclesia etiam tempore S. Petri, cujus Collaterales leguntur fuisse Linus, Cletus, & Clemens: sic sub Sylvestro Papa Victor, & Vincentius præsederunt in Concilio Nicæno cùm tale munus proprium sit Cardinalium: & licèt ante Pontificatum Gregorii Magni non vocarentur Cardinales, quoad rem tamen, dignitatem, & officium fuerunt semper Administri, Consiliarii, Collaterales, quos nunc Ecclesia Cardinales vocat. Quoad eorum numerum, liquet ex historiis anno Christi 1125. sub Honorio Papa 50. fuisse Cardinales, & inde numerum mansisse incertum usque ad annum 1276. quo subiit incrementum; & iterum sub Bonifacio VIII. non nisi 20. fuerunt Cardinales, & in Concilio Constantiensi statutum fuit, ne excederent numerum 24. sed postea Sixtus IV. supra 30. creavit Cardinales, & Alexander VI. usque ad numerum quinquagenarium eos ampliavit, & Leo X. constituit, ut essent sexaginta quinque, quibus Paulus IV. alios quinque superaddidit, & Pius IV. Cardinales habuit septuaginta sex; sed Pius V. demum statuit numerum septuagesimum exemplo Moysis, cui septuaginta seniores fuerunt in adjutorium à Deo dati: & hunc numerum septuagesimum Clemens VIII. complevit.

Hinc est à vero alienum, quod asserunt ali- 3
qui, Cardinales fuisse à Christo Domino institutos in septuaginta duobus discipulis, quos elegit, & ad promulgandum Evangelium, per varias mundi partes emisit: siquidem, si ordines sacri excipiantur, quibus ex Cardinalibus sex primi sunt Episcopi, ultimi Diaconi, & medii sacerdotes, nil ipsis superest, quàm assistere summo Pontifici, negotia Ecclesiæ tractare, ac ea providere, quæ ad totius Ecclesiæ incolumitatem pertinent, quod totum est humani juris. Hinc Cardinales solus Pontifex creat, adeò ut hoc totum Collegium Cardinalium Ecclesiâ viduata Pontifice nullum valeat Cardinalem creare, ut notat Glossa *in clement. ne Roman. V. de elect.* Imò nec à Concilio generali fuit unquam aliquis Prælatus Cardinalis creatus; licèt non desint, qui hanc potestatem ipsi tribuant, ut Flamin.

de resig. lib. 2. q. 1. & Concilium Tridentinum *sess. 24 c. 1.* statuit, ut in electione Cardinalium eadem observentur, quæ in illa Episcoporum circa mores, vitam, ætatem, doctrinam, & reliquas dotes, adeò ut de singulis inquisitio fiat; & non ex una tantùm, sed ex omnibus totius orbis Nationibus assumantur, prout idonei deprehensi fuerint, ut dignitates non hominibus, sed meritis, & virtutibus conferantur. Hinc Sixtus V. in constitutione, quæ incipit *Postquam* etiam statuit, ut Cardinales eligantur ex omni Natione, ut una quæque Natio suum habeat in curia Patrem titularem: convenientiùs tamen, ut notat Joannes Garzias *de nobilitate Hispaniarum*, Glossa *48. §. 3. num. 54.* assumuntur de terris Ecclesiæ, eò quia isti liberiores sint in ferendis suffragiis, & sententiis.

4 Circa ætatem liquet *ex cap. cùm in cunctis de elect.* nullum posse assumi ad Episcopatum ante 30. suæ ætatis annum completum ex Bulla Gregorii XIV. emanata die 15. Maii 1591. ubi expressè exigit in Episcopo annum 30. expletum. Hanc ætatem etiam requiri in eis, qui ad Cardinalatum assumuntur, asserit Cardinalis Paleottus, de sacro Consistorio *p. 4. q. 1.* ubi notat, hoc tantùm procedere de Presbyteris Cardinalibus; quia de Diaconis Sixtus V. *in sua constitutione 50. §. 6.* sancivit, ne quispiam in Diaconum Cardinalem assumeretur, nisi 22. ætatis suæ annum attigerit, adeò ut intra annum ad sacrum Diaconatûs ordinem promoveatur, alias juxta constitutionem Pii IV. caret voce activa, & passiva, & privatur dignitate; quæ tamen omnia procedunt de jure ordinario; quia Pontifex si velit, potest etiam in minore ætate creare Cardinales, ut sæpe contigit, & probat Paleottus *de sacro consist. p. 3. quæst. 4.* & ex Platina observat Mosconius *de majestate militantis Ecclesiæ lib. 1. p. 1. cap. 6.* Gregorium XI. nondum decennem fuisse assumptum ad Cardinalatum. Non tamen semper est necessè, quòd septuagenarius numerus Cardinalium, non excedatur, nec ut semper sit completus, quia pauciores possunt ad omnia munera, & officia sufficere: ut enim ajunt jurisconsulti; non quidquid judicis committitur potestati, illud etiam subjicitur necessitati. Unde Pontifices prout magis visum fuerit congruere, possunt septuagenarium numerum augere, vel minuere, aut non semper creare tot Cardinales, ut talis numerus sit completus.

5 Creatio Cardinalium quamvis unico verbò perfici possit à summo Pontifice, communiter tamen quædam adhibentur cæremoniæ: siquidem absentibus per litteras indicatur promotio, & mittuntur insignia, & postea in curia traditur pileus, & annulus. Totum Collegium Cardinalium non excedens numerum septuagenarium tripartitur in ordines Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, Episcopi sunt sex, Presbyteri quinquaginta, Diaconi quatuordecim, & cuilibet attribuitur propria Ecclesia, quæ est titulus proprius Cardinalis, & in iisdem Ecclesiis habent Cardinales jurisdictionem Episcopalem, ut liquet *ex c. his, quæ b. 1. de major. & obed.* adeò ut possint conferre omnia beneficia, canonicatus, præbendas, & alia officia sive curata, sive non, ut notat Polyd. *de inven. rer. lib. 4. cap. 9.* æstimatur dignitas Cardinalium. Primò ex comparatione cum statu politico, quia status Ecclesiasticus est longè nobilior, & excellentior ob tot Prælatos, qui in eodem fulgent nobilitate, sanctitate, & doctrinâ insignes. Secundò ex officio Cardinalium. Tertiò ex titulis, quibus olim fuerunt honorati: siquidem Constantinus Magnus in suo edicto vocat dignitatem cardinalatus culmen singularis potentiæ, & præcellentiæ. A S. Bernardo *lib. 4. de consid.* vocantur Collaterales, & Coadjutores summi Pontificis. *In decretalibus tit. de elect. in 6.* dicuntur principales Assessores, Consiliarii, & in executione principalis officii Cooperatores. Quartò etiam æstimantur Cardinales ex pluribus privilegiis, & prærogativis, quibus gaudent; siquidem eorum Consilio totus mundus regitur, & sunt cardines, super quibus orbis Machina volvitur: tenent in Ecclesia principatum, ac vices gerunt Apostolorum: eligunt Pontificem, & eliguntur: majoribus præsunt negotiis. Vestiuntur purpurâ, quæ diversarum est virtutum Symbolum, præsertim charitatis, & fortitudinis, ac regiæ potestatis: siquidem purpura est propria Regum, & Cardinales honore sunt Regibus suppares; proinde gaudent iisdem insignibus, ut notat Bozius *de jure status l. 1. c. 13.* Busæus *de stat. Cardinal. c. 2.* & alii.

Officium Cardinalium in duobus præsertim consistit. Primò in demortui Pontificis locum alium eligere, & subrogare. Secundò summo Pontifici assistere, eumque in administranda Ecclesia consilio, & operâ fideliter adjuvare, ut notat Bellarminus *lib. 9. de cler. c. 9.* qua ratione moris fuit, ut Cardinales bis in hebdomade apud Pontificem convenirent; nunc verò semel, vel quoties negotiorum gravitas exigit, hinc Cardinales debent esse Viri singulari prudentiâ præditi, doctrinâ insigniti, consiliis commendabiles, ut in eorum directione, consiliis, possit Christiana Respublica tutò quiescere. Rursus demortuo Pontifice Cardinales Ecclesiam regunt, & administrant, donec alius fuerit subrogatus *c. licèt de elect. c. ubi periculum eccl. sit in 6. c. in nomine dist. 23.* Manet autem suprema Pontificis potestas in Cardinalibus, quasi in radice, seu causa, quatenus ipsi eligunt Papam, non verò ratione actualis jurisdictionis, nec plenitudinis potestatis. Rursus ex constitutione Nicolai II, quæ refertur *in c. si quis pecunia dist. 79.* Cardinales habent potestatem expellendi etiam Pontificem intrusum pecuniâ, metu, violentiâ, aut favore, & alium substituendi; adhibito ad id etiam brachii, sæcularis auxilio. Tempore schismatis pertinet etiam ad Cardinales Concilium cogere, & controversiam dirimere. 6

Præterea solent Cardinalibus comitti legationes cum multis gratiis, & privilegiis, adeò ut Cardinales legati, possint etiã conferre beneficia Ecclesiastica devoluta ad Papam *c. officii de off. legat. in 6.* Item possint absolvere excomunicatos ob injectionem violentam manuum in Clericos. Si mare trajiciant utuntur insignibus sedis 7

Apo-

Apostolicæ: equo albo, si terrestre iter habeant, ut etiam vestibus rubris, fræno, & calcaribus deauratis *c. antiqua de privil.* Barbosa *collect. decis. Apost. n. 131.*

8 Pluribus Cardinales fruuntur privilegiis, siquidem ab omni patria potestate liberantur, Glossa *in extravag. execrabilis de præben.* inter Joan. XXII. Si sint inopes aluntur à summo Pontifice, cujusmodi sunt Cardinales assumpti ex ordinibus mendicantium, & qui carent reditibus, commendarum, & Episcopatuum, ut notat Barbar. *de Cardinal. 6.* nulla sententia suspensionis, vel interdicti quomodocunque promulgata afficiuntur, nisi de ipsis fiat specialis mentio. Nec tenentur regulis Cancellariæ Apostolicæ, ut tradit Felin. *cap. in eos n. 2. de hæred.* Rursus qui Cardinalibus inserviunt, vel subjiciuntur, judicantur à propriis judicibus non à Vicario urbis. Cardinalem, qui offendunt, ut rei læsæ majestatis puniuntur, eò quia sint Cardinales, veluti membra summi Pontificis, propterea sunt etiam ipso jure excommunicati *c. Felicis de pœnit. in 6.* Gaudent etiam Cardinales privilegio militum in condendis testamentis; neque sunt obstricti legibus civilibus, præscribentibus certam formam, ut notat Azorius *tom. 2. lib. 4. c. 3.* Imò consuetudo obtinuit, ut si Cardinalis obviet reo ad patibulum ducto, eúmque vel pileo tegat, vel sua veste cooperiat immunis dimittatur, ut notant Castrensis, Baldus, Panormitanus, Zasius & alii plures, excipiuntur tamen damnati ob crimen falsi, vel hæresis, vel læsæ majestatis, aut quodlibet aliud abhorrendum, & attrox crimen.

9 Non obligantur Cardinales ad residendum in beneficiis assistentes Romæ summo Pontifici, quia tunc perinde se habent ac si residerent: excipiuntur tamen beneficia, quibus est annexa cura animarum juxta præscriptum Concilii Tridentini *sess. 23. c. 1.* & hoc privilegio etiam gaudent familiares Cardinalium. Rursus sunt liberi à solutione decimarum, & obsequio charitativo à Papa imposito, ut notat Lancellotus *l. 2. c. 2.* Tenentur tamen contribuere fructibus beneficiorum pro sustentandis alumnis in seminario in illa Diœcesi ubi erigitur ut statuit Concilium Tridentinum *sess. 23.* A sententia Collegii Cardinalium non datur appellatio. Imò nec ab unius Cardinalis lata sententia in causa, cujus eum summus Pontifex judicem designavit, cum clausula *appellatione remota.* Rursus qui ad cardinalatum promoventur, possunt retinere priora beneficia, Episcopatum, Archiepiscopatum, non tam de jure, quàm de tacito Pontificis consensu, & indulgentia, ut notat Azorius *tom. 2. lib. 4. c. 3. q. 1.* Et S. Sylvester Papa in Romana synodo statuit, quòd si aliquis Præsbyter Cardinalis in grave aliquod laberetur crimen, nonnisi per 44. testes condemnetur, & Diaconi Cardinales, non nisi per 27. qui omnes etiam debent esse absque ulla infamia *cap. Præsul. 2. quæst. 5.* Rursus Præsbyteri Cardinales ex consuetudine possunt minores ordines suis conferre familiaribus, ut communiter notant juris Pontificii periti. Nomine familiarium, etiam veniunt, qui victum, & ministerium aliquod certum à Cardinalibus obtinent, ut decisum fuit à Rota *decis. 584.* Demum est privilegium Cardinalium, quòd summus Pontifex non eligatur nisi ex eorundem Collegio *c. ubi periculum de elect. in 6. can. oportebat dist. 79.* Non tamen repugnat, alium eligere in summum Pontificem, qui non sit de Collegio Cardinalium.

Vestitus Cardinalium alius est ordinarius; alius extraordinarius; ille est rubri coloris; iste violacei, vel mixti ex utroque; materia est lana, & aliquando olosericum; quando utuntur toga violacea, pileus, & reliqua sunt ejusdem coloris: & quando rubra jungitur pileus subrubri coloris cum ornamentis ejusdem generis. Tempore adventûs excepta dominica tertia, & à septuagesima usque ad tempus paschale, feriis sextis, vigiliis, quatuor temporibus, die commemorationis defunctorum, ut etiam in exequiis utuntur habitu violacio ex lana compacto. Quatuor tamen temporibus post pentecosten proximè utuntur rubro colore, ut etiam in festis duplicibus, quæ incidunt feria sexta extra adventum, & quadragesimam, ut etiam in festo annuntiationis B. Virginis, quando celebratur in quadragesima; in vigilia nativitatis dominicæ usque ad octavam Epiphaniæ: à dominica paschatis usque ad Festum SS. Trinitatis, ut etiam per totam octavam corporis Christi, & in festo assumptionis B. Virginis, omnium sanctorum, Patroni urbis Romæ, & Ecclesiarum titularium; ut etiam in die creationis, & coronationis Papæ, in festo cathedræ S. Petri, & in omnibus festis solemnibus, ac diebus publicæ alicui lætitiæ dedicatis: in hisce omnibus diebus colore utuntur rubro; ut etiam quando in Ecclesiâ sua cathedrali, vel titulari resident, vel assistunt divino officio, aut processionibus publicis institutis ob urgentem aliquam necessitatem in prædictis Ecclesiis, dummodo non sint dies exempti. Extra urbem, & Italiam quovis tempore prout magis commodum ipsis visum fuerit, Cardinales legati à latere, rubro, vel violaceo utuntur colore; in diebus tamen jejunii, & indulgentiarum in foro jubilei semper violaceo. Ut etiam in jubileo anni sancti, quando visitant quatuor urbis Ecclesias, eò quia tunc censeatur tempus pœnitentiæ. Quando verò summus Pontifex solemni ritu equitat, ut in festo annuntiationis Virginis Matris, Cardinales mulis vecti tunica induuntur rubra. Extra solemnem equitationem utuntur pallio, & mosseto, supra Roquetum cum pileo coloris juxtà exigentiam temporis. Qui ex ordinibus religiosi promoventur ad cardinalatum, non mutant habitum, & colorem sui ordinis, excepto capucio, & bireto, quæ rubri sunt coloris ex constitutione Gregorii XIV. & quia Roqueto non utuntur in sacris, ejus loco albam induunt. Qui verò assumuntur ex ordinibus Clericorum Regularium, quia isti licèt religiosi adhuc sunt de Clero, vestitu utuntur rubro, sicut cæteri Cardinales, vel violaceo juxta temporis exigentiam. 10

Congregationes Cardinalium plures sunt Romæ pro rerum, causarum, & negotiorum varietate, & gravitate. Prima est illa sancti officii instituta à Paulo III. & confirmata à Sixto V. est- 11

que hæc congregatio præsertim contra hæreticos, & bis in qualibet hebdomade habetur; scilicet feria quarta coram seniore ejusdem congregationis, & feria quinta coram summo Pontifice, Plures in hac congregatione officiales serviunt, ut etiam varii Religiosi, qui sunt ejusdem consultores, vel qualificatores. Secunda pro Episcopis, & Regularibus, in qua judicatur, si quid de jurisdictione, diœcesis, finibus, aliisque id genus inter Episcopos controvertitur, & habetur singulis hebdomadis. Tertia, decreta, statuta, & sanctiones Concilii Tridentini interpretatur, & hæc congregatio habetur coram seniore Cardinalium feria quinta, vel Sabbatho. Quarta est rituum, in qua de moribus Ecclesiæ judicatur, & examinantur processus spectantes ad canonizationes sanctorum. Habetur hæc congregatio semel in mense, nisi quid extra ordinem contigerit. Quinta est fabricæ S. Petri, cui est cura piarum largitionum, ex quibus certam portiunculam Ecclesiæ S. Petri attribuit, & habetur semel in hebdomada. Sexta est fluviorum, Pontium, & his similium, ut conserventur reparentur, instaurentur; & hæc congregatio non habetur, nisi quando necessitas occurrit, nec certus ad deliberandum dies instituitur. Septima quæ non multum distat à præcedente curam gerit pontium, viarum, platearum, & huic præest Sacellanus major, qui quando res urget collegas ad consultandum evocat. Octava est indicis librorum, in illa enim examinantur, approbantur, vel reprobantur scripta sibi commendata, & hæc congregatio cogitur arbitrio Præsidis, quando necessitas urget. Nona est statuum Ecclesiæ, & coalescit ex quatuor, vel sex Cardinalibus, octo, vel decem Prælatis, & celebratur feria secunda, & sexta, agiturque de iis, quæ ad statum Ecclesiæ pertinent. Decima est boni regiminis: audit enim querelas subditorum, qui fortè premuntur; consultat, & resolvit cum supremâ potestate. Undecima est rei nummariæ, & procurat, ne fraudes fiant in commerciis pecuniarum, justitiam administrat, & constat ex quatuor Cardinalibus, & Prælatis Cameræ, cogiturque prout necessitas urget. Duodecima vocatur Episcoporum, in qua comparent aliqui Religiosi, octo, vel decem Cardinales, & alii Prælati, quibus omnibus præest summus Pontifex, & agitur de Episcopis in Italia constituendis: & prævio examine, doctrina, & virtus promovendorum ad Episcopatus exploratur, hujus Congregationis Author fuit Clemens VIII. qui perhibetur, examinâsse etiam per se ipsum eos, qui jus canonicum profitebantur. Decima tertia agit de negotiis, quæ ad Consistorium pertinent, & huic Congregationi præest Cardinalis Decanus, neque cogitur, nisi prout necessitas urget: in hac congregatione deciduntur, quæ summus Pontifex proponit, cujusmodi sunt resignationes Episcopatuum, vel fructuum Ecclesiæ, Abbatiæ Consistoriales, & alia his affinia. Huic Congregationi intersunt plures Cardinales.

§. XIV.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selecta quæstiones pertinentes ad Cardinales.

1 QUæritur primò, an dignitas Cardinalitia sit in Ecclesia post Pontificatum omnium maxima? Respondetur affirmativè, quia si spectemus dignitatem cardinalatûs non datur alia dignitas, quæ sit propinquior Papæ: siquidem dicuntur Cardinales membra corporis summi Pontificis, & specialiter filii Ecclesiæ Catholicæ *c. felicis §. ult. de pæn. in 6.* Præterea Cardinales cum ipso summo Pontifice dicuntur constituere unum corpus mysticum: tametsi summus Pontifex quatenus repræsentat Christum, cujus gerit vices sit caput universalis Ecclesiæ, & singuli fideles dicantur ejus membra in genere: nihilominus est speciale caput Cardinalium, qui specialia membra etiam dicuntur Pontificis respectu cæterorum fidelium; hinc Papa, qui est speciale caput hujus corporis mystici non exigit à Cardinalibus, ut specialibus, suis membris juramentum obedientiæ; & fidelitatis cum sint sibi inviscerati, ut loquitur Hostiensis *in c. antiqua n. 5. V. sed qua potest esse ratio extra de privil.* unde Cardinales tantum jurant, se honorem, & authoritatem S. Romanæ Ecclesiæ, & ipsius Papæ, conservaturos, & promoturos, ut refert Paleottus *p. 1. q. 5. V. quod eò magis.*

2 Neque obstat, quòd dignitas Episcopalis dicatur in Ecclesia prima omnium; quia sicut Presbyter ordinis potestate est Archidiacono superior; sed jurisdictione, administratione, & honoris dignitate inferior: & Presbyter electus; & confirmatus Episcopus, nondum tamen consecratus est Presbytero jurisdictione superior, tametsi ordinis potestate sit par: ita etiam Cardinalis licèt potestate ordinis sit Episcopo inferior; administratione tamen Ecclesiæ est superior, ut docent Bellarminus *tom. 1. lib. 1. de Cler. c. 16. §. quantum ad 3.* Moneta *de jud. confert. c. 5. n. 36.* Loterius *de benefic. tom. 1. lib. 1. q. 8. n. 37.* Manfredus *de Cardinal. c. 6.* & alii communiter.

Quòd si dicas, apud sacros Canones passim legi, nullam in Ecclesia dari dignitatem majorem Episcopali, ut notatur *in c. quoties 1. q. 8.* & *in c. antiquâ de privileg.* Respondetur, sacros canones esse intelligendos de Episcopatu quoad potestatem ordinis, qua ratione dicitur Episcopus major simplici Cardinali, non autem quoad dignitatem administrandi, ac regendi universalem Ecclesiam: cùm enim Cardinales unà cum summo Pontifice gubernent universalem Ecclesiam; ideò quoad administrationem, & regimen sunt majores Episcopis. Cum igitur Cardinales unà cum summo Pontifice regant Ecclesiam universalem, & tractent ejus negotia procul dubio sunt majores Episcopis; siquidem qui majoribus præest negotiis de jure censetur dignior juxta textum *in c. per singulas 2. de ordin. quæst. 3. authent. de defens. civitat. §. nos igitur:* quamobrem ratione regiminis universalis Ecclesiæ, & administrationis dicuntur Cardinales absolutè dignitate præcellere Episcopis, ac

ne esse illis majores. Si urgeas in Concil. Carthaginensi IV. & in pluribus Conciliis Romanis Episcopos præcessisse Cardinales quoad locum, & sedem; & ex ordine sedendi, dignosci majoritatem dignitatis juxta textum in *c. ult. dist. 93.* & *c. ante omnia.* Glossa 40. *dist.* Contra est, quia tametsi olim Episcopi in Conciliis præcesserint; hic tamen ordo fuit postea mutatus, & Cardinales cœperunt Episcopos præcedere in Conciliis, etiam quoad locum, & sedem.

4 Præterea in Conciliis Nicæno, Ephesino, Chalcedonensi VI, VII, & VIII. constat, Presbyteros Cardinales sedisse ante Episcopos, cujus rei duplex ratio assignatur à Bellarmino, quia ad solos Cardinales devoluta est electio sumi Pontificis, cùm antea ad omnes pertineret, proinde non est mirum si nonnunquam Episcopi præcesserint Cardinales, cùm etiam ad Episcopos pertineret electio sumi Pontificis, postquam verò soli Cardinales Pontificem eligunt, isti præcedunt Episcopos etiam in Conciliis, & in quovis alio loco. Secunda est; quia antea non soli Cardinales erant Consiliarii Pontificis: siquidem primis sexcentis; vel etiam octingentis annis Pontifices ad judicanda graviora negotia cogebant Concilia Nationalia Episcoporum Italiæ, in quibus aderant non solùm Cardinales, sed etiam Episcopi; unde cùm tunc temporis Episcopi æquè essent Consiliarii sumi Pontificis; eúmque juvarent in regenda Ecclesia, sicut Cardinales, non est mirum, si nonnunquam præcederent.

5 Cæterùm Eugenius IV. postea statuit, ut Cardinales semper præcederent Episcopos, & dignitate censerentur majores, eò quia sint coadjutores sumi Pontificis, cui assistunt in regenda, & gubernanda universali Ecclesia, & Innocentius III. ex veteri testamento desumpsit, Cardinales debere Episcopos præcedere, eò quia *Deut. 17.* dicatur, ut pro difficultate, & ambiguitate judicii accedatur ad sacerdotes Levitici generis, & judicem, qui fuerit illo tempore; & obediatur ipsorum judicio, qui præsunt loco, quem Dominus elegerit: quæ omnia Innocentius asserit, esse intelligenda de Pontifice; & fratribus ejus; seu S. Ecclesiæ Romanæ Cardinalibus; qui ei jure Levitico in executione sacerdotalis officii coadjutores existunt.

6 Tum quia Cardinales vocantur fratres summi Pontificis *c. fundamenta init. de elect. c felicis §. fin. de pœnis in 6.* ut notant Menochius *cons. 257. n. 25.* Paris. *lib. 3. de resignat. benefic. q. 1. n. 71.* & *lib. 5. q. 6. n. 90.* & quia sunt partes corporis Pontificis sicuti canonici Episcopi, ut notant. Monach. *c. ad succidendos n. 4. de schismate* Abbas *c. Novit. de his, qui fiunt à Prælatis*; proinde sunt invisscerati summo Pontifici ut notat Hostiensis *c. antiqua n. 5. V. sed quæ potest. de privil.* Præpositus *c. quamquam n. 13. V. tertia part. 2. p. 7.* Hinc dicuntur habere identitatem cum summo Pontifice Joannes Andreas *c. Raynut. n. 112. V. Imò de testament.* Jacobatius *lib. 1. de concil. n. 122. V. ad quod est.* Hinc Cardinales jure meritò præcedunt omnes alios Prælatos, Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, tametsi non sint cum summo Pontifice, quia inter fratres non datur locus medius; nec inter membra, & caput sit separatio, ut notant Menochius *cons. 257. n. 24.* Homobonus *de stat. humanæ vitæ p. 1. c. 7. § sunt autem.* Decius *c. ad præsentiam. de appellat.* Cassanæus *in catalogo glor. mund. p. 4. consid. 10.* Eadem ratione etiam Canonici collegialiter debent præcedere Parochos, qui non sunt Canonici.

Quæritur secundò, an Cardinalatus sit ordo, 7
& de jure divino, adeò ut non possit extingui à Pontifice. Censent plures esse de jure divino, ut Matthias Ugonius de *concil. fol. 59. col. 3. § 4.* Turrecremata *lib. 1. de Eccles. c. 80. n. 1.* D. Antoninus *p. 3. tit. 21. c. 1. & 2.* Laudensis *tract. de Cardinal. q. 1. n. 7.* & cæteris fusiùs Albanus *tract. de Cardinal. q. 5.* ut etiam plures alii, qui inferunt, hanc sententiam ex *c. Per venerabilem qui filii sint legitimi §. rationibus*: siquidem Pontifex expressè asserit suos fratres, seu Cardinales in Levitici generis sacerdotibus fuisse adnumeratos: & deducitur etiam ex *c. fundamenta de elect. in 6. §. decet. 1.* Tum quia Cardinales videntur successisse 72. discipulis, qui fuerunt Apostolorum Coadjutores, perinde, ac Cardinales sunt Romano Pontifici à consiliis. Imò Eugenius IV. in epist. ad Episcopum Cantuariensem ait, Apostolos Christo Domino assidentes figuram retulisse Cardinalium, qui Romano Pontifici adstant: & Apostolos in totum orbe terrarum missos ad Evangelium annuntiandum typum fuisse Episcoporum, qui sunt per mundi Provincias distributi. Hinc asserunt, summum Pontificem non posse extinguere ordinem Cardinalium, eò quia sit juris divini præfiguratus in sacerdotibus levitici generis, ad quos simul, & judicem, difficilia, & ambigua judicia referebantur *Deuter. 17.* Summa etiam Ecclesiæ necessitas hunc exigebat Cardinalium ordinem, ut non deessent Consiliarii summo Pontifici: sicut enim Deus olim Moysi adjunxit 70. viros, quibus de spiritu ipsius dedit, ut sustentarent cum eo onus populi, ne ipse solus gravaretur; ita summo Pontifici ad sustentandum onus universalis Ecclesiæ necessarii erant Cardinales, qui ipsum adjuvarent.

Secunda sententia, quam docent Sotus in 4. 8
dist. 24. q. 2. art. 4. Ledesma *tom. 2. p. 4. q. 22. art. 6.* Pallatius *in 4. dist. 24. q. 2.* & communiùs alii, asserit, cardinalatum non esse ordinem, nec sacramentum, quia nullo modo ordinatur ad Eucharistiam, nec confert gratiam. Hinc Suarez de *leg. lib. 4. c. 6. n. 5.* Bonacina *tract. de elect. summi Pontif. disp. 1. q. 1. punct. 1. §. 3.* & plures asserunt, cardinalatum non esse de jure divino institutum, sed tantùm de jure pontificio, eò quia nullibi in sacris litteris reperiatur institutio Cardinalium, nec ulla habeatur traditio de eadem: hinc inferunt Pallatius, Sanchez, & alii, posse Pontificem extinguere omnes Cardinales, eò quia instituti tantùm fuerint à summis Pontificibus.

Verùm mihi videtur procedendum cum di- 9
stinctione; possunt enim Cardinales considerari dupliciter: Primò ut sunt instituti cum titulis Cardinalium, eminentiæ, & prærogativis præcedendi omnes alios Prælatos; ut ipsi soli eli-

gant Romanum Pontificem, suffragium ferant, sententiam dicant, consilia dent, titulos Ecclesiarum in urbe habeant; & sub hac consideratione sunt tantùm juris humani, seu Romani Pontificis, à quo omnes præfatas prærogativas acceperunt, proinde posset ordo Cardinalatûs à Pontifice extingui. Secundò possunt considerari, quatenus simpliciter sunt Administri, & Adjutores, ac Consiliarii summi Pontificis, quem juvant in regimine universalis Ecclesiæ, & sub hac consideratione censerem, esse de jure divino, quia juris divini est, ut summus Pontifex utpote Christi Vicarius habeat Episcopos, Presbyteros, & Ministros tanquam Adjutores: siquidem Ecclesiastica Hierarchia divina ordinatione instituta, constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris. Hinc præscindendo à titulo, & nomine Cardinalis; sub ratione Administri, Adjutoris, Cooperatoris sunt Cardinales necessarii summo Pontifici, & sub hac ratione fuerunt adnumerati in Sacerdotibus, & Ministris Levitici generis, ut innuit Innocentius III. in *c. per venerabilem*. Cæterùm nomen Cardinalium, officium, dignitas, numerus, distinctio titulorum, & alia privilegia, quibus Cardinales gaudent, fuerunt à summis Pontificibus instituta; proinde quoad hæc possunt à proprio officio extingui.

10 Quæritur tertiò, an Pontifex possit ardua Ecclesiæ negotia sine Consilio Cardinalium desinire. Plures negant, inter quos Archidiaconus in *c. sicut quidam 25. q. 2.* & *in c. cùm Redemptor, 12. q. 2.* Dominicus in *c. super eo, de hæret. in 6.* Barbar. *fol. 4. conf. 40.* Albanus *de Cardinal. q. 39.* eò quia Collegium Cardinalium sit in possessione, ne sine eorum consensu summus Pontifex ardua negotia expediat, cujusmodi sunt creare Cardinales, transferre Episcopos, legem generalem promulgare, legatum à latere mittere, bellū indicere, res pretiosiores Ecclesiæ alienare, & alia id genus. Nititur hæc sententia præsertim ex *c. Per venerabilem V. rationibus, qui filii sunt legitimi.* Ubi Romanus Pontifex ait, Cardinales esse conjudices cum Romano Pontifice; perinde ac in *Deuter.* Sacerdotes Levitici erant Conjudices cum supremo judice. Tum quia videntur nunc Cardinales in Ecclesiâ vices gerere Apostolorum.

11 Verùm licèt summus Pontifex non debeat ardua definire in Ecclesia sine Consilio virorum prudentum, ac Ministrorum; non tamen est necesse, ut hujusmodi Consiliarii, & Ministri, quibus utitur Pontifex, sint Cardinales. Potest enim uti consiliis, & ope Episcoporum, Doctorum, & aliorum, pietate, & doctrinâ insignium: cùm enim summus Pontifex ut Christi Vicarius acceperit supremam, & universalem potestatem super omnes à Christo Domino *Joan. 21.* & ipse solus hanc plenitudinem potestatis in Ecclesia habeat, & exerceat, ut constat in *c. multum 2. q. 6. c. cùm ex eo de pœnit. & remiss.* nulla potest Pontifex necessitate adstringi, ut potiùs Cardinalium, quàm aliorum utatur consiliis, & ope in definiendis arduis Ecclesiæ negotiis, præsertim cùm possit contingere, ut Cardinales sint pauci numero, & isti non ita idonei, sicut alii Prælati inferiores, & Doctores. Quòd si Pontificis potestas adstringeretur ad Cardinales maximè ex parte minueretur, nec esset plenitudo potestatis, quia non posset sine Cardinalibus ardua tractare, & definire. Hinc jura passim dicunt, majora Ecclesiæ negotia ad Sedem Apostolicam esse referenda nulla factâ mentione Cardinalium *c. rogamus c. quoties 24. q. 1. c. dudum 3. q. 4. c. Majores de baptis.* Hanc verò Sedem Apostolicam tenere solum Romanum Pontificem evincitur ex textu in *c. hæc est fides 24. q. 1.* Nihilominus quia ad ordinem Cardinalatûs non assumuntur nisi viri pietate, prudentiâ, & doctrinâ insignes, convenientissimum est, ut summus Pontifex in negotiis arduis consilio utatur Cardinalium, ut colligitur ex textu in *c. fundamenta 5. decet. de elect. lib. 6.* ubi habetur: decet Romanum Pontificem per fratres suos sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales libera habere consilia, & Malderus in *p. 2. q. 95. art. 1. fol. 379.* asserit, Papam in rigore non dependere à Cardinalibus in legibus ferendis, & negotiis arduis definiendis, habere tamen ex Dei assistentia; ut non temerè procedat, sed utatur judicio, & consilio virorum pietate, & doctrinâ insignium.

Quæritur quartò, an demortuo Pontifice, Carninales possint leges condere, & alia jurisdictionalia exercere. Respondetur negative, quia id est ipsis prohibitum in *clement. Ne Romani de elect.* ubi irritum statuitur, quidquid potestatis, aut jurisdictionis pertinentis ad Romanum Pontificem, dum vivit, cœtus Cardinalium duxerit exercendum. Et solùm ibi excipiuntur, quæ in *c. ubi periculum de elect. in 6.* ipsis conceduntur, & in hoc capite non conceduntur Cardinalibus, nisi quæ ad electionem Pontificis, ad defensionem Ecclesiæ, quæque ad declinanda imminentia pericula spectant; cæterùm ibi potiùs dicitur, quòd non se immisceant in ullo alio negotio, ut ostendunt Panormit. in *c. cum te. n. 12. & sequent. de re judic.* & ibi Felinus *n. 11.* Imola in *c. translato de constit.* Hoc idem etiam habetur in constitutione Pii V. quæ incipit, *In eligendis.* 12

Nihilominùs si necessitas aliqua urgeret, & Pontifex non posset statim eligi, tunc Cardinales possent Ecclesiæ occurrere, ne grave paterentur detrimentum, ut si immineret evidens periculum amissionis alicujus loci, vel jurisdictionis Ecclesiasticæ; tunc enim consentientibus omnibus Cardinalibus præsentibus, vel saltem duabus eorundem tertiis partibus per suffragia possent statuere quæ necessaria judicarentur ad præcavendum imminens periculum, ut etiam possent statuere opportuna remedia ad coërcenda flagitia, & scelera, & pro servanda quiete; possent enim injungere pœnas tumultuariis, tam corporales, quàm spirituales, veluti anathematis. Ob eandem rationem possent etiam mutare, vel de novo eligere, aut creare quoscunque officiales, etiam ipsum gubernatorem urbis, & alios Ministros, pro regimine status Ecclesiæ. Possunt etiam deputare Administratores, ut faciliùs ea expediantur, quæ imminent pro electione. Rursus possunt judicare Papam intrusum, & interim vacare electioni legitimæ, id enim concernit negotium ipsius electionis, & 13

Pontifex

Pontifex intrusus, aut illegitimè electus non potest ab alio judicari, & ita dicendum de aliis similibus casibus.

14 Quæritur quintò, an Cardinales in conclavi relicto digniore possint eligere dignum in summum Pontificem, quando pars sufficiens ad electionem vult illum in Papam eligere. Respondetur in tali casu posse eligere dignum prætermisso digniore, quia pars sufficiens jam concurrit ad eligendum dignum, & pars sufficiens censetur major, cui minor potest se conformare, ut electio fiat pacificè, ut censent Riccius *p.3. decis. 214. n.3.* Sylvius *2. 2. q.63. art.* 2. & alii plures: An verò peccet Cardinalis dignus si acceptet papatum cognoscens in electione fuisse prætermissum digniorem. Respondet Sotus de *justit. lib.3. q.6. art.*2. non peccare, quia tametsi electus non fuerit dignior, fuit tamen dignus, ut posset eligi; & dignus ratione electionis sibi comparat jus ad proprietatem, & possessionem sumendam præbendæ, proinde facta electione dignus utitur jure suo, si dignitatem acceptet, ad quam fuit electus. Præterea licèt dignior sit præferendus digno, in casu tamen, quo sufficiens pars velit eligere dignum omisso digniore, tunc dignior excluditur ab electione, proinde saltem extrinsecè non est eligibilis: qua ratione alii electores se conformantes majori parti non omittunt in electione digniorem, cùm hic excludatur à parte sufficiente ad electionem, ratione cujus non est amplius eligibilis, proinde, etiam si servanda esset justitia distributiva in electione, possent eligere dignum cum parte sufficiente, & maiori, quia justitia distributiva obligat tantùm secundum subjectam materiam; scilicet ad servandum jus iis, quibus debetur, & potest servari; non verò iis, quibus non potest servari, unde Cardinales non tenentur eligere digniorem, si iste excludatur à parte sufficiente ad electionem, & concurrente ad dignum, quia tunc electio non est facienda de digniore, sed tantum de digno. Unde si pars sufficiens ad electionem omisso digniore, vult dignum eligere, stante hac determinatione dignior non est eligibilis, & eligibilitas trahitur ad proximè dignum. Neque obstat juramentum de eligendo digniore, quia intelligitur non de digniore simpliciter, sed de digniore, qui est eligibilis, ut notat Sotus *lib. 3. de justit. & jur. q. 6. art. 2. post conclus. 9. in dub. 2.* & ratio est, quia cùm juramentum de eligendo digniore sit in ordine ad praxin, debet procedere de electione dignioris, prout potest ad praxin reduci.

15 Quæritur sextò, an si Ecclesia vacaret, tempore, quò Concilium generale est congregatum, electio summi Pontificis pertineret ad generale Concilium, vel ad solos Cardinales. Contigit casus tempore Concilii Constantiensis, & res ex communi consensu fuit pacificè conclusa: sed quid dicendum sit de jure, est aliqua difficultas; aliqui distinguunt, & volunt electionem pertinere ad Cardinales, si sedes vacet per obitum, vel renuntiationem: Secus si vacet, eò quia Pontifex sit ab ipsa sede depositus, vel quia sit hæreticus, vel intrusus, vel ejus electio irrita, ac propterea ab ipso Concilio declarata nullius valoris, dicunt tunc electionem pertinere ad ipsum Concilium; quia cùm Concilium habeat potestatem deponendi Pontificem deprehensum hæreticum, quod est plus *c. si Papa. dist. 40.* multò magis pertinet ad Concilium eligere Pontificem, quod est quid minus, quàm illum deponere, ut liquet ex *l. Non debet §. eod.* & ex *regul. cui licèt de regul. jur. in 6.* Tum quia potestas conferendi videtur illi concessa, cui conceditur potestas auferendi *L. Nemo, qui condemnare §. de regul. jur.* Tum quia eatenus electio Pontificis committitur Cardinalibus, eò quia non semper cùm moritur Pontifex, potest concilium generale congregari, neq; id expedit. Cæterùm si Concilium jam sit congregatum, videtur ad ipsum pertinere, Pontificem eligere.

16 Verùm communior, & vera sententia est, etiam quando Concilium est congregatum pertinere ad solos Cardinales eligere summum Pontificem, sive Sedes Apostolica vacet per obitum, sive per renuntiationem, vel quovis alio modo: quia jura nulla adhibita distinctione, dicunt ad solos Cardinales pertinere Pontificem eligere; & quando jura non distinguunt, nec nos debemus distinguere. Neque Concilium generale potest hanc potestatem auferre Cardinalibus, quia hanc non acceperunt à Concilio, sed à summo Pontifice approbante Concilio, ut constat ex *c. licèt. c. ubi periculum de elect. in 6.* Quòd si aliqua urgeret ratio, ac justissima subesset causa, ut hæc potestas eligendi Pontificem à Cardinalibus auferretur pro illa vice, eò quia ipsi, vel inter se dissentirent, vel indignum vellent eligere cum maximo Ecclesiæ damno; tunc posset Concilium generale, ne tota Ecclesia hoc detrimentum pateretur, illis adimere potestatem eligendi Pontificem pro illa vice. Si enim Cardinales essent suspecti de hæresi, & defactò elegissent aliquem hæreticum, quem Concilium generale declarâsset depositū à Pontificatu, & Cardinales vellent alium suspectum de hæresi eligere, utiq; in hoc casu Conciliū generale posset ipsis adimere talem potestatē eligendi, & tunc pertineret ad Conciliū generale Pontificem eligere.

17 Quæritur septimò, an Cardinales habeant jus convocandi Concilium generale. Respondetur cum distinctione, si sit in Ecclesia schisma, & non possit declarari, quinam sit verus, ac legitimus Pontifex, tunc possent Cardinales convocare Concilium generale, quia in tali casu sunt in Ecclesia cæteris majores, & post summum Pontificem funguntur suprema dignitate; tunc enim pertineret ad Concilium declarare, quinam esset legitimus Pontifex; etsi neuter deprehenderetur legitimus, pertineret ad Cardinales, per canonicam electionem legitimum Pontificem eligere. Cæterùm extra tempus schismatis, & nulla urgente gravissima alia necessitate, censerem, non posse Cardinales convocare Concilia generalia: ratio mihi videtur perspicua, quia Concilii generalis intimatio est propria summi Pontificis, ad quem pertinet Concilium generale congregare, approbare, confirmare, adeò ut Concilium sine Pontificis authoritate nullius sit valoris, tametsi in Concilio esset agendū de incapacitate ipsius Pontificis, ut desumitur ex *c. Concilia dist. 17.* ubi narratur, quòd Symmachus Papa diffamatus, de qui-

busdam

busdam criminibus cùm esset, & Theodorus Rex Romam veniens Concilium congregaret, ut ea examinarentur, quæ Pontifici objiciebantur; tunc Episcopi in Concilio congregati responderunt, non pertinere ad Concilium judicare de Pontifice, eò quia non sit judex Pontificis, nec ullam in ipsum habeat jurisdictionem.

18 Quæritur octavò, an Cardinales possint sine scrupulo tacere, quando aliquid non benè determinatur. Communior sententia est non posse tacere, quia cùm sint de Collegio tenentur in conscientia consulere bono Ecclesiæ, proinde ex vi proprii officii impedire quantum possunt, ne quidquam perperam determinetur in detrimentum Ecclesiæ *argu. c. 1. de iis, qua fiunt à majore parte Capituli*. Cæterùm si qui loqui tenetur silet in sui præjudicium, censetur tunc consentire *l. de etat. §. qui tacuit. ff. de interrogat. & Reg. qui tacet. de regul. jur. in 6.* Hinc Cardinales tenentur totis viribus obsistere, si deprehenderint aliquid determinari contra honorem, & utilitatem Ecclesiæ. Neque urget, quòd major pars Collegii contrarium approbet, quia si veritatem procerant, debent confidere, esse alios in suam sententiam adducturos *argu. l. si tres ff. de arbit.* Tum quia veritati nunquam debet locus deesse, ut ait jurisconsultus in *l. fin. §. de probat.* Tum quia qui veritate nititur, Deus fert illi opem, ne aliquod ipsi damnum obtingat. Verùm cum Azorio *p. 2 lib. 4. c. 3. q. 17.* distinguendum est: si enim quod determinatur, est certè, & evidenter contra commune Ecclesiæ bonum, tunc Cardinales non possunt in Consistorio tutâ conscientiâ tacere veritatem, quamvis sciant, hanc odium parituram: sin autem res sit dubia, & major pars Cardinalium contrariæ sententiæ suffragetur, tunc possunt alii majori parti se conformare, & sententiæ contrariæ adhærere, quia faciliùs in rebus dubiis possunt pauci errare, quàm multi.

19 Quæritur nonò, an si aliquis uxoratus promoveretur ad cardinalatum opus esset, ut ejus uxor ingrederetur religionem, vel satis esset, si remaneret in sæculo cum voto castitatis, sive in juvenili, sive in senili esset ætate. Respondetur cum Manfredo de *Cardinal. decis. 213.* Cardinalem non posse esse uxoratum, neque ullum uxoratum posse promoveri ad cardinalatum, nisi ejus uxor religionem profiteatur, quia ut habetur in *c. sanè de convers. conjugat.* ut maritus promoveatur ad Episcopatum, necesse est, ut ejus uxor in aliqua approbata religione professionem ejusdem emittat: & hoc idem videtur dicendum de uxorato promovendo ad cardinalatum, quia cardinales in suis propriis titulis, habent jurisdictionem episcopalem. Verùm mihi non videtur par ratio, quia tametsi Cardinales in propriis titulis jurisdictionem habeant Episcopalem, non propterea sunt Episcopi, nec ullum recipiunt characterem episcopalem, imò nec sacerdotalem, si assumeretur uxoratus in Cardinalem Diaconum, unde ex *d. c.* sanè non videtur argumentum militare de Cardinali, unde fortassis sufficeret, si uxor Cardinalis remaneret in sæculo cum voto castitatis, quia de jure non plus requiritur, ut vir ad sacros ordines promoveatur. Tum quia textus Alexandri III. in *c. conjugatus de convers. conjugat.* in quo agitur de aliis ordinatis, tantùm exigit, ut uxor illius, qui promovetur ad sacros ordines profiteatur continentiam: siquidem ibi dicitur, *nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus*, ubi Glossa explicat, maritum absolvi ab uxore continentiam profitente, quando hæc simpliciter vovet castitatem. Hinc est discrimen inter uxorem mariti, qui vult profiteri religionem, & alterius, qui fit promovendus ad cardinalatum; siquidem uxores eorum, qui ad religionem transeunt nisi senes sint, tenentur religionem profiteri *c. cùm sis de convers. conjug.* Secus uxores eorum, qui ad ordines tantùm assumuntur, sufficit, si voveant simpliciter castitatem.

Quæritur decimò, quibus privilegiis gaudeant Cardinales quoad celebrationem missæ in suis capellis. Respondetur, Capellanos Cardinalium posse in Capellis eorundem palatiorum ante auroram, & post meridiem tam pro dominorum suorum servitio, quàm familiæ, sed orùm celebrare quia id est concessum Regularibus S. Dominici, & S. Francisci, ut per tres horas ante solis ortum possint celebrare, ut liquet ex eorum privilegiis, proinde censetur etiam concessum ipsis Cardinalibus ut in propriis palatiis possint eorum Capellani saltem ante auroram missam inchoare, tametsi non adsit Cardinalis: quia hoc privilegium est mixtum, proinde licèt absit persona Cardinalis, adhuc convenit loco respectu familiarium, ut notat Diana de *potest. Cardinal. resolut. 49. n. 25.* Tum quia Episcopus potest dispensare cum suo Capellano, ut missas celebret juxta Episcopi privilegiu, & cùm Episcopus possit ante auroram celebrare, ita potest hanc facultatem suo Capellano concedere; proinde etiam Cardinalis, qui majori gaudet privilegio. Hinc familia Cardinalis ex eo, quòd diebus festis intersit missæ, quæ celebratur etiam ante auroram, vel etiam post meridiem in capellis, seu oratoriis, quæ sunt in palatiis ejusdem, satisfacit præcepto Ecclesiæ, quia privilegium dicitur commune domino, & familiaribus. Tum quia Cardinalis respectu suæ familiæ dicitur Pastor, & Episcopus, ut notat Laudensis de *privil. Cardinal. q. 17.* proinde possunt illud munus per se, vel per alios exercere. 20

Hinc in Capella Cardinalium eorum domestici satisfaciunt præcepto de audiendo sacro diebus festis, ut constat ex *c. omnis utriusque sexûs*. Et sicut horis antelucanis possunt Cardinales permittere, ut in sacellis proprii palatii missæ celebrentur à propriis Capellanis, ita etiam post meridiem, quia potest Episcopus in casu particulari dispensare cum suo Capellano, vel alio sacerdote, ut sentit Filliucius *tom. 3. tr. 1. c. 4. n. 113.* & communiter asserunt, Cardinales gaudere privilegio celebrandi ante auroram, & post meridiem, adeò ut possint missam inchoare infra horam post meridiem ex aliqua causa. Possunt etiam plures missæ à diversis Capellanis in eadem Capella palatii celebrari, quia Capellæ Cardinalium sunt instar publicæ Ecclesiæ, & parochialis respectu dominorum, & familiæ, 21

nec

nec indigent, ut visitentur ab ordinariis, vel in urbe à Domino vices gerente, sed sunt eo ipso approbatæ: gaudéntque etiam ex consueta largitione summi Pontificis indulgentiis, quibus stationales Ecclesiæ in quadragesima pro eorundem familiaribus. Tertiò etiamsi Cardinalis absit, sitque in aliam urbem profectus, etiam durante ejus absentiâ adhuc possunt in dicta Capella missæ celebrari, quia quoties non relinquit domicilium, sed adhuc retinet palatium, est propria capella Cardinalis, & gaudet iisdem privilegiis. Tum quia hujusmodi capella est veluti Ecclesia parochialis familiæ Cardinalis, proinde licèt sit ipse extra urbem, adhuc ejus familia potest interesse sacro in eodē sacello, quia non est major ratio, cur possit in illo celebrari, si adsit in urbe, & non intersit capellæ, quàm si sacrificio non intersit, eò quia sit extra urbem. Tum quia licèt Cardinalis sit extra urbem, adhuc ejus palatium in urbe gaudet eadem immunitate Ecclesiastica, ac si esset in urbe, quia semper est palatium Cardinalis, dummodo alteri non locetur. Tum quia is dicitur habitare in domo, qui pro æquali parte anni in ea habitat, ut notat Glossa in *c. dilectus 2. de rescript. V. domicilium*. Quartò non solùm domestici Cardinalium, sed etiam exteri si sacris intersint in prædicta capella diebus festis præcepto satisfaciunt Ecclesiæ, si in eodem palatio comitentur Cardinalem, vel eidem obsequia præstent; quia capella Cardinalis, est instar Ecclesiæ publicæ, in qua licet omnibus fidelibus audire sacrum diebus festis, & satisfacere præcepto Ecclesiæ. Præterea quia hoc nullo jure prohibetur; nec est de natura prohibitorum, cùm non sit res mala interesse sacro, proinde videtur concessum *l. 1. ff. de procur. l. quod non. §. quod eis ff. quibus causis majori c. 1. de procur. in 6.* unde quod non est de natura prohibitorum, eò quia malum in se non sit, & nullo jure expressè prohibetur, intelligitur concessum.

22 Quæritur undecimò, an Cardinales Episcopi, & Cardinales legati possint sibi eligere Confessarium, qui à proprio Episcopo non fuerit approbatus. Respondent plures negativè præsertim Azorius *tom. 2. lib. 4. c. 6. quæst. 10.* quia privilegium eligendi sibi Confessarium concessum Prælatis etiam inferioribus *in cap. Ne pro dilatione de pænit.* suum sortiebatur valorem ante Concilium Tridentinum; non post: quia Tridentinum *sess. 23. c. 15. de reform.* statuit, nullum etiam Regularem posse confessiones sæcularium audire, etiam sacerdotum; neque idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si istis videbitur necessarium, aut aliàs idoneus, judicetur. Si dicas, Concilium non derogare privilegio Cardinalium; & nomine sacerdotum non intelligi Episcopos, & Legatos, cum isti in pœnis, & odiosis non comprehendantur simplici appellatione sacerdotum. Respondetur, Gregoriū XIII. hac super re consultum respondisse; esse potiùs inhærendum verbis Concilii, quàm Episcopis.

23 Nihilominus contraria sententia est probabilior, cui adhærent Suarez. *tom. 4. in 3. part. disp. 21. sect. 2. num. 6.* Bossius *de Jubilæo sect. 3. cas. 2. §. 4. num. 111.* Toletus *lib. 4. c. 13. n. 5.* Zerolla *part. 2. prax. Episc. V. Episcopus n. 14.* & plures alii. Ratio videtur esse perspicua: quia Cardinales non subduntur Episcopis in foro pœnitentiali, tametsi sint extra diœcesin, seu locum, in quo exercent jurisdictionē: sed habentur tanquam ordinarii in propria familia; proinde non indigent jurisdictione in confessario ei collata à proprio Ordinario; quia eo ipso quòd Cardinalis eligit sacerdotem in proprium Confessarium, illum assumit in propriam familiam; proinde potest illi conferre jurisdictionem in ordine ad audiendas confessiones; unde non est necesse quòd talis sacerdos approbetur ab alio ordinario; quia approbatio est tantùm in ordine ad cōmunicandam jurisdictionem, quam sufficienter Cardinalis cōmunicat sacerdoti, quem deligit in proprium Confessarium. Præterea si deberet approbari ab ordinario, non posset absolvere Cardinalem nisi in virtute jurisdictionis acceptæ ab Episcopo, & cum Episcopus non possit cōmunicare jurisdictionem, nisi ut exercendam circa suos subditos; sequeretur hoc absurdum, quòd Cardinales essent subditi Episcoporum, ac eorundem subjicerentur jurisdictioni.

Neq; fundamentum quo nititur contraria sententia est firmum, quia Concilium Tridentin. non abrogat privilegium concessum *in c. Ne pro dilatione de pœn.* quia inhærendo verbis Concilii decretum debet restringi ad sacerdotes. Non enim nomine sacerdotum possunt intelligi Cardinales; quia licèt hi sint etiam sacerdotes; adhuc tamen ratione dignitatis constituuntur in speciali ordine superiori; proinde non dicuntur comprehendi nomine ordinis inferioris, præsertim in odiosis, quia hæc juxta regulam: *odia, de Regulis juris in 6.* sunt restringenda. Idque vel maximè quando eadem ratio extendi non potest: quia cessante ratione ob quam lex lata est, cessat etiam lex: hinc quia Concilium statuit, nullum Confessarium posse excipere confessiones sæcularium, & sacerdotum, nisi sit approbatus ab ordinario, ea ratione, ut quisque recognoscat suum Pastorem; & ut Confessarius nonnisi cum dependentia ab Episcopo in suos subditos exerceat jurisdictionem, & sacramentum administret pœnitentiæ; & hæ rationes cessent in Cardinalibus eò quia hi non subduntur Episcopis; ideò possunt à Confessario non approbato ab ordinario in sacramento pœnitentiæ absolvi. Hinc patet solutio ad id quod addebatur de Gregorio XIII. qui consultus de hac re fertur respondisse, esse potiùs inhærendum verbis Concilii, quàm Episcopis: siquidem verba Concilii non extenduntur ad Cardinales, cum hi non subjiciantur Episcopis. Præterea Pontificis declaratio non est in authentica forma. 24

Imò etiam Cardinales non Episcopi, & Legati possunt sibi eligere confessarium non approbatum à proprio ordinario ipsius Confessarii; quia hoc privilegium illis convenit *ex cap. fin. de pænit.* quod non censetur revocatum per Tridentinum *sess. 23. c. 15.* quia licèt in executionem hujus decreti revocentur omnia privilegia; non tamen censentur revocata privilegia concessa Prælatis in *d. c. fin.* quia illud comprehendi- 25

henditur in corpore juris; & privilegia comprehensa in corpore juris non revocantur per revocationem generalem; sed debet de ipsis fieri specialis mentio; Glossa *in Authent. qua in Provincia C. ubi de crimine agi opor. V. omni privileg.* quia non sunt pura privilegia, sed canones, nec propriè comprehenduntur nomine privilegiorum. Neque per tale decretum Tridentini censentur revocata tanquam per legem contrariam; quia ut una lex sit alteri contraria debet versari circa easdem res, & personas; unde illud decretum se tantùm extendit ad sæculares sacerdotes, non ad prælatos ordinis superioris, quia odiosa non ampliantur, sed restringuntur. Tum quia omnes Cardinales habent jurisdictionem Episcopalem in suis Ecclesiis titularibus, ut communiter docent cum Felino *in cap. bis quæ 11. de majorit. & obed.* ratione talis jurisdictionis possunt sibi eligere confessarium cum sit jurisdictio approbans Confessarios. Hinc possunt etiam eligere pro tota sua familia confessarium non approbatum à proprio ordinario, quia cum Cardinales sint ordinarii propriæ familiæ possunt etiam pro eadem approbare Confessarium.

26 Neque urget, quòd Episcopi extra propriam diœcesin non possint eligere pro sua familia Confessarium non approbatum ab ordinario loci; siquidem est discrimen, quia familia laica Episcoporum extra diœcesin subditur in foro pœnitentiali ordinario loci: non ita familia Cardinalium, eò quia Cardinales ubique locorum semper sunt ordinarii respectu propriæ familiæ, quia cùm sint Prælati universales, participantes cum summo Pontifice in regimine universalis Ecclesiæ, sintque membra Pontificatûs, cujus ipse est caput, ideò jurisdictionem, quam semel habent, semper retinent in quovis loco, quia semper sunt membra pontificatûs, & participant cum summo Pontifice in regimine universalis Ecclesiæ: secus Episcopi sunt prælati particulares, qui non habent jurisdictionem nisi intra propriam diœcesin.

27 Quinimò etiam, qui sunt de familia Cardinaliū possunt sibi eligere Confessarium de licentia ipsorum Cardinalium, licèt ab Ordinario loci non sit approbatus: quia cùm Cardinales sint ordinarii propriæ familiæ, possunt unicuique de familia tribuere hanc facultatem; debet tamen familiaris actu esse de familia Cardinalis, & cum illo, quia si moreretur in alio loco, ubi Cardinalis non habet familiam, non posset uti tali facultate. Neque Cardinalis potest concedere hanc facultatem alicui ex familia indefinitè; sed tantùm pro eligenda determinata persona: quia hujusmodi concessio est simul approbatio idoneitatis personæ eligendæ ad ministrandum sacramentum pœnitentiæ: & non potest approbare, nisi determinatas personas, alioquin si indefinitè concederet hanc facultatem eligendi hos, vel illos; posset quilibet, sive idoneus, sive non, audire confessiones sui familiaris, quod non potest concedi, sicut non potest approbari; qui non est idoneus. Cæterùm Confessarius electus à familiari Cardinalis, potest ejus Confessiones audire, etiam extra domum Cardinalis; quia tametsi jurisdictio ministrandi sacramentum pœnitentiæ sit in ordine ad personas locales, non tamen est alligata loco: quia familiares Cardinalium etiam extra domum eorundem subjiciuntur Cardinalibus; proinde sunt de eorum jurisdictione, quod non contingit, quando quis de una diœcesi transit in aliam.

Quæritur duodecimò, quid Cardinales possint in propriis suis titulis. Certum est, eos habere in iisdem Ecclesiis jurisdictionem Episcopalem Forensem, ut notant, Felin. & Butrius in *c. bis, quæ 11. h.t.* & Imola in *clement. ne Romani de elect.* hinc possunt conferre omnia beneficia, canonicatus, præbendas, & alia officia, quibus est annexa cura animarum: siquidem Sixtus IV. amplissimū illis concessit privilegium, ut conferre possint omnia beneficia sita in Ecclesiis, quas vel jure tituli, vel commendationis, aut administrationis habent, non obstantibus exspectativis, & reservationibus, nisi vacent in curia. Cæterum jure communi summus Pontifex, quia est urbis Episcopus, habet potestatem conferendi omnia beneficia, quæ sunt in urbe: sed concessit Cardinalibus jus conferendi beneficia suorum titulorum, præter quam jus trium Ecclesiarum, quarum tres Cardinales sunt Archipresbyteri. An verò possint in suis titulis dispensare in voto. Suarez de *relig. tom. 2. lib. 6. c. 10 n. 10.* negat, nisi consuetudo in contrarium invaluerit. Verùm cùm Cardinales in suis titulis habeant jura episcopalia, ut liquet ex *c. bis quæ 11. h.t.* censendum est, posse etiam dispensare in voto, quia hujusmodi dispensatio est actus jurisdictionis spiritualis, & ex se non reservatur Pontifici, ut docet ipse Suarez *loc. cit. n. 1.* 28

Hinc possunt etiam excommunicare, suspendere, & interdicere, perinde ac Episcopi, eò quia sint hæc omnia actus jurisdictionis, quam habentes jura episcopalia exercent; ut communiter notant juris pontificii periti, Imola ad *clem. ne Romani n. 23. de elect.* Flaminius *de resignat. benefic. lib. 7. q. 12. n. 107.* Barbosa, & communiter alii. Possunt etiam pontificiis insignibus uti, & benedicendi solemnem ritum, more Episcoporum exercere, ut notat Romanus *consil. 498. n. 11.* Possunt etiam in suis titulis leges ferre ligantes in conscientia. Ut etiam commutare ultimas voluntates, perinde ac Episcopi respectu suorum subditorum: quia in suis titulis habent jurisdictionem episcopalem: & commutatio ultimarum voluntatum pertinet ad jurisdictionem episcopalem. Tum quia Cardinales in suis titulis dicuntur habere quasi parvam diœcesin intra fines Romanæ diœcesis propriæ Romani Pontificis, ut notat Moneta de *commut. ult. volunt. c. 5. q. 13. conclus. 1. n. 452.* Possunt etiam juxta eundem Monetam *c. 9. conclus. 22. n. 634.* in suis titulis derogare fideicommissis pertinentibus ad suas Ecclesias titulares. 29

§. XV.

De Patriarchis, Primatibus, Prothonotariis Apostolicis, & Abbatibus.

Patriarcha græcè dicitur Princeps Patrum, ut notat Isydorus in *c. cleros. V. Patriarcha dist. 21.* & olim Patriarchæ præcedebant Card- 1

Cardinales, locumque obtinebant immediatè post summum Pontificem: nunc verò Cardinales de consuetudine, & jure præsunt Patriarchis, eò quia constituunt unum corpus cum summo Pontifice, suntque hujus corporis membra, & Pontifex caput. Patriarchæ, alii sunt principales, alii minùs principales; illi in Ecclesia sunt quatuor, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus; & quamvis tres posteriores fuerint tempore priores, nihilominus nominatur primò loco Constantinopolitanus ob civitatem, in qua residebant Imperatores Græcorum. Minùs principales sunt, qui inter latinos, ex indulgentia Pontificis, aut inolita consuetudine, dignitate gaudent Patriarchatûs, cujusmodi sunt in Italia Patriarcha Aquilejensis, Venetus, & extra Italiam Patriarcha Æthiopiæ, & Indiarum. Potestas Patriarcharum in eo potissimum est sita, quòd habeantur Ordinarii omnium Archiepiscoporum, & Episcoporum suæ Provinciæ, vel Regni, à quibus appellationes jure recipiunt: rursus crucem non tantùm in proprio Patriarchatu, sicut Archiepiscopi in sua Provincia, sed etiam ubique locorum extra tamen præsentiam summi Pontificis, & ejus legati de latere, possunt præferre: ut liquet ex *c. antiqua*, & *clement. Archiepiscopi de privil.* Quia verò hodie Patriarchatus Græci non sunt ampliùs in potestate Christianorum, non habentur nisi tituli: & qualem jurisdictionem, & privilegia habeant Patriarchæ Latini, ex specialibus eorundem privilegiis, & locorum consuetudinibus petitur.

Primates sunt quidam Archiepiscopi potentiores, ut in Hispania Toletanus, in Germania olim Magdeburgensis, hodie Salisburgensis; quòd verò vocetur aliquis primas, vel Patriarcha minor, parum in effectu tribuit, sed tantùm titulum auget. Primas re ipsa idem est, qui Patriarcha *c. Cleros. dist. 21. c. Urbes. d. 80. c. Provincia. d. 99.* Nunc autem usus obtinuit, ut minorum gentium Patriarchæ, Primates, vel minores Patriarchæ vocentur. Patriarchæ postquam à sumo Pontifice, fidelitatis, & obedientiæ juramento præstito, pallium obtinuerunt, & confirmationem; ejusdem pallii usum conferre possunt Archiepiscopis sibi subjectis, exacto ab illis pro se, & Romana Ecclesia fidelitatis, & obedientiæ juramento *c. antiqua de priv.* Hinc Patriarcharum privilegia, quatuor præcipuè recensentur; quorum primum est usus Pallii, quod est plenitudinis officii pontificalis insigne *c. antiqua 23. de priv.* Secundum est usus crucis, quam ubique anteferre licet, præter quam in urbe, & ubi summus Pontifex, aut ejus Legatus de latere utens insignibus Apostolicæ dignitatis est præsens *d. c. antiqua 23.* Tertium, quòd privilegia, & prærogativas comunes cum summis Pontificibus habeant *c. renovantes. 22. dist. 23.* Quartum, ut in Archiepiscopos, & Episcopos sibi subjectos supremam, & ordinariam jurisdictionem exerceant, & desumitur ex *can. 32. Concilii Nicani.* Hinc possunt dispensare cum Episcopo, vel alio beneficiorum collatore sibi subdito, si ob malam beneficii collationem à Concilio sit suspensus *c. grave in fin. de præb.* Rursus absolvunt excomunicatos à suis suffraganeis, ut notat Barbosa *de potest. Episc. p. 1. tit. 3. c. 1.* Judicant etiam de causis Episcoporum sibi subditorum, quoties ad eos appellatur, ut etiam quando agitur de aliquo graviori negotio, quod in Concilio provinciali, non potest decidi. Rursus, quando Metropolitanus deprehenditur negligens Patriarcha supplet ejus defectum. In causa Archiepiscopali est etiam Patriarcha judex; judicat etiam, an excomunicatio inferioris sit justa, ut etiam appellatio à sententia Episcopi ad Papam facta sit legitima, ut notat Vivianus in *ration. pag. 432.* Lorich. *V. Patriarcha n. 2.* De Patriarchis, & Primatibus agunt Mosconius *lib. 1. c. 8.* Tholosanus *lib. 47. syntag. c. 32.* Bellarminus *lib. 1. de Pontif. c. 23.*

De Archiepiscopis, & Episcopis abundè diximus in præcedentibus, ex quibus liquet, quænam sit eorum majoritas in Ecclesia. Superest aliquid dicendum de Prothonotariis Apostolicis, quia in curia Romana post Episcopos, si sint *participantes* primum locum obtinent: unde dicuntur Prothonotarii, quia Protho græcè est idem, ac primus, qua ratione S. Stephanus dicitur Prothomartyr, seu primus Martyr: hi Prothonotarii censentur instituti primitùs à Clemente I. ut acta, & gesta sanctorum Martyrum scriberent. Ex Prothonotariis, alii dicuntur participantes, alii non. Illi sunt qui actu serviunt Romæ, & expediunt Bullas Ecclesiarum, ac Monasteriorum, quorum Collegium olim numerum non excedebat septennarium, sed à Sixto V. in Bulla *Romanus Pontifex* incrementum subiit aliorum quinque, & idem Pontifex in alia Bulla, quæ incipit: *laudabilis*; eos pluribus decoravit privilegiis, præsertim creandi Doctores, Notarios publicos, legitimandi spurios, testandi de bonis Ecclesiasticis. Prothonotarii non participantes sunt potiùs honorarii, & titulares, quibus non conveniunt prærecensita privilegia: præferuntur tamen Clericis inferioribus specialem Prælaturam, aut dignitatem non habentibus; illis tamen conceditur facultas deferendi aliquem habitum Prælatorum, seu gestandi Roquetum, & Mantelletum, tam nigri coloris, quàm violacei, & utendi pileo in propriis gentilitiis insigniis, unde censentur etiam aliqua dignitate insigniti; & causæ papales possunt iis delegari juxta *c. statutum de rescript. in 6.* Subsunt tamen Episcopi jurisdictioni ex Tridentino *sess. 24. c. 11. de reformat.* Neque possunt uti annulo in missa, neque se induere paramentis sacris in altari, sed tantùm in sacristia. Agit de Prothonotariis Apostolicis Barbosa *de jure Eccl. univers. lib. 1. c. 23.* Cassaneus *in catal. glor. mund. p. 4. consider at. 29.*

Abbates propter jurisdictionem, quam habent in suos subditos, usumque Pontificalium proximè accedunt ad Episcopos, ac præferuntur cæteris Clericis etiam in dignitatibus sæcularibus inferioribus Episcopo constitutis; ut etiam ipsis Canonicis cathedralium Ecclesiarum, si collegialiter incedant, ut notat Cassaneus in *catal. glor. mund. p. 4. considerat. 32.* Navarrus *de major. & obed. cons. 4. n. 4.* Ex Abbatibus alii alias præce-

præcedunt: siquidem exempti præferuntur non exemptis: & habentes insignia pontificalia mitram, & baculum, illa non habentibus *c. ex ore 17. de privil.* Quòd si pares sint, ii præcedunt, qui priùs ad Abbatias fuerunt promoti, nisi consuetudo aliud introduxerit, & quod de Abbatibus dicitur, est etiam intelligendum de Præpositis Ecclesiarum Regularium, quia isti loco Abbatum habentur. Præpositi etiam Ecclesiarum sæcularium, & Collegiatarum habent dignitatem, & jurisdictionem in illos, qui sunt de illa Ecclesia, ut docet Panormit. in *c. si quis contra in 2. repet. n. 50. de for. compet.*

5 In Abbatē Monachorum, ut quis promoveatur plura requiruntur. Primò, ut professionem emiserit *c. nullus de elect. in 6.* adeò ut Abbatia regularis, quæ est beneficium, non possit jure dari in titulum, nisi Monacho professo in illa Religione, licèt subinde detur etiam alteri, qui non est talem religionem professus in commendam, vel administrationem perpetuam, qua ratione solent etiam Abbatiæ comendari Cardinalibus, aliisque primariis Ecclesiæ Clericis. Secundò debet esse sacerdos, & attigisse 25. ætatis annum. Glossa in *c. indemnitatibus de elect. in 6.* Tertiò debet eligi à Monasterio, cui præest *c. Abbas*, & *c. Abbatem 28. q. 2.* Et debet eligi ex eodem Monasterio, ad cujus præfecturam assumitur, nisi fortassis in tali Monasterio non sit Monachus ad id muneris idoneus, tunc enim jure potest ex alio Monasterio eligi idoneus *c. 28. q. 2. c. quam sit.* Notat Panormitanus in *c. cùm Monasterium de elect.* singulis etiam Monasteriis singulos Abbates fuisse præpositos; adeò ut unumquodque Monasterium suo tantùm pareret Abbati, non alteri? postea ex indulto Romanorum Pontificum concessum est aliquibus Monasticis ordinibus, ut præter superiores locales, Abbatem etiam habeant generalem, seu præsidentem, cui tanquam capiti obediant omnes Religiosi, etiam Monasteriorum particularium superiores.

6 Non tamen omnes Abbates sacrari debent, sed illi tantùm, qui ex consuetudine propriæ Ecclesiæ consueverunt consecrari, ut liquet ex *c. alienationes 12. q. 2.* propriè tamen Abbates non dicuntur sacrari, sed tantùm benedici. Sacerdos autem, & Episcopus ideò consecrantur, quia sacra chrismatis unctione perunguntur, qua unctione non utuntur Abbates; siquidem benedictio est, quâ manu Episcopi super hominem impositâ certa precationis forma adhibetur *c. 1. q. 1. c. manus* proinde hæc benedictio vocatur impositio manꝰ *c. quoniam dist. 69.* rursus hæc benedictio juxta comunem, & probabiliorem sententiam non est iteranda: neque obstat, quòd Characterem non imprimat, quia nec benedictio nuptialis imprimit characterē, & tamen non repetitur. *c. 1. & 3. de secundis nupt.* Rursus nec pœnitentia solemnis iteratur *c. quamvis.* & *c. in capite dist 30.* licèt characterem non imprimat.

7 Abbas potest solemnem benedictionem populo impertiri in Ecclesiis ad ipsum pleno jure pertinentibus post missarum sacrificia absoluta, vel post vespertinas preces, non autem alibi publicè, nec per vias, aut castella, ac villas *c. Abbates de privil. in 6.* Potest minores ordines conferre *c. quoniam dist. 69. c. contingat de ætat. & qualit* servato tamen decreto Concilii Tridentini *sess. 23. c. 10.* non tamen litteras dimissorias Clericis sæcularibus concedunt, ex eodem Concilio Tridentino.

8 An verò magis expediat, Abbates ad tempus creari, ac præfici, quàm in perpetuum? Navarrus in *commentario 3. n. 3. de Regul.* censet convenientius esse, magisque congruum, ut Abbates sint perpetui, quia tunc plura cessant incommoda; & vitium ambitionis, quo bona pars Monachorum adspirat ad præfecturas, amputatur: cessant pacta conventionis, promissiones, quæ nonnunquam simoniam redolent, & quibus alii aliis suum suffragium in electione pollicentur, aliquo temporali commodo accepto: hinc disciplina religiosa patitur detrimentum, dum electus nititur, se gratum exhibere suis fautoribus: siquidem ut plurimum ipsis plura concedit contra regularem observantiam; & hinc oriuntur factiones, dissidia, simultates, quæ fraternam lacerant charitatem, & religiosam destruunt pacem. Languescit etiam authoritas Abbatum, qui eliguntur, hi enim ut dent signa animi sui grati non audent errores corrigere eorum, à quibus fuerunt electi.

9 Tum quia si superiores ad solum triennium præficiantur, solent persæpè negligentiores esse in acquirendis, conservandis, & augendis bonis Monasterii. Hinc de Tiberio Cæsare legitur, eum aut nunquam, vel non nisi raro Provinciarum Præsides, seu Rectores mutare consuevisse, ut hoc pacto bono consuleret subditorum: siquidem præsides, si per modicum tantùm tempus Provinciam sint administraturi, omnem adhibent conatū, ut statim divitias congregent, ac opulentiùs ditescant, & subditos ad sanguinem usque emulgeant; & hisce succedentes alii, quod superest sanguinis exsugunt; & hujus rei gratiâ consueverat appositè uti apologo de homine nudo, & innumeris vulneribus saucio, qui muscas plagis suis insidentes detrectabat abigere; & cuidam eas volenti excutere respondit: mihi non profuisti; sed obfuisti, quia abegisti saturas; quæ mihi parùm damni inferebant, modò istis succedent famelicæ, quæ me acriùs divexabunt, ac pungent.

10 Quòd si dicas, perpetuos Præfectos ut plurimùm fieri duriores, & austeriores, minusque tollerabiles. Respondet Navarrus id verum esse nonnunquam; sed è duobus malis minus esse præferendum. Verùm censent alii præposituras temporarias esse præferendas perpetuis, eò quia non semper, qui præficiuntur cæteris student bono communi, neque regimen instituunt juxta exigentiam boni communis, vel quia sint minus idonei ad tale munus exercendum, vel proprium officium negligant, nec respondeant spei, quæ de ipsis concipiebatur. Tum quia nonnunquam superiores perpetui habent aliquos Religiosos, quos non prosequuntur ea charitate, qua deberent, vel quia ipsis in electione non fuerint suffragati, vel ob alias causas, quæ nunquam desunt; & tunc nimis durum obtingit istis Religiosis

giosis tali per totam vitam subesse superiori, à quo vix aliquid commodi possunt sperare.

11 Hinc à pluribus frequens Præpositorum mutatio solet præferri præfecturæ perpetuæ, & ex eo etiam, quia plures benè meriti, & insignes pietate, & doctrinâ possunt de primaria dignitate participare. Sunt enim plerumque in communitate multi digniores ob prudentiam, pietatem, doctrinam, & culturam virtutum ipso, qui actu cæteris præficitur: unde justitia distributiva videtur exigere, ut digniores promoveantur, quod potest contingere, quando præpositurænon sunt perpetuæ, sed tantùm triennales. Unde hac super quæstione varia sunt judicia, studia, & voluntates.

§. XVI.

De Canonicis, Parochis, Clericis inferioribus, & Regularibus quoad Majoritatem, & præcedentiam.

1 NOmen Canonici à canone derivari per se liquet; dicuntur enim Canonici à canonica pensione, seu ab annona ordinaria, & regulari, quæ in canonicos veluti stipendium consueverat distribui: siquidem pensio hæc canonica iis tantùm dabatur, qui erant numero canonicorum adsciti; cæteris enim Ecclesiæ Ministris, & Clericis inferioribus tantùm erroga-batur aliquid ex incertis oblationibus piorum fidelium, quæ fiebant in Ecclesia pro cujusque merito: cùm Canonicis portio certa; & ordinaria daretur.

2 Canonicorum origo, satis constat ex Concilio Toletano XI. & S. Augustino *serm. 22. de communi vita Cleric.* consueverant enim Episcopi quosdam ex clericis deligere, qui vitæ probitate, studio virtutum, ac doctrinæ laude, & merito cæteris antecellerent, & una cum Episcopo in eadem domo habitarent, ac eadem fruerentur mensa, voto obstricti paupertatis, & castitatis sub obedientia ejusdem Episcopi ad imitationem Christianorum primitivæ Ecclesiæ, qui abdicata rerum suarum proprietate de communi vivebant, ut legimus *Act.2.* Hinc in *causa 12. quæst.1. ex Concilio Moguntino c.9.* statutum fuit, ut Canonici Clerici, non nisi canonicè viverent, observantes divinæ scripturæ doctrinam, ac SS. Patrum documenta, nilque sine licentia Episcopi auderent aggredi; & ut in unoquoque Episcopatu simul manducarent, & dormirent, & singulis diebus manè hora prima ad lectionem venirent, & obedientiam secundùm Canones suis Magistris exhiberent: Et juxta hanc normam vivendi vix ab instituto diffidebant Monachorum, ut notat Platus *lib.2. de bono stat. relig. can.23.* Pennottus *in hist. canonic. l.1. c. 32.*

3 Præterea Canonici, qui vitæ communi votum addiderunt paupertatis, Regulares fuerunt vocati. Cæteri, qui præter communia bona adhuc aliquid proprii sub proprio jure, & dominio retinerent, canonici simpliciter fuerunt dicti: & successu temporis deficientes à vita communi, ac alios inducentes ritus cœperunt dici canonici sæculares, quasi proximiores essent normæ liberiori vivendi sæcularium, quàm strictiori Regulæ Religiosorum, ut notat Tholosanus *lib. 15. c. 23. n. 18. & sequent.* Lorich. *in thes. theol. V. Canonicus.* Rursus Canonicorum Regularium duæ erant species, una illorum, qui vel in Ecclesia cathedrali Regulari, vel in alia non cathedrali canoniam habebant, certámque portionem cum potestate disponendi prout necessarium erat, & de quibus poterant etiam inter vivos donationem facere, non secus ac illi, qui habent usufructum, & hujus speciei canonicos esse illos Ecclesiæ Cæsaraugustanæ, & Pampellonensis, asserit Navarrus *in consilio 13. n.2. & 3.* ubi addit in hos canonicos Episcopum habere plenam jurisdictionem iis exceptis, quæ concernunt regularium instituta, & eorum officiales esse diversos ab illis canonicorum sæcularium: siquidem alius Thesaurarius, Cellarius alius, & alius Camerarius vocatur. Secunda species est illorum, qui sub strictiori observantia vivunt in communi sub obedientia Præpositi absque omni proprietate, & jure administrandi bona temporalia, cujusmodi sunt in Monasteriis Canonicorum Regularium profitentium regulam S. Augustini, à quo dicuntur instituti.

Omissis Canonicis Regularibus, de sæcularibus 4 tantùm erit sermo; hi enim in clero veluti primaria membra eminent, & sunt in dignitate constituti *c. causam quæ de officio, & potest. jud. deleg.* & habitu distinguuntur à cæteris clericis, quia præter lineum amiculum, quod etiam Clericis est commune pluribus in locis, Epomidem humeris gestant ex pelle confectam, unde superpellicei nomen habetur, nonnulli Almicam vocant apud Rivium *in prax. for. p. 4. resolut. 363.* dicuntur autem in dignitate constituti tantùm impropriè, & largo modo, cùm potiùs censeantur Consiliarii, & membra Episcopi, ut docent Felinus *in c. pastoral. n. 12. de offic. deleg.* Piasecius *p. 2. c. 4. pag. 265.* quod etiam intelligitur de potentia, & non de singulis generum, sed de generibus singulorum. Hi assistunt Episcopo in Ecclesia cathedrali ita vocata, eò quia in ea sedere Episcopus debeat, & populum è cathedra docere; & licèt eadem reverà sit collegiata; hæc tamen distinctionis causâ non dicitur cathedralis, sed alio nomine collegiata vocatur, eò quia Canonici collecti in unum constituunt communionem quandam Ecclesiasticam; ad quam constituendam sufficere numerum ternarium personarum docent Felinus *in c. in nostra de rescript n. 74.* Moscovius *lib. 1. p. 1. c. 16.* Oldrad. *cons. 281.* Cæterum Ecclesiæ titulus, quando absque ulla adjectione auditur, per antonomasiam de sola intelligitur cathedrali juxta antiquum stylum Romanæ curiæ.

Dignoscitur autem cathedralis ab aliis Ecclesiis ex ritu celebrandi festum die dedicationis, ex 5 facultate exigendi decimas in territorio civitatis: siquidem decimæ solùm conveniunt cathedrali, *c. quoniam c. cùm contingat*, ubi Glossa, & communiter doctores de decimis: ex jure extrahendi defunctorum corpora ex alienis parochiis, & eâ sepeliendi, quod solis convenit cathedralibus; ex sacramentorum omnium administratione. *c. 3. & ult. de parochiis*: ex prærogativa præeminentiarum, ut in festo corporis Christi

ſti ex ea deducatur Venerabile Sacramentum cum proceſſione, & reducatur, ut notant Barb. *in c. offic. de offic. Archidiac.* Piaſecius *p. 2. c. 3. num. 50.*

6 Rurſus cathedralem Eccleſiam, ut etiam collegialem, vel parochialem ſolus Papa inſtituere poteſt, ut docent communiter doctores apud Barboſam *de canonicis c. 2.* licèt non deſint, qui putent, Epiſcopum ex Eccleſia parochiali poſſe collegiatam inſtituere; verùm tunc Epiſcopus non propria, ſed authoritate Pontificis cenſetur id præſtare. Ut autem inſtituatur Eccleſia cathedralis plura requiruntur; nimirum ut locus ſit honeſtus, adſit frequentia populi, & in eo plures nobiles habeant domicilium, quibus absque erectione cathedralis Eccleſiæ non eſſet ſatis proviſum. Rurſus ut populus in moribus, & honeſtate præfulgeat, ſint ibi plures ſacerdotes, ne ſedes Epiſcopalis ſit contemptui; ut deſumitur ex *c. Epiſc. d. 80. c. præcipimus. c. felix. 16. q. 1. c. ex parte de conſtit.* & ibidem communiter interpretes. Præterea ad ſolum ſummum Pontificem ſpectat in actu erectionis, ſeu inſtitutionis Eccleſiæ cathedralis, vel collegiatæ canonicos nominare: ſine quibus non poteſt talis Eccleſia conſiſtere. Poſt erectionem poteſt Epiſcopus pro arbitrio alios Canonicos addere, dummodo illis non deſit congrua portio, ut notat Gloſſa *in clement. 2. de decimis*, non tamen poteſt creare canonicum ſupernumerarium ad futuram præbendam, ut cenſet congregatio Cardinalium, hoc idem etiam eſſe denegatum Capitulo, habetur apud Garziam *de benefic. p. 6. c. 1.* Zypæum *in analyt. enarr. lib. 2. de conceſ. præben. n. 2.*

7 Diſcrimen inter Canonicos à Papa, & Epiſcopo creatos, eſt, quia cæteris paribus à Papa creati præferuntur cæteris, quia ſicut author dignitate præeminet, ita ejus creatura debet cæteras anteire: qua ratione, etiam Doctor à Papa creatus, vel à Principe alios præcedit juxta Rebuff. *in prax. benefic. q. 21.* Conzales *ad regul. 8. Cancellariæ. §. 3.* Barb. *ad cap. Epiſc. 7. diſt. 17.* quod tamen limitatur, niſi obſtent Academiarum, ſeu univerſitatum ſtatuta, privilegia, & conſuetudines, quibus non cenſentur derogare, qui eas confirmârunt. Quando verò loco alicujus defuncti canonici alius ſufficitur, non licet à novo canonico quidquam accipere, ubi autem eſt conſuetudo aliquid eſculenti exhibendi, tenetur ſolvere, ut notat Felinus in *c. Jacobus de ſimon.* & cum ipſo Moſconius *lib. 1. par. 1. cap. 15.*

8 Quòd ſi ex aliquo caſu omninò deficeret Eccleſia cathedralis, vel collegiata, quæcunque ſuperſunt ad Papam devolvuntur, ut notat Gloſſa *in c. ſtatut. 22. de elect. in 6.* & Moſconius *lib. 1. p. 1. c 16.* quia Papa non minus ac Imperator ſuum dicitur habere fiſcum; ut notat Baldus *in c. 1. §. ad hæc in tit. de pac. jur. fir.* ſicut enim Romanus Pontifex eſt Paſtor omnium Eccleſiarum, ita fiſcus ipſius eſt ubique, ut notat Marchinus *de fiſco q. 206.* Abbas *in c. vergentis de hær.* Hinc urbs Roma jure fiſci caret, ut ait Abbas in *c. fin. n. 45. de for. compet.* ſed Camera Papæ locum fiſci occupat, ut notat Piaſecius *p. 1. c. 2. n. 1.*

In aliquibus Collegiatis nullus eſt certus numerus præbendarum, nec perſonarum diſtinctio *c. ex part. 10. de conceſſ. præben.* In aliis eſt certus numerus Canonicorum, ſed nullus numerus, aut diſtinctio præbendarum *c. fin. §. ſi autem de conceſſ. præben. in 6.* In aliis habetur certus numerus canonicorum, & præbendarum ſine tamen ulla diviſione, aut diſtinctione, & bona ſunt reſpectu captuli communia, ſuper quibus, quaſi in confuſo inſtitutus eſt numerus beneficiorum correſpondens numero canonicorum. In aliis demum habetur certus, & diſtinctus numerus canonicorum, & perſonarum, & etiam præbendarum; adeò ut ſingulis ſua quota aſſignetur. Et hic numerus canonicorum non eſt minor duodenario, ad Eccleſiæ munera ritè obeunda, ut ait Moſconius *lib. 1. c. 15.* Lappus *allegat. 14. V. quinta.* Bald. *conſ. 472.* 9

Præbenda diſtingui ſolet à canonia, quia canonicatus propriè eſt jus percipiendi præbendam, ſeu portionem certam, & ordinariam Canonicis dari ſolitam, ut etiam jus ferendi ſuffragium, ac ſententiam in ipſo canonicorum collegio, & jus habendi ſedem in choro, & recipiendi quotidianas diſtributiones. Præbenda verò eſt ipſa portio fructuum, quæ datur canonicis, ut deſumitur ex *c. rudioribus de præben. n. 4.* Nonnunquã tamen hæc duo in jure confunduntur; adeò ut canonia, ſeu jus canonicatûs ſumatur pro ipſa præbenda. Cæterum poteſt quis in canonicũ recipi etiam ſine præbenda; cùm olim Canonici eſſent absq; ullo numero diſtincto præbendarum, ut ait Innocentius *in c. ult. de cleric. non reſid.* Hinc Canonia, & præbenda ſeparantur, adeò ut alia ſine altera conferri poſſit, & vocem poſſit quis in capitulo, & locum habere absque ullo redituum proventu *c. cum, qui de præbend. & dignitat. in 6.* Poteſt etiam fieri ut absque præbenda, & privilegiis, aliqui admittantur ſupra præfixum numerum, qui ſupernumerarii vocantur, quorum duæ aſſignantur ſpecies, una juris, altera facti. Juris eſt, quoties Papa mandat capitulo, ut aliquem recipiat in canonicum, illique conferat jus canoniæ. Facti cùm creat Canonicum aliquem ſupra numerum, & præcipit, ut illi aſſignetur locus, & præbenda. Poteſt etiam ſubinde admitti Canonicus, non ad omnia jura canonicorum, ſed tantùm ad aliqua ut ad locum in choro, & fructus percipiendos, non verò ad electiones, ut notat Abbas *in c. cùm ſuper de conceſ. præben.* In Eccleſiis itidem collegiatis poteſt augeri numerus canonicorum à capitulo, ſi conſentiat Epiſcopus, niſi certus numerus communi decreto, & juramento fuerit ſtatutus, ut notat Abbas *in c. cùm M. Ferrarienſis.* hoc idem etiam poſſe fieri in cathedralibus ſuadet ratio à pari: ut autem notat Moſconius *l. 1. p. 1. c. 15.* non licet numerum canonicorum augere, niſi ſimul proventus augeantur; nec minuere ſine diminutione fructuum, & tam diminutio, quàm augmentum debet fieri à Papa, quando Canonici in electione Eccleſiæ coram illo jurârunt, ſe numerum Canonicorum nunquam aucturos eſſe. 10

Canonici cathedralium Eccleſiarum poſſunt eſſe delegati ſummi Pontificis, ut deſumitur ex 11

c. statutum de rescript. in 6. ubi Canonici cathedralis habentur inter personas habiles, & idoneas, quibus Ecclesiasticæ causæ committantur. An verò in causis ad forum Ecclesiasticum spectantibus possit canonicus esse judex non designatus in singulis Conciliis Provincialibus, & Diœcesanis juxta Concilium Tridentinum *sess. 23. c. 10.* probabilius est, non posse fungi officio judicis, quia à synodo, vel Pontifice solent speciatim hujusmodi judices designari. Cæterum Canonici cathedralis Ecclesiæ comparantur ad Episcopum, sicut Cardinales ad Papam, qua ratione vocantur consiliarii; & fratres Episcopi: & sicut Papa in arduis negotiis Cardinales, ita Episcopus suos consulit canonicos, à quorum sententia sine gravi causa non recedit *c. si quis venerit h. t.* Abbas *in c. cum consuet. de constit. c. dilectus.* Hinc capitulum cathedralis Ecclesiæ simul congregatum collegialiter, à singulis inferioribus Prælatis debito honore, & reverentia afficitur, licèt singulis eorum seorsim idem honor non debeatur.

12 Rursus ex Canonicis non omnes eodem honoris gradu præcedunt ob diversitatem officiorum, munerum, & titulorum, ut notat Abbas *in c. cùm non liceat de præscript.* A Concilio autem Tridentino *sess. 24. c. 8.* statutum est, ut in omnibus cathedralibus Ecclesiis, si commodè fieri possit, pœnitentiarius instituatur, qui sit Magister, vel Doctor, aut licentiatus in Theologia, vel jure canonico; & attigerit annum ætatis 40. seu aliàs, qui aptior pro loci qualitate judicetur; & cui assignatur præbenda; & censetur præsens in choro, dum audit confessiones: Pertinet ad solum Episcopum eligere pœnitentiarium adeò ut capitulum nullo modo debeat se immiscere ut notat Zerolla *p. 1. V. Pœnitentiarius §. ad tertium.* Pœnitentiarius eo ipso quod est institutus à jure habet facultatem audiendi confessiones; & jurisdictionem absolvendi à peccatis instar Parochi universæ totius Diœcesis: neque ad id munus obeundum est necessaria alia ordinarii licentia. Debet autem semper præsto esse ad confessiones audiendas, & si detrectaret aliquem audire, posset castigari, imò & deponi ab Episcopo.

13 In curia Romana retinent exercitium clavium etiam demortuo Pontifice, & vocantur judices animarum, ut notat Zerolla *p. 2. §. 6.* Rursus Pœnitentiarius habet potestatem quasi Episcopalem absolvendi à peccatis, & censuris; non tamen ab illis peccatis, quæ sibi speciatim Episcopus reservat, quia ad absolvendum ab istis requiritur adhuc specialis facultas concessa ab Episcopo ut notat Navarrus *cons. 20. de pœnit. & remiss.* Alii tamen censent, Episcopum concedere pœnitentiario talem potestatem, quando ipsum instituit. Rursus præter supremum Pœnitentiarium, qui primarius dicitur, possunt alii esse minores, aut delegati: hinc Romæ supremus pœnitentiarius est unus ex Cardinalibus, & apud S. Petrum, S. Joannem de Laterano, & S. Mariam Majorem sunt plures Regulares ex diversis ordinibus pœnitentiarii, qui cum potestate amplissima absolvunt ab omnibus peccatis, & censuris, adeò ut quoad hoc censeantur Episcopis majores, ut notat Tuschus *V. pœna conclus. 260.* Et hi omnes minores, aut delegati Pœnitentiarii subjiciuntur primario Pœnitentiario. Eorum prærogativas describit Mosconius *lib. 1. de majest. Eccles. c. 17.*

Rursus in Ecclesiis cathedralibus, & collegiatis debet institui præbenda pro lectore Theologo, qui Clericis sacram scripturam interpretetur. Tempus verò docendi, hora, & materia arbitrio relinquitur Episcopi. Satisfacit tamen suo muneri Lector, si Theologiam Scholasticam doceat, & vacatio eidem conceditur mensibus Julio, Augusto, & Septembri, ut asserit Garzias apud Barbosam *pag. 164. sum. Apost. decis. coll. 455.* Censetur in choro præsens excepto matutino; si pridie pro sequenti die recitetur: quapropter est particeps omnium fructuum exceptis distributionibus quotidianis, nisi fortassis in istis redituum corpus consisteret. Imò Episcopus potest eidem indulgere, ut etiam distributionibus quotidianis fruatur; & Piasecius *p. 2. c. 3.* asserit, Gregorium XIII. id indulsisse canonico Theologo, & Lectori. Ubi verò reditus sunt adeò tenues, ut Theologiæ lectio commodè institui nequeat, tunc ab Episcopo designandus est Magister, qui Clericos, & alios Scholares pauperes grammaticam gratis doceat. Ad lectiones Theologiæ, vel sacræ scripturæ tenentur accedere Clerici, & Canonici Ecclesiæ cathedralis juxta declarationem Congregationis Cardinalium emanatam die 11. Augusti anno 1618. & Episcopus potest eos sub pœna pecuniaria compellere, ut lectiones frequentent. Lector tamen scripturæ si causa morbi non possit suo fungi munere, non est cogendus ad designandum substitutum, sed tunc ab Episcopo potest aliquis deligi. 14

Parochus; quia vices gerit Episcopi *cap. bonæ rei 12. q. 2.* gaudet etiam sua majoritate, & alios præcedit Clericos. Sumitur hic parochia, pro certa alicujus Diœcesis Ecclesia, cui assignatus est certus aliquis populus ad perceptionem sacramentorum; & hæc Ecclesia committitur alicui sacerdoti, ut in ea baptismum, & alia sacramenta populo sibi concredito administret, & hic sacerdos dicitur munus exercere parochiale. Jus Ecclesiæ parochialis consistit, ut in ea diebus festis populus missam, & concionem audiat; Parochus decimas oblationes, & primitias accipiat, sacramenta ministret, pœnitentias injungat, mortuos sepeliat, contrahentes nuptias benedicat. Non tamen si non haberet sepulturam; posset accipere decimas, proinde deperderet nomen Parochi. Cæterum si Ecclesia habeat omnia prærecensita est propriè parochia, ut notat Cardinalis Tuschus *littera P. conclus. 94. & 95.* quatuor enim præsertim requiruntur ad constituendam Ecclesiam parochialem. Quorum primum est potestas fori pœnitentialis; scilicet ligandi, & solvendi. Secundum, locus certis circumscriptus finibus, in quo populus eidem Ecclesiæ assignatus habitet. Tertium, ut Parochus curam exerceat nomine suo, quod personam concernit, non verò locum, vel Ecclesiam. Quartum, ut sacerdos tanquam Rector suo nomine singulariter, non verò cum aliis ad regimen 15

Paro-

Parochialis Ecclesiæ admittatur; quo fit, ut Parochus aliquando Plebani, vel Rectoris titulo insigniatur, quia reverà plebem ducit, & regit gregem sibi concreditum. Propriè tamen Plebanus dicitur, qui habet sub se plures Ecclesias, & est respectu aliorum sacerdotum, qualis respectu suorum suffraganeorum Archiepiscopus *c. scriptum est de elect.* siquidem etiam plebanis competit jus visitandi suas Ecclesias, & plebani Ecclesia vocatur matrix, quasi mater cæterarum, quas sub se continet *c. ad audientiam de Eccles. ædif.* Non tamen dicitur plebanus in dignitate constitutus, nisi fortassis Ecclesia, cui præest sit simul collegiata, & sub se capellas habeat cum jurisdictione foris contentiosi. Qui verò ex Monachis Ecclesiam parochialem administrant cum cura animarum in jure canonico non dicuntur Parochi, sed Capellani *cap. in Ecclesiis de Capell. Monach.* Cæterum Capellani nomen latiùs patet: siquidem Capellania per se est beneficium simplex, ut notat Selva *de benefic. p. 1. quæst. 4.*

16 Cæterum pastoralis cura cùm difficilis sit, ac pluribus obnoxia periculis dici solet pretiosa, & præfertur Parochus Canonico, eò quia munus Parochi sit difficilius, & ars artium *c. cùm in illis de præben.* Tum quia major in illo requiritur scientia, prudentia, discretio *c. pæn. de ætat. & qualit. ordin.* Tum quia Canonicus potest non esse sacerdos, & officio Parochi adnectitur necessariò sacerdotium. Adsunt tamen apud Barbosam declarationes Congregationis sacrorum rituum, quibus deciditur, ut in funeribus, & processionibus publicis primus locus tribuatur cathedralibus Canonicis, eò quia Collaterales consiliarii, & quasi domestici sint ipsius Episcopi. Ut autem inter Parochos, sive Regulares, sive sæculares debitus ordo servetur attendenda est majoritas, & prærogativa Ecclesiarum, ut censuit, sacra congregatio rituum in una Astensi 21. Martii anno 1609. in funeribus verò præcedit Parochus, in cujus templo est defunctus sepeliendus.

17 Officium præcipuum Parochi est oves sibi concreditas Verbo Dei pascere ex Tridentino *sess. 5. c. 2.* unde vel per se, vel per alios ab Episcopo approbatos tenetur diebus dominicis, & festis solemnibus prædicare, & gregem suum instruere in ordine ad salutem. Materiam, & modum concionandi præscribit Leo X. in Concilio Lateranensi *can. 7. de offic. præcept. pueror.* ut notat Piasecius *p. 2. c. 3. n. 16.* quòd si Parochus negligens fuerit, Episcopus illi subtrahit partem fructuum. Cæterum non desunt qui censeant, teneri Parochum hoc munus concionandi, & instruendi populum, exercere per se, & non per alium: quia hoc perinde esset, ac munus sub axilla ponere, & alios permittere triturare, & verum esset illud Prophetæ, quòd boves arabant cùm asinæ pascerent. Unde dominicis, & aliis diebus festis saltem à Parochis doctrina Christiana tradenda est juxta Concilium Tridentinum *sess. 5. c. 2. & sess. 24. c. 4.* Tenetur etiam administrare sacramenta suis ovibus. Quòd si aliquis infirmus ex negligentia, vel incuria Parochi sine confessione, & sacro viatico decederet deponendus esset Parochus, ut notat Glossa *in c. offic. V. sine confessione de offic. Archipres* quia reum se facit animæ defuncti *c. Presbyt. 16. q. 6.* ut etiamsi puerum in necessitate neglexerit baptizare, & is sine baptismo decedat *c. quicunque de censu.*

18 Munera exercenda propriè à Parocho sunt, benedicere fontem baptismalem, deferre sanctissimum sacramentum, celebrare missam feria quinta majoris hebdomadæ, & Sabbatho sancto, benedicere candelas in die purificationis B. Mariæ Virginis, & etiam ramos olivarum in dominica palmarum; ut etiam cineres prima die quadragesimæ, ut notat Piasecius *p. 2. c. 3. pag. 146.* Non tamen ordinaria potestas Parochi se extendit ad ferendam excommunicationem, vel aliam censuram, ut docet Navarrus *c. 27. n. 5.* ubi ait, causam efficientem excommunicationis posse esse Papam, & omnes alios Prælatos, etiam minores Episcopis, quales sunt Abbates, Præpositi, & Priores Ecclesiarum Regularium, ac sæcularium, & eorum delegati; at Rectores & Parochi simplicium Ecclesiarum non possunt excommunicare suos Parochianos jure communi, nec specialiter: quia facultas excommunicandi est pars jurisdictionis fori externi, ut communiter docent cum Glossa *in c. transmissam de elect.* Possunt tamen ex consuetudine præscripta nonnulli Parochi hanc potestatem habere, ut desumitur ex clement. *c. duo simul c. cùm contingat de for. compet.* Non tamen debet Parochus pro administratione sacramentorum, & sepultura quidquam exigere, nisi consuetudo sit in contrarium, ut desumitur ex Tridentino *sess. 22.*

19 Solet etiam Coadjutor temporalis dari Parocho, quando est valetudinarius, nec potest suo munere fungi, quia non convenit suo beneficio privari illum, qui nulla sua culpa deficit. Hinc *in titulo 6. de clerico ægrot. lib. 3. decretal.* habemus, dandum esse Coadjutorem Parocho leproso, Paralytico, amenti, vel furioso, ut etiam illiterato, & imperito, qui aliàs honestæ est vitæ. Sufficiens itidem censetur causa addendi Coadjutorem, si populus multùm creverit, adeò ut unius hominis industria non videatur suffectura. Is verò censetur illiteratus, qui inhabilis est ad ea præstanda, quæ curatis ex officio incumbunt. Non tamen potest Episcopus assignare Coadjutorem Parocho cùm jure succedendi, nisi à summo Pontifice habeatur hæc facultas, ut desumitur *ex c. nulla de concess. præben.* ubi Concilium Lateranense addit causam, ne desiderare mortem quis proximi videatur, in cujus beneficium se crediderit successurum.

20 De Parochi juribus censentur esse oblationes, quæ in usum Ministrorum Ecclesiæ dantur *c. quia sacerdotes 13. c. sanctorum 12. q. 1.* quia illi debentur pro administratione sacramentorum, & exiguntur per modum census, pensionis, aut conventionis, præsertim si sint addictæ testamento, legato, voto, aut Minister Ecclesiæ non habeat sufficientem sustentationem. Rectoribus Ecclesiarum, & Parochis debetur etiam quarta funeralium jure communi *c. 1. de sepult. clement. dudum.* Et hæc debetur Ecclesiæ, in qua sepelitur defunctus ex iis, quæ legavit; adeò ut non

non excipiantur Ecclesiæ ordinum mendicantium, in quibus morientes eligunt sepulturam *d. c. 1. de sepult. clement. dudum §. verùm.* Excipiuntur tamen monasteria ædificata à quadraginta annis circiter, aut quæ in dies ædificantur, ut declaravit sacra congregatio Concilii Tridentini apud Rodericum *tom. 3. q. 46.* Rursus primitiæ, seu primi fructus terræ eo anno collecti debentur illi Parochiæ, in qua prædia existunt, nisi consuetudo in contrarium inoleverit, quia offeruntur Deo, pro recognitione supremi dominii naturalis, quod habet in omnes terræ fructus, ut notat Molconius *lib. 1. p. 3. c. 3.* eodem jure etiam debentur Parocho decimæ, ut liquet ex *tot. tit. de decimis.* adeò ut jus percipiendi decimas solis Parochis competat. Verùm quia Parochi alii sunt majores, alii minores, ita decimæ primò loco debentur Episcopis, postea Parochis; ad quos ex antiquo jure quarta pars spectat dividenda cum aliis Ecclesiæ Ministris, qui altari inserviunt. In locis tamen, in quibus pro decimis sufficiens alimonia exhibetur Parocho, cessat per contrariam consuetudinem jus exigendi decimas, quia jura non plus requirunt, quàm ut qui altari ministrant, de altari vivant, sive congrua sustentatio habeatur à decimis, vel aliunde ut notat Piasecius *p. 2. c. 4. de decimis.*

21 Ex clericis sæcularibus inferioris ordinis illi præferuntur, qui dignitate, vel officio, aut sacro ordine sunt reliquis majores. Nonnunquam dignitas ordinantis, honorem præ cæteris confert ordinato, ut liquet *ex c. per tuas 7. h. t.* convenit enim ut ii aliis præcedant, quibus summus Pontifex ordines contulit. Canonici etiam cathedralium Ecclesiarum præcedunt juxta proprias dignitates, & ipsis possunt delegari causæ per sedem Apostolicam, non ita inferioribus. Clericis *c. statutum 11. de rescript. in 6.*

22 Circa præcedentiam ordinum Regularium convenientem plura solent observari, ut decernatur, quinam Regularium ordo sit præstantior, ac dignior. Quamvis Clericus sæcularis præcedat Regularem, ac eidem præferatur, ut desumitur ex *c. legi epistolam, in §. alia 16. quæst. 1.* & Glossa *in final. in c. qualiter l. 2. de accus.* ubi ait cœtum Clericorum esse digniorem ordinibus Monachorum; eò quia status clericalis sit antiquior, proinde honorabilior, Glossa *in c. quorundam V. prædicatorum 9. 6. & can. fin. de pact. in 6.* siquidem de cœtu clericali dicitur *Psal.* 109. *Tu es sacerdos secundum ordinem Melchisedech.* Secus ordo Monachorum solùm post Christum suum habuit initium Authoribus SS. Basilio, Benedicto, Augustino, Francisco, Dominico. Nihilominus inter Monachorum, ac Religiosorum ordines est difficultas; ex quibus unus ordo censeatur præstantior altero, quem propterea debet præcedere. D. Thomas 2. 2. *q. 188.* docet, excellentiam unius Religiosorum ordinis posse tripliciter attendi. Primò ex parte finis, qua ratione unus ordo, est alio perfectior, qui ordinatur ad potentiorem, ac præstantiorem finem. Hinc ille ordo; qui ordinatur ad docendum, & prædicandum tenet summum gradum, quia licet prædicare, & docere sint actus vitæ activæ, procedunt tamen ex plenitudine contemplationis, quapropter à S. Gregorio præfertur simplici contemplationi, sicut majus est illuminare, quàm simpliciter lucere, quapropter dicitur in Evangelio: *qui fecerit, & docuerit, magnus vocabitur in Regno cælorum*, & de Joanne Baptista, qui fuit præcursor, & prædicator Christi Lucæ 1. *Ego sum vox clamantis in deserto.* Dicitur per Angelum *& erit magnus coram domino.*

Hinc doctores, qui in Ecclesia cæteros docent, vocantur lumina firmamenti, hinc illis majora debentur stipendia honoris *l. nemo C. de offic. Magist.* & sic præponitur doctrina silentio, solicitudo contemplationi, labor quieti. Secundò attenditur præstantia unius Religiosi ordinis præ aliis prout in eodem genere finis, unus ordo tendit ad altiorem actum, quàm alius: hinc si ex ordinibus unus sit addictus vitæ contemplativæ, & alius occupetur in libris legendis; prior est præstantior posteriore, quia altioris contemplationis est oratio, quàm lectio, licet dicat Augustinus, *cùm oras loqueris Deo: cùm verò studes Deus loquitur tibi.* Sin verò ordo utrumque præstet, ac sit addictus contemplativæ simul, & activæ vitæ, præfertur alteri, qui utramque non complectitur, ut communiter docent Canonistæ *in c. quod Dei timore de Monach. c. nisi cùm pridem extra de statu Monach. & Archid. in c. si quis vult. 36. dist.* Tertiò spectatur præeminentia unius religiosi ordinis ad alterum ex parte exercitii non quidem, quantùm ad quantitatem, sed proportionem illius ad finem intentum. Has præeminentias ponit Joan. Andreas *in c. sanè de Regul. in novella*; sed postea subjungit, Canonistas non ponderare utilitatibus solùm considerare, ubi sit arctior, strictior, durior, vel fortior modus vivendi. Unde *in c. licet de regul. & transit. ad relig.* dicitur de arctiore vita, & sanctiore, ad quam licet transire ex latiore licentia petita. Cæterum omnes Religiosorum ordines ordinantur ad unum finem, qui est charitas, per quam conjunguntur Deo, ut dicitur in extravagan. Joan. XXII. ad conditorem. Rursus excellentia ordinis religiosi judicatur à dignitate institutoris, ut etiam à pluralitate Religiosorum, qui sub eadem regula vivunt. Sed hodie consideratur sola ordinis antiquitas, & ille præfertur alteri, qui prior à sede Apostolica fuit approbatus non consideratis aliis rationibus, quia per approbationem censentur ordines æquè perfecti in ordine ad finem. Mendicantes verò dant præcedentiam ordinibus non mendicantibus ex decisione Congregationis rituum, ut refert Barbosa *de offic. Episc. allegat. 78. n. 37. in fin.*

Rursus circa præcedentiam mendicantium inter se, & etiam cum fraternitate laicorum in processionibus exstat declaratio Gregorii XIII. apud Quarantam *in sum. Bullarii V. præcedentiam.* declaravit enim Pontifex, ut illi debeant præcedere, qui sunt in quasi possessione juris præcedendi: siquidem possessio, & consuetudo circa præcedentias plurimum habet roboris. Quod si nulla possessio, vel quasi possessio probari possit, tum ex ordinibus mendicantiu prærogativam habent, qui prius fuerunt approbati à summo Pontifice; & ex confraternitatibus laicorum; illæ præcedunt 23

cedunt alias, quæ priùs fuerunt in illo loco erectæ, ac priùs fuerunt usæ sacris. Cæterū ex decreto Concilii Trident *sess. 25. de Regul. c. 13.* tenetur Episcopus controversias, quæ in materia præcedentiarum oriuntur inter personas Ecclesiasticas, tam sæculares, quàm Regulares, sive in processionibus publicis, sive in aliis actibus seclusa omni appellatione componere, ne inde sequantur scandala.

§. XVII.

De Obedientia.

1 OBedientia ab inferioribus debita superioribus, ex Glossa in *c. 1. V. Obedientiam dist. 93.* & Hostiens. in *sum. n. 2. h. t.* tria complectitur, scilicet reverentiam exhibendam, parere mandatis, & judicium proprium subjicere superiori. Reverentiam minor debet maiori, cui propterea tenetur cedere locum *c. non oportet 15.* Rursus debet minor parêre mandato superioris in his, quæ ad cultum divinum pertinent, aut communem respiciunt utilitatem. Demum tenetur etiam inferior se subjicere superiori in judicio, seu in iis, quæ ad jurisdictionem, & causas judiciales spectant: & quia status Clericalis est major sæculari; ideò personæ Ecclesiasticæ nullo pacto subsunt jurisdictioni sæculari, sed jure divino eximuntur à potestate sæcularium nisi fortassis obtinuerint bona in fœudum ab Imperatore, vel aliis dominis temporalibus; tunc enim ratione bonorum subjiciuntur jurisdictioni sæculari; non quod personæ Ecclesiasticæ illi subjiciantur, sed tantùm bona temporalia, quæ possident in fœudum, ut habetur in *c. verum 7. de for. compet.* quoad alia bona non subjiciuntur jurisdictioni sæcularium, e ia bona accessoriè sequuntur personam.

2 Hinc omnes sæculares cujuscunque conditionis, & ordinis, sive Principes sint, sive Reges subjiciuntur summo Pontifici, quia potestas Ecclesiastica major est ac dignior potestate sæculari, sicut anima est corpore præstantior: Regibus autem, & Imperatoribus competit potestas, & imperium, tantùm in temporalibus; & summo Pontifici aliisque Prælatis Ecclesiasticis competit potestas in spiritualibus, quæ longè digniora sunt temporalibus. Qua ratione Bonifacius VIII. in *extravag. unam sanctam 1. h. t. inter communes* rescribit, unum tantùm esse Ecclesiæ corpus, & unum caput non duo capita, quasi monstrum; Christum scilicet, & Christi Vicarium; Petrum, Petrique successorem: dicente Domino ipsi Petro: *Pasce oves meas. Joan. 21.* ex quo infert Pontifex, eos non esse de grege Christi, qui non fatentur, se esse commissos à Christo curæ Petri, ejusque successorum, cùm dixerit Christus Joan. 10. *Unum esse ovile, & unum Pastorem.*

3 Rursus addit Pontifex, duos esse in Ecclesiâ gladios, spiritualem, & temporalem, & esse gladium sub gladio, seu potestatem temporalem subordinatam spirituali in iis, quæ spectant ad finem supernaturalem, & æternam salutem, adeò ut potestas terrena, seu temporalis judicetur à spirituali, & hæc à solo Deo. Hinc Magistratus sæcularis subjicitur Ecclesiastico, cui tenetur parere in ordine ad spiritualia, & finem supernaturalem, ut liquet ex *c. solitæ h. t.* Cùm enim Innocentius III. Imperatorem Constantinopolitanum per litteras reprehendisset, quòd Patriarcham Constantinopolitanum juxta pedes suos in scabello ad partem sinistram sedere faceret; cùm alii Reges, & Principes suis Prælatis juxta se honorabilem sedem assignent; idque ægrè ferret Imperator rescripsit Papæ, sacerdotium subesse debere potestati imperatoriæ, & ad id probandum adduxit textum depromptum *ex epist. 1. c. 2. S. Petri.* ubi ait: *subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi tanquam præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* Ad id autem respondit Pontifex, Apostolum ibi loqui de subditis sæcularibus, non verò de sacerdotibus, alioquin sequeretur, quemlibet servum habere imperium in sacerdotes, cum asserat S. Petrus, debere subjici omni humanæ creaturæ. Cæterum licèt Reges, & Imperatores habeant Imperium, & potestatem in temporalibus in eos, qui ab iisdem accipiunt temporalia; non ita in spiritualibus: & Pontifex in spiritualibus antecellit, quæ tantò sunt digniora temporalibus, quantò anima est præstantior corpore. Hinc Jerem. *c. 1.* loquens de sacerdotio, ait: *Ecce constituit te hodie super gentes, & super Regna.*

Cæterum subditus generatim tenetur obedire suo superiori non tantum quando justa præcipit, sed etiam quando dubitatur, an mandatum superioris justum sit, quia in dubio est præsumendum pro superiore, qui est in possessione præcipiendi. Neque obstat quòd non possimus agere cum dubio practico; quia subditus respectu superioris in materia obedientiæ tenetur tale dubium deponere, qua ratione obedientia Religiosorum dicitur esse cœca. Hoc idem Molina *de justit. & jur tom. 1. tract. 2. disp. 113.* extendit ad milites conductos, & dubitantes de justitia belli, ad quod ex præcepto Principis vocantur. Cæterùm si certò constaret ipsis injustum esse bellum, non tenerentur Principi parere, quia ut habetur *Act. 5. oportet obedire Deo magis, quàm hominibus*, & Deus præcipit, ne lædamus innocentes. 4

Quòd si subditus non dubitaret tantùm de materia præcepti, an justa sit, sed etiam de potestate præcipientis, an sit legitimus superior, tunc subditus posset uti sua libertate, ut notat Lessius, eò quia sit in possessione ejusdem: quòd si superior, de cujus potestate dubitatur, esset in possessione superioritatis, & communi existimatione superior censeretur, tunc subditus, teneretur illi parere. *arg. l. si quis ex aliena. ff. de judic.* Cæterum inferior, in iis tantùm tenetur obedire superiori, in quibus illi subest; ut servus Domino in servilibus, filius Patri in rebus domesticis; miles duci in castris, rebúsque bellicis, & qui plures habet superiores debet unicuique obedire, juxta rationem suæ superioritatis. 5

Obedientia alia est materialis, formalis alia, illa est opus virtutis, quo impletur præceptum, tametsi non ea intentione expresse fiat: & hæc obedientia est generalis, cujus oppositū est vitiū

in

inobedientiæ, seu transgressio præcepti. Formalis est, quâ quis aliquid agit ea expressa intentione, quia superior id præcipit. Rursus obedientia alia est perfectionis, alia necessitatis: illa obedit in omnibus, quæ contra Deum non sunt; hæc quæ terminis regulæ, & votorum coarctatur; de utraque ait S. Bernardus de dispensatione præcepti in principio. Necessitas obedientiæ petitur mala inclinatione depravatæ nostræ voluntatis, quæ cùm prona sit ad malum indiget frœno, quo retineatur. Ut autem obedientia formalis sit perfecta nonnullæ requiruntur conditiones, quarum prima est, ut fiat absque mora, juxta illud Psal. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri*; quia subditus expectare strictum præceptum non debet, non differre, non tergiversari, non se excusare, non lentè, & cũ torpore ad opus accedere, quia ut rectè Bernardus in *lib. de præcept. Verus obediens, moras nescit, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præcipientem prævenit.* Secunda ut inferior obsequatur superiori sine querela juxta monitum D. Pauli ad Philip. 2. *omnia facite sine murmurationibus*, quia ut notavit S. Barnardus *lib. de præcept. & dispensat. multos videmus post præcipientis imperium, multas facere quæstiones, cur, quare, quamobrem, sæpius interrogare: crebras ingeminare querelas: quærere, quare hoc præcipit, unde hoc venit, & quis invenit hoc consilium? Inde murmuratio, excusatio, simulatio impossibilitatis, advocatio amicorum. Tales sanè non faciunt obedientiam Deo acceptam, nec hominibus gratam.* Tertia conditio est ut inferior gratanter, & hilariter suo obediat superiori juxta illud Ecclesiast. 25. *In omni dato tuo hilarem fac vultum tuum.* Hinc Bernardus in serm. ad fratres in morte Christi, ait: *serenitas in vultu, dulcedo in sermonibus multum colorant obedientiam obsequentis. Nebulosa corporis compositio, & facies tristitiæ tenebris obfuscata, devotionem ab anima recessisse significant.* Ultima conditio est, ut obedientia fiat fortiter, ac perseveranter, adeò ut subditus non detrectet exequi difficilia, & postquam ea inceperit, non resiliat, exemplo Christi qui factus fuit obediens usque ad mortem ad *Philip. 3.* Hinc Bernardus in *lib. ad milites templi c. 13.* ait: *manum tuam misisti ad fortiora, agendum est instanter, constanter obediendum: nec inter verborum, seu verberum asperitatem, tam regalis est semita relinquenda.*

TITULUS XXXIV.

De Treuga, & Pace.

Acturus Pontifex de pactis privatorum præmisit hunc titulum de publicis conventionibus, scilicet de treuga, & pace. Est enim pax publica conventio, quâ inter se Duces belli quædam paciscuntur: quæ ideò dicuntur originem habere à pactione *l. 1. §. 1. l. 5. ff. de pact.* Treugæ verò nomen cujus sit linguæ, vel nationis vocabulum hactenus non constat, unde habetur vocabulum barbarum, latinis Authoribus ignotum, quo significantur induciæ; quæ secundùm Donatum in Terentii Eunuchum sunt pax ad paucos dies, vel quia in dies otium præbeant. Varro autem apud Gellium *lib. 1.* ait, inducias esse pacem castrensem paucorum dierum, seu ferias belli, ut nihil incommodi detur; hinc Paulus jurisconsultus in *lib. 19. §. 1. ff. de captivis & postlimi. revers.* ait, inducias esse, quando in præsens tempus contrarii exercitus conveniunt, ne invicem se lacessant, unde induciæ differunt à pace, quia hæc est in perpetuum; vel in longum tempus: induciæ verò sunt pax paucorum dierum; quas tamen nemo violare debet, ubi semel pactæ sunt.

SUMMARIUM EXEGETICUM,

Capitum in hoc titulo contentorum.

C. TREUGAS 1. h. t. Alexander III in Concilio Lateranensi designat tempora treugæ, & à quarta feria post occasum solis, usque ad secundam feriam in ortu solis, ab Adventu Domini usque ad octavas Epiphaniæ, & à septuagesima usque ad octavas paschæ, ab omnibus inviolabi-

liter præcipit observari, & Transgressores tertiò monitos vult sententiæ excommunicationis ferendæ ab Episcopo subjacere, si non satisfecerint, & sententiam nuntiandam esse Vicinis Episcopis, & ab iisdem confirmandam. Rursus præcipit Pontifex, ut Episcopi ad pacem promovendam, & firmiter conservandam mutuum sibi præbeant auxilium, & consilium: & negligentes in hoc opere declarat, incurrere damnum propriæ dignitatis. Verùm hæc decretalis illis vigebat temporibus, quando christiana charitas fervebat, & major erga divinum cultum, & res sacras erat reverentia. Hodiè enim non amplius videtur esse in usu, nec Episcopos obligare, eò quia per desuetudinem evanuerit. Tum quia lex moribus utentium non recepta non obligat c. in istis §. leges dist. 4.

C. *INNOVAMUS* 2. h. t. *idem Pont. declarat, tempore belli gaudere securitate, Presbyteros, Monachos, peregrinos, Mercatores, Agricolas, & animalia. Verùm hæc lex licèt sancta, videtur & ipsa inter armorum strepitus silere, nec ullius esse efficaciæ, cùm experientia deprehendatur, ingruente bello omnia pessundari sacra, & profana, & milites vix Ecclesiasticis parcere.*

IN SEPTIMO.

C. *QUONIAM* 1. h. t. *Pius IV. jubet, ut pacis, & treugæ fidejussiones stipulentur, ne novis causis rumpatur conventio; & treugarum, vel pacis fractores, vel eorum fidejussores allegare non possint, quòd offensa ex nova causa processerit.*

C. *CUM OB INNUMERAS* 2. h. t. *idem Pont. moderatur, & ad juris terminos reducit præcedens rescriptum de allegatione novæ causæ in causis pacis, & treugæ, & mandat observari præventionem juxta decretum Concilii Tridentini.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

C. *AD UNIVERSALIS* 1. h. t. *intendens Sixtus IV. discordiam ex pragmatica sanctione subortam sedare, concedit Ordinariis Regni Galliarum sex menses ad conferenda beneficia, & facultatem concedendi sex gratias sibi retinet. Rursus beneficia Cardinalium, & eorum, qui Cardinalium sunt familiares in Regno Galliarum existentia ad certum tempus sibi reservat. Præterea de beneficiis promovendorum ad majores dignitates, quid fieri debeat, ostendit. Rursus causas beneficiales in prima instantia vult in partibus terminari; in quibus ante definitivam sententiam prohibet appellari. Declarat itidem quid faciendum sit de causis in curia pendentibus, & quomodo eadem causa si tractetur in diversis curiis, ac diversis respectibus terminanda sit. Rursus taxas beneficiorum editas à Joanne XXII. declarat esse retinendas, & demum designat tempus, intra quod vult hæc omnia acceptari, & servari: & plura habentur in Concilio Tridentino* sess. 24. de refor. c. 19. & c. 20.

C. *VICES ILLIUS* ult. h. t. *idem Pont. confirmat concordiam factam in Germania inter Parochos, & Medicantes, addítque pœnam excommunicationis, ne Parochi dicant hæreses manasse à Mendicantibus; & mendicantes non dicant, nec prædicent, populos non teneri audire missas in eadem Parochia diebus festis; cùm hoc sit jure cautum, nisi justa causa excusaret. Rursus prohibet, ne mendicantes, nec curati inducant laicos ad eligendam sepulturam apud se. Rursus ne mendicantes prædicent, Parochianos non esse obligatos ad confitendum in paschate proprio sacerdoti, tametsi hoc non obstante possint mendicantes confessiones audire. Rursus quoad effectum prædicandi, horas cantandi, & campanas pulsandi mandat Pontifex, ut servetur consuetudo antiqua, nisi quando contingeret occasio, aut necessitas, quæ de consensu partium videretur justa. Item prohibet, ne Religiosi mendicantes in sermonibus detrahant Prælatis, & Parochis, neque Parochianos avocent à frequentatione parochialium Ecclesiarum. Et vicissim, ne Prælati, & Parochi detrahant Religiosis mendicantibus, sed majorem favorem, quem possunt, illis impendant, ut vera unitas, & perfecta charitas inter ipsos ostendatur.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§.

Quid sit Treuga, & quid Pax.

Um proprium sit Ecclesiasticorum dissidentes Principum animos, ac discordantia capita componere, & in concordiam reducere, & illos juvare, ut pacem ineant, eámque conservent, ut desumitur ex *c. 1. §. quoniam h. t.* ideò appositè titulus hîc ponitur de treuga & pace. Est autem treuga juxta Glossam in *c. 1. h. t.* Securitas personis, & rebus ad tempus præstita, discordia nondum finita: ubi discordia sumitur late quatenus comprehendit etiam privatorum dissidia, inter quos propriè bellum non est, quod non potest geri, nisi ex publica Principis authoritate, vel magistratûs, non habentis superiorem. Hinc treuga magis propriè est cessatio

ab hostilibus actionibus ad breve tempus, ne milites se invicem armis lacessant, & Glossa in *L. conventionum* §. *V. paciscuntur ff. de pact.* hoc assignat discrimen inter inducias, & treugam, eò quia induciæ dentur ad breve tempus, treuga verò ad longum: ab aliis tamen sumuntur pro synonimis. Cæterum differt treuga à pace, quia treuga sit veluti pars conclusæ pacis, seu pax, & securitas ad tempus, rebus, & personis constituta: pax verò sit finis belli, ut notat Glossa in *c.1. V. treugas.*

2 Duplex est treuga, una conventionalis, alia canonica; illa datur ex libera voluntate litigantiū, quia initur ab hominibus, & ex conventione præcipit formam, & modum, perinde, ac quilibet contractus *l.1. §. si conveniat. ff. depositi*, & hujusmodi conventionales treugæ recensentur inter jura gentium, ut liquet ex *c. jus gentium 21. dist. 1.* siquidem omnium gentium usu, & consensu juxta naturalem æquitatem statutum est, ut fides etiam hosti data servetur, *c. noli causa 23. q. 1.* dummodò hostis ex sua parte etiam fidem servet, alioquin frangenti fidem fides frangetur eidem *c. pervenit. 3. de jurejur. c. 2. causa. 22. q. 2.* unde tempore induciarum, quæ in agro hostili capiuntur, non fiunt capientium, nec capti servi. Neque opus est captis jure postliminii quia captio non est facta jure belli *l. postliminium, §. induciæ. & l. non dubito 7. ff. de captiv.* Treuga canonica quæ & legalis dicitur, est quæ datur per canonem, seu constituitur per legem *c. 1. & 2. h. t.* & duplex solet assignari temporalis, & perpetua. Alexander III. in Concilio Lateranensi *c. 21.* præcipit, treugas temporales, seu inducias belli esse servandas à feria quarta post occasum solis usque ad secundam feriam in ortum solis, & ab adventu Domini, usque ad octavam epiphaniæ, & à septuagesima usque ad octavam paschæ sub pœnis excommunicationis ab Episcopo post tertiam monitionem infligendæ. Verùm sicut quæ statuuntur in hoc capite & sequenti, nimirum ut tempore belli personæ Ecclesiasticæ, & rustici, ac eorum animalia plena gaudeant securitate, usu non recipiuntur à militibus, non curantibus pontificia, nec cæsarea statuta, ideo quoad praxin non consequuntur suum effectum; neque militum licentiæ lex in castris præfigitur, neque sinunt, se coërceri legibus, qui non patiuntur armis terreri.

3 Statuitur tamen in *d. c. 1. h. t.* ut Episcopi sub pœna amotionis à dignitate teneantur sibi mutuum consilium, & auxilium impendere, ut inter dissidentes tam Clericos, quam laicos pax firma stabiliatur, & conservetur. Constitutio tamen præscribens certa tempora induciarum, vel per contrariam diuturnam consuetudinem est abrogata, vel nunquam moribus utentium recepta, ut notat Glossa *h. t. V. frangere*: potest tamen Ecclesia, & Magistratus Ecclesiasticus præcipere laicis; imò & illos obligare ad culpam, & pœnam, quando agitur de exercitio actûs, ex quo arguitur quædam irreverentia, quæ irrogatur diebus institutis ad cultum Dei. Si petas, quinam gaudeant treuga, seu securitate perpetua. Respondetur, omnes Ecclesiastici, & Monachos, etiam conversos, ut etiam Peregrinos, Mercatores, Viatores, Rusticos excolentes campos, ducentes animalia ad arandos campos, quia ex hisce personis quædam non possunt in bello spoliari suis bonis, nec lædi corporaliter, eò quia personaliter non noceant, nec sint injuriæ Authores, nec cooperatores: sed supponantur personæ prorsus innocentes.

Rursus neque debent puniri per accidens, eò quia sint pars reipublicæ nocentis, contra quam justum bellum offensivum geritur; quia revera prærecensitæ personæ, præsertim Clerici, Religiosi, peregrini non sunt membra talis reipublicæ. 4
Hinc etiam Rustici, & Agricolæ, quamdiu vacant agriculturæ, gaudent privilegio securitatis, perinde ac milites quamdiu actu militant gaudent suis privilegiis. *l. ult. ff. de testam. milit.* ut mercatores quamdiu mercimoniam exercent; & Peregrini, quamdiu peregrinantur, ut etiam legati quamdiu funguntur munere legationis *l. 2. §. legatis, & §. omnes. V. planè ff. de judic.* ut etiam Clerici, & Monachi, quamdiu regulariter vivunt, & Ecclesiæ inserviunt *L. generaliter 52. C. de Episc. & Cleric.* Professores etiam, & studiosi gaudent privilegiis ipsis concessis, quamdiu in scholis publicè docuerint, vel studuerint, ut liquet ex *cap. ult. de Magistris.* Salvus conductus, seu securitas data alicui proficiscendi ad aliquem locum est causa, ne quis damnum ullum à militibus patiatur, tam accedendo ad locum, quàm recedendo ab eodem *c. euntes, & redeuntes*: quia ire, & redire in jure ambulant pari passu *c. Magnæ 7. de voto l. si cui 38. §. tamdiu ff. ex quibus caus. majores*: quia non dicitur quis venire ad certum locum, nisi securè possit ibi morari, & inde recedere, ut notat Felin. *hic nu. 1.*

Quæri solet, an judex possit partes litigantes ac dissentientes ad compositionem adigere. 5
Et respondetur, non posse cogere ad transigendum, aut compromittendum; quia hæc coactio eò tenderet, ut quis invitus cederet juri suo, quod est iniquum, & prohibitum judici, ut liquet ex *c. novell. ut litigantes*, nisi lis intricata fuerit, ut aliter expediri non possit, tunc enim posset partes adigere ad compositionem, quia non pateret alia via ad litem dirimendam, ut communiter docent Canonistæ, Abbas in *c. cùm pridem n. 6 inf. de pact.* Jason *ad l. Quidam 21. n. 4. arg. in c. fin. sup. tit. 3. de rescript.* Cæterum rectè ageret judex, si anniteretur partes componere perpetuò per pacem, quâ remissis injuriis perpetuum stabilitur fœdus: vel temporaliter per inducias, seu treugam. Rursus si dissidia sint publica inter civitates, aut populos subjectos, tum Princeps potest præcipere partibus dissidentibus, ut se componant, pacémque ineant juxta *Authent. de mandat. Princip. §. deinde* juncta Glossa *V. pacem Novell. 17. l. congruit. 12. de offic. Præsid.* & cùm Princeps possit subditos adigere ad pacem ineundam, multò magis etiam ad inducias.

Quæritur secundò, an Princeps teneatur pacem inire, si adversarius justam offerat satisfactionem. Solent Doctores in hac quæstione procedere cum distinctione: si oblatio justæ satisfactionis fiat ante inchoatum bellum, cen-

sent plures, teneri tunc Principem acceptare satisfactionem, & desistere à bello, dummodo periculum absit, ne hostis fraudulenter agat, & velit meliorem expectare occasionem lædendi adversarium. Sin verò bellum jam fuerit inchoatum, & milites in castris parati ad pugnam, tunc putat Cajetanus non teneri Principem acceptare sibi oblatam satisfactionem; eò quia Princeps gerens bellum, tunc fungatur officio judicis injuriam ulciscentis: & judex semel inchoatâ causâ non tenetur desistere à punitione Rei, tametsi hic satisfactionem offerat pro delicto.

7 Alii tamen cum Molina *de justit. & jur. tract. 2. disp. 103 n. 33.* censent, teneri Principem justam sibi oblatam satisfactionem acceptare; quia per hujusmodi oblationem tollitur injuria; proinde actio belli, sublata enim injuria, & actione, nulla superest causa belli. Neque paritas de judice multùm urget, est enim discrimen inter punitionem unius particularis personæ, & illationem belli: siquidem in judicio solus reus patitur citra præjudicium punientium; secus in bello non solum patiuntur hostes, verùm etiam qui contra eos bellum gerunt: hæcque ratio, cur Princeps saltem propter suos teneatur justam sibi oblatam satisfactionem acceptare, & à bello desistere. Cæterum habenda semper est ratio ad ingenia mala, quæ ex bello oriuntur, proinde pax est semper bello præferenda.

8 Quæritur tertiò, an in tractatu pacis possit Princeps damna subditis illata absque eorundem consensu remittere? Solent etiam hic doctores procedere cum distinctione; si enim Princeps renitentibus subditis bellum injustum inchoaverit, tenetur ipse suis subditis illata damna resarcire; & de proprio illis satisfacere: sin autem bellum justum fuerit, debet omni modo procurare, ut damna illata suis subditis ab hoste compensentur, nomine autem damnorum intelliguntur devastationes, expilationes, eversiones, non verò expensæ. Quòd si pax aliter haberi non posset, quàm remissis damnis; & Reipublicæ plurimùm interesset desistere à bello, & pacem inire; tunc ob bonum publicum posset Princeps etiam invitis subditis pacem concludere cum remissione damnorum, quæ fuerunt illata: quia tunc Princeps censendus est promovere bonum commune, ac negotium utile pro subditis gerere, ut isti ab ulterioribus belli gravaminibus subleventur. Tum quia urgente publica utilitate, & bono communi dicitur Princeps habere jus in bona privatorum subditorum, quia bonum publicum est præferendum privato. Non tamen potest Princeps hanc remissionem concedere quoad damna illata Ecclesiis absque consensu Ecclesiasticorum superiorum: quia Princeps sæcularis non potest disponere de rebus sacris, quia non sunt sub illius dominio, & jurisdictione.

Cæterum inter Principes Christianos laudabile semper est, dissidentes animos componere, & impedire Christiani sanguinis effusionem, ut præstiterunt S. R. J. Electores Saxonicus, & Brandeburgicus: cùm Reges Matthias Hungaricus, & Casimirus Polonicus duxissent exercitus ad urbem Uratislaviensem, & uterque armorum vi Silesiam suo conaretur Regno adjicere, tunc ad impediendam sanguinis effusionem & pericula, quæ imminebant Germaniæ; Electores Saxonicus, & Brandeburgicus conjunctis armis, & animis, adductisque in societatem finitimis Principibus; testati sunt, se utrique Regi amicos esse, & non permissuros, ut bellum ipsi inter se gererent exitiale Europæ, & utile Turcis: unde honestas pacis conditiones, se proposituros, utrique Regi spoponderunt: quas uter ex Regibus accepturus sit, ei se suas copias adjuncturos, ut alter vi reprimeretur, & opprimeretur. Neque passuros se esse, ut exterorum armis Germania excidium patiatur. Hinc Rex Casimirus æquitatis, ac Principum Romani Imperii Amicus, & qui à pace minus abhorrebat, annuit Electoribus, quibus Matthias, qui ægrè ferebat sibi leges præscribi, invitus cedebat; quia tamen satis perspectum habebat, se Polonis, & Germanis junctis viribus non fore parem, conditiones pacis sanciendæ, & ipse acceptavit, ut refert Richter *in axiom. polit.* 9

TITULUS XXXV.

De Pactis.

Quia per pacta, & transactiones plerumque pax, & treuga inducitur, ac firmatur, & pacis nomen à pacto, seu pactione derivetur *l. 1. ff. de pactis*, ideo rectus procedendi ordo exigebat ut titulo de treuga, & pace adjiceretur præsens de Pactis. Ut enim publicis, ita & privatis pactionibus fides constare debet, ut ait Ulpianus *l. 1. ff. de Pactis:* nil enim magis congruum fidei humanæ, quàm pacta servare, nisi fortassis illicitæ conventionis speciem contineant; sic jure civili omnia pacta conventa Prætor rata habet; & ea respuit, quæ dolo malo, vel contra leges inita sunt, & generatim ea omnia, ex quibus aliquid sequitur improbum, & absurdum.

SUM-

SUMMARIUM EXEGETICUM

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

CAP. *ANTIGONUS* 1. *h.t. Ex Concilio Africano statuitur ut pacta etiam nuda serventur, dicitur pactum nudum, quia consistit in sola mutui consensus,& obligationis declaratione illinc dantis, istinc acceptantis absque ullo extrinseco adveniente, per quod veluti vestiatur: quoties pactum stat in puris, ac meris juribus conventionis, neque accessit aliquid roboris ex dispositione juris, ut esset stipulatio, scriptura per litteras, vel chirographum, vel traditio, dicitur nudum, quod servandum est, dummodo sine dolo,& fraude initum fuerit; & non adversetur bonis moribus, nec sit contra æternam salutem. Nota, hoc pactum nudum obligare in conscientia non in foro exteriori.*

C. *QUOTIES* 1. *h.t. Declarat Gregorius Papa, duorum subditorum pactum alias nullum accedente consensu, ex ratihabitione superioris omninò consolidari. Notat Glossa, ratihabitionem Pontificis tunc retrotrahi, & æquiparari mandato, si pactum tale fuit, quod superior rerum habens potuerit ab initio illud concedere. Fallit tamen id in filia, quæ nubit tempore litis; & in pupillo, in cujus negotio requiritur consensus tutoris. Rursus debet confirmari pactum cum causæ cognitione, adeò ut non sufficiat si confirmetur in causa communi.*

C. *QUALITER* 3. *h. t. Idem Pont. statuit, ut studiosè agendum sit; ut quæ promittuntur, opere compleantur: quia ut notat Glossa, verba intelligenda sunt cum effectu.*

C. *CUM PRIDEM* 4. *h.t. Alexand. III. declarat, pactum de cedendo liti beneficii Ecclesiastici mediante solutione alicujus pecuniæ, vel rei traditione,& etiam pro expensis factis esse simoniacum. Hinc liquet, non valere resignationem, per quam beneficium Ecclesiasticum debet pro pecunia resignari, quia est resignatio simonaica. Papa tamen potest dispensare in iis, quæ ideò sunt simoniaca, quia prohibita: non verò in sacramentis, quia hæc sunt prohibita, quia simoniaca. Cæterum ad redimendam vexationem potest alicui dari aliquid, si illi, qui accipit, nullum jus competat.*

C. *ACCEPIMUS* 5. *h.t. Idem Pont. rescribit Archiepiscopo Eboracensi, revocandas esse Ecclesias concessas cum pacto, quòd post mortem accipientis, alii nominati succedant, ut iniquas pactiones contra jus; & prohibet admitti appellationem. Hinc liquet, successiones in Ecclesiis,& beneficiis esse in jure prohibitas. Rursus Ecclesiam non vacantem non posse alteri promitti, quamvis consentiat Rector Ecclesiæ. Neque Episcopum posse cum pacto concedere, ut alter sibi succedat, quia Prælatus Ecclesiæ non potest sibi successorem eligere sine licentia Papæ.*

C. *CUM CLERICI* 6. *h.t. Idem Pont. rescribit Archiepiscopo Contuariensi, eum, qui Ecclesiam consecutus est mediante promissione pensionis majoris solito solvendæ conferenti beneficium, esse privandum Ecclesia sine appellatione, ac puniendum severitate Ecclesiastica. Ubi notat Glossa, quòd si bona Ecclesiæ sint augmentata diligentiâ clericorum, non sit pensio augenda; benè tamen possit augeri si augmentata sint aliunde* argum. c. quanto in fin. de cens.

C. *PLERISQUE* 7. *h.t. Innocentius III. declarat illud pactum esse reprobandum, quô quis locat domos, vel prædia, vel infeudat, cum præjudicio Ecclesiæ parochialis, nimirum, ut solvant decimas eis, vel apud eos eligant sepulturas: & mandat Pontifex restitui Ecclesiæ parochiali quiquid habuerant occasione hujus pacti: ubi notat Glossa, Ecclesiam parochialem posse agere contra Regulares, vel sæculares Clericos, ut ei reddant, quod perceperunt occasione talis pacti: imò liquet posse etiam agere contra possessores* argum. c. Apostolicos 11. q. 2.

C. *PACTIONES* 8. *h.t. declarat Gregorius IX. pactiones factas pro spiritualibus obtinendis nullius penitus esse valoris, eò quia pro spiritualibus habendis debet omnis pactio, & conventio cessare, ut etiam quando pactum est contra salutem animæ. Generatim id procedit de omni pacto turpi, vel rei turpis, vel impossibilis de jure, vel de facto; cùm enim sint pacta irrita, nullam pariunt obligationem. Nota, per hanc decretalem tolli omne pactum dandi aliquid temporale pro spirituali, & pactum tacitum, vel expressum dandi aliquid pro spirituali esse simoniacum* c. per laicos 16. q. 7.

IN SEXTO.

C. *PACTUM* 1. *h.t. Bonifacius VIII. declarat, Regulares habentes privilegium à Papa sepeliendi quoscunque in sua Ecclesia, si pactum ineant cum Parocho non sepeliendi certos, vel omnes de parochia, teneri pactum servare, eò quia per pactum derogetur indulto. Ex quo textu deducitur, jus sepulturæ regulariter pertinere ad solas parochias, & ex privilegio ad alios. Non tamen privilegiati eos possunt sepelire, quibus est interdicta sepultura.*

C. *QUAMVIS* 2. *h. t. Declarat idem Pont. pactum factum patri à filia, dum traditur nuptui, quòd dote contenta non habebit regressum ad bona paterna, secundum leges civiles non valere, & reprobari: valere tamen, & esse servandum si sit juratum sine vi, & dolo, & sine detrimento alterius. Nota, legem civilem improbantem pactum renunciationis factum patri à filia de non succedendo haberi* in l. pactum dotale, & l. ult. c. de collat. *item* l. si quando. C. de inof. testam. *siquidem videtur inhumanum eam privare jure successionis, cui ipsa natura concessit. Moris tamen est, ut hujusmodi pacta renunciationis plerisque in locis valeant, adeò ut non sint illicita, quia excusantur obtentu majoris boni, & si illis addatur juramentum, obligant etiam in conscientia: & jus Canonicum assistit hujusmodi pactis, maximè juratis, proinde si addatur juramentum, obligant in conscientia,& non possunt impugnari, ut illicita.*

QUI

C. QUIA EX EO ult. h. t. idem Pont. declarat, pacta mendicantium, & compositiones factas à Prioribus, vel Guardianis ex consensu suorum conventuum cum Prælatis, Capitulis vel Rectoribus Ecclesiarū super juribus parochialibus, aliisq; quibuscunq, articulis esse servanda à successoribus, tametsi non sint confirmata à Provincialibus, vel Generalibus, vel à Sede Apostolica, dummodo fuerint pacta licita, & honesta, & non sint contraria his, quæ habentur in clement. dudum §. nos enim, de sepult.

IN SEPTIMO.

C. IN EAM 1. h. t. Pius V. damnat ea omnia cambia, quæ sicca nominantur, & ita confinguntur, ut contrahentes ad certas nundinas, seu ad alia loca celebrare simulant, & ad ea loca ii, qui pecunias recipiunt, litteras quidem suas cambii tradunt, sed non mittuntur, vel ita mittuntur, ut transacto tempore, unde processerant, inanes referantur, aut etiam nullis hujusmodi litteris traditis pecunia ibi cum interesse reposcitur, ubi contractus fuerat celebratus: nam inter dantes, & recipientes ab initio ita convenerant, vel certè talis intentio erat; nec quisquam est, qui in nundinis, aut locis supra dictis hujusmodi litteras recepit, solutionem faciat. Unde Pontifex declarat illicitam, & prohibitam hanc commutationem.

C. CUM ONUS ult. h. t. Idem Pont. statuit formam contrahendi censum, nimirum ut sit de re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, sitque de sui natura fructifera, & quæ nominatim certis finibus designata sit. Et ut fiat in pecunia numerata præsentibus testibus, & Notario, & in actu celebrationis instrumenti, non autem priùs recepto integro, & justo pretio. Prohibet solutiones anticipatas fieri, & in pactum deduci, & plura alia, quæ in textu continentur.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid sit Pactum, & quomodo dividatur?

1 PActum quasi à pace dictum, eò quia per pacta pax fieri soleat, vel à pactione *l. 1. §. 1. ff. de pact.* laxè, & generatim sumptum non differt à contractu latè accepto, benè tamen à contractu propriè, & strictè sumpto, perinde ac genus solet à sua specie distingui, siquidem latiùs patet pactum, quàm contractus; quia hic propriè sumptus eas tantùm hominum conventiones complectitur, quæ ultrò, citroque obligationem pariunt, mutuamque utriusque contrahentis exigunt obligationem: secus pactum, ut quid laxius non solùm continet omnes contractus, sed etiam pollicitationes, seu promissiones, & conventiones qualescunque, sive sint reciprocæ, vel mutuò utrinque sint obligatoriæ, ut emptio, locatio, & alia id genus, sive non. Hinc pactum definitur à juris consulto in *l. 1. ff. h. t. duorum, vel plurium in idem placitum, vel consensus*, ex quo statim apparet discrimen inter pactum, & pollicitationem, eò quia pactum sit duorum, vel plurium in idem consensus; & pollicitatio sit tantùm consensus unius, seu promissio solius offerentis *l. 3. ff. de pollicitat.* Cæterùm pactum si perfectū fuerit jure naturæ obligationem parit, Pollicitatio non obligat promittentem donec promissio fuerit acceptata à promissario. Hinc promittens potest ante acceptationem suam revocare promissionem *l. 2. §. sed quis donationis*, & *l. absenti. ff. de donat. l. nuda pollicitat. C. de contraben. stipulat.*

2 Rursus ut pollicitatio facta absenti irrevocabilem invehat obligationem, non sufficit, si alius quiscunque audiens absenti notificaverit; isque acceptaverit, sed requiritur, ut ipse promittens per nuntium à se destinatum, & per epistolam, promissionem absenti insinuet, quia pollicitatio, ut obliget irrevocabiliter, debet ratione pacti induere, & quia pactum non fit nisi per unionem duarum voluntatum, & ipsæ perfectæ non uniantur nisi promittens, & Promissarius simul consenserint, ideò promittens debet, vel per se vel per alium à se destinatum suam voluntatem alteri notificare, ut notat Julius Clarus §. *donat. q. 12. n. 2.* Panormitanus tamen in *c. 3. h. t.* censet, universim de jure canonico non procedere potestatem revocandi pollicitationem ob textum in *eod. c. 3.* ubi jubetur, omne promissum impleri, perinde, ac inita pacta implenda sunt; quia ut ait juris consultus *d. l. 1. ff. h. t.* nihil tam fidei humanæ congruit, quàm ea, quæ inter eos placuerunt servare. Communiùs tamen censent nil hic in parte de jure canonico derogatum, ac mutatum fuisse, & asserunt præcitata jura in *d. c. 3.* esse intelligenda de pollicitatione completa, seu acceptata promissione, quia regulariter verba legum sumenda sunt cum effectu *c. cum semper de offic. delegat.* Tum quia pollicitatio ex se non producit obligationem naturalem, quia hæc non nisi ex consensu duorum oritur, alioquin nec jus civile potuisset permittere revocationem pollicitationis.

3 Pollicitatio tamen facta ad pias causas, ut promissio facta Ecclesiæ, Nosocomio, pauperibus statim obligat etiam nemine expressè acceptante, quia talis promissio censetur principaliter fieri Deo, à quo si promissio fit ex se bona censetur statim acceptari, perinde ad votum. Quinimò etiam de jure civili pollicitatio facta alicui

alicui civitati ex justa causa ad resarcienda damna illata statim irrevocabiliter obligat *l. 1. ff. de pollicitat.* Unde à fortiori, etiam pollicitatio facta piæ causæ, & ex causa salutis acquirendæ. Quòd si quis per nuntium absenti mittens pollicitationem moreretur, antequam absens acceptet pollicitationem. Respondent communiter post mortem talem pollicitationem non posse acceptari, ut etiam si quis procuratori mandaret, ut absenti nomine Principalis aliquod beneficium afferret: eò quia mandatum per mortem mandantis re adhuc integra regulariter expirat *l. siquidem 8. C. de obligat. L. mandatum. C. mandati.* Sed excipiuntur piæ causæ, in quarum favorem mandatum etiam post mortem mandantis sustinetur *argu. L. si ego. de jur. dot. L. si Pater. ff. de manumiss. vind.* Covarruvias *variar. resolut. lib. 1. c. 14. n. 16.* Quòd si per testamentum quis aliquid legaverit alteri absenti legatum ei debetur: quia testator intendit, quòd post ejus mortem solvatur ei legatum. Major difficultas videtur esse, si quis actualem promissionem circa fœudum, donationem, vel quid aliud simile per litteras, aut nuntium absenti significari desacto curaret, & antequam absens acceptaret, seu ad illum perveniret nuntius, promissor decederet, an tunc tenerentur hæredes promittentis dare absenti fœudum promissum? Sententiæ doctorum inter se dissentiunt. Sanchez *de matrim. disp. 16. n. 5.* censet, promissionem illam esse adimplendam, eò quia ex parte promittentis fuerit perfecta cùm viveret *argu. l. nec ambigi. C. de donat.* præsertim cùm voluntas promittentis adhuc perseveret in litteris directis ad absentem: & affert paritatem etiam de gratiis, quæ morte concedentis non expirant, *c. si super gratia de offic. delegat. in 6.*

4 Verùm contraria sententia communior est, ac censetur probabilior, magisque conformis rationi, & textibus juris, ut ostendunt Tiraquellus, & Decius. Quia promissio non intelligitur perfecta ante acceptationem Promissarii, proinde per mortem promittentis ante talem acceptationem expirat: perinde ac mandatum morte mandantis re integra *argu. l. siquidem 8. C. de obligat. l. mandatum. C. mandati.* Et *l. si ego ff. de jur. dot.* ubi tantùm fit exceptio favore dotis, quæ exceptio firmat regulam in casibus non exceptis *l. qui testamento 20. §. mulier 6. ff. de testam.* Tum quia in *d. l. si ego.* assignatur etiam ratio, quia in vita promittentis promissio non fuit perfecta defectu acceptationis requisitæ, & nondum factæ à Promissario absente; & post mortem Promittentis dominium rei promissæ statim transit ad hæredem promittentis. Tum quia regulariter actus inter vivos, & dependentes in conservari à continuatione voluntatis per mortem promittentis, vel donantis interrumpuntur, quia non censetur continuare voluntas promittentis *c. si gratiosè de rescript. in 6. lib. 4. ff. locati.* Tum quia post mortem promittentis non possunt ampliùs duæ voluntates simul uniri.

5 Neque ullum facessit negotium argumentum deductum ex *l. nec ambigi C. de donat.* quia ibi non dicitur, donationem esse perfectam ante acceptationem donatarii; sed quòd possit inter absentes fieri. Neque argumentum à pari de gratia, quæ morte concedentis non expirat, multum urget; quia intelligitur de gratia Principis, quæ non transit propriè in naturam pacti, vel contractus. An verò si Donatarius absens, vel promissarius moriatur antequam acceptaverit donationem, vel promissionem, ejus hæres, possit rem illam acceptare? licèt Sanchez *loc. cit.* affirmet ea innixus ratione, quia hæres defuncti personam repræsentet. Nihilominus probabilior sententia est, quòd hæres invito promittente, vel donante non possit rem illam acceptare, quia tunc deficit unio directa voluntatum inter principales personas; cùm enim donatio dependeat à voluntate donantis, potest rem uni donare, non alteri, tametsi sit hæres. Tum quia defunctus ante acceptationem nullum acquisivit jus in rem illam, proinde non potuit hoc jus in hæredem transferre. Neque obstat, quòd hæres dicatur repræsentare personam defuncti, quia id in jure tantùm intelligitur de actibus, & obligationibus, quæ in vita defuncti perficiuntur, & complentur.

Pactum igitur propriè sumptum dividitur in publicum, & privatum, hoc versatur circa rem familiarem, & privatam; illud circa publicam, cujusmodi sunt induciæ, pax, & alia id genus, quæ pertinent ad communitatem, totámque rempublicam. Rursus aliud est expressum, aliud tacitum *l. 2. ff. h. t.* Expressum est, quod re ipsa exprimitur inter præsentes; vel absentes per litteras, vel nuntium. Tacitum colligitur ex interpretatione quadam facti, ut si debitori cautionem quis reddat, dicitur remittere ei debitū, & taciti pacti actionem habet debitor. Ex pactis privatis alia dicuntur juris gentium, & alia legitima: illa sunt, quæ sola ratione æquitatis subsistunt; nec ullam pariunt actionem, sed tantùm exceptionem *l. juris gentium 7. ff. h. t.* Pacta legitima dicuntur, quæ lege aliqua civili firmantur, & hæc parere, vel tollere possunt actionem. Rursus alia sunt pacta in rem; alia in personam, illa versantur circa res; hæc circa personas, ut cùm quis paciscitur, ne à persona Titii aliquid exigatur, aut ne in judicium vocetur Cajus *l. juris gentium 7. §. 8. ff. eod.* 6

Rursus pactum aliud dicitur nudum, vestitum aliud. Illud dicitur, quod nō habet proprium juris nomen, nec causam obligationis, præter solam conventionem, adeò ut si quis interrogetur, quid actum sit in partes, nil aliud speciale possit respondere, quàm esse factam pactionem, seu conventionem, ut describit pactum nudum Durandus *l. 7. §. 4. h. t.* unde pactum nudum consistit in mera conventione, seu consensione, ut si duo conveniant de permutandis simul palliis sine traditione, illa enim simplex conventio nondum facta traditione dicitur pactum nudum. Vestitum verò dicitur contractus strictè sumptus, & jure civili parit actionem, ut emptio, venditio: ut si Titius tradiderit pallium Cajo, cui antea promiserat, hic actus facit, ut Cajus de- 7

beat itidem suum pallium dare Titio; cui vicissim promiserat, quia ratione facti, seu traditionis factæ à Titio obligatur alter etiam præstare, quod promiserat, ut notat Tuscus *conclus. 18. littera P.* Vestitur autem pactum sex modis. Primò si pactum simplex transeat in contractum specificum, seu nominatum in genere suo perfectum, ut in emptionem, locationem, commodatum.

8 Secundò vestitur, seu confirmatur si ex altera parte secuta sit impletio promissi, vel rei traditio, ut solet contingere in contractibus innominatis: do, ut des: tunc enim posita traditione rei non habetur sola pura conventio, sed obligatio oritur ex re ipsa tradita: hinc qui ex sua parte implevit promissum potest exigere, ut alter suam itidem impleat promissionem, vel ut sibi restituat, quod dedit. *l. naturalis §. et si quidem ff. de præscript. verb.* ut si Petrus conveniat cum Joanne, ut sibi det decem mensuras olei pro quinquaginta vini, postquam Petrus vinum tradidit Joanni; potest agere contra ipsum, & adigere ad dandum promissum oleum, vel ad restituendum vinum.

9 Tertiò vestitur pactum, si accedat stipulatio, cujus forma jure civili introducta est, & hæc perficitur mutua interrogatione, & responsione, ut si quis dicat: promittisne mihi daturum equum pro centum mensuris tritici? & alius respondeat promitto tibi dare equum, si mihi dederis centum mensuras tritici; hæc stipulatio confirmat pacta, quæ alioquin essent nulla, ut liquet ex *l. ex placito C. de rer. permut.* Moris tamen nunc est, ut pacta stipulentur per publicum instrumentum notarii, vel per simplicem scripturam manu promissoris subscriptam, aut obsignatam, ut notat Molina *tract. 2. disp. 255. n. 4.*

10 Quartò vestitur pactum simplex si eidem statim adjiciatur aliud pactum vestitum, seu jure civili firmum, sive pactum nudum præcedat vestitum, sive statim subsequatur, quia per cohærentiam ad alterum contractum nominatum, vel innominatum, seu pactum vestitum, vestitur etiam pactum, quod alias esset nudum juxta *l. juris gentium. §. quinimò ff. hujus tit.* ut si Cajus locavit domum Titio adjecto simul pacto, ut agrum fuum adjacentem excolat; tametsi hoc pactum excolendi agrum sit nudum, quia tamen cohæret cum primo vestito, seu contractu locationis, ideò hoc adimpleto ex parte locantis domum, vestitur etiam, seu firmatur pactum excolendi agrum, quod erat nudum, ita ut pariat actionem civilem, perinde ac contractus nominatus locationis, cui adnectitur.

11 Quintò vestitur etiam pactum nudum per auxilium legis, seu ejus assistentiam, adeò ut ex juris privilegio ex tali pacto oriatur actio civilis, ut notat Glossa in *cit. l. juris gentium. §. sed cùm nulla. V. igitur ff. hujus tit.* siquidem ex simplici donatione postquam acceptata est, ante traditionem rei ex jure novo Codicis oritur actio civilis ad traditionem rei dono datæ *l. si quis 55. §. sed siquidem C. de donat.* Rursus ex simplici promissione acceptata dotis in favorem matrimonii oritur actio civilis *l. unic. C. de rei uxor. act. l. ad exact 7. de dot. promiss.*

Sextò vestitur etiam pactum nudum adjectione juramenti; adeò ut jure civili concedatur actio, ut communiùs censent cum Covarruv. in *c. quamvis p. 2. §. 4 n. ult.* quia ex contractu jure civili irrito, si per se non sit illicitus, seu contra bonos mores, datur jure civili actio, quando juramento firmatur, ut liquet ex *authent Impuberum C. si adversus venditionem.* proinde multò magis ex pacto nudo juramento confirmato, cùm hoc pariat naturalem obligationem in foro conscientiæ; non ita contractus jure civili irritus. Rursus vestitur etiam pactum, & parit actionem etiam de jure civili, si fiat in judicio; quia tunc proficit ad agendum *L. 4. § final ff. de fidejussor.* siquidem in judiciis quasi contrahitur *L. 3. § idem scribit ff. de pecul.* & ex quasi contractibus oritur obligatio, & actio, ut patet ex *tit. instit. de obligat.* quia quæ ex quasi contractibus, & quæ in judiciis fiunt omnem contractuum solemnitatem exsuperant. *l omnes 19. C. de testam.* 12

Ex pacto igitur vestito oriri obligationem, certum est, ex *l. juris gentium, & ff. de præscript. verb.* Ex nudo verò licèt obligatio naturalis oriatur, non tamen jure civili datur actio, quia jus civile dicitur odisse lites, quas pactorum frequentia necessariò progenerat, qua propter præsumitur, quòd frequentes illæ promissiones ex animi levitate potiùs fiant: unde unius cujusque honestati relinquitur, ut suis stet promissis, ne malè apud alios audiat. Jure tamen civili nascitur actio ex pacto nudo, quando id à legibus pacto tribuitur, ut liquet in donatione, quæ incipit ab accepta promissione nondum facta traditione rei promissæ, si enim Petrus det suum equum Paulo, & hic acceptet donationem, quia jus ad equum est ipsius Pauli, cui est dono datus, ideò si Paulus moriatur antequam Petrus tradiderit equum, debetur hic hæredibus Pauli: generatim obligatio donationis acceptæ transit ad hæredes *l. si quis argentum §. ult C. de donation.* & idem valet in nudo pacto dotis promissæ. An verò secundùm Canones ex nudo pacto oriatur obligatio, & actio? probabilior sententia affirmat, quando pactum initur cum expressione causæ: quia quæ de labiis suis procedunt nemo irrita facere debet, *Psal. 88.* ubi habetur: *& quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita.* hinc in Concilio Africano Antigonus Episcopus dixit, aut inita pacta suam obtineant firmitatem, aut conventus Ecclesiasticam sentiat disciplinam, & Patres unanimi consensu, responderunt: *pax servetur: pacta custodiantur.* 13

Obligatio quæ ex pacto inito oritur est juris vinculum, quo obligatus adstringitur alicui rei solvendæ, vel faciendæ; idque ex necessitate, ut differat ab obligatione, quam pariunt aliæ virtutes, ut fidelitas, & gratitudo. 14

titudo. Rursus alia est obligatio naturalis, alia civilis, & alia mixta; naturalis est, quæ oritur ex rei natura; civilis, quæ ex legibus; & mixta, quæ ex rei natura, & legibus simul. Causa hujus obligationis, & materia est, vel contractus, vel delictum. Effectus obligationis civilis est dare potestatem prosequendi jus suum. Obligatio sola naturalis, nisi accesserit authoritas juris civilis in foro externo non parit actionem, sed tantùm exceptionem *l. juris gentium.* §. *sed cùm nulla ff. de pactis.* & hæc exceptio sufficit ad novandum *l. 1. cap. fin. ff. de novat. ad constituen. l. 1. §. debitum ff. de constit. pec. ad compensan. ff. de compensat.* Rursus ut accedat fidejussor *l. stipulatus sum l. sec. de fidejuss.* Rursus ut accipiatur pignus *l. naturaliter. ff. de condit. in deb.* Obligatio tamen seu conventio si fuerit de re spirituali eò ipso est irrita, & nullius valoris, ut liquet ex *c. pactiones 8. h. t.* ubi declaratur irrita pactio de tertia tantùm parte decimarum præstanda, nisi probetur confirmata authoritate Apostolica: & idem dicitur de annexis ad res spirituales, eò quia omnes hujusmodi pactiones, & conventiones redolent simoniam, ut notat Navarrus *c. 23. n. 100.*

14 Excipitur tamen quando adnexum rei sacræ est omninò temporale, ut in vasis sacris est aurum, aut argentum, in ornamentis altaris sunt gemmæ, & quid simile, ut constat ex *c. aurum 12. q. 2.* hæc enim si necessitas urgeat, aut charitas in alendis pauperibus, distrahi, ac vendi possunt, & legimus non semel à sanctis viris fuisse laudabiliter factum ad sublevandas pauperum miserias.

15 Rursus sunt irrita pacta, quæ mediante pecunia fiunt de beneficio Ecclesiastico resignando *c. cùm pridem h t.* vel de solvendis expensis, & fructibus pro cessione juris. Hinc renuntiatio facta cum pacto, ut resignatarius solvat resignanti expensas factas in illo beneficio consequendo est nullius valoris, ut notat Flaminius de *resignat. lib. 4. q. 7.* Rursus est etiam irritum pactum de succedendo post mortem Prælati in ipsius Ecclesia *c. accepimus h. t.* Covarruvias in *c. quamvis pactum.* Qui Ecclesiam acquisivit per pactum augendæ pensionis, est etiam illâ privandus; præsertim si Clericus faciliùs obtinendi beneficii causâ promittat se majorem pensionem soluturum, quàm ferre beneficium possit; quia in *cap. cum Clerici 8. de pactis* statuitur, ut Clerici, qui majores solito pensiones promittunt se soluturos, ut faciliùs Ecclesias consequantur appellatione constante, Ecclesiis eo modo acquisitis spolientur.

16 Hinc Clericus, qui ut Parochialem Ecclesiam consequatur, mentitur fructus Ecclesiæ excedere summam centum aureorum, ut pensio imponatur, cum reverà fructus non sint tanti; pactum initum est irritum, quod etiam condemnatur in *d. c. cum Clerici.* quia cùm Concilium Tridentinum statuerit non esse imponendas pensiones in beneficiis parochialibus, quando eorum fructus non superant quantitatem centum aureorum, Clericus mentiendo exprimit, ac fingit beneficii fructus, ut ob pensionem alteri reservatam, faciliùs potiatur beneficio, cùm tamen clam censeatur convenire cum pensionario, nihil ei fore solvendum, si fructus non fuerint ea quantitate majores.

17 Præter allatam divisionem pactorum dantur etiam alia, quæ dicuntur judicialia, & alia extrajudicialia, inter quæ hoc est discrimen, quòd judicialia pariunt actionem, eò quia in judiciis quasi contrahatur, ut notat Baldus in *l. tale pactum 41. §. qui provocavit.* secus pacta extrajudicialia non pariunt actionem. Rursus alia sunt pacta, quæ obligant ex una saltem parte: & alia, quæ tollunt obligationem, quæ propterea liberatoria nuncupantur, cujusmodi sunt acceptationes: differunt hæc pacta, quia obligatoria non fiunt nisi altera parte acceptante: liberatoria verò valent, non solum facta præsenti, quamvis non acceptet, sed etiam absenti, dummodo nomine illius alius acceptet; quia in ejusmodi comodis etiam tacens, & absens consentire censetur, ut notant Julius Clarus §. *donat. q. 14.* Tiraq. *de nobil. c. 6.* Barbar. *in reg. jur. qui tacet. & de reg. jur. in 6. n. 14.* Rursus alia sunt pacta in rem, alia in personam; illa sunt, quando quis generaliter paciscitur, ne petatur: pacta in personam sunt, cùm quis paciscitur, ne à se, ne ab alia certa persona petatur, ut liquet ex *l. jurisgentium §. pactorum ff. h. t.*

18 Alia sunt pacta, quæ fiunt à privatis, & alia à publicis rerum administratoribus. Pacta privatorum fiunt à personis privatis; alia à generalibus rerum alienarum administratoribus, cujusmodi sunt Prælati Monasteriorum, Rectores Ecclesiarum, Magistratus civitatum, Syndici communitatum, procuratores cum generali mandato, Tutores, & Curatores. Specialiter circa contractum mutui est notatu dignum, quòd Ecclesiæ, Monasteria, & alia loca pia ex mutuo suscepto ab eorundem Rectoribus, & Administratoribus tunc tantùm obligentur, si creditor probaverit, pecuniam in piorum locorum utilitatem fuisse conversam, alioquin soli Administratores conveniri poterunt *l. civitas §. de reb. creditis, authent. hoc jus porrectum C. de SS. Eccles. c. hoc jus 10. quæst. 2. c. penult. de fidejuss.* unde creditor expressè, & in præsentia testium ad majorem cautelam curare debet, ut in chyrographo inseratur causa, in quam mutuum sit impensum. Neque debet solo chyrographo esse contentus, sed etiam debet curare, ut sibi dentur Fidejussores idonei, qui nominatim pro ipso Administratore mutuam pecuniam in omni eventu fidejubeant.

19 Cæterùm non requiritur exactissima probatio creditoris, quòd pecunia in comodum loci pii impensa fuerit: siquidem investigare non semper facile esset, neque probari facilè posset, an Administrator, has vel illas impenderit pecunias; unde sufficit etiam minus perfecta probatio, quæ desumitur ex conjecturis, & circumstantiis, præsertim si tunc temporis Ecclesia aliis mediis destituta, fuerit ædificata, aut nova prædia acquisita loco pio. Quòd si Ecclesiæ Rector, vel Prælatus contraxerit debita pro sua sustentatione, aut infirmitate, quia tunc censetur illa con-

traxisse pro necessitate Ecclesiæ, quæ suum Ministrũ alere debet, tunc non ipse Prælatus, sed Ecclesia, vel alius locus pius, solvit, & extinguit debita in tali infirmitate contracta, ut notat Barbosa in *collect. ad c. 1. de solut. num. 3.* Sin verò pecunia mutuò accepta à loci pii Administratore, casu perierit ex incendio, vel furto, adhuc ipse locus pius tenetur ad solutionem, dummodo Administrator ex legitima causa, & in commodum loci pii mutuò acceperit pecunias. Hoc idem etiam dicitur de servo, vel Procuratore, qui in Domini cõmodum pecuniam accepit mutuam, quam postea fortuitò perdidit; tunc enim non servus, nec Procurator, sed ipse Dominus tenetur ad solutionem debiti, ut expresse habetur in *l. servus 17. ff. de in rem verso*; quia jura voluerunt consulere locis piis contra Administratorum malitiam; non verò contra casus fortuitos, contra quos nil possunt Administratores.

20 Quòd si Administrator, seu Prælatus Monasterii cum consensu Capituli mutuum acceperit, absque ulteriore probatione creditoris, quòd pecunia fuerit impensa in utilitatem loci pii; an teneatur tunc Ecclesia debitũ solvere? Panormitanus in *c. penult. de fidejuss.* respondet cum distinctione: si solutio possit fieri per res mobiles tunc censet, teneri Ecclesiam, vel Monasterium ad solutionem debiti: sin autem solutio debeat fieri per res im̃obiles, vel saltem sint alienandæ res mobiles pretiosæ, tunc negat, onus solvendi incumbere loco pio, quia alienatio rei immobilis, seu mobilis pretiosæ absque evidenti utilitate, & necessitate Ecclesiæ non conceditur; & non est utilitas, nec necessitas Ecclesiæ, si pecunia in ejus commodum non fuerit expensa. Fachinæus *lib. 2. controv. c. 77.* asserit, pertinere ad Ecclesiam restituere acceptum munus cum consensu Capituli, idque probat argumento à contrario sensu in *d. c. penult.* ubi Glossa in *V. in utilitat. fidejuss.* & ad rationem Panormitani respondet, ipsam solutionem æris alieni esse justam causam rerum immobilium alienandarum, ut desumitur ex *can. hoc jus in princi.* ibi *excipitur, si debitum urget: causa 10. q. 10.* Verùm Enger *lib. 1. §. 10. h. t.* notat in *d. c. penult. de fidejuss.* sermonem esse de mutuo à religioso privato contracto, & verisimiliter, non in specie tantæ quantitatis, ut necesse sit, res immobiles Monasterii alienare. Et ad id, quod respondet Fachinæus, exsolutionem æris alieni esse justam alienationis causam, respondet id esse intelligendum de debito, ad quod Ecclesia indubitanter tenetur, quale, an sit quando non probatur pecunia versa in utilitatem, asserit, id adhuc esse indecisum. Idque firmat, quia minor restituitur in integrum, si pecunia mutuò accepta in ejus utilitatem non fuerit impensa *l. 1. & 2. C. si adversus Creditorem* quamvis authore tutore, contraxerit *l. 3. C. si tutor, vel curator intervenerit.* & Ecclesia gaudet jure, & privilegio minoris, ut liquet ex *c. 1. de in integrum restit.* concludit tamen, sententiam Fachinæi esse consentaneam æquitati, neque facilè damnandum esse judicem; qui secundùm eandem judicaverit, præferendo æquitatem rigori, juxta *l. placuit C. de judic.*

§. II.

De Causis, & Effectibus Pactorum.

1 CUjusvis rei quatuor possunt causarum genera considerari, efficientis, finalis, materialis, & formalis. Duæ priores dicuntur extrinsecæ, posteriores intrinsecæ. Rursus causa efficiens alia est remota, alia proxima. In pactis conventis causa efficiens remota est jus gentium, aut lex civilis, aut prætoria *l. 5. 6. 7. hujus tit.* eo enim ipso, quòd lex approbat pactum, validum est, & efficax, quia valor à lege derivatur in pactum. Causa proxima efficiens est mutuus partium consensus; præsertim in contractu *c. 1. §. penult. h. t.* Causa materialis sunt res, circa quas versantur conventiones, & pacta. Firmalis est consensus voluntatis. Demum causa finalis, est justa causa conventionis *l. si convenerit. 56. hujus tit.* In pactis tamen obligatoriis causa donationis nunquam præsumitur, nisi fuerit expressa *lib. 2. num. 2. §. circa. ff. de doli mali excep.* si enim causa non exprimatur pactum initum nullius censetur valoris, nec obligationem invehit. Secus in pactis liberatoriis, tametsi nulla exprimatur causa, adhuc conventio valet, & pactum est efficax, quia præsumitur pro subjecta materia, & sine conventionis, causam donationis subesse. *L. 1. de transact.* & Cagnolus in *rubric. de pact.*

2 Cæterum materia pactorum extenditur ad res omnes, quæ commercio possunt deservire, ut desumitur ex *l. si empt. 34. §. omnium de contract. empt.* sive præsentes sint, sive absentes, sive futuræ, dummodo propriæ sint, non alienæ *l. pactum 46. hujus tit.* Neque sint juris publici *l. jure sanguinis de regul. jur.* Usus tamen invaluit, ut paciscentes, vel transigentes de homicidio, cæde, aut alio crimine publico prorsus excludantur à civili, & publica actione, non sublata magistratus authoritate, qui vindicare possit, ut notat Bartol. *L. 1. usque adeò de injur.* Cæterùm jure civili pacisci licet de injuriis, furtis, ut liquet ex *l. si unus §. illud hujus tit.* eò quia hujusmodi crimina non sint publica, sed privata; proinde in illis inita pactio ipso jure actionem tollit, ut notat Tholosanus *lib. 21. c. 4.*

3 Quoad causam finalem pactorum; debent eò pacta tendere, ut eorum beneficio aliquid donetur, aut remittatur, quia nisi in conventione aliquid remittatur, nil actum, aut pactum jure civili est, quia pactio non prodest, nisi ad excipiendum; & exceptio non potest competere, nisi illi, cui aliquid est remissum, & cum quo agi potest: siquidem exceptio excludit actionem *L. 2. §. de except.* si enim quis paciscendo non remittere, sed novum jus vellet instituere, nil inde hauriret cõmodi: siquidem de eo non posset jure actionem instituere.

4 Effectus pactorum est obligatio, quæ describitur juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvendæ, hæcque obligatio

gatio pro varietate pactorum aliquando est purè naturalis, nonnunquam civilis; & subinde naturalis, & civilis simul, ut innuimus in praecedenti §. si enim pactum habeat pro fundamento obligationis solùm consensum, cui tamen lex non resistat, nec assistat, tunc producit obligationem purè naturalem, sive ex solo jure naturae, vel gentium jubente pacta servari. Vel pactum ita initur, ut lex eidem assistat, ut in pactis vestitis, & tunc oritur obligatio efficax, sive naturalis, & civilis simul. Sin autem lex expressè resistat pacto tanquam de re turpi, vel dissentanea bonis moribus, ut *in c. fin. h. t.* tunc ex tali pacto nulla oritur obligatio, nec naturalis, nec civilis, quia nemo potest obligari ad peccandum, & male agendum. Sin verò lex solam consideret juris solemnitatem, nulla subsistente naturali aequitate, tunc pactum inducit obligationem tantùm civilem, quae licèt pariat actionem; non tamen exactionem, seu executionem: ut si Petrus dederit Paulo Chyrographum, in quo fateatur, se accepisse mutuos centum aureos; per hanc solemnitatem litterarum obligatur ad solvendos illos centum aureos; tametsi eos non acceperit realiter; sed tantùm civiliter ratione Chyrographi dati: unde quamvis possit intendi actio contra Petrum, potest tamen Petrus illius exactionem, seu executionem impedire per exceptionem non numeratae pecuniae, si enim probet, se non accepisse mutuos illos centum aureos, impedit illius executionem, ut traditur *in tit. instit. de litt. obligat.* Pari pacto si Petrus sit alicui obligatus, & ex solemni stipulatione, aut alio contractu sibi pactum fuerit nudè factum à creditore de non petendo; per tale pactum tollitur tantùm naturalis obligatio; non verò civilis, quae per actum contrarium à jure civili approbatum tolli debet, scilicet per solutionem, vel aliam satisfactionem, quâ tollatur obligatio: unde manet actio, quae est juris civilis; quia verò pactum nudum exceptionem parit, per hanc tollitur exactio, seu executio actionis. Et licèt hae distinctiones in jure canonico non multùm attendantur; nihilominus necessariae sunt ad ritè intelligendos varios juris civilis textus.

5 Caeterùm quamvis ex nudo pacto jure civili non oriatur obligatio efficax, seu jus petendi in judicio, quod promissum fuerat, oriuntur tamen alii effectus in foro externo. Quorum primus est, ut exceptionem pariat *l. juris gentium 7. §. sed cùm nulla ff. h. t.* ut paulò superiùs explicuimus. Secundus, quia quod semel ex tali pacto solutum est, potest retineri, & non debet etiam in judicio restitui. Tertius, quia si promissarius aliunde quid debeat paciscenti, potest compensare pro illo; quod ex pacto nudo sibi ipse debebat. Quartus, quia nudo pacto potest accedere Fidejussor; qui efficaciter obligatur; adeò ut contra ipsum detur actio. Quintus, quia potest retineri pignus datum pro eo, quod ex nudo pacto est debitum: siquidem ex nudo pacto, si jure positivo non sit irritum, oritur naturalis obligatio, & in foro conscientiae, si adsit consensus verbis expressus, & acceptatus: id enim spectato jure naturae sufficit ad inducendam obligationem; & quamvis jus civile, non tribuat actionem positivam in foro externo ad petendum causa litium declinandarum, quae aliàs multiplicarentur, cùm frequentissima pacta nuda, & simplices promissiones inter homines fiant, quae causa fuit, cur jus civile voluerit, etiam pro singulis debitis civilibus dare recursum ad forum judiciale; nihilominus jus civile non abstulit obligationem naturalem, quae in foro conscientiae oritur ex nudo pacto.

Ex jure canonico nudum pactum, seu simplex promissio, si acceptata fuerit, parit actionem efficacem ad exigendum in judicio, quod promissum fuerat; ut communiter notant Canonistae cum Abbate *c. 1. n. 5. h. t.* & desumitur ex *c. 1. c. qualiter 3. h. t.* in quibus praecipitur, ut nuda pacta etiam sine forma stipulationis inita firmiter observentur, ac opere adimpleantur: unde cùm Canones assistant nudo pacto, seu simplici promissioni acceptatae, sequitur, quòd ex nudo pacto in jure canonico concedatur actio, cùm haec detur in judicio quoties lex assistit promissioni factae *l. legitima. 6. §. h. t. l. unic. de condit. ex lege*; siquidem promissiones, si non sint de rebus illicitis, & à Promissario fuerint acceptatae, obligant in conscientia sub peccato mortali, vel veniali juxta gravitatem, & levitatem materiae; ut communiter docent Theologi, & quia in jure canonico cavetur periculum omnis peccati, & unicè saluti consulitur animarum; ideò in foro Ecclesiastico promittentes simpliciter, & nudè adiguntur ad servanda pacta non solùm ob exceptiones, vel implorato judicis officio, ut censent plures; verùm etiam concesso remedio ordinario actionis, per quam in judicio petitur, quod promissum fuerat. Pacta enim tametsi nuda semper servanda sunt, quia ut habetur *in l. juris gentium ff. de pactis*; *Praetor ait, pacta conventa (quae neque dolo malo, neque adversus leges, plebiscita, senatusconsulta, edicta, decreta Principum, nec quo fraus cuique eorum fiat, facta erunt) servabo*; quae verba Bald. *in rubric. de constit.* asserit processisse de ore Dei, & probatur ex *cap 5. proverb. Illi si spopondisti, illaqueatus es verbo oris tui.* unde frangere pacta, & non stare promissis greve est piaculum; non solùm apud jus commune, sed etiam coram Deo, ut asserit Cornel. *in l. si pascenda pecora in 2. q. princ. C. de pact.* & alii plures, cum Neviz *consf. 11. n. 10.* ubi asserit, nullam esse justitiam, quàm illam, quae oritur ex pacto: siquidem textus *in l. 1. ff. de pact.* ait: quid tam congruum humanae est fidei, quàm ea, quae inter eos placuerunt, servare; quinimò Deus ipse voluit quodammodo suo pacto ligari Genesis c. 9. *Ecce ego statuam pactum meum vobiscum, & non erit deinceps diluvium super terram.*

Rursus Regula pactorum est permissiva, & nisi probetur, quòd pacta sint contra leges, senatusconsulta, & alia hujusmodi, praesumuntur semper licita, ac permissa, ut notat Vitalinus *de clausul. tit. an possit renuntiari beneficio, cessio bonor. n. 16.* & quod pacta omnia sint servanda, dummodo non adversentur legibus, & bonis moribus, ac publicae utilitati, asserunt communiter Jurisconsulti cum Bart. *in q. 1. Lucan. civitat. in princ.* 7

Parochialis Ecclesiæ admittatur; quo fit, ut Parochus aliquando Plebani, vel Rectoris titulo insigniatur, quia reverà plebem ducit, & regit gregem sibi concreditum. Propriè tamen Plebanus dicitur, qui habet sub se plures Ecclesias, & est respectu aliorum sacerdotum, qualis respectu suorum suffraganeorum Archiepiscopus *c. scriptum est de elect.* siquidem etiam plebanis competit jus visitandi suas Ecclesias, & plebani Ecclesia vocatur matrix, quasi mater cæterarum, quas sub se continet *c. ad audientiam de Eccles. ædif.* Non tamen dicitur plebanus in dignitate constitutus, nisi fortassis Ecclesia, cui præest sit simul collegiata, & sub se capellas habeat cum jurisdictione foris contentiosi. Qui verò ex Monachis Ecclesiam parochialem administrant cum cura animarum in jure canonico non dicuntur Parochi, sed Capellani *cap. in Ecclesiis de Capell. Monach.* Cæterum Capellani nomen latius patet: siquidem Capellania per se est beneficium simplex, ut notat Selva *de benefic. p. 1. quest. 4.*

16 Cæterum pastoralis cura cùm difficilis sit, ac pluribus obnoxia periculis dici solet pretiosa, & præfertur Parochus Canonico, eò quia munus Parochi sit difficilius, & ars artium *c. cùm in illis de præben.* Tum quia major in illo requiritur scientia, prudentia, discretio *c. præn. de ætat. & qualit. ordin.* Tum quia Canonicus potest non esse sacerdos, & officio Parochi adnectitur necessariò sacerdotium. Adsunt tamen apud Barbosam declarationes Congregationis sacrorum rituum, quibus deciditur, ut in funeribus, & processionibus publicis primus locus tribuatur cathedralibus Canonicis, eò quia Collaterales consiliarii, & quasi domestici sint ipsius Episcopi. Ut autem inter Parochos, sive Regulares, sive sæculares debitus ordo servetur attendenda est majoritas, & prærogativa Ecclesiarum, ut censuit, sacra congregatio rituum in una Astensi 21. Martii anno 1609. in funeribus verò præcedit Parochus, in cujus templo est defunctus sepeliendus.

17 Officium præcipuum Parochi est oves sibi concreditas Verbo Dei pascere ex Tridentino *sess. 5. c. 2.* unde vel per se, vel per alios ab Episcopo approbatos tenetur diebus dominicis, & festis solemnibus prædicare, & gregem suum instruere in ordine ad salutem. Materiam, & modum concionandi præscribit Leo X. in Concilio Lateranensi *can. 7. de offic. præcept. pueror.* ut notat Piasecius *p. 2. c. 3. n. 16.* quòd si Parochus negligens fuerit, Episcopus illi subtrahit partem fructuum. Cæterum non desunt qui censeant, teneri Parochum hoc munus concionandi, & instruendi populum, exercere per se, & non per alium: quia hoc perinde esset, ac munus sub axilla ponere, & alios permittere triturare, & verum esset illud Prophetæ, quòd boves arabant cùm asinæ pascerentur. Unde dominicis, & aliis diebus festis saltem à Parochis doctrina Christiana tradenda est juxta Concilium Tridentinum *sess. 5. c. 2. & sess. 24. c. 4.* Tenetur etiam administrare sacramenta suis ovibus. Quòd si aliquis infirmus ex negligentia, vel incuria Parochi sine confessione, & sacro viatico decederet deponendus esset Parochus, ut notat Glossa *in c. offic. V. sine confessione de offic. Archipres* quia reum se facit animæ defuncti *c. Presbyt. 16. q. 6.* ut etiamsi puerum in necessitate neglexerit baptizare, & is sine baptismo decedat *c. quicunque de censu.*

Munera exercenda propriè à Parocho sunt, benedicere fontem baptismalem, deferre sanctissimum sacramentum, celebrare missam feria quinta majoris hebdomadæ, & Sabbatho sancto, benedicere candelas in die purificationis B. Mariæ Virginis, & etiam ramos olivarum in dominica palmarum; ut etiam cineres prima die quadragesimæ, ut notat Piasecius *p. 2. c. 3. pag. 146.* Non tamen ordinaria potestas Parochi se extendit ad ferendam excommunicationem, vel aliam censuram, ut docet Navarrus *c. 27. n. 5.* ubi ait, causam efficientem excommunicationis posse esse Papam, & omnes alios Prælatos, etiam minores Episcopis, quales sunt Abbates, Præpositi, & Priores Ecclesiarum Regularium, ac sæcularium, & eorum delegati; at Rectores & Parochi simplicium Ecclesiarum non possunt excommunicare suos Parochianos jure communi, nec specialiter: quia facultas excommunicandi est pars jurisdictionis fori externi, ut communiter docent cum Glossa *in c. transmissam de elect.* Possunt tamen ex consuetudine præscripta nonnulli Parochi hanc potestatem habere, ut desumitur ex clement. *c. duo simul c. cùm contingat de for. compet.* Non tamen debet Parochus pro administratione sacramentorum, & sepultura quidquam exigere, nisi consuetudo sit in contrarium, ut desumitur ex Tridentino *sess. 22.* 18

Solet etiam Coadjutor temporalis dari Parocho, quando est valetudinarius, nec potest suo munere fungi, quia non convenit suo beneficio privari illum, qui nulla sua culpa deficit. Hinc *in titulo 6. de clerico ægrot. lib. 3. decretal.* habemus, dandum esse Coadjutorem Parocho leproso, Paralytico, amenti, vel furioso, ut etiam illiterato, & imperito, qui aliàs honestæ est vitæ. Sufficiens itidem censetur causa addendi Coadjutorem, si populus multùm creverit, adeò ut unius hominis industria non videatur suffectura. Is verò censetur illiteratus, qui inhabilis est ad ea præstanda, quæ curatis ex officio incumbunt. Non tamen potest Episcopus assignare Coadjutorem Parocho cùm jure succedendi, nisi à summo Pontifice habeatur hæc facultas, ut desumitur *ex c. nulla de concess. præben.* ubi Concilium Lateranense addit causam, ne desiderare mortem quis proximi videatur, in cujus beneficium se crediderit successurum. 19

De Parochi juribus censentur esse oblationes, quæ in usum Ministrorum Ecclesiæ dantur *c. quia sacerdotes 13. c. sanctorum 12. q. 1.* quia illi debentur pro administratione sacramentorum, & exiguntur per modum census, pensionis, aut conventionis, præsertim si sint addictæ testamento, legato, voto, aut Minister Ecclesiæ non habeat sufficientem sustentationem. Rectoribus Ecclesiarum, & Parochis debetur etiam quarta funeralium jure communi *c. 1. de sepult. clement. dudum.* Et hæc debetur Ecclesiæ in qua sepelitur defunctus ex iis, quæ legavit; adeò ut 20

non

non excipiantur Ecclesiæ ordinum mendicantium, in quibus morientes eligunt sepulturam *d. c. 1. de sepult. clement. dudum §. verùm.* Excipiuntur tamen monasteria ædificatà à quadraginta annis circiter, aut quæ in dies ædificantur, ut declaravit sacra congregatio Concilii Tridentini apud Rodericum *tom. 3. q. 46.* Rursus primitiæ, seu primi fructus terræ eo anno collecti debentur illi Parochiæ, in qua prædia existunt, nisi consuetudo in contrarium inoleverit, quia offeruntur Deo, pro recognitione supremi dominii naturalis, quod habet in omnes terræ fructus, ut notat Molconius *lib. 1. p. 3. c. 3.* eodem jure etiam debentur Parocho decimæ, ut liquet *ex tot. tit. de decimis.* adeò ut jus percipiendi decimas solis Parochis competat. Verùm quia Parochi alii sunt majores, alii minores, ita decimæ primò loco debentur Episcopis, postea Parochis; ad quos ex antiquo jure quarta pars spectat dividenda cum aliis Ecclesiæ Ministris, qui altari inserviunt. In locis tamen, in quibus pro decimis sufficiens alimonia exhibetur Parocho, cessat per contrariam consuetudinem jus exigendi decimas, quia jura non plus requirunt, quàm ut qui altari ministrant, de altari vivant, sive congrua sustentatio habeatur à decimis, vel aliunde ut notat Piasecius *p. 2. c. 4. de decimis.*

21 Ex clericis sæcularibus inferioris ordinis illi præferuntur, qui dignitate, vel officio, aut sacro ordine sunt reliquis majores. Nonnunquam dignitas ordinantis, honorem præ cæteris confert ordinato, ut liquet *ex c. per tuas 7. h. t.* convenit enim ut ii aliis præcedant, quibus summus Pontifex ordines contulit. Canonici etiam cathedralium Ecclesiarum præcedunt juxta proprias dignitates, & ipsis possunt delegari causæ per sedem Apostolicam, non ita inferioribus. Clericis *c. statutum 11. de rescript. in 6.*

22 Circa præcedentiam ordinibus Regularium convenientem plura solent observari, ut secernatur, quinam Regularium ordo sit præstantior, ac dignior. Quamvis Clericus sæcularis præcedat Regularem, ac eidem præferatur, ut desumitur ex *c. legi epistolam, in §. alia 16. quæst. 1.* & Glossa *in final. in c. qualiter l. 2. de accus.* ubi ait cœtum Clericorum esse digniorem ordinibus Monachorum; eò quia status clericalis sit antiquior, proinde honorabilior, Glossa *in c. quorundam V. prædicatorum 9. 6. & can. fin. de pact. in 6.* siquidem de cœtu clericali dicitur Psal. 109. *Tu es sacerdos secundum ordinem Melchisedech.* Secus ordo Monachorum solùm post Christum suum habuit initium Authoribus SS. Basilio, Benedicto, Augustino, Francisco, Dominico. Nihilominus inter Monachorum, ac Religiosorum ordines est difficultas; ex quibus unus ordo censeatur præstantior altero, quem propterea debet præcedere. D. Thomas 2. 2. *q. 188.* docet, excellentiam unius Religiosorum ordinis posse tripliciter attendi. Primò ex parte finis, qua ratione unus ordo, est alio perfectior, qui ordinatur ad potentiorem, ac præstantiorem finem. Hinc ille ordo, qui ordinatur ad docendum, & prædicandum tenet summum gradum, quia licet prædicare, & docere sint actus vitæ activæ, procedunt tamen ex plenitudine contemplationis; quapropter à S. Gregorio præfertur simplici contemplationi, sicut majus est illuminare, quàm simpliciter lucere, quapropter dicitur in Evangelio: *qui fecerit, & docuerit, magnus vocabitur in Regno cælorum*, & de Joanne Baptista, qui fuit præcursor, & prædicator Christi Lucæ 1. *Ego sum vox clamantis in deserto.* Dicitur per Angelum & *erit magnus coram domino.*

Hinc doctores, qui in Ecclesia cæteros docent, vocantur lumina firmamenti, hinc illis majora debentur stipendia honoris *7. nemo C. de offic. Magist.* & sic præponitur doctrina silentio, solicitudo contemplationi, labor quieti. Secundò attenditur præstantia unius Religiosi ordinis præ aliis prout in eodem genere finis, unus ordo tendit ad altiorem actum, quàm alius: hinc si ex ordinibus unus sit addictus vitæ contemplativæ, & alius occupetur in libris legendis; prior est præstantior posteriore, quia altioris contemplationis est oratio, quàm lectio, licet dicat Augustinus, *cùm oras loqueris Deo: cùm verò studes Deus loquitur tibi.* Sin verò ordo utrumque præstet, ac sit addictus contemplativæ simul, & activæ vitæ, præfertur alteri, qui utramque non complectitur, ut communiter docent Canonistæ *in c. quod Dei timore de Monach. c. nisi cùm pridem extra de statu Monach. & Archid. in c. si quis vult. 36 dist.* Tertiò spectatur præeminentia unius religiosi ordinis ad alterum ex parte exercitii non quidem quantùm ad quantitatem, sed proportionem illius ad finem intentum. Has præeminentias ponit Joan. Andreas *in c. sanè de Regul. in novella*, sed postea subjungit, Canonistas non ponderaris utilitatibus solùm considerare, ubi sit arctior, strictior, durior, vel fortior modus vivendi. Unde *in c. licèt de regul. & transit. ad relig.* dicitur de arctiore vita, & sanctiore, ad quam licet transire ex latiore licentia petita. Cæterum omnes Religiosorum ordines ordinantur ad unum finem, qui est charitas, per quam conjunguntur Deo, ut dicitur in extravagan. Joan. XXII. ad conditorem. Rursus excellentia ordinis religiosi judicatur à dignitate institutoris, ut etiam à pluralitate Religiosorum, qui sub eadem regula vivunt. Sed hodie consideratur sola ordinis antiquitas, & ille præfertur alteri, qui priora sede Apostolica fuit approbatus non consideratis aliis rationibus, quia per approbationem censentur ordines æque perfecti in ordine ad finem. Mendicantes verò dant præcedentiam ordinibus non mendicantibus ex decisione Congregationis rituum, ut refert Barbosa *de offic. Episc. allegat. 78. n. 37. in fin.*

Rursus circa præcedentiam mendicantium inter se, & etiam cum fraternitate laicorum in processionibus exstat declaratio Gregorii XIII. apud Quarantam *in sum. Bullarii V. præcedentiam.* declaravit enim Pontifex, ut illi debeant præcedere, qui sunt in quasi possessione juris præcedendi: siquidem possessio, & consuetudo circa præcedentias plurimum habet roboris. Quod si nulla possessio, vel quasi possessio probari possit, tum ex ordinibus mendicantiū prærogativam habent, qui prius fuerunt approbati à summo Pontifice; & ex confraternitatibus laicorum, illæ præcedunt 23

cedunt alias, quæ prius fuerunt in illo loco erectæ, ac prius fuerunt usū sacris. Cæterū ex decreto Concilii Trident. *sess. 25. de Regul. c. 13.* tenetur Episcopus controversias, quæ in materia præcedentiarum oriuntur inter personas Ecclesiasticas, tam sæculares, quàm Regulares, sive in processionibus publicis, sive in aliis actibus seclusa omni appellatione componere, ne inde sequantur scandala.

§. XVII.

De Obedientia.

1 Obedientia ab inferioribus debita superioribus, ex Glossa in *c. 1. V. Obedientiam dist. 93.* & Hostiens. in *sum. n. 2. h. t.* tria complectitur, scilicet reverentiam exhibendam, parere mandatis, & judicium proprium subjicere superiori. Reverentiam minor debet majori, cui propterea tenetur cedere locum *c. non oportet 15.* Rursus debet minor parere mandato superioris in his, quæ ad cultum divinum pertinent, aut communem respiciunt utilitatem. Demum tenetur etiam inferior se subjicere superiori in judicio, seu in iis, quæ ad jurisdictionem, & causas judiciales spectant: & quia status Clericalis est major sæculari; ideò personæ Ecclesiasticæ nullo pacto subsunt jurisdictioni sæculari, sed jure divino eximuntur à potestate sæcularium nisi fortassis obtinuerint bona in feudum ab Imperatore, vel aliis dominis temporalibus; tunc enim ratione bonorum subjiciuntur jurisdictioni sæculari; non quod personæ Ecclesiasticæ illi subjiciantur, sed tantùm bona temporalia, quæ possident in feudum, ut habetur in *c. verum 7. de for. compet.* quoad alia bona non subjiciuntur jurisdictioni sæcularium, & ia bona accessoriè sequuntur personam.

2 Hinc omnes sæculares cujuscunque conditionis, & ordinis, sive Principes sint, sive Reges subjiciuntur summo Pontifici, quia potestas Ecclesiastica major est ac dignior potestate sæculari, sicut anima est corpore præstantior: Regibus autem, & Imperatoribus competit potestas, & imperium, tantùm in temporalibus; & summo Pontifici aliisque Prælatis Ecclesiasticis competit potestas in spiritualibus, quæ longè digniora sunt temporalibus. Qua ratione Bonifacius VIII. in *extravag. unam sanctam 1. h. t. inter communes* rescribit, unum tantùm esse Ecclesiæ corpus, & unum caput non duo capita, quasi monstrum; Christum scilicet, & Christi Vicarium, Petrum, Petrique successorem: dicente Domino ipsi Petro: *Pasce oves meas. Joan. 21.* ex quo infert Pontifex, eos non esse de grege Christi, qui non farentur, se esse commissos à Christo curæ Petri, ejusque successorum, cùm dixerit Christus Joan. 10. *Unum esse ovile, & unum Pastorem.*

3 Rursus addit Pontifex, duos esse in Ecclesia gladios, spiritualem, & temporalem, & esse gladium sub gladio, seu potestatem temporalem subordinatam spirituali in iis, quæ spectant ad finem supernaturalem, & æternam salutem, adeò ut potestas terrena, seu temporalis judicetur à spirituali, & hæc à solo Deo. Hinc Magistratus sæcularis subjicitur Ecclesiastico, cui tenetur parere in ordine ad spiritualia, & finem supernaturalem, ut liquet ex *c. solitæ h. t.* Cùm enim Innocentius III. Imperatorem Constantinopolitanum per litteras reprehendisset, quòd Patriarcham Constantinopolitanum juxta pedes suos in scabello ad partem sinistram sedere faceret; cùm alii Reges, & Principes suis Prælatis juxta se honorabilem sedem assignent; idque ægrè ferret Imperator rescripsit Papæ, sacerdotium subesse debere potestati imperatoriæ, & ad id probandum adduxit textum depromptum *ex epist. 1. c. 2. S. Petri.* ubi ait: *subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi tanquam præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* Ad id autem respondit Pontifex, Apostolum ibi loqui de subditis sæcularibus, non verò de sacerdotibus, alioquin sequeretur, quemlibet servum habere imperium in sacerdotes, cùm asserat S. Petrus, debere subjici omni humanæ creaturæ. Cæterum licèt Reges, & Imperatores habeant Imperium, & potestatem in temporalibus in eos, qui ab iisdem accipiunt temporalia; non ita in spiritualibus: & Pontifex in spiritualibus antecellit, quæ tantò sunt digniora temporalibus, quantò anima est præstantior corpore. Hinc Jerem. *c. 1.* loquens de sacerdotio, ait: *Ecce constituit te hodie super gentes, & super Regna.*

4 Cæterum subditus generatim tenetur obedire suo superiori non tantùm quando justa præcipit, sed etiam quando dubitatur, an mandatum superioris justum sit, quia in dubio est præsumendum pro superiore, qui est in possessione præcipiendi. Neque obstat quòd non possimus agere cum dubio practico; quia subditus respectu superioris in materia obedientiæ tenetur tale dubium deponere, qua ratione obedientia Religiosorum dicitur esse cœca. Hoc idem Molina *de justit. & jur. tom. 1. tract. 2. disp. 113.* extendit ad milites conductos, & dubitantes de justitia belli, ad quod ex præcepto Principis vocantur. Cæterùm si certò constaret ipsis injustum esse bellum, non tenerentur Principi parere, quia ut habetur *Act. 5. oportet obedire Deo magis, quàm hominibus*, & Deus præcipit, ne lædamus innocentes.

5 Quòd si subditus non dubitaret tantùm de materia præcepti, an justa sit, sed etiam de potestate præcipientis, an sit legitimus superior, tunc subditus posset uti sua libertate, ut notat Lessius, eò quia sit in possessione ejusdem: quòd si superior, de cujus potestate dubitatur, esset in possessione superioritatis, & communi existimatione superior censeretur, tunc subditus, teneretur illi parere, *arg. l. si quis ex aliena. ff. de judic.* Cæterum inferior, in iis tantùm tenetur obedire superiori, in quibus illi subest; ut servus Domino in servilibus, filius Patri in rebus domesticis; miles duci in castris, rebusque bellicis, & qui plures habet superiores debet unicuique obedire, juxta rationem suæ superioritatis.

Obedientia alia est materialis, formalis alia, illa est opus virtutis, quo impletur præceptum, tametsi non ea intentione expressè fiat: & hæc obedientia est generalis, cujus oppositū est vitiū in-

inobedientiæ, seu transgressio præcepti. Formalis est, quâ quis aliquid agit ea expressa intentione, quia superior id præcipit. Rursus obedientia alia est perfectionis, alia necessitatis: illa obedit in omnibus, quæ contra Deum non sunt; hæc quæ terminis regulæ, & votorum coarctatur; de utraque ait S. Bernardus de dispensatione præcepti in principio. Necessitas obedientiæ petitur malâ inclinatione depravatæ nostræ voluntatis, quæ cum prona sit ad malum indiget frœno, quo retineatur. Ut autem obedientia formalis sit perfecta nonnullæ requiruntur conditiones, quarum prima est, ut fiat absque mora, juxta illud Psal. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri*; quia subditus expectare strictum præceptum non debet, non differre, non tergiversari, non se excusare, non lentè, & cũ torpore ad opus accedere, quia ut rectè Bernardus in *lib. de præcept. Verus obediens, moras nescit, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præcipientem prævenit.* Secunda ut inferior obsequatur superiori sine querela juxta monitum D. Pauli ad Philip. 2. *omnia facite sine murmurationibus*, quia ut notavit S Barnardus *lib. de præcept. & dispensat. multos videmus post præcipientis imperium, multas facere quæstiones, cur, quare, quamobrem, sæpiùs interrogare: crebras ingeminare querelas, quærere, quare hoc præcipit, unde hoc venit, & quis invenit hoc consilium? Inde murmuratio, excusatio, simulatio impossibilitatis, advocatio amicorum. Tales sanè non faciunt obedientiam Deo acceptam, nec hominibus gratam.* Tertia conditio est ut inferior gratanter, & hilariter suo obediat superiori juxta illud Ecclesiast. 25. *In omni dato tuo hilarem fac vultum tuum.* Hinc Bernardus in serm. ad fratres in morte Christi, ait: *serenitas in vultu, dulcedo in sermonibus multum colorant obedientiam obsequentis. Nebulosa corporis compositio, & facies tristitiæ tenebris obfuscata, devotionem ab anima recessisse significant.* Ultima conditio est, ut obedientia fiat fortiter, ac perseveranter, adeò ut subditus non detrectet exequi difficilia, & postquam ea inceperit, non resiliat, exemplo Christi qui factus fuit obediens usque ad mortem ad *Philip. 3.* Hinc Bernardus in *lib. ad milites templi c. 13.* ait: *manum tuam misisti ad fortiora, agendum est instanter, constanter obediendum: nec inter verborum, seu verberum asperitatem, tam regalis est semita relinquenda.*

TITULUS XXXIV.

De Treuga, & Pace.

Acturus Pontifex de pactis privatorum præmisit hunc titulum de publicis conventionibus, scilicet de treuga, & pace. Est enim pax publica conventio, quâ inter se Duces belli quædam paciscuntur, quæ ideò dicuntur originem habere à pactione *l. 1. §. 1. l. 1. ff. de pact.* Treugæ verò nomen cujus sit linguæ, vel nationis vocabulum hactenus non constat, unde habetur vocabulum barbarum, latinis Authoribus ignotum, quo significantur induciæ; quæ secundùm Donatum in Terentii Eunuchum sunt pax ad paucos dies, vel quia in dies otium præbeant. Varro autem apud Gellium *lib. 1.* ait, inducias esse pacem castrensem paucorum dierum, seu ferias belli, ut nihil incommodi detur; hinc Paulus jurisconsultus in *lib. 19. §. 1. ff. de captivis & postlim. revers.* ait, inducias esse, quando in præsens tempus contrarii exercitus conveniunt, ne invicem se lacessant, unde induciæ differunt à pace, quia hæc est in perpetuum; vel in longum tempus: induciæ verò sunt pax paucorum dierum, quas tamen nemo violare debet, ubi semel pactæ sunt.

SUMMARIUM EXEGETICUM,

Capitum in hoc titulo contentorum.

C. TREUGAS 1. h. t. *Alexander III in Concilio Lateranensi designat tempora treugæ, & à quarta feria post occasum solis, usque ad secundam feriam in ortu solis, ab Adventu Domini usque ad octavas Epiphaniæ, & à septuagesima usque ad octavas paschæ, ab omnibus inviolabiliter*

liter præcipit observari, & Transgressores tertiò monitos vult sententiæ excommunicationis ferendæ ab Episcopo subjacere, si non satisfecerint, & sententiam nuntiandam esse Vicinis Episcopis, & ab iisdem confirmandam. Rursus præcipit Pontifex, ut Episcopi ad pacem promovendam, & firmiter conservandam mutuum sibi præbeant auxilium, & consilium: & negligentes in hoc opere declarat, incurrere damnum propriæ dignitatis. Verùm hæc decretalis illis vigebat temporibus, quando christiana charitas fervebat, & major erga divinum cultum, & res sacras erat reverentia. Hodiè enim non amplius videtur esse in usu, nec Episcopos obligare, eò quia per desuetudinem evanuerit. Tum quia lex moribus utentium non recepta non obligat c. in istis §. leges dist. 4.

C. *INNOVAMUS* 2. *h.t. idem Pont. declarat, tempore belli gaudere securitate, Presbyteros, Monachos, peregrinos, Mercatores, Agricolas, & animalia. Verùm hæc lex licèt sancta, videtur & ipsa inter armorum strepitus silere, nec ullius esse efficaciæ, cùm experientia deprehendatur, ingruente bello omnia pessundari sacra, & profana, & milites vix Ecclesiasticis parcere.*

IN SEPTIMO.

C. *QUONIAM* 1. *h.t. Pius IV. jubet, ut pacis, & treugæ fidejussiones stipulentur, ne novis causis rumpatur conventio; & treugarum, vel pacis fractores, vel eorum fidejussores allegare non possint, quòd offensa ex nova causa processerit.*

C. *CUM OB INNUMERAS* 2. *h.t. idem Pont. moderatur, & ad juris terminos reduxit præcedens rescriptum de allegatione novæ causæ in causis pacis, & treugæ, & mandat observari præventionem juxta decretum Concilii Tridentini.*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.

C. *AD UNIVERSALIS* 1. *h.t. intendens Sixtus IV. discordiam ex pragmatica sanctione subortam sedare, concedit Ordinariis Regni Galliarum sex menses ad conferenda beneficia, & facultatem concedendi sex gratias sibi retinet. Rursus beneficia Cardinalium, & eorum, qui Cardinalium sunt familiares in Regno Galliarum existentia ad certum tempus sibi reservat. Præterea de beneficiis promovendorum ad majores dignitates, quid fieri debeat, ostendit. Rursus causas beneficiales in prima instantia vult in partibus terminari; in quibus ante definitivam sententiam prohibet appellari. Declarat itidem quid faciendum sit de causis in curia pendentibus, & quomodo eadem causa si tractetur in diversis curiis, ac diversis respectibus terminanda sit. Rursus taxas beneficiorum editas à Joanne XXII. declarat esse retinendas, & demum designat tempus, intra quod vult hæc omnia acceptari, & servari: & plura habentur in Concilio Tridentino* sess. 24. de refor. c. 17. & c. 20.

C. *VICES ILLIUS ult. h.t. idem Pont. confirmat concordiam factam in Germania inter Parochos, & Medicantes, additque pœnam excommunicationis, ne Parochi dicant hæreses manasse à Mendicantibus; & mendicantes non dicant, nec prædicent, populos non teneri audire missas in eadem Parochia diebus festis; cùm hoc sit jure cautum, nisi justa causa excusaret. Rursus prohibet, ne mendicantes, nec curati inducant laicos ad eligendam sepulturam apud se. Rursus ne mendicantes prædicent, Parochianos non esse obligatos ad confitendum in paschate proprio sacerdoti, tametsi hoc non obstante possint mendicantes confessiones audire. Rursus quoad effectum prædicandi, horas cantandi, & campanas pulsandi mandat Pontifex, ut servetur consuetudo antiqua, nisi quando contingeret occasio, aut necessitas, quæ de consensu partium videretur justa. Item prohibet, ne Religiosi mendicantes in sermonibus detrahant Prælatis, & Parochis, neque Parochianos avocent à frequentatione parochialium Ecclesiarum. Et vicissim, ne Prælati, & Parochi detrahant Religiosis mendicantibus, sed majorem favorem, quem possunt, illis impendant, ut vera unitas, & perfecta charitas inter ipsos ostendatur.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§.

Quid sit Treuga, & quid Pax.

1 Um proprium sit Ecclesiasticorum dissidentes Principum animos, ac discordantia capita componere, & in concordiam reducere, & illos juvare, ut pacem ineant, eamque conservent, ut desumitur ex *c. 1. §. quoniam h. t.* ideò appositè titulus hic ponitur de treuga & pace. Est autem treuga juxta Glossam in *c. 1. h. t.* Securitas personis, & rebus ad tempus præstita, discordia nondum finita: ubi discordia sumitur laxè quatenus comprehendit etiam privatorum dissidia, inter quos propriè bellum non est, quòd non potest geri, nisi ex publica Principis authoritate, vel magistratus, non habentis superiorem. Hinc treuga magis propriè est cessatio ab

ab hostilibus actionibus ad breve tempus, ne milites se invicem armis lacessant, & Glossa in *L. conventionum* 5. *V. paciscuntur ff. de pact.* hoc assignat discrimen inter inducias, & treugam, eò quia induciæ dentur ad breve tempus, treuga verò ad longum: ab aliis tamen sumuntur pro synonimis. Cæterum differt treuga à pace, quia treuga sit veluti pars conclusæ pacis, seu pax, & securitas ad tempus, rebus, & personis constituta: pax verò sit finis belli, ut notat Glossa in *c. 1. V. treugas.*

2 Duplex est treuga, una conventionalis, alia canonica; illa datur ex libera voluntate litigantiũ, quia initur ab hominibus, & ex conventione præcipit formam, & modum, perinde, ac quilibet contractus *l. 1. §. si conveniat. ff. depositi*, & hujusmodi conventionales treugæ recensentur inter jura gentium, ut liquet ex *c. jus gentium 21. dist. 1.* siquidem omnium gentium usu, & consensu juxta naturalem æquitatem statutum est, ut fides etiam hosti data servetur, *c. noli causa. 23. q. 1.* dummodo hostis ex sua parte etiam fidem servet, alioquin frangenti fidem fides frangetur eidem *c. pervenit. 3. de jurejur. c. 2. causa. 28. q. 2.* unde tempore induciarum, quæ in agro hostili capiuntur, non fiunt capientium, nec capti servi. Neque opus est captis jure postliminii quia captio non est facta jure belli *l. postliminium. §. inducia. & l. non dubito 7. ff. de captiv.* Treuga canonica, quæ & legalis dicitur, est quæ datur per canonem, seu constituitur per legem *c. 1. & 2. h. t.* & duplex solet assignari temporalis, & perpetua. Alexander III. in Concilio Lateranensi *c. 21.* præcipit, treugas temporales, seu inducias belli esse servandas à feria quarta post occasum solis usque ad secundam feriam in ortum solis, & ab adventu Domini, usque ad octavam epiphaniæ, & à septuagesima usque ad octavam paschæ sub pœnis excommunicationis ab Episcopo post tertiam monitionem infligendæ. Verùm sicut quæ statuuntur in hoc capite & sequenti, nimirum ut tempore belli personæ Ecclesiasticæ, & rustici, ac eorum animalia plena gaudeant securitate, usu non recipiuntur à militibus, non curantibus pontificia, nec cæsarea statuta, ideo quoad praxin non consequuntur suum effectum; neque militum licentiæ lex in castris præfigitur, neque sinunt, se coërceri legibus, qui non patiuntur armis terreri.

3 Statuitur tamen in *d. c. 1. h. t.* ut Episcopi sub pœna amotionis à dignitate teneantur sibi mutuum consilium, & auxilium impendere, ut inter dissidentes tam Clericos, quam laicos pax firma stabiliatur, & conservetur. Constitutio tamen præscribens certa tempora induciarum, vel per contrariam diuturnam consuetudinem est abrogata, vel nunquam moribus utentium recepta, ut notat Glossa *h. t. V. frangere*: potest tamen Ecclesia, & Magistratus Ecclesiasticus præcipere laicis; imò & illos obligare ad culpam, & pœnam, quando agitur de exercitio actûs, ex quo arguitur quædam irreverentia, quæ irrogatur diebus institutis ad cultum Dei. Si petas, quinam gaudeant treuga, seu securitate perpetua. Respondetur, omnes Ecclesiasticos, & Monachos, etiam conversos, ut etiam Peregrinos, Mercatores, Viatores, Rusticos excolentes campos, ducentes animalia ad arandos campos, quia ex hisce personis quædam non possunt in bello spoliari suis bonis, nec lædi corporaliter, eò quia personaliter non noceant, nec sint injuriæ Authores, nec cooperatores: sed supponantur personæ prorsus innocentes.

4 Rursus neque debent puniri per accidens, eò quia sint pars reipublicæ nocentis, contra quam justum bellum offensivum geritur; quia revera prærecensitæ personæ, præsertim Clerici, Religiosi, peregrini non sunt membra talis reipublicæ. Hinc etiam Rustici, & Agricolæ, quamdiu vacant agriculturæ, gaudent privilegio securitatis, perinde ac milites quamdiu actu militant gaudent suis privilegiis. *l. ult. ff. de testam. milit.* ut mercatores quamdiu mercimoniam exercent; & Peregrini, quamdiu peregrinantur, ut etiam legati quamdiu funguntur munere legationis *l. 2. §. legatis, & §. omnis. V. planè ff. de judic.* ut etiam Clerici, & Monachi, quamdiu regulariter vivunt, & Ecclesiæ inserviunt *L. generaliter 52. C. de Episc. & Cleric.* Professores etiam, & studiosi gaudent privilegiis ipsis concessis, quamdiu in scholis publicè docuerint, vel studuerint, ut liquet ex *cap. ult. de Magistris.* Salvus conductus, seu securitas data alicui proficiscendi ad aliquem locum est causa, ne quis damnum ullum à militibus patiatur, tam accedendo ad locum, quàm recedendo ab eodem *c. euntes, & redeuntes*: quia ire, & redire in jure ambulant pari passu *c. Magnæ 7. de voto l. si cui 38. §. tamdiu ff. ex quibus caus. majores*: quia non dicitur quis venire ad certum locum, nisi securè possit ibi morari, & inde recedere, ut notat Felin. *hic nu. 1.*

5 Quæri solet, an judex possit partes litigantes ac dissentientes ad compositionem adigere. Et respondetur, non posse cogere ad transigendum, aut compromittendum; quia hæc coactio eò tenderet, ut quis invitus cederet juri suo, quod est iniquum, & prohibitum judici, ut liquet ex *c. novell. ut litigantes*, nisi lis intricata fuerit, ut aliter expediri non possit, tunc enim posset partes adigere ad compositionem; quia non pateret alia via ad litem dirimendam, ut communiter docent Canonistæ, Abbas in *c. cùm pridem n. 6. inf. de pact.* Jason *ad l. Quidam 21. n. 4. arg. in c. fin. sup. tit. 3. de rescript.* Cæterum rectè ageret judex, si anniteretur partes componere perpetuò per pacem, quâ, remissis injuriis perpetuum stabilitur fœdus: vel temporaliter per inducias, seu treugam. Rursus si dissidia sint publica inter civitates, aut populos subjectos, tum Princeps potest præcipere partibus dissidentibus, ut se componant, pacemque ineant juxta *Authent. de mandat. Princip. §. deinde* juncta Glossa *V. pacem Novell. 17. l. congruit. 12. de offic. Præsid.* & cùm Princeps possit subditos adigere ad pacem ineundam, multò magis etiam ad inducias.

6 Quæritur secundò, an Princeps teneatur pacem inire si adversarius justam offerat satisfactionem. Solent Doctores in hac quæstione procedere cum distinctione: si oblatio justæ satisfactionis fiat ante inchoatum bellum, cen-

SUMMARIUM EXEGETICUM

Omnium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

CAP. ANTIGONUS 1. h. t. Ex Concilio Africano statuitur ut pacta etiam nuda serventur, dicitur pactum nudum, quia consistit in sola mutui consensus, & obligationis declaratione illinc dantis, istinc acceptantis absque ullo extrinseco adveniente, per quod veluti vestiatur: quoties pactum stat in puris, ac meris juribus conventionis, neque accessit aliquid roboris ex dispositione juris, ut esset stipulatio, scriptura per litteras, vel chirographum, vel traditio, dicitur nudum, quod servandum est, dummodo sine dolo, & fraude initum fuerit; & non adversetur bonis moribus, nec sit contra æternam salutem. Nota, hoc pactum nudum obligare in conscientia non in foro exteriori.

C. QUOTIES 1. h. t. Declarat Gregorius Papa, duorum subditorum pactum alias nullum accedente consensu, ex ratihabitione superioris omninò consolidari. Notat Glossa, ratihabitionem Pontificis tunc retrotrahi, & æquiparari mandato, si pactum tale fuit, quod superior ratum habens potuerit ab initio illud concedere. Fallit tamen id in filia, quæ nubit tempore luctûs; & in pupillo, in cujus negotio requiritur consensus tutoris. Rursus debet confirmari pactum cum causæ cognitione, adeò ut non sufficiat si confirmetur in causa communi.

C. QUALITER 3. h. t. Idem Pont. statuit, ut studiosè agendum sit; ut quæ promittuntur, opere compleantur: quia ut notat Glossa, verba intelligenda sunt cum effectu.

C. CUM PRIDEM 4. h. t. Alexand. III. declarat, pactum de cedendo liti beneficii Ecclesiastici mediante solutione alicujus pecuniæ, vel rei traditione, & etiam pro expensis factis esse simoniacum. Hinc liquet, non valere resignationem, per quam beneficium Ecclesiasticum debet pro pecunia resignari, quia est resignatio simonaica. Papa tamen potest dispensare in iis, quæ ideò sunt simoniaca, quia prohibita; non verò in sacramentis, quia hæc sunt prohibita, quia simoniaca. Cæterum ad redimendam vexationem potest alicui dari aliquid, si illi, qui accipit, nullum jus competat.

C. ACCEPIMUS 5. h. t. Idem Pont. rescribit Archiepiscopo Eboracensi, revocandas esse Ecclesias concessas cum pacto, quòd post mortem accipientis, alii nominati succedant, ut iniquas pactiones contra jus; & prohibet admitti appellationem. Hinc liquet, successiones in Ecclesiis, & beneficiis esse in jure prohibitas. Rursus Ecclesiam non vacantem non posse alteri promitti, quamvis consentiat Rector Ecclesiæ. Neque Episcopum posse cum pacto concedere, ut alter sibi succedat, quia Prælatus Ecclesiæ non potest sibi successorem eligere sine licentia Papæ.

C. CUM CLERICI 6. h. t. Idem Pont. rescribit Archiepiscopo Contuariensi. eum, qui Ecclesiam consecutus est mediante promissione pensionis majoris solito solvendæ conferenti beneficium, esse privandum Ecclesia sine appellatione, ac puniendum severitate Ecclesiastica. Ubi notat Glossa, quòd si bona Ecclesiæ sint augmentata diligentiâ clericorum, non sit pensio augenda; benè tamen possit augeri si augmentata sint aliunde argum. c. quanto in fin. de cens.

C. PLERISQUE 7. h. t. Innocentius III. declarat illud pactum esse reprobandum, quô quis locat domos, vel prædia, vel infeudat, cum præjudicio Ecclesiæ parochialis, nimirum, ut solvant decimas eis, vel apud eos eligant sepulturas: & mandat Pontifex restitui Ecclesiæ parochiali quiquid habuerant occasione hujus pacti: ubi notat Glossa, Ecclesiam parochialem posse agere contra Regulares, vel sæculares Clericos, ut ei reddant, quod perceperunt occasione talis pacti: imò liquet posse etiam agere contra possessores argum. c. Apostolicos 11. q. 2.

C. PACTIONES 8. h. t. declarat Gregorius IX. pactiones factas pro spiritualibus obtinendis nullius penitus esse valoris, eò quia pro spiritualibus habendis debet omnis pactio, & conventio cessare, ut etiam quando pactum est contra salutem animæ. Generatim id procedit de omni pacto turpi, vel rei turpis, vel impossibilis de jure, vel de facto; cùm enim sint pacta irrita. nullam pariunt obligationem. Nota, per hanc decretalem tolli omne pactum dandi aliquid temporale pro spirituali, & pactum tacitum, vel expressum dandi aliquid pro spirituali esse simoniacum c. per laicos 16. q. 7.

IN SEXTO.

C. PACTUM 1. h. t. Bonifacius VIII. declarat, Regulares habentes privilegium à Papa sepeliendi quoscunque in sua Ecclesia, si pactum ineant cum Parocho non sepeliendi certos, vel omnes de parochia, teneri pactum servare, eò quia per pactum derogetur indulto. Ex quo textu deducitur, jus sepulturæ regulariter pertinere ad solas parochias, & ex privilegio ad alios. Non tamen privilegiati eos possunt sepelire, quibus est interdicta sepultura.

C. QUAMVIS 2. h. t. Declarat idem Pont. pactum factum patri à filia, dum traditur nuptui, quòd dote contenta non habebit regressum ad bona paterna, secundùm leges civiles non valere, & reprobari: valere tamen, & esse servandum si sit juratum sine vi, & dolo, & sine detrimento alterius. Nota, legem civilem improbantem pactum renuntiationis factum patri à filia de non succedendo haberi in l. pactum dotale, & l. ulti. c. de collat. *item* l. si quando. C. de inoff. testam. *siquidem videtur inhumanum eam privare jure successionis, cui ipsa natura concessit. Moris tamen est, ut hujusmodi pacta renuntiationis plerisque in locis valeant, adeò ut non sint illicita, quia excusantur obtentu majoris boni, & si illis addatur juramentum, obligant etiam in conscientia: & jus Canonicum assistit hujusmodi pactis, maximè juratis, proinde si addatur juramentum, obligant in conscientia, & non possunt impugnari, ut illicita.*

QUI

C. QUIA EX EO ult. h. t. idem Pont. declarat, pacta mendicantium, & compositiones factas à Prioribus, vel Guardianis ex consensu suorum conventuum cum Prælatis, Capitulis vel Rectoribus Ecclesiarū super juribus parochialibus, aliisq; quibuscunq; articulis esse servanda à successoribus; tametsi non sint confirmata à Provincialibus, vel Generalibus, vel à Sede Apostolica, dummodo fuerint pacta licita, & honesta, & non sint contraria his, quæ habentur in clement. dudum §. nos enim, de sepult.

IN SEPTIMO.

C. IN EAM 1. h. t. Pius V. damnat ea omnia cambia, quæ ficca nominantur, & ita confinguntur, ut contrahentes ad certas nundinas, seu ad alia loca celebrare simulant, & ad ea loca ii, qui pecunias recipiunt, litteras quidem suas cambii tradunt, sed non mittuntur, vel ita mittuntur, ut transacto tempore, unde processerant, inanes referantur, aut etiam nullis hujusmodi litteris traditis pecunia ibi cum interesse reponitur, ubi contractus fuerat celebratus: nam inter dantes, & recipientes ab initio ita convenerant, vel certè talis intentio erat; nec quisquam est, qui in nundinis, aut locis supra dictis hujusmodi litteras recipit, solutionem faciat. Unde Pontifex declarat illicitam, & prohibitam hanc commutationem.

C. CUM ONUS ult. h. t. Idem Pont. statuit formam contrahendi censum, nimirum ut sit de re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, sitque de sui natura fructifera, & quæ nominatim certis finibus designata sit. Et ut fiat in pecunia numerata præsentibus testibus, & Notario, & in actu celebrationis instrumenti, non autem priùs recepto integro, & justo pretio. Prohibet solutiones anticipatas fieri, & in pactum deduci, & plura alia, quæ in textu continentur.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid sit Pactum, & quomodo dividatur?

1 PActum quasi à pace dictum, eò quia per pacta pax fieri soleat, vel à pactione *l. 1. §. 1. ff. de pact.* laxè, & generatim sumptum non differt à contractu latè accepto, benè tamen à contractu propriè, & strictè sumpto, perinde ac genus solet à sua specie distingui, siquidem latiùs patet pactum, quàm contractus; quia hic propriè sumptus eas tantùm hominum conventiones complectitur, quæ ultrò, citroque obligationem pariunt, mutuámque utriusque contrahentis exigunt obligationem: secus pactum, ut quid laxius non solùm continet omnes contractus, sed etiam pollicitationes, seu promissiones, & conventiones qualescunque, sive sint reciprocæ, vel mutuò utrinque sint obligatoriæ, ut emptio, locatio, & alia id genus, sive non. Hinc pactum definitur à juris consulto in *l. 1. ff. h. t. duorum, vel plurium in idem placitum, vel consensus*, ex quo statim apparet discrimen inter pactum, & pollicitationem, eò quia pactum sit duorum, vel plurium in idem consensus; & pollicitatio sit tantùm consensus unius, seu promissio solius offerentis *l. 3. ff. de pollicitat.* Cæterùm pactum si perfectū fuerit jure naturæ obligationem parit. Pollicitatio non obligat promittentem donec promissio fuerit acceptata à promissario. Hinc promittens potest ante acceptationem suam revocare promissionem *l. 2. §. sed quis donaturus, & l. absenti. ff. de donat. l. nuda pollicitat. C. de contrahen. stipulat.*

2 Rursus ut pollicitatio facta absenti irrevocabilem invehat obligationem, non sufficit, si alius quiscunque audiens absenti notificaverit, isque acceptaverit, sed requiritur, ut ipse promittens per nuntium à se destinatum, & per epistolam, promissionem absenti insinuet, quia pollicitatio, ut obliget irrevocabiliter, debet ratione pacti induere, & quia pactum non fit nisi per unionem duarum voluntatum, & ipsæ perfectæ non uniantur nisi promittens, & Promissarius simul consenserint, ideò promittens debet, vel per se vel per alium à se destinatum suam voluntatem alteri notificare, ut notat Julius Clarus §. *donat. q. 12. n. 2.* Panormitanus tamen in *c. 3. h. t.* censet, universim de jure canonico non procedere potestatem revocandi pollicitationem ob textum in *eod. c. 3.* ubi jubetur, omne promissum impleri, perinde, ac inita pacta implenda sunt; quia ut ait juris consultus *d. l. 1. ff. h. t.* nihil tam fidei humanæ congruit, quàm ea, quæ inter eos placuerunt servare. Communiùs tamen censent nil hic in parte de jure canonico derogatum, ac mutatum fuisse, & asserunt prædicta jura in *d. c. 3.* esse intelligenda de pollicitatione completa, seu acceptata promissione, quia regulariter verba legum sumenda sunt cum effectu *c. cum semper de offic. delegat.* Tum quia pollicitatio ex se non producit obligationem naturalem, quia hæc non nisi ex consensu duorum oritur, alioquin nec jus civile potuisset permittere revocationem pollicitationis.

Pollicitatio tamen facta ad pias causas, ut promissio facta Ecclesiæ, Nosocomio, pauperibus statim obligat etiam nemine expresse acceptante, quia talis promissio censetur principaliter fieri Deo, à quo si promissio fit ex se bona censetur statim acceptari, perinde ac votum. Quinimò etiam de jure civili pollicitatio facta alicui 3

alicui civitati ex justa causa ad resarcienda damna illata statim irrevocabiliter obligat *l. 1. ff. de pollicitat.* Unde à fortiori, etiam pollicitatio facta piæ causæ, & ex causa salutis acquirendæ. Quòd si quis per nuntium absenti mittens pollicitationem moreretur, antequam absens acceptet pollicitationem. Respondent communiter post mortem talem pollicitationem non posse acceptari, ut etiam si quis procuratori mandaret, ut absenti nomine Principalis aliquod beneficium afferret: eò quia mandatum per mortem mandantis re adhuc integra regulariter expirat *l. siquidem 8. C. de obligat. L. mandatum. C. mandati.* Sed excipiuntur piæ causæ, in quarum favorem mandatum etiam post mortem mandantis sustinetur *argu. L. si ego. de jur. dot. L. si Pater. ff. de manumiss. vind.* Covarruvias *variar. resolut. lib. 1. c. 14. n. 16.* Quòd si per testamentum quis aliquid legaverit alteri absenti legatum ei debetur: quia testator intendit, quòd post ejus mortem solvatur ei legatum. Major difficultas videtur esse, si quis actualem promissionem circa fœudum, donationem, vel quid aliud simile per litteras, aut nuntium absenti significari detracto curaret, & antequam absens acceptaret, seu ad illum perveniret nuntius, promissor decederet, an tunc tenerentur hæredes promittentis dare absenti fœudum promissum? Sententiæ doctorum inter se dissentiunt. Sanchez *de matrim. disp. 16. n. 5.* censet, promissionem illam esse adimplendam, eò quia ex parte promittentis fuerit perfecta cùm viveret *argu. l. nec ambigi. C. de donat.* præsertim cùm voluntas promittentis adhuc perseveret in litteris directis ad absentem: & affert paritatem etiam de gratiis, quæ morte concedentis non expirant, *c. si super gratia de offic. delegat. in 6.*

4 Verùm contraria sententia communior est, ac censetur probabilior, magisque conformis rationi, & textibus juris, ut ostendunt Tiraquellus, & Decius. Quia promissio non intelligitur perfecta ante acceptationem Promissarii, proinde per mortem promittentis ante talem acceptationem expirat: perinde ac mandatum morte mandantis re integra *argu. l. siquidem 8. C. de obligat. l. mandatum. C. mandati.* Et *l. si ego ff. de jur. dot.* ubi tantùm fit exceptio favore dotis, quæ exceptio firmat regulam in casibus non exceptis *l. qui testamento 20. §. mulier 6. ff. de testam.* Tum quia in *d. l. si ego.* assignatur etiam ratio, quia in vita promittentis promissio non fuit perfecta defectu acceptationis requisitæ, & nondum factæ à Promissario absente; & post mortem Promittentis dominium rei promissæ statim transit ad hæredem promittentis. Tum quia regulariter actus inter vivos, & dependentes in conservari à continuatione voluntatis per mortem promittentis, vel donantis interrumpuntur, quia non censetur continuare voluntas promittentis *c. si gratiosè de rescript. in 6. lib. 4. ff. locati.* Tum quia post mortem promittentis non possunt ampliùs duæ voluntates simul uniri.

5 Neque ullum facessit negotium argumentum deductum ex *l. nec ambigi C. de donat.* quia ibi non dicitur, donationem esse perfectam ante acceptationem donatarii; sed quòd possit inter absentes fieri. Neque argumentum à pari de gratia, quæ morte concedentis non expirat, multum urget; quia intelligitur de gratia Principis, quæ non transit propriè in naturam pacti, vel contractus. An verò si Donatarius absens, vel promissarius moriatur antequam acceptaverit donationem, vel promissionem, ejus hæres, possit rem illam acceptare? licèt Sanchez *loc. cit.* affirmet ea innixus ratione, quia hæres defuncti personam repræsentet. Nihilominus probabilior sententia est, quòd hæres invito promittente, vel donante non possit rem illam acceptare, quia tunc deficit unio directa voluntatum inter principales personas; cùm enim donatio dependeat à voluntate donantis, potest rem uni donare, non alteri, tametsi sit hæres. Tum quia defunctus ante acceptationem nullum acquisivit jus in rem illam, proinde non potuit hoc jus in hæredem transferre. Neque obstat, quòd hæres dicatur repræsentare personam defuncti, quia id in jure tantùm intelligitur de actibus, & obligationibus, quæ in vita defuncti perficiuntur, & complentur.

Pactum igitur propriè sumptum dividitur in publicum, & privatum, hoc versatur circa rem familiarem, & privatam; illud circa publicam, cujusmodi sunt induciæ, pax, & alia id genus, quæ pertinent ad communitatem, totámque rempublicam. Rursus aliud est expressum, aliud tacitum *l. 2. ff. h. t.* Expressum est, quod re ipsa exprimitur inter præsentes; vel absentes per litteras, vel nuntium. Tacitum colligitur ex interpretatione quadam facti, ut si debitori cautionem quis reddat, dicitur remittere ei debitũ, & taciti pacti actionem habet debitor. Ex pactis privatis alia dicuntur juris gentium, & alia legitima: illa sunt, quæ sola ratione æquitatis subsistunt; nec ullam pariunt actionem, sed tantùm exceptionem *l. juris gentium 7. ff. h. t.* Pacta legitima dicuntur, quæ lege aliqua civili firmantur, & hæc parere, vel tollere possunt actionem. Rursus alia sunt pacta in rem; alia in personam, illa versantur circa res; hæc circa personas, ut cùm quis paciscitur, ne à persona Titii aliquid exigatur, aut ne in judicium vocetur Cajus *l. juris gentium 7. §. 8. ff. eod.* 6

Rursus pactum aliud dicitur nudum, vestitum aliud. Illud dicitur, quod nõ habet proprium juris nomen, nec causam obligationis, præter solam conventionem, adeò ut si quis interrogetur, quid actum sit in partes, nil aliud speciale possit respondere, quàm esse factam pactionem, seu conventionem, ut describit pactum nudum Durandus *l. 7. §. 4. h. t.* unde pactum nudum consistit in mera conventione, seu consensione, ut si duo conveniant de permutandis simul palliis sine traditione, illa enim simplex conventio nondum facta traditione dicitur pactum nudum. Vestitum verò dicitur contractus strictè sumptus, & jure civili parit actionem, ut emptio, venditio: ut si Titius tradiderit pallium Cajo, cui antea promiserat, hic actus facit, ut Cajus de- 7

beat itidem suum pallium dare Titio; cui vicissim promiserat, quia ratione facti, seu traditionis factæ à Titio obligatur alter etiam præstare, quod promiserat, ut notat Tuscus *conclus. 18. littera P.* Vestitur autem pactum sex modis. Primò si pactum simplex transeat in contractum specificum, seu nominatum in genere suo perfectum, ut in emptionem, locationem, commodatum.

8 Secundò vestitur, seu confirmatur si ex altera parte secuta sit impletio promissi, vel rei traditio, ut solet contingere in contractibus innominatis: do, ut des: tunc enim posita traditione rei non habetur sola pura conventio, sed obligatio oritur ex re ipsa tradita: hinc qui ex sua parte implevit promissum potest exigere, ut alter suam itidem impleat promissionem, vel ut sibi restituat, quod dedit, *l. naturalis §. et si quidem ff. de præscript. verb.* ut si Petrus conveniat cum Joanne, ut sibi det decem mensuras olei pro quinquaginta vini, postquam Petrus vinum tradidit Joanni; potest agere contra ipsum, & adigere ad dandum promissum oleum, vel ad restituendum vinum.

9 Tertiò vestitur pactum, si accedat stipulatio, cujus forma jure civili introducta est, & hæc perficitur mutua interrogatione, & responsione, ut si quis dicat: promittisne mihi daturum equum pro centum mensuris tritici? & alius respondeat promitto tibi dare equum, si mihi dederis centum mensuras tritici; hæc stipulatio confirmat pacta, quæ alioquin essent nulla, ut liquet ex *l. ex placito C. de rer. permut.* Moris tamen nunc est, ut pacta stipulentur per publicum instrumentum notarii, vel per simplicem scripturam manu promissoris subscriptam, aut obsignatam, ut notat Molina *tract. 2. disp. 255. n. 4.*

10 Quartò vestitur pactum simplex si eidem statim adjiciatur aliud pactum vestitum, seu jure civili firmum, sive pactum nudum præcedat vestitum, sive statim subsequatur, quia per cohærentiam ad alterum contractum nominatum, vel innominatum, seu pactum vestitum, vestitur etiam pactum, quod alias esset nudum juxta *l. juris gentium. §. quinimò ff. hujus tit.* ut si Cajus locavit domum Titio adjecto simul pacto, ut agrum suum adjacentem excolat; tametsi hoc pactum excolendi agrum sit nudum, quia tamen cohæret cum primo vestito, seu contractu locationis, ideò hoc adimpleto ex parte locantis domum, vestitur etiam, seu firmatur pactum excolendi agrum, quod erat nudum, ita ut pariat actionem civilem, perinde ac contractus nominatus locationis, cui adnectitur.

11 Quintò vestitur etiam pactum nudum per auxilium legis, seu ejus assistentiam, adeò ut ex juris privilegio ex tali pacto oriatur actio civilis, ut notat Glossa in *cit. l. juris gentium. §. sed cùm nulla. V. igitur ff. hujus tit.* siquidem ex simplici donatione postquam acceptata est, ante traditionem rei ex jure novo Codicis oritur actio civilis ad traditionem rei dono datæ *l. si quis 35. §. sed siquidem C. de donat.* Rursus ex simplici promissione acceptata dotis in favorem matrimonii oritur actio civilis *l. unic. C. de rei uxor. act. l. ad exact. 7. de dot. promiss.*

Sextò vestitur etiam pactum nudum adjectione juramenti; adeò ut jure civili concedatur actio, ut communiùs censent cum Covarruv. in *c. quamvis p. 2. §. 4. n. ult.* quia ex contractu jure civili irrito, si per se non sit illicitus, seu contra bonos mores, datur jure civili actio, quando juramento firmatur, ut liquet ex *authent. Impuberum C. si adversus venditionem.* proinde multò magis ex pacto nudo juramento confirmato, cùm hoc pariat naturalem obligationem in foro conscientiæ; non ita contractus jure civili irritus. Rursus vestitur etiam pactum, & parit actionem etiam de jure civili, si fiat in judicio; quia tunc proficit ad agendum *L. 4. § final. ff. de fidejussor.* siquidem in judiciis quasi contrahitur *L. 3. § idem scribit ff. de pecul.* & ex quasi contractibus oritur obligatio, & actio, ut patet ex *tit. instit. de obligat.* quia quæ ex quasi contractibus, & quæ in judiciis fiunt omnem contractuum solemnitatem exsuperant. *l. omnes 19. C. de testam.* 12

Ex pacto igitur vestito oriri obligationem, certum est, ex *l. juris gentium, & ff. de præscript. verb.* Ex nudo verò licèt obligatio naturalis oriatur, non tamen jure civili datur actio, quia jus civile dicitur odisse lites, quas pactorum frequentia necessariò progenerat, qua propter præsumitur, quòd frequentes illæ promissiones ex animi levitate potiùs fiant: unde unius cujusque honestati relinquitur, ut suis stet promissis, ne malè apud alios audiat. Jure tamen civili nascitur actio ex pacto nudo, quando id à legibus pacto tribuitur, ut liquet in donatione, quæ incipit ab accepta promissione nondum facta traditione rei promissæ, si enim Petrus det suum equum Paulo, & hic acceptet donationem, quia jus ad equum est ipsius Pauli, cui est dono datus, ideò si Paulus moriatur antequam Petrus tradiderit equum, debetur hic hæredibus Pauli: generatim obligatio donationis acceptæ transit ad hæredes *l. si quis argentum §. ult. C. de donation.* & idem valet in nudo pacto dotis promissæ. An verò secundùm Canones ex nudo pacto oriatur obligatio, & actio? probabilior sententia affirmat, quando pactum initur cum expressione causæ: quia quæ de labiis suis procedunt nemo irrita facere debet, *Psal. 88.* ubi habetur: *& quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita.* hinc in Concilio Africano Antigonus Episcopus dixit, aut inita pacta suam obtineant firmitatem, aut conventus Ecclesiasticam sentiat disciplinam, & Patres unanimi consensu, responderunt: *pax servetur: pacta custodiantur.* 13

Obligatio quæ ex pacto inito oritur est juris vinculum, quo obligatus adstringitur alicui rei solvendæ, vel faciendæ; idque ex necessitate, ut differat ab obligatione, quam pariunt aliæ virtutes, ut fidelitas, & gratitudo. 14

titudo. Rursus alia est obligatio naturalis, alia civilis, & alia mixta; naturalis est, quæ oritur ex rei natura; civilis, quæ ex legibus; & mixta, quæ ex rei natura, & legibus simul. Causa hujus obligationis, & materia est, vel contractus, vel delictum. Effectus obligationis civilis est dare potestatem prosequendi jus suum. Obligatio sola naturalis, nisi accesserit authoritas juris civilis in foro externo non parit actionem, sed tantùm exceptionem *l. juris gentium.* §. *sed cùm nulla ff. de pactis.* & hæc exceptio sufficit ad novandum *l. 1. cap. fin. ff. de novat. ad constituen. l. 1.* §. *debitum ff. de constit. pac. ad compensan. ff. de compensat.* Rursus ut accedat fidejussor *l. stipulatus sum l. sec. de fidejuss.* Rursus ut accipiatur pignus *l. naturaliter. ff. de condit. in deb.* Obligatio tamen seu conventio si fuerit de re spirituali eò ipso est irrita, & nullius valoris, ut liquet ex *c. pactiones 8. h. t.* ubi declaratur irrita pactio de tertia tantùm parte decimarum præstanda, nisi probetur confirmata authoritate Apostolica: & idem dicitur de annexis ad res spirituales, eò quia omnes hujusmodi pactiones, & conventiones redolent simoniam, ut notat Navarrus *c. 23. n. 100.*

14 Excipitur tamen quando adnexum rei sacræ est omninò temporale, ut in vasis sacris est aurum, aut argentum, in ornamentis altaris sunt gemmæ, & quid simile, ut constat ex *c. aurum 12. q. 2.* hæc enim si necessitas urgeat, aut charitas in alendis pauperibus, distrahi, ac vendi possunt, & legimus non semel à sanctis viris fuisse laudabiliter factum ad sublevandas pauperum miserias.

15 Rursus sunt irrita pacta, quæ mediante pecunia fiunt de beneficio Ecclesiastico resignando *c. cùm pridem h. t.* vel de solvendis expensis, & fructibus pro cessione juris. Hinc renuntiatio facta cum pacto, ut resignatarius solvat resignanti expensas factas in illo beneficio consequendo est nullius valoris, ut notat Flaminius de *resignat. lib. 4. q. 7.* Rursus est etiam irritum pactum de succedendo post mortem Prælati in ipsius Ecclesia *c. accepimus h. t.* Covarruvias in *c. quamvis pactum.* Qui Ecclesiam acquisivit per pactum augendæ pensionis, est etiam illâ privandus; præsertim si Clericus faciliùs obtinendi beneficii causa promittat se majorem pensionem soluturum, quàm ferre beneficium possit; quia in *cap. cum Clerici 6. de pactis* statuitur, ut Clerici, qui majores solito pensiones promittunt se soluturos, ut faciliùs Ecclesias consequantur appellatione constante, Ecclesiis eo modo acquisitis spolientur.

16 Hinc Clericus, qui ut Parochialem Ecclesiam consequatur, mentitur fructus Ecclesiæ excedere summam centum aureorum, ut pensio imponatur, cum reverà fructus non sint tanti; pactum initum est irritum, quod etiam condemnatur in *d. c. cum Clerici.* quia cùm Concilium Tridentinum statuerit non esse imponendas pensiones in beneficiis parochialibus, quando eorum fructus non superant quantitatem centum aureorum, Clericus mentiendo exprimit, ac fingit beneficii fructus, ut ob pensionem alteri reservatam, faciliùs potiatur beneficio, cùm tamen clam censeatur convenire cum pensionario, nihil ei fore solvendum, si fructus non fuerint ea quantitate majores.

Præter allatam divisionem pactorum dantur etiam alia, quæ dicuntur judicialia, & alia extrajudicialia, inter quæ hoc est discrimen, quòd judicialia pariunt actionem, eò quia in judiciis quasi contrahatur, ut notat Baldus in *l. tale pactum 41.* §. *qui provocavit.* secus pacta extrajudicialia non pariunt actionem. Rursus alia sunt pacta, quæ obligant ex una saltem parte: & alia, quæ tollunt obligationem, quæ propterea liberatoria nuncupantur, cujusmodi sunt acceptationes: differunt hæc pacta, quia obligatoria non fiunt nisi altera parte acceptante: liberatoria verò valent, non solum facta præsenti, quamvis non acceptet, sed etiam absenti, dumodo nomine illius alius acceptet; quia in ejusmodi comodis etiam tacens, & absens consentire censetur, ut notant Julius Clarus §. *donat. q. 14.* Tiraq. *de nobil. c. 6.* Barbar. *in reg. jur. qui tacet. & de reg. jur. in 6. n. 14.* Rursus alia sunt pacta in rem, alia in personam; illa sunt, quando quis generaliter paciscitur, ne petatur: pacta in personam sunt, cùm quis paciscitur, ne à se, ne ab alia certa persona petatur, ut liquet ex *l. jurisgentium* §. *pactorum ff. h. t.* 17

Alia sunt pacta, quæ fiunt à privatis, & alia à publicis rerum administratoribus. Pacta privatorum fiunt à personis privatis; alia à generalibus rerum alienarum administratoribus, cujusmodi sunt Prælati Monasteriorum, Rectores Ecclesiarum, Magistratus civitatum, Syndici communitatum, procuratores cum generali mandato, Tutores, & Curatores. Specialiter circa contractum mutui est notatu dignum, quòd Ecclesiæ, Monasteria, & alia loca pia ex mutuo suscepto ab eorundem Rectoribus, & Administratoribus tunc tantùm obligentur, si creditor probaverit, pecuniam in piorum locorum utilitatem fuisse conversam, alioquin soli Administratores conveniri poterunt *l. civitas* §. *de reb. creditis, authent. hoc jus porrectum C. de SS. Eccles. c. hoc jus 10. quæst. 2. c. penult. de fidejuss.* unde creditor expresè, & in præsentia testium ad majorem cautelam curare debet, ut in chyrographo inseratur causa, in quam mutuum sit impensum. Neque debet solo chyrographo esse contentus, sed etiam debet curare, ut sibi dentur Fidejussores idonei, qui nominatim pro ipso Administratore mutuam pecuniam in omni eventu fidejubeant. 18

Ceterũ non requiritur exactissima probatio creditoris, quòd pecunia in comodum loci pii impensa fuerit: siquidem investigare non semper facile esset, neque probari facilè posset, an Administrator, has vel illas impenderit pecunias; unde sufficit etiam minus perfecta probatio, quæ desumitur ex conjecturis, & circumstantiis, præsertim si tunc temporis Ecclesia aliis mediis destituta, fuerit ædificata, aut nova prædia acquisita loco pio. Quòd si Ecclesiæ Rector, vel Prælatus contraxerit debita pro sua sustentatione, aut infirmitate, quia tunc censetur illa con- 19

traxisse pro necessitate Ecclesiæ, quæ suum Ministrũ alere debet, tunc non ipse Prælatus, sed Ecclesia, vel alius locus pius, solvit, & extinguit debita in tali infirmitate contracta, ut notat Barbosa in *collect. ad c. 1. de solut. num. 3.* Sin verò pecunia mutuò accepta à loci pii Administratore, casu perierit ex incendio, vel furto, adhuc ipse locus pius tenetur ad solutionem, dummodo Administrator ex legitima causa, & in commodum loci pii mutuò acceperit pecunias. Hoc idem etiam dicitur de servo, vel Procuratore, qui in Domini comodum pecuniam accepit mutuam, quam postea fortuitò perdidit; tunc enim non servus, nec Procurator, sed ipse Dominus tenetur ad solutionem debiti, ut expresse habetur in *l. servus 17. ff. de in rem verso*; quia jura voluerunt consulere locis piis contra Administratorum malitiam; non verò contra casus fortuitos, contra quos nil possunt Administratores.

20 Quòd si Administrator, seu Prælatus Monasterii cum consensu Capituli mutuum acceperit, absque ulteriore probatione creditoris, quòd pecunia fuerit impensa in utilitatem loci pii; an teneatur tunc Ecclesia debitũ solvere? Panormitanus in *c. penult. de fidejuss.* respondet cum distinctione: si solutio possit fieri per res mobiles tunc censet, teneri Ecclesiam, vel Monasterium ad solutionem debiti: sin autem solutio debeat fieri per res imobiles, vel saltem sint alienandæ res mobiles pretiosæ, tunc negat, onus solvendi incumbere loco pio, quia alienatio rei immobilis, seu mobilis pretiosæ absque evidenti utilitate, & necessitate Ecclesiæ non conceditur; & non est utilitas, nec necessitas Ecclesiæ, si pecunia in ejus commodum non fuerit expensa. Fachinæus *lib. 2. controv. c. 77.* asserit, pertinere ad Ecclesiam restituere acceptum munus cum consensu Capituli, idque probat argumento à contrario sensu in *d. c. penult.* ubi Glossa in *V. in utilitat. fidejuss.* & ad rationem Panormitani respondet, ipsam solutionem æris alieni esse justam causam rerum immobilium alienandarum, ut desumitur ex *can. hoc jus in princi.* ibi *excipitur, si debitum urget: causa 10. q. 10.* Verùm Enger *lib. 1. §. 10. h. t.* notat in *d. c. penult. de fidejuss.* sermonem esse de mutuo à religioso privato contracto, & verisimiliter, non in specie tantæ quantitatis, ut necesse sit, res immobiles Monasterii alienare. Et ad id, quod respondet Fachinæus, exsolutionem æris alieni esse justam alienationis causam, respondet id esse intelligendum de debito, ad quod Ecclesia indubitanter tenetur, quale, an sit quando non probatur pecunia versa in utilitatem, asserit, id adhuc esse indecisum. Idque firmat, quia minor restituitur in integrum, si pecunia mutuò accepta in ejus utilitatem non fuerit impensa *l. 1. & 2. C. si adversus Creditorem* quamvis authore tutore, contraxerit *l. 3. C. si tutor, vel curator intervenerit.* & Ecclesia gaudet jure, & privilegio minoris, ut liquet ex *c. 1. de in integrum restit.* concludit tamen, sententiam Fachinæi esse consentaneam æquitati, neque facilè damnandum esse judicem; qui secundùm eandem judicaverit, præferendo æquitatem rigori, juxta *l. placuit C. de judic.*

§. II.

De Causis, & Effectibus Pactorum.

Cujusvis rei quatuor possunt causarum genera considerari, efficientis, finalis, materialis, & formalis. Duæ priores dicuntur extrinsecæ, posteriores intrinsecæ. Rursus causa efficiens alia est remota, alia proxima. In pactis conventis causa efficiens remota est jus gentium, aut lex civilis, aut prætoria *l. 5. 6. 7. hujus tit.* eo enim ipso, quòd lex approbat pactum, validum est, & efficax, quia valor à lege derivatur in pactum. Causa proxima efficiens est mutuus partium consensus; præsertim in contractu *c. 1. §. penult. h. t.* Causa materialis sunt res, circa quas versantur conventiones, & pacta. Firmalis est consensus voluntatis. Demum causa finalis, est justa causa conventionis *l. si convenerit. 56. hujus tit.* In pactis tamen obligatoriis causa donationis nunquam præsumitur, nisi fuerit expressa *lib. 2. num. 2. §. circa. ff. de doli mali exerc.* si enim causa non exprimatur pactum initum nullius censetur valoris, nec obligationem invehit. Secus in pactis liberatoriis, tametsi nulla exprimatur causa, adhuc conventio valet, & pactum est efficax, quia præsumitur pro subjecta materia, & fine conventionis, causam donationis subesse. *L. 1. de transact.* & Cagnolus in *rubric. de pact.* 1

Cæterùm materia pactorum extenditur ad res omnes, quæ commercio possunt deservire, ut desumitur ex *l. si empt. 34. §. omnium de contract. empt.* sive præsentes sint, sive absentes, sive futuræ, dummodo propriæ sint, non alienæ *l. pactum 46. hujus. tit.* Neque sint juris publici *l. jure sanguinis de regul. jur.* Usus tamen invaluit, ut paciscentes, vel transigentes de homicidio, cæde, aut alio crimine publico prorsus excludantur à civili, & publica actione, non sublata magistratûs authoritate, qui vindicare possit, ut notat Bartol. *L. 1. usque adeò de injur.* Cæterùm jure civili pacisci licet de injuriis, furtis, ut liquet ex *l. si unus §. illud hujus tit.* eò quia hujusmodi crimina non sint publica, sed privata; proinde in illis inita pactio ipso jure actionem tollit, ut notat Tholosanus *lib. 21. c. 4.* 2

Quoad causam finalem pactorum; debent eò pacta tendere, ut eorum beneficio aliquid donetur, aut remittatur, quia nisi in conventione aliquid remittatur, nil actum, aut pactum jure civili est, quia pactio non prodest, nisi ad excipiendum; & exceptio non potest competere, nisi illi, cui aliquid est remissum, & cum quo agi potest: siquidem exceptio excludit actionem *L. 2. §. de except.* si enim quis paciscendo non remittere, sed novum jus vellet instituere, nil inde hauriret comodi: siquidem de eo non posset jure actionem instituere. 3

Effectus pactorum est obligatio, quæ describitur juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvendæ, hæcque obli- 4

gatio

gatio pro varietate pactorum aliquando est purè naturalis, nonnunquam civilis; & subinde naturalis, & civilis simul, ut innuimus in præcedenti §. si enim pactum habeat pro fundamento obligationis solùm consensum, cui tamen lex non resistat, nec assistat, tunc producit obligationem purè naturalem, sive ex solo jure naturæ, vel gentium jubente pacta servari. Vel pactum ita initur, ut lex eidem assistat, ut in pactis vestitis, & tunc oritur obligatio efficax, sive naturalis, & civilis simul. Sin autem lex expressè resistat pacto tanquam de re turpi, vel dissentanea bonis moribus, ut *in c. fin. h. t.* tunc ex tali pacto nulla oritur obligatio, nec naturalis, nec civilis, quia nemo potest obligari ad peccandum, & malè agendum. Sin verò lex solam consideret juris solemnitatem, nulla subsistente naturali æquitate, tunc pactum inducit obligationem tantùm civilem, quæ licèt pariat actionem; non tamen exactionem, seu executionem: ut si Petrus dederit Paulo Chyrographum, in quo fateatur, se accepisse mutuos centum aureos; per hanc solemnitatem litterarum obligatur ad solvendos illos centum aureos; tametsi eos non acceperit realiter; sed tantùm civiliter ratione Chyrographi dati: unde quamvis possit intendi actio contra Petrum, potest tamen Petrus illius exactionem, seu executionem impedire per exceptionem non numeratæ pecuniæ, si enim probet, se non accepisse mutuos illos centum aureos, impedit illius executionem, ut traditur *in tit. institut. de litt. obligat.* Pari pacto si Petrus sit alicui obligatus, & ex solemni stipulatione, aut alio contractu sibi pactum fuerit nudè factum à creditore de non petendo; per tale pactum tollitur tantùm naturalis obligatio; non verò civilis, quæ per actum contrarium à jure civili approbatum tolli debet, scilicet per solutionem, vel aliam satisfactionem, quâ tollatur obligatio: unde manet actio, quæ est juris civilis; quia verò pactum nudum exceptionem parit, per hanc tollitur exactio, seu executio actionis. Et licèt hæ distinctiones in jure canonico non multùm attendantur; nihilominus necessariæ sunt ad ritè intelligendos varios juris civilis textus.

5 Cæterùm quamvis ex nudo pacto jure civili non oriatur obligatio efficax, seu jus petendi in judicio, quod promissum fuerat, oriuntur tamen alii effectus in foro externo. Quorum primus est, ut exceptionem pariat *l. juris gentium 7. §. sed cùm nulla ff. h. t.* ut paulò superiùs explicuimus. Secundus, quia quod semel ex tali pacto solutum est, potest retineri, & non debet etiam in judicio restitui. Tertius, quia si promissarius aliunde quid debeat paciscenti, potest compensare pro illo, quod ex pacto nudo sibi ipse debebat. Quartus, quia nudo pacto potest accedere Fidejussor, qui efficaciter obligatur, adeò ut contra ipsum detur actio. Quintus, quia potest retineri pignus datum pro eo, quod ex nudo pacto est debitum: siquidem ex nudo pacto, si jure positivo non sit irritum, oritur naturalis obligatio, & in foro conscientiæ, si adsit consensus verbis expressus, & acceptatus: id enim spectato jure naturæ sufficit ad inducendam obligationem; & quamvis jus civile, non tribuat actionem positivam in foro externo ad petendum causa litium declinandarum, quæ alias multiplicarentur, cùm frequentissima pacta nuda, & simplices promissiones inter homines fiant, quæ causa fuit, cur jus civile voluerit, etiam pro singulis debitis civilibus dare recursum ad forum judiciale; nihilominus jus civile non abstulit obligationem naturalem, quæ in foro conscientiæ oritur ex nudo pacto.

Ex jure canonico nudum pactum, seu simplex promissio, si acceptata fuerit, parit actionem efficacem ad exigendum in judicio, quod promissum fuerat, ut communiter notant Canonistæ cum Abbate *c. 1. n. 5. h. t.* & desumitur ex *c. 1. c. qualiter 3. h. t.* in quibus præcipitur, ut nuda pacta etiam sine forma stipulationis inita firmiter observentur, ac opere adimpleantur: unde cùm Canones assistant nudo pacto, seu simplici promissioni acceptatæ, sequitur, quòd ex nudo pacto in jure canonico concedatur actio, cùm hæc detur in judicio quoties lex assistit promissioni factæ *l. legitima. 6. §. h. t. l. unic. de condit. ex lege*; siquidem promissiones, si non sint de rebus illicitis, & à Promissario fuerint acceptatæ, obligant in conscientia sub peccato mortali, vel veniali juxta gravitatem, & levitatem materiæ; ut communiter docent Theologi, & quia in jure canonico cavetur periculum omnis peccati, & unicè saluti consulitur animarum, ideò in foro Ecclesiastico promittentes simpliciter, & nudè adiguntur ad servanda pacta non solùm ob exceptiones, vel implorato judicis officio, ut censent plures; verùm etiam concesso remedio ordinario actionis, per quam in judicio petitur, quod promissum fuerat. Pacta enim tametsi nuda semper servanda sunt, quia ut habetur *in l. juris gentium. ff. de pactis*; *Prætor ait, pacta conventa (quæ neque dolo malo, neque adversus leges, plebiscita, senatusconsulta, edicta, decreta Principum, nec quo fraus cuique eorum fiat, facta erunt) servabo*; quæ verba Bald. *in rubric. de constit.* asserit processisse de ore Dei, & probatur ex *cap. 5. proverb. Illi si spopondisti, illaqueatus es verbo oris tui.* unde frangere pacta, & non stare promissis greve est piaculum; non solùm apud jus commune, sed etiam coram Deo, ut asserit Cornel. *in l. si pascenda pecora in 2. q. princ. C. de pact.* & alii plures, cum Neviz *cons. 11. n. 10.* ubi asserit, nullam esse justitiam, quàm illam, quæ oritur ex pacto: siquidem textus *in l. 1. ff. de pact.* ait: quid tam congruum humanæ fidei, quàm ea, quæ inter eos placuerunt, servare; quinimò Deus ipse voluit quodammodo suo pacto ligari Genesis c. 9. *Ecce ego statuam pactum meum vobiscum, & non erit deinceps diluvium super terram.*

7 Rursus Regula pactorum est permissiva, & nisi probetur, quòd pacta sint contra leges, senatusconsulta, & alia hujusmodi, præsumuntur semper licita, ac permissa, ut notat Vitalinus *de claus. tit. an possit renuntiari beneficio, cessio bonor. n. 16.* & quod pacta omnia sint servanda, dummodo non adversentur legibus, & bonis moribus, ac publicæ utilitati, asserunt communiter Jurisconsulti cum Bart. *in q. 1. Lucan. civitat. in princ.*

prine. siquidem in re sua familiari potest quilibet pacisci, dummodo res circa quam versatur pactum licita sit, id enim permittitur universis, & singulis, ut ait Baldus *in l. fin. §. fin. n. 5. C. de temp. appell.* Hinc quidquid est permissum per legem, dicitur etiam permissum per pactum, ut notat Bartol. *in l. non impossibile ff. de pact.* ubi explicat, quomodo procedat generatim cum omnibus, adeò ut pacta non solum obligent privatos, sed etiam Principes, Reges, Imperatores, & Papam ipsum, quinimo magis obligantur Principes, quàm privati; quia fides publica majorem secum trahit obligationem, ut notat Cast. *conf. 318. circa fin. lib. 1. V. his non obstantibus.* ubi ostendit. Venetos teneri servare conventas exemptiones Patavinis: siquidem juris, & naturæ dictamen est, ut pacta serventur, si absque peccato servari possunt, & peccato subjacet, qui pacta conventa non servat.

8 Quamvis ex pacto nudo, seu simplici promissione acceptata jure canonico oriatur actio efficax ad exigendum in judicio rem promissam, id tamen solet intelligi cum suis limitationibus. Primò quòd pactum nudum procedat in causis spectantibus ad forum Ecclesiasticum; ratione vel personarum, vel materiæ, & in locis Ecclesiæ subjectis. In aliis verò causis potest locum habere denuntiatio canonica, quia ad vitandum peccatum Prælatus Ecclesiæ potest promittentem adigere, ut stet promissis *c. novit. 13. de judic.* In pluribus tamen Principum sæcularium lege statutum est, ut obligatio, & actio oriatur etiam ex pacto nudo; seu simplici promissione facta animo se obligandi, ut refert de Lugo *disp. 22. de contract. sect. 4. n. 56.* ne jus civile differat à canonico, & forum internum ab externo discrepet. Secundò intelligitur, quando promittens habuit animum se obligandi non tantum ex virtute fidelitatis, aut veritatis, sed ex justitia, quia quando nudum pactum processit animo se obligandi ex sola virtute fidelitatis, aut veritatis, non acquiritur promissario contra promittentem ulla actio, per quam possit exigere rem promissam, tanquam sibi debitam, & quia frequentiores sunt promissiones, quæ fiunt sine animo se obligandi ex justitia, ideò rarissimè in foro Ecclesiastico coguntur paciscentes ad simplices promissiones observandas. Tertiò ut ex nudo pacto oriatur actio efficax debet causa esse expressa, ob quam aliquid promittitur, ut si Petrus in promissione facta Paulo dicat, promitto, me tibi daturum meum equum, si tale servitium mihi præstiteris; tunc hæc simplex promissio parit actionem efficacem, quia in illa includitur causa onerosa expressa, & si Paulus de facto servitium præstitit, potest actione contra Petrum procedere, ut sibi promissus equus detur. Quòd si Petrus promittat, se daturum Paulo suum equum sine expressione causæ, tunc in foro externo non oritur actio efficax etiam de jure canonico, quia Petrus potest excipere, se promisisse quidem equum, sed sub conditione, vel causa pendente in futurum, ut propter obsequium à Paulo sibi præstandum, quod postea non præstitit, proinde posset asserere, se quidem promisisse, sed non teneri stare promisso, eò quia Promissarius non implaverit conditionem.

Tum quia perinde pactum nudum parit actionem de jure canonico, sicut stipulatio de jure civili: & sicut ex hac non conceditur actio contra promissorem, nisi constet de causa promissionis *l. 2. §. circa primam speciem* juncta Glossa *V. sine causa ff. de doli mali except.* ita neque ex pacto nudo conceditur in jure canonico actio, nisi constet, quòd Promissor habuerit simpliciter animum donandi; quod non præsumitur, nisi constet promittentem scivisse, aliquam fuisse causam promittendi. Verùm in promissionibus factis Ecclesiæ non est necesse, ut exprimatur causa, quia tunc sufficiens causa semper præsumitur adesse scilicet causa pietatis, & Religionis. Cæterum in jure civili requiritur, quòd causa expressa in promissione fuerit executioni mandata, ut quòd Paulus præstiterit obsequium Petro, propter quod Petrus illi promiserat suum equum. In jure verò canonico non est necesse quòd causa sit executioni mandata, sed sufficit, si exprimatur in promissione, vel de illa constet per confessionem debitoris, vel legitimam probationem Creditoris, seu Actoris.

Quia verò pacta sunt stricti juris, ideò strictam exigunt interpretationem, & rejiciunt quidquid non disertè verbis comprehensum, & expressum est secundùm naturam, & conditionem omnium contractuum stricti juris. Excipiuntur tamen pacta, quæ adhærent contractibus bonæ fidei, quia horum causæ admittunt interpretationem ex bono, & æquo, ut desumitur ex *l. iuris gentium. 7. §. adeò l. ab empt. 49. h. t.* unde pacta non extenduntur ad alias personas, vel res, nisi ad illas, quæ nominatim sunt expressæ in iisdem pactis conventis, *l. si unus 27. §. pacta h. t.* Qui enim non pepigerunt, non nocent, neque prosunt *l. si actionem. C. eodem.* Excipitur tamen nisi ex dispositione juris, aut verosimili partium conventione pacta extendantur etiam ad alios, qui nominatim non exprimuntur in pactis: hoc enim pacto jurisperiti interpretantur, pacta procuratoris ad dominum; tutoris ad pupillum; Magistratûs ad civitatem, Præfecti ad collegium pertinere *l. item 14. h. t. l. Præses C. de transact.* 10

§. III.

De Personis, quæ iure pacisci possunt, vel non.

Ineire pacta possunt quotquot regulariter prædiri sunt usu rationis; liberámque habent suorum bonorum administrationem; quapropter neque excommunicati, neque deportati excluduntur à pactis ineundis, quia isti non admittunt; quæ sunt juris naturalis, & gentium, ut sunt pacta, & contractus: & quamvis isti nequeant formalem actionem instituere, quæ est juris civilis; possunt nihilominus officium implorare judicis, & convenire, ac uti exceptione. 1

Prohibentur contrahere, vel quasi contrahere è converso, qui non sunt rationis compotes, nec habent dominium in res, quibus utuntur; quapropter furiosus, insanus, ebrius, dormiens non sunt capaces pacta ineundi. Furiosus 2

sus quando actu furit *l. in negotiis ff. de regul. jur.* & *lib. 1. §. furiosus, ff. de action. & obligat.* unde qui rationis non est compos, quia tunc non sapit, nec potest alium sibi obligare; nec aliquid sibi acquirere, quapropter, furiosus non testatur *l. furiosum C. qui testamentum facere possit*, nec religionem profitetur, nec matrimonium contrahit *c. dilectus de sponsal.* nec baptizat *c. de hoc. q. 1. §. Ecce.* nec baptismum recipit, nisi urgente necessitate, & imminente mortis periculo *c. majores de baptis. ver. ult.* Quòd si furiosus per temporis intervalla sit sanæ mentis, pro illo tempore, quo est mentis compos potest pacta inire, ut colligitur *ex l. cùm aliis C. de curator. furios.* ubi habetur: quòd si Curator datus furioso habenti per intervalla temporum usum rationis non desinat esse Curator tempore, quo ille efficitur sanæ mentis, tunc tamen non exercet administrationem, quando furiosus est sui compos; quia tunc furiosus factus compos mentis omnia potest per se ipsum agere: furore postea supervenienti Curator iterum suo fungitur munere administrando bona furiosi.

3 Mutus itidem, & surdus à natura inire pactum prohibetur, si pactum quædam verba requirat, & expostulet; potest tamen pacisci, & inire illos contractus, qui solo consensu, & non verbis perficiuntur; adeò ut possit inire contractum emptionis, locationis, societatis, mandati, mutui, commodati, depositi, ac pignoris. Potest etiam hæreditatem adire sibi delatam; negotia alterius gerere, ac matrimonium contrahere *l. si stipulatus*, & *l. 1. §. ult. ff. de action. & obligation.* quia in hisce contractibus, vel pactis satis est, si mutus, & surdus à nativitate per signum aliquod extrinsecum sensibile internum animi consensum ostendat, ut si in judicio probetur, talem mutum, & surdum à nativitate erectione digiti, vel manûs, vel inclinatione capitis consuevisse significare animi sui consensum in res illi oblatas, ut ait Bart. *in l. mutum. ff. de acquiren. hæred.* Sufficit etiam si aliquis, cui mutus ille, & surdus est notus, testetur per talia signa semper consuevisse voluntatis consensum prodere.

4 Prohibetur etiam pacta inire, & contractus celebrare prodigus *ex l. 1. ff. de curat. fur. dandis* & *l. 15. cui lege. ff. de testam.* quia is non censetur sufficienti uti judicio, nec ratione pro ineundis pactis, quapropter interest Reipublicæ, ne hujusmodi prodigi sua administrent bona; quapropter per Magistratum prodigis dilapidantibus sua bona datur Curator, non tamen prius, quàm constiterit prodigos reverà propria bona dissipare. Tum assignatur Curator, & judex interdicit prodigo suorum bonorum administrationem, ac publicè denuntiat, ne quis cum ipso contrahat, aut pacta ineat, quapropter nullum pactum initum à prodigo inducit obligationem absque consensu Curatoris. Quòd si quæratur, an tali prodigo detur beneficio legis restitutio in integrum, si in contractu, vel pacto, Curatoris voluntate facto, læsus fuerit. Respondent Godfredus, Albericus, & alii *in l. si Curat. habens C. de in integrum restit.* tali prodigo non competere restitutionem in integrum. Alii tamen probabiliùs cum Glossa *in l. 1. C. de cura, furiosi. in V. ad agnatum.* censent convenire prodigis, quæ jure competunt minoribus, & quia isti sunt in integrum restituendi beneficio legis; ita etiam prodigi.

Sin verò prodigus contrahat absque consensu Curatoris, & pactum, vel contractum etiam juramento confirmet. Communior sententia, & probabilior asserit, tale pactum nullam inducere obligationem, nec contractum ullius esse valoris, ut notat Covarruvias in *c. quamvis pactum de pact. in 6. p. 2. §. 3. n. 8.* eò quia hujusmodi prodigus absque usu rationis, & sine judicio credatur contrahere, vel quasi contrahere; quapropter juramentum non confirmat pactum, vel contractum ab eo factum. Tum quia jura æquiparant prodigum furioso, cui non permittitur pactum, vel contractum inire. Alii tamen cum Gomez *tom. 2. variar. resolut. c. 14. n. 32.* asserunt, juramentum corroborare pactum, vel contractum initum à prodigo, eò quia huic tantùm prohibeatur contrahere, non quia sit rationis impos, sed ne propria bona dilapidet, & dissipet: unde si jurejurando contractum confirmet, cum ratificat. Prior tamen sententia probabilior, & communior est, & communi usu recepta. 5

Prohibetur etiam contrahere Tutor, vel Curator cum suo pupillo, vel Minorenne, nisi palam, vel bona fide id præstet *l. 1. cùm ipse C. de contrahen. empt.* Judex in suo territorio cum subditis *l. 1. C. de contract. judic.* Advocatus lite durante, cum his, qui litigant, *l. quisquis C. de postulando.* Medicus cum suo patiente, quem curat, durante infirmitate *l. si medicus ff. de var. & extraor. crim.* uxor sine mariti consensu juxta diversa Regionum statuta. Pupillus, infans, vel infantiæ proximus, qui nec dum implevit annum decimum cum dimidio *§. pupillus de inutil. stipul.* Neque si contrahat cum suo tutore nisi interveniat authoritas alterius contutoris, vel judicis, quia leges hujusmodi pactis, & contractibus Pupillorum cum suis Tutoribus resistunt *l. Pupillus §. de author. tutor. l. non licet. ff. de contrahen. empt.* Ætas pupillorum solet ita dividi, ut primum septennium infantia censeatur, & alterum dividatur, adeò ut prima medietas infantiam compleat, & secunda pubertatem inchoet. Cæterum conveniunt communiter, quòd pupillus obligetur, quando ex contractu factus est locupletior; & pecunia mutuò accepta adhuc penes ipsum exstat, vel in ejus commodo est expensa, vel in emptione agri, vel mobilium domus, ut liquet ex *l. pupillus §. pupillus de author. tutor.* 6

Major difficultas est de pupillo proximo pubertati promittente res servando non servabiles, nec inde locupletato, an teneatur stare promisso. Plures censent, pupillum in his circumstantiis, si verè consenserit, naturaliter, & in conscientia obligari ad standū rei promissæ. Alii negant, pupillum contrahere naturalem, & in conscientia obligationem, nisi inde factus sit locupletior. Primæ sententiæ adhærent Sanchez *de matrim. lib. 6. disp. 38.* Molina *tom. de justit. & jur. disp. 224.* Adhærent verò secundæ Covarruvias ad *d. c. quamvis §. 4. n. 10.* Wadingus *de contract. disp. 2. dub. 4. n. 3.* & alii plures; & hæc secunda 7

ſecunda ſententia videtur probabilior, quia irritatio pactorum, vel contractuum regulariter intelligitur etiam de foro interno, niſi aliter conſtet de mente legislatoris; alioquin fruſtranea foret irritatio contractûs in foro externo tantùm ob bonum publicum, ſi Chriſtianus in foro conſcientiæ poſtea teneretur pacta ſervare. Notat Wadingus *loc. cit. n. 5.* ludentem cum pupillo, & lucrantem ab eo ſummam notabilem, quæ ipſi ex conſenſu tutoris nec expreſſo, nec tacito ad honeſtam recreationem pro conditione perſonæ non eſt conceſſa; non poſſe illam in conſcientia retinere, ſaltem ſi ſciat, pupillum velle illam recipere, quia pupillus ſine tutore nequit dominium ſuarum rerum transferre, nec efficaciter obligari §. *1.* & ibi DD. *inſtit. quibus modis rei contrahitur obligatio.*

8 Minorennes tamen, qui annos pupillares exceſſerunt, & nondum 25. ætatis annum attigerunt, quamvis & ipſi nullum pactum, & contractum etiam quoad forum internum, ſeu efficacem obligationem validè inire poſſint absque authoritate Curatoris, qui tendat in alienationem bonorum juxta *textum, & Doctores in l. ſi Curatorem C de in integ. reſtit. & tit. C. de prædiis minor.* Nihilominus poſſunt ſe obligare in his, quæ præcisè ad propriam pertinent perſonam, ut ſi Minorennis ſit opifex, & alteri operas ſuas locavit, juxta *textum in l. puberes 101. ff. de verb. obligat.* ut explicat Fachinæus *lib. 3. controv. c. 9.* Hinc matrimonium contractum à Minorenne ſine authoritate Curatoris ſuum ſortitur valorem. *l. ſi ſciendum ff. de ritu nupt.* quia Curator magis datur bonis, quàm perſonæ.

9 Quòd ſi Minorennis non habuerit Curatorem, adhuc ipſi absque decreto judicis prohibetur alienatio bonorum immobilium, quamvis ætatis veniam impetraverit à Principe, ut pro Majorenne haberetur *l. non ſolùm. l. minor. C. de prædiis minor. l. 2 C. de his, qui veniam ætatis impetrârunt.* Hoc idem etiam Fachinæus cenſet de mobilibus pretioſis, & quæ ſervando ſervari poſſunt. Secus in teſtamento, & etiam ante profeſſionem religioſam non prohibetur Minorennis de omnibus bonis ſuis etiam ſine authoritate Curatoris diſponere, quia tunc ob mutationem ſtatûs ceſſat ratio legis. Quinimo Minorennes etiam ſub Curatore conſtituti de bonis caſtrenſibus liberè poſſunt diſponere, ac ſe obligare, ſalvo tamen in caſu læſionis beneficio reſtitutionis, ut notat Leſſius *de juſtit. & jur. dub. 8.*

10 An verò filiifamilias poſſint paciſci, ſi ſint in poteſtate Patris conſtituti, vel etiam liberi, eſt difficultas, pro qua explicanda eſt diſtinctio quadruplicis peculii, ſcilicet *profectitii*, quod ex re, & bonis paternis provenit, & totum pertinet ad ipſum Patrem. *Adventitii*, quod filius aliunde, quàm ex bonis paternis ſcilicet ex hæreditate materna, vel aliorum, ut opificio, induſtriâ, negotiatione ſibi acquiſivit quoad proprietatem, & Patri tantùm quoad uſumfructum; *Caſtrenſis* quod intuitu militiæ, ſeu in bello acquiſivit, & *Quaſi Caſtrenſis*, quod ex militia togata, ſive publico aliquo munere, vel officio Judicis, Advocati, Profeſſoris Academici, Tabellionis, in quod peculium filiusfamilias, pleno jure acquirit dominium, uſumfructum, & adminiſtrationem. Certũ eſt, filiosfamilias puberes eatenus ex ſuis contractibus ſine Patris authoritate obligari, eò quia nec poteſtati patriæ, nec juri, quod pater in ipſos, & in eorum bona, & peculia habet, non præjudicant §. *item inutilis 6. de inutil. ſtipul. l. filiusfamilias 29. ff. de obligation.* filiusfamilias impubes non poteſt obligari etiam authore Patre § *ſed quod diximus 10. inſtit. de inutil. ſtipulat.* Neque eſt par ratio de pupillo, qui authoritate tutoris poteſt obligari, quia pupillo ex contractu damnificato conceditur adverſus tutorem actio *tit. de tutel. & rat. diſtrah. tit. C. ſi Tutor, vel Curator. interven.* Non item datur actio filio contra Patrem *l. 4. ff. de judic. l. ult. § ſin autem æs alienum in fin. Cod. de bonis, quæ liberis.* Tum quia ſi pupillus authoritate tutoris non poſſet per pacta, & contractus obligari eſſet illi interdictum omne commercium, quod vergeret in maximum pupilli incommodum; non ita hoc valet de filiofamilias cùm hic contrahendo non ſibi; ſed Patri acquirat *l. ult §. ubi autem puerilis C. de bonis, quæ liberis.*

Aſſerunt verò communiter doctores, filium- 11
familias puberem eatenus obligari, quatenus non præjudicat Patri, proinde non poſſe vota realia ſine conſenſu Patris emittere, nec alienare bona adventitia, quorum Pater habet uſumfructum, ut deſumitur ex *d. l. ult. §. filius autem familias.* In contractu verò mutui circa filiumfamilias de jure civili ponitur ſpecialis exceptio, quæ vocatur Senatusconſulti Macedoniani: ſiquidẽ Romæ contigit, quendam Macedonem uſurarium dediſſe copiosè mutuam pecuniam filiisfamilias, qui poſtea abutentes pecuniis non ſolùm vitiorum cœno ſe coinquinabant, verum etiam ære alieno oppreſſi vitæ inſidiabantur parentum; ut ex paterna hæreditate ſuis ſatisfacerent creditoribus: hinc cautum ſenatusconſulto fuit, ut ſi quis filiofamilias mutuam pecuniam dediſſet, ei non daretur actio, vel repetitio, imò nec quidem poſt mortẽ Patris; & ejusdẽ ſenatusconſulti exceptio etiam filiabusfamilias, & parentibus, & hæredibus, & fidejuſſoribus filiorum prodeſſet *l. 1. 7. 9. ff. Senatusconſultus Macedon.* Excipiuntur tamen aliqui caſus, in quibus non habet locum ſenatusconſultum, ut ſi filius habeat bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia, quibus poſſit ſatisfacere ſuo creditori *l. fin. C. d. tit.* Secundò ſi filiusfamilias communi errore exiſtimabatur ſui juris, & non eſſe filiusfamilias, quia tunc non datur vitio creditori, ſi ei mutuam dedit pecuniam. Tertiò ſi mutuũ non conſtiterit in pecunia numerata, ſed in re alia, quæ uſu conſumitur, ut in vino, frumento, aliisque id genus; vel fuerit debita ex alio contractu emptionis, ſtipulationis, aut ſimili; quia ſola pecunia periculoſa parentibus viſa eſt, quia facilius filiusfamilias eam in malos uſus impendit. Quartò ſi filiusfamilias ſciente, & conſentiente Patre mutuas acceperit pecunias *l. ſi tantùm 12.* & *l. ſi filiusfamilias 16. §. & l. fin.* Quintò ſi pecunia mutuata filio in commodum, & utilitatem Patris expenſa fuerit, vel etiam cauſa ſtudiorum fuerit à Patre filio conceſſa, ſi non expreſsè, ſaltem tacitè, quia paterna pietas

ratio-

rationabiliter non recusat filio, quæ illi sunt necessaria, *l. sed Julianus §. quo dicitur. ff. d. t. l. 5. c. eod.*

12 An verò filiusfamilias ex vi Senatusconsulti Macedoniani extra casus præcensitos teneatur in conscientia restituere pecuniam, quam accepit mutuam, licèt Creditor non possit actionem contra ipsum instituere, nec illum cogere ad solvendum. Respondetur cum distinctione, si filiusfamilias pecunias omnes insumpserit, nec ullam inde utilitatem, aut commodum acceperit, quod adhuc exstet, tunc in conscientia ex vi Senatusconsulti Macedoniani non tenetur ad restitutionem, quia hujusmodi restitutio cederet in damnum patris, & fratrum, ac sororum, quia cùm non habeat ex proprio; deberet ex communi totius domus satisfacere creditori, quia stante illo Senatusconsulto non debuisset pecunias dare mutuas filiofamilias. Tum quia lex, & potestas publica, ex justa causa pro bono communi potest contractum irritare, & actionem denegare, ac dominium de uno in alterum transferre, ut in lege præscriptionis, jure confiscationis, irritatione testamenti non solemnis, contractus pupillaris; quæ irritatio eò quia fit justa in foro externo, censetur etiam justa in foro interno, & in conscientia. Sin verò filiusfamilias ex pecunia, quam accepit mutuam ad pinguiorem; devenit fortunam, ac locuples factus fuerit ex tali mutuo; tunc naturali jure, & in conscientia censendus est obligatus ad restitutionem, quia nulli tunc infert damnum, & cessat finis, ob quem virtute Senatusconsulti Macedoniani eximitur ab onere restituendi, quia si locupletior filius factus est ex illa pecunia mutuò accepta, nil causæ subest, cur debeat insidiari vitæ Patris ob solvendum debitum: neque in malos usus filius pecuniam illam impendit, quapropter non est, cur debeat eximi ab onere restituendi in conscientia, cùm hæc restitutio sit magis conformis æquitati. Neque urget, quòd possit lex alicui auferre dominium, & alteri adjudicare, quia id tantùm procedit, si apertè constet de voluntate legis, sicut in præscriptione; & in casu nostro finis legis transferendi dominium cessat. Si dicas, esse dubium, an lex comprehendat etiam illos filiosfamilias, qui ex pecunia mutuò accepta facti sunt ditiores. Contrà est quia in dubio ordinariè melior est conditio illius, qui certat de damno vitando, quàm qui de lucro captando.

13 Si Minorennis rem suam perdiderit usucapione, vel præscriptione potest restitui *l. 1. C. si adversus usucapionem* ut etiam quando læsus est in solutione pecuniæ sibi pactæ. *l. 1. C. si adversus solutionem.* Ut etiam si sine Curatore ejusque consensu adivit hæreditatem, quæ sit damno sibi, debitam ex testamento, vel ab intestato: vel utilem repudiaverit, potest enim in utroque casu restitui *l. 1. C. minor. de hæred. se abstin. & l. ait prætor §. non solùm ff. de minor.* ut etiam si læsus fuerit in electione, eò quia deteriorem rem sibi elegerit cum proprio damno, *l. etsi sine ff. de minor.* ut etiam si tacitè, vel expressè se aliquo jure abdicaverit, seu renuntiaverit juri sibi debito *l. minor. ff. de minor.* ut etiam si in causa civili criminali læsus fuerit per imperitiam, aut culpam judicis, aut ipsius Minorennis, eò quia nihil opposuerit, neque exceperit, cùm jure potuisset *l. 1. & 2. C. si adversus rem judic.* ut autem Minorennis restituatur in integrum, sufficit, si probet, se Minorennem esse, & læsum fuisse, *ait prætor. §. non solùm ff. de minor.* ubi habetur: mihi autem semper succurrendum esse videtur: si minor sit, & si se circumventum doceat. Quinimo hujusmodi beneficium legis restituendi Minorennem in integrum transit etiam ad hæredes *l. non solùm §. de in integ. restitut.* & ibi Glossa, quia tale privilegium non conceditur minoribus præcisè ratione personæ, sed ratione læsionis, & detrimenti, quod non solùm ipsis Minoribus, sed etiam eorum hæredibus nocet.

Quòd si petas, quantùm concedatur temporis ad petendam restitutionem in integrum, communiter respondent, hanc restitutionem esse petendam intra quadriennium continuum computandum à die, quo lapsum est tempus viginti quinque annorum; ex quo prima dies anni vigesimi sexti illuxit. *l. ult. C. de tempor. in integ. restit.* & licèt possit restitui contra omnes contractus, in quibus fuit læsus antequam 25. annos attigisset, non tamen contra illos contractus, quos inivit intra ipsum quadriennium post 25. annum elapsum: siquidem illud quadriennium conceditur ut possit Minorennis petere restitutionem adversus contractus, quos in minore ætate inivit; non verò contra quos celebravit post annum 25. quia tunc non fuit amplius minorennis, & beneficium legis expiravit. 14

An verò possit minorennis petere supplementum ætatis, adeò ut deperdat privilegium jure concessum minoribus. Respondent communiter affirmativè, si masculus 20. & fœmina 18. fuerit annorum, & uterque se probaverit idoneum, & habilem ad bona administranda; tunc enim possunt à Principe supplementum ætatis impetrare, ac eximi à potestate Curatoris: sed tunc qui obtinuit supplementum ætatis non gaudet ampliùs privilegio legis de restitutione in integrum: non tamen ei conceditur, ut possit ex se bona sua immobilia alienare absque decreto judicis, quòd si alienaverit potest restitui in integrum *l. 1. 2. & 3. C. de his, qui veniam ætatis impetrant.* Rursus, qui supplementum impetravit ætatis, debet id ostendere judici ordinario, & coram illo probare, se majorem esse viginti annis, ac idoneum ad bona sua ministranda, deinde debet judex illi concedere administrationem *l. ea, quæ C. de tempor. in integ. restit.* alioquin sine decreto judicis alienatio non solùm rerum immobilium, sed etiam mobilium, quæ servando servari possunt, ut auri, argenti, gemmarum, ac pretiosæ supellectilis, est irrita; aliæ res, quæ servando servari non possunt; sine decreto judicis validè alienantur *l. lex, quæ tutores, C. de administ. tutor.* dicuntur autem res, quæ servando servari non possunt, quæ triennio durare nequeunt Glossa *in l. unic. C. si adversus usucapionem.* 15

§. IV.

De Pactis Iure Canonico prohibitis.

1 Generatim jure canonico, quæ adversantur legibus, bonisque moribus prohibentur, & si contrahantur, nullum sortiuntur valorem, quod intelligitur de pactis, quæ lex non tantùm simpliciter prohibet, sed etiam expressè reprobat: hujusmodi enim pacta non solùm sunt illicita, sed etiam invalida; hinc nec valet pactum, ne dolus manifestetur, ne furti, vel injuriarum reus agatur, si furtum, vel injuria fiat *l. si unus 27. §. illud. & §. pacta ff. h. t.* siquidem hujusmodi pacta viam sternunt ad peccandum impunè. Neque valida sunt pacta, quæ fiunt de re impossibili, ut si quis promittat, se velle dare alteri dominium lunæ, ut liquet *ex regul. jur. 6. in 6.* quod verum est de pacto circa rem simpliciter impossibilem, & pro semper talem, quia si res tantùm hic, & nunc esset impossibilis, & cras fieret possibilis, pactum obligat, cùm primùm res fit possibilis.

2 Rursus sunt invalida omnia pacta privatorum, quæ præjudicant juri publico, vel cedunt in præjudicium alterius non consentientis, vel juri parochiæ: quia sicut bonum privatum, non prævalet contra publicum, ita nec pactis privatorum potest jure publico derogari, *c. si diligenti 12. de for. compet. l. inter. 42. ff. h. t.* Hinc prohibetum est pactum appositum in præjudicium juris parochialis alterius Ecclesiæ, ut statuitur in *c. plerique 7. h. t.* cùm enim plures Clerici domus suas locarent, vel fœuda concederent in præjudicium parochialium Ecclesiarum, pactum adjiciebant, ut conductores domorum, & fœudatarii, qui fœuda à Clericis recipiebant, decimas ipsis solverent, ac sepulturam apud eosdem eligerent cum præjudicio juris parochialis: ideò Innocentius III. in Concilio generali Lateranensi c. 56. tale pactum avaritiam redolens reprobavit, ac prorsus irritum declaravit, quia jura parochialia sunt debita ipsi Ecclesiæ parochiali *c. fin. de Paroch.* unde Parochus potest decimas ex tali pacto perceptas à Clericis petere, vel etiam ab ipsis parochianis ex *can. argu. l. unic. ff. de condit. ex lege.* Et quamvis quilibet fidelium possit sibi eligere sepulturam extra Ecclesiam suam parochialem *c. 1. de sepult.* non tamen ad id debet pacto obligari; unde stante tali pacto adhuc defunctus sepeliendus est in loco, ubi aliàs de jure debuisset sepeliri, *c. 1. de sepult. in 6. & clement. cupientes 3. in fin. de sepult.*

3 Illicitum etiam jure canonico est pactum, quo quis renunciat liti super beneficio Ecclesiastico hac conditione, ut aliquid temporale, etiam nomine expensarum sibi solvatur, si id fiat sine superioris authoritate: quia talis pactio est simoniaca cum jus spirituale, quale est jus ad beneficium Ecclesiasticum pro pecunia, vel re alia pretio æstimabili redimatur ut notat Glossa hic *V. illicita pactionis speciem.* Accedente tamen authoritate superioris tale pactum est validum, non quia detur temporale in compensationem dubii juris, quod pars accipiens aliquid temporale habet ad tale beneficium Ecclesiasticum, quia cùm hoc sit spirituale non potest sine simonia pretio temporali redimi: sed vel in compensationem expensarum, quas pars recedens à lite beneficialia frustra litigando præstitit *argu. c. nisi essent. 21. de praben.* vel ad necessariam sustentationem ejus, quià à jure suo desistit. Cæterum summus Pontifex ex plenitudine suæ potestatis potest partes litigantes compellere ad renunciandum liti, & transigendum; si res super qua litigatur sit sub ejus dispositione; tametsi id ferè nunquam faciat, nisi lis fuerit diuturna, & causa difficilio-rum.

Irritum est etiam pactum initum de succedendo post obitum Prælati, vel beneficiati in ipsius Ecclesia, vel beneficio, ut desumitur *ex cap. accepimus 5. h. t.* ubi Alexander III. hujusmodi pacta declaravit omninò invalida, eò quia speciem habeant hæreditariæ successionis, & beneficia Ecclesiastica non per hæreditariam veluti successionem, sed per canonicam electionem, vel institutionem obtineri debent, & non priùs quàm vacent *cap. ex transmissa 7. cap. ad extirpandas 11. de filiis Presbyter.* in quibus expressè prohibentur successiones in Ecclesiis, & beneficiis Ecclesiasticis. Tum quia cum hujusmodi pacta desiderium excitent captandæ mortis alienæ, odiosa sunt, & in utroque jure reprobantur *l. fin. C. de pactis.* Nihilominus summus Pontifex de plenitudine suæ potestatis potest alicui ex speciali gratia concedere facultatem deligendi sibi successorem in Ecclesia, vel beneficio. 4

Nullius etiam est valoris pactum, quo quis promittit, se daturum alteri annuam pensionem, vel augmentum illius, si in Ecclesia, vel beneficio instituatur, *cap. cùm Clericis. h. t.* quia talis institutio sapit simoniam, & pactum est illicitum. Hinc si instituendus in beneficio promittat majorem pensionem se soluturum, ut tantùm faciliùs beneficium consequatur, tale pactum est simoniacum, quia promittit aliquid temporale pro obtinendo jure spirituali, consequenter est irritum, ac illicitum, etiamsi juratum foret; & qui per tale pactum est assecutus beneficium, est illo privandus, quia non habet in illud ullum jus, cùm collatio fuerit simoniacè facta, ac propterea ipso jure nulla, sive pactum sit ante collationem, sive in ipsa collatione; non ita si post collationem beneficii, quia tunc paciscens jam est consecutus jus spirituale beneficii independenter à tali pacto; licet non excusetur à peccato, constituendo Ecclesiam censualem absque authoritate superioris, quod in jure est prohibitum *cap. prohibemus 7. de censibus.* Qui verò per pacta simoniaca beneficia assequuntur Ecclesiastica, puniuntur per depositionem à gradu, seu ab ordine Clericali *cap. reperiuntur. 7. causa 1.* Potest tamen Episcopus consentiente capitulo imponere pensionem beneficio vacanti, vel etiam antiquam augere ante collationem ejusdem beneficii, quia si in ipsa collatione imponeretur, vel augeretur pensio periculum esset simoniacæ pactionis, si solutio pensionis cederet directè, vel 5

Vel indirectè in commodum Collatoris, ut desumitur *ex c. unic. in fin. ut Eccles. benef. sine dimin. confer.*

6 Irritæ sunt etiam omnes illæ pactiones, quæ fiunt pro spiritualibus obtinendis, quia spiritualia debent conferri absque ulla prævia pactione. Imò non solùm sunt invalida pacta, quæ fiunt de rebus spiritualibus obtinendis, sed etiam de iis, quæ spiritualibus sunt annexæ, cujusmodi sunt præbendæ annexæ titulo beneficii de jure patronatus: quia hujusmodi pacta sapiunt simoniam, quia saltem indirectè datur res temporalis, & pretio æstimabilis pro spirituali, seu re illi annexa. Hinc est etiam illicitum, & simoniacum pactum, quo quis pro beneficio obtinendo promittit Episcopo per pactum obligatorium, se illi inserviturum per biennium, vel triennium: quia tunc daretur servitium temporale, & pretio æstimabile pro beneficio spirituali. Generatim sunt etiam illicita, & invalida omnia pacta turpia, vel de re turpi, & inhonesta, vel injusta; ut si quis promitteret, se occisurum talem hominem, vel commissurum sacrilegium, quia ad peccatum nemo obligatur: promissio tamen facta ob turpem causam, quamvis hæc non obliget, quamdiu causa non est impleta; si tamen est impleta, oritur obligatio ex tali promissione, quia licèt causa, & motivum dandi, vel promittendi sit quid illicitum, ipsa tamen datio, quæ se habet consecutivè ad executionem rei turpis, ob quam fit, secundum se non est illicita, ideóque implenda, ut docet D. Thomas 2.2 *q.66. art. 5. ad 2.* ubi docet, quòd post impletam causam turpem obligetur promittens ad solutionem rei promissæ.

7 An verò valeat pactum initum inter titularem, & pensionarium, quòd ille cedat huic omnes fructus beneficii, & hic cedat non solùm pensionis fructus, sed etiam aliorum beneficiorum, si nulla interponatur in hoc pacto Pontificis authoritas, adeò ut sit pura conventio inter titularem, & pensionarium. Quamvis omnia pacta, & conventiones circa pensiones, & beneficia nullius sint valoris, nisi firmentur, ac instituantur authoritate summi Pontificis, ut liquet ex *cap. qui studet 1. quæst. 1. C. cùm c. pridem. 4. V. nos eam de pactis. c. quæsitum de rer. permut.* eò quia inducant simoniam de jure Ecclesiastico prohibitam, ut communiter docent juris Pontificii periti, Butrius *n. 3. in c. quæsitum*, Puteus *decis. 167, n. 5.* Hostiensis *in c. 1. n. 3. de simon.*

8 Nihilominus censerem probabiliùs, talia pacta non olere simoniam, & esse valida, si ita titularis, & Pensionarius paciscantur, ut fixi maneant tituli; & jura beneficiorum, ac pensionis, & pactum sit tantùm præcisè circa fructus, seu purum commodum percipiendi fructus; quia isti quatenus præscinduntur ab ipsa pensione, & beneficio sunt quid purè temporale, & sub libera dispositione possidentium beneficia pensionis, consequenter pacta, quæ fiunt circa ipsos fructus, ut distinctos à beneficio, & pensione sunt quid profanum, ut notant Gomez *ad regul. de infir. resig. q. 16. V. nam pensiones.* Gigas *cons. 3. n. 5*, siquidem pacta specificantur à materia, circa, quam versantur, quæ si est temporalis, & profana; pacta dicuntur etiam temporalia, & profana: unde hujusmodi pactum inter titularem, & pensionarium est merè profanum, nec indiget authoritate Papæ, nec simoniam ullam contrahit, ut desumitur ex *c. vestra de locat.* & notant Glossa ibid. *in figur. casus.* Abbas ibidem, Archidiaconus *in c. ad hæc 1. q. 1.* & hoc videtur declarasse Rota coram Ludovisio *decis. 44. n. 7.*

9 Firmatur, quia si jus pensionis remanet apud pensionarium, nil obstat, quo minus possint fructus à Pensionario alteri cedi in commodum ipsius absque ulla simonia, quia tunc fructus, pensionis sunt separabiles à jure pensionis, & in se sunt quid temporale: atqui jus pensionis remanere apud pensionarium, tametsi fructus alteri cedantur in commodum ipsius, docent communiter Canonistæ Garzias *de benefic. p. 1. c. 5. n 29. & p. 2. c. 1. num. 38.* Zerolla *in prax. V. alienatio §. 3. conclus. 10.* Guttieres *lib. 2. canon. quæst. cap. 13.* Præpositus *in cap. audivimus. 1. quæst. 3.* Barbosa ad *extravag. ambitiosæ num. 8. de reb. Eccles. non alienand.* Et eadem est ratio de fructibus beneficii, qui propterea eodem modo cedi possunt, ut notat Glossa *in c. vestra in explicat. cas. de locat.* per illum textum, quia loquitur de fructibus decimarum; & notat quòd fructus rerum omnium spiritualium cum distinguantur à rebus ipsis spiritualibus locari, & vendi possint.

10 Et quamvis usufructus non possit separari à persona usufructuarii *§. finitur instit. de usufruct. & l. si usufructus. ff. de jur. dot.* potest tamen usufructuarius cedere alteri fructus in ejusdem commodum, retinendo sibi jus ad percipiendos fructus; & transferendo in alium solam commoditatem fructuum; siquidem jus percipiendi fructus est quid distinctum ab ipsis fructibus *l. arboribus §. usufructuarius ff. de usufruct. l. necessario §. fin. ff. de pericul. & commod. rei vend.* ut tradunt Juris Pontificii periti, Tiraquell. *de retract. consanguin. § 26.* Glossa *1. n. 46.* Pinel. *in l. 1 p. 3. n 38.* Negusant. *de pignor. p. 2. n. 9. V. tamen hoc non obstante* Gomez. *de contract. c. 15. n. 17.* & alii plures cum Glossa *in §. finitur V. cedendo.*

11 Ratio est, quia fructus, sive pensionis, sive beneficii sunt quid temporale, prout distinguuntur ab ipsa pensione, seu jure illos percipiendi, & à beneficio: proinde sunt liberi, & alienabiles, ac sub libera dispositione usufructuarii, qui propterea si delinquat; & ejus bona publicari debeant, quamvis usufructus ab ipso tolli non possit, nec jus illos percipiendi; commoditas tamen eos percipiendi transit in fiscum, ut notant Farinacius *in prax. q. 25 de delict. & pæn. num. 146.* Bartol. *in l. si postulaverit. ff. ad leg. Julian. de adult.* & alii communiter. Pari pacto si filius sit usufructuarius pater lucratur fructus; ut tradunt Gabriel *cons. 162. num 13.* Castil. *de usufruct. cap. 63, num. 24.* & communiter alii, ex quibus liquet, commoditatem fructuum esse separabilem à jure percipiendi fructus, quapropter alia est ratio de fructibus, & alia de beneficiis, quia beneficium, ut est jus percipiendi

piendi fructus ex certo fundo æquiparatur usufructui.

21 Neque obstat, quod omnia pacta circa pensiones, & beneficia, nisi instituantur authoritate summi Pontificis sint invalida, & inducant simoniam de jure Ecclesiastico prohibitam, quia pacta, quæ versantur circa solam commoditatem fructuum distinguuntur à pactis circa pensiones, & beneficia: hæc enim ideò sunt invalida, & prohibita, quatenus tangunt ipsa beneficia, & pensiones; non verò prout præcisè tangunt fructus, ut notant Rebuffus *tract. de pacif. possess. num. 132. V. decima. 8. conclus.* Gigas *de pension. q. 1. num. 1. V. prædicta definitio* Guttier. *pragmatica sanct. tit. de collat. §. item quod universitates V. beneficiorum.* cùm igitur commoditas fructuum distinguatur ab ipso beneficio, vel pensione ex eo, quòd pacta circa pensiones, & beneficia sint illicita, & invalida, eò quia inducant simoniam de jure Ecclesiastico prohibitam; non tamen pacta circa commodum fructuum sunt illicita, & prohibita. Quòd commoditas fructuum distinguatur ab ipso beneficio, vel pensione ex eo itidem liquet: quia decedente altero paciscentium corruit tota conventio, & omnia reducuntur ad illum statum, quem haberent, si non extitisset pactum circa fructus: siquidem ad ejus mortem vacant beneficia, quæ possidebat ipso jure; proinde definit etiam cessio fructuum, eò quia ipsum jus percipiendi fructus non fuit translatum ad alterum paciscentium, sicut commodum ipsorum fructuum.

13 Quæri solet, an in beneficialibus liceat reducere in pactum obligationem gratitudinis. Plures affirmant, quando agitur de obtinendis beneficiis inter Prætensorem, & Electorem, ut Covarruvias *variar. resolut. c. 20 n. 4. lib. 1.* Ghilinius *in sum. V. beneficium num 7.* Escobar. *in sum. tract. 5. exam. 3. c. 6. num. 25.* & alii plures cum Machado *tom. 1. lib. 3. par. 3. tract. 5. docum. 2. num. 4.* & nituntur, quia quod licitè præstari potest, in pactum potest etiam deduci, sed ex gratitudine potest aliquid licitè præstari conferenti beneficium; ergo hoc idem potest etiam in pactum deduci; præterea, quia expressio illius quod tacitè inest nihil operatur, proinde non facit illicitum, quod aliàs est licitum, & cùm tacitè insit obligatio gratitudinis erga collatorem beneficii, eò quia hic sit benefactor, licebit etiam deducere, hanc obligationem in pactum expressum. Hæc tamen sententia hodie est improbabilis, quia damnata ab Innocentio XI. estque proposito 45. inter damnatas.

14 Unde contraria sententia vera est, eique adhærendum cum D. Thoma 2. 2. *quæst. 78. art. 2. in corp. ad 2.* & Canonistis; & eam docent, Hostiens. *in sum. tit. de usur. §. quæ pæna.* Felinus *in cap. ad audientiam, 2. num. 10.* Ancharanus *in clement. 1. num. 4. de usur.* Barbatia *in c. illo vos de pignor.* Abbas *in c. consuluit num. 8. de usur.* Certum est non verti vitio recipienti beneficium gratitudinem exercere in collatorem beneficii, quia in hoc nulla intervenit simonia, sicut nec è contra, quando ex gratitudine ob receptum beneficium temporale, datur aliquid spirituale *c. dilectus 2. de simon.* ut docent communiter Canonistæ; & ratio est perspicua, quia tunc omninò liberè datur, proinde res donata non transit in compensationem rei spiritualis, sed tantùm ad extinguendam naturalem obligationem ortam ex suscepto beneficio, quæ sicut non assumitur voluntariè, sed naturali jure contrahitur; ita nec potest vitium simoniæ inducere. Hinc antequam quis suscipiat beneficium potest dicere Collatori, se futurum gratum, quia hæc declaratio nullam inducit voluntariam obligationem.

Secus non potest licitè hæc obligatio gratitudo deduci in pactum, eò quia in hac materia de beneficiis Ecclesiasticis omnia pacta, utpote inducentia simoniam prohibentur *cap. cùm pridem. & cap. pactiones de pactis. cap. quæsitum de rer. permut.* siquidem hæc obligatio habet pro objecto ipsam executionem obligationis ex gratitudine; consequenter illam retributionem, quæ ex gratitudine est præstanda, & quæ per susceptionem voluntariam talis obligationis fit debita civiliter: sed id manifestam inducit simoniam, quia operatur, ut detur id pro spirituali ex obligatione civili, quod tantùm esset dandum omninò liberaliter ex gratitudine; proinde operatur, ut interveniat commutatio temporalis cum spirituali. Siquidem quoties obligatio ex gratitudine deducitur in pactum, tunc obligatio de uno genere trahitur ad aliud, & inducitur contractus onerosus, adeò ut onus susceptum censeatur pretio æstimabile. Hinc res spiritualis deducitur in contractum, & non ampliùs datur liberaliter, sed intuitu alicujus, quod est pretiò æstimabile. Tum quia quoties obligatio ex gratitudine deducitur in pactum non exercetur ampliùs gratitudo, sed debitum civile contractum ratione pacti initi. 15

Neque fundamenta, quibus nititur opposita sententia sunt ullius ponderis, quia non semper est verum, quod liceat deducere in pactum, quod aliàs est licitum: id enim non verificatur quoties ex deductione in pactum mutatur status, quo res aliàs licita, fit illicita ob mutationem factam in materia, ut contingit, quando obligatio ex gratitudine deducitur in pactum, mutat enim statum: siquidem ante pactum obligatio exercebatur ut liberalis, post pactum ut civiliter debita: unde si quod ex gratitudine est retribuendum, deducatur in pactum; sicut deducitur quoties deducitur obligatio ex gratitudine, induit qualitatem, ratione cujus illicitè exercetur. Ad aliud, quod addebatur, nimirum expressionem illius, quod tacitè inest, nihil operari, respondetur ex inde tantùm sequi, quòd nuda expressio obligationis ex gratitudine, tanquam tacitè inexistens nihil operetur: non verò, quòd nihil operetur si deducatur in pactum expressum. Ratio est, quia tunc non ampliùs exprimitur eo modo quo inest, sed potiùs opposito modo, quia quando inest per modum naturalis obligationis respicit liberalem retributionem, & quando 16

inest

inest per modum pacti initi respicit solutionem illius, quod est civiliter debitum.

17 Supersunt explicanda duo pacta; affirmativum unum, quo quis alteri promittit, instituturum eum hæredem in suo testamento: alterum negativum, quo quis renunciat paternæ hæreditati, aut aliunde sibi deferendæ: ambo enim pacta jure civili irritantur. Primum, quia plerumque infert desiderium captandæ mortis, qui enim hæres instituitur, vellet quamprimum in possessionem hæreditatis venire, quod supponit votum, ut plurimum captandæ mortis; proinde licèt tali pacto per se, & ex suo objecto nihil mali subsit; nihilominus jure civili improbatur in *l. pactum 15. & l. fin. C. h. t.* nec per adiectum juramentum validatur, adeò ut ei, cui talis promissio facta est, non detur actio ex justitia, ex vi talis pacti, eò quia hoc pactum futuræ successionis censeatur esse contra bonos mores, & ex vitio cupiditatis bonorum temporalium ansam præbere machinandi mortem promissori: unde non obstante tali promissione jurata si promittens alium instituat hæredem, tametsi perjurus sit ob violationem juramenti, cum hoc sit de re per se licita, & irritetur tantùm jure civili; nihilominus institutio est valida, neque contra hæredem institutum competit actio. Secundum negativum etiam de jure civili improbatur *l. pactum 3. C. de collat.* ubi dicitur, quòd filia, quæ dote contenta renuntiavit bonis paternis post mortem patris non obstante eo pacto habeat regressum ad bona paterna, dummodo dotem, quam accepit, cum fratribus conferat, quia tametsi hujusmodi pactum per se, & ex suo objecto nil mali videatur continere, neque dare ansam captandæ mortis proximi; imò jure civili tale pactum sit validum, ac licitum, si ille de cujus hæreditate agitur consenserit, & in tali voluntate, usque ad mortem perseveraverit *l. ult. C. h. t.* ut notat Covarruvias in *c. quamvis 2. h. t. in 6. in init. 3. p. relect. n. 1.* Nihilominus ob bonum publicum ex aliis legibus prohibetur, ne hæreditas pactis dari, nec auferri possit. *l. hæreditas 5. C. de pact. convent.* ne scilicet per hujusmodi pacta filiifamilias retrahantur à paternis obsequiis.

18 Nihilominus an hujusmodi pacta etiam juramento firmata de jure canonico valeant, adeò ut servari debeant non quidem ex vi sua, & independenter à juramento præstito, sed ex vi religionis ob præstita juramenta, videtur esse difficultas. Ad primum pactum affirmativum quod attinet, concedunt communiter, nullius esse valoris, tametsi fuerit juramento firmatum, unde si non obstante tali promissione jurata, & illicita promissor alium instituat hæredem, hic validè adit talem hæreditatem, licèt testator fuerit perjurus post juramentum factum alteri de succedendo; proinde contra ipsum hæredem institutum, & contra institutorem, non datur actio civilis. Secus posterius pactum negativum de non succedendo, per quod filia juravit, se dote contentam nil se ulterius petituram de paterna hæreditate, asserunt esse validum ob adjectum juramentum, ratione cujus confirmatur, & vim inducit obligandi, ut desumitur ex *c. quamvis 2. h. t. in 6.* quod tamen est intelligendum, si nullus dolus, aut metus injustus intervenerit in hoc juramento. Secus si renunciatio paternæ hæreditatis cum juramento non fuisset facta absolutè, & simpliciter, sed in favorem alicujus, qui quando moritur pater non ampliùs superesset, tunc filia haberet regressum ad hæreditatem Patris non obstante tali renunciatione. Imò etiam liberi ipsius filiæ, quæ renunciavit, eâ mortuâ possunt succedere juri matris respectu bonorum avi, tametsi non potuissent succedere Avo, si hic vivente adhuc matre mortuus fuisset: quia filii non alio jure, quàm illo matris succedunt in bona ipsius Avi.

§. V.

De Contractibus in genere.

Pacti species ut in præcedentibus innuimus est contractus, qui à jurisconsulto in *l. labeo §. contractum ff. de verb. signif.* definitur esse, *ultro, citroque obligatio*, scilicet proveniens ex consensu duorum, vel plurium, in qua definitione explicatur natura per effectum non per formam intrinsecam, quia contractus non est obligatio, sed causa obligationis, quam parit, adeò ut obligatio tanquam effectus producatur ab ipso contractu. Quia cum plerùmque effectus magis innotescat, quàm causa, fit quòd rei definitio detur per id, quod est notius: qua ratione etiam Philosophi nonnunquam definiunt rem per causam efficientem, non per formam, ut cùm definiunt iram, esse accensionem sanguinis circa cor; cùm tamen hujusmodi accensio sit tantùm effectus iræ, & hæc sit formaliter cupiditas vindictæ. Mathesis Professores etiam definiunt lineam esse fluxum puncti, quia si quis in plano plura duxerit puncta lineam efficiet; & nihilominus est linea longitudo expers latitudinis. 1

Quamobrem contractus propriè definitur esse pactum, seu actus inter duos, vel plures ex consensu eorundem, ultro, citróque, hinc, & inde pariens obligationem. Pactum, vel actus stat loco generis, quia contrahere est pacisci, & agere; non tamen quicunque paciscitur, contrahit, ut liquet ex prærecensitis. Hinc quando pactum non utrinque obligat, sed tantùm ex una parte ratione promissionis, non est contractus in communiori sententia, sed tantùm pactum; cætera ponuntur loco differentiæ. Cæterum contractus multipliciter solent dividi, alii enim dicuntur nominati, alii innominati, ut in *l. naturalis ff. de præscript. verb.* contractus innominati sunt illi quatuor, qui specifico nomine carent: do, ut des: do, ut facias: facio, ut facias: facio, ut des: cum enim careant speciali nomine & vocentur nomine generis, dicuntur innominati, & sicut genus complectitur species, ita etiam contractus innominati comprehendunt nominatos emptionis, venditionis, locationis, conductionis, qui sunt contractus nominati per propria nomina specifica, & comprehenduntur sub recensitis innominatis. Siquidem venditor dat rem, & emptor dat pretium, & reducitur ad contractum do ut des: locator dat rem, & conductor solvit mercedem. 2

Contractus nominati alii dicuntur bonæ fidei, 3 alii

alii stricti juris; illi sunt, in quibus spectatur bona fides; agiturque ex æquo, & bono, prout aliquid est restituendum, instaurandum, compensandum. Stricti juris sunt, in quibus agitur ex rigore legis, & juris stricti, vel ex rigore pactionis, vel conventionis factæ inter eos, qui contraxerunt. Contractus bonæ fidei sunt Depositum, Emptum, Commodatum, Locatum, Mandatum, Societas, Pignus, Permutatio. Contractus stricti juris dicuntur Mutuum, Stipulatio, Arbitrium. Rursus contractus nominati solent dividi in quatuor membra, alii enim sunt, qui perficiuntur re, alii consensu, alii verbis, alii scripto. Qui perficiuntur re, sunt quinque, Mutuum, Commodatum, Precarium, Depositum, Pignus, quibus solet etiam addi Permutatio, quæ nonnisi rei traditione completur *L. 1. ff. de rer. permutat.* ut etiam donatio in sententia putantium esse contractum. Qui complentur consensu sunt Emptio, Locatio, Societas, Mandatum. Qui verbis perficiuntur, sunt Stipulatio, & Fidejussoris obligatio. Qui litteris, sunt qui præter consensum exigunt etiam ut contractus scribatur, idque vel ob decretum legis, vel ob conventionem contrahentium.

4 Rursus solent dividi contractus nominati in eos, qui gratuitò, & liberaliter fiunt, & in eos, qui non gratuitò. Et illi dicuntur fieri titulo gratuito, ut Mutuum, Commodatum, Precarium, Depositum, Mandatum, Obligatio fidejussoria. Sub titulo oneroso fiunt; qui pretio, vel mercede, vel re aliàs qualibet tradita, vel tradenda perficiuntur; ut Emptio, Locatio, Societas, Permutatio, dotis datio. Hinc ex contractibus nominatis, alii sunt, per quos transfertur rei dominium, ut in mutuo, Emptione, Permutatione, Donatione. Alii, per quos transfertur tantùm usus rei, ut in Commodato, Locato, Precario. Alii, in quibus non transfertur dominium, nec usus, cujusmodi sunt Depositum, & Pignus.

5 Ad quemlibet contractum semper requiritur consensus, qui sit liber, nulla vi, nec dolo, nec injusto metu extortus; & elicitus animo se obligandi, ac declaratus per externum aliquod signum, & qui sit formalis, vel virtualis. Ille dicitur actus voluntatis; iste, qui ejus valorem continet, perinde ac in præmissis continetur conclusio ex iisdem illata: qui enim emit, præsumitur velle emere, & liberè assentiri emptioni. Hinc ille non censetur contrahere, cujus actio ficta, & simulata est, & absque animo contrahendi, & tunc tenetur compensare damnum inde ortum *c. cùm Apostolica. de præscr. c. cùm ex tenore eod. c. ex litteris de contumacia.* Neque qui promittit absque voluntate se obligandi, quia promissio ut vim habeat pacti, vel contractus debet obligationem invehere. E contra ille se vinculo obstringit obligationis, qui habet animum se obligandi; licèt non servandi obligationem. Rursus, qui sciens naturam contractûs, & obligationem illius ita contrahit, ut nec velit, nec nolit se obligare, reverà se obligat, eò quia obligatio sit essentialiter annexa contractui, & qui vult ex duobus essentialiter connexis unum, censetur etiam velle aliud, cùm hæc duo sint inseparabilia. Hinc contractus initio dicitur esse voluntatis, & post factum necessitatis *l. sicut C. de act. & oblig.* Tuscus *in V. contractus conclus. 983.* Romanus *cons. 291.*

Qui gravi metu fit contractus jure naturali non censetur invalidus, quia supponitur in ipso necessarius consensus, proinde à jure positivo non reprobatur *l. si mulier §. quod metus causa.* Excipiuntur tamen contractus matrimonii, dotis promissæ, voti, professionis religiosæ, contractus de rebus Ecclesiæ, & renuntiatione beneficii Ecclesiastici. Cæterùm qui per metum gravem injustè illatum contraxit, in conscientia potest irritare contractum gravi metu extortum, ut desumitur ex *c. 4. de his quæ vi.* Quæ verò metu, & vi fiunt de jure debent in irritum revocari, & carere robore firmitatis, & solet etiam extendi à nonnullis ad metum reverentialem præcedentibus minis, aut verberibus. Debet tamen metus esse injustè illatus, alioquin contractus initus per metum ex justa causa sortitur suum valorem, ut docent communiter Canonistæ, & Theologi. Glossa in *c. Abbas de his, quæ vi.* Panormitanus, & alii ibidem *l. dono C. de inutil. stipul l. ult. C. de his. quæ vi. instit. de except. princ. l. si mulier. §. ult. ff. quod metus causa.* Contractus invalidi ob incussum injustum metum sunt matrimonium, & sponsalia, contractus dotis promissæ, vel solutæ, absolutio ab excommunicatione, aliisque censuris, resignatio beneficii, testimonium in testamentis, donatio, & alii actus habentes vim donationis. 6

Rursus si contrahens erret, & decipiatur circa substantiam rei, circa quam contrahit, & quam principaliter, & per se appetit, contractus jure naturæ est irritus, ut si pro gemma quis emeret vitrum, errantis enim nullus consensus est *l. 9. C. de juris, & facti ignorant.* Debet tamen error esse circa substantiam rei, quia leges aliud statuunt de errore, cui alterius dolus causam dedit. Quòd si error contingat circa aliquod rei accidens, & se habeat concomitanter, non irritat contractum, sed actio ibi permittitur Emptori contra deceptorem, ut solvat, quanti interest, ut communiter docent, cum Covarru. *p. 2. relect. C. Possessor. §. 6. c. 60. fin. de præscript.* hinc contractus, cui error circa qualitatem dedit causam, vel ex propria persuasione venditoris, vel ex alia ratione potest esse validus; quia tunc manet sufficiens consensus circa substantiam rei, quæ contrahitur, cùm error tantum versetur circa qualitatem; Propter tamen injuriam illatam Emptori potest hic pro rescissione contractus agere contra venditorem. Si tamen consensus fuerit conditionalis non contrahendi, nisi talis in substantia rei qualitas insit, tunc contractus est invalidus, quia ipsa qualitas inducit rationem substantiæ, seu rei, circa quam etiam principaliter versatur contractus. Hinc si error sit circa qualitatem, quæ sit principale motivum paciscendi, ut si quis donet Petro equum, non ex alia causa, nisi quia sit consanguineus Pauli, si reverà non sit ejus consanguineus contractus potest rescindi cognito errore, & deceptione. Ad dignoscendum quando contractus sit circa substantiam, aut qualitatem non est absolutè consideranda rei substantia; sed cum respectu ad actum voluntarium, adeò ut 7

obje-

objectum substantiale illud censeatur, circa quod versatur actus voluntarius per se, & non per accidens.

8 Cæterùm quia dolus nemini patrocinatur, neque debet prodesse *l. verum tempus* §. *pro socio*, deceptus jus habet agendi pro rescissione contractûs, dummodo non sit indissolubilis: siquidem qui proximum suum dolo ludit injuriam eidem infert, qua propter obligatur ad restitutionem, ad quam adigitur per magistratum. Hoc idem etiam valet de vi; vel metu per injuriam incusso *l. si mulier ff. de eo, quod metus causa.*

9 An verò contractus, quibus deest juris scripti solemnitas validi sint; non conveniunt juris consùlti; sed in foro conscientiæ validos esse, nisi sint specialiter à jure damnati, communior est sententia; adeò ut Possessor bonæ fidei retinere possit, quod acquisivit, donec à judice obligetur ad restituendum: siquidem cùm materia contractuum practica sit, standum est consuetudini. Hinc testamentum ad pias causas factum absque forma jure civili præscripta in foro conscientiæ censetur validum, adeò ut possint hæredes retinere sine scrupulo, quæ inde obveniunt. Rursus de contractibus innominatis est idem judicium, ac de nominatis, observando analogiam, quam habent inter se, ut notat Bartol. in *l. quod Nerva ff. depositi q. 4.*

10 Contractui dicuntur quatuor accidere, suntque Conditio, Modus, Demonstratio, & Causa. Conditio, à qua contractus conditionatus dicitur, habetur per particulam *si*, vel aliquid æquivalens, & suspendit actum, donec conditio purificetur, ut desumitur ex *l. itaque ff. si certum petatur*, ut si Petrus promittat Paulo, se illi daturum suum equum, si tale obsequium sibi præstiterit, non obligatur Petrus dare equum, donec Paulus purificaverit conditionem, & præstiterit obsequium. Modus est clausula, quæ significatur per particulâ *ut*, vel æquivalentem, cujus natura est, non suspendere contractum, sicut conditio, sed statim exigere, quod promissum est, & accipi potest data cautione de modo servando, ut liquet ex *l. qui hæredit.* §. *fin. & l. quibus diebus* §. *de condit.* ut si Petrus leget quinque millia florenorum, ut construatur sacellum in aliqua Ecclesia, particula *ut* dicitur modus, quo pecunia est impendenda, & non suspendit actum, qui potest executioni mandari. Demonstratio est clausula, vel signum notificans rem, de qua agitur ex aliquo præterito, vel præsente, ut si Petrus in testamento leget loco pio suum campum situm in tali speciali loco; vel donet amico pecunias, quæ sunt in tali speciali scrinio. Causa est clausula adjecta significans causam finalem contractûs, & solet notari per particulas, *quia, quoniam*, & tales similes, ut si Petrus dicat Paulo, quia diligentiam adhibuisti in promovendo meo negotio, promitto tibi centum aureos. Et licèt causa ordinariè significet causam finalem, non tamen excludit impulsivam. Causa finalis est, quæ principaliter movet agentem, & cujus gratia agit. Impulsiva est, quâ quis citiùs, & libentiùs agit, quæ si deesset, res quidem fieret, non tamen æquè citò, & libenter.

11 Cæterùm natura conditionis in contractu talis est, ut si fuerit contra substantiam contractus illum evertat, ac destruat; non ita si tantùm contra accidentia, ut notat Mynsing. in §. *hæred. & par instit. de hæred.* Sin verò conditio sit impossibilis, nil operatur, & in utroque jure habetur pro non apposita. §. *impossibilis inst. de hæred. c. fin. de pact.* Rursus si conditio fuerit de re turpi, quæ sine peccato non possit executioni mandari, nullius est valoris, nec ullam inducit obligationem, cùm nemo obligetur ad peccandum. *c. verùm de condit. appos.* Idem dicitur de conditione, quæ detrahit matrimonio *l. Titia* §. *de condit.* & à fortiori de conditione, quæ avocat à religione: & licèt possit dubitari, an qui apposuit conditionem impossibilem, aut turpem, animum habuerit verè contrahendi, & se obligandi; Ecclesia tamen in favorem matrimonii, religionis, & alterius causæ piæ judicat adfuisse consensum: quia in dubiis, id magis agere convenit, ut actus valeat, quàm ut inanis, & irritus sit, ut notat Barbat. *axiom. 12. n. 16* In contractibus verò temporalibus regulariter conditio turpis, vel impossibilis evertit contractum, ut colligitur ex *l. impossibile ff. de verb. obligat.* ubi etiam adducitur ratio, quia omnium ea cogitatio est, ut nihil agi existiment, adjecta ea conditione, quam sciunt esse impossibilem: quia tunc conditio cum non possit executioni mandari, dissensum potiùs, quàm consensum indicat; sive conditio re ipsa, sive tantùm jure sit impossibilis. Neque excipiuntur ultimæ voluntates nisi per alium actum æquivalentem adjecta conditio possit adimpleri, ut notat Tuschus *V. conditio conclus. 591.* Circa *modum* plura notat Bartol. in *l. 2.* §. *fin. de donat.*

Quòd si causa finalis fuerit in donatione, vel contractu, nec impleatur, potest revocari, ut si Petrus dederit quinque mille florenos, ut construeretur in tali templo sacellum, si non construatur, potest repetere suam pecuniam. Sin autem fuerit tantùm causa impulsiva non revocatur contractus, tametsi modus negligatur, ut desumitur ex *l. Mævius ff. de manumiss.* Hoc idem dicitur si ex mente donantis conjici possit, quòd nolit obligare ad modum, sed tantùm allicere. Cæterùm in dubio, an fuerit tantùm causa finalis, vel impulsiva, judicandum est in favorem causæ piæ. Sin verò modus adversetur substantiæ contractus, illum evertit, & si sit impossibilis, aut turpis, habetur pro non adjecto, ut dicitur de conditione, ut notat Barbat. in *tract. de diction. n. 479. Demonstratio* apposita contractui si deprehendatur falsa, actum vitiat, & contractum, *l. Quintus Mutius ait ff. de aur. & argent. leg.* nisi ex præcedentibus verbis possit sufficienter de re cognosci, ut si Petrus donet Paulo picturas, quæ sunt in tali camera domus; si aliunde constet, quales fuerint hujusmodi picturæ appensæ parietibus ejusdem cameræ, ubicunque reperiantur, etiam extra cameram debentur Paulo, ut sibi dono datæ à Petro. 12

Sin autem non constet, quæ, & quales fuerint tales picturæ imò dubitetur, an reverà in tali camera extiterint picturæ, tunc donatio nullius censetur valoris, ut ostendit Filliucius *tract. 33. c. 10. n. 179.* *Causa* propter quam solam quis contraxit 13

traxit, si non subsistat contractus corruit: quia hic non nisi ex intentione agentis suum sortitur valorem: hinc quando contrahentis conventio est conditionalis, & nulla inest conditio, conventio irritatur.

14 Quòd si post factum, & cognitum defectum adhuc vellet quis suæ stare promissioni, eámque ratam habere, non minùs valet, quàm si ab initio cum tali intentione promissio facta fuisset, ut notat Barbosa *axiom. 37*. In gratuitis verò promissionibus, vel donationibus, ubi promittens impellitur motivis quibusdam ad finem præfixum; si hæc motiva subsistant, & misceatur aliquid ad finem impertinens, quo cognito promittens, non promisisset, adhuc promissio censetur valida: quia in gratuita promissione voluntas innititur motivis cognitis, adeò ut actio inde procedens suum sortiatur valorem, etiam in ordine ad transferendum dominium: quia ignorantia alicujus ex circumstantiis, tametsi cognita posset immutare propositum, non evertit promissionem gratuitò factam, quia ignorantia talis circumstantiæ censetur impertinens ad liberalem donationem, alioquin deberent semper cognosci omnes circumstantiæ, quod moraliter censetur impossibile: hinc si des eleemosynam Pauperi, quem credis, aliàs esse pium, & non dares, si tibi constaret, esse virum nequam, & sicophantam, adhuc eleemosyna valet, licèt pauper ille sit pluribus inquinatus vitiis, ac temeratus flagitiis. Ratio est, quia ad valorem gratuitæ donationis attenditur motivum donandi, non verò circumstantia, & quia motivum dandi eleemosynam est succurrere, & opitulari indigenti, cùm hoc motivum subsistat, eleemosyna data pauperi iniquo est valida.

§. VI.

De Malis infestantibus Contractus.

1 Mala, quæ dicuntur contractus infestare duo sunt, culpa, & fortuna. Hujus incursum, & occursum, nec prævidere, nec evitare valemus, ut notat Glossa in *l. si quis §. quæsitum. ff. si quis cautionibus.* Culpa est; quæ vi legum reos facit, etiam nonnunquam innoxiâ conscientiâ, & bipartitur in dolum, & culpam; ille est calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, vel decipiendum aliquem adhibita, ut constat ex *l. 1. de dolo.* Culpa est imprudentia, vel inscitia, quâ quis ignorat, quod teneretur scire. Vel est negligentia, quâ quis non prævidet, vel non cavet, quod alioquin teneretur prævidere, & cavere. Hinc patet discrimen, inter dolum, & culpam, quia dolus oritur ex animo, & voluntate nocendi, & supponit malitiam, à qua gignitur. Secus culpa licèt supponat scientiam, non tamen voluntatem lædendi, & nonnunquam, nec scientiam supponit, nec propositum lædendi.

2 Rursus culpa in jure civili tripartitur in latam, levem, & levissimam. Culpa lata in jure perinde est, ac non intelligere, aut non nosse, quod omnes intelligunt, vel noverunt, *l. latè ff. de verb. signif.* quo pacto non facere, non prævidere, non cavere, quod omnes faciunt, prævident, cavent, vertitur culpæ latæ; ut si Petrus deposuerit apud Paulum amicum centum aureos, quos Paulus reliquit in domo super tabulam foribus apertis, & quos propterea alius surripuit, vertitur furtum Paulo culpæ latæ; eò quia non id præstiterit, quod cæteri omnes viri prudentes solent, scilicet depositum in loco tuto custodire. Culpa levis est non facere, quod homines solertes, ac diligentes præstant, ut si Petrus promiserit Paulo quinque aureos, dummodo intra octiduum absolvat aliquod negotium, quod viri diligentes intra id temporis solent absolvere; si negotium protrahatur ultra octiduum vertitur id Paulo culpæ levi, & Petrus non tenetur stare promisso, sed tantùm solvere juxta consuetudinem. Culpa levissima est id non præstare, quod homines diligentissimi facere solent, ut desumitur ex *l. stipulatur ff. ad leg. Acquil. & l. Divus ff. de offic. Præsid* ut si Petrus deposuerit apud Paulum amicum gemmam aliquam magni valoris, & Paulus eam posuit in scrinio, sed non animadvertit, an illud obseràsset, ac proinde scrinio non clauso exivit domo, & gemmam ibi servatam alius surripuit, tunc furtum ex jure vertitur Paulo culpæ levissimæ.

Ad dignoscendum verò ex qua culpa quis in contractibus teneatur, tres solent ex utroque jure canonico, & civili tradi regulæ. Quarum prima est, quòd quoties contractus est in utilitatem solius accipientis, tunc accipiens tenetur non solùm ex dolo, & culpa lata, verùm etiam ex levi, & levissima, ut in commodato; quod plerumque fit in gratiam accipientis, idque expressè colligitur ex *l. contractus ff. de regul. juris*, & confirmatur in *c. 1. de commodato*, junctâ Glossâ in *cit. leg. contractus & in c. 1. de commodato*, unde qui commodatum accipit, tenetur in conscientia etiam ex levi culpa, quæ lethale peccatum non est, ad satisfaciendum etiam in jure canonico, ut liquet ex *c. 1. de commodato*: quia obligatio satisfaciendi non oritur ex peccato, sed ex natura, & conditione contractus, quapropter non attenditur, an culpa levis, ut dicitur in jure, sit peccatum lethale, vel non. Siquidem vis commodati hoc habet, ut qui accipit, debeat esse diligentissimus in custodienda re accepta: etenim, qui commodat rerum suarum usum, gratis, & liberaliter concedit talem usum; & qui accipit commodatum, in suam tantùm utilitatem, illud accipit, proinde tenetur rem commodatam custodire eadem diligentia, quam adhiberet in rebus propriis custodiendis. Excipitur tamen ab hac regula precarium, licèt sit in utilitatem solius recipientis: quia is, qui rem precariò recipit, ex dolo, & lata culpa tenetur, non verò ex levissima, & levi *l. contractus ff. de regul. juris & l. quæsitum est §. cum quoque ff. de precario*, ubi habetur: *illud annotatur, quòd culpam non præstat is, qui precariò rogavit, sed solùm dolum: quamvis is, qui commodatum susceperit, non tantùm dolum, sed etiam culpam præstet.* Ulpianus *in d. l. quæsitum est §. cum quoque* assignat rationem, cur precarium à supra dicta regula excipiatur; quia dolum solùm is præstat, qui precariò rogavit, eò quia totum hoc ex liberalitate descendat ejus, qui precariò concessit: & satis sit, si dolus tantùm præstetur,

Cul.

Culpa enim dolo est proxima. Hinc qui precarium accipit, ex dolo, & lata culpa tantùm tenetur, & precarium toto tempore, quo quis illud habet ex liberalitate dantis existit, ac dependet; proinde quandocunque voluerit, qui precariò concessit, rem suam potest repetere. Sed commodatum, quamvis gratis, & liberaliter detur, datum tamen jure repeti non potest, antequam is, cui datum est utatur ad eum finem, ad quem accepit: hinc est quod accipiens commodatum ex levi, & levissima culpa obligetur, non verò qui precariò aliquid accepit.

3 Secunda regula est quòd quoties contractus initur in utilitatem solius dantis, tunc accipiens non nisi ex dolo, & culpa lata tenetur, non verò ex levissima, aut levi, & desumitur ex *l. contractus* superiùs allegata, & *l. sicut certo* §. *interdum ff. commodati*, & hæc regula conformis est juri naturali; quia depositum tantùm est gratia illius, qui rem apud alterum deposuit, proinde sibi imputare debet, si illam non deposuit apud hominem fidelem, & diligentem. Quòd si dicas, in jure eum, qui depositum suscepit, tantùm obligari ex dolo, non ex culpa, proinde non teneri etiam ex culpa lata. Respondetur, jura æquare latam culpam cum dolo ut desumitur ex *l. quod Nervà ff. depositi*, & *l. magna negligentia ff. de verb. signif.* & *l. 1. ff. si mensor falsum modum dixerit.* & *l. ii, cui §. si hæres ff. ut in professione legat.* Quamobrem cum jura dicunt, in contractibus culpam esse præstandam, nomine culpæ intelligunt non solùm culpam levem, sed etiam subinde levissimam: & quando decernunt, ut in contractibus dolus solùm, non culpa præstetur, nomine doli comprehendunt etiam latam culpam, & nomine culpæ, etiam culpam levem, & levissimam.

4 Tertia regula habetur, quando contractus initur in utilitatem utriusque contrahentis, tunc enim accipiens non solùm tenetur ex dolo, & culpa lata, verùm etiam ex levi, licèt non ex levissima, ut in empto, & vendito, locato, conducto, & societate. Continetur hæc regula in *l. contractus ff. de regul. jur.* ubi dicitur, dolum, & culpam comprehendere mandatum, commodatum, venditum, pignori acceptum, & locatum; ubi Jurisconsultus cum vendito, pignore, & locato, qui sunt contractus facti gratia utriusque contrahentis, conjungit mandatum, & commodatum licèt non videantur fieri in utilitatem utriusque, cùm mandatum fiat tantùm gratia mandatoris, ut etiam commodatum gratia illius, qui accipit, non verò commodantis. Verùm Jurisconsultus meritò conjunxit, etiam mandatum, & commodatum aliis contractibus, qui fiunt in utilitatem utriusque contrahentis: quia licèt commodatum ut plurimum fiat gratia solius accipientis; nonnunquam tamen fit etiam gratia dantis, adeò ut fit in utilitatem utriusque, ut si Titius commodet suam rhedam Cajo, ut communi utriusque amico inserviat; tunc commodatum non est in gratia solius accipientis; sed etiam commodantis rhedam, quia ad hunc finem eam commodat, ut Cajus inserviat communi amico, & est utile Titio, quòd ejus amicus accipiat per Cajum beneficium propriæ rhedæ. Mandatum etiam quamvis frequenter fiat gratia solius Mandatoris, nonnunquam etiam fit in utilitatem dantis, & accipientis mandatum, proinde meritò Jurisconsultus mandatum, & commodatum conjunxit cum aliis contractibus, qui fiunt in utilitatem utriusque contrahentis.

In contractibus, vel quasi contractibus tripliciter potest dolus, vel fraus committi. Primò si unus contrahentium dolo alterum moveat ad contrahendum; ut si Titius dolosè persuadeat Cajo vendere, vel emere aliquid, quod alioquin non fuisset venditurus, nec empturus. Secundò quando quis in contractu admittit, quod est causa, ut non legitimè fiat, tametsi non sit causa simpliciter contractus, ut si Titius suaderet Cajo alioquin suum equum vendituro, ut sibi minori pretio equum venderet, & Cajus fuisset equum venditurus, sed non tam vili pretio. Tertiò contingit etiam dolus in contractu ex ipsa absque scientia, & voluntate contrahentium, ut cum res pluris, aut minoris justo pretio venditur, vel emitur, & uterque contrahens reverà ignorat justum pretium: ut etiam si bona fide vendat quis rem alienam, aut rem unam pro alia. An verò dolus contractum, vel quasi contractum reddat irritum. Respondent communiter, quòd si contractus sit bonæ fidei non valet, quando contrahentes ipsi contractui dolum faciendo causam dederunt, ut notat Glossa in *l. 2. C. de rescin. vendit.* & Bartol. *in l. & eleganter ff. de dolo.* Cæterùm in contractibus stricti juris, licèt valeat contractus, nihilominus contra eum, qui dolum fecit datur actio, ope & beneficio exceptionis *l. si quis cum aliter ff. de verb. obligat.* & *l. cum postea C. de pact.* Quòd si neuter contrahentium dolum fecerit in contractum, sed alius tertius, tunc etiam valet contractus, etiam si sit ex numero eorum, qui dicuntur bonæ fidei: sed permittitur actio contra illum tertium, qui dolosè egit *l. & allegantes* §. 1. *ff. de dolo* & *l. 2.* & *3. de proxenetivis* tenetur enim qui dolum fecit damnum resarcire. 5

In contractibus ex casu fortuito potest quis obligari ex pluribus causis, ut desumitur ex *c. 1. de commodato*, & *ex c. bona fide de deposito* apud Glossam, & *c. 2. de commodato.* Prima est, quando culpa præcessit casum, ut si Titius commodavit suum equum Cajo, ut veniret in urbem, & Cajus sciens, & deflectens à recta via transivit per loca periculosa, & equus periit, quia tunc Titius non commodavit Cajo suum equum, ut transiret per talia loca, præsertim cum talis transitus nullo modo fuerit necessarius, ut veniret ad urbem. Secunda causa est, quando mora casum præcessit, ut si Titius commodavit Cajo suum equum per biduum, & Cajus apud se detinuit per triduum, & tertia die equus periit apud ipsum, qui apud dominum non fuisset periturus. Tertia causa est, quando unus ex contrahentibus se sponte obligavit alteri ex casu etiam fortuito, & suscepit sponte onus, ac periculum rei contractæ, ut desumitur ex *c. de commodato c. bona fides de depos.* 6

An verò in foro conscientiæ teneatur quis ex casu fortuito, quando se sponte obligavit? Certum 7

tum est, tale pactum jure civili esse validum, ut liquet ex *l. si quis fundum ff. locati.* & *l. negotium C. de negotiis gestis.* Imò etiam jure canonico suum sortitur valorem, ut liquet ex *c. 1. de commod. c. bona fide de depos.* & ratio etiam id suadet, quia quisque sua sponte potest se alteri obligare, ac suscipere in se resarciendum quidquid damni pro quocunque eventu rei commodatæ potest obtingere: hoc onus cùm sit pecuniâ æstimabile, ideò qui illud suscipit tenetur solvere. An verò furtum habeatur inter casus fortuitos? Videtur esse dubium, quia in *l. cum duobus §. damna ff. pro socio.* habetur: damnum si à furibus illatum fuerit sociis, erit commune, quia socius custodiam præstare debet. Quibus verbis significatur, furtum non haberi pro casu fortuito. E contra in *l. eum §. idem scribit ff. de furt.* habetur, furtum aliquando sine culpa contingere, unde ex verbis legis insinuatur, furtum aliquando esse casum fortuitum, eò quia sit sine culpa. Panormit. *in c. 1. de commod.* & alii communiter distinguunt, & dicunt, furtum ab illo commissum, qui nobis sanguinis necessitudine, aut aliquo obligationis vinculo est conjunctus, & à quo etiam diligentissimus quisque nil timeret, tunc haberi pro casu fortuito, ut si fiat furtum in domo à filio, fratre, uxore, nepote. Tunc verò non haberi pro casu fortuito quando committitur ab extraneo. Verùm licèt hæc distinctio vera sit quoad judicium in foro exteriori, nihilominus in foro conscientiæ potest nonnunquam furtum ab extraneo commissum haberi pro casu fortuito, ut si alicui detur potio somnifera, ut deinde surripiatur pecunia, tametsi fur sit extraneus, respectu custodis somno capti, furtum censetur casus fortuitus.

9 Cæterùm si quis generatim cum aliquo paciscatur, ac se obliget ad omne periculum, suscipiátque suo periculo rem, sed non exprimat casum fortuitum, tunc probabilior sententia, & communior est, in casu fortuito non obligari, quia licèt generatim se obligaverit in omni periculo rei; quia tamen fortuitum casum non expressit, censendus est, eum non comprehendisse. Quinimò tametsi expresserit unum, vel alterum casum fortuitum, nec censetur obligari ad omnes casus fortuitos, præsertim extraordinarios; quia ut constat ex *l. fistulas. §. frumenta ff. de contrahen. empt.* si quis se obligavit ad aliquos casus fortuitos, non creditur se obligâsse ad insolitos.

10 An verò sit contra substantiam contractûs, ut obligetur quis ex casu fortuito in contractu, in quo ex dolo tantùm, vel culpa tenetur? Respondetur, non esse contra substantiam, quamvis sit præter, vel contra naturam contractus: etenim in contractibus aliquid dicitur pertinere ad substantiam, & naturam contractûs, & aliquid esse accidens contractûs: sicut in hominis substantia aliquid est, sine quo homo esse non potest, scilicet anima, & corpus; & aliquid est accidens hominis, ut quod currat, legat, vel quid aliud agat, & aliud etiam, quod pertinet ad naturam hominis, quamvis sine illo adhuc possit homo esse, ut habere quinque digitos in quavis manu; ita etiam in contractibus, ut in emptione substantia est res, & pretium: in locatione res, & merces, eò quia sine his, emptio, & locatio non possunt consistere: naturale est etiam in emptione, vel locatione, ut emptor, venditor, locator, & conductor teneantur ex levi culpa, non verò ex casu fortuito: accidit verò emptioni, ut res quæ nondum est; futura tamen speretur, & ematur. In contractibus, ut quis sponte sua obligetur ex casu fortuito non est contra substantiam contractûs, alioquin everteret contractum; est tamen præter naturam contractûs; perinde ac est contra naturam hominis, si nascatur monoculus: quapropter non videtur esse contra substantiam contractûs, ut quis suscipiat periculum rei contractæ, adeò ut res sit ipsius periculo, licèt sit præter naturam contractûs, ut, si Titius conducat domum Caji, & illi se obliget, ut si domus casu perierit, reddere debeat Titius totum pretium domûs: tunc contractus est præter naturam locationis, sed non contra ejus substantiam, quia reverà in tali locatione est res, & merces.

Præter contractus qui dolo fiunt, dantur etiam contractus simulati; qui pluribus modis fiunt. Primò quando contrahentes simulant, fingúntque se unum certum inire contractum; cum reverà alium celebrent; quo pacto usurarii sæpè simulant contractus: dant mutuam pecuniam, & ex mutuo lucrum accipiunt: & ne videantur usurarii, simulant, ac fingunt se pecunias alibi recepturos; cum reverà sint recepturi in eodem loco, in quo dant pecuniam. Secundò contingit contractus simulatus, quando ita contrahitur aliquid, ut statim ab eo contractu recedatur: quo pacto fingit quis dare fundum alteri instrumento publico confecto, ut possit is, qui accipit, promoveri ad sacros ordines jure, ac nomine patrimonii; & tamen qui accipit fundum pro patrimonio obligat se, ad statim post susceptos ordines reddendum fundum. Tertiò simulatur contractus quando quis ore tenus, non animo, & voluntate contrahit, quo pacto nonnulli defraudant vectigalia, & tributa, quæ aliàs tenerentur solvere. Subinde contractus habetur simulatus, quamvis reverà talis non sit, ex conjecturis, & signis: ut si contractus juratus non fuerit, qui tamen sine jure jurando alioquin fieri non soleat. Rursus ex loco, & tempore nonnunquam dignoscitur contractus simulatus, ut cum fit extra loca consueta, & in locis suspectis, ut si fiat clangulò, & nocturno tempore. Conjicitur etiam contractus simulatus ex personis, quatenus hæ consueverint simulatos inire contractus; vel viliori pretio res ita vendere, ut potiùs videantur dono datæ, quàm pretio emptæ, aut exigua mercede res locare. In hisce simulatis contractibus, qui contra jura fraudem committit compellitur damna inde secuta resarcire. 11

§. VII.

§. VII.

De Contractibus Juramento firmatis.

1 Certum est, contractus contra bonos mores initos, & jure jurando etiam corroboratos irritos esse, ac nullius valoris, ut desumitur ex regula juris in *c. non est obligatorium de regul. juris in 6.* ubi dicitur. *Non est obligatorium juramentum contra bonos mores præstitum*, quæ regula desumpta est ex *l. contractus, ff. de regul. jur.* & *l. si unus ff. de pactis.* ubi dicitur, non valere pactionem si dolus præstetur: & sententia communis est, jusjurandum vim obligandi non habere, quando est de re, quæ turpitudinem continet: illud enim est turpe, quod est contra bonos mores, & quod absque peccato exerceri nequit, eò quia est naturali jure damnatum; hinc in *cap. in malis. 22. quæst. 4.* habetur. *In malis promissis rescinde fidem: in turpi voto muta decretum.* Ex quibus satis perspicuè constat, contractus bonis moribus adversantes, etiam jure jurando firmatos irritos esse, ac nullius valoris; & tunc jusjurandum non confirmat contractum, pactum, aut conventionem, nec obligat jurantem; eò quia ad peccandum nequit dari obligatio.

2 Hinc contractus initus de futura successione in hæreditatem viventis sine consensu illius, de cujus hæreditate agitur non confirmatur jurejurando: quia turpe est, & contra justitiam inire contractum, vel pactum de hæreditate viventis sine ejus consensu *l. pactum quod dotali C. de pactis*, & *l. pactum dotal. C. de collatio.* Item stipulatio pœnalis apposita promissioni de non revocando testamento non confirmatur jurejurando, quia adversatur bonis moribus *l. stipulatio hoc modo concepta ff. de verb. oblig.* Neque stipulatio pœnalis addita promissioni de contrahendis nuptiis firmatur jurejurando; quia evertit liberam facultatem requisitam ad contrahendas nuptias *cap. gemma, cap. cum locum de sponsal.* Rursus pactum, quo tollitur privilegium marito conveniens, ne in id quod facere possit condemnetur, sed in solidum, non valet; quia est contra bonos mores, seu contra reverentiam marito exhibendam; proinde non confirmatur jure jurando. Ut nec etiam valet renunciatio, quâ quis renunciat privilegio sibi competenti ob reverentiam, quæ sibi jure naturali debetur, consequenter neque jurejurando confirmatur. Jura quæ dicuntur sanguinis, cujusmodi sunt cognatio, agnatio, consanguineorum amor, & dilectio; cum oriantur ex sanguinis necessitudine, ac naturæ indita propensione nulla civili lege tolli possunt, ut habetur *l. jura sanguinis ff. de regulis juris. l. jus agnationis ff. de pactis*: unde pactum quo quis renunciat huic juri non confirmatur jurejurando, quia est contra jus naturæ, & dictamen rectæ rationis.

3 Contractus, qui ipso jure naturæ sunt irriti adjecto jurejurando non confirmantur, nec ullum acquirunt valorem; ut communiter sentiunt Doctores; quia eo ipso quod talis contractus jure naturæ est irritus, non induit rationem contractûs, & non est contractus: consequenter non potest per adjectum jusjurandum confirmari: quod non est, non confirmatur in suo esse cum illo careat: hinc non entis nulla dicuntur esse accidentia, *l. contractus ff. de Re. Jur. Bart. in l. si quis pro socio ff. de fidejussoribus.* si tamen contractus versetur circa rem ex natura sua non turpem, ita ut contineat obligationem naturalem, vel admittat alium actum, vel promissionem non retractandi, tunc poterit jurejurando confirmari, ut explicat Farinac. *part. 6. quæst. 160.*

4 Contractus, qui jure canonico irritantur intuitu libertatis Ecclesiasticæ nullam ex adjecto juramento suscipiunt firmitatem. Hinc irritus est contractus, quo Clericus renuntiat propriæ libertati; & tametsi jurejurando firmetur, non propterea ullum inde valorem acquirit; & quidquid actum est ex inito contractu habetur tanquam non factum: quia in hisce contractibus non attenditur favor ipsius Clerici in particulari, sed favor Ecclesiæ, cui privatus Clericus non potest renuntiare. Quinimò quæcunque per leges canonicas prohibentur etiam absque irritatione, nullo confirmantur jurejurando; cum in conscientia obligent ad sui observantiam. Hinc Clericus si promittat, ac pacifcatur se renuntiaturum privilegio fori; licèt jurejurando confirmet suam sponsionem, adhuc hæc per adjectum juramentum nullum acquirit valorem; quia Clericus etiam adhibito juramento non potest renunciare privilegio fori, ut apud judicem Laicum conveniri queat *cap. si diligenti de foro competenti.* id enim est contra Canones, & jus divinum, & Ecclesiasticum, cui Clericus non potest renuntiare.

5 Rursus renunciatio, quâ Monialis renuntiat privilegio sibi competenti, ne cogatur ad judicem accedere dicendi testimonii causa, non confirmatur jurejurando; quia ratione voti, & juris canonici in *c. 2. de judic. in 6.* egredi è monasterio moniales prohibentur. Et ita dicendum de omni contractu prohibito principaliter jure canonico, ac immediatè ob bonum publicum Ecclesiæ, cui renuntiare privatis Ecclesiasticis non licet *c. si diligenti 12. de foro competen. l. jus publicum ff. de pactis c. non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum de Regul. juris in 6.* Sin verò principaliter, & immediatè propter privatam alicujus utilitatem contractus prohibeatur, & absque dispendio æternæ salutis possit servari; cum possit quisque cedere juri suo, adjectum juramentum vires addit contractui; quia tunc contractus non est omninò irritus, proinde potest jurejurando corroborari. Neque obstat, si dicas, privatorum favorem conjunctum esse cum bono publico; quia id in jure canonico non attenditur; excipitur tamen nisi contractus, & juramentum à jure irritetur.

6 Secus contractus, qui tantùm jure civili, non naturali, divino, aut canonico, prohibentur, suntque irriti, si jurejurando confirmentur, tunc non solùm jusjurandum obligat jurantem; sed id etiam operatur, ut ipse contractus subsistat, fitque validus. Hinc donatio omnium bonorum tam præsentium, quàm futurorum jure civili est irrita *l. ult. C. de pactis*, si tamen adjiciatur jusjurandum rata

rata est, & firma. Donatio absque insinuatione facta irrita est jure civili *l. in hac sacratissima C. de donat. 3.* & nihilominus juramento firmata est valida. Donatio inter Patrem, & Filium jure civili non valet *l. donationes quas parentes C. de donat.* sed juramento confirmata, valorem induit. Donatio inter virum, & uxorem jure civili non subsistit; & tamen adjecto jurejurando est firma, & rata, ut notat Covarruv. in *rubric. de testamen. part. 2. n. 10.* Donatio facta à minore sine consensu Curatoris jure civili est irrita, si tamen adjiciatur jusjurandum est firma, & rata, ut docent communiter in *Authent. Sacramen. puberum l. si adversus vendit.* Alienatio rei dotalis, vel donatæ propter nuptias etiam ex consensu uxoris jure civili est invalida, & non subsistit *l. cum his ff de transactionibus*, si tamen juretur est rata, & firma; ut communiter docent *in cap. quamvis pactum de pactis in 6.* Mulier non potest pro alio fide jubere, nec se obligare: si tamen renuntiet beneficio hujus legis, & juret renuntiationem; hæc est rata, & firma; & valet fidejussio jurata Gloss. *in cap. ex rescripto de jurejurando.* Pactum filiæ, ut dote contenta cedat juri suo succedendi in bonis paternis est irritum *c. quis 2. de pactis in 6.* si tamen jurejurando firmetur est validum, ut docent communiter in *cap. cum contingat de jurejurando.* Pactum quo Pater promittit se æquis portionibus instituturum hæredem filiam cum fratribus jure civili improbatur; sed adjecto jurejurando est validum. Ratio est, quia hæc & alia id genus pacta quia non sunt per se, & ex principiis intrinsecis mala; sed tantum prohibentur jure civili ob majorem securitatem, licèt ut inania rejiciantur à legibus, si tamen accesserit jusjurandum rata sunt, ac firma, ac inducunt obligationem; quia jusjurandum prævalet legi civili; eique servandum; quando non est de re per se mala.

7 Quæri solet, an Principes, ac Legislatores Laici possint lege, ac statuta prohibere, ne in contractibus adjiciatur jusjurandum. Notandum est *in cap. ult. de foro competent. in 6.* statui, ut laicus ratione juramenti adjecti conveniatur coram Judice Ecclesiastico; adeò ut per censuram Ecclesiasticam compelli etiam possit ad servandum jusjurandum. Probabilior opinio est, non posse principes, & legislatores laicos suis legibus, ac statutis prohibere, ne pacta, vel conventiones jurentur, vel ne jusjurandum iisdem adjectum servetur; vel ne contractus initi firmi, ac rati habeantur, licèt jure jurando firmati. Imò tales leges prohibentes juramentū adjiciendum contractibus, ac servari iusiurandum in iisdem adhibitum, esse irritas, nec posse obligare, communiter censent iuris canonici periti Cynus *in Authent. sacramentum puberum.* Hostiensis *in cap. quanto, cap. quemadmodum de jurejurand.* Panormit. *in cap. tua .. de decimis.* Ratio est, quia causa iurisiurandi est Ecclesiastica extra forum principum sæcularium; proinde non possunt principes laici cognoscere, nec iudicare an iusiurandum valeat, nec *cap. tua de ordine cognit. cap Laici qui filii sint legitimi. cap. si judex Laicus de sent. excommunic. in 6.* quia Ecclesiastica, inter quæ habetur iusiurandum, non subiiciuntur iurisdictioni Laicorum, qui propterea non possunt de illis cognoscere, nec iudicare; proinde neque leges ferre de iureiurando tollendo, vel implendo; quia leges vires accipiunt à potestate legislatoris *cap. à nobis de sent. excommunication. cap. ut animarum de constitut. in 6.* Præterea ad Ecclesiam pertinet absolvere à vinculo iurisiurandi, ac peccatorum: unde facultas remittendi obligationem ortam ex iureiurando non pertinet ad principes laicos, sed ad Prælatos Ecclesiasticos.

An verò quæ fiunt contra pactum, vel contractum iuratum rata sint, suumque obtineant valorem, respondetur cum distinctione: quando contractus iuramento firmatus perficitur solo consensu, & non est de re turpi, neque contra ius divinum, nec canonicum, valida sunt; si quæ fiunt contra talem contractum procedant ex vi alterius contractûs, qui perficiatur rei traditione; tunc enim valet secundus contractus, quamvis primus fuerit iureiurando firmatus. Sin verò primus contractus perficiatur non solo consensu, sed etiam rei traditione: tunc quæ fiunt contra talem contractum nullius sunt valoris: ratio est quia quoties contractus licitus completur per rei traditionem, dominium rei ad alterum transit; non ita quando perficitur solo consensu. Hinc si Caius promiserit Luciæ se illam ducturum in uxorem, ac iureiurando confirmaverit suam promissionem; & postea duxerit Catharinam; hic secundus contractus quia perficitur rei traditione est validus, non verò primus, qui fuit completus solo consensu. *cap. ex litteris de sponsal.* Petrus iuravit se venditurum Paulo suam domum, quam postea vendidit Joanni, rata est hæc secunda venditio; quia per ipsam domus fuit tradita, & dominium translatum *l. quoties de rei vindicat.* Caius habens liberam facultatem conferendi beneficium Ecclesiasticum iurat se illud daturum Sempronio; & postea illud confert Titio, firma, & rata est hæc collatio beneficii facta Titio ob traditionem eiusdem beneficii. Juravit Petrus tale Paulum electurum ad tale officium; sed postea eligit Joannem; & ita dicendum de aliis similibus contractibus, qui complentur per traditionem rei, suum enim assequuntur valorem, licèt contra præcedentem contrarium contractum iureiurando firmatum cum solo consensu fine rei traditione, initi fuerint: quia rei traditio in contractu transfert dominium; non verò solus consensus.

Quòd si contractui apponatur iuramentum contra substantiam, & naturam ipsius contractûs tunc iusiurandum obligat quidem iurantem ad id præstandum, quod iuravit; non tamen confirmat contractum; sed potiùs sequitur ipsius naturam, ac substantiam; ut desumitur ex cap. quemadmodum de iureiurando, & ex *l. ult. C. de libertat. causa*; ut docet Covarruvias *in cap. quamvis pactum de pact. in 6. part. 2. §. 4. n. 1.* hinc tametsi Petrus iuraverit se non revocaturum testamentum, quod nihilominus revocavit; revocatio, & secundum testamentum est validum, non primum; licèt iuramento firmatum; quia cum testamentum sit 9

ex

ex natura sua sub libera dispositione testatoris, ac proinde revocabile usque ad mortem; juramentum fuit contra naturam ipsius contractus, ut versantis circa testamentum non mutandum. An verò Petrus mutando testamentum sit perjurus aliqui negant; eò quia jusjurandum de non revocando testamento cùm sit contra bonos mores vim obligandi non habet, ut desumitur *ex cap. non est obligatorium de regulis juris in 6.* probabilior tamen sententia asserit, Petrum mutando testamentum esse perjurum, quia non est de re turpi; & jure naturali potest quis liberam facultatem testandi sibi auferre: nil enim vetat quin possit quis cedere jure suo.

§. VIII.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones circa contractus.

1 QUæritur primò, an Clerici possint esse fidejussores. Respondent plures cum distinctione, & dicunt licitè ab initio non posse fidejubere; si tamen fidejusserint, & contra eos nil fuerit exceptum, fidejussionem subsistere, ac parere obligationem: ita sentiunt Franc. *de fidejuss. cap. 1. num. 234.* Antonius Gomez *de controv. cap. 13. num. 18.* & alii deducentes hanc sententiam ex variis juribus præsertim *ex cap. pervenit de fidejussoribus.* ubi dicitur, quod talis Clerici fidejussio rata sit, ac firma, & *ex text. c. const. 3. extr. eod. tit.* & addunt quod dicitur *in l. 3. versic. plane ff. de fidejussorib.* ubi Ulpianus ait: si non idoneum fidejussorem dederit, magis esse, ut satisfactum sit, quia qui admisit eum fidejubentem, idoneum esse comprobavit: hinc licèt ab initio Clericus dari non possit fidejussor, quia non sit idoneus fidejussor; si creditor illum admiserit sciens esse Clericum; censetur comprobâsse illum idoneum. Tum quia multa facta tenent, ac rata habentur, quæ fieri prohibentur.

2 Alii id negant, eò quia sit certa, ac indubitata regula juris, quòd omnis actus contra expressam juris prohibitionem factus nullum sortiatur valorem, habeatúrque pro non facto *l. 7. §. 16. ff. de Pactis. l. 112. §. fin. ff. de legat. l. 1. non dub. 5. C. de legat.* sed fidejussio Clericorum est contra expressam juris prohibitionem. *nov. 123. c. 6. novell. Leonis 86.* ergo fidejussio facta à Clerico nullius est valoris. Hinc Justinianus Imperator *in d. c. 6.* sancit, judicem debere pœnam incurrere, si clericum fidejussorem ausus fuerit approbare, unde Imperator omninò improbavit Clerici fidejussionem non solùm ab initio, sed etiam jam factam. Ad fundamenta oppositæ sententiæ respondent *in d. c. pervenit extr. de fidejuss.* Clericum pro aliis duobus Clericis fidejussisse apud Mercatorem Bononiensem, quo casu fidejussio videtur admittenda, quando Clerici inter se mutuò fidejubent: quamobrem citatus textus continet exceptionem à regula: licèt enim Clerici prohibeantur fidejubere; excipitur tamen casus, quando Clerici lite pulsati pro se invicem fidejubent; tunc enim Clerici se mutuò juvant, & manus manum fricat *l. cum clericis §. 1. l. omnes §. praeterea cum sequent. C. de Episcop. & Cler.* Ad secundum textum *ex c. constitutus 3.* respondent, ibi non esse sermonem de Clerico fidejubente; sed de laico. Ad regulam quâ multa facta dicuntur tenere, quæ fieri prohibentur; responsio communis est, illam regulam non pertinere ad eà, quæ fieri legibus expresśè prohibentur *tex. d. l. C. de legibus.* ubi habetur, ea quæ fieri prohibentur pro infectis habenda esse: unde illa regula intelligitur quando refertur ad privatum favorem alicujus; non verò ad publicam utilitatem. Ad ultimum desumptum *ex l. 3.* Respondent, id intelligi de idoneo fidejussore, qui ob commodum ipsius creditoris à fidejussione arcetur, ne per ejus fidejussionem creditor patiatur aliquod damnum; eò quia ipsi non sit cautum, nec perspectum. In casu autem nostro sermo est de illo, qui non causa ipsius creditoris; sed Reipublicæ gratia habetur pro idoneo fidejussore.

Verùm hisce non obstantibus censent plures, 3
Clericum in præjudicium Ecclesiæ non posse quidem fidejubere; bene tamen in damnum proprium; & reverà ita consuetudine observatur; tametsi neque tunc ex fidejussione teneatur Clericus solvere, nisi quatenus commodè potest; adeò ut non sit clericus adigendus ad mendicatò vivendum juxta *c. Odoardus de solut.* Extra tamen casum necessitatis non possunt clerici pro laicis fidejubere, id enim ipsis prohibetur *in c. te quidem 11. quæst. 1.* fidejussio tamen valet ut habetur *in c. ult. de fidejussore.* si tamen fidejussio non sit in damnum Ecclesiæ. Hinc Monachi absque licentia Prælati, majorisque partis Capituli non possunt fidejubere; & si fidejusserint, aut mutuum acceperint non obligabitur monasterium; nisi quatenus in ejus utilitatem fidejussio, vel mutuum versum fuerit, ut rescripsit Innocentius III. *in c. quod quibusdam de fidejussoribus.*

Quæritur secundò, an contractus initi ab ho- 4
mine excommunicato validi sint? Respondetur negativè, si contrahens clericus habeat beneficium Ecclesiasticum, & contrahat de rebus Ecclesiæ *c. veritatis de dolo & contum.* Decius *in c. Pastoralis §. verùm de appellat.* Contractus tamen initus ab excommunicato de rebus civilibus suum sortitur valorem, executio tamen suspenditur, donec qui contraxit à vinculo absolvatur excommunicationis, ut notat Hostiens. *in c. veritatis de dolo, & contum.* Innocentius, & Abbas ibidem, & alii communiter; excipitur tamen excommunicatus propter hæresim, vel percussionem alicujus Cardinalis, qui sit intestabilis *cap. Felicis de pœnis in 6.* quia nullo jure contractus cùm excommunicato initus reprobatur, licèt contrahentes peccent propter prohibitam communionem cum excommunicato. Manet tamen executio suspensa, quia excommunicatus non potest in judicio agere contra partem contrariam, ut notant juris Pontificii periti *in c. Pia §. si quis num. 2. de except. in 6. & cap. intelleximus de judiciis.* ubi expresśè dicitur, conveniri non posse excommunicatum; nisi tamen fuerit reus necessarius, quia tunc potest proponere omnes defensiones sibi servientes; & quæ naturam habent exclusionis; qualis est non numeratæ pecuniæ, debiti non soluti, doli mali, juramenti,

 nulli-

nullitatis, & aliarum id genus: & si in propria persona fuerit impeditus, debet procuratorem constituere: secus si fuerit reus voluntarius non admittitur, quia tunc æquiparatur actori; dicitur enim reus voluntarius, qui ad causam non trahitur; sed judicium aperit illi viam ad contradicendum, vel opponendum.

5 Quinimo si deprehendatur, flocci facere excommunicationem; & non esse sollicitum ut ab ejus vinculo absolvatur; neque ut reus necessarius auditur, ut docent Gemini in. *in c. 1. h. t. n. 10.* Felin. & alii. Id tamen limitatur nisi agatur de concernentibus periculum animæ, tunc enim licet excommunicato stare etiam loco actoris, Hostiens. *in cap. significaverunt de exceptione.* Ut etiam si petere velit revocationem attentatorum; quia in tali judicio non obstat exceptio excommunicationis, ut ostendit Menochius *remed. 17. de recuper. possess.* Item si periculum sit in mora, quia tunc censetur non omnino voluntarie agere, Felin. *in c. cum inter num. 16. de except.* Item quando impeditur facere sibi permissa, ut ejusmodi impedimentum tollatur, Barbat. *in c. intelligimus.* Rursus matrimonium ab excommunicato contractum validum est, ac ratum *c. significasti de eo, qui duxit.*

6 An verò etiam contractus initi cum hæreticis sint irriti affirmant plures canonistæ, quia hæreticorum bona omnia jure sunt fisco addicta; unde cum eorum amiserint proprietatem, nullus potest de illis iniri contractus, nulla conventio, dispositio nulla. Nec interest occultus sit, an manifestus; quia eo ipso quòd est hæresi infectus privatur dominio omnium bonorum in foro conscientiæ; & tantùm retinet eorundem possessionem donec per sententiam judicis fuerit condemnatus: & tunc fiscus sibi vendicat ejus bona *c. eum secundum leges de hæreticis in 6.* hinc contrahentes cum hæreticis invalidè contrahunt. Permittit tamen Ecclesia ut bona hæreticorum ad manus perveniant Catholicorum per mutuos contractus, aliàs omninò peritura. In Germania verò hæretici non privantur dominio suorum bonorum, & Catholici validos cum iisdem contractus ineunt. Plura itidem prohibentur, quæ ob contrariam consuetudinem postea permittuntur.

7 Quæritur tertiò, an contrahentes possint se obligare ad pœnam subeundam. Pœna contractibus apposita dicitur, quæ à libera oritur contrahentium voluntate, non verò à magistratu invitis ipsis contrahentibus. Pacifcentes enim possunt convenire de subeunda pœna aliqua, si quid in fraudem fiat, vel propter moram, vel aliud simile; & videtur hæc pœna rationi consentanea, quia debitor peccat contra justitiam ultra tempus rem alienam retinens invito domino *l. stipulationum §. si fortem ff. de verb. obligation.* Pœna tamen conventionalis ante judicis sententiam non est necessariò subeunda, nisi aliter contrahentes pacti fuerint. Neq; ad alium finem imponitur hæc pœna nisi ad castigandam moram, & ut cunctantes cogantur ad satisfaciendum. Tum quia si ad pœnam legalem ante judicis sententiam nemo obligatur; non est cur contrahentes sint cogendi ante judicis sententiam ad subeundam pœnam proprio arbitrio sibi impositam: sic enim officio videntur fungi Magistratus, ac Principis Navarr. *c. 23. n. 67.* Onnate *disput. 8. sect. 6. num. 126.* Ut autem notat Suarez *de leg lib. 4. c. 5. num. 8.* id ex intentione contrahentium conjiciendum est, quia ex eorum voluntate dependet obligatio; & in dubio debet interpretari juxta consuetudinem. Sin verò in contractu apposita fuerit pœna excommunicationis, hæc neminem ligat: neque potest judex reum punire, neque declarare excommunicatum juxta constitutionem Pii V. in Reformatione tribunalis studiorum Cameræ: & meritò, quia potest contingere, ut qui contractum non servat, nonnisi venialiter peccet, ratione cujus nemo excommunicatur; & quia Ecclesiasticæ censuræ propter abusum vilescerent, ac flocci fierent, ut notat *Concil. Trident. sess. 25. c. 3. c. multi 2. quæst.* Hinc neque obligat pactum, ut debitor non solvens in termino convento detrudatur in carcerem *Auth. imò à debitore C. de act. & oblig.*

Quæritur quartò an Beneficiarius possit licitè 8 sine consensu sedis Apostolicæ locare redditus sui beneficii ultra triennium? Respondetur in beneficio duo esse distinguenda, nimirum jus percipiendi redditus, seu fructus beneficii; & ipsi redditus, seu fructus; qui se habent consecutivè ad tale jus, & sunt quid temporale distinctum ab ipso jure, quod propriè est beneficium Ecclesiasticum. Certum est, hoc jus non posse pretio temporali vendi, nec locari, id enim oleret simoniam. Quòd verò ad fructus attinet qui adnectuntur tali juri probabile mihi videtur, posse ultra triennium licitè locari, quia ut distincti à jure non comprehenduntur *in extravag. ambitiosæ de rebus Ecclesiasticis non alienandis.* ubi omnium bonorum Ecclesiasticorum locatio ultra triennium prohibetur fieri absque expresso consensu sedis Apostolicæ, seu inconsulto summo Pontifice; ratio desumitur ex proœmio ejusdem *Extravag. Ambitiosæ* generale enim est ex rubrica sub qua locatur lex, conjicere ejus interpretationem, ut notat *Glossa Ordin. in l. 1. V. Præterea C. ne liceat tertiò provocare.* At in proœmio *d. extravag.* est sermo de solis bonis Ecclesiæ, ut liquet ex illis verbis *immobilia, & mobilia pretiosa Deo dicata, ex quibus Ecclesiæ reguntur, & Ministri alimoniam vendicant*; ubi nec ullum verbum habetur de redditibus proprii beneficii. Neque obstat generalis prohibitio omnium rerum, & bonorum Ecclesiasticorum; quia per autonomasiam bona Ecclesiæ vocantur bona Ecclesiastica: & illa prohibitio est intelligenda juxta proœmium constitutionis, quæ est de rebus Deo dicatis. Notat tamen Barbosa de jure Ecclesiastico *lib. 3. cap. 30. num. 33.* spectata dispositione Concilii Trident. *sess. 25. c. 11. de Reform.* redditus Cancellariæ Episcopalis locari non posse, sed debere per proprios Episcopi ministros exerceri, & asserit ita censuisse sacram Congregationem sub die 26. Augusti 1592. ut nec etiam emolumenta tempore vacationis sedis Episcopalis provenientia ex jurisdictione, & sigillo, aut alio jure, nec ad Vicarium, nec ad capitulum spectare; sed esse futuro successori reservanda, si ad Episcopum aliàs sede non vacante pervenissent.

De-

Declaravit etiam sacra Congregatio, nec posse locari quartam funeralium.

9 Quæritur quintò, an donata Ecclesiæ, Monasterio, aut loco pio ea conditione, ut possint alienari absque solemnitatibus, & assensu Apostolico possint ita alienari juxta adjectam donationi conditionem? Plures negant, quia illa conditio, seu volitio testatoris tanquam illicita & contra sacros canones prohibentes res Ecclesiasticas alienari absque solemnitate, & consensu sedis Apostolicæ, non est servanda, ut ostendit Covarruvias *in c. tua n. 6. de testamentis* & ut desumitur *ex l. nemo post ff. de leg. 1.* haberi debet pro non adjecta: quia nemo potest facere, ut in dispositione sua leges non valeant; non enim subditus potest enervare, aut limitare leges superioris, ut ostendunt Glossa, & Panormitanus *in c. verùm de condit. apposit.* & Innocentius *in c. verò de foro competent.*

10 Præterea semel quòd Ecclesia acceptavit bona illa, translatum est dominium, & fiunt bona Ecclesiastica, in quorum propterea alienatione requiritur solemnitas requisita à jure in alienandis rebus Ecclesiasticis. Verùm contraria sententia est probabilis, quam propugnant plures cum Pyrrho Corrado *de dispens. lib. 9. c. 7. n. 14.* quia donans potest donare cum illa amplitudine, vel restrictione res suas, prout ipsi magis placuerit, cum habeat plenum dominium in easdem; proinde potest adjicere donationi quascunque conditiones, etiam cum res suas donat Ecclesiæ *c. verùm de condit. appos.* Est enim quisque propriæ rei optimus moderator, & arbiter *l. in re mandata C. mandati.* Hinc dispositio hominis facit cessare dispositionem legis *l. fin. C. de pactis. l. maritus C. de procuratoribus.* Imò addit Pyrrhus Corradus hanc sententiam esse consonam praxi; & se vidisse servari in praxi; bisque à se observatum, supplicationes super similibus alienationibus non fuisse Romæ receptas, tanquam super re non necessaria porrectas.

11 Quæritur sextò, an liceat pacisci cum moribundo, ut post mortem appareat alteri paciscenti, quem de proprio statu certiorem faciat? Comitolus hanc proponit quæstionem non de statu animæ; quem in altera vita habet; sed de statu ipsius paciscentis, qui scire cupiat, num ipse in gratia Dei sit, vel non: & respondet id non licere; eò quia nostrum non sit præscrutari, quæ Deus posuit in sua potestate, ut desumitur *ex c. 1. Actor.* Tum quia liberum non est animabus, defunctorum reverti in hunc mundum, & colloquia cum viventibus miscere. Tum quia licèt anima, quæ mortalitatem exuit, æterna sit beatitate donata, adhuc non habet claram notitiam eorum omnium, quæ apud nos fiunt: neque Deus illi revelat, quæ non interest nosse, ut explicat S. Augustinus *lib. de cura pro mortuis c. 13. & sequent.* & *lib. de anima. & spirit.* asserit, nihil se statuere certi posse, utrum mortuorum sint apparitiones, an verò angelorum, figuras assumentium defunctorum, ut notat Bellarminus *l. 2. de Purgat. c. 8.* Nulli tamen dubium, quin preces nostræ beatis animabus innotescant, sive sint Angeli, qui eas deferant, ut innuit S. Dionysius *de cælesti hierarchia c. 2.* sive eas videant in Verbo, ut asserit S. Gregorius *l. 12. Moral. c. 13.* cui adhæret S. Thomas *2. 2. q. 38. art. 4. ad 2.* ubi docet, beatos cognoscere in Verbo, quod eos decet, & ad ipsos pertinet, proinde cognoscere petitiones, ac preces, quæ ad ipsos diriguntur, sive voce, sive corde. Cæterùm non pauca leguntur exempla defunctorum, qui rogati vivis apparuerunt, ac eos plura in propriam utilitatem edocuerunt: siquidem hujusmodi apparitiones nobis viventibus, & illis mortalitate exutis plurimum possunt utilitatis adferre, sive in proprio, sive in alieno corpore animæ appareant defunctorum; si enim fuerint opis indigæ, Eleemosynis, suffragiis, jejuniis, aliisque bonis operibus juvari possunt: sin verò cœlesti sunt beatitate donatæ, honor exhibetur ab iis, quibus apparent. Cæterum cum non sit in potestate defuncti apparere viventibus; contractus initus non parit obligationem: nemo enim se obligat ad id quod non est sub ejus potestate.

Quæritur septimò, an Principes obligentur contractibus, quos cum suis ineunt subditis? 12
Respondetur etiam Principes obligari contractu, vel quasi contractu inito cum suis subditis; adeò ut salvâ justitiâ, & conscientia nequeant Principes reniti *cap. 1. de probat.* sicut per contractum subditus obligatur Principi; ita Princeps subdito; valet hic relativorum regula, quorum eadem dicitur esse ratio: quia Princeps non contrahit ut Princeps cum subdito; sed instar privati civis; adeò ut in contractu Princeps consideretur ut civis; proinde obligatur communi lege aliorum civium; alioquin non inveniret cum quo posset pacisci. Tum quia leges contractuum feruntur pro tota communitate, & singulos in ea afficiunt; & sicut caput in corpore; ita Princeps in communitate continetur, in qua justitiam administrat, bonumque publicum promovet.

Neque obstat, Principem in communitate leges sancire; quia jus quod Princeps in alterum statuit, eodem ipse utitur *l. 2. ff. l. 2.* in hoc enim summa æquitas est, & nullius indignatio. Hinc si contractus aliquis à jure irritatur, etiam respectu Principis est irritus *l. 23. ff. de Legatis 3.* Imò tenetur Princeps servare etiam pacta, & contractus sui Prædecessoris, ut etiam quilibet Prælatus si supponatur succedere universaliter in omnia bona, & jura sui prædecessoris *c. veniens de transact. c. 1. de Probat. c. is qui in jus succedit alterius de Regul. juris in 6.* 13

Neque obstat si dicas, *in c. fin. de rescript. in 6.* haberi, quòd nemo ligat suum successorem: fallit enim hæc regula in iis, quæ pertinent ad totius Reipublicæ bonum, nec arbitrariam, sed ex natura rei obligationem conjunctam habent, ut sunt pacta, conventiones, contractus juxta communes leges, & consuetudines locorum. Tum quia Princeps in primo sui muneris ingressu se obligat ad servanda hujusmodi pacta sui prædecessoris; proinde ne sit sibi contrarius, tenetur ea servare. Idque vel maximè valet de concessis à prædecessore ob benemerita accipientium; tunc enim concessio, vel donatio non potest revocari, ut fusè probat Menochius *consil. 1003. n. 64.* quia hujusmodi concessa transeunt in contractum onerosum, quod non admittit variationem, vel abrogationem, ut docent communiter Jurisperiti 14

periti *in c. 1. de probat. c. Abbate sanè de re judicata in 6.* Bald. *in l. digna vox C. de legibus.* Bartol. *in l. prohibere. §. planè ff. quod vi.* Decius *in c. 1. de probat.* Oldrad. *Consil 94.* Tum quia summus Pontifex servat contractus sui prædecessoris, ut in sacris Canonibus notatur *c. quia Joan. 12. quæst. 5. c. ult. 16. quæst. 6. c. litteris juncta Glossa de rescriptis c. accessorium cum similibus de Regul. Jur. in 6.*

15 Quæritur octavò, an dominus, & servus ex contractu invicem obligentur. Respondetur cum distinctione; si servus sit sub pleno, ac totali dominio sui Domini ratione præsertim emptionis, & venditionis, ut servus nullo pacto quoad bona temporalia sit sui juris, tunc Dominus paciscens cum tali servo non contrahit obligationem, quâ teneatur stare pacto *l. interpositas 13. C. de transact.* ubi Domini paciscentes cum suis servis dicuntur non obligari ex certo jure; cui consonat *l. cum affirmes C. de liberali causa* ubi cum Dominus accepta pecunia libertatem servo promisisset, neque fidem servâsset, cúmque accusaretur apud Prætorem Provinciæ, responsum ab illo fuit, esse persuadendum Domino ad id præstandum quod magis eidem placuerit, quæ verba merùm indicant consilium. *& l. post certi. C. eodem t.* id ipsum expressè dicitur: nam cum herus pactum cum ancilla inivisset post certi temporis ministerium eam liberam dimittendi; nec herus eam posteà dimisisset, mansit ancilla sub jure Domini, eo quia hic nullam habeat necessitatem obtemperandi pacto cum ancilla inito. Sin verò servitutis status non sit plenus, nec servus ratione venditionis sit sub jure Domini; sed tantùm ratione mercedis accipiendæ quot an s, ut inter Christianos, pauperes inserviunt constitutis in pinguiori fortuna; tunc Dominus, & servus ex contractu invicem obligantur, ut communiter sentiunt Jurisperiti, quià in hoc servitutis genere servus acquirit jus in mercedem, seu stipendium quod accipit à Domino ratione ministerii præstiti, & aliunde potest servus habere proprium peculium, vel laborando extraordinariè, vel ludendo, vel per donationem; & quisque potest pacisci de iis, quæ habet sub proprio jure, & in quæ habet dominium: unde herus ex contractu cum famulo suo naturaliter, ac in foro conscientiæ obligatur *l. solum 49 §. si initi ignorante V. nn debitor ff. de peculib.*

16 Quæritur nonò, an contractus initi à Pupillis, & Minoribus validi sint. Respondetur, contractus minorum annis 25. completis non esse omninò, & absolutè validos, si desit decretum judicis, & consensus Tutoris, aut Curatoris, quia propter infirmitatem ætatis, & pericula damnorum pro forma contractus valituri, jus instituit authoritatem judicis, & tutoris: adeò ut alterum sine altero non sufficiat, ut notat Abbas *in c. cùm nos. n. 5. de his quæ fiunt à Prælatis*, & Tuschus *conclus. 978. & V. minor. conclus. 252.* Tutor autem tunc dicitur authoritatem præstare, quando probat id, quod agitur, si modo quid agatur, intellexerit, ut desumitur *ex l. non multum ff. de authorit. & consensu Tutor.*

17 Cæterum contractus hujusmodi dicuntur non omninò validi, eò quia non excludatur totaliter validitas: siquidem rationi videtur consentaneum, ut quando Pupillus est proximus pubertati post annum decimum cum dimidio saltem quoad naturalem obligationem, validè contrahat, etiam sine consensu tutoris, ut desumitur *ex textu §. placuit institut. de author. tutor.* ubi habetur quod placuit Minorenni meliorem quidem suam conditionem facere etiam sine authoritate tutoris: ex quibus conjicitur, posse Pupillum in proprium commodum cum majore pacisci, & contrahere, ac obligari; adeò ut adigi possit ad servandum contractum, tametsi vicissim Pupillus non obligetur respectu majoris: hinc si Pupillus cum alio Pupillo contrahat, neuter ex dispositione juris obligatur servare contractum, quia jus voluit consulere securitati Pupillorum. Quapropter Pupillus, si ex contractu suo fuerit damnum passus, potest petere restitutionem in integrum, ut liquet ex *l. 1. & 2. ac tot. tit. C. si tutor. intervenerit. & l. 3. & 5. de in integ. restitut. l. 1. & sequent. ff. de minor. & ff. de in integ. restitut.* Rursus læsus censetur pupillus, quoties ita contraxit, ut nullam inde utilitatem acceperit, ut notat Tholosanus *lib. 12. c. 3. n. 19.* Si tamen major factus, seu expleto anno ætatis 25. contractum ratificaverit, tunc inducit obligationem, & contrahens tenetur stare contractui *l. 1. & 2. C si major factus.* ut etiam si in minore ætate ita contraxit, ut contractum juramento firmaverit *authent. sacramenta puberum r. si venditionem.* Gail. *lib. 2, obser. 65.* ut etiam si neglexerit terminum præscriptum, qui est annorum quatuor, post expletam minorem ætatem ut ostendit Wesenbechius *l. 4. ff. tit. 4. n. 3.*

Quæritur decimò, an secluso omni privilegio cæteris paribus in solutione alicujus debiti Creditor antiquior sit præferendus, adeò ut teneatur debitor satisfacere antiquiora debita, tametsi non supersit, unde satisfaciat posterioribus suis Creditoribus? Plures affirmant esse antiquiorem præferendum, adeò ut integrè solvendum sit Creditori, qui prior est tempore, tametsi nil residuum fuerit, quo debitor posterioribus valeat Creditoribus satisfacere, ut censent Valentia *tom. 3. disp. 5. q. 6 punct. 10.* Salonius *2. 2. q. 62. art. 1. in fin.* Probant ex eo, quia regula Bonifacii VIII. quæ est *54. de regul jur. in 6. qui prior est in tempore, potior est in jure*, proponitur generaliter absque ulla restrictione à summo Pontifice, cui potestas inest obligandi omnes Christianos. Tum quia pertinet ad summum Pontificem per leges canonicas jus civile corrigere, quando hoc non videtur bonis moribus consonum, nec prodesse animarum saluti. Tum quia hæc regula Bonifacii VIII. non solùm valet in restitutione facienda Creditoribus hypothecatis, verùm etiam in pluribus aliis, ut experimento deprehenditur: siquidem in Capitulis, & Congregationibus, qui tempore sunt antiquiores, & priùs fuerunt institutum religiosum professi, jus habent prælationis, quando cætera sunt paria in sedendo, ferendo suffragia, dicendo sententiam subscribendo. 17

Rursus qui priùs impetravit litteras Apostolicas præfertur, & prævalet posteriori. Qui 18

priùs

prius sponsalia contraxit cum aliqua præfertur alteri, si cum eadem etiam sponsalia postea contraxit, etiam jurata; docent enim communiter priora sponsalia posterioribus etiam juratis secundùm jura præferri. Qui priùs locavit operas alicujus præfertur locanti posteriùs. Et idem dicitur de emente priùs, quandò posteriori nondum facta est traditio rei venditæ. Tum quia quando contrahitur prius debitum, debitor est magis aptus, ac idoneus ad solvendum, quàm postea quando nova debita accesserint, quapropter primus Creditor non debet defraudari propter debita posteriora, cum quibus non est debitor in statu tam idoneo ad solvendum, & satisfaciendum suo creditori, sicut quando contraxit primùm debita. Secunda sententia: videtur etiam probabilis, ac rationi consentanea, ut opposita; & hanc docent plures præsertim Navarra *de restitut. lib. 4. cap. ult. dub. 5.* Layman. *lib. 3. tract. 2. c. 11.* Baunius *p. 3. lib. 4. c. 36. q. 5.* Reginaldus *tom. 1. lib. 10. num. 248.* Fagundez. *tom. 1. lib. 7. cap. 34. num. 2.* & alii plures, Lessius, Molina, Vasquez, qui nituntur, eò quia hæc præferentia antiquioris Creditoris ex nullo jure positivo canonico, vel civili probari possit: & asseruut, prædictam regulam Bonifacii VIII. tantùm esse intelligendam de debitis realibus, seu habentibus hypothecam, non verò de personalibus excludentibus hypothecam; & dicunt id colligi ex plerisque juribus, & præsertim ex *c. qui priores in pignore. l. privilegia ff. de privil. Creditor.* Tum quia ex præcisa antiquitate non sequitur major injuria, nec majus damnum absolutè loquendo.

20 Tum quia debitum posterius potest esse longè majus priore, adeò ut majus incommodum patiatur Creditor posterior, quàm antiquior. Tum quia licèt Creditor prior patiatur damnum ex majore duratione gravius, inde tantùm sequitur, quòd damna emergentia, si dentur, debeant priùs restitui antiquiori creditori; non verò sequitur jus prælationis, & præferentiæ in solutione debiti, seu capitalis. Verùm licèt hæc sententia non careat probabilitate; nihilominus adhærendum est primæ, quia regula Bonifacii VIII. est generalis absque ulla restrictione, & magis conformis juri naturæ: siquidem Creditor antiquior est prior in possessione juris, quo possit sibi satisfieri de bonis debitoris, quia habuit priùs tempore jus ad bona debitoris in ordine ad extinguendum debitum, & sibi satisfaciendum, unde bona debitoris, si priùs debebantur antiquiori creditori, & eadem bona non possint esse debita simul, & semel, & totaliter duobus, sequitur quòd posterior debitor, non acquirat jus in illa, hinc corruunt rationes, quibus nititur secunda sententia.

21 Quæritur undecimò, an cæteris paribus Creditor pauperior sit præferendus pauperi. D. Thomas *opusc. 73. c. 19.* & cum ipso plures Theologi asserunt, priùs esse solvendum creditori pauperi, quàm non pauperi; & inter pauperes, pauperiori, eò quia sit magis læsus per carentiam suorum bonorum; sicque magis indigus. Tum quia restitutio ordinatur ad vitandum damnum proximo illatum; atqui damnum est majus in paupere, quàm non paupere, & in pauperiore quàm paupere: ergo quando cætera sunt paria, Creditor pauper est præferendus non pauperi, & pauperior, pauperi. Tum quia priùs recedendum est à majori injuria, quàm à minori; & illa fit pauperi creditori respectu non pauperis, & pauperiori respectu pauperis. Hæc sententia licèt perquam probabilis sit, nihilominus plures contrariæ adhærent, inter quos Turrian. *in 2. 2. disp. 19. decal. 3.* Fagundez. *tom. 2. lib. 7. c. 34. n. 5.* Dicastillus *de justit. lib. 2. tract. 2. disput. 11. dub. 6. num. 68.* & nituntur, eò quia non sit ordo aliquis prælationis inter debita pauperi, & non pauperi, vel pauperi, & pauperiori, proinde sunt æquè omnibus creditoribus solvenda debita servata proportione geometrica, præsertim cùm nullo jure pauper creditor dicatur præferendus non pauperi, nec pauperior pauperi. Quòd si pauperior magis indigeat non ex justitia, sed virtute misericordiæ est præferendus, quia ex justitia cæteris paribus solutio non est minus debita diviti, quàm pauperi; nec est minùs debita pauperi, quàm pauperiori; neque in retentione debiti fit major injuria pauperi, quàm diviti; cùm uterque cæteris paribus habeat æquale jus ad solutionem. Hæc sententia probabilis est: excipitur tamen, si creditor pauper sit in extrema necessitate, vel quasi extrema, quia tunc præferendus est creditori non pauperi, quia tunc charitas obligat debitorem ad consulendum pauperi ex proprio, proinde multò magis ad solvendum quod eidem est debitum.

Quæritur duodecimò, quid consuetudo valeat in illis contractibus, de quibus dubitatur, an liciti sint, vel illiciti, justi, vel injusti. Et 22
respondent Doctores. Primò, consuetudinem injustam, secundùm quam contractus per se illicitus impunè exercetur, non excusare conscientiam à peccato, neque à pœna illi debita in judicio divino, ut notat Glossa *recens. in c. denique dist. 4.* Secundò eum, qui bona fide exercet contractum aliquem in sua regione usitatum, qui usuram olet; nec tamen ex forma talis apparet, sed dubii, & obscuri est juris à peccato excusari ob consuetudinem, ut docent Decius *cons. 170.* Bartol. *in l. quid si fugitivus §. apud Labeonem.* Hinc plures asserunt, censum licitum esse, in quo sex, vel octo pro centenario annuatim accipitur manente salvo capitali. Quia quoties injustitia horum contractuum non est manifesta tolerari potest, si quid in illis lateat inæqualitatis. Tum quia si nemine reclamante possunt quinque quot annis accipi pro centum, cur non etiam sex, vel septem, si lex in contrarium non statuat, & consuetudo loci sit talis; quia sicut in mercibus triplex constituitur pretium, altum, medium, & infimum, ità in censibus annuis videtur posse admitti majus, & minus juxta locorum consuetudines. Tertiò actus, & contractus non propterea censeri licitos, eò quia palàm, & publicè fiant, quasi consuetudo fit ipsa; quæ supplet justitiam; sed hanc tantùm efficere, ut quamdiu oppositum non constat, operans excusetur à peccato.

Cæterum consuetudo, quæcunque illa sit nunquam 23

quam derogat juri naturali, & divino *c. fin. de consuet.* nec veritati præjudicat. *c. veritate. c. qui contempta. c. frustra. c. si solus dist. 8.* Quamobrem est bona fides, vel ignorantia, quæ contrahentes excusat à peccato, quando de injustitia contractus non habetur certa notitia; sed à viris doctis, & peritis dubitatur, an talis contractus licitus sit, vel illicitus. Unde qui contra jus clarum operantur; minimè à peccato excusantur. Quartò eum peccare, qui dubitans practicè de justitia alicujus contractus licèt in se licitus sit, nihilominus illum exercet contra propriam conscientiam, quia ut ait Apostolus ad Rom. 14. *Omne, quod non est ex fide* (seu ex conscientia) *peccatum est.* ut explicat D. Thomas 1. 2. q. 19. art. 5. & desumitur ex *c. dominus de secund. nupt. c. inquisitioni de sent. excommun.* siquidem agere contra conscientiam practicè dubiam est se exponere manifesto periculo peccandi, & qui amat periculum, perit in illo. Quintò quando de justitia contractus ita dubitatur, ut utrinque sint opiniones diversæ, quas tamen propugnant plures authores probati, adeò ut utraque opinio verè probabilis sit, tunc licitum est alterutram sequi, dummodo operans verè operetur probabiliter *c. Capellanus de feriis.* Innocentius *in c. ne innitaris de constitut.*

§. IX.

De quasi Contractibus.

1 QUasi contractus plurimum habent affinitatis cum veris, ac perfectis contractibus, quibus sunt similes, & eorū conditionem, quantum res ipsa patitur, æmulantur; hinc definitur quasi contractus, obligatio, seu ratio, quâ quis obligatur alteri non ex aliquo contractu propriè dicto, sed ex officio, vel facto honesto; tametsi non interveniat expressa utriusque voluntas. Hinc sicut in contractu propriè sumpto datur consensus propriè dictus; ita in quasi contractu, quasi consensus: qua ratione, quasi contractus peraguntur etiam invitis quasi contrahentibus, ut in tutela, & negotiis gestis liquet, in quibus licèt à pupillo nil agatur, tamen præsumitur agere, seu assentiri tali actioni. Genera quasi contractuum plura sunt, sed præcipua octo, scilicet Mandatum, Negotia, Tutela, Cura, Acceptilatio, Communio rerum, hæreditatis aditæ, & debiti soluti.

2 Mandatum est gratuita susceptio aliquid exequendi, & quod alius formaliter, vel virtualiter illi injungit. Dicitur injungi virtualiter, quando quis scit, & patitur causam suam agitari ab eo, qui non habet mandatum, Calder. *cons. 106. in fin. V. imò plus.* Afflict. *decis. 308. n. 6.* quia eo ipso quod quis sciens, & patitur alium res suas agere, censetur illud approbare, ac virtualiter ei mandatum injungere. Cast. *cons. 1. §. iste verius lib. 1.* quod etiam extenditur in socio calculante, & administrante scientibus, ac patientibus aliis sociis, quia probatur mandatum, ut notat Alexander. *cons. 80. viso processu n. 9.* Debet mandatum esse gratuita susceptio, quia si conveniatur de mercede, tunc non sistitur ampliùs in puro mandato, sed actio transit in conductionem, vel locationem. Hinc patet discrimen inter mandatum, & negotium gestum, quia Gestator negotiorum is dicitur, qui in gratiam aliorum agit ipsis ignorantibus; secus mandatarius non nisi sciente mandante agit.

Cæterum mandatum non præsumitur nisi probetur, debet enim produci mandatum, alioquin judicium est nullum, qui enim vult agere pro tertio debet docere de mandato. *l. 1. in princ. ff. si pars hæred. pet.* Baldus *in l. cum servum*; ubi alii doctores *C. de ser. fugit.* unde qui dicit, habere mandatum, debet hoc probare *c. de procur. lib. 1. C. eodem.* idque procedit, tametsi in sententia dicatur, quòd fuit lata contra procuratorem; id enim debet probari, ut notat Abbas *cons. 7. coll. 2. n. 3. lib. 2.* imò nec sufficit, si Notarius dicat, se habuisse mandatum quoad præjudicium eorum, qui non interfuerunt. Alexander *cons. 6. ponderatis n. 5. & 6. V. nec obstat lib. 4.* Quinimo si Notarius scribat, quòd talis produxit mandatum sumin actis; adhuc non probat mandatum, nisi totus tenor sit registratus Alexander *cons. 6. n. 7. & 8. V. unde facit lib. 4.* ubi etiam addit, quòd tametsi totus tenor mandati esset insertus, & registratus, adhuc non probaret mandatum nisi quoad præsentes productioni, qui non opposuerunt, secus quoad alios. 3

Cæterum probatur mandatum inter præsentes contrahentes, quando Notarius inter eos asserit: *ut constat de mandato per me Notarium viso, & lecto, vel penes me dimisso.* Item quando producitur, registratur præsente parte; non ita quoad alios non præsentes Alexander *cons. 6. ponderatis n. 5. in fin. V. nec obstat lib. 4.* Potest tamen mandatum probari per scripturam, & per testes, ut notat Oldrad. *cons. 254. n. 24. vers. præterea ad illud*, idque etiam in mandato jurisdictionis, quia si non constet, fuisse factam scripturam, potest probari per testes Oldrad. *d. cons. 254. n. 24.* ubi videtur limitare, ut non procedat quando probatio mandati circa jurisdictionem fieret ad effectum, ut quis tanquam talis admitteretur; secus ad hoc, ut acta sustineantur. Cæterum regulare est, ut mandatum probari possit per testes, ut docent Canonistæ *in c. alia*, & fusè Barbat. *de procur.* Et Castrens. *cons. 42. lib. 2.* asserit, mandatum universitatis debere per testes probari hoc modo, quòd constituentes præsentes facerent majorem partem. Secundò, quòd de tali tempore, datum sit illud mandatum; tertiò debent deponere de facultate data ad illud negotium, alioquin non concluderent necessariò. 4

Mandatum nonnisi ad honesta, & licita dirigitur *l. Lucius §. pro infante ff. ad municipale.* unde si Mandatarius aliquid acceperit pro illicito, aut turpi opere, tenetur restituere, quòd si jam fuerit executus opus, potest sibi retinere. Cæterum damna primariò debet mandans compensare, & illo deficiente mandatarius. Mandatum quod potest referri ad licita, & illicita restringitur ad sola licita, Baldus *cons. 98.* quapropter mandatum alicui pro defensione amici præsumitur datum in casu defensionis licitæ, & cum moderamine inculpatæ tutelæ, Baldus. *cons. 98. in fin. V. item si probaretur mandatum lib. 1. & cons. 383. lib. 5.* qua ratione procurator 5

nun-

nunquam præsumitur accepisse mandatum ad committendum falsum, vel ad fraudem nectendam. Parisius. *cons. 51. num. 25.* Hinc procurator habens mandatum generale, & etiam speciale ad comparendum, & petendum debitum in bonis condemnati, & jurandum in omnibus, & per omnia juxta formam decreti Principis; si hujusmodi procurator falsum juret, propter quod principalis incideret in pœnam; non potest vigore talis mandati facere, ut dominus incidat in pœnam, Baldus *cons. 110. lib. 1. per totum.* quia juxta regulam generalem, quando actus potuit fieri sine pœna, & cum pœna, semper intelligitur, ut non incurratur pœna, Aretinus *cons. 15. attento, & diligenter. num. 24. & sequent.* quapropter nec mandatum ad capiendam possessionem sufficit ad spoliandum; adeò ut mandatum ad spoliandum non probetur ex mandato simpliciter dato ad capiendam possessionem rei, de qua quis se spoliatum asserit, quia generatim mandatum quantumcunque generale non extenditur ad illicita, quæ non sunt consona rationi, Oldrad. *cons. 330. n. 3. V. item generale mandatum.*

6 Rursus Mandatarius non debet se extendere ultra terminos mandati, propterea debet exactâ diligentiâ servare fines mandati *l. diligenter ff. mandat.* Felin. *in c. cum dilect. de rescript. cap. cùm olim de offic. delegat.* Quia à forma mandati non est recedendum, sive respiciat res, sive personas, sive locum, sive tempus: & generaliter non solùm tenetur servare fines circa mandatum, sed etiam circa omnes qualitates *c. cùm venissent*, ubi Baldus *de eo qui mittit in possess. c. Pisanis.* Est enim mandatum stricti juris, & in dubio non extenditur, sed restringitur: unde si Cajus instituat procuratorem in causa, quàm habet cum Titio, Procurator non debet cum alio agere. Quia Mandatarius non potest se extendere ultra limites sui mandati. Unde mandans percussionem tantùm, non censetur reus homicidii à Mandatario facti, neque plectendus est illius pœnâ, sed minore *l. diligenter ff. mandati.* & generaliter, quæcunque fiunt contra mandatum habentur irrita.

7 Cæterum mandati fines non sunt servandi circa ordinem datum, quando ordo juris est contrarius, quia sufficit servare ordinem juris, maximè in mandato judicis, ut notat Calder. *cons. 23. si mandatur in fin. V. non obstat*, quod ampliat in mandato dato ad confirmandam electionem canonicè factam; quia licèt tempore electionis electus esset inhabilis; sicque non esset canonicè facta; si tamen tempore confirmationis fuerat dispensatio obtenta, potest confirmari; quia mandatum intelligitur de electione valida tempore executionis mandati; proinde tempore confirmationis, ut asserit Calder. *cons. 47. & est r. de elect.* Gasparis Calder. cui tamen opponitur Joannes Calderinus in *cons. 47. in fin. V. in contrarium*, eò quia initium debeat attendi, ubi plura producit exempla.

8 Rursus mandatum non solùm comprehendit id, quod principaliter in eo est expressum, sed etiam accessorium, ac dependens ab expresso *l. pupillo §. si procurator ff. de nov. oper. nuntiat.* ut notat Cast. *in l. maritus C. de procurat.* quapropter habens mandatum ad unum, censetur etiam illud habere ad omnia, sine quibus mandatum illud effici non potest, vel quod venit in consequentiam. Abbas *cons. 62. coll. 3. in princ. V pro hoc lib. 2.* hinc procedit etiam in his, quæ expressè mandari non possunt, quia si veniunt in necessariam consequentiam, ut quia res mandata non potest perfici, mandatum etiam extenditur ad ista, quæ expressè mandari non possunt; ut mandatum datum ad bellum; quia bellum sine pecunia, gentibus armatis, & victualibus fieri non potest, censetur datum mandatum ad imponenda onera, collectas, subsidia pro bello, & ad accipiendum pecunias, & alia necessaria, quæ expressè mandari non possunt, ut ostendit Baldus *cons. 379. num. 5. V. secundo modo lib. 3.* mandatum tamen ad certas causas, ut ad civiles, criminales non extenditur ad causam usurarum, quæ est spiritualis, seu annexa spirituali, ut communiter docent, cum Lap. *alleg. 71. num. 4. & 5.* Quinimo mandatum ad causas Ecclesiasticas tametsi comprehendat causas spirituales, & alias eidem annexas, quæ sunt ecclesiasticæ; non tamen comprehendit causas merè spirituales, ut est causa fidei, sacramentorum, & similium, ut notat Lap. *d. allegat. 71. n. 5. V. puto tamen.* Nec mandatum ad omnes causas criminales se extendit ad causam criminis civiliter intentatam, quia propriè non est criminalis. Lap. *d. allegat. 71. n. 8. V. item quod in eo.* Imò mandatum ad omnes causas criminales, & civiles cum clausula, *& ad omnes alias causas*, adhuc causam spiritualem non comprehendit, eò quia hæc sit longè major. *arg. clem. non potest de procurator.* Lap. *allegat. 71. n. 8. V. item si in mandato.*

Procurator ad negotia is dicitur, qui instrumentum accipit à mandante, est enim & ipse procurator mandatarius ad aliquid agendum loco, & nomine ipsius in, vel extra judicium, adeò ut Procurator actiones directè, & principaliter non sibi, sed mandanti acquirat, & tenetur reddere rationem sui officii, ac tradere domino omnia jura acquisita, *l. qui proprio §. Procurator ff. de procurat.* Procurator tamen laxiùs sumptus, comprehendit etiam Nuntium, & Chandatarium, & Procuratorem Bald. *cons. 353. ne Procurator n. 2. V. porro nomen. lib. 3.* unde Procurator Cæsaris dicitur idem cum Comite rerum privatarum, ideòque dicitur comes rerum privatarum Cæsaris, ut notat Bart. *in l. si quando in princ. C. de bon. vacan lib. 10.* ubi ait quòd in provincia qualibet, ubi Princeps habet res privatas solet esse Procurator privatus, vel Comes rerum privatarum, Jason. *in l. Procurator C. de edend. in princ.* 9

Rursus Procurator Cæsaris in Provincia est judex inter fiscum, & privatum; non verò inter privatos: & ubi non est Procurator, judex Provinciæ est judex; quo pacto ait Bartol. *in l. fin. num. 2. C. de bon. vacan. lib. 10.* in jure leges variè consuevisse loqui de hac re. Procurator ad negotia debet esse major annis 17. *c. qui generaliter §. fin. de procur in 6.* sed ad judicia debet esse major annis 25. *d. c. qui generaliter §. fin. de procur. in 6.* Verùm circa hoc standum est etiam 10

etiam consuetudini locorum, quia Florentiæ, & plerisque aliis in locis, ubi ætas major annis octodecim habetur pro legitima ætate in omnibus, prout ætas viginti quinque annorum de jure communi, ut in rubric. *115. lib. 2. tit. de atat. legit.* quod statutum est validum, Cornel. *cons. 108. lib. 3.* potest esse Procurator ad judicia major annis octodecim. Item potest esse Procurator Paterfamilias ætatis legitimæ tam ad negotia, quàm judicia, ut etiam filiusfamilias, etiam sine Patris consensu *d. cap. qui generaliter §. fin. extra de procur. in 6.* Non tamen potest esse servus ad impetrandum rescriptum; si tamen non fuerit oppositum valet rescriptum impetratum Oldrad. *cons. 317. in princ.* Nec Monachus: si tamen fuerit admissus valent gesta, Feder. de Sen. *cons. 104. num. 3. & 4.* Nec Clericus in causa laici coram sæculari; si tamen non fuerit oppositum valent gesta Feder. de Sen. *cons. 270.* Nec mulier potest esse procuratrix: sed si fuerit admissa valent gesta Oldrad. *cons. 130. num. 8.* quoad judicia tamen communior sententia est, non posse mulierem esse procuratricem, quia mulier non potest suscipere alienam defensionem in judicio pro alio agendo, imò neque excipiendo, si opponatur, Signor. *cons. 129. num. 3.* hinc nec pro marito potest suscipere mandatum ad judicia, nec alium substituere habilem parte opponente; & sententia lata est nulla. Miles nec potest esse procurator: si tamen admissus fuerit, gesta valent per eundem Oldrad. *cons. 130. num. 8.* Damnatus, vel confessus in publico judicio nec potest esse Procurator, Bald. *cons. 281. judex formavit. n. 6. lib. 2. V. item publico judicio.* Infamis quamvis non possit esse in judicio procurator potest tamen in contractibus, Cast. *cons. 32. num. 3. V. quantum ad secundum lib. 3.* is tamen, qui constituit procuratorem infamem, non potest ipse allegare hanc inhabilitatem; sed is, contra quem instituitur Cast. *cons. 32. n. 3. lib. 2.*

11 Mandatarius regulariter non tenetur nisi de dolo, & culpa lata, quia ordinariè mandatum fit in gratiam solius mandantis: sin verò fuerit in commodum utriusque tenetur etiam de levi. Mandans vicissim tenetur Mandatario de casu fortuito, quem prævidere potuit *l. Nesennius. ff. de negot. gest.* & si quid damni passus est mandatarius compensabit *l. heredem 14. l. si mandassem 15. ff. mandatur.* Cæterum mandatum Procuratori ad lites datum post litem inchoatam, vel judicium cæptum non licet ampliùs revocare mandanti *l. si procuratorem ff. mandanti.* ante inchoatam litem liberum est mutare, & revocare, nisi quis de non revocando jurâsset: valida enim licèt vitiosa erit actio. Quinimò etiam post mortem mandantis durare potest mandatum, si in gratiam mandatarii datum sit mandatum; si ejusmodi sit, ut post mandantis mortem compleri debeat, si detur gratiâ, & favore dantis; vel gratiâ libertatis; vel causâ liberandi debitorem; vel gratiâ religionis, & fidei, ut etiam si à Papa alicui delegata sit potestas; quo pacto potestas legati à latere durat etiam mortuo Pontifice, ut etiam si sub nomine dignitatis alicui potestas delegata est, Vel etiam si Princeps dicat, se mandare jurisdictionem donec eam revocaverit. Vel etiam in gratiam causæ piæ. Expirat verò mandatum per revocationem mandantis re integra, seu nondum inchoato negotio §. *rectè instit. de mandat.* etiam cum detrimento non maximo mandatarii, Guttieres *lib. 3 quæst. 11. num. 24.* Si mandatarius re adhuc integra tempestivè renunciet, ut res per alium expediri possit *institut. eod. & l. si mandavero. ff. eod.* Rursus morte mandantis *l. mandatum. C. man.* Oldrad. *cons. 130. omni prolixitate num. 3. V. si enim nova potestas.* idque absque alia intimatione, quia mors omnia solvit, & hæres non obligatur, quia non potest mandatum principiare in mortuo, Castren. *cons. 104. visis num. 2. V. secunda ratio.* Requiritur tamen notificatio, ne possit exigere & liberare solventes: mandatum siquidem perinde finitur morte mandantis, sicut societas finitur morte socii, & non requiritur notificatio, neque scientia, ut cesset mandatum, & societas: quia per mortem cessant omnes effectus uno excepto, scilicet quò ignorans relevatur indemnis, Alexander *cons. 60. in causa, & lite, in princ. lib. 7.*

Idque extenditur tametsi mandatum sit ad judicialia, quia re integra morte mandantis mandatum extinguitur Jas. *in l. ejus qui in Provincia §. si placebat. in princ. ff. si cert. petatur.* Ratio est, quia resoluto jure datoris in totum, resolvitur jus acceptoris: quia res devenit ad eum casum, à quo incipere non potest, ut notat Ægidius *cons. 12. num. 10. & sequent.* Procedit etiam in mandato ad donandum causa remunerationis; quia licèt remuneratio sit favorabilis, mandatum tamen extinguitur re integra morte mandantis Jason *l. ejus, qui in Provincia §. placebat in princ. ff. si cert. petat.* Multò magis revocatur mandatum datum respectu tituli beneficialis per mortem beneficiati, Romanus *cons. 374. in fin.* Sin autem mandatarius ignorata morte mandantis rem fuerit executus, succurritur ei ex æquitate, ut actionem mandati habeat, ne damnum sentiat ex justa, & probabili ignorantia *l. inter causas ff. mandati.* 12

Mandati actio, alia est directa, contraria alia, directam habet mandans contra mandatarium, qui mandatum recepit, & non complevit, vel cum dolo, culpa, aut damno mandantis executus est mandatum: vel denique mandati fines est egressus *l. si Procuratorem §. mandati act. ff. mandati.* Actio contraria convenit mandatario, ejusque hæredibus contra mandantem; quando peractis ut oportebat, negotiis, jus habet petendi impensas, quas necessariò, vel utiliter fecit propter mandantem *l. diligenter l. idemque ff. mandati.* & eadem actio datur etiam Procuratoribus, & Fidejussoribus § *si quid autem ff. de fidejuss.* ut etiâ promittenti pro alio animo novandi, ut notat Kling. *l. 3. instit. tit. de mandat.* Cùm intersit Reipublicæ, ne suscepti labores debita frustrentur mercede; ideò si mandatarius sua executus fuerit negotia, & mandata, dignus est remuneratione. 13

Secun-

14 Secunda species quasi contractus est negotiorum gestorum, cùm enim pertineat ad rempublicam, ut bona absentium conserventur, ideò lege statutum est, ut qui id fecisset domino teneretur, & hic vicissim illi. Hinc hæc secunda species quasi contractus nullum exigit mandatum, sed sufficit, si negotia utiliter gesta fuerint, idque quatuor modis potest fieri. Primò cura, & officio, ut in Tutore, Curatore, Procuratore, aliisque similibus contingit. Secundò re ipsa, quando in utilitatē alterius aliquid impenditur, tametsi ejus intuitu non sit factum. Tertiò per ratihabitionem, quando quod unus nomine alterius egit, id ratum habet, & nisi ratum haberet, nihil ad eum pertineret. Quartò per ipsam actionem negotii gesti, ut si quis creditori alterius solvat eo absente, vel ignorante. Hinc obligatio oritur in gerente ad reddendam rationem eorum, quæ gessit, & solvendum, si quid à se derivatum est; & in alio cujus gratia actum est, consurgit actio directa ad exigenda ea omnia, quæ sui causa sunt præstita. Cæterùm negotiorum gestor, si solius absentis bonum intendat, non tenetur nisi de dolo, & lata culpa *l. si negotium § de negotiis gestis.* Sed de levi etiam quando utriusque utilitas intenditur, ut in Procuratoribus, administratoribus, & aliis, qui res aliorum stipendio conducti administrant. Non ita negotiorum gestor tenetur de casu fortuito *l. si negotium ff. de negot. gest.* nisi fortassis dominus monuisset, ne ageret negotium. Cæterum obligatur satisfacere domino ex mora culpabili, ratione cujus res æquo diutiùs apud gestorem mansit, & propterea periit. Vel si causam dedit, ut periret. Vel si insueto modo aggressus est negotium, & inde damnum grave dominus est passus; vel si inchoaverit, & non compleverit negotium cum damno alterius; in his enim casibus negotiorum gestor tenetur satisfacere domino. Econtra hic tenetur ad expensas nisi præcesserit monitio, & ad satisfaciendum negotiorum gestori, si ritè suum munus obierit.

15 Rursus in negotiis gestis duplex oritur actio, directa una, quæ convenit domino contra gestorem negotiorum ad exigendam rationem omnium, quæ gessit. Altera contraria competens gestori ad exigendam mercedem à Domino, & expensas, & utraque actio est personalis, ut liquet ex *l. pen. C. de negot. gestor.* & transit utrinque ad hæredes *l. 3. §. hac autem. ff. eod.* Quando verò negotiorum gestor habuit mandatum ab uno ad gerenda negotia; & gessit negotium spectans ad plures, censens ad solum mandantem spectare, reverà obligatur soli mandanti, cui si solvat, liberatur: sin verò gessit negotia communia sine mandato credens spectare in totum uni, eidem solvendo non liberatur, sed tenetur actione negotiorum versus omnes, ut distinguit Angelus *cons. 322. circa fin. V. quid ergo juris.* Siquidem quando gestor mandato unius gerit negotia communia nomine mandantis solùm obligatur domino, tametsi ignoraverit negotium ad alium, quàm ad mandantem, spectare Bald. *cons. 449. in princ.*

16 Tutela jure antiquo est officium virile duntaxat, & non muliebre *ff. de tutela. l. tutela.* proinde mulier jure antiquo non erat tutrix, nisi ex rescripto Principis obtinuisset, & consuetudo erat, ut daretur matri ex rescripto, si non extabant legitimi, ipsis verò extantibus, præferebantur, & erant tutores ipso jure Cast. *cons. 6. supponitur n. 7.* quòd propterea licèt mater excluderetur à successione filiorum, non petito tutore intra annum, intelligebatur, si non extabant legitimi, qui ipso jure erant tutores. Jure tamen novissimo mater si velit præfertur cæteris, & est tutrix. Est autem tutela quasi tuitio pupilli, & cùm sit res favorabilis latè interpretatur. *l. si quis ita in principio, & §. 1. & 2. de testament.* Hinc tutores dicuntur, qui pupillum, vel pupillam post mortem patris tuentur. Et tutela est jus, seu potestas in capite libero ad tuendum eum, qui per ætatem spontè se tueri non potest, proinde jure civili est data, aut permissa *§. est autem instit. de tutela.* Qui verò curam alicujus minoris gerit à Prætore datus vocatur Curator: quia verò tutela pubertate adepta in maribus anno quarto decimo, in fœminis duodecimo completo finitur; ideò curatori subduntur usque ad annum vigesimum quintum. Multiplex est tutela; alia dicitur testamentaria, qua existente cessat legitima, & illa deficiente succedit legitima tutela, scilicet agnatorum, qua cessante est locus dativo tutori, qui si excludatur, vel removeatur nunquā tutela revertitur ad primas duas: quia quamdiu sunt reliquiæ dativi tutoris, quæ nunquam desunt, semper datur dativus, ut ostendit Oldrad. *cons. 224. in fin. n. 42. V. præterea.* Quando enim agitur de subrogando tutore in locum deficientis, nunquam tutor dativus datur, nisi defecerint omnes legitimi, Angelus *cons. 92. super primo.* Limitatur tamen quia stante testamento unà cum matre, si mater vult transire ad secundas nuptias, potest petere dari alium contutorem testamentario, si alius non est per se sufficiens. Bald. *cons. 489. punctum quæstionis lib. 4.* valet enim datio tutoris à matre volente transire ad secundas nuptias, etiam sine inquisitione Bartolus *cons. 145. factum si sic se habet in 1 dub. lib. 1.* Et quod dicitur de prima petitione facta per matrem, procedit etiam in secunda, si petitus, & datus moriatur, vel desinat esse tutor, tunc enim judex dat alium à matre petitum.

17 Rursus aliæ dicuntur tutelæ jussæ, quæ deferuntur jure agnationis, vel cognationis, & in istis, qui prior est gradu, perinde ac in hæreditatis successione potior est jure. Aliæ dicuntur tutelæ permissæ, & non jussæ, ut sunt tutelæ matris, & aviæ, quia istæ non jubentur, sed permittuntur esse tutrices; legitimi tutores ascendentes jussi, ut sunt Pater, & avus non habentes in potestate non excludunt permissos. Permissæ autem tutrices excludunt tutores jussos transversales, ut ostendit Baldus *cons. 224. V. sed salva reverentia.* quod tamen intelligitur nisi adsit suspicio; licèt non sint jussi, & permissi tutores; nihilominus decretum administrationis facit eos esse dativos, quia judex potest eis denegare tutelam ex causis, ut notat Baldus *cons. 481.* Tutela permissa, qualis est illa aviæ, & matris appellatur etiam voluntaria, & subinde anomala, & quan-

doque legitima dispensativa, Bald. *cons. 224. n. 2. V. nec obstat ratio. lib. 1.* Clerici tametsi ab intestato succedant, non tamen ad tutelam adiguntur, licet possint admittere tutelam legitimam, & dativam *c. fin. dist. 76. c. Cyprianus 21. q. 3.* ut etiam Monachi de superiorum licentia *c. Monachi 2. 16. q. 1.* Pauperum, ac personarum miserabilium tutelam tenentur omnes suscipere *c. 1. dist. 87.* imò ad id compelli possunt clerici per judicem Ecclesiasticum, ut notat Barbat. in *c. Cyprianus 21. q. 2.*

18 Officium, & obligatio tutoris est pupillos à criminibus arcere, resque illorum ab injuria conservare; pecuniam, & alia mobilia, quæ conservata fructum non ferunt in prædia convertere, ex quibus emolumentum habeant, alioquin tenetur præstare pupillo damnum; quod ex carentia fructuum emergit, nisi impotentia, vel difficultas excuset. Tenetur etiam tutor inventarium conficere de rebus omnibus pupilli, ut desumitur ex *l. tutor. qui repertorium ff. de admiss. tutel.* Hæc eadem obligatio est etiam in curatore, à qua tamen liberari potest à judice, vel consuetudine, ut notat Mynsinger. *centur 6. observat. 39.* Mater & alii obligati petere tutorem pupillo, tenentur illum petere intra annum Bald. *cons. 140. viso testamento Henerici circa fin. V. tunc igitur apparet lib. 1.* quidquid dicat Bartol. quòd petitio debeat fieri cum primùm poterit, quia consuetudo est, ut petatur intra annum; adeò ut si filius moriatur intra annum, non posit imputari aliquid matri, nec substitutis, quòd non petierint, quia omnibus conceditur annus, & quamdiu durat tempus, non incurritur pœna. Cæterùm mater privatur hæreditate filii decedentis, si post lapsum annum neglexerit tutorem petere, ut notat Bald. *cons. 65. proponitur quod potius l. 1. in princ.* Et licet sint opiniones, quod debeat petere tutorem cùm primùm potest, id intelligitur intra quinquaginta dies. Cæterùm communior sententia est de perseverantia in negligentia per annum integrum, quapropter si intra annum filius decedat, non intrat privatio hæreditatis. Finitur tutela anno decimo quarto completo, Oldrad. *cons. 53. in princ.* ubi quærens an Rex possit administrare completo anno ætatis decimo quarto, vel teneatur subesse Curatori, videtur concludere, debere subesse curatori; usque ad annum ætatis vigesimum, eò quia judicium pueri sit periculosum.

19 Hinc tutela matris finitur, quando filii compleverunt annum ætatis decimum quartum, licèt data sit tutrix cum solemnitatibus, & decreto; adeò ut post illam ætatem nil ampliùs agere debeat in damnum, vel utilitatem filiorum, nisi quatenus isti ratificaverunt, ut notat Angelus de Perusio *cons. 50. testator quidem n. 2.* Imò id procedit tametsi relicta esset curatrix in testamento Patris filiorum; quia nisi habuerit à judice administrationem, & hæc fuerit data solemniter, non habet potestatem administrandi, ut notat Angelus *d. cons. 50. quasi per totum.* Cæterùm tutores alii dicuntur testamentarii, qui tales sunt ex vi testamenti. Alii legitimi ad quos ratione consanguinitatis pertinet tutela; alii sunt dativi simpliciter, & alii dativi ex inquisitione, qui non tenentur satisdare; etiam si aliàs essent legitimi, Aret. *cons. 36. videtur quod. n. 9. & sequent. V. sed tamen his non obstantibus.* ubi ait, quòd licet dativi teneantur satisdare, non ita dativi ex inquisitione. Alii dicuntur honorarii, qui honoris causâ dantur pupillis *l. quod si fortè*, & ibi Glossa *in V. honorarii ff. de solut.* & hi tutores honorarii tenentur pupillum defendere, ne injustè vexetur, ut ostendit Bartol. *ibid. n. 2. V. quaro, qui sint isti.* Alii aliis donantur nominibus; sed res est parvi momenti.

Acceptilatio licèt propriè non sit contractus eò quia obligationem potiùs solvat, quàm pariat; ac propterea distractus potiùs appellari deberet, quàm quasi contractus; nihilominus quia acceptilatio non fit nisi accedente utriusque partis consensu, ideò inter quasi contractus recensetur. Est enim acceptilatio solutio obligationis ex mutuo partium consensu: si enim debitor creditorem suum interroget, acceptumne, seu solutum habeat debitum, aut remittere velit? si creditor respondeat, se acceptum habere, seu remittere, tunc extinguitur debitum, & cessat ejus obligatio, quapropter ad acceptilationem requiritur utrinque consensus, ratione cujus recensetur inter quasi contractus: cæterùm quia per acceptilationem præcedens obligatio destruitur; ideò ab aliquibus distractus, non contractus vocatur. Est autem acceptilatio duplex, alia simplex, & alia vestita præcedente stipulatione aquiliana, ut desumitur ex *l. 2. §. h t.* & *l. ut responsum 15. C. eod.* Acceptilatio simplex fit per simplicem acceptationem, ut si lis sit inter Titium, & Cajum de centum aureis debitis, quos Titius petit à Cajo; tunc si Cajus interroget Titium Actorem, an de centum petitis accepto ferat 50. & alia 50. ipsi solvat? & Titius Actor respondeat, se 50. accepto ferre, si reliqua 50. solverit, hæc dicitur simplex acceptilatio, ratione cujus extinguitur obligatio solvendi centum aureos. 20

Alia acceptilatio præsupponit stipulationem aquilianam, cujus author fuit Gallus Aquilius, ut notat Mynsing. *V. à Gallo instit.* & hæc locum habet in aliis obligationibus, quæ ex contractibus juris gentium originem trahunt, nec tolli ullis verbis possunt, quando contractus re, aut consensu sunt completi, quapropter obligationes inde ortæ transferendæ sunt per stipulationem aquilianam, ut inde acceptilatio fiat. Titius debet Cajo mille aureos ex mutuo, & tantundem ex emptione, Cajus Titium interrogat, an ipsi promittat ex causa stipulationis omne id, ad quod ipsi ex quacunque alia causa est obligatus? si Titius promittat omnes prædictæ obligationes transfusæ sunt in stipulationem, nec censentur ampliùs re, aut consensu contractæ, sed duntaxat verbis. Rursus si Titius debitor interrogat Cajum creditorem, an habeat acceptum, quod hodie per aquilianam stipulationem promisit, & respondeat, quòd acceptum habeat, tollitur obligatio. Quamobrem effectus acceptilationis sunt extinguere obligationem, Bartol. in *l. si marito ff. solut. matrim.* vim pacti inducere de non petendo *l. cùm emptor ff. de rescindendo vendit.* sapere donationem, nisi fiat à Procuratore non habente speciale mandatum. Bart. in *l. an* 21

l. an inutilis ff. de acceptilat. Tollere actionem realem, personalem, & mixtam, *l. ut responsum. C. ut transact.* Trahere secum executionem, quia eo ipso, quòd acceptilatio perficitur, secum trahit executionem, & obligationem extinguit Bart in *l. metum. ff. quod metus causa.*

22 Communio rerum, seu quasi societas recensetur itidem inter quasi contractus ratione obligationis communis in rem aliquam: si enim Titius, & Cajus rem aliquam communem habeant, ut sibi testamento relictam, vel alio titulo acquisitam, & res sit talis, ut fructus pariat, cujusmodi sunt prædia, tunc si Titius fructus colligat, tenetur dimidiam partem eorundem dare Cajo, non quidem ex aliquo contractu præcedente, cùm nullus supponatur præcessisse, sed ratione juris, quod uterque habet æquale in prædium illud, quod commune est utrique: unde ratione hujus communionis, & obligationis dandi dimidiam partem fructuum alteri, recensetur inter quasi contractus etiam ipsa rerum communio: pari ratione si Titius ad excolendum prædium necessarias impensas fecerit, Cajus tenetur ad dimidiam partem earundem, sicut habet jus ad dimidiam partem fructuum ex tali cultura provenientium.

23 Hæres itidem ratione obligationis ortæ ex testamento, & hæreditate comprehenditur inter quasi contractus ob aditam hæreditatem, cùm enim acceptando hæreditatem se obliget ad satisfaciendum voluntati testatoris expresæ in testamento, licèt nullum contractum iniverit cum testatore; neque possit cum defuncto negotium agere, ideò ratione hæreditatis aditæ, quasi ex contractu obligatur ad executionem eorum, quæ testator expressit in suo testamento: unde hic quasi contractus oritur ex ipsa hæreditate adita, quia hæres adeundo hæreditatem, quasi contrahere videtur *l. apud Julianum §. fin. ff. quibus ex causis in possess.* hinc petitio hæreditatis est ex quasi contractu: cum is non contraxerit, qui possidet pro hærede, vel pro Possessore, nec deliquerit, sequitur, talem petitionem esse quasi ex contractu.

24 Indebitum solutum etiam recensetur inter quasi contractus: siquidem ille, cui alius per errorem solvit centum aureos, qui illi non erant debiti, quasi ex contractu videtur debere alteri, à quo accipit illos centum aureos, & quia propriè non est obligatus ex contractu, ideò dicitur obligatus quasi ex contractu, quia eò ipso quòd solvit, contrahere videtur *ff. de condict. l. si in area.* qui enim centum indebitos aureos accepit, obligatur ad restitutionem, quia æquum non est, quemquam locupletari cum alterius damno, & jactura *l. nam hoc natura ff. de condit. indeb.* quia sic læsus conditione indebiti repetere potest, quod ignoranter solvit, & non solvisset, si illi innotuisset indebitum, ut notat Filliucius *tract. 39. c. 10. circa fin.*

25 Si quæras, quot modis contractus, vel quasi contractus desinat obligare. Respondetur primò per remissionem, seu condonationem creditoris *l. prout quisque ff. de solut.* Secundò per exhibitionem, ac solutionem illius, quod debetur, quia tunc satisfit creditori, & extinguitur obligatio *§. 1. instit. quib. mod. toll. oblig.* Tertiò per fortunam, aut casum, quo debitorum voluntas, & potentia retardatur *l. si ex legat. ff. de verb. oblig.* Cæterùm solutio dupliciter sumitur, laxè pro quacunque liberatione ab obligatione, quocunque modo fiat *l. solutiönis verbum ff. h. t.* & specialiter, seu pro naturali præstatione illius, quod debetur. *l. 49. & l. pen. ff. eod.* Debitor etiam sumitur dupliciter, laxè pro illo, qui quocunque modo contraxit obligationem satisfaciendi alteri; adeò ut Fidejussor, hæres, & qui spontè suscepit obligationem, dicatur debitor *l. fin. §. si verò ff. de jur. & liber.* Et strictè estque ille, qui ab alio accepit rem, quam tenetur eidem restituere. Quævis solutio sive fiat à fidejussore, sive ab hærede, aut alio, tollit obligationem etiam inscio, vel invito proprio debitore: quia jus civile tunc solvit debitum; & beneficium invito conferri potest, non obstante *regula juris ff. l. invito beneficium non datur.* quia ut explicat Decius, hæc regula tantùm valet quando agitur de solo interesse illius, cui beneficium confertur, non verò cùm agitur etiam de interesse alterius privato, aut publico.

Rursus solutio alteri facta tollit obligationem 26
debitoris. Primò si Creditor mandaverit debitori, ut solvat debitum alteri, & postea mandatum revocaverit: si enim debitor ante notitiam revocationis rem tradiderit, liberatur ab obligatione, tametsi res tradita casu perierit *l. si verò Procuratori ff. eod.* Secundò quando res in individuo determinata debetur alteri, ut hæc specialis vestis, & consignatur Nuntio, ut illam deferat creditori; sive is à creditore fuerit designatus, sive non; dummodo in ea tradenda non intervenerit culpa debitoris, vestis censetur perire creditori, & debitor solvi ab obligatione, nisi fortassis etiam de culpa levi, & casu fortuito promisisset compensationem damni. Tertiò censetur etiam perire creditori res, quæ determinata illi, quem ipse designavit tradita, antequam deferretur, periit, censetur enim tunc tradita creditori. *l. solutam ff. de solut.* Contrarium tamen accidit, cùm non species rei, sed quantitas debetur. *c. unic. de commodat.* Solutio fieri debet tempore præfixo absque alia monitione *l. magnam C. de contrahen. & committ. stipul.* Transacto illo tempore, & neglecta solutione debitor tenetur ad compensanda damna, imò etiam ad pœnam, si quæ apposita fuit, nisi in jure concedatur purgatio moræ, ut in Emphyteusi Ecclesiastica, si pensio non solvatur intra biennium, cùm aliàs singulis annis certo tempore præstanda esset: Ecclesia enim mitiùs agit, & minus est prona in pœnas, quàm magistratus sæcularis. Solutioni affinis est acceptilatio, per quam etiam extinguitur debitum, ut etiam novatio, per quam obligatione priore extincta nova constituitur *l. 1. §. novatio. ff. eod.* ut si quod quis debet ex contractu emptionis mutetur in stipulationem: quo pacto omnis obligatio potest verbis novari, etiam ea, quæ jure gentium introducta est, & per hoc differt novatio ab acceptilatione, quia hæc tantùm civiles tollit obligationes. Novatio rursus alia dicitur voluntaria, quæ fit extra judicium, & alia necessaria, quæ fit

in

in judicio per litis contestationem ; & minus propriè est novatio : quia non est mutatio prioris obligationis ; sed tantùm adjectio novæ qualitatis.

TITULUS XXXVI.

De Transactionibus.

Transactio quædam est species pacti, quo dato aliquo, vel retento à lite mota disceditur, vel quæ imminet controversia, remittitur : & differt à pacto, quia hoc interdum format, vel præparat actionem, cùm transactio eam penitùs dissolvat : hinc à Justiniano *Novell. 48. in fin.* transactio vocatur amica conciliatio, quæ semel inter majores admissa nullo prætextu rescinditur, nec si res ipsa dolum in se habeat, & qui transegit ultra quadruplum sit deceptus *l. 70. §. fin. ff. ad Trebell.* Hinc postquam Pontifex egisset de pactis, rectè subjicit hunc titulum de transactionibus.

SUMMARIUM EXEGETICUM,

Omnium Capitum in hoc titulo contentorum.

CAP. SICUT GRAVE 1. h. t. *Declarat Gregorius Papa, quòd si fiat transactio in aliqua quæstione omnia scripta, privilegia, vel consuetudines, quæ in illa causa possent parti favere non habent robur, sed standum est transactioni, in qua si aliquid omissum sit à Papa suppletur sua authoritate. Quia ut notat Glossa: infirma per confirmationem Papæ corroborantur. Instrumenta tamen noviter reperta infringunt transactionem, nec litem restaurant* l. sub prætextu C. eod. *Quinimò transactio ab initio invalida per confirmationem Papæ recipit firmitatem* argum. c. quoties sup. de pact.

C. STATUIMUS 2. h. t. *Declarat Alexander III. compositionem super decimis factam cum consensu Ordinarii tenere. Ubi notat Glossa, quòd tametsi decimæ sint de jure divino, possit nihilominus super illis fieri compositio ut minùs solvatur : vel certo modo fiat solutio*, c. veniens de decim. *requiritur tamen consensus Episcopi, vel Archiepiscopi. Unde transactio habet locum etiam in decimis, quando datur spirituale pro spirituali, non verò si detur temporale, quia esset simonia* c. super eo in fin. *non tamen potest laicus transigere de re spirituali* c. prohibemus inf. de jurejur.

C. CONTINGIT 3. h. t. *Idem Pont. declarat, Abbatem constitutum simpliciter ad agendum non posse transigere sine licentia Capituli. Quòd si præter mandatum procuratorium ad agendum habeat litteras de rato à capitulo, adeò ut hoc sit ratum habiturum quicquid super tali negotio Abbas egerit, tunc potest transigere ; & à fortiori, si habuit simplex mandatum transigendi. Rursus declarat Pontifex, quòd si absque mandato de rato transigeret secundùm formam juris post quadriennium rescindi non posset ; quia Capitulum transactionem observat & eidem consentit : verùm ante quadriennium potest rescindi, si Ecclesia sit læsa.*

C. CONSTITUTUS 4. h. t. *Idem Pont. declarat, transactionem in beneficiis, quamvis præcesserit juramentum non posse fieri, eò quia contineat speciem simoniæ. Hinc quamvis transactio sit jurata, adhuc juramentum, non valet, quia principale trahit accessorium, & transactio, quæ est principalis non valet : quia transactio super Ecclesiastico negotio continet speciem simoniæ, quamvis non semper sit purè simoniaca, & non solùm à malo, sed etiam ab omni specie mali abstinendum est, juxta Apostol. in* c. ab omni de vit. & honest. Cler.

C. DE CÆTERO 5. h. t. *rescribit idem Pont. Episcopo Carnotensi, quòd si duo Rectores duarum Ecclesiarum simul litigent, & unus impetret litteras à Papa ad extraordinarium ut ad Legatum, si hic eum componat cum adversario, vel fiat transactio, ut habeat aliquod jus, vel censum in Ecclesia : si compositio sit conformis juri, non debet ab Episcopo reprobari : sed tunc census non durat ultra vitam solventis. Sermo est in hoc textu, ut notat Glossa, de transactione, quæ fit ex provisione Judicis officio proprio, & non ex pactione partium : alioquin esset simonia. Rursus in textu judex Delegatus dicitur extraordinarius, eò quia non sit secundùm jurisdictionem hierarchicam ordinariam constitutus, sed in causis extraordinariis.*

C. EX LITTERIS 6. h. t. *Idem Pont. rescripit Archiepiscopo Eboracensi, & declarat, eum, qui fuit mediator, ut in beneficio fieret transactio, si postea impetravit idem beneficium, & reticuit se fuisse mediatorem esse privandum beneficio ; eò quia litteræ impetratæ nullius sint valoris : ut etiam si aliquis non tonsuratus, dicat se tonsuratum, ut beneficium recipiat, impetratio est nullius*

bus valoris, quamvis postea tonsuram accipiat. Hinc liquet, litteras per fraudem, & reticentiam veri impetratas esse irritas, & subreptitias.

C. *SUPER EO 7. h. t. Consultus idem Pont. an super Ecclesiastico beneficio in litigium deducto possit fieri transactio, respondet, non posse trasigi super re litigiosa, & sacra: quia res sacra, si ut possideantur, aliquid detur, vel retineatur, seu promittatur, intervenit species simoniæ: cæterum gratis, & amicabiliter possunt litigantes se componere, & gratis convenire inter se. Notat tamen Glossa, quod si petatur beneficium tanquam proprietas, tunc potest fieri transactio: ut si duo Episcopi litigarent, cuinam Ecclesia aliqua subjiciatur, si fiat transactio suum sortitur valorem.*

C. *VENIENS 8. h.t idem Pont. declarat, transactionem factam à Prælatis sine authoritate Papæ super decimis esse tantum personalem, & non obligare successores, & teneri restituere, si quid deinde acceperunt. Ex quo deducitur factum antecessoris non præjudicare successori in rebus Ecclesiæ.*

C. *PRÆTEREA 9. h.t. Lucius III rescribit Episcopo Ormensi transactionem super jure præsentandi cum aliquo commodo temporali esse simoniacam: ut inter Laicos, & Religiosos si accipiant majorem, vel novam pensionem. Item jus patronatûs esse spirituale, & simoniam non solùm committi in spiritualibus, sed etiam in iis, quæ illi sunt annexa.*

C. *PRÆTEREA QUARTO 10. h. t. statuit Cœlestinus III. super subjectione spirituali debita alicui Ecclesiæ matrici non valere transactionem, eò quia sit simoniaca: hinc Panormitanus notat, non posse super jurisdictione spirituali transigi interveniente aliquo temporali: posse tamen si detur, vel retineatur aliquod spirituale. Verùm ad id requiritur authoritas superioris, sine qua non est licitum.*

C. *EX PARTE TUA 11. h. t. Honorius III. declarat, Judicem posse interponere partes suas ad transigendum, vel componendum exceptis casibus, in quibus jura id non permittunt absque dispensatione, ut in matrimonio: sed in aliis, in quibus jus non reperitur expressum, posse, & tunc debere semper mitiorem partem eligere juxta exigentiam personarum, causarum locorum & temporum; ita tamen ut servetur æquitas. Hinc liquet, efficium Judicis non solùm consistere in decidendis causis secundùm regulas juris: verùm etiam in componendis partibus. Imò debet Judex ab initio conari, ut partes reducat ad concordiam, & amicabilem compositionem, tametsi non habeat potestatem partes compellendi, si nolint transigere; id enim solùm competit Papæ in his, in quibus habet plenitudinem potestatis. Idque verum est, quando partium jura sunt obscura, quia si sint clara, tenetur Judex sententiam ferre secundùm jura, & non debet tunc tentare compositionem, ne det uni de jure alterius.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid sit transactio, & per quid differat à pacto.

1 Ransactio species quædam videtur esse pacti laxè sumpti, proinde expensis iis, quæ ad pacta visa sunt pertinuisse, sequitur titulus de transactionibus, de quibus agunt utriusque juris canonici, & civilis periti. Est transactio quasi transitio actionis, quatenus qui transigit, transit, seu recedit ab actione, quæ sibi competebat, adeò ut actor magis propriè dicatur transigere, quàm reus, cùm ille propriè recedat ab actione, quæ sibi competebat, non iste, ut notat Glossa in *l. 2. transegisse C. hujus tit.* Quando enim reus dat aliquid Actori, ut quinquaginta, vel centum aureos ea ratione, ut ab actione, & lite intentata, vel intentanda recedat, & remittat jus omne, quod in re litigiosa potest prætendere, tunc si actor acceptet rem sibi oblatam à reo, & cesset ab actione, seu lite intentata, vel intentanda dicitur hæc cessio, seu recessio à lite, & actione, transactio; quæ propriè definitur, quòd sit *de re dubia determinanda, seu lite incerta, & nondum finita, pactio non gratuita*, ut colligitur *ex l. 1. ff. & transact. & l. transactio 38 C. eod.* Abbas *in proæmio h. t.* Dicitur esse pactio de re dubia; quia transactio fit mediante compositione, & consensu partium, adeò ut sit quædam pactio. Dicitur de re dubia, seu controversia, determinanda per litem incertam, & nondum finitam, quia per has particulas transactio distinguitur à pacto propriè sumpto, quod est de re certa, & indubitata, quæ per pactum subinde remittitur. Differt etiam à compositione, ut jura loquuntur, quia compositio est conventio gratis, & liberaliter facta, & fieri solet inter amicos: transactio verò est de re dubia, & lite incerta aliquo dato, vel retento *l. 1. §. de transact.*

Hinc si tempore transactionis constet transigenti sibi nullum in re, de qua transigitur, jus competere, tunc nec in foro conscientiæ, nec in foro externo potest validè transigere, quia tunc transigens nullũ habet justum titulum, quo possit accipere aliquid ad recedendũ ab actione, proinde si ab illa recedat aliquid accipiendo ten. tur restituere, quia ita transegit, ut sciverit rem ad alterum pertinere, non ad se ipsum. *l. in sum. 65. ff. de condit. indeb.* sin verò post transactionem bona fide factam nova instrumenta, & probationes 2

accedant, ex quibus constet, alterutram partem transigentium nullum habuisse jus in re, tunc non tenetur pars illa, quæ ab alia aliquid accepit, & transegit restituere in foro interno, nec externo, quia perinde ac in ludo, etiam in transactione, utraque pars cùm res sit dubia, & controversa incerto se committit eventui, proinde neutra pars potest de læsione conqueri, dummodo in transactione nulla fraus, vel dolus contigerit, ut desumitur ex *l. 19. sub prætextu C. h. t.*

3 Cæterum si in ipsa transactione pars aliqua injustè lædatur, eò quia jus dubium, quod uni parti competebat minoris æstimaretur, tunc inæqualitas in foro conscientiæ reducenda est in æqualitatem. Quinimo si læsio probetur contigisse ultra dimidium justi valoris, rescinditur transactio etiam in foro externo *l. 2. C. de rescinden vendit.* quamvis plures oppositum sentiant apud Gail. *l. 2 obser. 70.* Dicitur transactio esse de re controversa, seu lite incerta, quia non est de qualibet re dubia, sed de re dubia propter litem jam motam, & nondum finitam, vel movendam, seu de qua potest esse lis, ac timetur *l. 2. C. h. t.* Et licèt res sit in se certa, certúmque contineat jus; nihilominus ut possit transigi, sufficit, si partes dubitent, cujusnam debeat esse jus rei; ac propterea debeant litem movere: tunc enim propter incertum litis eventum potest dari transactio, imò etiam post causæ conclusionem, quia tunc adhuc habetur incertus litis eventus, non tamen post rem judicatam; adeò ut de re circa quam lata est à judice sententia definitiva non possit dari transactio, quia cùm res jam transierit in rem judicatam, jus in illam ita pertinet ad unum, ut alter nihil juris in illam habeat: proinde non potest quidquam accipere pro transactione, quia esset transactio de re non amplius dubia, sed certa, & quæ nullo remedio posset retractari, seu infirmari. Demum transactio dicitur pactio non gratuita, quia non fit gratis, sed mediante aliquo dato, vel retento, aut commisso, & per hoc differt à compositione amicabili, quæ fit gratis nullo dato, aut retento, sed pars debiti omninò gratis remittitur *c. super eo 7. h. t.* si enim quis credat habere jus in rem possessam ab alio, ac posse eidem justè movere litem, si gratis cedat, omnémq; actionem remittat, dicitur hæc remissio compositio amicabilis: ut etiam si à suo debitore, à quo deberet accipere centum aureos, exigat solum 50. remissis aliis, dumodo statim det illos quinquaginta aureos, dicitur hæc compositio amicabilis.

4 Hinc transactio, ut distincta à pacto, & compositione est de re dubia, quia pactum est de re certa, transactio autem non potest esse de re certa, & indubitata, nec de re jam judicata, si appellatum non sit *l. postrem. 11. ff. eod. l. si causa 42. C. eod.* tametsi res judicata possit pacto remitti. Prætereà transactio, propriè sumpta non fit de re quavis dubia, sed de re dubia propter litem susceptam, vel suscipiendam, & quæ timetur *c. constitutus 4. & d. l. eleganter ff. post rem* quamvis enim res in se certa sit, dicitur tamen dubia, quia ignoratur litis eventus, qui est incertus *l. in sum. in princ de condict. indeb.* Demum transactio non est gratuita, sed semper fit per aliquod datum, vel retentum, vel promissum, aut remissum, & ideò super spiritualibus, & iis, quæ spiritualibus annectuntur, ut super beneficio Ecclesiastico jure patronatûs non datur transactio *c. 4. 7. & c. Præterea 9. h. t.* quia quoties datur aliquod temporale pro spirituali committitur crimen simoniæ.

Transigere possunt omnes, qui possunt pacisci, & contrahere, liberámque habent rerum suarum administrationem, quas propterea alienare, donare, vel permutare possunt *l. in re. 21. C. mandati*, nec refert si mares sint, vel fœminæ, sani, vel ægri corpore, dummodo sint sui compotes, ac mente sana *l. sanum. 7. C. h. t.* Hinc validè transigit mutus, surdus, cæcus pupillus major infante, & minor sine tutoris, vel curatoris authoritate, dummodo per transactionem rem suam meliorem faciat; alioquin deberet fieri restitutio, si minor per talem transactionem etiam juratam se læsum intra legitima tempora probaret. Quia verò non habent jus in bona, nec possunt illa alienare, non possunt circa illa transigere, qua ratione hæres; fideicommisso gravatus, & qui tenetur hæreditatem servare alteri, non potest circa illam transigere. Neque Vasallus potest de fœudo transigere absque consensu domini directi. Tutores itidem, & Curatores, sicut non possunt bona imobilia, imò nec mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt, alienare sine judicis decreto, ita neque possunt de iisdem transigere *l. 4. C. de prædiis minor. l. non solum C. h. t.* Neque Procurator absque speciali mandato ad transigendum ex vi solius generalis mandati ad agendum potest transigere *l. transactionis 7. C. h. t. l. nulli 13. ff. eod l. mandato 60. §. de procurator.* quia sicut Procurator non potest ex se alienare bona ipsius principalis, ita ex defectu juris neque potest de iisdem transigere. 5

Cæterum sicut dominus, ita & Procurator transigere potest, si ad transigendum speciale habeat mandatum, vel sit constitutus Procurator cum libera administratione. *cap. quia ad agendum V. procurator eod. in 6. l. Procurator. qui generaliter 58. ff. de procurat.* quia tunc sicut potest mandatum sibi injunctum exequi; ita etiam transigere. Quòd si in rem suam aliquid daretur, posset etiam de ipso transigere, quia sicut posset illud alienare, ita etiam de eodem transigere. Prælatus Ecclesiæ, vel Monasterii, tametsi generalem, ac liberam habeat administrationem rerum Ecclesiæ, ideóq; in judicio solus agere, & conveniri possit in causis saltem minoris momenti, non tamè potest super bonis Ecclesiasticis imobilibus vel mobilibus pretiosis, quæ servando servari possunt transigere, absque consensu capituli *c. contingit 3. h. t.* juncta Glossa comuniter recepta. *V. litteras.* quia sicut Prælatus Ecclesiæ non habet dominium in bona Ecclesiæ, sed tantùm administrationem, ita neque potest directè eadem bona alienare absque consensu capituli, & aliis solemnitatibus; quapropter nec indirectè potest de iisdem transigere, quia per transactionem devenitur ad alienationem. 6

Cæterum res alias modicas parvi momenti non pretiosas, & præsertim quæ servando servari non possunt 7

possunt, sicut Prælatus potest alienare absque consensu capituli, ita potest de iisdem transigere. Quòd si Prælatus Ecclesiæ, vel Monasterii ita transigeret super rebus immobilibus, vel mobilibus pretiosis Ecclesiæ, aliisque, quæ servando servari possunt, ut ex tali transactione magnum emolumentum oriretur Ecclesiæ, vel monasterio, adeò ut conditio Ecclesiæ, & loci pii melior fieret, transactio subsisteret, etiam sine consensu capituli, & alia requisita solemnitate; quia prohibetur tantùm transactio in damnum Ecclesiæ, vel Monasterii, vel in ordine ad alienandas res immobiles, vel mobiles pretiosas absque maximo emolumento, ut docent communiter cum Glossa in *l. nulli 15. V. transigere ff. hujus tit.* Potest etiam prælatus transigere circa res immobiles, vel mobiles pretiosas si à conventu, vel capitulo acceperit litteras de ratihabitione, in quibus expresè contineatur, quod quidquid Prælatus in tali causa egerit, capitulum ratum habebit, ut tradit Glossa in *c. contingit 3. V. litteras hujus tit.* quia Prælatus ratione mandati generalis, ac liberi cum clausula de ratihabitione capituli potest omnia agere, ac si expressum, & specialem consensum Capituli haberet, proinde sicut potest alienare, ita transigere servatis tamen servandis, & supposito consensu legitimi superioris: siquidem ad transigendum in rebus, & juribus Ecclesiæ præter consensum Capituli, requiritur etiam consensus Episcopi, vel Archiepiscopi, cui Ecclesia subjicitur, ut liquet ex *c. statuimus 2. h. t.* Capitulum sede vacante nec potest transigere super bonis mobilibus pretiosis, quæ à defuncto Episcopo relinquuntur, nisi adhibeantur requisitæ solemnitates, & superioris licentia obtineatur: orta enim lite inter quosdam canonicos alicujus cathedralis, & hæredes Episcopi super quibusdam vasis argenteis, & alia pretiosa supellectili defuncti Episcopi, Canonici ex vi constitutionis Pii V. *quæ est 24. de spoliis* asserebant, hujusmodi bona pretiosa pertinere ad Ecclesiam, eò quia in præfata Bulla statuatur, quòd ea, quæ pertinent ad usum Ecclesiarum non contineantur sub nomine spolii, sed sint de jure Ecclesiæ, eò quia Episcopus per plures vices usus fuerit tali supellectili pro servitio altaris: Econtrà hæredes Episcopi asserebant, ea bona mobilia comprehendi nomine spolii, & ad se spectare, eò quia concordaverint super spolia cum camera Apostolica; & quia res videbatur litigiosa, ac per litem incertam determinanda; Canonici transegerunt cum hæredibus, quòd certâ pecuniâ solutâ haberent vasa argentea. Jus hæredum in eo fundabatur, quia Episcopus uteretur tali supellectili argentea pro usu privato, & domestico propriæ mensæ; proinde non fuisse vasa illa argentea destinata pro servitio Ecclesiæ.

8 Transactio hæc, quia caruit necessariis solemnitatibus nullius fuit valoris, ut desumitur ex *c. nulli de rebus Ecclesiæ non alienandis, & c. 1. eod. tit. in 6.* est enim regula generalis, quâ actus est irritus si necessariæ desint solemnitates *l. cum hi. §. si prætor. ff. de transact.* & *l. Julianus scribit §. si quis rem ad exhibendum,* & *c. quia propter de elect.* ut notant communiter jurisperiti. Cùm enim Canonici agnoverint jus Ecclesiæ, quod propterea cæperunt defendere; transactio facta fuit super jure cognito; propterea cum alienatione, ad quem actum erant necessariæ solemnitates, quæ requiruntur in alienatione, tametsi illa supellex argentea fuisset apud hæredes, ut notant juris consulti, Abbas in *c. contingit n. 3. de transact.* Jason *in l. nulli. num. 2. de trasaction.* Graveta *cons. 323. num. 1. V. dico.*

Neque obstat quod dicantur transegisse, eò 9
quia cognoverint jus stare pro adversario; quia si cognovissent, Ecclesiam non habuisse jus in talem supellectilem, non potuissent pecuniam illam accipere, cùm in transactionibus non detur aliquid nisi ratione juris dubii, cui ceditur, & cessatur ab actione. Cùm enim hæredes solverint pecunias, præsumuntur istæ solutæ pro compensatione juris, quod canonici cedebant. Et quia ipsa cessio juris est alienatio, ideò canonici ad hunc actum non potuerunt solemnitates omittere; adeò ut in utroque foro externo, & conscientiæ transactio fuerit irrita, & nullius momenti. Cæterùm potuissent Canonici absque ulla compensatione præfatam supellectilem relaxare, ut non pertinentem ad Ecclesiam, & tunc nulla fuisset solemnitas necessaria; quia talis actus non fuisset alienatio, sed restitutio illius, quod erat alieni juris. Cæterum quià transactio conjuncta fuit cum bona fide, quæ excludit dolum, & temeritatem, non incurrerunt canonici pœnas impositas alienantibus bona Ecclesiastica sine debitis solemnitatibus.

An verò super juribus spiritualibus præsertim 10
decimis possit fieri transactio, vel compositio? omnes in eo conveniunt, compositionem valere inter clericos liberaliter factam, ut uni, non alteri decima solvatur *c. statuimus de transact.* & *c. dilati de decim.* Quinimò hæc compositio, si Episcopi authoritate fiat ad successores transmittitur: Sin verò privata tantùm authoritate, tunc soli contrahentes, & non successores eorum obligantur. Non tamen super decimis potest fieri transactio, per quam aliquid temporale detur pro jure spirituali, quia id esset simoniacum, potest tamen fieri transactio, per quam jus spirituale remittatur, vel spirituale pro spirituali detur, ut beneficium pro beneficio, ut notat Glossa hic *in casu & V. super decimis.* supposito tamen semper consensu expresso superioris, seu Episcopi in transactionibus, quæ fiunt à Prælatis, vel rectoribus inferiorum Ecclesiarum, sibi subjectis, vel consensu Archiepiscopi quoad subditos non provinciæ, sed suæ diœcesis. Quòd si Episcopus transigat cum aliquo, tunc requiritur consensus Archiepiscopi, quia hic est superior Episcopi; & sic successivè alii Ecclesiastici transigunt ex consensu superioris. Si transactio præsertim fiat super decimis inter laicos, & personam Ecclesiasticam, parochum, vel prætorem Ecclesiæ, quia licèt non possit Episcopus obligationem solvendi decimas laicis in perpetuum remittere, cùm hoc jus sit jure communi canonico constitutum, & quod inferior Papæ non potest relaxare, nihilominus

nus Episcopus, vel alius Ecclesiæ Prælatus adhibita juris solemnitate potest ex justa causa decimas alicui laico ad vitam concedere, præsertim ob remunerationem meritorum, ut notat Glossa hic *V. personam Ecclesiasticam.*

11 Clericus si super beneficio Ecclesiastico litiget coram judice delegato à Pontifice, potest cum adversario transigere etiam absque consensu Episcopi diœcesani, dummodo, qui antea erat institutus in beneficio, retineat jus suum beneficiale, quia sicut non potest dimittere beneficium directè sine Episcopi licentia, & consensu, ut habetur in *c. admonet. 4. de renunt.* ita nec indirectè potest transigere. Quòd si Episcopus sine justa causâ nollet renunciationem beneficii factam à transigente concordiæ causâ admittere, posset judex delegatus à Pontifice illum compellere ad admittendum, quia Princeps, & superior delegans inferiori aliquam causam censetur etiam eidem committere ea omnia, quæ ad eandem causam finiendam sunt necessaria *c. Præterea 5. de offic. delegat.* Quinimò per transactionem factam authoritate judicis delegati causâ concordiæ, litisque finiendæ, potest Clericus se obligare ad solvendum censum adversario, non tamen perpetuum, & qui transeat ad successores, sed tantùm ad tempus vitæ, ut desumitur ex *c. nisi 21. de præben.*

12 Si quæratur, de quibus rebus licitè transigi possit. Respondetur de illis omnibus, quæ dubiæ sunt, & litigiosæ *l 1. d. eod & de quibus vel est lis, vel esse potest C. eod.* etiam post conclusionem in causa; eò quia tunc quoque eventus litis sit dubius, & incertus; non tamen post rem judicatam, aut jurejurando firmatam, nisi interposita fuerit appellatio, vel interponi possit *l. 7. ff. eod.* aut ignoretur, vel negetur, rem esse judicatam *l. post rem 11. ff. eod.* Cæterum semel quòd per sententiam res est definita, ac determinata, non potest ampliùs per transactionem finiri: Neque convenit; ut quod publico judicio fuit semel definitum, iterum pro arbitrio privatorum definiatur per transactionem. Cæterum de publico crimine capitali tam Actori, seu accusatori, quàm reo permittitur transigere *l. transigere 18. C. eod.* quia cuilibet licet redimere quovis modo suum sanguinem, ne effundatur *l. 1. ff. de bonis eor. qui ante sententiam.* Hinc reus potest licitè dare pecuniam actori, vel accusatori, ut desistat à sua accusatione: nec tunc transigens haberi debet pro confesso, quia magis gravissimi periculi declinandi causa, quàm conscientiâ facinoris censetur transigere *l. fin. de prævaricat.* Excipitur tamen in *d. l. transigere* Adulterium, quòd tametsi ex le[illegible] Julia capitale non fuerit *l. Clodius. ff. de his, quibus* [illegible] *ut indignis &c.* Sed postea esse cœperit capitale. *l. qu*[illegible]*mvis. C. de adulter.* nihilominus de eo nominatim le[illegible] Julia pacisci vetuit, quia talis transactio in lenoci[illegible]ium incidit, & sufficit, quod postea cœperit capitale [illegible]sse.

13 De aliis criminibus publicis, pœna[illegible] sanguinis non irrogantibus transactio non conce[illegible]tur *d. l. transigere. C. h. t.* idque ne crimina maneant impunita in præjudicium boni communis. Tum quia cessat hic periculum capitis, & sanguinis proinde transigentes non merentur excusationem: hinc si reus circa hujusmodi crimen, quod sanguinis pœnam non irrogat cum actore transigat, habetur pro confesso *l. ult. ff. de prævaricat. l. Athletas 4. § ult.* & potest puniri pœna statuta à lege pro tali crimine, nisi sufficienter probet, se esse innocentem, & pecuniam dedisse, seu transegisse cum actore duntaxat ad redimendam vexationem, ac vitandam molestiam, sumptúsque litis *l. servi 23. C. ad leg. Jul. de adulter. l. si ab eo 8. ff. de calumnia.*

14 Excipitur tamen accusatio de crimine falsi, de quo transactio est licita *d. l. transigere, & l. penult. C. eod.* quia tametsi pro crimine falsi de jure communi non infligatur pœna sanguinis, gravem tamen infamiam irrogat condemnato, proindè pœna pro tali crimine infligenda; est gravissima, cùm honoris jactura æquiparetur pœnæ sanguinis. In aliis criminibus in quibus non est licitum transigere, neque est licitum gratuitò pacisci; adeò ut pactio hæc gratuita in publicis criminibus non irrogantibus pœnam sanguinis irrita sit; ne delicta permittantur impunita. Cæterùm transactio, seu gratuita pactio super criminibus publicis, in quibus jure permittitur, fieri debet, priusquam adversus reum feratur sententia, & transeat in rem judicatam, quia postquam pœna criminalis est à judice imposita ob commune bonum, ejus remissio non pertinet ampliùs ad partem offensam, sed ad solum Principem.

15 De spiritualibus, iisque annexis non licet transigere, si interveniat aliquod temporale *c. constitutus 4. c. super eo 7. c. Præterea 9. h. t.* Hinc transactio super beneficio Ecclesiastico, de quo litigatur, non potest privato partium consensu, nec judicis authoritate fieri, si pro jure spirituali retento, vel accepto, vel recipiendo detur, vel promittatur aliquod temporale, quia hæc obligatio simoniam olet, ut liquet ex *c. ult. de rerum permutat. & c. super eo 7. hujus tit.* Tum quia transactio super beneficio Ecclesiastico, vel jure beneficiali dubio, ac in judicium deducto si privata authoritate fiat, illicita est etiam juramento firmata, ut liquet ex *c. constitutus 4. hujus tit.* Quòd si accesserit consensus superioris Ecclesiastici, potest transactio ita fieri super beneficio litigioso, ut una pars beneficium retineat, hac conditione, ut alteri parti pro cessione juris sui dubii annua pensio Ecclesiastica, qualis solet dari ob officium spirituale, assignetur: si enim hujusmodi transactio etiam facta ex antecedente partium conventione superiori Ecclesiastico postea offeratur confirmanda, per ejus confirmationem, & consensum cohonestatur, ac purgatur ab omni vitio apparentis simoniæ, quia in hac transactione non datur temporale pro spirituali, sed spirituale commutatur pro spirituali titulo pensionis Ecclesiasticæ, cui commodum temporale est accessorium. Alioquin non posset talis commutatio fieri cum pensione merè temporali *c. cùm pridem. 4. de pact.* Si quis tamen hab[illegible]at liquidum ius requisitum in beneficio, & injustè vexetur in judicio, potest absque specie simon[illegible]æ tunc vexationem pecuniâ redimere

mere, quia tunc non datur temporale pro acquirendo, vel retinendo jure beneficii, sed pro repellenda injuria,

16 Super beneficiis Ecclesiasticis litigiosis possunt partes inter se gratis, & amicabiliter transigere, ne lis ulterius procedat, & ut parcatur expensis, ut desumitur ex *c. super eo in fin. h. t.* idque vel per se, si unus nullo pretio accepto velit spontè jure suo cedere; vel re alia parti adversæ relicta absque omni compensatione: vel per arbitros, adeò ut utraque pars teneatur stare eorum judicio, ut notat Abbas *in d. c. super eo. n. 2* non tamen prohibetur, ne pars, cui beneficium est relictum donum aliquod liberaliter absque ullo pacto, sed ex mera gratitudine det alteri, idque etiam sine superioris consensu, quia talis donatio cum proveniat ex gratitudine est actus virtutis. Rursus; non licèt transigere super jure patronatus, seu præsentandi ad beneficia interventu rei temporalis pretio æstimabilis: siquidem pro re spirituali, ut est jus patronatus, nō potest promitti, nec dari aliquod temporale absque simonia; jus enim præsentandi ad beneficium Ecclesiasticum est intrinsecè spirituale, vel saltem antecedenter annexum spirituali, proinde censetur spirituale, nec potest super tali jure transigi interveniente re temporali sine vitio simoniæ, etiamsi esset tantùm quid annexum spirituali *c. translato. 3. de constitut.*

17 De matrimonio non potest dari transactio tametsi de nullitate matrimonii agatur, sed expectanda est judicis Ecclesiastici sententia, cùm non sit in potestate partium perseverare in matrimonio irrito, vel ab eo recedere, hinc in matrimonio nec transactio, nec compositio amicabilis admittitur *c. fin. h. t.* non enim potest quis transigere, nisi de his, quæ sunt in sua potestate: matrimonium autem cum sit authoritate divina institutum nulla transactione quoad substantiam dissolvi potest, quia quos Deus conjunxit homo non separat, Genes. 2. Etenim vel matrimonium semel contractum, fuit legitimè, & validè contractum, & sic non potest ampliùs dissolvi, nec est capax transactionis: vel matrimonium fuit illegitimè contractū contra sacros Canones, & sic nec potest reconciliari per partium transactionem, sed tantùm per judicis Ecclesiastici sententiam. Cæterum judex semper debet quantum fieri potest inducere partes ad concordiam, & compositionem, priusquam ad judicem veniatur. In sponsalibus verò de futuro quando ab una parte negantur, & ab altera asseruntur, tunc super illis valet transactio, per quam ratificentur sponsalia, vel ab illis discedatur, quia sponsalia dependent ex libero consensu, aut dissensu partium.

18 Rursus de eo quod in testamento relictum est transigere non licet, nisi inspecto, & cognito ipso testamento, siquidem hujusmodi transactiones, ut plurimum sunt captiosæ, & ad eum finem fieri solent, ut faciliùs aliquis inducatur modicum munus acceptare; ut interim majora, quæ ipsi in eodem testamento fuerunt relicta cedat alteri, cum quo transigit *l. cùm hi. 8. ff. h. t.* Tum quia interest reipublicæ, ne ultimæ voluntates testantium pereant, sed quoad fieri potest, conserventur, & executioni demandentur *l. 1. C. de SS. Eccles.* Quinimo neque licet transigere de alimentis specialiter in testamento relictis, ut desumitur ex *d. l. cùm hi 8. ff. h. t.* ubi expresse habetur, ut de iis sine authoritate Prætoris non transigatur. Verùm quia in alimentis specialiter consideratur eorum favor, & damnum grave, quod posset imminere alimentando ex eorum subtractione, ideò præcitata constitutio ita solet intelligi, ut tantùm comprehendat alimenta in futurum, de quibus non possit transigi, non verò ut se extendat ad præterita, præsertim cùm hæc non ampliùs veniant nomine alimentorum; cùm is, cui sunt relicta præsupponatur jam aliunde alitus, alioquin non viveret: unde alimenta præterita, quæ debuissent dari, & non fuerunt data, non comprehenduntur ampliùs nomine alimentorum, sed puri, ac simplicis debiti *l. de aliment. C. h. t.* proinde de iis potest licitè transigi, ut etiam de alimentis, quæ aliquis sibi inter vivos constituit, quia tunc cessat favor testamentorum, ut etiam præsumptio captionis.

Quòd si transactio omnibus requisitis con- 19
currentibus semel facta fuerit, est firmissimè tenenda, & partes debent eidem stare; quia valdè curandum est, ne lites transactione sopitæ, iterum excitentur, unde jura ad talia incommoda cavenda in Republica statuerunt, ut partes debeant stare transactionibus, quando istæ nullo fuerunt defectu vitiatæ, sed omnibus requisitis perfectæ, adeò ut transactio non minorem vim habeat, quàm res judicata, nec ipso imperiali rescripto, aut alio prætextu rescindi debet *in l. causas in l. non minorem.* & *l. sub prætextu. C. h. t.* Hinc docent communiter jurisperiti contra transactionem etiam ob causam gravis læsionis non esse actionem admittendam, dummodo læsio non sit ultra dimidiam partem justæ æstimationis, nec facta formali dolo: idque procedit quoad forum externum ad lites impediendas, quia in foro interno, & conscientiæ, quævis læsio facta proximo est compensanda. Rursus debet læsio contigisse sine formali dolo, ut contra transactionem non detur actio, alioquin si dolus formalis, seu ex proposito intercesserit, ut si Titius Cajo adversario instrumenta subtraxerit, quibus suam causam probare potuisset, tunc Cajus posset contra transactionem, actionem instituere, cùm contra dolum actio competat, ut desumitur ex *l. sub prætextu 19. h. t.* est enim consonum rationi, ut injuria alteri illata resarciatur, & jus alteri sublatum restituatur.

An verò si absque ullo dolo formali in trans- 20
actione læsio ultra dimidium obtigerit, possit tunc transactio perinde rescindi, ac venditio, in qua venditor ultra dimidiam partem justi pretii decepit emptorem; vel etiam ipse deceptus est juxta *l. 2. C. de rescinden. vendit.* Plures jurisperiti in ea sunt sententia, ut neque cum tali læsione ultra dimidium sit transactio rescindenda. Et nituntur *l. Lucius §. ult. ff. ad Senatusconsultum Trebellianum*, ubi negatur rescissio transactionis super fideicommisso factæ, tametsi ex instrumentis appareat quadruplò plus in hæreditate repertum fuisse. Hoc idem etiam videtur significari *in l. sub prætextu 19. & 29. C. h. t.* & *l. à D. Pio. §. pignora ff. de re judic.*

Probabilior tamen, & communior sententia 21

 asserit

asserit, contra transactionem, in quâ sine dolo læsio intervenerit ultra dimidium, dari actionem ad transactionem rescindendam: siquidem est æquitati naturali perquàm consonum, ne quis cum alterius detrimento ditescat. Tum quia justitia commutativa id exigit, ut æqualitas inter contrahentes servetur. Est etiam hæc sententia conformior juri canonico, quod in pactis, conventionibus, contractibus, quasi contractibus, & transactionibus maximè circa forum internum æquitatem, attendit. Imò cùm jus civile ad id fuerit institutum, ut hanc servaret æquitatem, ac defenderet *l. placuit 8. C. de judic.* debet etiam jus civile actionem permittere contra hujusmodi transactiones, in quibus læsio licèt absque dolo ultra dimidium contigit; nè tam grave damnum pars, altera, quæ transegit, patiatur, & æquitas inter transigentes servetur. Debet tamen in æstimanda læsione, quæ intervenit in transactione haberi ratio ad dubium litis eventum: quia raro contingit, ut pars quæ se dicit læsam ex transactione, possit probare læsionem ultra dimidium: siquidem cum transactio debeat fieri de re dubia, controversa, & litigiosa ob incertitudinem eventus in lite, potuisset forsan in judicio minùs consequi, ut notat Fachinæus *lib. 2. controvers. c. 6.* Neque fundamenta, quibus nititur opposita sententia videntur magnum facessere negotium. Ad leges enim superius allegatas respondent plures; eas non loqui expressè, de tali casu læsionis ultra dimidium, proinde non esse extendendas contra æquitatem, & justitiam commutativam ad transactionem, in qua læsio ultra dimidium obtigit. Neque textus desumptus *ex l. Lucius* favet oppositæ sententiæ, quia ibi jurisconsultus ponit casum, quo quadruplo ampliùs in hæreditate repertum fuerit, quàm ab initio expressum; sed non explicat, quòd nomine transactionis plus datum, vel retentum sit, quàm fuerit tunc temporis dubius eventus illius litis.

22 Neque obstat, quòd transactio dicatur habere vim juramenti, vel rei judicatæ, proinde non esse rescindendam; quia tunc tantùm transactio habet talem vim, quando consonat æquitati; non ita quando fovet, & includit iniquitatem: non enim juramentum debet esse vinculum iniquitatis, unde contra ipsum est remedium, ne iniquitas prævaleat. Rursus sicut contra sententiam judicis datur remedium appellationis ad altius tribunal; ita contra rem judicatam; si modus in exequendo excedatur, datur appellatio, vel actio contra executionem injustam.

23 Cæterum ad rectum judicem pertinet semper adlaborare, ut in rebus dubiis partes inter se transigant, aut amicabiliter se componant, ne lites cum litigantium detrimento, & incommodo instituantur. Non tamen potest eos absolutè cogere ad transigendum, cùm nemo invitus contrahere, aut jure suo privari debeat *l. invitum C. de contrah. empt. c. id quod nostrum de regul. jur. in 6.* Sin autem res controversa fuerit pluribus implicata tricis, adeò ut lis non sit ad plures annos finienda, tunc censent aliqui, teneri judicem per media compulsorialia partes adigere ad transigendum *argu. c. placuit dist. 9.* Panormit. *in c. cùm inter de elect. n. 9.* Barbosa *de offic. Episcop. p. 3. alleg 79. n. 9.* Si tamen jura alterutrius partis clara fuerint, non potest judex ei suadere transactionem, quia hoc esset patrocinari alteri, non habenti tale jus. Verùm id dependet ex circumstantiis, si enim novæ lites, & difficultates circa executionem sententiæ timerentur, posset judex partibus suadere transactionem.

Effectus præcipuus transactionis est, ut ejus beneficio litibus motis, vel movendis finis imponatur *l. fratris 10. h. t.* vel impedire ne lites oriantur: siquidem valdè consultum est impedire per transactiones, vel amicabiles compositiones, ne lites inter personas maximè Ecclesiasticas instituantur, vel si sint institutæ, statim finiantur ob bonum pacis inter personas privatas. Hinc transactio semel facta nullo prætextu retractari potest, nec rescripto Principis *l. cùm proponas 17. C. eod.* nec sub prætextu instrumentorum posteà repertorum *l. sub prætextu 19. C. eod.* quia transigens super principali censetur transigere etiam super accessoriis, & iis servientibus. Prætereà cum transactio fiat liberè, & mutuo consensu, firma manere debet *c. statuimus c. contingit h. t.* quod enim semel placuit; non debet posteà displicere. 24

Rursus juvat observare, quia sicut pacta novissima tollunt pacta priora. *l. pacta 12. C. de pact.* ita transactio posterior tollit omnia priora jura competentia transigentibus, & derogatur testibus, instrumentis, rescriptionibus, privilegiis, & cuilibet alteri, quod priùs transigentibus de jure communi, vel speciali pertineret, quod tamen intelligendum est, dummodo transactio non fuerit extorta dolo alterius partis, nec instrumenta per fraudem fuerint occulta, quia tunc contra transactionem daretur actio. Alius effectus transactionis est parere exceptionem, licèt enim transactio non sit modus tollendæ obligationis à jure civili introductus *institut. quib. mod. toll.* nihilominus agenti semper obstat exceptio transactionis, quæ vocatur exceptio litis finitæ *c. 1. de litis contestat. in 6.* quia transactio non censetur habere minorem vim ad litem dirimendam, ac finiendam, quàm res judicata *l. non minorem. C. eod.*

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones.

Quæritur primò, an post causæ conclusionem adhuc transigere liceat? Respondetur affirmative, quia transactio fieri potest de quavis re dubia; est enim compositio, quâ res dubia, & litigiosa partium consensu componitur, unde quamdiu res est dubia potest de ipsa transigi: atqui post causæ conclusionem adhuc dubius est, & incertus litis eventus, proinde possunt tunc partes, si velint transigere. Secus si parti transigenti tempore transactionis constaret sibi nullum inde jus competere, nec posse competere, tum in foro conscientiæ non posset transigere, quia transigens nullum haberet justum titulum, vi cujus posset aliquid accipere, ut recederet ab actione: & in foro interno transactio esset invalida, & ipso jure nulla, quia actor transigeret sciens certò rem ad alterum pertinere

l in

l. in summa 65. ff. de condit. indeb. vel saltem transactio per doli actionem, vel exceptionem rescindenda esset, si reus ita transigeret. *l. sub prætextu 19 C.b.t.* Hinc post latam sententiam definitivam, quæ transivit in rem judicatam non datur amplius locus transactioni, nisi appellatum fuerit statim post latam sententiam, quia appellatio suspendit sententiam, proinde ea interposita lis nondum finita est, sed adhuc durat.

2 Quæritur secundò, an Abbas, qui solus in judicio agere, & convenire potest, absque consensu Capituli, possit etiam transigere? Respondetur cum distinctione: si res tales sint, ut earum alienatio sit ipsi permissa, tunc de illis potest transigere, quia qui potest res alienare independenter ab alio, potest etiam super iisdem transigere, siquidem per transactionem deveniri solet ad alienationem: sin verò de ipsis non est permissum alienare, nec potest de iisdem transigere; quia per transactionem devenitur ad alienationem: & sicut Prælatus res Ecclesiæ sine consensu Capituli non potest alienare, ita neque potest super eis transigere *argum. regul. 84. in 6.* cùm quod una via prohibetur alicui, ad id alia non debeat admitti. Hinc licèt Prælatus ut Abbas in causa dubia sine Capituli consensu possit transigere super rebus, quarum alienatio est ipsi permissa, hoc est super rebus modicis, & parùm utilibus, vel super rebus mobilibus non pretiosis, quæ servando servari non possunt, non tamen ita potest transigere, ut eas perdat, sed ut ex aliqua data pecunia retineantur, ut notat Glossa communiter recepta *in l. nulli 13. ff. de transact.*

3 Quæritur tertiò, an clericus litigans super beneficio coram judice à Papa delegato possit transigere sine consensu Ordinarii? Respondetur, litigantem super beneficio coram judice delegato à Papa posse transigere, etiam non interveniente consensu Ordinarii, sed si Beneficiatus velit beneficio cedere, id sine assensu Episcopi Collatoris fieri non debet *c. admonet 4. de renunt.* alioquin si is absque rationabili causa abnueret acceptare renuntiationem factam causâ concordiæ, seu ut à lite recedatur, interdum cogi posset à judice delegato *argum. c. præterea 5. l. de offic. delegat.* Hinc quando Papa alicui causam delegat, censetur etiam committere omnia, quæ ad causæ expeditionem necessaria sunt. Rursus per transactionem, seu compositionem authoritate judicis delegati institutam litis terminandæ causâ potest Clericus se obligare ad solvendum censum adversario, non tamen perpetuum, qui transeat ad successores, sed ad tempus vitæ *c. nisi 21. de præbend.* Imò id videtur etiam procedere, quamvis Episcopus Diœcesanus non consenserit: quia ob bonum pacis, potest census imponi non ipsi beneficio, sed beneficiario, ut notat Abbas *in d. c. de cætero 5. not. 3. h. t.* ubi etiam addit, judicem delegatum à Papa non posse Ecclesiam, vel beneficium constituere perpetuò censuale; bene tamen Episcopum ex justa causa spectato jure antiquo ex consensu tamen Capituli *argum. hujus textus V. absque Episcopali authorit. c. exposuisti 33.* & est sententia D. Thomæ *2.2. q. 100. art. 4.* ubi ait, *si Episcopus antequam beneficium alicui conferat ob aliquam causam ordinaverit aliquid subtrahendum de fructibus beneficii conferendi, & in pios usus expendendum non est illicitum.*

Quæritur quartò, an licitum sit transigere super crimine dando adversario pecuniam, vel quid aliud pretio æstimabile, ut ab accusatione ejus desistat? Respondetur ex jure civili licitum esse de quolibet crimine capitali, excepto adulterio, transigere, non item de aliis criminibus publicis, præter quam de crimine falsi *l. transigere 18. C. h. t* ibi: *Transigere vel pacisci de crimine capitali excepto adulterio prohibitum non est: in aliis autem publicis criminibus, quæ sanguinis pœnam non ingerunt, transigere non licet, citra falsi accusationem.* Ratio primæ partis est, quia unicuique licet sanguinem suum quoquo modo redimere *l. 1. ff. de bonis eorum qui ante sententiam &c.* ibi: *Ignoscendum Principes consueverunt ei, qui sanguinem suum qualitercunque redemptum voluerit*: siquidem in hoc mundo nil pretiosius sanguine, nil æstimabilius vitâ. Excipitur tamen crimen adulterii, quamvis de jure civili sit capitale, *l. quamvis 30. C. ad legem Jul. de adulter.* Id tamen intelligitur de adulterio duplicato, vel sæpè repitito, idque ut evitetur nota dedecoris ex parte conjugis innocentis, ejusque consanguineorum, & impediantur alia mala, ut cædes, & inimicitiæ. 4

Quòd verò excipiantur crimina publica non capitalia ex eo probatur, quia bonum commune Reipublicæ postulat, ne crimina maneant impunita, imò reus transigens circa crimen nō capitale habetur pro confesso *l. 5. de his qui notantur infamia.* Excipitur etiam crimen falsi, quia super hoc de jure civili semper licitum est pacisci etiam quando non irrogat pœnam sanguinis *l. transigere C. h. t.* quia crimen falsi valde gravem infamiam irrogat, & condemnatus de falso habetur ut mortuus, eò quia nulla fides sit ampliùs ipsi adhibenda *argum. l. justa causa. ff. de manumissis vindic.* 5

An verò spectato etiam jure canonico licitum sit transigere super crimine, ne quis de eo accusetur, negant aliqui, eò quia de jure canonico nunquam pro aliquo delicto imponitur pœna sanguinis *argum. can. his à quibus 23. q. 8.* Verùm communior sententia affirmat, eò quia de jure canonico habeantur aliquæ pœnæ quasi similes pœnæ capitali: siquidem potest quis tradi curiæ sæculari, vel etiam potest alicui imponi pœna perpetui carceris. Tum quia infamia quam hæc pœna inducit æquiparatur pœnæ sanguinis. 6

Quæritur quintò, an transactio possit extendi ad res non expressas in transactione? Respondetur, quòd si transactio fiat specialis de aliqua certa re una, vel pluribus in particulari, tunc non debet extendi ad alias res non expressas, nisi sint accessoriæ, & connexæ *l. si unus 27. §. ante omnia ff. de pact.* Sin verò transactio fiat generalis, aut indefinita, quæ æquivaleat universali, ut super tota hæreditate; tunc extenditur ad omnia particularia sub eodem genere contenta, tametsi in specie non sint expressa *c. si de certa 31. C. h. t.* quia sufficit si in genere, & confusè cognita fuerint, & comprehensa, sub illa generali trans- 7

transactione. Excipitur tamen nisi dolo alicujus transigentis res aliquæ occultæ sint, vel nisi transactio universalis facta sit super relictis in ultima voluntate, de quibus non valet transactio nisi inspecto testamento, Glossa in *c. 1. V. si vacuum. h. t.*

TITULUS XXXVII.

De Postulando.

Quia non omnes lites, pactis, & transactionibus finiuntur, eò quia vocati ad judicium nolint pacisci, nec transigere, sed malint judicio contendere, ideò quærendi sunt Advocati, & Procuratores, ut causam instituant, & agant ut possint jus suum, ac desiderium contra alterum proponere, aut postulare: ideò agendum erat de Postulando, Procuratoribus, aliisque necessariis ad litem instituendam, & promovendam, de quibus in sequentibus titulis Pontifex agit. Apud alium quisque dicitur postulare, quod desiderat; postulare enim est desiderium suum, vel alterius proferre, & explicare. Hac ratione sicut id, quod pro mercede datur Proxenetæ, qui negotio alicui explicando operam præstitit, dicitur interpretatio *l. ult. ff. de Proxen.* ita vocatur honorarium, quod remunerandi gratia datur Advocato, qui suffragium tulit. Postulare, & causam dicere idem est.

SUMMARIUM EXEGETICUM

Trium capitum, quæ in hoc titulo continentur.

C. *CLERICI 1. h. t. statuitur ex Concilio Lateranensi, Clericos in minoribus, vel majoribus, si sustententur stipendiis Ecclesiasticis non posse coram sæculari judice Advocatos esse in negotiis secularibus; nisi prosequantur propriam causam, vel suæ Ecclesiæ, vel pro personis miserabilibus, qua proprias causas tractare non possunt. Ex quo textu deducitur, Clericum in minoribus constitutum, & non habentem beneficium Ecclesiasticum posse patrocinari etiam in foro sæculari; non ita Clericum in sacris constitutum. Rursus posse tantùm patrocinari in civilibus, non in criminalibus.*

C. *EX PARTE 2. h. t. Innocentius III. declarat, jura probibentia Monachos patrocinari comprebendere etiam Canonicos Regulares, qui propterea non possunt etiam in negotiis Ecclesiasticis patrocinari, nisi utilitas monasterii ex Abbatis mandato id exigeret; ratio est, quia canon antiquus, qui probibuit Monachis hoc officium* c. Monachis 1. q. 1. *respexit ad religionem quoad suam substantiam; proinde comprehendit omnes Religiosos; adeò ut nullum religiosum deceat patrocinari extra casus exceptos. Tum quia ut notat Panormitanus hic* n. 1. *constitutio fundata super aliqua qualitate extenditur ad omnes existentes sub illa qualitate. Unde textus comprehendit omnes Religiosos, quamvis differant in nomine, & regula laxiore.*

C. *CUM SACERDOTIS ult. h. t. declarat Gregorius IX. non posse sacerdotem advocare nisi pro se ipso, vel sua Ecclesia, vel in necessitate pro conjunctis, vel miserabilibus. Rursus Clericum præsumentem Advocatum agere, vel Procuratorem contra Ecclesiam, à qua habet beneficium, posse tanquam ingratum privari tali beneficio, præsertim si sit Clericus ejusdem Ecclesiæ. Ratio est, quia officium Advocati tunc est nocivum, quando exercetur contra Ecclesiam, in qua Clericus habet beneficium, & potest propterea Clericus, ut ingratus privari beneficio. Cæterum postulare idem est ac advocare, ut jus suum reddatur clienti.*

COM-

COMMENTARIVS PARATITLARIS.

§. I.

Quale sit officium Advocati.

1 Uia plerumque partes super re controversia, nec per pactum, nec per transactionem volunt convenire, tunc lis inter ipsas instituitur, & ad judicium proceditur, in quo postulatur sententia judicis; & quia ad litem instituendam quærendi sunt idonei Advocati, & Procuratores; ideò explicatis, quæ pacta concernebant, & transactiones, proceditur in hoc titulo, & aliis sequentibus ad ea præparatoria, quæ ad judicium requiruntur. Tametsi postulare significet subinde exposcere in Episcopum alicujus Ecclesiæ eum, qui ob aliquod canonicum impedimentum, nec eligi, nec promoveri potest, nisi cum eo dispensetur; ut ostendimus in præcedentibus. Nihilominus significat etiam accusare; ut cùm dicimus postulare aliquem criminis. Et in præsenti postulare idem est ac suum, vel amici desiderium, cujus negotium geritur in judicio exponere, vel alterius desiderio contradicere; qui enim contradicit, aliquid postulat, scilicet ut à petitione, quam adversarius intentavit, absolvatur. *l. 1. §. 2. ff. h. t.* Hinc postulantes vocantur advocati, quos nonnunquam ipsi litigantes, sibi constituunt, & aliquando iis petentibus; vel etiam ex officio, magistratus superior eos decernit; si enim partes principales propter impedimentum juris, vel facti, per se ipsas postulare non possunt, nec etiam propter paupertatem advocatum acquirere, qui postulet; tunc magistratus supplet; & decernit Advocatum pauperum *l. 1. §. ait. Prætor. 3. ff. eod.*

2 Hinc Romæ in audientia Cameræ Apostolicæ statuitur advocatus pauperũ, cujus munus est privatorum hominum præsertim pauperum partes, & causam, sive jus apud Clericos, & judices Cameræ Apostolicæ contra fiscales advocatos tueri, ac defendere. Quia advocati non tenentur gratis litigare, nec servitium suum aliis sine mercede impendere; ideò si tenuiores sint litigantes; quàm ut sumptus valeant suppeditare, tunc judex ex officio deputat Advocatum, qui suam mercedem accipit à Magistratu, eâ conditione, ut gratis suum servitium pauperibus impendat, ad quod potest etiam adigi sub pœna pecuniaria, & etiam privationis officii, ut sumitur *ex text. in l. providendum. C. h. t.*

3 Ad exercendũ munus advocati non omnes admittuntur; plures enim jure canonico ob impotentiam à tali repelluntur exercitio, ut muti, surdi, furiosi; Adolescentes usque ad decimum octavum ætatis annum; alioquin completâ ætate permittitur minori postulare, seu exercere officium advocati *l. 1. §. 2 ff. h. t.* Alii non admittuntur ob indecentiam, & dignitatem status, ut Religiosi exceptâ causâ necessitatis Monasterii de licentia Abbatis in civilibus tantùm coram judice etiam sæculari. Ob eandem indecentiam nec admittuntur Clerici sacris initiati ordinibus; imò neque in minoribus constituti, si beneficium habuerint. Licèt in causa propria, vel suæ Ecclesiæ, vel pro conjunctis conjunctione carnali non habentibus advocatum idoneum; vel pro miserabilibus personis admittantur præfati Clerici ad munus advocandi etiam coram judice sæculari; dummodo negotium, quod agunt, Ecclesiasticum sit. Secus ab exercitio advocati excluduntur etiam infideles, excomunicati, infames, hæretici, servi, fœminæ, damnati capitali crimine; vel calumnia publici judicii. Rursus qui in causâ aliqua est judex, vel assessor, excluditur à munere advocati, quia duo officia in eadem causa non potest exercere *causa 4. quæst. 4. c. 1. & 2.*

Ut autem advocatus suo ritè valeat fungi munere, requiritur in eo scientia juris, in quo est versaturus, adeò ut sufficienter valeat merita, & justitiam causarum secundùm jura cognoscere, & juxta illa sententiam dicere. Hæc autem scientia debet esse sufficiens pro causarum, & negotiorum qualitate, proq; hominum opinione; qui enim doctior aliis reputatur, seque doctiorem jactat; majorem debet scientiam habere cæteris aliis; alioquin teneretur ad restitutionem damni; quod clientes fuerunt passi propter ejus imperitiam juris: qui enim dat causam damni, censetur dedisse ipsum damnũ. Tenetur enim Advocatus ex justitia tueri causam sui Clientis ratione pacti initi, & mercedis acceptæ; quòd si ob ignorantiam litem perdiderit, non adimplevit id, ad quod ex justitia tenebatur, proinde tenetur ad restitutionem, ut notat Salonius *2. 2. q. 71. art. 1.* Navarrus *in manual. c. 25. n. 28.* Lessius *l. 2. c. 31. dub 8.* 4

Rursus Advocatus sufficienti scientia instructus tenetur cavere, ne sit præceps in judicando, consulendo, & causas defendendo, sed maturè circumspectè, ac consideratè debet procedere. Neque debet consulere, aut seligere opiniones sophisticas, sed comunes, & probabiliores. Debet itidem esse diligens, & cautus circa cognitionem, & defensionem causæ: sufficit tamen si in singulis causis eam adhibeat diligentiam, ac industriam, quam solent viri prudentes, periti, ac Pii adhibere; est enim id commune omnibus exercentibus aliquod officium, ut illud non nisi cum debita cautela, & diligentia exerceant. Præter scientiam requiritur etiam in Advocato fidelitas, quam servare tenetur in suum Clientem; & in eo consistit, ut non adferat, nec alleget falsas leges, aut abrogatas; neque reprobatas doctrinas adducat, neque leges rectas in sensus improprios, & falsos distorqueat. Ut in patrocinando non utatur conviciis, nec maledictis; sed 5

ai potius, ut par est, nitatur bonis indiciis, nec litem defendat falsis cavillationibus, nec clienti suo jurare falsum suadeat, nec falsas producere scripturas, nec testes falsos inducere, nec quærere in gravamen alterius partis dilationes non necessarias. Ut non manifestet adversario merita causæ sui clientis, quia tunc esset puniendus ut prævaricator.

6 Cæterum tenetur Advocatus ad restitutionem damni, imò & salarii, quod recepit, non solùm si causam perdiderit (cùm tunc sit majori pœnæ obnoxius *l. si quis 38. §. si quis instrumentum. ff. de pœn.*) sed etiam si quovis modo ob suam incuriam, inscitiam, aut culpam in judicio causam amittat: non ita si causâ amittatur ob qualitatem ipsius causæ, vel ob defectum probationis, aut ob falsam, vel malam informationem clientis, tunc enim excusatur Advocatus, nec tenetur ad ullam restitutionem, ut notat Hostiens. *in sum. n. 4 & 5. h. t.* Non tamen in eadem instantia tametsi causa dubia fuerit, potest quis advocare pro utraque parte, quia non videtur possibile, ut perspectis diligenter utrinque meritis causæ, habeat bonam fidem respectu causæ utriusque partis: & præsertim, quia allegans contraria non est audiendus *l. 1. C. de furt.* unde in tali casu Advocatus, vel desistere debet ab exercitio Advocationis utriusque partis, vel in dubio assistere reo contra Actorem, ut habetur *in regul. jur. ii. in 6.* Vel Consilium, aut auxilium præstare, ut pro matrimonio, libertate, dote, aut alia pia causa favorabili *argu. c. fin. de re judic. C. ex litteris 3. de probat.* Secus in diversa instantia non prohibetur advocare pro utraque parte, patrocinium præstando uni in causa principali, & alteri in causa appellationis, dummodo res utrinque sit dubia.

7 Advocatus, qui scienter causam injustam defendendam suscipit, non solum mortaliter peccat cooperando iniquitati litigantis, sed etiam tenetur ad restitutionem damni, quod inde sequitur, ut docet D. Thomas *q. 71. art. 3.* Hinc parti contrariæ tenetur restituere ex peccato commissionis, quia fuit illi causa positiva damni: & proprio Clienti ex peccato omissionis, quatenus ipsum non admonuit de injustitia causæ: siquidem ex officio tenebatur admonere clientem ignorantem de causæ injustitia. Non tamen tenetur Advocatus restituere fisco mulctam, in quam reus fuisset condemnandus, si non ita injustè eum defendisset, quia hujusmodi mulctæ non sunt debitæ ante sententiam, proinde neque debentur fisco. Quòd si utrinque sententiæ fuerint probabiles, & res dubia, probabile est, posse Advocatum patrocinari, quia ille non profert sententiam, nec adigit judicem ad illam proferendam, sed tantùm proponit, quæ possunt confirmare jus sui clientis. Proponere enim judici in causa dubia non videtur injustum, cùm auditis partibus debeat judex meliùs causam examinare.

8 Non potest Advocatus pro suo patrocinio plus stipendii accipere, quàm quod sit à lege, vel consuetudine taxatum, nisi Cliens voluerit liberaliter plus dare. Siquidem tenetur quilibet servare legem justè taxantem pretium, alioquin peccaret contra justitiam, & teneretur ad restitutionem, ut docet D. Thomas *2. 2. q. 71. art. 4.* taxa enim constituit justum pretium patrocinii venalis, proinde si accipiatur ultra taxam, exigitur ultra justum, proinde committitur injustitia. Quòd si pretium non sit usu, vel jure taxatum, potest tunc Advocatus id tantùm accipere, quod judicio prudentis viri visum fuerit justum, habita ratione laboris in patrocinio, dignitatis, scientiæ Advocati, difficultatis, & gravitatis causæ.

Non tamen potest Advocatus pacisci cum Cliente de aliquota litis parte si vincat loco pretii, ut tertiam partem litis accipiat: siquidem hujusmodi pactum prohibetur, *l. si qui C. de postulando & l. sumptus §. de pact.* Ne scilicet detur occasio Advocatis vincendi lites per fraudes, ut ipsi accipiant tertiam litis partem. Cæterum licitum est pacisci absolutè de tanto pretio solvendo, sive causa vincatur, sive non, & tunc Advocatus ex vi prædictæ pecuniæ promissæ tenetur ad totam causam ea majori diligentia, qua potest prosequendam. Quia verò præfatæ leges prohibentes pactum inter Advocatum, & Clientem de tertia parte litis fundantur in præsumptione, & non habent locum, nec obligant in foro conscientiæ, quoties deficit præsumptio fraudis, & injustitiæ; ideò censent aliqui cum Valerio *in differ. V. contractus differentia 3.* Diana, Victorello, Navarra probabile esse, tale pactum initum inter Advocatum, & Clientem, non esse peccatum mortale, eò quia non adversetur ulli legi naturali, divinæ, aut Ecclesiasticæ, potest tamen Advocatus integrum stipendium sibi promissum recipere, si inchoatam causam deserat ob Clientis defectum, vel quia cliens aliquid confessus est, ex quo advocatus causam injustam esse cognovit; vel si stipendium absolutè fuit promissum, & assignatum pro labore nulla habita ratione ad tempus; & cliens litem inchoatam deserat, ob quod non possit Advocatus litem prosequi. Secus si promissum fuisset stipendium habita ratione temporis, & laboris, tunc non nisi ad ratam, seu juxta mensuram temporis, & laboris deberetur stipendium. 9

Effectus interdictæ postulationis est, advocatum non posse postulare, seu patrocinium præstare, tametsi ejus adversarius id patiatur, ut desumitur *ex l. quod prohibet 7. ff. h. t.* Cæterum si Advocatus in proprio officio delinquat puniendus est pœna arbitraria *l. 1. §. qui adversus h. t.* quòd si gravissimè deliquerit ab officio etiam excluditur advocationis *l. si qui. 5. C. h. t.* Pertinet etiam ad effectum postulationis, ut quamdiu quis idoneum non habet Advocatum, aut habere non potest, tamdiu ob contumaciam non possit damnari, sed concedendæ sunt illi induciæ, ut sibi Advocatum acquirat *c. 1. ut lite non contestata*, juncta Glossa *V. Advocatus.* 10

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones

Quæritur primò, quomodo munus Advocati distinguatur ab officio Procuratoris? Respondetur, quòd licet sub generali appellatione Advocatorum compre- 1

hendantur etiam Procuratores, & nomine Procuratorum etiam Advocati; eò quia ambo ad judicium pro causa agenda advocentur, & Clientis sui curam gerant, ut notat Tholosanus *syntag. juris univers. c 6. n. 2.* propriè tamen Advocatus differt à Procuratore, quia Advocatus propriè postulat, seu patrocinium aliquod præstat pro altero in judicio præsente, & causam pro se agente, aut Adversario respondente. Procurator autem propriè dicitur, qui pro altero absente postulat, ejusque litem prosequendam suscipit, & est veluti Procurator, & Executor advocationis, ut notat Mynsing. *instit. de his, per quos agere poss.* §. *Procurator. num. 5.* Rursus Procurator tenetur actione mandati, si cum adversario colluserit *l. si Procuratorem 8. ff. mandat.* quia cum ipso contrahitur: secus Advocatus non obligatur ex mandato, etiamsi malè agat: tenetur tamen de prævaricatione *l. 1. cap. de advocat.* ut si secreta, & consilia suæ partis aperiat, seu causam suæ partis prodat adversario eum adjuvando *l. 1. ff. de prævaricat.* Rursus Procurator post litis contestationem fit Dominus litis, *cap. 1. de Procurat. in 6.* seu instantiæ litis, non causæ, non item Advocatus *l. 1. C. de errore advocat.* Tum quia officium Advocati est publicum *ff. de regulis juris.* honorabile, & multis gaudet privilegiis *l laudabile 23. Cod. de advocatione diversis Judic.* Officium verò Procuratoris est privatum, vile, & onerosum, *l. si quis 34. Cod. de Decur.* Sunt aliæ differentiæ, quæ habentur in jure.

2 Quæritur secundò, an Clericus in minoribus possit esse Advocatus, & Procurator ad lites? Respondetur, Clericos in minoribus Ordinibus constitutos, si beneficiati non sint, non prohiberi esse Advocatos etiam in causis sæcularibus, & coram judice sæculari; & desumitur *ex c. clerici 1. h. t.* ubi ex Concilio Lateranensi dicitur, quòd Clerici in minoribus, vel majoribus ordinibus constituti, si sustententur stipendiis Ecclesiæ, non possunt esse Advocati coram judice sæculari in negotiis sæcularibus, nisi prosequantur propriam causam, vel suæ Ecclesiæ, vel pro personis miserabilibus, quæ proprias causas tractare non possunt: unde à contrario sensu sequitur, Clericos in minoribus constitutos, si non sustententur stipendiis Ecclesiæ, posse esse Advocatos coram judice sæculari in negotiis sæcularibus. Ratio est, quia causa hujus prohibitionis factæ Clericis in majoribus est excellentia status, seu sacri Ordinis: & ratio, cur id prohibeatur clericis beneficiatis, est, quia sufficientem sustentationem habent ex beneficio Ecclesiastico: atqui, utraque ratio prohibitionis cessat in Clericis constitutis in minoribus, & non beneficiatis; proinde non prohibentur fungi munere Advocati.

3 Excipiuntur tamen causæ criminales præsertim pro actore contra reum, idque ob periculum irregularitatis incurrendæ, si reus ad mortem damnaretur, vel ad abscissionem alicujus membri *c. sententiam 9. ne Clerici, vel Monach.* Verùm si Clerici in minoribus constituti habeant bona patrimonialia, vel aliunde bona acquisita, probabilius est, non posse exercere munus advocati, tunc enim cessat causa necessitatis, ob quam permittitur Clericis advocare. Tum quia generatim omnes Clerici, si non indigent, prohibentur se immiscere sæcularibus negotiis *argum. c. Episc. 4. de præbend.*

Quæritur tertiò, an Clerici non sacerdotes, sed in majoribus Ordinibus constituti possint esse advocati? Respondetur, coram Judice Ecclesiastico in omnibus causis etiam sæcularibus posse exercere munus Advocati, & desumitur *ex c. Clerici 1. h. t.* ubi dicitur, quòd non possint munus advocati exercere coram judice sæculari in negotiis sæcularibus; unde à contrario sensu infertur, posse esse advocatos coram Judice Ecclesiastico in omnibus causis etiam sæcularibus: cum in *d. c. Clerici 1. h. t.* prohibeantur clerici in majoribus esse advocati coram sæculari judice in negotiis sæcularibus; etiam à contrario sensu deducitur, quòd in negotiis non secularibus, seu in causis Ecclesiasticis possint esse advocati etiam coram judice sæculari. Præterea causa, quæ aliàs ad forum sæculare spectat, potest censeri Ecclesiastica, vel ratione personæ, quia persona litigans est Ecclesiastica, seu actor, qui forum rei laici sequi debet, & proinde litigare coram judice sæculari in causa sæculari *c. cum sit 8. de foro. compet.* Vel ratione delicti, ut ob sacrilegium, vel aliud crimen mixti fori commissum à laico *eodem c. cùm sit.* vel ratione rei, de qua litigatur, quia est res Ecclesiæ, & sæculari Domino obligata ut feudum. Sacerdotes verò prohibentur etiam in tribunali Ecclesiastico Advocatos agere, nisi suam, vel Ecclesiæ suæ causam prosequantur ex necessitate, quia alius advocatus saltem tam idoneus haberi non possit. 4

Quæritur quartò, in quibus casibus possit sacerdos advocare in judicio coram judice Ecclesiastico? Respondetur in quatuor casibus, quorum primus est pro se ipso, seu in propria causa, in qua sacerdos, vel alius Clericus non cogitur Procuratorem, vel alium constituere, sed permittitur, ut possit per se ipsum suam causam defendere, ut notat Hostiens. *in c. 1. clerici V. nisi pro prium h. t.* Secundus pro causa suæ Ecclesiæ, ut notat Abbas *in d c. 1. not. 2.* Tertius pro personis conjunctis *l. sed & hæ 35. ff. de Procurat.* idque usque ad quartum gradum consanguinitatis; enumerantur etiam fratres spirituales, & Canonici ejusdem Ecclesiæ, ut notat Fagnanus *in d. c. 1. n. 10. & sequent.* Quartus pro personis miserabilibus, quarum defensio ad Ecclesiam spectat, si idoneum Advocatum habere non possint, ut notat Fagnanus *in d. c. 1. n. 13. h. t.* 5

Quæritur quintò, an Religiosi prohibeantur agere Advocatum in judicio? Respondetur secundùm sacros canones non posse exercere munus Advocati, vel Procuratoris in judicio, sive agatur coram Judice Ecclesiastico, sive laico, præterquam in causis sui monasterii exigente utilitate ejusdem, & accedente mandato Prælati Regularis *can. Monachi. 35. caus. 16. q. 1.* quia Religiosi debent omninò esse addicti divino cultui, & abstracti à curis sæcularibus. Ut autè Religiosus possit esse advocatus, duo copulativè requiruntur utilitas monasterii, & mandatum superioris, adeò ut si alter- 6

si alterutra conditio deficiat, non possit munus obire Advocati, vel Procuratoris in neutro foro: rursus requiritur non solùm ut licentia sit petita, sed etiam impetrata *c. ex parte 2. h.t.* & rursus præter licentiam Prælati requiritur etiam utilitas Monasterii. Prælatus verò potest esse Advocatus in judicio sine licentia sui Conventus; cum ipse non dependeat à Conventu, idque non solùm in causa pertinente ad utilitatem Monasterii; sed etiam in alia causa Ecclesiastica. Secundò in causis miserabilium potest Religiosus cum licentia Prælati munus obire Advocati.

TITULUS XXXVIII.

De Procuratoribus.

Cum iis, qui alieno nomine postulant, seu causas agunt accensentur Procuratores; ideò cum Pontifex in præcedente titulo egisset de postulandis, seu advocatis, qui patroni, & Causidici etiam dicuntur, qui per allegationes, & rationes juris exponunt judicibus jura, & causas suorum clientum, ut justitiæ Administratoribus; ideò in hoc titulo agit de Procuratoribus. Adest enim Procurator plerumque Actori, vel Reo, & veluti negotii cognitor, illius contextum dirigit, qua ratione à Seneca *epist. 110.* dicitur litis Ordinator, & in *l. ult. ff. de testib.* vocatur negotiorum Executor. Licèt non possit quis compelli ad constituendum Procuratorem: viri tamen Illustres, & in dignitate honoratiori constituti, cùm per se non compareant in judicio, coguntur Procuratores constituere *l. penult. h. t.* Imò coguntur hodiè omnes illos constituere, nisi in levibus causis, quæ de plano, & sine strepitu judicii finiri debent, coram pedaneis Judicibus.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, in hoc titulo contentorum.

CAP. *ALIA QUIDEM 1. h. t. Rescribit Gregorius Papa Episcopo Salonensi, debere Procuratorem alterius habere mandatum legaliter factum, subscriptum à testibus, aliter non auditur; & irritum est quicquid per ipsum factum fuerit: quia gesta à falso Procuratore non subsistunt in præjudicium Domini, quamvis possint valere in præjudicium Procuratoris, ut notat Panormitanus* n. 2. ex l. Plautius ff. eod. l. 3. §. falsus ff. rem ratam haberi. *Cæterùm asserenti se esse Procuratorem alterius, & fidem non facienti, non est credendum; quia Pontifex vult, Procuratorem alterius habere mandatum legaliter factum, ad quod tria requiruntur. Primò nomen illius qui Procuratorem constituit. Secundò causæ expressio, ad quam Procurator constituitur. Tertiò quòd Dominus ratum habebit, quod cum Procuratore factum fuerit. Rursus ad legalitatem requiritur, ut nullus defectus appareat in sigillis, subscriptionibus, testibus, si qui in procuratorio faciendo, vel dando adhibiti fuerint: & si quid suspectum, vel dubium appareat, scribendum sit ad Dominum Procuratoris, nisi sit periculum in mora. Cæterum sine consensu Capituli Procurator non admittitur ad agendum. Rursus capitulum sine Prælato, & Prælatus sine Capitulo non potest convenire, nec conveniri.*

C. *QUERELAM 2. h. t. Alexander III. declarat, sententiam condemnatoriam expensarum ex eo quia tempore statuto Clericus non comparuit, si per Nuncios se excusavit cum causa probabili infirmitatis, nullius esse valoris: quia in causis gravibus nemo potest adigi, Procuratorem constituere, nisi velit. Ex hoc textu liquet, eum qui statuto tempore non comparet posse condemnari ad expensas partis, si non probet probabile impedimentum. Qualis verò infirmitas excuset ad comparendum coram Judice; communior opinio est; non esse necesse, ut morbus sit lethalis, sed sufficere; si accessus causet dolorem, vel notabilem difficultatem, aut debilitatem: quæ tamen excusatio valet in causis gravibus, non in levibus: quia in rebus magni momenti facilè aliquid negligi potest per Procuratorem, & accuratiùs fieri per Dominum, cujus res agitur; ne damnum patiatur, vel amittat aliquod emolumentum: è converso in causis levi-*

levibus obedientia, quæ debetur Iudici, exigit ut absens, si non possit per se comparere, saltem Procuratorem mittat: Notat tamen Panormitanus excusationem justam absentiæ, sive ob infirmitatem, sive aliam causam magnum operari effectum: quia si Iudex fuit certus de tali impedimento, ejus sententia contra absentem lata nullius est valoris l. quæsitum ff. de re judic. *Delegatus tamen non potest jubere alterutram partem comparere coram se personaliter, nisi sic habeat in mandantis specialiter: sed tantùm in certis casibus.*

C. *EX INSINUANTE* 3. *h. t. Clemens III. declarat, quòd si falsus Procurator, eò quia præsentibus testibus fuerit revocatus, tractat causam, & illam perdit, sententia lata sit nulla, & possessio restituenda Domino; si constet per juramentum Domini, & unius testis Procuratorem fuisse revocatum. Hinc notat Glossa, teneri quemque probare suam institutionem si revocetur in dubium. Rursus Procuratorem posse revocari viva voce, quamvis constitutus per scripturam, seu instrumentum sit. Cæterùm revocatio Procuratoris debet eidem intimari, ut valeat; quinimò intimanda est etiam Iudici, vel adversario, quia ipsorum interest, ne perperam agant, aut fallantur, si agant cum Procuratore potestatem ampliùs non habente post revocationem.*

C. *IN NOSTRA* 4. *h. t. Innocentius III. rescribit, Procuratorem revocatum, & de hoc certificatum, sciente parte adversa, non posse rescripta à Papa obtinere, nec procurare sententias, quæ si ferantur sunt irrita, ut etiam nulla rescripta obtenta à Papa. Hinc Procurator revocatus quicquid agit, nil valet, & sententia per illum impetrata est irrita cum omnibus inde secutis. Idque etiam procedit de procuratore falso, cujus exceptio ante, & post sententiam opponi semper potest.*

C. *TUÆ FRATERNITATI* 5. *h. t. Idem Pont. rescribit Episcopo Paduano, quòd si vir accuset uxorem de adulterio coram Iudice sæculari ad pœnam legitimam, quia tunc se debet ad pœnam talionis adstringere, non per Procuratorem, sed per se ipsum præsentem teneatur accusare. Sin verò coram Iudice Ecclesiastico pro separatione tori, potest tunc per Procuratorem accusare, eò quia non debet se ad pœnam talionis obligare, ne per fraudem consequatur intentum: hæc autem accusatio de crimine non reputatur merè criminalis, sed mixta inter civilem & criminalem. Notandum est pro adulterio, posse aliquem Iudicem sæcularem adire, si agatur criminaliter ad pœnam, quæ olim erat ultimi supplicii; proinde adultera non poterat deferri ad Iudicem Ecclesiasticum, quia hic non decernit pœnam sanguinis* c. sententiam sanguinis ne Clerici vel Monachi c. Rex 23. q. 5. *Verùm quia pœna mortis pro adulterio tempore Panormitani non ampliùs inferebatur, rectè addit, posse adulteram accusari etiam coram Iudice Ecclesiastico, ut si convicta fuerit detrudatur in monasterium, vel aliter puniatur.*

C. *CUM PRO CAUSA* 6. *h. t. Rescribit idem Pont. eum qui de mandato alicujus aliquam causam, vel negotia procuravit, posse repetere à mandante expensas factas ob eandem causam. Hinc notat Glossa, eum qui fecit expensas in procuranda utilitate Ecclesiæ absque mandato Capituli posse recuperare expensas, dummodo res suum habuerit effectum: secus si non habuerit effectum, nisi Capitulum mandaverit.*

C. *QUIA IN CAUSIS* 7. *h. t. Innocentius III. declarat, universitatem posse constituere Procuratorem tam ad agendum, quam ad respondendum. Hinc studiosi in Academiis ubi constituunt universitatem approbatam, possunt Procuratores constituere pro causis suis agendis: propriè tamen talis Procurator est potiùs Syndicus.*

C. *AUDITIS* 8. *h. t. Honorius III. rescribit Episcopo Egitanensi, quòd si Papa casset processus principales, cuncta inde secuta sunt irrita, non obstantibus litteris revocatoriis mandati, quæ ad Procuratorem primùm pervenerunt, cùm jam esset hinc inde in causam conclusum. Rursus statuit Pontifex, ut qui revocat Procuratorem in contemptum Sedis Apostolicæ, & in præjudicium adversarii, condemnetur ad expensas factas ab Adversario. Demum declarat, post conclusionem in causa, revocationem mandati non tenere. Notat tamen Glossa, revocationem mandati debere pervenire ad Procuratorem, vel Adversarium, aut Iudicem, alioquin acta tenerent; ut etiam si tempestivè fuerit revocatio facta, sed non ostensa Iudici, vel parti. Rursus si fuit ostensa Iudici, sed post processum factum, Iudex non obstante revocatione potest ferre sententiam contra absentem; sed si tempestivè fuerit revocatio ostensa Iudici, quicquid deinde fit à Iudice non valet. Tota igitur vis hujus textus in eo est sita, quòd revocatio procuratoris post conclusionem in causa, non impedit, quominùs possit procedi ad sententiam.*

C. *PETITIO* 9. *h. t. Idem Pont. rescribit Canonicis Mutinensibus, quòd si ex antecedentibus, vel consequentibus appareat, dominum voluisse, ut aliquis agat, & respondeat pro ipso; possit is respondere, & agere, tametsi non vocetur in litteris Actor, vel Syndicus, aut Actor; quia in dubio consideratur, præsertim in mandato, mens Domini mandantis. Verùm in contractu venditionis in dubio fit interpretatio contra venditorem* l. habeo ff. de contrah. empt. *Quamobrem, quando constat de intentione mandantis non est vis facienda in verbis, quia verba deserviunt intentioni, non intentio verbis.*

C. *ACCEDENS* 10. *h. t. Gregorius IX. mandat cuidam nobili viro Ubaldo civi Pisano, ut nobilem mulierem, quæ sub ipsius tenebatur potestate plenæ restituat libertati; ut libera procuratorem possit liberè constituere: ipse verò super sponsalibus, quæ inter ipsius filiam, & mulieris filium contracta proponuntur mittat idoneum Procuratorem ad Sedem Apostolicam, qui agendi & respondendi plenam habeat potestatem. Ex quo textu apparet, eum, qui Procuratorem constituit debere esse in omnimoda libertate, non verò in potestate alterius, maximè in causa matrimoniali. Cæterùm qui detinetur*

in potestate alterius, si cum illo contrahat, potest postea metum allegare, & contra actum per actionem rescindere. Qui verò tenetur aliquem restituere libertati non satisfacit, relaxando illum in suo territorio, sed tenetur illum dimittere extra suum territorium, in quo quamdiu detinetur, non censetur in loco securo, argum. c.fin. de restit. spoliat.

C. *DILECTUS 11. h. t. Idem Pont. rescribit Archiepiscopo Cantuariensi, quòd si Procurator generalis ad omnia, citatus petat inducias ad consulendum Dominum, an velit litigare, vel cedere & ei induciæ denegentur, possit appellare: & irritum esse quicquid post appellationem fit. Ex quo textu constat, posse Procuratorem initio litis citari, quando tamen Principalis citandus est. Notat Glossa hic inducias ad deliberandum esse arbitrarias secundùm distantiam loci, non ita inducias ad appellandum, ista enim sunt decem dierum.*

C. *CONSTITUTIS 12. h. t. Idem Pont. rescribit Episcopo Lexonensi, quòd si duo litigent, & reus absque licentia discedat, relicto solùm Procuratore ad agendum, & non ad defendendum, habeatur ut contumax, & sit condemnandus ad expensas partis. Hinc liquet, eum, qui legitimè citatus recedit sine licentia Iudicis haberi pro contumace, ac posse condemnari ut talem. Rursus constituere Procuratorem non sufficientem, perinde esse ac nullum constituere.*

C. *MANDATO 13. h. t. Declarat idem Pont. judicium factum revocato Procuratore, si Iudex vel pars contraria nesciebat revocationem, ratum haberi. Ubi notat Glossa, post litem contestatam, revocationem Procuratoris non valere in præjudicium adversarii, benè tamen in præjudicium revocantis, cùm non possit prætendere ignorantiam revocationis. Notitia verò revocationis sufficit si fiat uni Iudici, quia si In lex tertius sit de revocatione procuratoris, illum facessere jubebit; & id adversario etiam innotescet.*

C. *NON INIUSTE 14. h. t. Idem Pont. declarat, filiumfamilias posse esse Procuratorem etiam ad lites futuras: quòd si Procurator sit cum alio in solidum, tunc causam prosequitur primò occupans: rursus si alter sit Procurator posterior tempore, procuratio prioris cessat. Verùm Panormitanus hîc n.4 censet, id procedere de Procuratore dato ante litis contestationem; vult enim tunc revocari, si detur secundus: non ita si detur primus post litis contestationem, quia iste non potest revocari sine causæ cognitione, ut notat Bartolus in* l. si quis cum ff. eod. *Rursus declarat, posse appellare ad superiorem, vel admonere Dominum, ut appellet, tametsi non teneatur invitus appellare; ubi notat Panormitanus hic* n.5. *mandatum procuratorium per sententiam non extingui ex toto, sed durare etiam in causa appellationis, quæ censetur una, & eadem cum causa principali. Cæterùm filius quamvis adhuc sit minor, & sine mandato admittitur ad agendum, vel defendendum pro sua parte.*

C. *CONSULTI 15. h. t. Idem Pont. consultus, an Procurator missus ab Universitate, in qua Majores, & Iurati, per quos ipsa communitas regebatur, excommunicatione innodabantur tempore electionis Procuratoris, sit repellendus ab impetrando? rescribit Pontifex, nisi essent illi excommunicati expressi in litteris procurationis, vel Procurator sciret, eos esse excommunicatos, non esse Procuratorem excludendum, eò quia tunc non constat, fuisse electum authoritate eorum, qui erant excommunicati, præsertim cum communitas supponatur ignorâsse eos esse excommunicatos. Ex quo textu colligitur, quòd si excommunicatus pro aliis impetret, litteræ nullius sint valoris. Panormitanus hic* n.3. *ex hoc textu eruit insignem regulam, scilicet:* quòd actus gestus ab Universitate, in qua fuerunt aliqui inhabiles, vel excommunicati, quamvis sint præsidentes, non inficitur ob præsentiam inhabilium, *unde actus valet, & sustinetur propter habiles. Fallit tamen hæc regula, si inhabiles expressi sint in ipsa dispositione, seu forma actûs. Ut etiam si actus gestus fuit ab Universitate, in qua inhabiles interposuerint authoritatem, ut Majores, & Principaliores. Ut etiam fallit, si Universitas scienter admisit inhabiles ad aliquid agendum simul cum habilibus, quod tamen procedit de ea inhabilitate, quam habiles purgare non possunt, ut est excommunicatio: hæc omnia liquent ex hoc textu.*

IN SEXTO.

CAP. *NON INDISCRETE 1. h. t. Bonifacius VIII. declarat, laicum posse Procuratorem esse ad agendum, & defendendum in causis spiritualibus, quia qui non prohibetur expressè à procura, idoneus reputandus est. Rursus Procuratorem post litem contestatam posse substituere alium Procuratorem, non ita, non lite contestata; nisi id habeat in mandatis à Domino: & nisi in rem suam, suamque utilitatem factus sit Procurator. Ex hoc textu constat in spiritualibus posse admitti etiam Procuratorem laicum, & quemlibet alium non expressè prohibitum. Rursus Procuratorem tunc fieri Dominum litis, quando hæc cum illo fuit contestata* l. neque Tutores C. eod. *Verùm in causis, quæ litis contestationem non exigunt, fit Procurator Dominus litis, cùm primùm tractatur de meritis causæ, & negotium principale discutitur, ut notat Bartol.* l. ab Executore §. si Procurator p. 2. de appellat. *Dicitur autem tunc Dominus litis ob acquisitam potestatem prosequendi, & administrandi litem, prout consultiùs ipsi videbitur: & hæc potestas non potest revocari sine causa.*

C. *QUAMVIS 2. h. t. Idem Pont. declarat posse Dominum ante litem contestatam revocare Procuratorem, non ita post litem contestatam, seu post responsionem factam in libello ipso nolente, nisi adsit justa causa, ut si Procurator fiat suspectus, vel affinis adversarii, vel inimicus Domini, vel diu peregrinetur aut detineatur ægrotus, vel ex alia causa impediatur. Verùm quamvis non possit Dominus post litem contestatam revocare Procuratorem, potest tamen adesse*

sua

suæ causæ, eique assistere, si timeat de collusione. Notat tamen Glossa ad removendum Procuratorem post litem contestatam, suspicionem probandam esse.

C. *HIS QUI 3. h.t. Declarat idem Pont. quòd si Procurator habens potestatem substituendi, aliquem substituat, non possit substitutum revocare, nisi habeat etiam potestatem revocandi post mandatum acceptum, tametsi substitutus non sit usus mandato. Quòd si erat Procurator ad plures causas, & in una substituit, adhuc remanet in aliis Procurator. Ex quo textu infertur, quòd si Procurator habens potestatem substituendi, aliquem sibi substituerit, videatur in illum transferre omnem suam potestatem; adeò ut non possit illum amplius revocare, nec alium substituere; quia ut notat Barbosa hic n. 5. est functus suo officio. Secus tamen est in delegato Papæ, quia Delegatus Principis habet à jure, non ab homine, ut possit subdelegare, & ideo revocare potest, quamvis subdelegatus nondum fuerit usus mandato.*

C. *QUI AD AGENDUM 4. h.t. Declarat idem Pont. Procuratorem ad agendum, & defendendum, & generaliter ad omnia exigentia speciale mandatum non debere ex vi hujus generalitatis admitti ad aliquem articulum, in quo requiritur speciale mandatum. Sin verò aliquis articulus requireus speciale mandatum, expressum sit cum clausula generali, tunc admittitur etiam ad non expressos. Rursus declarat, non posse Procuratores sine speciali mandato, deferre juramentum, transigere, vel pacisci, nisi eis sit liberè concessa bonorum administratio, vel causa, seu in rem suam, vel propriam utilitatem: vel si ut Dominus esset præsens. Nota, articulos exigentes speciale mandatum generatim eos dici, qui sunt magis ardui, vel Domino possunt esse præjudiciales, si Procuratori concederet, ut liberè eos tractaret.*

C. *QUI GENERALITER 5. h.t. Idem Pont. rescribit, Procuratorem constitutum ad negotia generaliter posse agere, & expedire, seu defendere exceptis casibus exigentibus speciale mandatum. Rursus filiumfamilias posse fieri Procuratorem ad negotia, & judicia etiam sine consensu Patris. Declarat itidem, post annum 17. posse aliquem esse Procuratorem ad negotia, non ita ad judicia, & lites nisi post annum 25.*

C. *SI DUO 6. h.t. Declarat idem Pont. quòd si duo Procuratores constituantur simul, non debeat unus sine alio admitti: verùm si sint electi in solidum, tunc praeoccupans ita admittitur, ut alius non possit se immiscere. Quòd si mandato procuratorio fuit adjecta clausula*, quod non sit melior conditio occupantis, *tunc si primus non prosequitur, nec alium substituit, secundus admittitur: quinimò si cesset impedimentum primi; non potest primus iterum se intromittere, nisi secundus sit impeditus. Demum declarat, quòd si in causis spiritualibus duo ponantur Procuratores non in solidum, & Index eligat meliorem, alius non admittitur, nisi quando est occupatus sine substitutione.*

C. *LICET 7. h.t. Idem Pont. declarat, officium Procuratoris privatæ personæ esse voluntarium, & non posse cogi aliquem ad tale munus subeundum: secus tamen quando est publicum & regium. Hinc si quis absens constituit me suum Procuratorem, & dixerim, me nolle acceptare mandatum mihi præsentatum; si absens perseveret in eadem voluntate, adhuc ego possum acceptare.*

C. *SI QUEM 8. h.t. Declarat idem Pont. Dominum absentem, qui posuit Procuratorem pro tempore, si veniens prosequatur causam inceptam, non intelligi revocare Procuratorem: sin autem illum simpliciter posuit, & postea ipse Dominus personaliter prosequitur causam, tunc intelligitur revocasse, nisi protestetur, cum non revocare, vel aliunde constet, eum non revocare.*

C. *PROCURATOR 9. h.t. Idem Pont. statuit, ut Procurator ad contrahendum matrimonium habeat mandatum speciale ad tale matrimonium: & non possit alium substituere, nisi id specialiter habeat in mandatis. Rursus si Dominus revocet Procuratorem, & hic nil sciens de revocatione contrahat matrimonium, declarat Pontifex, hoc esse nullum.*

IN CLEMENTINIS.

C. *INSTRUMENTO 1. h. t. Clemens V. in Concilio Viennensi declarat, quòd si quis eligat Procuratorem, cui mittat instrumentum, in quo caveat de judicato solvendo, si Procurator simpliciter, & scienter acceptet litteras nullâ factâ protestatione, non possit retrocedere.*

C. *NON POTEST 2. h.t. Declarat idem Pont. non posse Procuratorem generaliter ad omnia, etiam quæ speciale mandatum exigunt (nisi aliud super hoc in mandatis habeat) in persona electi, provisi, vel providendi opponere crimina, vel defectus: quia sub tali generalitate non comprehenduntur, nisi quæ in mandato sunt expressa.*

C. *SI RELIGIOSUS 3. h. t. Declarat idem Pont. non posse Religiosum sine licentia sui Superioris esse Procuratorem, nisi pro suo consorte in eadem lite: nec posse procuratorium accipere ad sustinendum alium, tametsi id habeat in mandatis, ubi notat Glossa; licentiam superioris debere tunc esse in utilitatem monasterii.*

C. *PROCURATOREM 4. h. t. Idem Pont. declarat, Procuratorem constitutum à Rectore Ecclesiæ censeri revocatum per mortem Rectoris etiam quoad causas inceptas, & lites contestatas.*

COM-

COMMENTARIUS PARA-TITLARIS.

§. I.

Quis sit Procurator, & ejus officium quale?

1 PRæcipui, qui alieno nomine postulant, seu causas agunt, sunt Advocati, & procuratores, illi patroni, & causidici, etiam vocantur, & per allegationes, ac rationes juris exponunt judici jura, & causas suorum clientum, veluti justitiæ administratori, ad quod plurimum requiritur industriæ, doctrinæ, & artis. Hinc munus advocati est publicum, honorificum, & laudabile *l. laudabile C. de advocat. diversor. judic.* & pluribus gaudet privilegiis, ut constat *ex tit. eod.* post Advocatos locum obtinent Procuratores, quorum munus est magis privatum: hi enim gerunt negotia, sive in judicio, sive extra judicium in litibus solicitandis, ac prosequendis, proinde plus requiritur diligentiæ, quàm artis, & ingenii. Hinc munus Procuratoris habetur onerosum, ac vile *l. si quis procuratorem 24. C. de curion. lib. 10.* & quia in præcedenti titulo de Advocatis diximus, qui patrocinium præbent litigantibus; superest de procuratoribus nonnulla attexere, cùm isti vices litigantium suppleant, ut notat Hostiensis in *sum. ad rubric. h. t.*

2 Dicitur Procurator, quasi pro alio curator scilicet pro Domino, cujus vices gerit in suis rebus, & negotiis promovendis, cùm enim Domini non semper possint, vel velint per se ipsos immediatè sua negotia agere, per alios id præstant: unde procurator est, qui aliena negotia mandato domini administrat, adeò ut Procuratoris officium sit species quædam mandati, & quia mandata sunt varia; ita procurator alius est specialis, generalis alius. Rursus alius est ad lites, sive judicia, & alius ad alia negotia pertractanda. Procurator ad negotia propriè is dicitur, qui à mandante accipit instrumentum ad aliquid agendum nomine ipsius, sive in judicio, sive extra: quapropter directè, & immediatè acquirit actiones principali, non sibi, ut notat Layman. *lib. 3 tract. 4 c. 26. n. 6.* Cæterùm Procurator priusquam incipiat negotia principalis agere tenetur perinde ac quilibet alius mandatarius, aut delegatus litteras sui mandati, vel commissionis exhibere, neque ejus potestas se ulterius extendit, quàm in litteris exprimatur; & tenetur Domino reddere rationem suæ administrationis, eique cedere jura, & actiones, quæ ex tali administratione acquisivit *l. minor. §. de procur.* Si tamen persona fuerit consanguinea, & valdè conjuncta principali admittitur ad sustinendas vices illius, etiam sine mandato, dummodo procuret, quod principalis sit ratum habiturum quidquid ipse egerit. Procurator ad negotia ad minimum debet excessisse ætatem 17. annorum; & ad judicia 25. *l. si Procuratorem. §. si quis ff. mandati.* est enim discrimen inter procuratorem ad negotia, & judicia, quia ille potest alios substituere, nisi id ei prohibitum fuerit; vel nisi specialis negotii gravitas exigat, ut per se ipsum, & non per alium substitutum vices gerat principalis: Procurator verò ad judicia nequit alium suo loco substituere, nisi id in mandato expresse contineatur; vel postquam ab ipso lis contestata fuit, vel nisi in rem suam, seu propriam utilitatem datus fuerit; quia tunc ut principalis constituit sibi procuratorem. Cæterùm procurator ad judicia etiam de culpa levi, imò secundùm aliquos etiam de levissima tenetur, eò quia censeatur exactam rei gerendæ peritiam præseferre *l. in Procuratore C. mandati* Layman *lib. 3. tractat. 4. cap. 27. num. 7.* procuratores verò ad negotia, perinde ac alii mandatarii tenentur duntaxat de culpa lata, nisi qualitas, & gravitas negotii majorem exigat diligentiam.

Procurator igitur est, qui ex mandato Domini negotia administrat aliena, unde materia circa quam versatur Procurator sunt aliena negotia, quia sicut rebus suis nemo dicitur servire *l. in re communi ff. de servit. urban. præd.* ita nec in proprio negotio quisquam est sibi procurator. Per hoc autem quòd ex mandato principalis, seu Domini administret aliena negotia, distinguitur à defensore, & negotiorum gestore, qui sine mandato defendit, ac negotiatur §. *igitur Instit. de obligat. quæ quasi ex contract. nasc.* & tametsi ex variis legibus is etiam, qui absque mandato principalis, negotiis alienis se se offert, vel aliquid negotii nomine alterius gerit, dicatur etiam Procurator; magis tamen propriè is dicitur negotiorum gestor *l. qui hominem 34. §. si generaliter. & l. si quis 58. ff. de solut.* unde procurator propriè is dicitur, qui mandatum habet administrandi aliena negotia, & per hoc distinguitur etiam à Tutore, Curatore, & similibus aliis, qui non ex mandato Domini, sed publica authoritate, vel magistratus, vel legis, vel gestoris res alienas administrant. 3

Rursus per hoc, quòd procurator ex mandato Domini administret negotia aliena distinguitur ab Advocato, quia hic non gerit privatim negotia aliena mandato Domini; sed tantùm pro alterius causa advocat, & jus sui clientis explicat, & ostendit judici, & merita causæ allegat. Differt etiam à Nuntio, quia nec iste administrat negotia alterius alieno nomine, sed tantùm illi inest jus exequendi nudum factum. Jure tamen canonico nomen Procuratoris latiùs patet: siquidem is etiam dicitur Procurator; qui à non Domino constituitur, ut à Prælato, & aliis Clericis in causis Ecclesiasticis *c. olim. de restitution. spoliat.* & *cap. 1. h. t.* Hinc Universitas etiam, & Collegium procuratorem constituit, qui tamen proprio nomine, syndicus vocatur, vel Actor. 4

Constituere Procuratorem generatim hi omnes 5

nes possunt, qui non prohibentur, & qui ad se obligandum idonei sunt, ac Domini rei, de qua agitur, ut notat Glossa in *l. neque C. eod.* Idque in causis tam civilibus, quàm criminalibus, nisi lege expresse prohibeantur, unde is, qui non prohibetur dare Procuratorem, illi hoc conceditur *l. mutus 43. §. 1. hujus tit.* Hinc universitas potest Procuratorem constituere etiam ad causas in judicio agendas, ut liquet ex *c. quia in causis 7. hujus tit.* imò non solùm ad agendum, verum etiam ad defendendum (licèt hunc jura civilia, Actorem partis, seu Syndicum potiùs vocari velint, quàm procuratorem) siquidem universitas tanquam persona ficta habetur locò Domini, ita tamen ut Procurator, seu Syndicus ab universitate constitutus jurare debeat de calumnia sine mandato, etiamsi speciale mandatum locum non habeat: non autem Procurator à privato datus, nisi speciale mandatum habeat. Hinc universitas scholarium, potest etiam constituere Procuratorem, qui nomine illius agat in judicio, ac pro illa respondeat, eámque defendat, quia tanquam persona ficta habetur loco Domini, ut notat Glossa hic *V. de jur. commun.* Cùm enim Scholares possint sibi Rectorem eligere, qui jurisdictionem habeat in singulos de universitate in iis, quæ ad eorum professionem pertinent, ita tamen ut superiori Magistratui subordinetur, prout in communitatibus artificum statuitur *l. ult. C. de jurisdic. om. judic.* ita possunt Procuratorem constituere tam ad agendum, quàm ad defendendum.

An verò Excommunicatus possit constituere procuratorem ad agendum; videtur respondendum negativè *ex c. consulti 15. h. t.* etenim cùm non possit excommunicatus communicare cum aliis per se ipsum, nec consequenter agere in judicio; ita neque per procuratorem substitutum juxta *regulam 67. in 6.* Cæterùm si à communitate aliqua constituatur Procurator ad agendum, tametsi aliqui principales ex eadem, sive sint Senatores, sive regentes excommunicati fuerint, non censetur invalida constitutio Procuratoris; dummodo illi particulares excommunicati non exprimantur in litteris procuratoriis, neque authoritate excommunicatorum fiat constitutio Procuratoris, quia actus communitatis non vitiatur per hoc, quòd aliqui in eadem communitate sint inhabiles, quia isti prò illo tempore, quo censentur inhabiles, censentur etiam exclusi ab illa universitate, cujus membra supponuntur apta ad talem actum. Cæterùm si in mandato procuratorio nomina excommunicatorum exprimerentur, aut aliunde appareret authoritate eorundem fuisse Procuratorem constitutum, tunc talis constitutio nullum sortitur valorem ob inhabilitatem excommunicatorum, qui propriam interposuerunt authoritatem: eodem pacto censetur etiam invalida constitutio Procuratoris, si communitas sciens majores suos, seu Consules esse excommunicatos, eos tamen admittit ad constituendum procuratorem; est enim tunc constitutio invalida in pœnam hujus temerariæ admissionis. Probabilior tamen sententia est, quòd tametsi excommunicatus non possit procuratorem constituere ad agendum, eò quià pro mortuo civiliter habeatur *can. nemo Episcoporum 10. q. 3.* nihilominus ad se defendendũ potest imò etiam cogitur dare Procuratorem *c. intelleximus inf. de judic.* quia absurdum foret, excommunicationem, quæ pœna est, & quæ propterea nocere debet excommunicato, ei prodesse in præjudicium alterius, cui non tenetur in judicio respondere, nec per se, nec per Procuratorem *l. evidenter ff. de except. rei judic.*

5 Pupilli, & minores habentes Curatores absque illorum authoritate nequeunt procuratorem constituere, licèt cum eorundem authoritate possint ad negotia, & ad lites etiam ante litis contestationem eum constituere *l. neq. 11. C h. t.* Minor tamen non habens curatorẽ, sicut habere non cogitur, Procuratorem ad negotia extrajudicialia potest constituere *l. mutus 43. §. is, qui ff. h. t.* non ita ad judicia, quia cùm non habeat ipse legitimam personam standi in judicio, nec potest ad id alium legitimare, ut notat Wesenb. *in paratit. ff. h. t. num. 4.* Muti verò, & surdi possunt Procuratorem instituere per nutus, & scripta *l. mutus 43. in princ. ff. h. t.* juncta Glossa *V. procedere.* Tutor tamen, & Curator ante litis contestationem non possunt constituere Procuratorem in causa pupilli, vel minoris, sed duntaxat Actorem: quia ante litis contestationem non sunt Domini litis; possunt tamen illum constituere post litis contestationem *l. nec civitatis 74.* juncta Glossa *V. potest ff. hujus tit. l. neque 11.*

6 Rursus filiusfamilias extra judicium dare potest procuratorem ad negotia cum possit contrahere; non ita ad agendum in judició, exceptis quibusdam casibus, ut in actione injuriarum *l. filiusfamilias 8. ff. h. t.* quia cùm ipse non habeat personam legitimam standi in judicio, neque alium ad id potest legitimare; tametsi si constituerit procuratorem, & pro eo fuerit pronunciatum, talis constitutio favore ætatis rata habeatur *argu. l. non eo minus, C. eod.* Servus ut formaliter talis sicut per se in judicio agere non potest *l servus 6. C. de judic.* ita neque per alium, proinde neque potest Procuratorem constituere *l. servum 33. in princip.* juncta Glossa *V. vetamus ff. huj. tit.* Excipitur tamen si de proprio statu litigaret, quia tunc posset procuratorem constituere *d. l. servum 33. §. cum verò*: & ratio est; quia quamdiu lis est de servitute, non censetur servus, nisi post latam sententiam. Rursus neque ab hostibus captus potest Procuratorem constituere, sed tantùm Actorem, aut Curatorem, quia quamdiu detinetur in potestate hostium, non censetur esse sui juris, neque suarum rerum Dominus *l. ab hostibus 15. §. ex quib. caus. majores.* Nec Bannitus etiam potest procuratorem constituere, eò quia amissis bonis omnibus censeatur civiliter mortuus, ut notat Gail. *lib. 2. de pac. public. c. 12. per tot.*

7 Jure canonico Prælatus Ecclesiasticus in iis causis, in quibus potest per se in judició agere, vel convenire, potest procuratorem constituere, etiam sine consensu capituli de

rebus iis, quarum liberam, ac generalem habet administrationem, ut communiter docent juris Pontificii periti *in cap. edoceri 21. de rescript. num.6. & 8.* Ratio est, quia qui potest in judicio per se agere, potest etiam per alium. Excipiuntur tamen negotia gravia, & ardua, quæ concernunt statum Ecclesiæ, nimirum ejus libertatem, subjectionem, alienationem bonorum, & alia id genus, ut etiam ad constituendum Procuratorem generalem, & perpetuum, qui omnia negotia Monasterii gerat intra, & extra judicium, quia cùm hæc censeantur negotia gravia, exigunt consensum Capituli. Rursus beneficiatus, & Rector Ecclesiæ sicut pro juribus suæ Ecclesiæ potest agere in judicio absque superioris consensu, in rebus tamen non arduis nec magni momenti: ita potest Procuratorem constituere ad agendum, ut ostendit Abbas *in cap. petitio 9. §. sed opponis hujus tituli.* Religiosus tamen sine licentia sui superioris non potest Procuratorem constituere, nec sibi substituere, ut habetur in *clement. Religiosus 3. hujus tituli.* Excipitur tamen casus, in quo suum Prælatum accusat, quia tunc sine licentia Prælati per se, vel Procuratorem potest rem agere in judicio *cap. ex parte 11. & cap. olim 26. ad accusat.* imò tunc consultius est, Religiosum per Procuratorem, & non per se immediatè rem agere in judicio *c. unico de syndic.* Glossa *in clement. V. constituere.*

8 Cæterum nemo cogitur regulariter Procuratorem constituere, nisi velit, idque in causis gravioribus *cap. 2. h.t.* Piasecius *quæst. 2. cap. 4. art. 2. num. 7.* Quòd si persona, quæ de causa pecuniaria litem instituit, sit in sublimiori dignitate constituta, ut possit esse terrori, tam judici, quàm adversario; tunc tam ad agendum, quàm ad defendendum adigitur, Procuratorem constituere.

9 Constitui autem potest Procurator quicunque idoneus est, & non expressè prohibetur, ut habetur in *cap. 1. in princ. hujus titul. in 6.* sive præsens sit, sive absens, dummodo consensum præstet, & ratum habeat. *l. 1. §. fin. & l. 2. d. eod. cap. licèt 7. eod. in 6. c. cùm dilecta de confirmat. utili.* Imò solo consensu sive expresso per pactum, nuntium, litteras, ratihabitionem; sive tacito, ut cum Dominus præsens videns alium sua negotia agere non impedit, & nil objicit, & tacet; ut liquet *ex clement. 1. eod. tit.* Potest etiam solo nutu quis constitui Procurator, Si Notarius conficiens instrumentum exprimat signum, quod tunc habetur loco vocis, ut notat Calvol. ex Bald. *in prax. §. Procurat. conclus. 1. num. 1.* necessarius tamen est utriusque consensus, & constituti, & constituentis; quia sicut nemo regulariter cogitur constituere Procuratorem; ita neque invitus quis compellitur officium subire Procuratoris *c. licèt h. t. in 6. l. filiusfamilias §. invitus §. eod.* ubi invitus dicitur non solùm is, qui contradicit, sed etiam is, qui consensisse non probatur. Cæterum Procurator potest constitui non solùm paterfamilias, qui est sui juris, sed etiam filiusfamilias *cap. non injustè 14. h. t.* tametsi non accesserit consensus Patris, dummodo idoneus fuerit; & non fuerit minor annis 25. ut desumitur ex *L. exigendi C. eodem tit.* Rursus possunt etiam constitui duo, & plures Procuratores *cap. si duo 6. eod in 6.* & tunc operantur conjunctim, nec unus admittitur sine alio *d. cap. si duo*: excipitur tamen in iis causis beneficialibus, in quibus usu receptum est in curia; ut valeat processus cum uno, ut notat Piasecius *2. p. cap. 4. art. 2. num. 8.* Vel in solidum, & tunc datur locus præventioni, & potior conditio est occupantis negotium per litis contestationem: nisi in contestatione contrarium caveatur, scilicet quòd conditio occupantis non fiat melior *l. pluribus 32. §. eod. d. cap. si duo in 6.* Excipiuntur tamen causæ electionum, postulationum, provisionum, aliorumque negotiorum Ecclesiasticorum, in quibus quia celerior requiritur expeditio; ideo pluribus in solidum constitutis, potest judex, ne propter eorum concursum negotium intricari contingat, magis idoneum eligere aliis exclusis, ut desumitur *ex eod. c. si duo 6. h. t. in 6.*

Prohibentur verò constitui Procuratores ad judicia hi, qui ætatem 25. annorum nondum attigerunt, ut liquet ex *c. qui generaliter §. fin. h. t. in 6.* ubi habetur: licèt is post 17. annum Procurator ad negotia licitè deputetur: ad judicia tamen nisi major 25. annis fuerit, deputari nequit. Cùm enim minor 25. annis non possit per se stare in judicio sine Tutore, aut Curatore *l. 1. & 2. C. qui legit personam standi,* multò minus potest pro alio stare. Neque obstat in Advocato sufficere ætatem 17. annorum, ut possit advocationem in judicio exercere: est enim discrimen, quia Procurator actione mandati obligatur, & condemnatur, quando contra ipsum sententia fertur: non ita in advocato, ut notat Glossa hic *in addit.* Rursus in Procuratore ad negotia requiritur etiam minor ætas, quia in negotiis regulariter non agitur de tam gravi præjudicio, sicut in judiciis. Rursus excluditur mulier, quia officium Procuratoris est virile, & alienum à pudore fœminei sexus: nisi vel in rem suam, aut proprium lucrum mandentur illi actiones, vel causâ cognitâ pro parentibus ægritudine, vel ætate, impeditis, permittatur fœminæ agere in defectum eorum. *l. neque fœminæ. l. fœminas ff. eod.* Excluditur etiam miles in aliena causa, tametsi adversarius annuat, ut constituatur Procurator, ne scilicet ex tali occasione à militia avocetur *l. qui stipendia 9. C. eod.* nisi tamen in rem suam, aut suæ cohortis nomine agat *l. filiusfamilias §. veteranis. ff. eod.* Prohibentur etiam Decuriones, & digniores aliis, eò quia officium Procuratoris vile habeatur *l. si quis 16. l. si quis 34. C. de decurion. lib. 10.* ut etiam Medici, & Professores ob eandem causam. Imò etiam servus, quia hic legitimam personam standi in judicio non habet *l. 3. & tot. tit. Cod. qui legit person. stan. in judic. non habeant.* Prohibetur etiam furiosus *l. 3. §. furiosus ff. eod.* ut etiam mutus; & surdus, qui licèt dari possint Procuratores ad negotia, non tamen ad litem prosequendam *l. mutus 43. in princ. ff. eod.* Infames jure civili possunt dari Procuratores *§. fin. instit.* 10

instit. de exception. eò quia officium procuratoris sit onerosum, & vile, jure tamen canonico infames non admittuntur pro causis Ecclesiasticis, sed tantùm pro laicis, ut notat Panormit. in *c. Imperatorem. n. 9. de jurament. calumniæ.* Prohibetur etiam reus criminis capitalis *l. reum C. eod.*

11 Clerici in majoribus constituti ordinibus, & præsertim sacerdotes non possunt esse Procuratores in judicio; quia id minùs conveniens, & decorum est statui Ecclesiastico. Tum quia irregularitas inducitur in causis capitalibus, si ex patrocinio Clerici mors, aut mutilatio sequatur; quapropter prohibentur etiam ab officio advocationis, ne concurrant ad mortem, vel mutilationem alterius; sicut accidisse cuidam Ecclesiastico refert Hostiensis; qui cùm in judicio fratrem suum defenderet, fecit, ut Accusator morte plecteretur *c. postulasti de homicid. c. 1. dist. 50. c. aliquando c. si quis post. dist. 51. c. ex litteris de excess. Prælat.*

12 Excipitur tamen causa pia, qualis est, quæ pertinet ad Ecclesiam, Monasterium, viduam, Orphanum, personas miserabiles; imò excipiuntur etiam causæ consanguineorum, ut notat Silvi. *V. Advocatus n. 2.* Ut etiam si Clericus non cupiditatis causâ, sed charitatis gratiâ, & ex zelo justitiæ defendendæ alicui patrocinetur absque stipendio: ut patet ex contrario sensu *c. pervenit dist. 86.* & idem notat Abbas in *c. 3. Ne cler. vel Monach.* In foro tamen Ecclesiastico, & causis Ecclesiasticis permittuntur Clerici patrocinari. *c. 2. de postul. & c. in nostra de Procurat.* ex quibus liquet, posse utrumque officium in foro Ecclesiastico exercere Advocati, & Procuratoris circa causas Ecclesiasticas. Licitum est etiam Clerico domi rationes, & allegationes conquirere, & aliis ad proponendum in judicio suppeditare, quia id est potiùs opus charitatis, quod exercetur in alium, ut notat Ripa in *c. 1. dist. 39.*

13 Quòd si Clericus nullo sit sacro ordine initiatus, & beneficio careat Ecclesiastico, cùm hic parùm distet à laico non prohibetur advocationis, & munus procuratoris exercere etiam in foro sæculari, ut ostendit Navarr. *c. 25. n. 100. c. non dicatis n. 99.* si tamen publicè vestem, aut coronam clericalem gestaret, vix à peccato excusaretur exercendo tale officium in publico judicio. In Curia tamen Romana consuetudine receptum est, ut refert Salzedo apud Diac. in *pract. c. 65.* ut non solùm suo nomine, quod omnibus etiam sacerdotibus permissum est, sed etiam alieno Procuratoris, & Advocati munus exerceat, omnesque lites quantumlibet profanas tractet, ut refert Simon Majol. *de irregul. lib. 5. cap. 19. num. 4.* Cæterùm irregularitas, quæ incurritur à Clerico exercente in publico judicio officium Advocati, vel Procuratoris in causis capitalibus incurritur si ex patrocinio clerici mors, aut mutilatio sequatur, cùm sit juris merè humani, potest facilè impediri, ac tolli. Nec clericus hanc incurrit irregularitatem, quando cum prævia protestatione accusat, vel patrocinatur, tametsi judex tali contempta protestatione procedat ad pœnam sanguinis, vel mortis, ut Barbat. *in tit. de postulan.*

Episcopi & alii Ecclesiastici in majore dignitate constituti prohibentur ab officio Advocationis, & procurationis, ut notat Angelus *V. Advocatus n. 4.* tam coram Ecclesiastico, quàm laico judice *c. te quidem 10. q. 1. c. Prælatum. dist. 88. cap. Episcopus 14. q. 5. & 21. q. 3. per. tot.* Presbyteris verò permittitur in quatuor causis advocare, Primò pro se. Secundò pro Ecclesiâ suâ. Tertiò pro personis sibi conjunctis, quando hæ alium non possunt habere, vel non ita idoneum, vel efficacem? personæ conjunctæ intelliguntur usque ad quartum gradum consanguinitatis. Quartò pro personis miserabilibus seu iis, quæ per se proprias causas non possunt tractare, vel indigent auxilio Ecclesiastico. In criminali tamen coram judice sæculari nunquam Presbyteris est permissum, exercere officium Advocati, vel Procuratoris, ut notat Sanchez *lib. 6. cons. c. 7.* Panormit. *in tit. de postulan.* ait, coram judice sæculari non esse ab Episcopo partes advocati suscipiendas: eò quia non decet reverentiam exhiberi judici, à quo eam jure suo exigit: sed coram judice Ecclesiastico asserit ex justa, & rationabili causa, liberum ei esse; an per se, vel per alium velit agere: cùm ad ipsum pertineat tueri jura Ecclesiæ suæ, defendere pauperes, & miserabiles personas: ideò ex charitate potest in judicio Ecclesiastico, vel etiam sæculari has causas pias defendere; hinc S. Gregorius ad Januarium Archiepiscopum *epist. 62.* ait: *Pastoralis regiminis necessitate compellimur, ut orphanorum, & viduarum causis solertiùs, quam cæteris curis insistamus;* & S. Hieronymus ad Nepotianum ait: gloriam Episcopi esse pauperum necessitatibus providere. 14

Religiosus non potest munus exercere Procuratoris, nec per alium sui, vel alterius monasterii; nec sufficit licentia superioris, sed ulteriùs requiritur, ut subsit utilitas Monasterii, ut notat Glossa hic *V. licentia*; non tamen comprehenduntur sub hac prohibitione Novitii, quia ante emissam professionē non sunt veri religiosi, ut notat Abbas hic *n. 1.* Prohibentur Religiosi esse Procuratores sine licentia superioris in *clem. Religiosus 3. h. t.* In aliquibus tamen casibus potest Religiosus esse Procurator, ut si sit superior religionis; quia sicut ipse potest subditis dare licentiam suscipiendi hoc munus, ita potest illud per se exercere ob utilitatem Monasterii, ut notat Glossa hic. *V. Religiosus.* Rursus potest Religiosus cum licentia superioris constitui Procurator in negotiis monasterii, ut etiam in aliis concernentibus ipsum superiorem, ut si agatur de electione Prælati, vel inquiratur de ejus crimine, & opus sit, illum defendere, quia hoc totum vertitur in utilitatem monasterii. Cæterùm Religiosus in ordine ad accusandum superiorem potest sine licentia ejusdē esse Procurator. In agendis verò negotiis cujuscunque alterius religiosi ejusdem ordinis, non nisi de licentia superioris potest constitui Procurator: sicut enim superior potest Procuratorem constituere pro monasterio; ita etiam pro membris ejusdem; idque colligitur ex *clem. Religiosus 3. h. t.* A contrario sensu. Demum potest Religiosus esse Procurator, etiam pro litis consorte, ut desumitur ex *d. clem.* & ib. Glossa *V. consorte*; quia semel quòd Religiosus accepit licentiam suscipiendi 15

munus Procuratoris in causa communi cum aliis, censetur etiam illi data licentia acceptandi mandatum Procuratorium ab ejusdem litis consortibus.

16 Cæterùm, qui non prohibetur constitui Procurator, potest talis constitui in omnibus causis, & negotiis, in quibus non prohibetur, quòd constituatur Procurator: cùm enim edictum sit prohibitorium, quidquid expressè non invenitur prohibitum, intelligitur concessum *l. cùm Prætor. ff. de judic.* Unde in omnibus causis civilibus ad agendum, & defendendum in judicio dari potest Procurator, etiam in causis pecuniariis *l. in pecuniariis 26. ff. h. t.* & liberalibus *l. servum 33. §. eum verò*, ut etiam in causis temporalibus, & spiritualibus *c. 1. h. t. in 6.* & non solùm ad lites præsentes, & inchoatas, sed etiam inchoandas *l. item 3. §. h. t. c. penult.* & tam in prima, quàm in secunda instantia *l. 2. C. h. t.* In causis matrimonialibus datur etiam Procurator ad contrahendum matrimonium, ut desumitur ex *c. Procurator. 9. & c. ult. h. t. in 6.* Rursus quia omnes contractus, qui consensu perficiuntur, possunt etiam inter absentes iniri argu. *l. 1. in fin. ff. de contrah. empt.* possunt etiam per Procuratorem, qui sit quasi Minister, & instrumentum Domini, & nomine ipsius consentiat, & contrahat, quia juxta *regulam juris 72. in 6.* qui facit per alium, perinde est ac si faceret per se ipsum; debet tamen Procurator ad id habere speciale mandatum præsertim ad contrahendum matrimonium: requiritur enim specialis, & expressa commissio, & non sufficit generale mandatum, in quo expressis quibusdam specialibus, solet addi clausula generalis & *alia omnia*, quia hæc clausula tantùm se extendit ad alia similia, non verò majora expressis, ut est causa matrimonii, ut notat Glossa hic *V. speciale*: unde in mandato Procuratoris in causa matrimonii debent expressè, singulariter, ac determinatè omnia exprimi quoad personas, tempus, & alia ejusmodi: siquidem ad substantiam matrimonii necesse est, ut contrahentes in certam, ac determinatam personam mutuò consentiant.

17 In causis verò, ac judiciis criminalibus, sive crimina publica sint, sive privata, si non pecuniaria mulcta, sed pœna capitalis, vel alia corporalis sit pro crimine imponenda, non datur Procurator, quia partes debent per se personaliter comparere, ut liquet ex *c. veniens 15. de accus.* & *lib. 1. ff. an. per alium de causa appellationis* ut cum jurisperitis ostendit Julius Clarus in *pract. crim. §. fin. q. 32. n. 1. & sequent.* quod procedit de jure communi, ut nec pro reo criminaliter accusato admittatur Procurator ad eùm defendendum: nec pro actore, seu Accusatore in causa criminali: siquidem ubi agitur de pœna capitis, vel alia corporali infligenda reo, posset sententia judicis reddi elusoria, & non mandari executioni: siquidem in Procuratorem non mandaretur executioni, cùm ipse non deliquerit. Neque subinde contra reum, quia cùm sit absens facilè posset beneficio fugæ sibi consulere, & frustrare suo effectu sententiam judicis, ut notat Hiltrop. in *process. judic. 1. p. tit. 21. n. 73.*

18 Neque quilibet Accusator potest constituere Procuratorem, alioquin facilè Accusatores declinarent condemnationem ad pœnam talionis; ad quam debent se obligare, si in probationibus contingat, eum succumbere; scilicet ad talem pœnam, qualem Accusatus sustinere deberet, si convictus esset. *l. ult. C. de accus.* Dicitur enim pœna talionis quia est talis, qualis esset subiturus Accusatus, si per probationes accusantis convinceretur. Nunc verò per contrariam consuetudinem pœna hæc talionis videtur sublata, & Accusator deficiens in probationibus condemnatur ad mulctam pecuniariam, perinde ex parte accusantis criminaliter nonnunquam etiàm admittitur Procurator, quia in illo cessat causa, ob quam in causa criminali non potest, per Procuratorem agi, ut notat Wesenb. in *paratit. ff. h. t. num. 5.* Spectato tamen jure communi in causa criminali si maritus accusat criminaliter uxorem ad pœnam publicam, tenetur eam per se, non per Procuratorem accusare, quia obligatur ad pœnam talionis, & præsertim si de adulterio agatur coram judice Ecclesiastico ad thori separationem *c. tua. h. t.*

Procurator verò quicunque ille sit, non ad- 19
mittitur in judicio ad agendum loco alterius, nisi de mandato suo legitimè, ac plenè docuerit, *l. non solùm §. qui alieno ff. eod.* ut ex eo appareat, quam ipse potestatem habeat. Est enim vel maximè mandatum Procuratoris attendendum, sive pro Actore, sive pro reo constituatur *c. constitutis de Procurat.* nisi fortassis fuerit persona conjuncta. Porrò mandatum probatur scriptura authentica, per testes, litteras privatas ipsius Constituentis, quibus probetur, mandatum ipsius manu fuisse scriptum. Nec sufficit, si testes dicant, scire se, manum ipsius esse ex comparatione litterarum, & septē testari debent, se præsentes fuisse, cùm scriberet. Deficiente enim mandato, vel inutili, aut insufficiente ad causam, de qua agitur, Procurator habetur ut falsus, & à nullo judice admittitur, ut notat Wesenb. *lib. 3. ff. tit. 3.*

Præter hæc debet etiam Procurator jura- 20
re de calumnia in animam suam, & simul in animam sui principalis, quando speciale mandatum ab ipso habet, ut notat Maranta *p. 6. pag. 193.* Qualitas tamen personæ potest à juramento excusari: unde Procurator fisci, & & à magistratu datus censetur immunis ab hoc juramento, quia qualitas personæ excludit præsumptionem calumniæ, ut notat Franciscus Marcus *p. 1. decis. q. 1215.* Quòd si Procurator in animam suam nolit jurare, punitur pœna arbitraria. Non licet Procuratori cum Domino suo pacisci de quota litis, seu de tertia, vel quarta parte sibi cedenda. *l. litem. C. h. t. sum. 5. de pact.* Quia tunc periculum esset, ne per fas, & nefas in victoriam incumberet, & daretur occasio fraudibus. Potest tamen Procurator pacisci cum principali de salario, si litem vicerit: siquidem operarius est dignus sua mercede. Contingit etiam, ut Procurator cum principali paciscatur de palmario, seu victoria, & tunc dubitatur, an tale pactum licitum sit: siquidem pacisci de quota prohibetur *l. quisquis & l. si qui ff. de postulan.* Navarrus *lib. 1. cons. 4. de pact.* & *in manual. cap. 25. num. 30.*

gis

hit convenire posse, ut certa quantitas solvatur pro labore, seu victoria obtentæ litis, imò etiam de certo præmio præter justum stipendium dando, si Procurator victoriam obtinuerit: dummodo stipendium non excedat, sitque moderatum, & non lege speciali prohibitum. In exigendo tamen salario insoluto, debet cumputari cum eo, quod debetur, adeò ut utrumque simul compositum non excedat licitam quantitatem juxta textum *leg. litis. ff. de var. & extra cogn.*

11 In Procuratore quatuor requiruntur conditiones, prima est scientia sufficiens ad tale munus; secunda diligentia, qua petat terminos justos in causa, & probet, quæ & quando probanda sunt. Ut respondeat in termino causæ, appellet suo tempore, ut multis litis non occupetur, ut susceptas absolvat. Rursus requiritur veritas, quam servare tenetur, tam in se ipso; quàm cum suis clientibus, adeò ut non sit author mendacii, nec falsos testes inducat, nec petat falsas dilationes. Demum requiritur etiam justitia, adeò ut causam injustam non suscipiat, & ut causas priùs susceptas, priùs procuret; alioquin si non sit idoneus ad suum officium exercendum, si defendat causam, quam scit esse injustam, peccat, & tenetur, damna parti læsæ restituere, ut etiam si perdit causam aliàs justam suæ partis ob notabilem suam ignorantiam, vel negligentiam. Rursus secreta, & documenta pro Domini sui parte, non debet revelare parti adversæ, ne ut prævaricator puniatur *l. 1. §. is qui ff. ad leg. Cornel. de fals.* & *l. 1. §. de pravar.* Menoch. *de arbit. casu. 323.* ubi asserit, Procuratorem, qui prævaricatur præter infamiam, & pœnam arbitrio judicis constituendam teneri etiam actione mandati erga dominum suum, ut etiam notat Glossa *in rubric. C. de Procurat.* Cæterum cavillis, & cautelis potest Procurator uti, dummodo causam justam procuret, & mendacium absit, ut desumitur ex *c. utilitatem 32. q. 2.* ubi allegatur exemplum Jehu, & Davidis; quinimo ipse Christus Dominus ut excluderet Pharisæorum captiones; interrogantibus de una quæstione nil respondit; sed aliam opposuit, ut clavo clavum pelleret. Non tamen Procurator potest uti instrumentis, & testibus falsis, cum id jure naturali prohibeatur, & tantùm permittuntur simulationes, & industriæ fallaces, ut notat Tholosan. *lib. 49. c 6. n. 39.* ubi asserit, Vafros, verbosos, fallaces, esse à foro arcendos, si aliquid mendacii, ac falsi accesserit.

12 Procuratoris munus pluribus modis desinit. Primò per mutuum consensum juxta regulam unumquodque eo modo dissolvitur, quo ligatum est *l. mutari §. de Procurat. 2.* Secundò per revocationem Domini re integra, seu ante litem in judicio contestatam; siquidem lite jam contestata, non potest invitus revocari, nisi ex justa, & gravi causa, ne damnum patiatur *l. ante diem sec. C de procurat.* Tertiò finitâ instantiâ, seu latâ sententiâ definitivâ, quia Procurator non tenetur prosequi judicium appellationis, licèt si velit, possit iterum pacisci cum principali. Quartò per mortem principalis, à quo constitutus est Procurator re tamen integra; & nonnunquam etiam non integra *§. nulla C. h. t. l. mandatum ff. mandat.* Quintò per obitum ipsius Procuratoris, cujus officium non transit ad hæredes. Sextò per mutationem, eò quia principalis alium substituerit in ejus locum. *l. si quis. cum procuratorio ff. eod.* Septimò si principalis velit per se immediatè suam causam tractare, eò enim ipso quod per se sua gerit alios excludit, ac censetur Procuratorem dimittere, nisi ex circumstantiis, & conjecturis aliud appareat, ut notat Wesenb. *lib. 3. ff. tit. 3. num. 11.* Lancellottus *l. 2. institut. tit. 2.*

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones.

Quæritur primò, an excommunicatus possit constituere Procuratorem ad agendum in judicio? Respondetur cum distinctione, si sit excomunicatus non publicus, vel toleratus, tunc sicut potest communicare cum aliis, ita potest Procuratorem constituere præsertim cùm non sit notorius, nec denuntiatus. Sin verò sit excommunicatus publicus, & denuntiatus non toleratus, non potest procuratorem constituere ad agendum in judicio *c. consulti 15. & ult. h. t.* Ratio est, quia sicut excommunicatus per se ipsum non potest agere in judicio *c. decernimus 8. de sent. excommun. in 6.* ita nec per alium, seu Procuratorem juxta *regulam juris 67. in 6.* quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit: sicut nec rescriptum papale potest impetrare, *c. 1. de rescript. in 6.* Excipitur tamen si vocetur ad defendendum se ipsum; quia tunc potest, imò debet Procuratorem dare, ne ex sua malitia commodum reportet, si nec per se, nec per alium in judicio teneretur respondere *c. intelleximus 7. de judic.* Tum quia defensio est juris naturalis, quæ propterea neque Reo denegari debet, sive per se, sive per alium. 1

Quæritur secundò, an laicus possit constitui Procurator in causis spiritualibus ad agendum, & defendendum? Respondetur affirmativè, & desumitur ex *c. indiscretè 1. h. t. in 6.* ubi Bonifacius VIII. rescribit, posse judicem admittere in judicio ad agendum, vel defendendum in causis spiritualibus Procuratorem laicum: cum regulariter qui non prohibetur expressè exercere officium Procuratoris debeat idoneus reputari. Hinc laicus potest etiam à Clerico constitui Procurator ad renuntiandum beneficio, vel etiam ad acceptandum beneficium nomine ipsius *c. accedens 24. de prabend.* licèt enim laicus non possit causas tractare spirituales suo nomine, potest tamen alieno nomine, sive ministerialiter tractare negotia Ecclesiastica: Ratio cur proprio nomine non possit causas spirituales tractare, est, quia tanquam principalis non habet jus in illis. 2

Quòd si dicas, laicum in causis Ecclesiasticis non posse esse judicem *c. 2. de judic.* consequenter neque Procuratorem. Contra est, & ratio discriminis petitur ex eo, quia in judice debet esse fundata potestas, & jurisdictio, quæ si Ecclesiastica sit, non cadit in laicum; & quia causa Ecclesiastica exigit cognosci ab habente jurisdictio- 3

ctionem Ecclesiasticam: hinc est quòd laicus non possit esse judex in causis Ecclesiasticis. Secus potestas Procuratoris cùm sit magis Vicaria, eò quia Procurator non suo, sed alieno nomine agat, ut notat Bartol. *in l. quod possessio 49. §. etsi possessio n. 2. ff. de acquir. possess.* ideò laicus non prohibetur esse Procurator in causis spiritualibus, quia in Procuratore non requiritur jurisdictio, sed sufficit, si nudum ministerium exhibeat, hinc notat Glossa Margin. *in d. c. non indiscretè* posse laicum à Clerico constitui Procuratorem ad renuntiandum beneficio, vel etiam ad illud acceptandum nomine ipsius juxta *c. accedens 24. de prabend.*

4 Quæritur tertiò, an Religiosus possit esse Procurator, & quomodo? Respondetur, Religiosum non posse esse Procuratorem, quamvis per alium Religiosum sui, vel alterius monasterii fuerit constitutus, quia non potest sine licentia sui superioris officium Procuratoris suscipere, nisi pro suo in eadem lite consorte *clement. Religiosus 3. h. t.* ubi statuitur, quòd Religiosus, seu professus claustralis sine licentia sui superioris non possit esse Procurator, nisi pro suo consorte in eadem lite, imò ut constituatur Procurator non sufficit sola licentia superioris; sed ulterius requiritur, ut subsit utilitas Monasterii. Dantur autem causæ, in quibus potest Religiosus esse Procurator. Primò si sit Prælatus, seu superior Religionis, quia sicut potest ipse suis subditis dare licentiam suscipiendi hoc munus, ita & ipse per se potest illud obire absque alterius licentia ob utilitatem sui monasterii, ut notat Glossa in *d. clement. Religiosus 3. h. t.* Secundò potest etiam Religiosus constitui Procurator cum licentia sui Prælati in negotiis ipsum concernentibus, ut si agatur de electione Prælati, vel de illius crimine inquiratur, & necessitas urgeat illum defendendi, quia tunc agitur de utilitate monasterii. Tertiò potest etiam Religiosus esse Procurator pro litis consorte; quia postquam Religiosus accepit licentiam suscipiendi munus Procuratoris in causa communi cum aliis; censetur etiam ei data licentia acceptandi mandatum procuratorium ab ejusdem litis consortibus. Imò sicut Religiosus non potest nisi in casibus præfatis esse Procurator, ita nec potest Procuratorem constituere, quamvis ad hoc, mandatum acceperit à Constituente, si hic non sit ejus superior, ut desumitur *ex d. clement. Religiosus 3. h. t.*

5 Quæritur quartò, quænam observari debeant in Procuratore constituto in causis matrimonialibus, seu ad matrimonium contrahendum? Respondetur, tria specialia esse observanda, ut habetur in *c. Procurator 9 h. t.* Primò ut ad id speciale habeat mandatum. Secundò, ut tametsi Procurator constitutus ad negotia liberè possit alium Procuratorem dare, seu substituere; in hoc tamen casu non potest alium deputare, nisi hoc ei specialiter sit commissum: eò quia negotium ad matrimonium contrahendum sit valdè arduum, ac periculosum. Tertiò quòd si Procurator antequam matrimonium nomine Domini sui contraxit, ab eodem fuit revocatus non potest postea illud contrahi, & si contrahatur, sit nullum ob defectum in principali; & id procedit, quamvis tam Procurator, quàm sponsa nescierint revocationem. Ex quo textu liquet, omnes contractus, qui consensu perficiuntur, posse inter absentes fieri *argum. l. 1. in fin. ff. de contrah. empt.* proinde posse etiam per alium, seu Procuratorem contrahi, quia cum Procurator sit quasi minister, & instrumentum Domini, censetur hic per illum consentire ex *regul. jur. 72. in 6. Qui facit per alium per se ipsum facere videtur.*

Requiritur tamen, ut Procurator habeat speciale mandatum ad contrahendum matrimonium, quia causa matrimonii præsertim contrahendi per Procuratorem censetur valdè ardua, quod inde provenire potest, si negotium matrimonii imprudenter tractetur: quinimò mandatum ad matrimonium contrahendum per Procuratorem, adeò speciale censetur, ut non comprehendatur sub illa generali clausula, *& alia omnia*, quinimo exigit etiam ut in mandato exprimatur certa, & determinata persona, cum qua matrimonium sit contrahendum, ut notat Glossa *in l. generali 34. ff. de ritu nuptiar.* & ratio desumitur ex eo, quia consensus contrahentium in personam determinatam est de substantia matrimonii, adeò ut contrahentes debeant consentire mutuò in certam determinatam personam. Præterea quamvis Procurator ad negotia constitutus possit regulariter alium substituere, non tamen Procurator cum mandato speciali constitutus ad matrimonium contrahendum potest alium constituere, nisi id expressè in mandato contineatur, ut habetur *in d. c. Procurator ult. h. t. in 6.* ratio est, quia in causis, & negotiis arduis censetur electa industria personæ, quæ propterea non potest alium sibi substituere, quia industria, quæ eligitur in Procuratore non reperitur fortassis in substituto; quæ causa est, ut Procurator ad matrimonium contrahendum non possit alium sibi constituere ad id præstandum. 6

Præterea quòd Procurator ad matrimonium contrahendum non possit illud contrahere post mandati revocationem factam à principali, etiam ignorante Procuratore, & sponso, vel sponsa, cum qua contrahit, ex eo solet evinci; quia tametsi in cæteris contractibus jus possit supplere defectum consensus contrahentium, ac sine eorundem consensu transferre dominium rerum, vel jura: non ita in contractu matrimoniali, quia ad substantiam matrimonii contrahendi requiritur verus, & formalis consensus mutuus contrahentium, qui per jus positivum non potest suppleri, hinc si consensus deficiat ex parte alicujus ex contrahentibus ob revocationem mandati Procuratorii, non potest matrimonium à Procuratore revocato contractum suum sortiri valorem, ut notat Covarruvias *in epit. lib. 4. decretal p. 2. c. 4. in princ. n. 8.* & Barbosa *in collect. c. ult. n. 7. h. t. in 6.* Et id etiam procedit, quamvis tacitè revocatum sit mandatum Procuratoris per aliud mandatum posterius datum ad contrahendum matrimonium cum alia. Imò procedit etiamsi Dominus juraverit se non revocaturum Procuratorem datum ad matrimonium contrahendum, si defacto post juramentum illum revocet, quia revocatio est valida, & matrimonium à Procuratore contractum est invalidum ob defe- 7

ctum

ctum consensus, licet qui Procuratorem revocavit, sit perjurus, & ut talis puniendus, ut notat Barbosa cum aliis *loc. cit.* Præterea hæc omnia procedunt etiam de sponsalibus contractis per Procuratorem, quia est etiam negotium arduum, & periculosum.

8 Quæritur quintò, an Procurator possit constitui, licet sit absens? Respondetur affirmativè ex *l. 1. §. fin. & l. 2. ff. h. t.* verùm ad id requiritur, ut Procurator absens consentiat, & ratum habeat mandatum: consensus autem debet esse vel expressus per pactum, nuntium, litteras, ratihabitionem; vel tacitus, significatus per aliquod sensibile indicans internum consensum: ut si Dominus principalis præsens permittat alteri suam causã agere, vel defendere in judicio, tacitè præsumitur eum constituere: quia scientia, & patientia principalis inducit præsumptionem mandati, uti Dominus, seu Principalis contrarium probet, ut notat Mynsing *centur. 5. observat. 20. n. 4.* Hoc idem etiam procedit si Procurator constitutus recipiat scienter mandatum, & non contradicat, & desumitur ex *clement. 1. h. t.* ubi dicitur: quòd si quis eligat Procuratorem, & mittat ei instrumentum, in quo caveat de judicato solvendo; si Procurator simpliciter, & scienter acceptat litteras nulla facta protestatione, non potest retrocedere, sed tenetur, & potest cogi defendere Reum. Hinc recipiens litteras, vel publicum, aut privatum instrumentum, in quo continetur aliquid inferens alicui gravamen; si illud absque omni protestatione acceptet, & sciat, quæ in illo continentur, censetur tacitè consentire, ac se obligare ad præstanda, quæ in illo instrumento continentur: secus tamen est, si ignoret, quod continetur in tali instrumento, quia ignorans, ut etiam errans non præsumitur consentire, ut notat Glossa *in d. clement. 1. V. scienter h. t.* Rursus quamvis regulariter, qui tacet in rebus onerosis non censeatur consentire: id tamen non procedit quando præter taciturnitatem accedit etiam aliquis actus positivus, per quem approbantur, quæ geruntur: talis autem actus est acceptatio mandati procuratorii scienter facta, ut notat Abbas *in clement. 1. n. 3. h. t.*

9 Quæritur sextò, an super eadem causa possint constitui plures Procuratores? Respondetur affirmativè, idque eodem vel diverso tempore. Si tamen duo Procuratores simul, & in solidum dati sint in eadem causa, adeò ut singuli seorsim litem prosequi possint, tum qui priùs causam, seu negotium tractare cœpit, præferendus est, & excludit alium; qui proptereà non potest se immiscere: secus tamen si diversis temporibus sint constituti in solidum: quia tunc per constitutionem posterioris in alia causa censetur prior Procurator tacitè revocatus, idque desumitur ex *c. non injustè 14. h. t.* qui enim post unum Procuratorem datum, alium constituit, censetur priorem tacitè revocare *l. si quis 31. §. Julianus.*

10 Excipitur tamen nisi unus sit Procurator generalis, & alter specialis, seu in certa causa, quia in hoc casu commissio specialis non derogat generali: sed ordinem præscribit, ut prior admittatur specialis, & in ejus defectum generalis, ut docet Baldus *in l. 2. n. 7. V. de uno quoq; C. si fiscus vel privatus ex l. quoniam C. de conveniendis fisci debitor. lib. 10.* Notandum tamen, quòd si duo sint Tutores, vel Executores testamenti; unus ab altero potest debitum exigere, seu unus seorsim sine altero; quia in hoc casu Dominus ipse non potest exigere, unde ob necessitatem fallit regula, quòd unus sine altero non possit agere, ut notat Abbas *in d. c. non injustè. n. 8 h. t.*

Cæterum si plures Procuratores in solidum sint constituti in eadem causa, tum judex non potest eligere magis idoneum. Neque obstat, quòd si duo judices sint simul in solidum delegati ad eandem causam, qui præoccupavit, seu prævenit, si nolit procedere, possit alter succedere in causa cognoscenda. Nam est dispar ratio, quia judices in solidum delegati ab ipsa lege censentur habere quandam communionem, ut lites celeriùs expediantur: at Procuratores in solidum dati non habent à lege communionem, quia per pluralitatem Procuratorum non celeriùs expeditur negotium, sed potiùs impeditur. 11

Quæritur septimò, quid juris quando Procurator non habet mandatum sufficiens? Respondetur, Procuratorem, qui non habet mandatum sufficiens (ut quia à reo datus sit tantùm ad agendum, & non ad defendendum) perinde censeri, ac si nullus esset *l. 1. §. quod si nemo* juncta Glossa *V. inhabilis ff. quod cujuscunq; universitatis*: quapropter contra eum, qui talem dedit Procuratorem, si per se ipsum non compareat, vel si comparuit, iterum recessit, procedi potest tanquam contra contumacem, adeò ut parti adversæ in expensas condemnetur. Quòd verò non habens sufficiens mandatum non possit validè agere, desumitur ex eo, quia paria sunt aliquid non fieri, aut eo modo fieri, quo non debuit *l. 1. § quod si nemo.* Ratio itidem desumi potest ex eo, quia Reus conventus in judicio debuit relinquere Procuratorem ad defendendum, non ad agendum, nisi vellet reconvenire actorem: quia Reus ut talis tenetur in judicio se defendere; proinde debet constituere Procuratorem ad defendendum. Secus tamen est de Procuratore actoris; hic enim cùm expressè, & principaliter constituatur ad agendum censetur accessoriè ei data potestas etiam ad defendendum: Reus verò cum principaliter debeat dare Procuratorem ad defendendum, non dat illum ad agendum ex vi mandati. 12

Quæritur octavò, an acta cum Procuratore revocato sint prorsus irrita? Respondetur affirmativè, si revocatio adversario, vel judici intimata fuit, & desumitur *ex c. mandato 13 h. t.* ubi notat Glossa, quòd cùm dicitur; si revocatio adversario, vel judici intimata sit, illam particulam *vel* non esse sumendam disjunctivè, sed copulativè; ut sensus sit si tam adversario, quàm judice ignorante. Quamobrem acta cum Procuratore revocato irrita sunt, si revocatio intimata sit adversario, & judici, ex quo per sensum contrarium infertur, quòd si neutri sit intimata acta valent: ubi notandum est, hanc revocationem debere esse intimatam; adeò ut non sufficiat, si aliunde innotescat: Ratio est, quia si 13

semel

semel Procurator detur, est intimatus judici, & parti, quia eorum intereſt, ut revocatio mandati Procuratoris non fiat, niſi ea ipſis intimetur; ne alioquin fruſtra in judicio fatigentur.

TITULUS XXXIX.

De Syndico.

Est Syndicus etiam ipſe Procurator, unde cùm Pontifex egiſſet in præcedenti titulo de Procuratore, hic pergit agere de Syndico, qui in eo differt à Procuratore, quia hunc dant ſinguli, ſeu Domini privati; ſyndicum verò Collegium, vel univerſitas conſtituit *l. 1. §. 1. & 2. ff. quod cui univerſ. nom.* Interdum tamen conſtituitur etiam ab Epiſcopo *c. 9. de Procur.* fortaſſis ob negotiorum varietatem, quibus detinetur, vel fortaſſis, quia negotia Epiſcopi communia ſunt Capitulo. Rurſus Procurator ut plurimum ad unam tantùm litem datur. Syndicus verò ad cauſas univerſas, quas communitas habet *c. 17. placet. C. de Epiſcop. & Cler.*

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Unici Capitis in hoc titulo contenti.

C. SICUT STUDII UNIC. h. t. Gregorius Papa reſcribit Subdiacono defenſori Siciliæ; quòd ſicut officii Pontificalis eſt à litigiis forenſibus Monachos ſubmovere; ita neceſſe eſt, negotia eorum quomodo diſponi debeant, ordinare: ideòque præcipit Pontifex huic Subdiacono, ut Fauſto cuidam monaſterii negotia generaliter commendet. Ex quo textu liquet, monaſterium teneri negotia forenſia tractare per Syndicum ſoluto pretio: quia conveniens eſt pro parvo incommodo à ſtrepitu cauſarum ſervos Dei eſſe quietos. Verùm notat Gloſſa hic, id potiùs eſſe conſilium, quàm præceptum.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quis ſit Syndicus, & ejus Officium quale.

1 Quia Procuratores univerſitatum, & Collegiorum alio nomine vocantur ſyndici, qui latinè defenſores dicuntur, & ſit Syndicus Procuratori ſimilis, ideò poſt titulum de Procuratoribus, ſequitur hic de ſyndico, qui diſtinguitur à Procuratore propriè ſumpto, quia hic à quocunque privato domino, & in cauſis privatis conſtituitur, & ſyndicus nonniſi ab univerſitate, Collegio, vel alterius communitatis corpore, vel ejus adminiſtratore, quapropter ſyndicus in cauſis publicis, & communibus conſtituitur, ut deſumitur *ex c. petitio. 9. de procurat.* Licèt in jure canonico ſubinde non diſtinguatur ſyndicus à Procuratore, ut liquet ex *c. quia in cauſ. 7.* Cæterum officium ſyndici cùm ſit publicum poteſt imponi etiam invitis *argu. tot. tit. ff. de muner. & honor.* & officium Procuratoris, cùm ſit privatum non niſi, volentibus & acceptantibus imponitur. Rurſus Procurator pro perſona privata in cauſis criminalibus non permittitur, ne eludatur judicis ſententia; ſecus ſyndicus poteſt agere etiam in cauſis criminalibus, cum mandato tamen ſpeciali, ut notat Weſenb. *in paratit. ff. quod cujus univerſ. n. 6.*

Differt etiam ſyndicus ab Actore univerſitatis, eo quia Actor non conſtituitur niſi ſpecialiter ad unam, vel alteram cauſam; ut notat Gloſſa *l. 1. V. ſyndicum. §. d. tit.* & ſi ad plures conſtituatur, debent hæ eſſe præſentes, ut notat Hoſtienſ. *in ſum. h. t. n. 7. & 9.* Syndicus verò generaliter conſtituitur ab univerſitate ad omnes cauſas tractandas, præſentes, & futuras. In jure tamen canonico nonnunquam ſyndicus, & Actor ſumuntur pro eodem. In regularibus tamen id habe-

habetur speciale, quod quidem Actores, seu Procuratores in aliqua particulari causa cum licentia Prælati esse possunt, non verò syndici etiam proprii monasterii; sed Prælatus debet ad id munus personam extraneam constituere, ne religiosi per forenses lites nimium abstrahantur *c. unic. h. t.* Differt etiam ab Administratore universitatis, quia munus istius tantum versatur circa administrationem pecuniarū, & aliorum negotiorum pertinentium ad eandem universitatem: syndicus verò est etiam in litibus prosequendis; in quo differt etiam à Curatore civitatis, qui alia negotia extrajudicialia pertinentia ad eandem civitatem prosequitur. Eadem ratione differt etiam ab Oeconomo, quia hic est tantùm dispensator Ecclesiæ, seu defensor, cui res Ecclesiæ gubernandæ mandantur, ut rectè illas dispenset.

3 Universitas quæcunque illa sit, necesse est in litibus prosequendis, negotiisque peragendis constituat syndicum, quia sine ipso nequit quidquam agere, neque cum illa quidquam rectè agi *l. sicut, §. 1. ff. quod cujusque universitatis.* Ad constituendum tamen syndicum sunt omnes de universitate, ac communitate, quibus convenit jus suffragii, convocandi juxta consuetudinem, ut simul eligant syndicum, qui negotia, & lites ejusdem prosequatur, cum enim hujusmodi negotia, & lites tangant omnes de communitate, debet syndicus ita constitui, ut ab omnibus approbetur. Non tamen est necesse, ut omnes, & singuli adsint, sed sufficit si ad id fuerint vocati, si postea unus, vel alter nolit interesse, possunt præsentes syndicum constituere, dummodo duæ partes, vel saltem major pars universitatis consentiat *l. nulli 3.* juncta Glossa *V. duæ partes. ff. quod cujusque universitatis.* Porro non est necesse, ut, in syndicatûs instrumento omnes, quotquot fuerunt suffragati, se subscribant, & eorum nomina exprimant; sed sufficit, si universitatis sigillo fuerit instrumentum munitum, ut ostendit Panormit. *in c. unic. h. t.* Et quamvis aliqui procedant cum distinctione, & censeant in numerosa, ac frequentiori universitate ob difficultatem non esse necesse, ut nomina omnium suffragantium exprimantur, nisi eo casu, quo ad alienandum syndicus constituitur juxta *c. fin. de Procurat.* & *l. fin. C. de vendendis reb. universit. lib. 11.* & in parva, minùsve frequenti necessitate censeant necessarium, ut omnes subscribant propria exprimentes nomina, ut appareat duas partes fuisse præsentes, & nullum constituentium vinculo irretitum excommunicationis: nihilominus juxta communiorem, & probabiliorem sententiam hæc subscriptio omnium, qui fuerunt suffragati non est necessaria, & sufficit, si instrumentum sit sigillo ejusdem communitatis munitum: quia eò ipso, quòd instrumentum appensum habet sigillum universitatis, satis apparet, fuisse factum de consensu ejusdem universitatis, cùm non soleat sigillum apponi, nisi ex consensu illius, ad quem pertinet.

4 Syndicus eligi, & constitui potest ex eadem universitate, si in illa reperiatur ad id munus exercendum idoneus; tunc enim consultius est, quòd constituatur, qui ex universitate est idoneus; alioquin si alius extra universitatem esset ad id aptior, posset etiam extraneus constitui, cæteris tamen paribus consultius semper ducitur, ut qui est de universitate præferatur extraneo: quia in illo præsumitur, quòd majore fide, amore, & diligentia causas suæ communitatis erit acturus, & promoturus. Suadet tamen Pontifex Religiosis, ut causas suas alicui extraneo non Religioso demandent, tametsi eidem annuum sit assignandum stipendium; quia decet, viros Religiosos à forensi strepitu abstinere, ne per talia negotia à divinis avocentur officiis *c. unic. h. t. & cap. 1. Ne Cler. vel Monach.* Unde quamvis Religiosi ex licentia sui superioris possint officio fungi Procuratoris in causis sui monasterii *c. 2. de postul. c. insuper 6. de testib.* non tamen possunt officium exercere syndici, ut rescripsit Gregorius I. *in c. sicut unic. h. t.* ubi ait sui officii esse curare, ut Monachi à forensibus judiciis abstineant, ita tamen, ut bona, ac jura eorū defendantur, & ideò mandat cuidam Subdiacono, ut generaliter negotia judicialia, ac lites demandet alicui extraneo constituto eidem salario. Cæterum si monasterium ob inopiam non possit Procuratori salarium constituere, potest aliquis ex eodem monasterio officium exercere Procuratoris.

An verò Laicus possit esse syndicus universitatis Ecclesiasticæ etiam in spiritualibus, videtur esse aliqua difficultas, eò quia laicus non possit esse Administrator, nec Oeconomus Ecclesiæ, cui cura committitur rerum Ecclesiasticarum, tam spiritualium, quàm temporalium, ut colligitur ex *c. judicatum 5. dist. 89. tan. in nova. 21. caus. 16. q. 7.* quia ob admixtionem spiritualium tale officium non cadit in laicum. Nihilominus communiter respondent, posse laicum esse Procuratorem, & syndicum universitatis Ecclesiasticæ etiam in spiritualibus causis agendis, & defendendis in judicio, eò quia non censeatur tunc exercere propriè munus spirituale, ut liquet *ex c. 1. de Procurat. in 6.* 5

Potestas syndici non est inferior eâ Procuratoris *l. item 6. §. fin. ff. quod cujusque univers.* unde syndicus omnia expedire potest, quæ alioquin speciale exigerent mandatum, unde potest transigere, deferre juramentum, ac præstare nomine universitatis, quia supponitur constitutus cum hac amplissima, & libera potestate, tametsi id non exprimatur in instrumento, ut notat Gail. *lib. 2. obser. 72. num. 11.* Non tamen alienare potest bona universitatis, quia syndicus præsumitur constitutus in commodum, non in damnum universitatis, quo pacto nec Administratores, quibus convenit dispensare, possunt prodigere.

Officium syndici iisdem quasi modis finitur, quibus procuratorium; nisi quod morte constituentium non expiret, quia communitas semper censetur perseverare in successoribus *l. sicut. 7. §. in Decurion. ff. quod cujusque univers.* & licet syndicus fuerit constitutus ex consensu Abbatis, & Capituli simul, potest nihilominus revocari à solo Abbate, quia Abbas potest solus agere in causis sui monasterii, ut liquet ex *c. edoceri de rescript.* proinde potest etiam solus revocare syndicum, ut ostendit Panormit. *c. unic. h. t. n. 6.* 6

TITULUS XL.

De his, quæ vi, metúsve causâ fiunt.

Quia nonnunquam plura vi, aut metu extorquentur, & fiunt, tam à Judicibus, quàm aliis, qui causas suas deferunt ad Judices, & judicia; ideò Pontifex rectè postquam egit de variis Judicum generibus, eorúmque officiis; subdit titulum hunc de his, quæ vi, metúsve causâ fiunt, contra quæ jura dant remedium rescissorium, quod appellatur *actio quòd vi, metúsve causa*: quamvis regulariter, quæ per metum geruntur valeant, cùm non sint simpliciter, sed tantùm secundùm quid involuntaria, proinde non irrita, sed irritanda; nihilominus id fallit in quibusdam casibus, in quibus metus saltem ex juris dispositione causat nullitatem, ut in matrimonio, professione religiosa. Quamobrèm licèt hic congruè possent explicari, quæ ad intelligendam naturam metus pertinent, quia tamen dependent à lege naturali, & divina, & propriè non pertinent ad Canones; ideò ab iis est hìc supersedendum.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, in hoc titulo contentorum.

CAP PERLATUM 1. h. t. Alexander III, declarat, cum, qui ex timore mortis ab extrinseco incusso profitetur religionem non liberè, nec postea ratum habet, quod egit posse regredi, & uxorem ducere, eò quia religiosa professio ex tali timore emissa non fuerit liberè emissa, proinde invalida. Imò notat Glossa, excusare etiam metum stupri, timorem servitutis, metum verberum. Sin verò uxor profiteatur religionem consentiente viro, votum tenet ex parte uxoris, non verò mariti Cæterùm professio ab initio ex timore emissa si postea spontè rata habeatur, est valida, ut etiam matrimonium

C. ABBAS 2. h. t. Idem Pont. rescribit Episcopo Vigoriensi renunciationem illi[illegible], qui ob metum, ne patrimonium amitteret, renunciavit suo beneficio, non valere, & qui renunciavit, posse resignatum beneficium repetere; quia ex utriusque juris principiis constat, quòd quæ vi, & metu fiunt, debeant in irritum revocari, idque præsertim jure canonico ex præsenti textu, cui concordant jura civilia in l. dolo C. de in-ut. stipul. l. ult. C. de his eod. *Est id peculiare metum passo, quia huic per Judicis officium succurritur, quamvis à tertia persona sit metus incussus.*

C. AD AURES 3 h. t. Clemens III. declarat, quòd si electus ad regimen Ecclesiæ alicujus ex timore laicorum renunciavit Ecclesiæ, dummodo renunciatio non fuerit confirmata juramento vel fide; possit præfici eidem Ecclesiæ, seu promoveri ad idem regimen. Ubi notat Glossa, quòd quamvis renunciatio sponte facta in manu laici non teneat, quoad ipsum renunciantem, tenet tamen quoad superiorem, adeò ut sit in ejus arbitrio renunciantem restituere beneficio. Rursus juramentum, & fidem æquiparari, ac debere servari in iis, quæ servari possunt sine detrimento æternæ salutis: verùm potest recurri ad superiorem, & probato metu implorari officium Judicis.

C. AD AUDIENTIAM 4. h. t. Innocentius III. rescribit Decano Linconiensi, quòd si qui per metum cadentem in constantem virum juravit renunciare, & renuntiavit, sed non juravit non repetere, possit repetere, & si probet metum, sit ei restituendum beneficium. Ubi notat Glossa, juramentum factum esse servandum, si absque periculo animæ servari possit: rursus juramentum non extendi ad ea, de quibus non est præstitum.

C. SACRIS 5. h. t. Idem Pont declarat, communicantem invitum, & per coactionem excommunicato non esse excommunicatum, eò quia potiùs patiatur, quàm agat: secus incurrere excommunicationem, qui per metum communicat excommunicato; quia metus licèt culpam minuat, non tamen penitus excludit. Cæterùm quoad ea, quæ pertinent ad salutem spiritualem excommunicati possumus cum illo communicare.

C. CUM DILECTUS 6. h. t. Idem Pont. declarat, eum, qui vovit, vel juravit aliquid, quod servatum non vergit in dispendium salutis æternæ, teneri illud servare, nec excusari propter metum, dummodo non sit metus mortis vel cruciatus corporis. Imò notat Glossa hic, alios metus etiam excusare, subinde etiam verberum,

rerum,

rerum libertatis, status, honoris. Cæterum an causa metûs justa sit, nec ne, arbitrio relinquitur Iudicis.

C. *SUPER EO ult. h. t. Gregorius IX. cùm adversarius illius, ad quem Pontifex rescribit, se per violentiam ab illo spoliatum, ipse autem conquereretur esse injuste contra se processum, & cum adversarius nonnisi proprio juramento probaverit singula, quæ amisit, rescribit Pontifex, postquam de vi, per testes, & de rebus amissis per ipsius juramentum constiterit, potuisse Iudicem taxatione rerum secundùm has circumstantias factâ accusatum rationabiliter condemnare. Ex quo textu claret, allegantem violentiam sibi illatam teneri eam per testes probare, adeout super violentia, seu delicto non stetur juramento conquerentis, nisi essent indicia violenta, quæ sufficerent ad probandum* l. indicia C. de rei vindic. *In rebus tamen modici præjudicii sufficit probare violentiam per unum testem, & juramentum partis.*

IN SEXTO.

C. *ABSOLUTIONIS unic. h. t. Gregorius IX. declarat, revocationem, & absolutionem ab excommunicatione, suspensione, vel interdicto per vim, vel metum extortam non valere, & inferentes vim esse excommunicatos. Notat Glossa in jure communi, quæ fiunt metu justo cadente in virum constantem sortiri suum valorem: quia voluntas coacta adhuc est voluntas, quamvis possint à Iudice rescindi. Cæterùm mandans vel ratificans violentiam incurrit excommunicationem, à qua tamen potest Ordinarius absolvere.*

COMMENTARIVS PARATITLARIS.

§. I.

Quæ dicantur vi, metúsve causâ fieri.

1 CUm in jure canonico Pontifex prius egisset de exceptionib⁹, quæ desumuntur ex personis, quæ alieno nomine in judicio versantur, & quasi Actor, vel reus priusquam litem instituat, potest adversario suo objicere; & etiam de iis, de quibus spontè agitur in judicio, vel extra judicium: nunc rectà procedens methodo, agit de iis exceptionibus, quæ desumuntur ex personis ipsiusmet Actoris, vel Rei, ad quas res controversæ pertinent, si quid vi, aut metûs causâ factum fuerit; ut an contractus, vel quasi contractus vi, aut metu extorti, validi sint, an verò retractari debeant, ne ulli inferatur damnum.

2 Vis in jure civili definitur esse majoris rei impetus, qui repelli non potest. *l. vis autem ff. de eo, quod metus causâ est gestum.* Quapropter in eodem jure civili exstat titulus de vi, & vi armata, ubi jus continetur, quo judicis authoritate illi succurratur, qui vi dejectus est ex possessione, ut possit eam iterum recuperare. Idem juris continetur in titulo *unde vi*, qui est titulus quartus *in lib. 8. cod.* Rursus exstat alius titulus, *quod vi, aut clam*, ubi jus constituitur; quo illi, qui vi, aut clam aliquid moliuntur, restituere teneantur. Adest etiam titulus ad leg. Julian. *de vi privata* contra eos, qui vi aliquid alteri rapiunt, vel in re aliqua nocent. Est etiam alius titulus ad leg. Julian. *de vi publica* contra eos, qui vi aliquid contra rempublicam moliuntur, & agunt. In jure canonico exstat præsens titulus de his, quæ vi, metùsve causâ fiunt.

3 Distinguitur autem vis in veram, & modificatam; illa est corporalis quædam extrinseca violentia ad id præstandum, quod jubetur, ut si quis fortior me in terram dejiciat, tametsi ego reluctet. Modificata denominatur à particula modali, quando adhibetur externa violentia, ut voluntas, quæ propriè cogi non potest, inducatur ad aliquid consentiendū. Item alia est absoluta, quæ causat simpliciter involuntarium, tollitque liberum consensum, ut cùm violenter alicui reluctanti eripitur pallium. Alia est conditionalis, quæ voluntarium simpliciter non tollit, sed admiscet voluntarium imperfectum, seu conditionatum, ut cùm quis adigitur ad præstandum, quod alias non præstaret, adeò ut absolutè velit quidem præstare, & nihilominùs non præstaret, si vis exterior abesset. Alia dicitur turbativa, quâ quis turbatur in sua possessione; alia ablativa, quâ alicui aufertur, quod possidet; alia inquietativa, quâ quis inquietatur in usu suæ rei.

Metus definitur à Ulpiano in *l. 1. ff. de eod.* quòd sit instantis, vel futuri periculi causâ mentis trepidatio: ad id autem requiritur, ut metus sit præsens, tametsi periculum futurum, quia non sufficit suspicari de metu aliquando inferendo, sed debet de præsenti metuens timore percelli, eò quia judicet, malum, quod timet, probabiliùs mox futurum, ut notat Glossa in v. *ad audientiam V. caus. in fin.* Unde trepidatio mentis non tantùm propter violentiam de facto illatam, sed etiam inferendam potest contingere. Cæterùm differt metus à violentia absoluta, quia hanc patitur absolutè invitus, qui nullo modo consentit; ut cum alicui reluctanti eripitur pallium, tunc enim non agit ipse, sed potiùs ab extrinseco agitur, & patitur. Secus qui metu compulsus aliquid ageret, quod aliàs non ageret, is simpliciter non dicitur invitus, sed tantùm secundum quid, seu conditionaliter, ut cùm quis metu pœnæ, se abstinet ab aliquo opere, quod aliter esset acturus, nisi pœ- 4

nam timeret, vel frequentat sacrum, eò quia timeat etiam pœnam, cui non interesset, si timor pœnæ abesset; dicitur enim tantùm secundùm quid invitus audire sacrum, non verò simpliciter.

5 Oritur hinc dubium, quomodo intelligatur, quando in regula juris *l. invito de regul. juris.* dicitur: invito non dari beneficium: siquidem contra hanc regulam videtur obstare, quòd excommunicatus etiam invitus possit ab excommunicatione absolvi, ut etiam à quavis alia censura Ecclesiastica. Sed respondetur, dictam regulam juris veram esse, eò quia beneficium fit in rem, & ad bonum ejus, cui datur, proinde non conceditur invito: & è contra, potest quis invitus à vinculo solvi excommunicationis, ita ut absolutio valeat, quia excommunicatio est pœna irrogata, & inflicta ab Ecclesia, à qua dependet: unde sicut Ecclesia constituit excommunicationem, sic potest eam remittere. Potest etiam Ecclesia absolvere à censuris, ut aliquis pro tempore idoneus habeatur ad aliquem actum, quem irretitus excommunicatione, vel alia censura præstare validè non posset, qua ratione Ecclesia eum absolvit ad tempus ab ipsis censuris. Discrimen igitur inter beneficium, quod non confertur invito; & excommunicationem, quæ absolvitur, etiam invito excommunicato, est, quia absolutio excommunicationis dependet totaliter ab Ecclesia; & non requiritur consensus in excommunicato; secus collatio beneficii dependet etiam ab eo, cui confertur, si velit illud acceptare, unde conferre beneficium dependet ab Ecclesia, & illud acceptare ab eo, cui confertur.

6 Rursus, quæ fiunt vi, metúsve causâ, ait Prætor *l. 1. ff. quod metûs causâ*, se rata non habiturum; quod effatum communiter ita intelligitur, ut gesta ex metu ipso jure suum sortiantur valorem, sed per sententiam judicis sint postea rescindenda: ratio est, quia ex una parte causam habent obligationis, scilicet consensum, cùm etiam voluntas coacta sit voluntas: si metu coactus adivi hæreditatẽ ait jurisconsultus in *l. si mulier. 21. § penult. ff. quod metûs causâ*, puto me hæredem effici, quamvis si liber essem noluissem; tamen coactus volui sed per Prætorem restituendus sum. Ex altera parte quia hoc voluntarium non est totaliter liberum ratione metûs incussi, ideò contractus, vel id quod metûs causâ fit, à judice rescinditur. Quòd si dicas, in *l. qui in carcerem ff. eod. tit.* simpliciter dici, obligationem metu extortam nullius esse momenti, proinde non indigere rescissione facta per judicem, quia quod in se est invalidum, independenter ab alio est tale. Respondetur, illa verba *nullius momenti* esse intelligenda, non quòd ipso jure obligatio sit nulla, sed in ordine ad futurum rescissionis effectum; dicitur enim esse nullius momenti quod non potest suum sortiri effectum.

7 Quæ etiam per vim, seu coactionem absolutam, & injustam fiunt, ipso jure sunt nulla, quia talis vis, seu coactio causat simpliciter, & absolutè involuntarium: etenim qui patitur vim, & coactionem nullo pacto consentit in id, quod coactè agit; & consensus pertinet ad substantiam actûs humani. In ordine tamen ad actum externum, ut vim passus censeatur voluntate dissensisse, requiritur, ut externis corporis facultatibus restiterit, & quantum potuit; & pro viribus actum malum impedierit. Cæterum allegans violentiam sibi illatam debet illam legitimè probare per testes, nec sufficit juramentum conquerentis de vi sibi illata, quia delicta sunt liquidè probanda, ut ostendit Glossa in *c. si quando V. pat. facta.* & Abbas hic *n. 2.* ubi addit, per indicia inducentia violẽtam præsumptionem in ordine ad compensationem damni illati, posse vim illatam probari etiam per unum testem, & additionem juramenti partis, si agatur de modico præjudicio; & ob difficultatem probationum solent etiam admitti testes familiares, seu domestici, si per alios illata violentia probari non possit. Judex verò priusquam condemnet violentiam inferentes ad res ablatas restituendas, debet audito læso earum æstimationem taxare, seu definire, & postea deferre juramentum parti, ut juret non minus damni illatum esse, quàm fuerit taxatum, & postea adigitur condemnatus ad restitutionem; quia cùm juramentum à parte præstitum sit veritatis, seu veræ æstimationis; si judex priùs reciperet tale juramentũ, & postea taxaret damnum illatũ in minore quantitate, quàm juratum fuit, argueret jurantem perjurii. Secus in juramento assertionis potest judex post præstitum juramentum taxare quantitatem damni illati, & in minus condemnare reum, quàm juratum sit, quia affectio in rem propriam est causa, ut illa pluris æstimetur, quàm reverà valeat *l. videamus 4. §. de in lit. jurar.*

Metus in jure multipliciter dividitur, alius enim dicitur justus; alius probabilis, improbabilis alius, alius levis, alius gravis, alius cadens in virũ constantem, & alius non. Dicitur metus justus, quia à jure solet excusari, tametsi quidquam contra leges agatur. Probabilis etiam dicitur, quem jura approbant. Metus gravis dicitur, eò quia sit alicujus magni periculi instantis, vel futuri formido. Dicitur cadens in constantem virum, quatenus est metus, quo etiam viri fortes formidant, seu est timor magni mali, qui etiam justus, probabilis, & gravis dicitur. Ut autem metus dicatur cadere in virum constantem quinq; requiruntur conditiones, quarum prima est, ut malum, quod timetur grave sit in se consideratũ. Secunda, ut æstimatio mali, quod timetur, sit viri fortis. Tertia, ut qui metũ incutit, possit minas executioni mandare. Quarta, ut metum incutiens consueverit etiam frequenter minas exequi in eodem genere mali, quod alias cominatus fuit. Quinta, ne possit timens facilè occurrere malis, quæ timentur. Metus igitur cadens in virum constantem est timor alicujus mali, quod etiam viro forti est formidini, cujusmodi est metus iminentis mortis, mutilationis, attrocis cruciatus, diuturni carceris, perpetui exilii, amissionis omnium bonorum, infamiæ juris, vel etiam facti, quæ difficulter possit abstergi, & metus similium malorum. 8

Rursus ad metum gravem pertinet etiam metus reverentialis, quo filius timet offensionẽ patris, vel matris; Pupillus tutoris, subditus Principis, Monachus Abbatis, uxor viri, præsertim si metus ingens sit, & conjunctæ eidem sint minæ, vel timor gravis malæ tractationis, vel preces importunæ, scilicet vehementes, & sæpius repetitæ. 9

Ad

Ad dignoscendum vero quinam metus verè dicatur cadens in constantem virum, & qui non, relinquendum est arbitrio viri prudentis, quia metus non tantum consideratur ex causa, qua nascitur, sed etiam ex persona, cui incutitur; quapropter metus dici potest respectivè gravis, qui est alicujus mali, quod tametsi viro forti non sit formidini, tamen fœmineo sexui, puero, aut homini meticuloso est gravissimæ formidini: unde metus ejusdem mali potest respectu unius esse metus non cadens in virum constantem, & respectu alterius potest esse metus, qui reverà cadit in virum constantem. Quæ ex metu mortis fiunt excusantur à culpa, dummodo non sint ex objecto, & intrinsecè mala, ut odium Dei, contemptus religionis.

10 An verò metus justus, quem jura, & leges excusant, comprehendat metum infamiæ, & dedecoris. Respondent plures affirmativè, quia meliora bona sunt fama, gloria, honor, quàm sit patrimonium; & pluris solet æstimari jactura famæ, & honoris, quam bonorum corporalium. Præsertim si timeamus infamiam juris; proinde si timor amittendi bona omnia temporalia dicitur justus, & dignus, ut excusetur à legibus; etiam timor infamiæ juris erit justus; si tamen timor sit de infamia facti, tunc non est censendus justus, ut excusetur à jure, quapropter si quis, ne diffametur apud alios ob turpe factum, promittat aliquid metus facti non irritat promissionem: sin verò in delicto deprehensus teneatur inclusus donec promittat aliquid, ne delato crimine ad judicem famam amittat, & juris infamiā contrahant, metus est justus. Non tamen semper metus est justus, qui per supra dicta mala incutitur; sed tunc tantùm est justus; quando iminens periculum talium malorum non potest declinari, vel nonnisi difficulter: quia jura vocant metum justum, cui obsisti non potest; unde si comodè mala etiam gravia possint caveri, metus illorum non dicitur justus. Rursus si aliquod gravissimum malum imineat propriæ personæ, vel filiis, aut uxori, metum justum efficit, ut desumitur ex *l. isti quidem ff. de eo, quod metus causa gestum est*: solent enim parentes, & mariti pro affectu in liberos, vel uxores magis terreri.

11 Oritur tamen difficultas, quid sit intelligendum nomine capitalium minarum, cum dicitur in *l. si donation. C. de iis, quæ vi, metusve causâ gesta sunt* capitales minas efficere metum justum. Nonulli respondent, nomine capitalium minarū intelligi periculum amittendi caput, ex quo dependet vita hominis. Verùm quia in *e. l.* capitales minæ post mortis periculum puniuntur; ideò melius, & verius asserit Accursius, nomine capitalium minarū intelligi periculum, quo quis metuit jacturam libertatis, vel timet incurrere in pœnam legis, quâ civitas amittatur, & in exilium emittatur: siquidem in jure civili nomine pœnæ capitalis non tam intelligitur mors corporalis, quàm civilis, quâ quis perdit patriam, & libertatem.

12 Non tamen semper metus est justus, quo quis promittit ex suo præcedenti delicto, quia leges, & jura non semper hunc metū habent pro justo; si enim Cajus metu, in quem incidit ob patratum aliquod scelus donet, vel promittat, vel se obliget alteri, valet obligatio, quia metus non est justus, quia provenit ex causâ justa timendi, seu ex patrato scelere, quod est justa causa timoris, ut desumitur ex *l. si mulier ff. de eo quod metus causa gestum est*, ubi ponuntur aliqui casus, in quibus metus, non habetur justus, ut excusetur ab obligatione, qui ex tali metu promisit, contraxit, donavit. Si mulier contra patronum suum ingrata facta, sciens se ingratam, quando de suo statu periclitabatur aliquid suo patrono dedit, vel promisit, ne in servitutē redigeretur, ut ingrata, valet promissio, vel donatio, neq; datur in judicio ejus repetitio; quia ipsa sibi hunc metū infert. Rursus si medicus dicat ægroto periclitanti, non tibi medebor, nisi promiseris te ducturum in uxorē filiam meam: si promittat ægrotus absque metu tamen perfidiæ, metu solo, ne destitutus remedio pereat vi morbi, promissio valet.

Præterea si fœmina aliqua dicat Titio condem- 13
nato ad mortem: ego te pecuniâ liberabo, si promiseris me ducturum in uxorem, vim habet promissio, si fiat. Rursus si judex dicat juveni, qui virginem defloravit, ob quod flagitium debeat ille condemnari, non te condemnabo, si eā duxeris in uxorē, valet promissio. Hi omnes casus habentur in *l. contin. & sed vim. ff. de eo quod metus causa gestum est*. Imò Covar. *de matr. p. 2. c. 3. §. 4. n. 17.* cum pluribus aliis, quos citat, asserit, constituta lege, Principis, vel reipublicæ authoritate firmata, aut more, & consuetudine accepta, quâ damnati ad mortem ob certa delicta absq; pœna liberi dimittuntur, si alicui meretrici nubant, valere matrimonium; quia hujusmodi metus à nemine incutitur ad matrimonium contrahendum, nec in præfatis casibus permittitur actio in judicio, quâ repetatur, quod donatum est, vel quâ contractus, aut obligatio rescindatur. Secus sunt alii casus, in quibus datur actio in judicio, ut contractus dissolvatur; tametsi metus originem suam trahat ex præcedenti scelere comissо: ut si adulter deprehensus in adulterio, donet aliquid, vel promittat, vel sese jurisjurandi religione obstringat, obligetque alteri, ne occidatur ab eo, qui ipsum deprehendit in tali scelere. Item si fur in furto deprehensus promittat certam pecuniæ quantitatem, ne in carcerem detrudatur: ut etiam si quis deprehensus in flagitio aliquo donet, vel promittat aliquid, ne prodatur, nec accusetur: in hisce casibus promissiones, obligationes, donationes, contractus facti metus causâ in foro conscientiæ valent; sed in judiciali datur actio, quâ possint rescindi, ut desumitur ex *l. nec timorem, & l. isti quidam. ff. de eo, quod metus causâ gestum est*. Ratio cur in istis casibus leges concedant actionem, quâ dissolvantur, non verò in primis, licèt in omnibus metus procedat ex præcedenti delicto, & causa voluntariè data, est, quia fur, adulter, & quicunque alius in actuali flagitio deprehensus, ex jure accusari quidem potest; sed qui accipit pecuniam, vel rem aliam, ne illum accuset, vel occidat, aut conjiciat in carcerem non justè accipit, sed contra comune bonum: proinde leges concedunt actionem in judicio ad rescindendum contractum, vel repetendas pecunias datas. Tùm quia licèt fur, vel adulter deliquerit, justo tamen metu mortem, & carcerem pertimescit. Secus in prioribus casibus, ut in patrono, qui à liberta ingrata accipit pecuniam, ne illam

in servitutem redigat, & alii contractus prærecensiti in prioribus casibus validi sunt, & non rescinduntur in judicio: quia tali pacto accipere pecunias, promittere, donare, & contrahere, non est prohibitum à lege, nec pervertit rectum reipublicæ regimen, nec mores corrumpit.

14 Generatim contractus sive onerosi, sive gratuiti, ut etiam transactiones, renuntiationes, aliique similes actus, qui ex metu etiam gravi, & injustè illato fiunt, tam jure naturæ, quàm positivo regulariter standò in mero jure sunt validi in utroque foro conscientiæ, & judiciali; datur tamen actio contra ea, quæ per talem metum facta sunt, adeò ut rescindi possint, ut notat Glossa *in c. 2. V. coactus h. t.* quia quod fit ex metu est simpliciter voluntarium, & secundùm quid involuntarium; adeò ut sit mixtum ex voluntario, & involuntario, sive hoc sit imperfectũ, sive conditionatum: siquidem qui ex metu agit, simpliciter vult, quod agit, alioquin illud non ageret *l. si mulier 21. §. si metu ff. h. t.* unde metus etiam gravis, & injustè incussus non tollit consensum voluntarium simpliciter requisitum ad valorem pacti, contractûs, transactionis, renuntiationis, consequenter hujusmodi actus spectato jure naturæ sunt validi; alioquin votum factum ex metu ab intrinseco proveniente ut ex metu mortis in naufragio, vel gravi infirmitate non valeret, quia, quod ex tali metu fit, est etiam secundùm quid involuntarium. In actione, quæ fit ex metu, ut in projectione mercium in mare, aut in oblatione pecuniarum Tyranno ad salvandam vitam, tres ad minimum reperiuntur actus, quorum primus est amor pecuniarum, aut mercium, qui semper manet, etiam post illarum projectionem in mare; secundus actus est nolitio mortis, seu volitio auferendi periculum illud imminens: Tertius actus est ipsa volitio projiciendi merces in mare ad declinandum periculum submersionis, & mortis; ex quibus iste tertius actus est causatus à secundo, quia habet rationem medii respectu illius; volitio enim finis est causa electionis mediorum; & projectio mercium in mare, aut oblatio pecuniarum facta Tyranno eligitur à voluntate, ut medium ad repellendum periculum mortis; hinc in illis actibus, qui ex metu fiunt, potest assignari utraque ratio voluntarii, & involuntarii, tam ex parte voluntatis, quàm objecti: primò potest reddi ratio involuntarii, ex parte objecti, quia auferre à se bona, & illa projicere in mare, vel donare Tyranno est ex se quoddam malum, & dignum ut odio habeatur, & ex parte voluntatis, quia unusquisque naturaliter amat sua bona: unde illa à se auferre ratione metûs illati est contra talem amorem, proinde quid involuntarium. Sunt etiam in talibus actibus, qui ex metu fiunt, aliæ actiones voluntariæ, tam ex parte objecti, quàm voluntatis, quia ex parte objecti illa projectio mercium, aut donatio pecuniarum est utilis ad vitandum majus damnum, scilicet mortem: & etiam ex parte voluntatis, cùm hæc magis amet propriam vitam, quàm alia bona temporalia.

15 Præterea valida esse etiam jure positivo, quæ fiunt gravi, & injusto metu, licet detur actio in judicio contra ipsa, & sint rescindenda, desumitur *ex c. Abbas 2. h. t.* ubi id statuitur de renuntiatione beneficii per metum amittendi bona temporalia facta, quæ rescindi debet; & quia *in d. c.* Alexander III. mandat, ut facta ex metu gravi debeant de jure in irritum revocari, supponitur ea valida esse, donec irritentur; alioquin frustra irritarentur, si essent invalida, cùm id, quod invalidum est, sit etiam irritum: propterea irritaretur, quod jam esset irritum, quod est absurdum *l. 1. ff. h. t.* ubi dicitur: *ait Prætor, quod metu gestum est, ratum non habebo*, verbum autem futuri temporis, non significat esse ipso jure irritum, sed irritandum *l. si mulier. §. si metu. ff. eod. l. fin. C. eod.* ubi præcipitur, ut donationes, venditiones, transactiones per metum extortæ infirmentur.

16 Neque obstat, si dicas, voluntarium, & involuntarium, liberum, & non liberum habere conditiones omninò repugnantes, consequenter non posse eundem actum ex metu factum utramque habere in se rationem voluntarii, & involuntarii, liberi, & non liberi. Tum quia voluntarium exigit essentialiter esse à principio intrinseco, & liberum etiam à principio intrinseco, & indifferente; in voluntariũ verò petit esse à principio extrinseco; & non liberum à principio determinato. Nam hæc contradictoria non sequuntur, si fiat comparatio ad diversos actus voluntatis; actus enim projectionis mercium in mare, respectu tertii actûs, quo illas projiciens vult efficaciter evadere naufragii periculum, est voluntarius, & eligitur ut medium ad finem salvandæ vitæ, proinde est à voluntate, ut à principio intrinseco, & indifferente; si verò comparatio fiat respectu alterius primi actûs, quo voluntas amat sua bona, & ratione cujus, propendet in eorundem conservationem; hac ratione projectio mercium in mare non censetur esse à voluntate, nec à principio perfectè indifferente, cùm metus tollat perfectionem saltem accidentalem libertatis. Neque hæ duæ inclinationes, scilicet amor mercium, & volitio projiciendi eas in mare, sunt repugnantes, cùm habeant objecta distincta: siquidem objectum amoris sunt merces, quatenus sunt quædam bona propria: objectum verò volitionis projiciendi eas in mare, non sunt ipsæ merces sub eadem ratione, sed sub alia, seu quatenus sunt impedimenta ad fugiendum naufragium, & salvandam vitã.

17 Hinc quæ fiunt per metum simpliciter sunt voluntaria, & tantùm secundùm quid involuntaria, quia pro tempore, quo fiunt, & pensatis omnibus circumstantiis sunt simpliciter libera, proinde etiam simpliciter voluntaria. Projectio enim mercium in mare, quando imminet naufragium, fit liberè simpliciter ab ipso projiciente, non enim metûs mortis cogit simpliciter voluntatem, neque est causã illius projectionis, nisi posito consensu libero voluntatis. Tum quia actiones metu factæ ad vitandum majus malũ sunt voluntariæ voluntate efficaci, & absoluta, cùm de facto ponantur; proinde sunt simpliciter voluntariæ, & tantùm involuntariæ secundùm quid, quatenus non ponerentur, si periculum non immineret. Tum quia in Scripturis vituperantur, ut culpabilia ea mala, quæ fiunt propter metum Isaiæ 51.

Obli-

Oblitus es Domini factoris tui, & formidâsti jugiter toto die à facie furoris ejus, qui te tribulabat. Joan. 12. *Propter Pharisæos non confitebantur, ut ex synagoga non ejicerentur, dilexerunt enim magis gloriam hominum, quàm gloriam Dei:* unde quæ ex metu fiunt sunt simpliciter voluntaria, & contractus ex metu gravi, & injustè incusso initi in utroque foro sunt validi, & tantùm datur actio in judicio, ut rescindantur.

18 Solent tamen in contrarium objici. Primò, quia *in l. 1. C. de rescin. vendit.* venditio per metum facta dicitur irrita. Secundò quia *in l. qui in aliena 6. §. Celsus. ff. de acquiren. haredit.* habetur, quod qui timore coactus adit hæreditatem, hæres non fiat, adeò ut aditio hæreditatis metu facta non sit valida. Tertiò in *l. qui in carcerem. 22. ff. h. t.* dicitur: qui in carcerem, quempiam detrusit, ut aliquid ei extorqueret, quidquid ob hanc causam factum est, nullius esse momenti. Quartò, quia metus habet in se ignorantiam, ut dicitur *in l. item. qui cum exceptione 14. §. in hac actione. ff. h. t.* sed ignorantia est consensui contraria *l. si per errorem 15. ff. de jurisdic.* Quintò, quia nil consensui tam contrarium, quàm metus, *l. nihil 116. §. de R. I.* Sed contra, ad primum respondet Glossa. ibid. *V. irrita*, talem venditionem vocari irritam in potentia; eò quia sit irritanda per actionem in judicio, & id colligi ex rubrica tituli, quod enim rescindendum est in potentia, cùm non sit habiturum effectum, perinde se habet, ac si esset irritum actu. Ad secundum, respondent comuniter, illam hæreditatis aditionem fuisse invalidam, non quia sit facta metu, sed quia ficta fuit, & defuit animus adeundi; quam fictionem, qui adivit hæreditatem priùs clam manifestavit coram testibus, ut notat Glossa. *V. fallens, & V. non fieri* Ad tertium respondent etiam, ibi tantùm significari, illam promissionem factam à detruso in carcerem nullius esse momenti, quoad effectum; eò quia erat irritanda ob gravem metum carceris illatum: unde licèt in se fuerit valida, quia tamen ad arbitrium metu passi irritanda erat, rectè dicebatur nullius momenti, ut explicat Zoesius *in comment. ff. h. t. n. 5.* Ad quartum respondent, metum dici habere in se ignorantiam, non quòd metum passus ignoret, quid agat; sed quia justè ignorat quisnam fuerit, qui metum intulerit, cùm talia clam fiant, ut notat Glossa ibid. V. ignorantia. Ad quintum, metum opponi consensui omninò libero ea libertate, quæ opponitur coactioni, non quæ necessitati, & quæ sufficit ad simpliciter voluntarium, & liberum.

19 Neq; obstat, si dicas, per contractum metu extortum non transferri dominium rei traditæ in accipientem *l. metum 9. §. volenti, & §. licèt ff. h. t.* ubi metum passo datur actio non solùm in personam, verùm etiam in rem; proinde talem contractum non esse validum. Nam contra est, quia per traditionem rerum transferuntur dominia, si fiat cum titulo de jure valido, qualis est in contractu per metum inito, qui non est irritus ipso jure, sed tantùm irritandus. Cæterum metum passo datur actio in rem utilem contra quemvis possessorem, perinde ac si dominus mansisset, qui per metum rem tradidit, & ideò dicitur etiam in ejus bonis esse, quia nemo excluditur à re, quando à Prætore conceditur, & offertur remedium restitutionis in integrum *l. nemo 5. §. de integr. restit.* Tum quia habens actionem, & jus ad rem censetur rem ipsam habere *l. qui actionem 15. de R. I.* Glossa *in citat. l. metum. V. in rem.*

20 Si quis tamen metu gravi coactus aliquid promiserit, aut renuntiaverit alicui juri, & juramento promissionem, vel renuntiationem firmaverit, is tenetur servare juramentum, si absque æternæ salutis dispendio servari possit, nec ulla ei competit actio. Si tamen juramentum promissorium per metum gravem injustè extortum relaxetur à judice potest tunc juramento relaxato, qui promisit, vel renuntiavit rescindere promissionem, & renuntiationem per metum factam, ac restitui in integrum. Imò potest etiam qui juravit, petere, ut sibi relaxetur juramentum, ut inde ei detur actio contra promissionem, & renuntiationem gravi metu extortam, ut desumitur *ex c. ad aures 3. h. t.* Cæterum qui ob gravem metum illatum renuntiavit juri Ecclesiasticæ electionis, adhuc potest institui in Ecclesia, ad quam est electus, nec talis renuntiatio est ipso jure irrita, sed petente illo, qui renuntiavit, ut restituatur in integrum à superiore, potest rescindi, ac irritari. Si quis etiam post electionem confirmatam à legitimo superiore eidem renuntiet ob gravem metum injustè incussum, valida quidem est ipso jure renuntiatio, sed datur actio ipsi passo metum contra renuntiationem ex gravi metu extortam, & à judice rescinditur renuntiatio, & restituitur in integrum, ut desumitur *ex c. ad audientiam 4. h. t.*

21 Dantur tamen contractus metu gravi initi, qui ipso jure sunt irriti, nec indigent rescindi; & inter hos contractus recensetur matrimonium, quod per metum cadentem in virum constantē ac injustè incussum ad extorquendum consensum est ipso jure Ecclesiastico nullum, & in utroq; foro irritum *c. cum locum 14. c. veniens 15 de sponsal. & matrim.* eo quia matrimonia quæ coactè fiunt, rarò felicem sortiuntur exitum, proinde à jure irritantur, tametsi juramentum illis accesserit, ut constat *ex c. 2. de eo qui duxit in matrimonium.* Tum quia matrimonium injusto metu contractū est etiam invalidum ob defectum liberi, & spontanei consensus, & juramentum non supplet defectum consensus requisiti ad substantiam matrimonii. Hoc idem à pluribus etiam extenditur ad sponsalia, gravi, & injusto metu extorta.

22 Professio itidem religiosa emissa ex metu gravi, ac injustè incusso, jure Ecclesiastico est irrita, ut colligitur *ex c. ult. qui Clerici. vel Monach. c. Prælatum 1. h. t.* nisi tamen post talem metum injustè incussum fuerit ratificata: quia tunc per subsequentem ratihabitionem convalescit liber consensus, & professio antea emissa fit valida, ut desumitur *ex c. 1. h t.* Si enim professio religiosa emittatur timore mortis, vel alterius mali gravis injustè incusso, ipso jure est invalida ob defectum consensus plenè voluntarii *argu. c. cùm virum 12. de Regularib.* Præsumitur autem metus tamdiu durare, quamdiu durat causa metûs, seu quamdiu vivit, qui metum incussit: proinde si vivente adhuc eo, qui metum incussit professio religiosa ratificetur, censetur ratificatio etiam irrita, eò

quia

quia perseveret idem timor injustè incussus; nisi fortassis variatæ fuerint circumstantiæ, & qui metum incussit, non amplius illum censeatur incutere: quia sicut ad professionem religiosam requiritur plena libertas à coactione, ita etiam ad ratihabitionem ejusdem.

23 Quòd si constet de contractu inito, & dubitetur de illius validitate ob timorem injustè incussum; tunc onus probandi invaliditatem contractûs incumbit asserenti, se ex gravi metu adactum fuisse ad talem ineundum contractum, siquidem contra illum stat præsumptio, ut liquet ex *l. non est 23. in princ. ff. h. t.* Sin verò probationes pro metum passo adessent, tunc agens ex contractu teneretur ipse probare, metum non fuisse illatum. Hinc si puella dicat, se professionem religiosam emisisse ob metum injustum illi incussum, teneretur probare metum hunc: quia præsumptio staret contra illam. Quòd si post inquisitionem factam deprehensum fuerit, ipsam puellam vivente Patre, aut matre, non fuisse ausam reclamare contra professionem, & aliàs fuerit testata coram Episcopo contra velum professionis sibi impositum; tunc non debet post mortem parentis compelli ad statum religiosum, nisi moniales probaverint, ipsam omninò liberè, & non coactè emisisse professionem, eámque cessante omni metu liberè ratificâsse, quia tunc præsumptiones, seu probationes stant contra puellam, ut notat Abbas in *c. 1. h. t. in fin n. 10.* Ex Concilio Tridentino *sess. 25. c. 19. de Regular.* Religiosi, vel Religiosæ asserentes, se per vim, & metum emisisse professionem, non debent audiri, nisi infra quinquennium causam nullitatis deduxerint coram suo superiore, & Ordinario.

24 Votum itidem, quodcunque illud sit, etiam simplex ob metum injustè incussum, est ipso jure irritum, ut notant communiter cum Glossa in *c. 2. V. coactus propè finem h. t.* Idque procedit etiam in casu, quo vovens habuerit animum se obligandi, dummodo cessante metu votum non ratificaverit: quia Ecclesia consensum metu extortum omninò irritat, nec permittit ullam exinde obligationem oriri. Contractus itidem dotis promissæ, vel solutæ ex metu gravi injustè incusso, est etiam ipso jure irritus *l. mulier 21. §. si dos ff. h. t.* quia sicut matrimonium debet ab omni coactione esse liberum, ita etiam dos: quia accessorium sequitur naturam sui principalis: est enim dos quid accessorium matrimonio, & talis contractus dotis est irritus, ut communiter sentiunt cum Glossa in *citat. c. 2. V. coactus.* Rursus traditio, vel etiam promissio rerum Ecclesiasticarum facta ex gravi metu ipso jure invalida est *c. 1.* Glossa. *V. per metum caus. 15. q. 6.* & idem etiam dicitur de juramento per metum extorto super rebus Ecclesiæ non repetendis, ut habetur in *c. 2. de jurejuran.* quia res Ecclesiasticæ, sicut nec ab ipso Prælato possunt spontè alienari, ita neque per metum injustè incussum.

25 Absolutio ab excommunicatione, aliisque censuris per vim, & metum gravem à judice Ecclesiastico extorta, ut etiam revocatio incurrendæ censuræ non solùm est ipso jure Ecclesiastico irrita, sed etiam, qui illam tali pacto extorquet, ipso facto novam incurrit excommunicationem, ut liquet ex *c. absolutionis unic. h. t. in 6.* quod desumitur ex Concilio generali Lugdunensi sub Gregorio X. ubi verbis generalibus definitur, quòd absolutio à sententia excommunicationis, vel alterius censuræ, vel etiam revocatio censuræ incurrendæ sit ipso jure irrita, si per vim, & metum fuerit extorta; adeò ut illa constitutio extendatur etiam ad minorem excommunicationem, quia mens Pontificis fuit, extorsionem cujuscunque excommunicationis, aut revocationis censuræ irritam reddere, & quidem sub pœna incurrendæ novæ excommunicationis: & licèt odiosa sint restringenda, non tamen præfata constitutio censenda est odiosa, sed favorabilis; cùm principaliter dirigatur in defensionem Ecclesiasticæ potestatis contra injustos ejus violatores. Sin verò sententia censuræ lata sit injustè, & invalidè, tunc non est censenda ejus absolutio in effectu extorta per vim, aut metum, quia quando censura est invalida, reverà est nulla, ac perinde se habet, ac si non fuisset lata. Ut etiam si quis metum incuteret ad extorquendam absolutionem à censura, & judex Ecclesiasticus non obstante metu incusso non absolveret; nec tunc metum inferens pœnam incurreret excommunicationis, quia cùm non habeatur absolutio, nec potest dici extorta per gravem metum: id enim extorquetur per metum, quod ponitur in actu: & verba legis intelligenda sunt cum suo effectu. *c. relatum 4. de Clericis non resid.*

Sunt etiam alii casus, de quibus controvertitur, an causâ metûs gravis sint ipso jure irriti. 26
Dubitatur enim primò de jurisdictione obtenta per vim illatam, metúmque gravem incussum: hanc enim esse ipso jure nullam asserunt plures cum Glossa Margin *de judic. argu. l. 2.* junctâ Glossâ *V. nulla jurisdictio*; nihilominus contrariam sententiam ut probabiliorem defendunt plures cum Lessio *lib. 2. de justit. c. 17. n. 37.* quia casus procedit, quando litigantes adiguntur litigare coram judice non suo, ex quo non arguitur ad jurisdictionem, quæ per metum confertur à superiore, neque extenditur ad omnem collationem jurisdictionis. Secundò dubitatur de authoritate tutoris per metum extorta, etenim nullam esse ipso jure videtur desumi ex *l. 1. §. ult. ff. de author. tutoris.* ubi dicitur, quòd si tutor per vim detineatur invitus, non valeat quod agitur. Sed eatenus non valet, quia ad contractum pupilli requiritur, ut consensus, seu authoritas tutoris interveniat, adeò ut sola corporis præsentia ad præstandum consensum non sufficiat, cùm ille non à corpore, sed à voluntate oriatur; unde licèt tutor sic per vim detentus sit præsens, si tamen liberè non consentiat, actûs cum pupillo celebratus nullum sortitur valorem. Dubitatur tertiò de renunciatione beneficii gravi metu facta; hanc esse nullam censent plures juris pontificii periti cum Imola in *c. ad aures 3. n. 2. h. t.* nihilominus probabilior, & communior sententia est, quòd suum sortiatur valorem, adeò ut institui possit in Ecclesia, ad quam est electus, quia talis renunciatio ipso jure non est irrita, & petente eo, qui ita renunciavit, per restitutionem in integrum, à superiore rescinditur, ut notat Abbas, hic *n. 2.* Neque ex *d. c. ad aures* contrarium

rium deducitur, quia ibi solùm asseritur, quòd electus, qui propter terrorem laicorum se opponentium, electionis juri renuntiavit, adhuc hoc non obstante possit præfici Ecclesiæ illi, cui renuntiavit petita prius restitutione in integrum. Dubitatur quartò de testibus invitis, qui adiguntur adesse testamento, siquidem hoc videtur esse nullum, *ex l. qui testamento 20. §. ult. ff. post testament. stan.* sed communiter respondent, hunc casum non esse ad præsens institutum, quia in testibus non requiritur consensus sicut in contrahentibus, sed sufficit si præsentes intelligant, quod agitur; quod fieri potest etiam si per vim, metúmve detineantur inviti *l. coram 109. ff. de V. S.* in testibus tamen testamentariis id habetur speciale, quòd eorum præsentia non sufficiat, si inviti per vim detineantur, eò quia debent rogari, ut adsint, consequenter libere, & non invitò adesse debent *l. heredes. 21. §. in testament. ff. qui testamen.*

27 Conditiones requisitæ, ut ex causâ metûs contractus vel nullus sit, vel contra illum detur actio, ut rescindatur, quinque solent assignari. Prima est ut metus reverà sit gravis, qui cadat in virum constantem *l. metum 5.* quapropter in foro externo non datur actio ad rescindendum actum ob metum levem; ad evitandas lites, & plura incommoda, quæ passim orirentur: siquidem metus levis ex pluribus capitibus potest facilè probari. In foro tamen conscientiæ, qui metum levem intulit injustè tenetur restituere ob injuriam illatam alteri, quem adigit ad assentiendum per medium injustum. Tum quia metus levis, nonnunquam non minùs perturbat mentem, impellitque nolentem ad consensum, quàm metus gravis. Debet tamen metus levis tunc esse causa principalis talis consensûs. Secunda conditio est, ut metus illatus proveniat ex causâ extrinseca libera; adeò ut metus proveniens à causis naturalibus, morbo gravi, afflictione, naufragio non sufficiat ad irritandum contractum, aut alium actum: hinc ægrotus vovens Deo aliquid, ob metum infirmitatis tenetur votum adimplere, ut etiam qui in alio imminenti periculo constitutus, in mari, bello, itinere, ob mortis timorem tenetur stare promisso *argu. c. sicut. 17. de Regul.* quia licet ex metu voveat, non tamen involuntariè vovet, sed sponte eligit illud medium, ut idoneum ad assecutionem finis, quem intendit; seu ut liberetur ab imminente periculo. Rursus cum talis metus, qui dat causam voto, vel contractui, nullam contineat injuriam, non dat actionem, ut in judicio debeat votum, vel contractus rescindi. Tertia conditio est, ut metus gravis sit ab extrinseco injustè illatus, alioquin si justè inferatur, eò quia metum passus sua culpa in metum incidit, contractus est validus, nec datur actio ad rescissionem: quia contractus metu initi nonnisi ratione injuræ illatæ ei, qui metum patitur, rescinduntur; & ut injuria inferatur, debet metus injustè incuti, quando autem justè infertur, vel metum passus sua culpa in metum incidit, nulla irrogatur ipsi injuria, proinde ejus actus non est rescindibilis. Quarta conditio est, ut metus incutiatur directè ad consensum extorquendum in ordine ad talem actum, vel contractum, quia si injustè vel ob alium finem incuteretur, per accidens se haberet ad talem actum, vel contractum, qui propterea rescindi non posset. Quinta conditio est, ut, qui per vim metum passus est, damnum aliquod inde acceperit *l. sed & partus 12. §. Julianus. ff. h. t.* quia restitutio in integrum, quæ petitur per hanc actionem supponit necessariò læsionem, qua vim passus fuerit dejectus à suo statu cum detrimento, ut docent communiter cum Glossa *fin. in c. auditis 3. de integ. restit.* Rursus ei, qui ex metu gravi injustè incusso actum aliquem, vel contractum inivit, non solùm datur actio, sed etiam exceptio *l. invitus 198. §. de R. J.*

§. II.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones

Quæritur primò, quid juris si alicui in bonis fortunæ vis inferatur, & aliquid auferatur? Respondetur, eum qui violentiam est passus, teneri ante omnia vim sibi illatam legitimè probare, & non sufficere solum juramentum ipsius de vi sibi illata; & desumitur *ex c. super eo ult. h. t.* ubi ad vim probandam requiritur, quod constet de illata violentia, vel per testes, vel aliunde ipsa sit in judicio demonstrata, seu plenè probata: ratio est, quia delicta debent probari per idoneos testes, & apertissima documenta, quæ sint luce clariora *l. ult. C. de probat.* Probata igitur legitimè in judicio violentia sibi facta, si postea singula ablata non possit liquidè probare, eò quia difficulter possint recenseri singula utensilia, & alia minuta, quæ sibi ablata fuerunt: tum Judex inspecta personæ, & negotii qualitate debet damnum illatum taxare; & postea damnum passo juramentum super rebus amissis, earúmque valorem deferre, & tunc statur ejus juramento usq; ad quantitatem taxatam à judice; adeò ut quantitas, & æstimatio rerum ablatarum per juramentum læsi præcedente judicis taxatione probari possit, & dici solet hoc juramentum veritatis, seu veræ æstimationis. Ex duabus autem causis juramentum hoc judiciale præstitum à læso censetur sufficere ad probandas res amissas, & earum æstimationem. Prima ex inopia probationum, eò quia aliter id probare non posset, defectus enim probationis suppletur per juramentum: secunda est in odium delinquentis, seu inferentis vim injustam *argu. l. sancimus 15. C. de judic.* alioquin si aliter ut per testes domesticos probatio haberi possit, tunc ad juramentum non est facilè deveniendum, ne via aperiatur perjuriis. Notat Bartol. in *l. si quando n. 4.* hoc juramentum veritatis, seu veræ æstimationis non procedere, si non contra ipsum, qui violentiam intulit, sed contra alium instituatur, qui violentiæ, vel doli particeps non fuit.

Ratio verò, cur antequam deferatur hoc juramentum veræ æstimationis debeat Judex quantitatem per violentiam ablatam taxare, est, quia si post juramentum præstitum Judex quantitatem taxaret, seu minueret, jurantem argueret per-

perjurii; rursus si reum in minus condemnaret, quàm post taxationem juratum fuerit, tunc ejus sententia injusta foret, nisi evidenter constaret, errorem commissum fuisse, ut notat Innocentius in *d. c. super eo n. 5. h. t.* Secus tamen est de juramento affectionis cum sæpe fiat, ut ob affectum res pluris æstimetur à possessore suo, quàm reverà valeat: cum enim hæc singularis affectio à vera, & communi æstimatione plurimum deflectat; ideò Judex etiam post præstitum juramentum potest quantitatem taxare, & in minus condemnare, quam juratum fuit *l. videamus 4. §. item videndum,* & ibi Glossa *V. ex magna causa vers. tu dicas ff. in litem jurando.*

3 Quæritur secundò, quam debeat metus gravitatem in se continere, ut contractum irritet? Respondetur per hoc differre metum levem à gravi, quia ille non cadit in virum constantem consequenter non irritat contractum *c. cum dilectus 6. h. t.* secus metus gravis est, qui cadit in virum constantem, seu est ille, quem vir constans & fortis prudenter, & rationabiliter concipit, & ad hunc timorem aliquot requiruntur conditiones. Prima quòd malum, de quo timetur sit in se grave, & non tantùm consistat in vana metuentis æstimatione. Secunda quòd hoc malum grave certè immineat certitudine saltem morali, & sufficiente ad actus humanos: si enim altera ex his conditionibus desit, metus non est ampliùs gravis, sed levis. Tertia ad metum gravem etiam requiritur, ut qui metum incutit, possit minas exequi. Quarta ut consueverit minas illas executioni mandare. Quinta ut qui timet, non possit alia ratione malum illud quod timetur declinare. Hic autem metus gravis si ab intrinseco proveniat, seu non sit incussus à causa libera exteriore, sed tantùm intrinsecùs ab ipso metuente conceptus ex propria passione, vel causa naturali, non irritat contractum, ut notat Covarruvias *p. 2. c. 3. §. 4. n. 26.* & desumitur ex *c. sicut nobis de regul.* ubi votum Religionis emissum à constituto in lethali infirmitate censetur validum, & jubetur servari, ut etiam valida sunt vota, quæ imminente naufragio fieri solent ab iis, qui mare trajiciunt, quia talis metus, licèt gravis, non incutitur ab ulla causa extrinseca libera, sed provenit ab intrinseco; proinde votum est liberum, voluntarium, & validum. Rursus si metus gravis proveniens ab extrinseco sit justè incussus non irritat contractum, ut notat Abbas in *c. cum dilectus 6. num. 11. hujus tit.* ubi etiam adjicit exemplum de judice justè minante reum.

4 Ratio petitur ex eo, quia metus justè incussus non infert cuipiam injuriam, & hunc metum delinquens potiùs sibi infert, quàm inferatur ei ab alio, *l. si mulier. §. 1. ff. de eo quod metus causa.* Hinc matrimonium antea promissum, si contrahatur metu excommunicationis infligendæ per Judicem Ecclesiasticum validè contrahitur *c. ex litteris 10. de sponsalib.* hinc etiam si delinquens metu accusationis aliquid promisit accusatori, tenetur stare promisso, nec potest rescissionem promissionis petere, prætextu sui metûs *l. accusationis C. de his, quæ vi, metùsve causâ* præterea metus gravis si non fuit incussus ad extorquendum consensum, sed illatus ad alium finem, sive justè, sive injustè non irritat matrimonium, nec rescindit alios contractus, ut docet Sperellus *decis. 6. for. Eccl. n. 4.* Hinc qui ratione debitorum detrusus in carcerem ad evadendum ex illo, consentit matrimonio ex fine, ut liberetur è carcere, adeò ut metus diuturni carceris fuerit in causa, cur consenserit in matrimonium, adhuc illud validè contrahit: ratio est, quia metus proveniens ex diuturniore carcere non fuit incussus ad extorquendum consensum matrimonialem, sed potiùs matrimonium fuit assumptum, ut medium ad declinandum squalorem carceris.

Rursus si pater in ultionem injuriæ suæ filiæ illatæ, & sibi, velit districto gladio juvenem occidere; & iste precibus impetret, ut sibi parcatur præstita promissione, quòd velit compensare injuriam, ac velit ejus filiæ nubere, validum est tale matrimonium, quamvis promissum ex metu injustè incusso: dicitur enim metus iste injustè incussus, quia pater privata authoritate non potest juvenem occidere. Verùm in praxi fori externi in dubio metus præsumitur incussus ad extorquendum consensum, ut notat Sperellus *decis. 6. fori Eccles. n. 10.* ubi etiam addit, hanc sententiam potiùs esse speculativam, cum difficulter reducatur ad praxim: est enim ferè impossibile probare in judicio, patrem puellæ non ad extorquendum consensum matrimonialem, sed ad ultionem tantùm injuriæ fuisse juveni illi mortem minatum. 5

6 Quæritur tertiò, an metus vitiet contractus etiam juramento firmatos? Respondetur, pacta, contractus sive onerosos, sive gratuitos, ut etiam transactiones, renunciationes, & alios hujusmodi actus ex metu etiam gravi, & injustè incussos factos, tam de jure naturæ, quàm positivo regulariter esse validos in utroque foro conscientiæ, & judiciali. Verùm quæ per talem metum fiunt, possunt per actionem quod metus causa, & restitutionem in integrum rescindi, ut docent communiter Canonistæ cum Glossa in *c. Abbas 2. h. t.* Ratio prioris partis est, quia pactiones, transactiones, renunciationes, & alii hujusmodi actus perficiuntur mutuo voluntario consensu *l. 1. ff. de pact.* atqui metus absolutè loquendo consensum voluntarium non tollit, sed tantùm secundùm quid, eò quia admisceat voluntarium conditionatum: quatenus qui metu agit, nollet id agere, si metus abesset, ut docet D. Thomas *1. 2. q. 6. art. 6.* & Paulus J. C. in *l. si mulier 21. §. si metu ff. quod metus causa.* Tum quia quod fit ex metu est simpliciter voluntarium, adeò ut verum sit dicere, coacta voluntas est voluntas.

7 Posterior pars petitur ex æquitate, secundùm quam gravi metu adactis, & læsis, si actionem quod metus causâ intentent, judicavit Prætor esse succurrendum per in integrum restitutionem; nimirum quæ per hujusmodi metum acta sunt perinde rescinduntur, ac si ab initio irrita fuissent, siquidem ut notat Glossa in *c. auditis 3. V. contra reliquam tit. de in integr. rest.* restituere in integrum nihil aliud est, quàm reducere ad eum statum, in quo erat ante læsionem, eum, qui fuerat læsus. Inductione etiam evincitur posterior pars, etenim

etenim qui per metum gravem renuntiavit beneficio Ecclesiastico, potest illud repetere in judicio, & restituitur *c. ad audientiam 4. h. t.* Neque huic restitutioni obstat juramentum, quo quis juravit, se beneficium resignaturum, quia ut declaratur in *d. c. ad audientiam*, ratione hujus juramenti non obligatur jurans ad non repetendum beneficium, sed solummodo ad illud resignandum: unde semel quòd beneficium resignaverit, adimplevit juramentū, & potest absque perjurio illud postea repetere. Rursus qui electioni de se factæ terrore laicorum renuntiat, non obstante hac renuntiatione potest in judicio repetere Prælaturam, seu regimen ad quod fuerat electus, nisi fortassis renuntiatio fuerit juramento firmata, ut declaratur in *c. ad aures 3. h. t.*

8 In contrarium tamen possunt objici plura jura. Primò quia in *l. 1. C. de rescind. vendit.* venditio per metum facta dicitur irrita. Secundò in *l. qui in aliena 6. §. celsus ff. de acquir. hæredit.* qui timore coactus, ac impulsus hæreditatem adiit, hæres non fit, proinde aditio hæreditatis metu facta non est valida. Tertiò in *l. qui in carcerem 22. ff. h. t.* qui in carcerem intrusit aliquem, ut aliquid illi extorqueret, quicquid ob eam causam factum est, nullius est valoris. Quartò quia metus habet in se adnexam ignorantiam *l. item qui cum exceptione 14. §. in hac actione ff. h. t.* atqui ignorantia est consensui contraria *l. si per errorem 15. ff. de jurisdic.* proinde contractus metu initus defectu consensus est ipso jure irritus. Quintò quia nil consensui tam contrarium est, quàm vis, & metus *l. nihil 116. ff. de regul. jur.* tum quia ibi locum non habet consensus, ubi metus, & coactio interveniunt *c. cum locum 14. de sponsal.* atqui sine consensu nullus esse potest contractus; quia substantia contractus in ipso consensu consistit *l. obligationum 3. ff. de oblig. & action.* Sextò quia dolus dans causam contractui reddit illum irritum de jure positivo: ergò etiam metus; quia metus, & dolus in jure æquiparantur *c. cùm contingat 28. de jurejur.*

9 Verùm pluribus ex hisce textibus fuit jam *sæpiùs satisfactum*. Ad primum respondimus cum Glossa ibi *V. irrita* venditionem per metum factā vocari irritam, hoc est irritandam per actionem quòd metûs causâ, & id evincitur ex verbis statim sequentibus, & ex rubrica tituli: & ratio est, quia quod rescindendum est, in effectu vires non habet, & non est firmum. Ad secundum aditionem illam hæreditatis fuisse invalidam, non quòd metu facta fit, sed quia ficta fuit, seu facta sine animo eam adeundi, & hanc fictionem qui eam adiit priùs clam manifestaverat coram testibus, ut notat Glossa ibidem *V. fallens.* Ad tertium respondetur, ibi tantùm significari promissionem factam à detruso in carcerem nullius esse momenti, & roboris, non in se, sed quoad effectum, quia propter gravem metum carceris illatum, ad arbitrium illius, qui fuit metum passus, irritari potest, ut notat Zoësius in *comment. ff. h. t. n. 5.* Ad quartum, metum dici in se continere ignorantiā, non in eo sensu, ut metum passus erret, & ignoret quid agat, sed quia justè ignorat, quis metum intulerit, cum talia clam fiant, ut explicat Glossa ibid. *V. ignorantia.* Ad quintum metum opponi quidem consensui spontaneo, seu omnino non libero ex libertate, quæ opponitur coactioni, non verò quæ opponitur necessitati, & quæ sufficit ad simpliciter voluntarium, & liberum. Ad sextum respondet Zoësius *ff. h. t. n. 9.* negando hanc æquiparantiam: quia metus, & dolus non æquiparantur omninò in omnibus; proinde quamvis metus, & dolus vitient contractum; dolus contractum irritat ipso facto, eò quia tollat voluntariū requisitum; non ita metus, qui non tollit voluntarium necessarium: siquidem contrahens ex metu non errat in causa consensus, sed illam novit, proinde contractus, valet: secus qui consentit dolo inductus errat in causa consensus, proinde consentit sub conditione, si verū sit id, propter quod inducitur ad contrahendum: hac enim conditione deficiente deficit consensus in contractibus bonæ fidei, non ita stricti juris, in quibus causa inducens ad consensum erroneum est extra contractum.

10 Quæritur quartò, qualenam remedium juris competat metum passis? Respondetur, tria competere remedia, quorum primum est actio quòd metûs causâ *l. metum autem præsentem 9. §. sed Prætor ff. h. t.* Actio hæc quòd metus causâ datur ei, qui ex gravi metu coactus rem suam alteri tradidit, vel præstita cautione promisit dare, vel quodcunque jus suum ipsi remisit, ut Judicis authoritate pristino statui restituatur *c. Abbas 2. h. t.* ubi Pontifex ei qui ex gravi metu coactus renuntiavit suo beneficio jubet præter ipsum beneficium cum integritate restitui universa, unde actio quòd metus causâ datur ei, qui ex gravi metu coactus rem suam alteri tradidit, ut Judicis authoritate res tradita cū integritate sibi restituatur: notanter dicitur cū integritate restitui, quia ut notat Panorm. in *c. Abbas 2. n. 3. h. t.* per actionem quòd metus causâ, debet fieri integerrima restitutio eorum, quæ quis per metum perdidit habito respectu non solùm ad bona existentia, quæ metum passus alteri tradidit: verùm etiam ad damna illata, & interesse cessans ratione illius metus: imò debet restitui cum fructibus, omniq; sua causa *l. si cum exceptione §. labeo ait ff. eod.* imò actio quòd metus causâ non solùm est personalis, quatenus dirigi potest in personam illius, qui metum intulit, sed etiam est actio in rem scripta, quia datur adversus quemcunque, qui ex metu illato sentit commodum, tametsi ipse metum non intulerit, ut notat Mynsinger. *l. 4 instit. §. quadrupli. n. 2. de actíon.* imò est etiam actio pœnalis, quia si intra annum instituatur contra eum, qui metum gravem injustè intulit, vel contra possessorem rei per metum traditæ, & is distulit restituere, tunc ipse in quadruplum condemnatur: alioquin tantum in simplum *l. si cum exceptione §. si quis non restituat ff. h. t.* & docet Layman. in *c. Abbas 2. n. 5. h. t.* Secundum remedium est, quòd metum passis de jure competat exceptio quòd metûs causâ; hæcque vel maximè competit in negotiis imperfectis seu in illis, in quibus nondum facta est executio, seu rei traditio: quinimò nonnunquam competit etiam in negotiis perfectis, ut si Titius ex metu gravi dedit Cajo centum, & aliunde debeat illi centum, quando Cajus exigit à Titio illa centum, potest Titius illi opponere exceptionem de aliis

centum ex gravi metu illi jam datis *l. metum autem præsentem* §. *sed quod Prætor ff. eod.* Tertium est rei vindicatio, ut notat Abbas in *c. ad audientiam 4. h. t.* seu actio utilis, si metum passus sit dominus illius rei, *argu. l. metum autem præsentem* §. *volenti*, & §. *licèt ff. h. t.* Ibi enim dicitur, quòd si res per metum tradita sit in bonis illius, qui vim fuit passus, volenti detur actio in rem, seu actio utilis, ut explicat Glossa ibid. *V. in rem*, quamvis non cesset actio pœnalis. Dicitur autem res per metum tradita esse in bonis ejus, qui vim fuit passus per fictionem juris, ut notat Glossa in *d.* §. *licèt. V. in bonis ejus.*

11 Quæritur quintò, an generatim si quis per metum non gravem, sed levem injustè incussum ad juramentum promissorium inductus sit, possit hoc relaxari à superiore inferiore Papâ, ut est Episcopus? Negant Abbas in *c. cùm dilectus 6. n. 10. h. t.* Sanchez *lib. 4. de matrimonio dispu. 20. n. 9.* Sylvester *verb. juramentum. 4. q. 7. in fin. argum. l. metum ff. h. t.* ubi dicitur, metum accipiendum hìc esse non pro quovis timore, sed pro majore & graviore. Comunior tamen, & verior sententia affirmat, & eam docent Hostiensis, & Joannes Andreas in *c. verum 16. n. 6. de jurejur.* Abbas ibid. *n. 3.* Covarruvias *in reg. peccatum p. 2.* §. *3. n. 7.* Layman. *in c. cum dilectus n. 4. h. t.* ubi ait, quòd si is, cui jurata promissio facta est metum quamvis levem ipsemet injustè incussit, possit juramentum à Judice relaxari in illius odium, ne ex proprio delicto commodum ferat. Ratio itidem ex eo petitur, quia per relaxationem juramenti non fit injuria promissario injusto, quia nòn est illi jus efficax acquisitum in foro conscientiæ, & ante Judicis sententiam tenetur ad restituendum læsum in integrum: siquidem quod per levem metum acquiritur, per injuriam obtinetur, proinde obnoxium est restitutioni. Quamobrem Episcopus in hoc casu potest juramentum relaxare ad eum finem, ut injustum quamvis levem metum passus contra exigentem promissa possit se per exceptionem defendere. Hinc patet solutio ad id quod dicebatur pro contraria sententia ex *l. metum ff. h. t.* quia cùm jus efficax injusto promissario non sit acquisitum, & in foro conscientiæ teneatur restituere læsum in integrum, sequitur nullam ei injuriam fieri si juramentum relaxetur.

12 Quæritur sextò, quinam sint casus, in quibus metus non excusat, nec est causa, quâ debeat actus rescindi per sententiam Judicis? Respondetur, quòd tametsi regulariter quæ per metum fiunt, valida sint, si authoritate Judicis non rescindantur, & sint nihilominus rescindenda eadem Judicis authoritate per actionem, quòd metûs causa: nihilominus dantur aliqui casus, in quibus gesta per metum ita valida sunt, ut nec per sententiam Judicis rescindi debeant. Primò si quis ex culpa sua incidat in metum, tunc enim talis metus non excusat, proinde non competit metum passo ex sua culpa aliquod remedium, nec actio quòd metûs causa, ut notat Glossa in *c. Abbas 2. h. t.* & desumitur ex *l. si mulier 21.* §. *1. ff. h. t.* ubi habetur, quòd si liberta contra suum patronum ingratitudinem commiserit, & proinde ne iterum ab eo in servitutem redigatur, quidpiam ei promiserit, aut dederit, non sit illi subveniendum per edictum quod metus causa, & indicatur etiam ratio: quia hunc sibi metum ipsa intulit, eò quia voluntariè commiserit ingratitudinem contra Herum. Et Glossa ibid. notat, generatim non succurri ei, qui se in necessitatem injecit *argum. l. si fidejussor* §. *si necessaria ff. qui satisdare cogantur.* Secundus casus est, si metus ab intrinseco proveniat, quia tunc metus non tollit voluntarium, nec consensum: hinc si constitutus in imminente vitæ periculo aliquid promittat, ut ab illo eripiatur, tenetur promissum servare. Tertius, si metus ab extrinseco proveniat justè tamen, vel saltem ad non extorquendum consensum incutiatur, quia tunc is, cui metus incutitur non adigitur ad consensum præstandum. Quartus nec actio quòd metûs causâ illi competit, qui ex metu damnificatus non est. *l. sed & partus 12.* §. *quæri poterit. ff. h. t.* Hinc si creditor vim adhibeat, metúmque incutiat suo debitori, ut ei debitum solvat, non tenetur is actione, quòd metûs causa: quia debitor ex metu sibi incusso damnificatus non fuit. Creditor enim petiit, quod erat sibi debitum; unde ex eo, quòd illud extorserit etiam per minas, vel vim, metúmve incussum, non intulit alteri injuriam, nec damnum, quia debitor tenetur creditori solvere debitum: actio autem quòd metus causa exigit damnum: unde hoc sublato non datur locus actioni, quòd metus causa.

Quæritur septimò, quo jure metus gravis in- 13
justè incussus irritet matrimonium? Respondetur, duas esse sententias apud Sanchez. *lib. 4. de matrim. disp. 14.* Prima asserit, tantùm jure Ecclesiastico gravem metum injustè incussum irritare matrimonium, eò quia voluntas quamvis coacta est semper de jure naturæ voluntas, proinde matrimonium ex gravi metu, simúlque injustè incusso initum, est simpliciter voluntarium; proinde jure naturæ validum, & solùm jure Ecclesiastico irritum. Præterea, quando metus est justè incussus non irritat de jure naturæ matrimonium: proinde neque quando est injustè incussus irritat de jure naturæ, sed tantùm jure Ecclesiastico. Tum quia juramentum metu gravi extortum est validum *c. si verò 8. c. verum 15. de jurejur.* quinimò etiam ad valorem baptismi sufficit voluntas gravi metu coacta *c. major.* §. *item quæritur de baptismo*, consequenter etiam ad valorem matrimonii sufficit voluntas coacta, quantum est ex natura rei, adeò ut si Ecclesia oppositum non statuisset, seu non inhabilitâsset personas metu gravi coactas ad contrahendum; tunc matrimonium validum foret, quia cùm non prohiberetur jure Ecclesiastico, nec prohibitum esset jure naturali, proinde validum foret.

Secunda sententia quæ communior, & verior 14
est, docet, matrimonium gravi metu contractum esse invalidum jure naturæ, ut docet D. Thomas in *4. dist. 29. q. unic. art. 3.* Covarruv. *p. 2. de matrim. c. 3.* §. *5. n. 6.* Ratio est, quia Deus ita instituit matrimonium, ut voluerit illud omninò liberè contrahi, idque desumitur ex illo Genes. 2. *Adhærebit uxori suæ*: sed non adhæret quis illi

quod

quod invitò tenet, quia adhærere alicui est liberè illi adhærere: hinc hæc plena libertas jure naturæ requiritur in matrimonio contrahendo. Idque firmari potest ex Genes. 23. ubi: Parentes, & fratres Rebeccæ, ut eam in matrimonium Abrahæ traderent, dixerunt: *Vocemus puellam, & quæramus ipsius voluntatem.* Præterea, quia finis matrimonii videbatur exigere ex sua natura hanc plenam libertatem; est enim finis matrimonii proles legitimè procreanda, & educanda: ex hoc enim fine oritur indissolubilitas matrimonii, quæ exigit plenam libertatem ad illud contrahendum: quia matrimonia coacta frequenter difficiles habent exitus, suntque causa dissidiorum: hinc Ecclesia nullibi legitur edidisse novam constitutionem irritantem matrimonium metu gravi initum, sed tantùm declarâsse hujusmodi matrimonia ex metu gravi inita esse irrita. Rursus hoc idem etiam ostendit optima probatione Pontifex *in c. cùm locum 15. de sponsal.* ibi: *Cùm locum non habeat consensus, ubi metus, vel coactio intercedit;* sicut igitur sublato consensu matrimonium est jure naturæ irritum: ita posito gravi metu nullius est valoris, quia positio hujus metus est ablatio consensus. Præterea quia Pontifex in dicto textu æquiparat gravem metum coactioni: proinde sicut coactio jure naturæ contractum irritat, ita gravis metus matrimonium. Ad primam rationem contrariæ sententiæ respondetur: illud effatum *coacta voluntas est voluntas* procedere in contractibus civilibus, in quibus per rescissionem contractus factam authoritate Judicis facilè totum damnum illatum potest reparari; non ita in contractu matrimoniali, qui si semel validus est, non potest ampliùs rescindi. Ad id quod addebatur, matrimonium metu initum esse simpliciter voluntarium, respondetur, quòd licèt factum ex metu censeatur simpliciter voluntarium, non tamen ad matrimonium sufficit, quodcunque voluntarium, sed necessaria est plena libertas; proinde consensus omninò liber jure naturæ. Ad aliud de metu justè incusso non irritante de jure naturæ matrimonium, negatur paritas de metu justè, & injustè incusso; quia eò ipso quòd metus injustè incutitur, Deus non ratificat matrimonium ex tali metu initum, eò quia metus tunc incutitur cum injuria alterius: Secus est, si metus sit justus, & sine injuria alterius incussus. Præterea matrimonium metu gravi initum non firmatur juramento *argum. c. significavit 2. de eo qui duxit in matrim.* Sin autem matrimonium metu gravi initum esset irritum solùm jure Ecclesiastico, utique firmaretur juramento *argum. c. cum contingat. 28. de jurejur.* Ad aliud quod addebatur de baptismo respondetur, esse discrimen inter utrumque sacramentum; quia in baptismo conditio baptizati fit melior, non ita conditio matrimonio adstricti.

15 Quæritur octavò, quomodo metus sit probandus? Respondetur regulariter, metum non præsumi, sed ab allegante esse probandum; ut notat Mascardus *de probat. conclus. 156. n. 1. & seq.* Menochius *de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 126. n. 1.* & desumitur *ex l. cum te non solum ff. de his, quæ vi metúsve causâ.* Ratio itidem ex eo desumitur, quia si metus præsumeretur, utique etiam delictum, quia sermo est de metu injustè incusso, qui non stat sine delicto: delictum autem nunquam est præsumendum, sed probari debet; non enim quis præsumitur delinquens, nisi id probetur: quisque enim supponitur bonus, donec probetur malus ex *regul. jur.* Cæterum metus est probatu difficilis, quia consistit in mente; estque *instantis periculi, vel futuri casûs mentis trepidatio l. 1. ff. de eo quod metus causa.* Tum quia quod fit ex metu simpliciter est voluntarium, & tantùm secundùm quid involuntarium: quia verò hæc interna mentis trepidatio difficulter potest corporeis sensibus percipi: inde fit quòd metus nonnisi conjecturis exteriùs apparentibus pro foro externo probari possit. Tum quia metus probari debet per indicia propinqua, non per remota extrinseca, ut notat Jason *in l. interpositas n. 4. c. de transact.* Hæ autem conjecturæ plures sunt, ut si allegans metum probet, se fuisse in carcerem detrusum, & ibi contraxisse, quia illa vincula indicant, ex metu fuisse contractum initum *l. qui in carcerem ff. de eo, quod metus causa* ibi: *qui in carcerem quempiam detrusit, ut aliquid ei extorqueret, quidquid ob hanc causam factum est, nullius existit momenti.* Rursus metus etiam præsumitur ex eo, quòd probentur minæ potentis, & qui verisimiliter illas esset executurus, eò quia consueverit illas exequi; sed debent esse de gravi malo aliquo inferendo, ut notat Abbas in *c. 1. n. 3. de offic. deleg.* probatur etiam metus justus ex nudatione gladii cum minis, ut notat Abbas ibid. *n. 1.* ut etiam quando ad ostium domûs, in qua initur contractus, existant viri armati, qui facilè possent vim inferre, ut notat Menochius *de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 4.* ubi enumerat plures alias præsumptiones, & conjecturas ad probandum metum fuisse incussum.

Quæritur nonò, quæ conditiones requirantur ad rescindendum actum metu initum? Respondetur plures requiri. 16
Prima est ut metus cadat in virum constantem, & non sit metus levis hominis vani: quia in foro externo non datur actio ad rescindendum actum propter metum levem ad evitandas lites, quæ passim possent suboriri, metus enim levis facilè probari posset. Verùm in foro conscientiæ, qui metum levem injustè intulit, obligatur ad restitutionem ob comissam injustitiam, & injuriam alteri illatam. Secunda, ut metus illatus sit ab extrinseca causa libera; quia metus proveniens à causis naturalibus, & intrinsecis, ut à morbo, timore naufragii, & aliis similibus non irritat contractum, quia ex tali metu non agit involuntariè; sed sponte ad se liberandum ab imminente periculo. Tertia ut sit injustè illatus ab extrinseco; alioquin si ex sua culpa in metum talem quis incideret, contractus initus ex tali metu esset validus: quia contractus metu initi rescinduntur ratione injuriæ illatæ metum passo, hæc autem injuria cessat, quando quis voluntariè se injicit in talem metum. Quarta ut metus incutiatur d[illegible]e ad extorquendum consensum, alioquin si ob alium finem, validus esset contractus: id tamen procedit in foro interno, quia in foro externo vix probari potest, ex

quonam fine quis timorem incusserit alteri. Quinta ut qui metum est passus damnum aliquod inde acceperit *l. sed & partus 12 §. Julianus. ff. h. t.* ubi dicitur, eum qui suo debitori vim adhibuit, ut solveret, non teneri hac actione, quod metus causa; quia damnum non intulit: & ratio est, quia restitutio in integrum, quæ per hanc actionem petitur, læsionem supponit.

TITULUS XLI.

De in integrum restitutione.

Uia Pontifex in superiore titulo egit de quadam speciali restitutione in integrum contra gesta per vim, & metum: & sit quædam etiam restitutio generalis, quâ subvenitur Minoribus, & Ecclesiis remedio juris speciali; & Majoribus ex clausula generali; scilicet *causa justa suggerente, & postulante*: ideò in hoc titulo agit de in integrum restitutione, adeò ut sicut superior titulus fuit specialis, ita hic sit generalis. Non enim restitutio indulgetur in his solùm, quæ vi, vel metu facta sunt; sed in his etiam, quæ specimen aliquod præseferunt circumventionis, quamvis doli abfuerit studium. Extat hic titulus etiam in Sexto, & Clementinis.

SUMMARIUM EXEGETICUM

Omnium Capitum in hoc titulo contentorum.

C. *REQUISIVIT 1. h. t. Alexander III. rescribit Episcopo Albanensi, quòd si in aliquo contractu præsertim alienationis Ecclesia læsa sit, & damnum manifestè appareat, restitui debeat pristino juri, & proprietati: eò quia Ecclesia habeat privilegium Minoris, & Episcopus non possit eam deteriorare. Mandat tamen restitui laicis sumptus, & labores; quibus bona fide bona Ecclesiæ meliorârunt. Notat Glossa, Ecclesiam in hoc fungi jure Minoris facti majoris, quia sicut Minor postquam excessit vigesimum quintum annum potest petere restitutionem per quadriennium de his, in quibus fuit læsus infra annum 25; ita etiam Ecclesia læsa habet quadriennium ad petendam restitutionem. Verùm detrimentum debet esse magnum, & læsio enormis* l. si ex causa ff. de minor.

C. *CUM VENISSENT 2. h. t. rescribit Innoc. III. non præjudicari Ecclesiæ, si ejus Procurator ex negligentia non exhibet instrumenta, & jura Ecclesiæ & protestationem prodesse. Quòd si pendente lite fiat electio, hæc non est confirmanda, nec infirmanda. Ubi notat Glossa, electum ante confirmationem posse resignare in manibus eligentium, adeò ut non teneatur adire superiorem: secus post confirmationem. Rursus negligentiam Procuratoris nocere etiam Ecclesiæ, & non solùm personæ privatæ. Assignat tamen Panormitanus hic n. 7. discrimen inter remedium utrique concedendum, quia privato non datur restitutio ob negligentiam Procuratoris sui, sed debet sibi imputare, quòd talem elegerit; potest tamen agere contra ipsum de damno dato, vel ad interesse: secus Ecclesia restituitur ob negligentiam Procuratoris, perinde ac minorennis læsus* l. cum mandato ff. de minor.

C. *AUDITIS 3. h. t. declarat idem Pont. Ecclesiam læsam in probatione necessaria omissa posse petere restitutionem in integrum; scilicet quòd iterum probet non obstante quòd terminus probandi sit elapsus: & id etiam procedit, quamvis agat contra aliam Ecclesiam, quia utitur jure Minoris. Notat tamen Glossa, in præscriptione Ecclesiæ contra Ecclesiam non esse numerandum tempus vacationis. Rursus Ecclesiam gaudere jure Minoris, Reipublicæ, & Imperii, sed non pupilli, quia contra pupillarem ætatem non currit præscriptio* l. sicut in rem C. de præscript. 30. annor.

C. *EX LITTERIS 4. h. t. Idem Pontifex declarat, in causa favorabili, ut in matrimonio concedi restitutionem, quamvis causa non sit plenè probata: ut si transacto termino mulier velit recognoscere appellationem, eò quia jurat se deceptam in termino. Hinc notat Glossa etiam contumacem in favorem matrimonii audiri, & sententiam contra matrimonium latam non transire in rem judicatam.*

C. *DUM EX LITTERIS 5. h. t. Idem Pont. rescribit, sententiam Papæ contra aliquam Ecclesiam retractari debere à successore, & Ecclesiam restitui in integrum, & præsentibus partibus iterum causam tractari de jure; præsertim si per subreptionem timeatur data.*

C. *SUSCITATA 6. h. t. Idem Pont. rescribit, quòd si pars petat restitutionem in integrum contra sententiam, suspendit executionem sententiæ regulariter: sin verò præsumatur malitiosè pe-*

tere

ſtere reſtitutionem, ut differat executionem ſententiæ. tunc Iudex debet ſententiam exequi, & pars, in cujus gratiam fertur, dare debet cautionem de reſtituendo totum, quod interim accepit, ſi petens reſtitutionem in cauſa obtinebit. Notat tamen Gloſſa, quòd præſcriptâ malitiâ contra petentem reſtitutionem ſit executio tantùm de æquitate, non verò de rigore juris; & quòd generale ſit, ut admiſſus in dubio debeat præſtare cautionem l. in fraudem, C. de legibus.

C. *CORAM 7. h. t. Honorius III. declarat, poſt terminum peremptorium Eccleſiam de jure communi non audiri, ſed tantùm per beneficium reſtitutionis in integrum admitti.*

C. *CONSTITUTUS 8. h. t. Gregorius IX reſcribit in favorem minoris contractum deficientem in ſolemnitate juris reſcindi, ut initum in præjudicium minoris. Quòd ſi non deſit ſolemnitas juris, ſed minor ſit læſus, tunc ſubvenitur illi per beneficium reſtitutionis in integrum, & id etiam procedit de Eccleſia.*

C. *CAUSA 9. h. t. declarat idem Pont. Iudicem Ordinarium habentem adminiſtrationem, & ejus delegatum poſſe dare beneficium reſtitutionis in integrum, ſive ſpeciale mandatum habeat de hoc beneficio, ſive non, ſed incidat in ipſo negotio. Sin verò Ordinarius, vel Delegatus non habeat adminiſtrationem, non poteſt dare tale beneficium reſtitutionis, niſi coram eis incidat quæſtio. Notat Gloſſa, beneficium reſtitutionis in integrum eſſe extraordinarium, & non dari niſi deficiente jure communi.*

C. *BENEFICIO 10. h. t. reſcribit idem Pont. Eccleſiæ, cui beneficium reſtitutionis negatum fuit, ſi in alio judicio iterum petit idem beneficium non eſſe concedendum, niſi habeat novas defenſiones ad imperrandum dictum beneficium: eſſe tamen eidem concedendum beneficium reſtitutionis ad appellandum à ſententia denegationis.*

IN SEXTO.

C. *ECCLESIA 1. h. t. declarat Gregorius IX. Eccleſiam poſt quadriennium non admitti ad petitionem beneficii reſtitutionis in integrum, niſi rationabilis cauſa hoc judici perſuadeat, ut ſi manifeſtè probetur fraus, vel prævaricatio ſuper hoc. Ubi notat Gloſſa, quadriennium non currere in vita Prælati, qui male adminiſtravit, ſed poſt mortem.*

C. *SI ADVERSUS 2. h. t. declarat Bonifacius VIII. quòd ſi in lite Prælatus Eccleſiæ ſit aliqua confeſſus contra Eccleſiam, poſſit hæc infra quadriennium computandum à tempore confeſſionis petere beneficium reſtitutionis in integrum: non ita ſi in quadriennio negligenter omittat petere, niſi omiſſio fuerit ex rationabili cauſa. Quadriennium autem ut notat Gloſſa incipit currere à tempore confeſſionis.*

IN CLEMENTINIS.

C. *AB ECCLESIA UNIC. h. t. Clemens V. in Concilio Viennenſi declarat, infra prædictum quadriennium poſſe Eccleſiam petere reſtitutionem in integrum, ſi affirmet, & probet ſe læſam per lapſum temporis accepti à Procuratore: & reſtituitur tantumdem temporis quantum lapſum fuit cum ejus læſione. Imò Gloſſa ait, ſufficere ſi Eccleſia affirmet ſe læſam. Quòd ſi per lapſum temporis non læditur Eccleſia, ſed perſona, non datur reſtitutio.*

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Quid ſit Reſtitutio in integrum, quibus concedatur, & ex quibus cauſis.

1 Uia ex contractu inito per vim, metúmve gravem injuſtè incuſſum, qui metum eſt paſſus, ut plurimum cenſetur læſus, ac proterea illi datur actio ad reſcindendum in judicio talem contractum, ut ejus beneficio reſtituatur in integrum; ideò ſicut ex cauſa metus; ita ex aliis hoc remediũ à judice petendum eſt, ut damnum illatum reſarciatur, & dicitur hoc remedium reſtitutio in integrum, quâ læſi in eum ſtatum, in quo ante læſionem fuerunt, per officium judicis reducuntur. Perinde ac reddere à retro dare dicitur *l. 49. V. reddendi. ff. de ſignif. verb.* ita reſtituere, à retro, & ſtatuo deducitur, adeò ut reſtituere idem ſit ac ſtatuere iterum in priorem locum; quo pacto Princeps dicitur aliquem reſtituere dignitati, honori, ordini, ſeu ſtatuere in eodem loco, quo erat antea. Cauſæ etiam de quibus iterum cognoſcitur dicuntur in integrum reſtitui *l. D. Adrianus. 33. l. Imperatoris. 34. ff. de re judic.* juxta tamen præſens inſtitutum reſtituere in integrum ſignificat reparationem mutati ſtatûs præſertim illius, qui per ſententiam judicis læſus eſt.

Definitur reſtitutio in integrum quoad perſonas, repoſitio in priſtinum ſtatum, ſeu priſtini juris redintegratio, adeò ut unuſquiſque jus ſuum integrum recipiat, ac ſi nulla unquam interveniſſet mutatio, vel læſio *l. quod ſi minor §. reſtitut. ff. de minor. l. unic. c. de reput. quæ fiunt l. 1. de ſent. poſſ.* Ut autem ex contractu, vel quaſi contractu, aut alio actu læſus, ac damnum paſſus in integrum reſtituatur, aliquot requiruntur conditiones; quarum prima eſt, ut ille actus, vel contractus ſit jure validus, quia ſi jure ſit invalidus, non poteſt peti reſtitutio in integrum, quia tunc læſus communi auxilio cenſetur munitus; proinde 2

inde non debet ei tribui remedium juris extraordinarium, quale est restitutio in integrum: quia hoc remedium non conceditur nisi in subsidium, & defectum medii ordinarii *l. in caus. 16. in princ. §. generaliter. ff. minorib.* Secunda est, ut persona læsa, sive sit Ecclesiastica, sive minor, vel major non solùm ex actu, vel contractu, vel quasi contractu cum alio gesto fuerit damnum passus, sed etiam debet de tali damno manifestè constare, ut probetur in judicio ab ipso, qui se læsum dicit, ut notat Abbas *in c. 1. n. 2. h. t.* & læsio non probatur per juramentum læsi, sed per testes, si læsio proveniat ex contractu, vel alio actu gesto cum alio sine delicto: alioquin si læsio proveniat ex delicto, vi, metúsve causâ sufficit, si probetur per juramentum læsi præcedente taxatione judicis, ut constat *ex c. ult. de his, quæ vi, metúsve causâ fiunt.* Tertia est ut læsio sit gravis, quia si modica fuerit, siocque æstimetur, non datur restitutio in integrum *l. scio. 4. §. h. t.* quia de minimis, ac modicis, non curat Prætor. Excipiuntur tamen illa modica, quæ secundùm jus commune exigunt restitui in integrum *l. si proprietarius 22. V. eod. erunt. §. de dam. invect.* ubi habetur, cautionem damni in vecti etiam pro modico damno esse jure exigendam. Læsio tamen non sumitur absolutè, sed respectivè arbitrio prudentis viri, seu judicis, consideratis considerandis in qualitate contractûs, conditione personæ læsæ, & aliis, quia damnum quod est leve respectu unius, potest grave esse respectu alterius. Cæterum restitutio in integrum dividitur secundùm varietatem causæ, ratione cujus conceditur: potest enim læsio fieri, vel per contractum factum, vel injuriam aliquam, vel sententiam judicialem, quarum quælibet sufficiens est ad petendam in integrum restitutionem. Rursus alia est rigorosa, & de justitia datur ei, qui non potuit prosequi appellationem. Alia est gratiosa, per quam tolluntur priùs gesta.

3 Non tamen beneficium restitutionis in integrum datur omnibus, sed certis duntaxat personis intra quadriennium à tempore læsionis. Primò conceditur minoribus, qui nondum ætatis 25. annum attigerunt, quando ipsi, vel eorum Tutores, aut Curatores ex sententia judicis, alio judiciali actu læsi fuerunt *l. 1. & tot. tit. C. si adver. rem judic.* vel si aliàs contrahendo, aut omittendo probent se læsos. *cap. constitutus 8. h. t.* Si enim contractus minoris deficiat in solemnitate rescinditur, si verò adsit solemnitas, & nihilominus lædatur minor in integrum restituitur: & ratio assignatur in *d. l. 1.* quia fragile, ac infirmum censetur consilium minorum. Conceditur etiam hoc beneficium tam maribus, quàm fœminis, tametsi contractus, vel actus factus sit cum consensu Patris, Tutoris, vel Curatoris *l. 1. ff. de minor. & §. h. t.* quia ut rectè notat Lessius *lib. 2. de justit. cap. 17. num 63.* Consensus Tutoris, vel Curatoris, & decretum judicis id solum operantur, ut actus jure sit validus, non verò excludunt beneficium restitutionis in integrum. Rursus minoribus per beneficium restitutionis in integrum succurritur non solùm si damnum sint passi, verùm etiam ob lucrum cessans, quod consequi poterant, & ob imbecillitatem ætatis, vel incuriam neglexerunt, vel etiam ob dolum adversarii non perceperunt, ut desumitur *ex l. ait Prætor. 7. §. hodie.* & *l. non omnia 49. ff. de minorib.*

Secundò beneficium restitutionis in integrum conceditur etiam Ecclesiæ, quando constat, læsam esse, quamvis non enormiter; in contractibus præsertim, & alienationibus ut liquet ex *c. 1. h. t.* Neque enim decet, minùs Ecclesiis, quàm minoribus indultum esse hoc beneficium; cùm æquum sit, Ecclesias, & minores paribus frui immunitatibus. *cap. 2. & 3. h. t.* cùm enim Ecclesia jure minoris fungatur, ita instar minoris illæsa semper; & indemnis servari debet: proinde si ex quocunque actu, contractu, vel quasi contractu læsa fuerit, potest petere restitutionem in integrum, dummodo damnum sit grave, manifestè appareat, & in judicio legitimè probetur. Tum quia sicut pupillis dantur Tutores, & natu Minoribus Curatores; ita rebus Ecclesiæ dantur Rectores, ac præficiuntur Administratores, qui propterea perinde ac Tutores, & Curatores res Minorum; debent & ipsi res Ecclesiæ meliores facere, non verò deteriores, ut habetur *in c. requisivit. 1. h. t.* ubi Alexander III. asserit, quòd si Ecclesia læsa sit, & manifestè appareat, damnum ipsi illatum esse, scilicet grave; restitui debeat in integrum, & subdit Pontifex *in d. c.* Ecclesiam gaudere jure Minoris, adeóque esse semper illæsam servandam; quod ita intelligitur, ut quoties graviter læsa fuerit in omni contractu, sive quasi contractu, petere possit restitutionem in integrum; dummodo petat, intra tempus jure præscriptum, seu quadriennium probata læsione. Glossa hic. *V. jure minoris.* & Hostiens. *in fin.* Hinc beneficium restitutionis in integrum competens Ecclesiæ est longè majus, quàm competens Minori natu, cùm non sit certo tempore definitum, sicut privilegium Minoris natu, quod restringitur ad annum ætatis 25. Imò Ecclesia etiam adversus aliam Ecclesiam petere potest hanc in integrum restitutionem *cap. suscitata 6. h. t.* Imò etiam adversus sententiam Papæ. *c. ex litteris 4. cum seqent. h. t. can. sententiam, & can. veniam 26. quæst. 9.* perinde ac minor adversus sententiam Principis *l. minor. 18. ff. de minor.* & licèt privilegiatus dicatur non posse uti suo privilegio in privilegiatum; id verum est in pari utriusque causa, ut si uterque eodem pacto sit læsus, & æquè certet de damno vitando, quia tunc conditio possidentis, quia melior, prævalet *cap. in pari. de R. J. in 6.* Cæterum si unus sit læsus, & non ita alter; vel unus certet de damno vitando, & alter de lucro captando, quia tunc potest privilegiatus uti suo privilegio. 4

Non solùm Ecclesiis, sed etiam hospitalibus, Collegiis, Congregationibus, aliisque locis piis, ut etiam studiorum Universitatibus, si loca pia fuerint ritè instituta, & authoritate Episcopi erecta, & fundata conceditur beneficium restitutionis in integrum, ut etiam Confraternitatibus, ad pietatem excolendam institutis, quia ad hæc omnia loca pia extenduntur privilegia, quæ Ecclesiis conceduntur. *l. omnia 24. C. de Episc. &* 5

Cle

Cler. Collegium Studiosorum etiam petere potest restitutionem in integrum, non quia gaudeat privilegiis Ecclesiæ, sed quia in eo plures sunt minorennes. Rursus non solùm Ecclesia jam constructa, sed etiam quæ est construenda gaudet beneficio restitutionis in integrum, dummodo cæpta sit ædificari, ut notat Layman. *in c. 1. n. 3. h. t. in 6.* ubi exhibet exemplum de illo, qui mille florenos legavit pro Ecclesia construenda, de quibus tamen in judicio litigatum fuit, & appellatio à testatore interposita ob negligentiam executoris, deserta fuit; tunc restitutio integrum potuit peti nomine Ecclesiæ *argu. l. 7. ff. de statu homin.* ubi infans, qui adhuc detinetur in utero matris nondum natus, habetur pro jam nato, si de commodo illius agatur. Hinc licèt Ecclesia nondum cæpta sit ædificari, nihilominus ei ut causæ piæ potest concedi restitutio in integrum.

6 Datur etiam restitutio in integrum Reipublicæ, quia hæc etiam gaudet jure minorum *l. Respublica. 4. C. ex quib. caus. major. l. 4. c. de jur. Reipub.* quod Maranta extendit ad omnia Castella, villas, quæ reguntur per Syndicos, & Administratores, sive parvæ, sive magnæ sint; dummodo incolæ numerum superent denarium, dummodo tamen hæ inferiores communitates, ut villæ, pagi habeant bona communia, quæ per aliquos nomine omnium administrentur: non tamen hoc privilegio gaudent laica opificum collegia, mercatorum societates, fabrorum congregationes, ut notat Abbas in *d. c. 1. n. 15. h. t.* quia hujusmodi congregationes hominum non habent bona communia, quæ per Administratores regantur. Extenditur etiam hoc privilegium ad supremum Principem, cui etiam datur restitutio in integrum quoad bona principatûs, seu coronæ fisci, quia hæc reputantur bona Reipublicæ, non ita circa sua bona particularia, & propria, ut notat Molin. *de justit. & jur. disput. 574. n. 4.* Imò conceditur etiam restitutio in integrum ipsis militibus, quamdiu occupati, & absentes sunt in expeditione bellica *l. fin. c. de restitut. milit.* ut etiam Rusticis, qui non potuerunt consulere peritiores, ut ostendit Menoch. *cas. 149.* Læsis itidem ultra dimidium justi pretii in contractu usq; ad 30. annos conceditur etiam restitutio in integrum, quia est actio civilis, & perpetua secundùm Baldum *de rescinden. vendit.* Marantâ *n. 82.* Datur etiam restitutio in integrum majoribus 25. annorum, si causa fuerit justa, cur restitui mereantur *c. ex litteris h. t.* præsertim ob absentiam Reipublicæ causâ, vel etiam ob aliam *l. 1. & 2. C. ex quib. caus. majores.* ob justos errores, & justas ignorantias etiam concedi hoc beneficium fusè probat Oddus *1. p. q. 8. per tot.* solet hoc idem probari ex illa generali Prætoris clausula, in qua Prætor ait: si qua alia justa causa mihi videbitur in integrum restituam *l. 1. ff. ex quib. caus. majores.* Ad hanc enim clausulam recurrendum est quoties æquitas suggerit, ut habetur *in l. sed etsi §. fin.* Demum conceditur etiam restitutio in integrum pro quasi possessione rerum incorporearum, ut sunt actiones, & jura, & transit ad hæredes, si probent defunctum possedisse. Barbatia *inc. redintegranda 3. q. 1.*

7 E contra restitutio in integrum non conceditur iis, qui sua culpa bonis fuerunt spoliati, Rotæ *decis. 462, n. 2.* quod etiam extenditur ad minorem, qui confessus est delictum, de quo non potuit convinci, ut notat Fachinæus *lib. 1. c. 70.* Neque datur ei, cujus possessio annis junior est adversus eum, qui habet antiquiorem, eò quia junior habetur suspectus de mala fide, nisi titulum legitimum alleget, ut notat Alexander *cons. 6.* nec datur, cui negatur audientia per statutum, ut notant Joan. Andr. *in c. ad abolendum*, & Tuscus *conclus. 45. n. 90.* qui tamen limitat in eo, qui rem litigiosam emit, & postea excidit à possessione. Neque qui authoritate judicis legitimè procedentis spoliati sunt, possunt petere restitutionem in integrum, quia jus, & conscientia ipsis contradicit. Negatur etiam remedium restitutionis in integrum in delictis adversus præscriptionem.

8 Ex pluribus causis concedi solet restitutio in integrum. Primò si minor vel Ecclesia læsa sit in contractu venditionis quoad substantiam, quia non expediebat ipsis ita contrahere cum proprio detrimento, quapropter actus, contractus, vel quasi contractus officio judicis rescinditur, & datur actio læsis contra quemvis alienatæ rei possessorem, ut restituantur in integrum *l. in causa. 13. §. interdum ff. de minor.* Sin verò læsio tantùm contigerit circa pretium, tunc contractus non rescinditur, sed justitia pretii completur, prout sumitur *ex l. si res 12. mulier. ff. de jur. dot.* siquidem per reductionem pretii ad æquitatem commodo consulitur utriusque partis. Secundò restituuntur in integrum minores etiam contra sententiam judicis, si ob negligentiam Tutoris, Curatoris, vel Procuratoris grave damnum passi fuerunt: eadem ratione etiam restituitur Ecclesia, si ex injuria Prælati, seu Administratoris fuerit graviter læsa *l. etiam in his 3. C. si tutor. & c. veniens 2. h. t.* Datur tamen optio Ecclesiæ læsæ per Prælati, vel alterius Administratoris culpam convenire Prælatum, vel Administratorem, aut hujus hæredes ad compensationem damni, vel petere restitutionem in integrum. Tertiò conceditur hoc privilegium Ecclesiæ, & minori, si ob propriam negligentiam fuerit Ecclesia in judicio læsa, omittendo allegare, quæ si fuissent allegata potuisset Ecclesia, vel minor causam lucrari *l. minor. 36. §. de minor.* & *c. auditis 3. h. t.* Tertiò contra sententiam latam à supremo Principe peti etiam potest restitutio in integrum, desumitur *ex c. tum ex litteris 5. h. t.* Neque obstat quòd à sententia lata à supremo Principe non detur appellatio, eo quia hæc debeat fieri ad superius tribunal, quod non datur supra supremum principem *can. cuncta 17. quæst. 3. & l. 1. ff. à quibus appellar. non licet*; quia licèt non detur appellatio, potest tamen à læso peti ex justa causa restitutio in integrum contra ipsam sententiam; si hæc non fuit lata, ut debuisset ob defectum aliquem, vel temporis brevitatem: tunc judex ex officio tenetur petenti succurrere, rescindendo sententiam latam; cum ordinarium appellationis remedium in hoc casu adhiberi non possit, ut communiter docent Juris Pontificii periti.

Præterea licèt à sententia lata per supremum Principem non detur appellatio, supplicari nihil- 9

ominus poteſt Principi, ut velit ſententiam reſcindere ex ſola gratia, & benignitate ob allegatam enormem læſionem;eò quia fuerint aliqua omiſſa, vel aliqui occurrerint defectus, ob quos ſententia lata fuerit cum gravi illa læſione: æquũ enim eſt, ut ſuccurratur extraordinariè, quando remedium ordinarium adhiberi non poteſt, ut deſumitur ex *authent.quæ ſupplicatio C.de precibus Imper.offer.* Hæc autem reſtitutio in integrum non poteſt ab alio fieri, quàm ab ipſo ſupremo Principe, qui ſententiam tulit,adeò ut Cardinales legati non poſſint concedere reſtitutionem in integrum contra ſententiam Papæ, ſed debet Papa adiri,quia reſtitutio in integrum contra ſententiam latam tractari debet coram ſuperiore illius,qui ſententiam tulit *l.1.C. ubi & apud quem cognit.* nec inferior poteſt reſcindere ſententiam ſuperioris, cùm nullam habeat in ipſum authoritatem. Hinc nec Vicarius Generalis Epiſcopi,tametſi idem cum Epiſcopo habeat tribunal, poteſt aliquem reſtituere contra ſententiam Epiſcopi,benè tamen Epiſcopus contra ſententiam ſui Vicarii generalis.

10 Si petatur reſtitutio in integrum contra ſententiam definitivam judicis, debet fieri præſentibus partibus,litis conteſtatio, & poſtea examinari,an ſit reſtitutio concedenda;& ſi fuerit judicatum eſſe concedendam petentibus partibus,iterũ proceditur ad cognitionem cauſæ principalis: ſiquidem reſtitutio in integrum habet vim appellationis, in qua debet fieri conteſtatio litis præſente utraq; parte *l. unic.c.ne liceat in una.* Et licèt ſententia lata à judice, qui ob temporis anguſtias nõ potuit ſufficienter inſtrui de meritis cauſæ,ſit ipſo jure nulla, utpote lata ſine debita cognitione cauſæ, ut docent juris periti *in l. prolatam.4.n.10.C. de ſententia,& interl.om.judic.* Nihilominus ſi ex ipſis actis non potuit ſufficienter inſtrui de meritis cauſæ, tunc licèt valida ſit ſententia; oritur tamen præſumptio aliqua,quòd nõ ſatis inſtructus ſententiam tulerit, proinde peti poteſt, ut per reſtitutionem in integrum reſcindatur. Imò contra ſententiam bis confirmatam poteſt à Principe concedi reſtitutio in integrum; non tamen contra ſententiam ter latam, térque confirmatam poteſt appellari *l. unic C. ne liceat in una.c.ſua 65 de appell.* licèt poſſit ſupplicari, ut cauſa bis judicata iterum cognoſcatur, & reperto errore reſcindatur.

11 An verò ſententia in judicio lata nõ debeat interim executioni mandari, cum cauſa reſtitutionis pendet,adeò ut per reſtitutionem in integrum ſuſpendi debeat executio latæ ſententiæ,videtur eſſe aliqua difficultas. Pro affirmativa ſententia habetur textus in *c. ſuſcitata 6. h.t.* ubi coram ſumõ Pontifice agebatur pro in integrum reſtitutione, & ibi voluit Pontifex,ut ad executionem ſententiæ ante omnia procederetur. E contra *in l. unic.C.in integ.reſtit p ſtulat.ne quid novi fiat.* reſcribit Imperator, quòd reſtitutione poſtulatâ, omnia in ſtatu ſuo manere debeant, & nihil circa executionem ſit attentandum. Hæc eſt illa controverſia,quæ paſſim in foro movetur,& reſponſio comunis eſt, reſtitutionem in integrum ordinariè, & regulariter ſuſpendere executionẽ juxta *d.l.unic.* quod tamen ita eſt intelligendum,niſi ex conjecturis præſumatur contra petentem reſtitutionem, quòd malitiosè illam petat ad eum finem,ut eam protrahendo poſſit illam impedire: tunc enim ſecundùm æquitatem ſententia eſt ſtatim executioni demandanda,præſtita ab adverſario idonea cautione pignoratitia,vel fidejuſſoria, pro quo ſententia lata fuit, adeò ut ſi petenti reſtitutionem in integrum cauſa judicata fuerit, omnia reſtituantur, ne ullum inde detrimentum patiatur,ut habet textus *in d. c.ſuſcitata*, & inſinuat Myſing.*cent.1.obſer 48.* & Maranta *de appellat. c. 6. n.109.* Cæterum reſtitutio in integrum contra omiſſionem alicujus neceſſariæ probationis conceditur,etiam non probata læſione,& deſumitur ex *d.c.ſuſcitata*,in quo Papa conceſſit reſtitutionem petitam non examinatis priùs teſtibus, nũ aliquid ſcierent de allegata præſcriptione,eò quia conſtaret non fuiſſe allegatam probationem neceſſariam. Quamvis exceptiones dilatoriæ, ſi adſit præſumptio quod malitiosè apponantur,non ſint admittendæ; non tamen peremptoriæ facilè rejiciuntur; niſi deſumptio malitiæ fuerit ita vehemens, & urgens,ut perſuadeat adeſſe malitiam, cùm enim agatur de magno præjudicio excipientis,eſt neceſſaria fortior præſumptio ad rejiciendas exceptiones.

Qui autem dubius eſt,an poſſit appellare, po- 12
teſt ſub conditione, ſi fortè prius remedium illi non competat, aliud extraordinarium reſtitutionis in integrum,aut ſupplicationis addere: ubi enim deficit ordinarium remedium petitur extraordinarium, ut indigenti ſuccurratur, & detur unicuique ſuum *l. in cauſa 16. §. de minor.* Rurſus adverſus ſententiam Minores, &Eccleſia poſſunt petere reſtitutionem in integrum, quamvis appellare poſſint ab eadem, quia remedium reſtitutionis eſt facilius, & ejus beneficio efficaciùs ſuccurritur læſo,quàm per remedium appellationis, in qua coram ſuperiore judice, inferioris oſtendi debet error,vel injuſtitia ſententiæ latæ. Neque reſtitutione obtentâ eſt nova inchoanda inſtantia,neque adeundus alius judex remotior; unde per remedium ordinarium appellationis non tollitur extraordinarium reſtitutionis in integrum, niſi fortaſſis ſententia eſſet ipſo jure nulla, quia tunc cùm Minores,& Eccleſia ſint ipſo jure tuti, poſſunt petere per ordinarium appellationis remedium,ut ſententia declaretur nulla: & quando tutè, & commodè poteſt adhiberi remedium ordinarium, non eſt recurrendum ad extraordinarium, cujusmodi eſt reſtitutio in integrum, ut docent communiter juris periti cum Abbate in *cap. dum ex litteris 5. num. 18. h.t.* Hinc majoribus 25. annis, quando ordinarium appellationis remedium ipſis competit; non conceditur ob læſionem, & damnum paſſum reſtitutio in integrum; quia eſt remedium extraordinarium,quod non conceditur,quando poteſt ordinarium adhiberi. Si tamen ſubſit juſta cauſa,dummodo hæc fuerit probata, poteſt concedi beneficium reſtitutionis in integrum.

Cæterum, ſi remedium ordinarium appella- 13
tionis adhiberi non poſſit,tunc per humilem ſupplicationem poteſt peti à Principe, ut ex mera gratia reſtituatur quis in integrum contra ſententiam latam, & poteſt eidem ſupplicari, ut

eam

eam utpote injustam rescindat: hæcque supplicatio à solo Principe admitti potest, quia per illam retractatur sententia, & infertur præjudicium juri quæsito alterius; quod inferior judex extra casus in jure expressos præstare nequit, ut liquet ex *l. 2. & 3. c. sent. rescin. non pot.* Hinc quando dicitur, posse etiam judici inferiori supplicari contra sententiam latam, intelligitur laxè, & minùs propriè.

14 Si Ecclesia semel petita restitutione in integrum rejecta fuerit, non potest eadem in alio judicio iterum restitui, nisi ad instituendam omissam appellationem: quia sententia lata super restitutione in integrum transit in rem judicatam etiam contra Ecclesiam, & minorennem, nisi intra decendium ab ea fuerit appellatum, ut colligitur *ex c. coram 7. b. t.* alioquin sententia lata super denegata restitutione esset illusoria, si directè contra illam daretur restitutio, & nullus daretur litibus finis; si enim audiretur quis secundò, esset audiendus tertiò, quartò, & sic in infinitum. Potest tamen Ecclesia vel minor audiri indirectè, si appellet contra sententiam denegatæ restitutionis, à qua non appellavit, tunc enim illi conceditur restitutio causâ cognitâ, eò quia non appellaverit *l. 1. C. si sæpius in integ. restit.* censetur enim hæc nova restituendi causa, & diversa ab ea, quæ priùs judicata fuerat. Sin verò post recusatam restitutionem in integrum novæ emergant defensiones, tunc admittenda est Ecclesia ad beneficium restitutionis: siquidem, quæ de novo emergunt, novo indigent auxilio, *l. de ætat. 13. §. ex causa. ff. interrog. action.* Præterea non obstante exceptione rei judicatæ ex alia causa, potest aliquid iterum peti ex nova causa, tametsi ex alia fuerit antea denegatum *l. cùm quæritur 12. & duabus sequent ff. de except. rei. judic.*

15 Dantur aliqui casus, in quibus restitutio in integrum non conceditur minoribus, qui ætatem 25. annorum nondum attigerunt. Si enim minorennis major factus spontè ratificet, quæ in minoritate gesta sunt, non potest super iis item petere restitutionem in integrum: quia per ratificationem, & ratihabitionem amittit jus ad beneficium restitutionis, cui videtur renuntiare *l. 1. & 2. C. si major factus ratum habeat.* Tum quia beneficium restitutionis in integrum est quidam favor, & quilibet potest renuntiare favori pro se principaliter facto *l. si quis 29. C. de pact.* Rursus per subsequentem ratihabitionem facta in minori ætate censentur fieri in majore, cui restitutio in integrum non conceditur. Tum quia cum major liberè consentiat, & confirmet, quæ in sua minoritate gesta sunt, tollit præsumptionem læsionis. Hæc autem ratihabitio fieri potest, vel expresè per verba, & scripturam; vel tacitè si nil opponat, & sinat quadriennium à tempore majoris ætatis elabi absque ulla oppositione, ut desumitur ex *l. fin. C. de temp. restit. in integ.*

16 Rursus si minorennis simulatè, & dolosè procedens se fingat majorem ea intentione, ut alium ad secum contrahendum inducat, qui aliàs si sciret esse minorennem, minimè contraheret, tunc amittit beneficium petendæ restitutionis in integrum, tametsi probet se in tali contractu inito fuisse læsum *l. 2. & 4. in princ. C. si minor se major. dix.* quia ut communiter asserunt jurisperiti, jura non subveniunt decipientibus, sed tantùm deceptis. Rursus si minor veniam ætatis à Principe obtinuerit, si postea contrahat, habendus est ratus ipse contractus, vel quasi contractus, neque minor ampliùs gaudet beneficio petendi restitutionem in integrum, tametsi per talem contractum se læsum fuisse ostendat *l. 1. C. de his, qui ver. ætat. impet.* quia tunc licèt non attigerit annum ætatis 25. & reverà sit adhuc minorennis: nihilominus ob impetratam super ætate dispensationem, fictione juris reputatur major, ac si jam attigisset, & complèsset annum ætatis 25. & majoribus restitutio in integrum non conceditur.

17 Neque minorennibus contra casus fortuitos competit beneficium restitutionis in integrum si prudenter, & circumspectè contractum inierint, aut aliud negotium gesserint, nec sint læsionem passi ob nimiam facilitatem, temeritatem, aut imprudentiam; sed res casu fortuito perierint, quæ etiam potuissent eodem modo perire cuilibet viro industria, ac maxima prudentia pollenti, *l. verùm 11. §. sciendum ff. de minor.* quia tunc minorennes non censentur læsi ob contractum, vel quasi contractum, sed ob causam supervenientem: & ut quis petat beneficium restitutionis in integrum debet ostendere, læsionem esse passum ex vi contractus initi: siquidem ut restituatur in integrum non sufficit quævis læsio, seu damnum, quod post contractum initum potest obtingere, sed debet esse læsio, quæ contingat tempore contractûs, & ex contractu. Si enim minor locupletem adiit hæreditatem, cujus prædia postea chasmate perierunt, non restituitur in integrum, ut desumitur *ex l. verùm. § si locuplet. ff. de minor.*

18 Nihilominus restituitur minorennis, si ex mutuo accepto, vel dato etiam cum authoritate Curatoris, notabiliter postea lædatur, eò quia sua culpa pecuniam perdiderit, vel malè consumpserit, ut liquet *ex l. 1. Cod. si advers. solut. l. 1. & 2. Cod. si advers. Credit. l. ait Prætor. 7. §. sed etsi ei ff. de minor.* quia per talem contractum exponitur minor periculo læsionis, & jacturæ ob facultatem expendendi pecunias, & imbecillitatem ætatis: unde talis jactura censetur fieri, & oriri ex tali contractu; quapropter competit illi restitutio in integrum, ut notavit Molina *disput. 573. num. 17.* quia in ipsa acceptione pecuniæ incepit læsio. Sin verò ex decreto judicis facta sit solutio, debitor non tenetur restituerere §. *at ex contrar.* juncta Glossa *V. securitas* quia interveniente decreto judicis debitor ex necessitate soluit. Quòd statuitur de minorenne, pubere, extenditur etiam ad impuberem proximum pubertati, & doli capacem.

19 Neque minor pubes restituitur in integrum, si contractum à se initum juramento firmaverit, seu juraverit, se non retractaturũ contractum illum, quem spontè inivit juxta *authent. sacramen. puberum C. si advers. vend.* ubi habetur, quòd juramenta puberũ spontè facta super contractibus rerum suarum non retractandis debent inviolabiliter custo-

custodiri, imò hoc idem etiam procedit, quamvis contractus sit ipso jure invalidus, eò quia alienatio rerum immobilium facta sit à minore, sine curatoris consensu, & decreto judicis, ut notat Glossa *in d. authen. V. contract.* quia juramentum servandum est, quamvis actus fuerit ipso jure invalidus si non lædat jus publicum, neque tertii, sed tantùm ipsum contrahentem *c. cum contingat 28. de jurejuran.* Si tamen in contractu, quem minor pubes juramento firmavit injustitia intervenisset, vel metu injustè incusso fuisset minor inductus ad contrahendum, tunc juramentum spectato jure civili est ipso jure invalidum, ut liquet ex *cit. authent. sacramen. impub.* Juxta tamen sacros canones servandum est juramentum, donec petatur absolutio; impetrata enim absolutione, qui juravit, petere potest restitutionem in integrum.

20 Oritur tamen dubium de Prælato Ecclesiastico, qui etiam sponte juravit, se initum contractum servaturum, & communiter respondent, quòd si ex tali contractu notabiliter fuerit Ecclesia læsa, & ingens damnum passa, tametsi Prælatus contraveniendo perjurus fiat, adhuc non obstante juramento esse Ecclesiam, quæ præjudicium est passa, restituendam in integrum, ut notat Glossa in *c. 1. V. contractum h. t.* est enim discrimen de minoribus, & Prælatis Ecclesiasticis, quia cùm Ecclesia sit communitas Ecclesiasticorum, & quoddam corpus fictum personaliter non potest jurare, proinde neque obligari ex juramento Prælati, qui juravit, se non revocaturum contractum, quia cum juramentum illud cedat in notabile præjudicium Ecclesiæ, nullam inducit obligationem *c. sicut 27. c. intellecto 33. de jurejuran. c. 1. de his, quæ fiunt à minor. part. capit.* Secus minorennis dummodo sit sui compos, habeatque expeditum usum rationis jurare potest ut desumitur ex *c. 1. de perit. puer.* Hinc cum juramentum præstitum à minorenne de non contraveniendo contractui à se celebrato, tantùm contineat præjudicium proprium, & ejus observantia non sit in dispendium æternæ salutis, ideò non restituitur contra proprium juramentum, sed tenetur illud servare; tametsi ex contractu inito fuerit damnum passus. Hinc neque restituuntur minorennes ob delicta, quæ per dolum commiserunt, quia infirmitas animi non excusat malorum mores; Non censetur tamen dolo delinquere, si quis adhuc ætate sit infans, aut proximus infantiæ, ut ostendit Julius Clarus *l. 5. sent. §. fin. q. 7. n. 4.* hinc in delictis, quæ sine culpa commisit, restituitur.

§. II.

Intra quod tempus, & à quo Iudice, & qua forma peti debeat restitutio in integrum?

1 Restitutio in integrum petenda est intra quadriennium continuum inchoandum à tempore, seu die læsionis *clement. unic. h. t.* proinde cognita causa, ob quam petitur restitutio in integrum, & præsente adversario, ut causas restitutionis audiat allegari ab impetrante; petitur restitutio intra tempus præfixum *c. ex litteris l. 3. ff. eod.* Minoribus verò hoc quadriennium incipit computari ab ætate legitima, seu anno 25. exacto, quia tunc desinunt esse minorennes, & fiunt majores, quapropter tempus petendi restitutionem in integrum durat ab anno 25. exacto usque ad 29. completum *l. fin. c. de tempor. in integ. restit.* In minoribus autem, qui veniam ætatis à Principe obtinuerunt, computatur quadriennium à die impetratæ veniæ ætatis, ac intimatæ *l. 1. c. de his, qui ven. ætat.* In restitutione majorum natu tempus quadriennii incipit currere à tempore, quo cessat justa causa absentiæ, vel aliud legitimum impedimentum *l. ult. c. de tempor. in integ. restit.* In restitutione autem Ecclesiæ quadriennium incipit computari à tempore factæ læsionis, seu initi contractus, vel quasi contractus, aut latæ sententiæ, ex quâ Ecclesia fuit damnum passa, & hoc idem etiam intelligitur in restitutione reipublicæ, & desumitur ex *clement. unic.* si enim Ecclesia ex contractu, vel judicis sententia læsa sit, conceditur ei continuum quadriennium ad petendam restitutionem, & non ultra nisi ex causa rationabili, quia Ecclesia censetur fungi jure minoris in petendâ restitutione, & sicut minor non auditur post quadriennium si restitutionem absque legitima, & urgente causa petat, ita nec Ecclesia, ne lites in perpetuum protrahantur. Et licèt hoc tempus quadriennii pro restitutione petenda minoribus, æquè & majoribus concessum continuum sit, adeo ut sine intermissione semper currat diebus feriatis, vel non feriatis; si tamen ob aliquod justum impedimentum non possit restitutio in integrum peti, vel quia vi, aut dolo adversarius impediat talem petitionem, tunc tempus quo duravit tale impedimentum suppletur, & quadriennio tantùm additur temporis, quantum ablatum fuerat, desumitur ex *l. fin.* & ibi Glossa *v. vacuam in fin.* & *v. excipiatur c. de tempor. in integ.* Glossa in *clement. unic. v. continuum* cùm juris pontificii peritis.

Oritur tamen dubium, an quadriennium petendæ restitutionis præfixum incipiat currere immediatè à die læsionis simpliciter, vel à die læsionis, ut cognitæ, seu à die scientiæ, quo restituendus devenit in cognitionem læsionis, seu damni sibi illati. Tametsi plures in ea sint opinione, ut quadriennium incipiat statim currere à die læsionis simpliciter; nihilominus probabilius est, non incipere à die læsionis simpliciter, sed à die læsionis ut cognitæ, seu à die scientiæ, quo restituendus devenit in notitiam damni sibi illati, alioquin non satis consultum foret indemnitati Ecclesiarum, & Minorum, si contra occultas suas læsiones, quæ ignorantur, nullum adesset remedium; siquidem potuit contigisse, ut contractus initus ab Ecclesiâ fuerit injustus, & Ecclesiam læsam non devenisse in notitiam suæ læsionis, nisi ultima die delapsi quadriennii; tunc enim cùm non superesset tempus petendi restitutionem in integrum nullum superesset remedium reducendi contractum iniquum ad æquitatem. E contrà si dicamus, quadriennium petendæ restitutionis præfixum currere immediatè à die læsionis, ut cognitæ, salvantur omnia incommoda. Tum quia *c. 1. & 2. h. t. in 6.* dici-

dicitur, quòd post quadriennium Ecclesia non sit restituenda non simpliciter, & utcunque, sed cum addito, nimirum si negligenter intra id tempus restitutionem non petierit: unde à contrario sensu, si non ex negligentia, sed ob ignorantiam læsionis, non petiit restitutionem etiam post quadriennium erit Ecclesia restituenda: siquidem ex rationabili causa Ecclesia generatim etiam post quadriennium restituitur in integrum, ut expresse habetur in *c. 1. h. t.* Neque ullum facessit negotium, si dicas in *clement. unic. h. t.* diem læsionis simpliciter assignari pro initio quadriennii; quia ibi dies læsionis supponit cognitionem, & quòd cognoscatur læsio à parte læsa: quia dies læsionis debet judicari, quòd sit reverà talis, & judicium non fertur in incognitum, unde ibi dies læsionis est idem, ac dies læsionis cognitæ, & hæc sententia videtur communior, ut notat Arnold. Rath. in *tract. de usucapion. c. 5. assert. 45.* Debet tamen id intelligi ut si post diem læsionis simpliciter 40. effluxerint anni, tunc sicut ob temporis diuturnitatem regulariter omnis actio extinguitur, ità etiam cessat jus petendi restitutionem in integrum, ne sequatur in conveniens, quòd contra Ecclesiam nunquam cum effectu procederet præscriptio: siquidem per restitutionem posset semper in irritum revocari, proinde nullum esset privilegium speciale Ecclesiæ Romanæ gaudentis præscriptione centum annorum.

3 Si verò dubitetur, an contractus celebratus fuerit infra minorem ætatem; onus probandi fuisse initum tempore minoris ætatis incumbit minorenni: non ita si dubitetur, an tempus quadriennii ad petendam restitutionem in integrum concessum elapsum sit, nec ne; tunc enim onus id probandi incumbit adversario contra quem petitur restitutio juxta *l. si minorem 4. C. h. t.* Sin verò constet quadriennium esse elapsum, & Minorennem seu Ecclesiam asserere, illud de jure non potuisse currere ob impedimentum quod aderat, tunc onus probandi hoc impedimentum incumbit minorenni, vel Ecclesiæ, ut desumitur ex *l. 1. V. nisi probetur h. t.* Quòd si Ecclesia per negligentiam non petierit restitui adversus contractum, vel sententiam post elapsum quadriennium, non ampliùs admittitur ad petitionem restitutionis, nec per viam exceptionis, si ex eis conveniatur, nec per vim restitutionis in integrum: licèt enim Ecclesia restitui possit; etiam post lapsum quadriennii, in quo se læsam asserit, non tamen est illi restitutio concedenda contra ipsum lapsum quadriennii, alioquin daretur restitutio ad restitutionem impetrandam, sic procederetur in infinitum ut notat Barbat. *n. 23. & 24.*

4 Cæterùm si justa, ac legitima causa subsit Ecclesiæ, & reipublicæ etiam post lapsum quadriennii conceditur restitutio in integrum, ut liquet ex *c. 1. in fin. h. t. in 6.* Causa autem justa concedendi hanc restitutionem censetur esse prævaricatio, seu collusio, aut fraus, si intercesserit: quia nimirum collusum fuerit cum Prælato, vel Administratore bonorum Ecclesiæ: ut etiam, si is in fraude circumventus fuit, ne restitutionem intra quadriennium peteret. Secundò si læsio fuerit nimis enormis, ut ostendit Glossa *c. 1. h. t. in 6.* Quinimò ut notat Hostiensis, Ecclesiæ ob enorme damnum, quòd fuit passa in alienatione bonorum non solùm post quadriennium conceditur restitutio, sed etiam post decennium. Quanta verò debeat esse læsio, ut dicatur enormis, & sufficiens, ut restitutio fiat, etiam post decennium in jure non determinatur, sed arbitrio relinquitur prudentis judicis, Covarruv. tamen *l. c. n. 11.* censet, hanc læsionem, tunc censeri enormem, tametsi dimidium justi pretii non excedat. Tertiò si ob inculpatam ignorantiam, aut aliud justum impedimentum restitutio in integrum non fuerit petita intra quadriennium, tunc conceditur etiam post dilapsum quadriennium, ut habetur in *c. 1. & 2. h. t. in 6.* quia si ab initio ignoretur læsio, quæ postea progressu temporis cognoscatur, tunc tempus quadriennii incipit currere à die læsionis non factæ, sed cognitæ, ut paulò ante diximus.

5 Beneficium tamen petendi restitutionem in integrum ob justam causam post quadriennium nonnisi Ecclesiæ, & reipublicæ concedit ur, non ità minoribus: est enim speciale privilegium quod conceditur soli Ecclesiæ, & reipublicæ, quia favor publicus, qui causa est, ut Ecclesiæ, & communitati restituatur, semper manet. Præterea quia Ecclesia, & respublica gubernatur per Administratores, quorum negligentia non est Ecclesiæ imputanda, ut habetur in *regul. jur. 76. in 6.* Secus minor qui ob imbecillem ætatem restituitur, postquam 25. complevit annum, ac legitimam fuerit consecutus ætatem, non meretur majorem favorem, quàm alii majores, proindè post dilapsum quadriennium inchoandum ab anno 25. exacto non conceditur ampliùs restitutio in integrum.

6 Rursus restitutio in integrum ex capite ignorantiæ, ut cum quis justè ignoravit de jure suo, prout in successore Prælati facilè potest contingere, debet dari etiam adversus præscriptionem 30. & 40. annorum cum titulo bona fide; ut ostendit Afflict *decis. 37. & 32.* ubi asserit, hanc sententiam esse communem, & bis fuisse in Concilio probatam, adeò ut in causa donationis factæ Ecclesiæ competat huic adversus possessorem, cum titulo & bona fide remedium *c. re integran.* petendo incidenter restitutionem in integrum contra præscriptionem ex capite ignorantiæ. Idque verum censent Decius *cons. 341. n. 15.* Jas. *cons. 74. & sequent. lib. 1.* quando agitur de enormi damno Ecclesiæ, & quod detur adversus longissimum tempus causa justa interveniente, ut etiam justa ignorantia, quia hæc præbet justum impedimentum. Imò restitutionem in integrum adversus præscriptionem 30. annorum esse concedendam ex capite ignorantiæ tantùm probabilis docent Bartol. in *l. 1. §. si quis autem. ff. de itin. actuque privat.* Decius *cons 36.* Felin. in *c. vigilanti de præscript.* tametsi restitutionem in integrum adversus præscriptionem 40. annorum non esse concedendam ex solo capite ignorantiæ quantumcunque probabilis, doceant plures. Alexander *cons. 163. coll. penult. & cons. 151. coll. fin. lib. 2.* Aret. *cons. 103.* Decius *cons. 29. & cons. 303. n. 7.* Dari tamen Ecclesiæ restitutionem in integrum, etiam contra lapsum 40. anno-

annorum, asserit Abbas *cons. 32. videtur 1. & in 2. dub. lib. 1.* ubi citat plures asserentes hanc sententiam esse communem, & addit, quod tametsi dubia esset, adhuc in dubiis stat pro Ecclesia: id tamen procedit de justa, & verè probabili ignorantia.

7 Petenda est autem restitutio in integrum coram judice partis contrariæ, contra quam petitur, idque colligitur ex generali regula, *quod Actor forum rei sequatur l. 2. C. ubi, & apud quem cognit. in integ. restit. agit.* & *in c. causa 9. b. t.* expresse habetur: Ordinarius administrationem habens, vel delegatus ab eo, sive sit specialiter ad id delegatus, sive quæstio restitutionis incidat in causa generaliter commissa restitutionem concedere potest. Ordinarius verò non habens administrationem, vel delegatus ab eo restituere non potest, nisi petatur incidenter, non principaliter. Similia habentur in *l. fin. ubi apud quem.* Oritur tamen dubium quomodo dignoscenda sit differentia inter judicem habentem administrationem; & eam non habentem, & quomodo intelligenda sit restitutio in integrum tantùm incidenter petita. Sed utrumque dubium declarat Panormit. in *d. c. causa. in princ. n. 3.* asserens, judices habentes administrationem eos dici, qui certum habent territorium, seu districtum, in quo jurisdictionem exercent; cujusmodi sunt Episcopi, & Principes: & judices non habentes administrationem eos dici, quorum jurisdictio non fundatur in territorium, sed in personas tantùm, & ponit exemplum in doctoribus profitentibus, qui habent jurisdictionem in Scholares sine administratione territorii. Potest peti exemplum ex l. *fin. C. de jurisdic. om. judic.* in superioribus Collegiorum, & communitatum exercentibus jurisdictionem in illos tantùm, qui sunt de communitate, non verò in ullum territorium. Ad secundum dubium de restitutione incidenter petita respondet Panormit. tunc restitutionem dici incidenter peti, quando petitur ante definitivam super certo tantùm causæ articulo, ut ad exceptionem, vel probationem omissam proponendam; vel contra interlocutoriam, per quam minor, vel Ecclesia se dicit gravatam. Cæterùm plures alii asserunt, restitutionem tunc dici tantùm incidenter peti, non solùm quando ante definitivam petitur, verùm etiam, quando incontinenti post definitivam postulatur, seu intra decendium antequam sententia transierit in rem judicatam, ut docet Glossa *in c. suscitata in V. postulavit b. t.*

8 Tametsi ordinariè restitutio in integrum petenda sit à judice partis adversæ contra quam petitur, nihilominus, si contractus celebratus esset in alio loco, in quo adversarius conveniendus non haberet domicilium, potest tunc minor læsus ex eo contractu petere restitutionem in integrum loci illius, si ibi adversarius contra quem petitur restitutio, reperiatur, eò quia ratione contractûs initi contrahentes sortiuntur forum, ut possint conveniri in loco contractus, si ibi existant, tametsi domicilium ibi non habeant, ut docet Covarruvias *lib. 1. var. resolut. c. 4. n. 1.*

9 Sin verò Ecclesia læsa fuerit in contractu inito cum laico, potest petere restitutionem in integrum contra laicum etiam coram judice proprio Ecclesiastico, quia quoties Ecclesia agit ex jure, & privilegio speciali potest illud deducere coram proprio Ecclesiastico judice ex favore speciali concesso ipsi Ecclesiæ, ut desumitur ex *c. 1. b. t.* & etiam ex *c. penult. de reb. Eccles. alien.* ubi Monasterio enormiter læso ob contractum cum laico initum conceditur petitio restitutionis in integrum coram judice Ecclesiastico, ut notat Abbas in *citat. c. 1. b. t. n. 18.* & *c. constitutus. n. 1. b. t.* ubi hoc privilegium etiam extendit ad clericos minores læsos in bonis suis propriis. Communior tamen & probabilior sententia est, clericum minorem læsum in propriis bonis suis, ac privatis debere laicum convenire coram judice sæculari, & ab illo petere restitutionem in integrum: siquidem etiam juxta canones Actor sequitur forum Rei, ut notat Imola in *c. constitutus 8. n. 8. b. t.* Cæterùm petitio restitutionis in integrum tractari, & definiri debet coram judice ordinario habente administrationem, vel à delegato ejusdem. Si facultas ipsi delegato specialiter sit commissa, sive in controversiam eidem demandatam incidenter veniat: secus delegatus à judice ordinario, qui non habet administrationem, sed tantùm simplicem jurisdictionem de causa restitutionis non potest cognoscere nisi coram illo incidenter mota fuerit, ut liquet ex *c. causa 9 b. t.* & in *l. ult. C. ubi & apud quem. cognit. in integ. restit.*

Judex ordinarius non habens administratio- 10
nem bonorum in ullo territorio, nec imperium mixtum, sed tantùm potestatem judicandi simpliciter, non potest principaliter restituere, nec tractare causam restitutionis in integrum, quia restitutio in integrum est actus imperii mixti, qui nobili officio judicis expeditur, ut docet Bartol. *l. ult. n. 3.* proinde hæc restitutio non potest fieri à judice habente solam simplicem jurisdictionem, quia hæc non exercetur per liberum, seu nobile officium judicis, sed per mercenarium, quod actioni merè civili deservit. Et quamvis restitutio in integrum possit delegari id tantùm fit in favorem specialem minorennis. Cæterùm judex delegatus, quicunque sit non potest principaliter restituere in integrum contra sententiam suam definitivam: siquidem semel latâ sententiâ proprio est functus officio, & ejus jurisdictio cessat *c. in litteris 9. de offic. jud. deleg.* nisi tamen hujusmodi potestas restituendi ei specialiter commissa esset à Principe, vel ab habente ordinariam jurisdictionem cum administratione, ut à magistratu habente utrumque imperium, merum, & mixtum; non verò si specialiter commissa sit à judice habente simplicem jurisdictionem sine administratione, quia talis judex sicut per se non potest principaliter alium in integrum restituere, ita neque potest alteri delegare facultatem restituendi in integrum. Judex cognoscens causam restitutionis in integrum debet necessariò habere administrationem adnexam suæ jurisdictioni, vel saltem debet esse delegatus ab eodem ad universitatem causarum, cujusmodi est officialis Episcopi. Nam judex ordinarius, qui non habet administrationem, sed tantùm facultatem judicandi, & ab eo delegatus,

non

non potest cognoscere de causa restitutionis in integrum: imò nec arbiter compromissarius, nisi mota incidenter sit causa, sive incidat in causam principalem, ut si judex sententia sua interlocutoria alterum læserit, potest restituere adversus hanc suam sententiam, ut desumitur ex *c. causa h.t. l. fin. C. ubi, & apud quem.*

11 Neque arbiter cognoscendo de incidente quæstione restitutionis in integrum excedit limites sui compromissi: siquidem hæc restitutio non est causa diversa ab ea, quæ arbitro est commissa, sed oritur ex illa, & veluti accessoria eidem adhæret, proinde nil obstat, quin possit de ipsa cognoscere, etiam virtute compromissi in eum facti. Delegatus verò à summo Pontifice etiam ad unam aliquam causam, quia multò pinguius jus habet, quàm legatus ab ordinario potest in integrum restituere. Minor tamen magistratus contra sententiam majoris non restituit *l. minor 18. in princ. ff. de minor.* Contra sententiam definitivam ipsius Principis, vel Procuratoris, aut Vicarii, vel ejus delegati solus Princeps restituit, ut desumitur ex *d. l. minor. l. 3. C. si adversus rem. judic.*

12 Dicitur autem restitutio in integrum petita, si minor de facto petat restitui in integrum ob damnum aliquod, quod ex contractu inito est passus, ut si rem alteri venditam, petat sibi restitui, tametsi non petat se restitui adversus contractum, nec petat rescindi contractum, quia id venit in necessariam consequentiam, ut ostendit Butr. in *c. constitutus de relig. domib.* & Angelus in *l. cùm, & minores circa fin. C. si adversus rem judic.* ubi dicitur quòd libellus in restitutione in integrum debeat continere, ut restituatur, quod fuit ablatum per læsionem; unde si sententia ipsa lædit, petitur restitutio etiam contra ipsam: etsi quis sit læsus ex processu, potest etiam restitui contra processum. Dicitur etiam sufficienter petita restitutio, quando actio nequit suum sortiri effectum, nisi ope restitutionis in integrum, ut notat Alexander *cons. 52. coll. fin. lib. 2.* potest itidem peti restitutio in integrum contra læsionem, vel sub conditione, ut notat Angelus *d. l. cum & minores in fin. C. si adversus rem judic.* Quinimò coram judice præcedente ex æquitate sufficit docere de exceptione relevante, quæ competat excipienti, qui fuit absens, & cui propterea debetur ex clausula, *si quâ mihi justa causa*, ut notat Signor. *cons. 129. in fin.* Dicitur etiam restitutio in integrum petita ex adjecta causa *peto jus & c. omni meliori modo.* ut notat Gozad. *cons.* 28. *n.* 20. Si minor petat restitui cum clausula *omni meliori modo* satis restitutio censetur petita, ut etiam ex clausula *si qua mihi justa causa*, licèt non specificet, quia tunc omne jus competens censetur deductum, ut liquet ex *c. Abbate sanè §. caterùm de re judic. in 6.*

13 Si petas, quando restitutio in integrum retrotrahatur, vel non. Respondetur, tunc retrotrahi, quando res restituenda ita in integrum restituitur, ac si nunquam fuisset ablata, & fructus omnes ab illo tempore, quo injustè fuit ablata, restituuntur: hinc restitutus ad civilitatem, qua injustè quis privatus fuerat per viam justitiæ, censetur taliter restitutus, ut retrò à principio continuaverit civilitatem, ac si nunquam illâ privatus fuisset, quapropter, si fiat revocatio civilitatis concessæ à decem annis circa, non se extendit ad civilitatem antiquiorem, licèt civis fuisset privatus, & restitutus nondum lapsis 10. annis, ut notat Bald. *cons. 64.* Est retrotrahitio, quædam fictio, quâ fingitur actus suspensus ab aliqua conditione supervenïente factus ab initio purè, & ideò licèt operetur talis fictio quoad ipsum, cujus respectu fingitur; non ita operatur quoad tertium, ut ostendit Zabar. *cons. 105. n. 13. & sequent.* ubi ponit plura exempla, quibus ostendit, quòd si inter duo extrema cadat actus diversus, non sit locus retrotractui, vel saltem non præjudicet actui medio tempore. Hinc sententia si sit nulla, tametsi confirmetur, non tamen confirmatio retrotrahitur ad tempus sententiæ in præjudicium tertii.

Forma petendæ, ac faciendæ restitutionis est, ut intra legitimum tempus implorato officio judicis fiat *l. quòd si minor. 24 §. ult. ff. de minor.* Rursus ut petitio fiat apud competentem judicem illius, contra quem petitur, & proponatur petitio, deturque cognoscenda causa præsente adversario, qui audiat, quomodo causæ restitutionis allegentur, & probentur, ut liquet ex *c. ex litteris h.t.* Siquidem quod aliquem tangit, peragi non potest, nisi is certioretur *c. quod omnes. de regul. jur. in 6.* aut per contumaciam absit *l. in causa 13. ff. minor.* Præmissa citatione, & litis contestatione fit postea restitutio, ut ostendit Mynsig. *centur. 1 obser. 49.* Potest autem restitutio in integrum dupliciter peti. Primò directè per modum veræ petitionis, seu actionis, ut explicatum est. Secundò per modum exceptionis ut si minor conventus ab aliquo ex venditione rei, in qua minor est læsus, excipiat contra Actorem, se læsum esse ex tali venditione, ac petere restitutionem in integrum. Hæc tamen exceptio non potest longiori tempore opponi, quàm directè peti possit ipsa restitutio. 14

Pro subjecta materia, effectus restitutionis in integrum multiplex est, & varius. Pendente restitutionis judicio regulariter nil est innovandum, sed omnia in statu suo debent perseverare, donec res sit absoluta *l. unic. C. restitut. in integ. postulat. ne quid novi fiat.* excipitur tamen nisi contra eum, qui petit restitui in integrum vehemens aliqua præsumptio malitiæ habeatur; quòd petat, ut protrahatur executio sententiæ, ut inde res suas meliores facere possit: in hoc enim casu fit executio, præstitâ idoneâ cautione de restituendo, quod medio tempore occasione sententiæ percipiet adversarius, si petens restitutionem prævaluerit, ut desumitur ex *c. suscitata h.t.* Restitutionis verò obtentæ effectus est, quod data restitutione contra sententiam ex integro agi debeat, & contra contractum, vel alium actum res retractetur, ac in pristinum reponatur statum. 15

Rursus alius restitutionis effectus est transire ad hæredem, & universalem successorem *l. 2. & 4. c. de tempor. in integ. restit.* Non tamen transit restitutio in integrum in Fidejussorem, vel socium, ut liquet ex *l. in causæ l. 1, & 2. C. de Fidejussor.* 16

de iussor. minor. quia iniquum esset subvenire Fidejussori in damnum creditoris, qui in securitatem obligationis fidejussorem recepit. Tum quia Fidejussor habet recursum adversus minorem, ut maneat indemnis; proinde cùm habeat ordinarium remedium non est illi concedendum extraordinarium, ut est restitutio in integrum. Tum quia eatenus restituitur minor, quia fragile, & infirmum censetur judicium habere, quæ ratio cessat in Fidejussore, qui cùm major sit, potest meliùs sibi cavere, sibique consulere.

17 Ad obtinendam restitutionem in integrum tria probari debent à minorenne. Primò probare debet, se minorem esse, seu non excedere annum ætatis 25. computando de momento in momentum, adeò ut in bisextili duo dies pro uno computentur. Secundò se læsum esse in re non modica. Tertiò læsionem contigisse dolo adversarii, vel ex nimia ipsius minorennis facilitate, & inexperientia *l. verum §. sciendum ff. de minor.* &. *l. ult. C. de in integ. restit minor.* Antonius Butrius addit quartam conditionem, ut probet se esse intra tempora in integrum restitutionis petendæ, seu intra quadriennium, ut habetur in *l. ult. C de temp. in integrum restit.* communiter tamen alii hanc conditionem rejiciunt, ut inutilem; & meritò, quia nemo tenetur allegare quod ab adversario objiciendum timet. Pertinet potiùs ad adversarium, contra quem petitur restitutio, considerare, an petens intra debitum tempus petat, & ritè petat *l. in exception. ff. de except.* Guido Papa *decis.* 142. Baldus, & Salicetus in *authent. si omnes C. si ab hæred se abstin.*

§. III.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones de in integrum restitutione.

1 Quæritur primò, an quando cum minorenne in eadem lite, vel negotio, tanquam consorts concurrit majorennis, vel cum Ecclesia laicus privilegium restitutionis in integrum, æquè minorenni, ac majorenni, & laico, ac Ecclesiastico prosit. Respondetur cum distinctione: si enim causa super qua restitutio petitur divisionem patitur, cujusmodi sunt regulariter obligationes illæ, quæ in solvenda pecunia consistunt, tunc restitutio minorennis non prodest majorenni; neque restitutio Ecclesiæ ipsi laico, quia quantitas solvenda potest dividi, & pro parte solvi absque præjudicio minorennis, & servata æquitate cum majorenne, ut notat Honorius *ad tit. de for. compet. n.* 36. Sin verò causa sit individua, ut si duo se obligaverint ad idem opus faciendum, & neuter sine altero possit illud exequi, tunc beneficium restitutionis utrique prodest, ne minorennis detrimentum patiatur, ratione majorennis concurrentis, non enim est privandus, quis suo jure ob alium, vel saltem in eodem negotio *l. tutor 47. §. 1. de minor. l. unic. C. si in cogn. eademque causa.*

2 Quæritur secundò, an qui obtinuit restitutionem in integrum debeat etiam percipere omnes fructus, adeò ut, qui restituit non solùm rem, verùm etiam fructus omnes ab eadem profectos teneatur restituere. Respondetur, rem esse restituendam unà cum fructibus illis saltem, qui exstant *l. quòd si minor §. restitutio. l. Patri. §. si pecuniam. ff. de minor. l. si prædium C. de præd. minor.* Et licèt fructus fuerint jam percepti jure dominii, eò quia ante restitutionem res supponeretur fuisse in dominio possessoris: nihilominus quia tale dominium non fuit simplex, & absolutum, sed revocabile, ideò Possessor rei non habuit verum dominium in fructus rei, proinde tenetur eos restituere, ut pertinentes ad illum, cui res est restituenda.

Videtur tamen adesse in contrarium difficilis textus *in c. ad nostram* 10. *de reb. Eccles. non alien.* 3
siquidem ibi Ecclesia rem cum suo damno in fœudum datam licèt per restitutionem in integrum recuperaverit; non tamen fructus inde percepti adjudicati sunt Ecclesiæ, sed ipsi Possessori, qui eos jam perceperat: ex quo inferendum est, impetrata restitutione in integrum non esse fructus unà cum re restituendos. Sed contra, quia est quid speciale in fœudo, quod tametsi per restitutionem in integrum à Vasallo repetatur, fructus tamen percepti ex eodem fœudo remaneant apud possessorem, qui eos perceperat, quia censentur illi debiti in recompensationem servitiorum, aliorúmque onerum fœudalium præstitorum *arg. c.* 1. *in fin. ex quib. caus. fœudum amittatur in usu fœudor.* & *c.* 1. *ext. de fœud.* ut ibi significatur per verba illa, quæ adduntur *cùm sibi fructus percepti sufficere debeant pro labore.* significatur enim, quò i fructus sint debiti Possessori, non ratione rei possessæ, sed ratione laborum, & in compensationem meritorum, ac servitiorum præstitorum. Alii tamen, & forsan probabiliùs respondent, præcitatum textum loqui de fructibus, qui in eorum collectione, vel in rem ipsam impensas factas non excedunt: vel de fructibus bona fide consumptis, non verò de iis, qui de facto existunt, ut ostendit Covarruvias *variar. resolut. lib.* 1. *c.* 3.

Quæritur tertiò, an Bannitus cum confiscatione omnium bonorum recuperet pensionem, si plenissimè restituatur à summo Pontifice. Certum est, quòd facta confiscatione omnium bonorum, si ex gratia Principis succedat restitutio ad bona, non recuperentur bona alienata, ut tradunt communiter jurisperiti Bart. *in l. fin. n.* 8. *V. si verò erant. C. de sent. pars, & restit. & in l. Gallus §. & quid si tantùm n.* 12. *§. de libert. & posth.* Felin. *in c. inter quatuor. n.* 6. *V. & dixit. de majorit. & obed.* Farinac. *in prax. q.* 6. *n.* 32. & 36. Beroius *consf.* 6. *n.* 16. *lib.* 10. Paris. *consf.* 69. *n.* 165. *lib.* 3. Barbat. *consf.* 43. *V. aut illa bona lib.* 2. & alii communiter; unde impetrata à Principe hac restitutione non censetur recuperare pensionem; quia per confiscationem omnium bonorum censetur alienata pensio, ut notat Glossa in *c. quicumque §. hæretici V. beneficium de hæret. in* 6. Gemin. *ibid. n.* 2. *V. nota benè.* Abbas *in c. ad audientiam* 2. *n.* 2. *V. dicerem tamen de rescript.* Rota in *Conchensi pensionis* 16. *Martii* 1598. *coram Peregrino.* 4

Neque obstat, quòd obtenta restitutione plenissima, debeant restitui etiam bona alienata, quæ 5
proinde

proinde recuperantur, ut asserunt Felin. in *c. inter quatuor n. 6. de majorit. & obed.* Rolan. *conf. 45. n. 21. lib. 4.* Paris. *conf. 1. n. 29. 37. & 51.* Oddus *de restit in integ. q. 99. art. 12. n. 108.* Farinac. *in prax. q. 6. n. 38.* Rota *coram Seraphino decis. 998. n. 9. & coram Merlino. decis. 225. n. 2.* Tum quia ut restitutio sit plenissima debent omnia restitui, adeò ut nil supersit restituendum *l. fin. §. fin. C. de senten. pass.* Quia licèt id verum sit in ordine ad bona temporalia, quæ sunt sub jurisdictione Principis sæcularis, non tamen verum est de aliis bonis, quæ non sunt sub ejus jurisdictione: non enim potestas Principis in ordine ad concedendam restitutionem in integrum, se extendit ad ea, ad quæ ejus jurisdictio non extenditur: unde ex eo quod restitutio impetrata à Principe sit plenissima, non sequitur, quòd restitutus recuperet pensionem; quia cum restitutio proveniat à Principe laico, non est sufficiens ad restituendam pensionem amissam: ratio est, quia fructus, qui percipiuntur per pensionem sunt consolidati beneficio, eò quòd pensio remaneat extincta, non secus ac in morte naturali, & debent de novo veluti separari à beneficio, quæ separatio non potest fieri à potestate laicali, cùm non se extendat ad spiritualia, cujusmodi est hæc separatio fructuum à beneficio, ac restitutio pensionis *can. 1. cum sequent. 10. q. 1.* & *c. decernimus 2. de judic.* & *c. Ossius. c. Massana de elect.* ut notant juris pontificii periti. Abbas in *c. querelam. n. 9. de elect.* Pegna *decis. 905. n. 3.* Rota *coram Seraphino. decis* 1381. *n. 5.*

6 Hinc tametsi restitutio in integrum fieret à summo Pontifice, non ut Christi Vicario, nec Principe Ecclesiastico, sed ut Principe laico habente jurisdictionem temporalem in terras, quæ sunt sub dominio Ecclesiæ, non se extenderet restitutio in integrum ad pensionem: quia cùm hæc jurisdictio supponatur fundata in potestate civili tametsi restitutio sit plenissima, non excedit limites potestatis civilis juxta *c. cùm ad verum dist. 96* ubi usus potestatis legum civilium, nonnisi ad temporalia extenditur; & sicut potestas civilis est coarctata ad terras subjectas in temporalibus Ecclesiæ; ita etiam coarctatur ad res temporales, & civiles, perinde ac potestas laicalis. Cæterùm, si restitutio in integrum sit plenissima, & facta à Papa, ut Papa exercente jurisdictionem spiritualem, hæc restitutio extenditur etiam ad ipsam pensionem, alioquin non sortiretur plenissimum effectum, consequenter non esset plenissima in integrum restitutio.

7 Imo non solùm ad pensionem, sed etiam ad translata in alium se extendit plenissima restitutio in integrum, alioquin non esset plenissima, si aliquid superesset restituendum. Neque obstat si dicas, esse jus acquisitum tertio. Quia quando quis privatur bonis ex confiscatione in quemcunque transferantur, & quocunque modo transeant, semper fit transitus cum tacita conditione restituendi eum, cui confiscata sunt bona plenissimè, & totaliter in pristinum statum. Cùm sit in potestate Principis restituere subditū plenissimè in pristinū statum, & hæc potestas soleat in actum reduci; ideò bona confiscata remanent subjecta huic potestati, & cum eadem subjectione censentur transire in quemcunque possessorem, qui propterea, si adigatur restituere, non privatur jure acquisito; sed accedente conditione, sub qua erant restituenda, debent restitui.

Non tamen hujusmodi restitutio in integrum censetur locū habere quoad pensiones decursas, sed tantùm quoad currendas à die restitutionis: ratio est, quia pensio est annua, & annuatim exigitur, proinde tot censentur pensiones, quot sunt annuæ solutiones: in quo imitatur legatum annuum, quod non est unum, sed multiplex juxta numerum annorum, *l. cum in annos. § de annuis legatis.* propterea sicut legatum annuum est affixum singulis añis, & fit debitum juxta eorundem cursum, ita si aliquo anno non fuit debitum, vel ex incapacitate legatarii, vel quia non habet locum opus, quod impendi debet, vel ex quocunque alio capite, non potest ampliùs peti, ut notat Surd. *de alimen. tit 9. q. 33. n. 11. in fin.* Et hoc etiam observatur in pensione, cujus restitutio non habet locum quoad pensiones decursas, quia tanquam distinctæ à subsequentibus non trahuntur ab ipsis: proinde neque restitutio ad subsequentes trahit decursas. 8

Superest tamen difficultas, quando summus Pontifex censendus sit usus fuisse potestate civili, vel eidem miscuisse spiritualem; adeò ut voluerit restitutionem in integrum etiam extendi ad pensionem. Solet hæc difficultas oriri, quando in indulto restitutionis in integrum nulla fit specialis mentio de pensione, nec etiam quòd Pontifex utatur potestate Ecclesiastica; tunc enim dubitatur, an Pontifex restituat in integrum, ut Princeps tantùm temporalis. Sed tunc examinanda est sententia, à qua emanavit confiscatio bonorum, si enim sententia fundatur tantùm in potestate civili, quando Pontifex restituit in pristinum statum, censetur tunc uti sola civili potestate. Sin verò sententia, à qua emanavit confiscatio fundata fuit in potestate Ecclesiastica; tunc censetur Pontifex etiam uti potestate Ecclesiastica: siquidem restitutio tendit ad tollendos effectus sententiæ, & veluti ad eam abolendam, ac si non emanasset *l. fin. §. fin. C. de sent. pass.* id enim præstat restitutio in integrum, ut restitutus in eodem prorsus statu ponatur, in quo erat ante latam sententiam, à qua emanavit bonorum confiscatio: proinde sententia ita aboletur, ut nullum habeat effectum, & ac si non fuisset lata: potestas siquidem restituendi in integrum, sibi subordinat directè ipsam sententiam, & potestatem, à qua processit. 9

An verò facta confiscatione bonorum ex causa hæresis debeantur alimenta ex bonis confiscatis, videtur adesse aliqua difficultas; certum est ob crimen hæresis remanere bona ipso jure confiscata *per c. cum secundùm leges de heret in 6.* & quamvis non possint per dominos temporales apprehendi, nisi post legitimam sententiam latam per judicem Ecclesiasticum super crimine hæresis, ut habetur in *d. c. cùm secundùm leges.* Nihilominus non obstante illa confiscatione post sententiam latam, adhuc debentur alimenta ei, cui bona fuerunt confiscata, & desumitur ex *l. is. cui annua. ff. de aliment. & cibar.* ubi de damnato ad metalla dicit Paulus jurisconsultus. 10

Respondi eum, & præcedentium annorum recte capisse alimenta, & sequentium ei deberi, & ibi Glossa *V. præcedentium* allegans textum *l. si in metallum. ff. de iis, quæ pro non script. haben.* Ratio est, quia homo non potest privari iis, quæ de jure naturæ ipsi conveniunt; non enim leges humanæ possunt tollere, quæ sunt juris naturæ, cùm potestas humana, in qua fundantur leges humanæ, non possit tollere, quæ sunt de jure naturæ: sed hujusmodi sunt alimenta, siquidem sine ipsis non potest vita sustentari, nec conservari; & ad vitam sustentandam, & conservandam quiq; tenetur de jure naturæ; hinc ex eodem jure debentur alimenta etiam condemnatis ad subeundas pœnas diuturnas, & aliis, quorum omnia bona fuerunt confiscata. Idque vel maximè est conforme juri canonico, quod cùm unicè studeat æquitati, promovet, ac tuetur hoc jus naturale: & cum confiscatio bonorum ob crimen hæresis proveniat ex jure canonico, ac fundetur in potestate Ecclesiastica, quæ non se extendit ad adimendam alicui vitam; sequitur, quòd ex jure canonico non denegentur necessaria alimenta ad vitam sustentandam: unde quando Ecclesia imponit pœnam confiscationis omnium bonorum, non intendit subtrahere alimenta, sed illa relinquere. Hinc filii hæreticorum, quorum bona confiscantur, retinent jus ad alimenta, quia habent hoc jus à natura, & est inseparabile à vita hominis *l. cùm Titio ff. ad leg. falcid.* unde filii habent jus petendi alimenta necessaria ex bonis paternis, & fiscus ex iisdem bonis tenetur eis suppeditare. Quinimò hæreticus, cui bona sunt confiscata, est capax legati alimentorum; quia cùm retineat jus ad alimenta, retinet etiam jus ad illa acquirenda, ut notat Glossa in *§. item vobis V. nihil suum*, & communiter juris pontificii periti.

11 Quæritur quartò, an ignorans rem posse à se per restitutionem in integrum avocari, debeat censeri possessor malæ fidei, adeò ut teneatur omnes fructus, non solùm extantes, sed etiam consumptos restituere, juxta *l. certum 22. C. de rei vendicat.* Respondent communiter cum Covarruvia *lib. 1. var. resolut. c. 3. n. 5.* in ordine ad lucrandos fructus esse censendum possessorem bonæ fidei, proinde non teneri ad restitutionem. Dependet tamen hæc quæstio ab alia, an qui cum minorenne, vel Ecclesia contraxit, unde minorennis, & Ecclesia læsa fuit, teneatur in conscientia restituere antequam res per restitutionis judicium in foro externo repetatur ex suppositione, quòd contractus fuerit validus. Innocentius in *c. quia plerique. de immunit. Eccles.* Panormit. *n. 28.* & alii respondent cum distinctione, si læsio contigerit cum dolo contrahentis, tunc respondent, restitutionem esse faciendam ante judicis sententiam, quòd ità intelligitur, ut dolus dederit causam contractui, adeò ut nisi dolosa illa suasio accessisset, minorennis, vel Ecclesia non contraxisset: ratio est perspicua, quia dolus dans causam contractui saltem bonæ fidei irritat contractum, proinde, qui dolum adhibuit, tenetur in conscientia restituere, etiam non exspectata judicis sententia, & desumitur ex *l. 7. ff. de dolo.* sin verò dolus tantùm inciderit in contractum, eò quia in pretio facta est fraus, censent plures in conscientia esse restituendum justum pretium, & resarciendam læsionem: non tamen esse restituendam rem ipsam ante judicis sententiam; & id verum censeo, quia cum læsio non dederit causam contractui, sed tantùm inciderit in contractum, sufficit, si pretium reducatur ad æquitatem, quia læsio simpliciter per se non irritat contractum, proinde non impedit quo minùs ex contractu inito fuerit jus ad rem illam acquisitum.

Quæritur quintò, an Clericus minorennis, qui inconsultò cum proprio damno beneficium resignavit, petere possit restitutionem in integrum. Acurtius in *l. aït prætor ff. de minor.* Cardinalis in *c. ex part. de restit. spoliat.* & alii plures respondent, non posse petere in integrum restitutionem, & videtur desumi ex *c. fin. de judic. in 6.* ubi dicitur, quòd minor in causis beneficialibus habeatur pro majorenne, adeò ut in iis possit ipsemet in judicio causam propriam agere, séque tueri. Probabiliùs tamen censendum est, hujusmodi clericum minorennem posse petere restitutionem in integrum: quia nullo jure minorennis in renuntiatione beneficii excipitur, ut si sit læsus in resignatione beneficii, non possit petere in integrum restitui. Neque argumentum petitum ex *c. fin. de judic. in 6.* ubi dicitur, minorennem in beneficialibus haberi tanquam majorennem, quidquam obest; quia id est intelligendum in favorabilibus ipsius minorennis; non verò quando per gravem læsionem passus est damnum: non enim præfatus textus retorquendus est in odium minorennis, cùm ponatur in ejus favorem, ut notat Covarruv. *variar. resol. lib. 1. c. 5. n. 3.* Quinimò potest etiam petere restitutionem in integrum, tametsi beneficium resignatum jam fuerit alteri collatum; si resignans arbitrio Episcopi speravit meliorare suam conditionem, & frustratus sit sua spe, ac proinde grave damnum incurrerit. Imò si res cum minorennis læsione vendita, rursus in tertium alienata sit, & minorennis probet plurimum sua interesse, rem potiùs consequi, quàm ejus æstimationem, à primo emptore restitui debet in integrum etiam contra tertium possessorem, contra quem utilis rei vindicatio dari debet minorenni, rescissâ priùs alienatione primâ per in integrum restitutionem, ut desumitur ex *l. si causa. 9. in prin.* & *l. in causa. 13 § interdum ff. de minor.*

Quæritur sextò, an Regularis restitutus in integrum per sententiam possit eligi ad quascunq; dignitates. Supponitur, quòd Regularis inhabilitatus ad dignitates restituatur per sententiam, & rehabilitetur ad omnia officia, & dignitates, ut possit eligi etiam in generalem: sed dubium est si sententia rehabilitationis perierit, nec possit ex ejus tenore deduci, quomodo fuerit rehabilitatus & tantùm conjici possit, eò quia post sententiam admissus sit indiscriminatim ad omnia officia; unde stante, quòd sit in possessione omnium bonorum, ac dignitatum proprii ordinis, quæritur, an possit eligi in generalem, & videtur non posse eligi, eò quia dispensatus ad dignitates inferiores non censeatur dispensatus ad superiores, ut desumitur ex *c. innotuit de elect.* siquidem dispensatio est stricti juris, proinde non extenditur ultra casum expressum 13

præssum *c. non potest. de preben. in 6.* & *l. ex facto initio c. de Vulgari. & pupill. substit.* nihilominus probabile est, hujusmodi Religiosum posse eligi etiam in generalem, nisi quid aliud obstet: quia non est censendum, fuisse cum ipso dispensatum, sed fuisse rehabilitatum, ac restitutum in pristinum statum, quod infertur ex eò, quòd indiscriminatim admissus sit ad omnes dignitates, & gradus in virtute sententiæ rehabilitationis: ex hac enim admissione ad omnes gradus præsumitur rehabilitatus, & restitutus: siquidem actus semper præsumitur factus secundùm dispositionem juris communis. *l. quæro §. de inter locatorem. ff. locati.* ut notat Menoch. *lib. 3. præsumpt. 14. n. 8.* cum enim supponatur admissus virtute rehabilitationis successivè ad plures dignitates, præsumitur rehabilitatus, ac restitutus in pristinum statum, antequam lata fuisset sententia inhabilitationis, adeò ut restitutio censeatur facta in integrum: unde si ante sententiam potuit eligi in generalem, ita post rehabilitationem; non enim potuit admitti secundùm dispositionem juris communis ad illas dignitates, nisi prævia restitutione in integrum: restituere, enim est in pristinum statum reponere *l. videamus §. in fabiana ff. de usur.* & *fruct.* & *l. quòd si minor. §. restitutio ff. de minor.* adeò ut non intelligatur quis restitutus, nisi consequatur plenam restitutionem *c. venerabilis de offic. delegat.* & *l. 1. & l. cum indulgentia & l. fin. C. de sent. poss. & restit.* & communiter Juris Pontificii periti Abbas *in d. c. venerabilis.* Menoch. *de recuperan. possess. in prælud. n. 4.* Barbatia *cons. 9. circa fin. lib. 1.* Hinc perinde habilis censendus est, ac si nunquam per sententiam fuisset inhabilitatus. Tum quia illegitimus subsequente legitimatione fit habilis quoad omnia, etiam dignitates, ac si ab initio legitimus natus fuisset, ut communiter docent Covarruvias *de matrim. p. 2. c. 8. §. 2. n. 21. & 24.* Menochius *cons. 517. n. 4.* & desumitur ex *c. ex tanta c. conquestus qui filii sint legitimi.* ergò sicut legitimatio ponit aliàs illegitimum in statum legitimorum: etiam restitutio in integrum debet ponere in statum pristinum restitutum; adeò ut censeatur restitutus ad omnes dignitates, ad quas fuisset habilis ante sententiam inhabilitationis, & quia tunc erat habilis ad omnes dignitates, etiam ad generalatum, debet ad easdem post restitutionem in integrum iterum censeri habilis.

14 Quæritur septimò, an in matrimonio, & professione religiosa locum habeat restitutio in integrum. Respondetur, non habere locum, si sermo sit de substantialibus religionis, & matrimonii, quia hæc propter spiritualem, & sacramentalem rationem, sunt indissolubilia: secus si sermo sit de accidentalibus, cujusmodi sunt promissio dotis, omissa probatio in lite matrimoniali, & alia hujusmodi, potest peti restitutio in integrum, ut notat Covarruvias *lib. 1. var. resol. c. 5. n. 8.* ut etiam in casu, quo matrimonium, vel professio ab initio valuerunt, non ita si allegetur eorum nullitas: hinc Religiosus professus, qui ex Concilio Tridentino *sess. 25. c. 19.* intra primum quinquennium potest reclamare contra emissam professionem, si illam ex defectu ætatis, vel consensûs, vel ex gravi metu, aut ob vim, vel aliam causam afferat invalidam, restituitur in integrum ad allegandas causas nullitatis, si ex ignorantia, vel alio impedimento per quinquennium tacuerit. In contractibus etiam juratis quamvis regulariter non detur restitutio in integrum *l. 1. cum sua authent. C. si adversus vendit.* Nihilominus nonnunquam datur ex nova causa, vel recèns emergente, vel quæ tempore juramenti præstiti non fuerit prævisa; nec jurantis veri similis intentio erat ad talem causam se obligare, ut desumitur ex *c. quidem de jurejuran.* ubi habetur, quòd sponsalia quamvis jurata ob supervenientem notabilem mutationem, ut si sponsa post sponsalia sit deformata, aut fuerit fornicata, dissolvi possint.

Quæritur octavò, an restitutio in integrum peti possit contra contractum juramento confirmatum. Plures affirmant, quos citat Andreas Gailus *lib. 2. obser. 41.* eò quia nemo censetur renuntiare juri suo, quod ignorat sibi competere *l. major. decedens §. cæterum ff. de inoff. testam. l. fin. C. de non numer. pecun.* atqui minorennis ob ætatis, ac judicii imbecillitatem beneficium à jure concessum præsumitur ignorare, & ignorantia juris excusat minorennes *l. fere in omnibus. ff. de regul. jur.* quapropter non videtur juramentum excludere minorennem à beneficio restitutionis in integrum, cùm restitutio sit extrinseca ipsi contractui, proinde non præsumatur. Verùm communior, & probabilior sententia est, restitutionem in integrũ non posse peti adversus contractum juramento firmatum, quia juramentum quod absq; dispendio salutis animæ servari potest, servandum est, *c. cùm contingat de jurejuran.* ut communiter docent tum jurisconsulti, tum Theologi: atqui juramentum proprium nemo potest violare absque dispendio animæ *c. in his. dist. 11. c. 15. de Cler. non residen. in 6. l. cùm quis decedens. ff. de legat.* Imò tale juramentum potest servari citra dispendium salutis animæ, & absque læsione conscientiæ: ergò contra contractum juramento firmatum non potest peti restitutio in integrum, hoc idem etiam dicendum est, si juramentum præstitum fuerit à Procuratore Minorennis, & hic contractum juratum habuerit ratum; quia tunc Procurator gerit personam ipsius Pupilli; debet tamen ad id habere speciale mandatum per textum *in c. coràm h. t. & in l. illud ff. de minor.* siquidem absque tali mandato expresso nullus etiam consanguineus præter Patrem admittitur *l. Patri ff. de minor.* Neque in his, quæ exigunt speciale mandatum sufficit allegare præsumptionem mandati ex consanguinitate, ut notat Covarruvias *lib. 1. var. resol. c. 6. n. 5.* cum Glossa *in l. exigendi C. de procurat.* Quòd si tantùm incidenter peteretur restitutio in integrum, tunc sufficeret mandatum generale ad totam causam. Abbates tamen, Tutores, Curatores, Oeconomi, Prælati, & alii habentes administrationem alieni patrimonii, etiam absque speciali mandato possunt petere restitutionem in integrum, & desumitur ex *c. suscitata h. t.* & docent communiter juris pontificii periti, cum Mysing. *centur. 2. obser. 6. n. 7.* Cæterum si Procurator, vel Syndicus alicujus universitatis contractum inierit; & juramento firmaverit, non tamen si violetur

tur juramentum, universitas censetur rea perjurii, quia universitas est tantum corpus morale. Non tamen posset tunc universitas petere restitutionem in integrum ut notat Fachin. *lib.1.c 14.* cum Gailo *lib.2 2.obser 44.*

16 Quæritur nonò, an minorenni detur restitutio in integrum adversus tertium possessorem etiam in re, quæ non censeatur tam magni momenti. Respondetur, hanc restitutionem in integrum dari minorenni contra tam bonæ, quàm malæ fidei possessorem: si enim tertius emat aliquid, vel dono accipat, aut acquirat hæreditate, vel alio quocunque modo cum læsione minorennis, competit huic restitutio in integrum propter nocumentum ipsi illatum *l. in causa §. interdum l. si ex causa §. de minor.* debet tamen is indemnis servari, ad quem res aliena justo titulo translata est, si defectum ignoraverit, perinde ac in rei alienæ vendicationibus fieri solet, ut docent communiter Fachin. *lib. 1. c 38.* Mynsing. *centur. 3 observat. 85.* Gail. *lib.2. observat 75.* & plures alii apud Berlinch. *p.1. conclus. 15. n. 19. & sequent.* Sin verò res, quæ à tertio possidetur, censeatur esse ferè nullius valoris, tunc nisi adferat minorenni grave damnum, ac propterea respectu illius censeatur res gravis momenti, non datur restitutio in integrum, ut nec etiam actio de dolo exiguo *l. si oleum c. fin. cum sequent. ff. de dolo* unde Bart. *ad l. scio. ff de restit. integ.* asserit in iis, quæ contra jus commune ex speciali privilegio permittuntur modica non curari: secus in illis, quæ secundùm jus commune conceduntur, *l. si Proprietarius. ff. de dam. invect.* Hinc in jure modica dos non dicitur dos, & Prætor dicitur non curare de modica injuria *d. l. scio. §. de in restit. integ.* Cæterum si res modica grave inferat damnum minorenni, tunc datur huic restitutio in integrum, quia quamvis res in se, & respectu alterius modica sit, læsio tamen respectu talis minorennis est gravis, proinde datur huic restitutio in integrum, perinde ac de re gravi.

17 Quæritur decimò, quid minor teneatur probare, quando contra omissam appellationem postulat restitui. Censent plures sufficere, si probet se minorennem, quia læsio tunc satis patet ex ipsa appellationis omissione; addúntque, neque opus esse probare, sententiam fuisse malè contra ipsum latam. Alii è converso volunt; teneri tunc minorennem probare sententiam contra se malè fuisse latam, & sibi appellationem esse profuturam, cùm in dubio præsumatur in favorem sententiæ, & videtur hoc desumi *ex [illegible] ximus C. de temp. in integ. restit.* Probabilius est: teneri tunc minorennem simpliciter probare læsionem ex omissa appellatione, cùm manifestum sit, potuisse, & non potuisse lædi, quia factum, qui allegat, tenetur probare, cùm facta non præsumantur, sed probentur *l. in bello §. facta. ff. de captiv. l. quæcunque. §. penult. ff. de publican. c. super litt. & rescript.* Imò quando adversus contractum restitutio petitur, debet plenè probari læsio, licèt sufficiat quæcunque probatio, quando petitur adversus omissam allegationem, ut notat Gemin. *in l. 1. C. qui & adversus quos.* Qui enim petit in integrum restitui, debet probare se læsum esse, *c. cùm venissent. c. constitutus b. t. l. ait Prætor. §. penult. l. verùm 11. §. sciendum 3.* limitatur tamen, nisi omninò nota, & manifesta esset læsio, quæ propriâ evidentiâ contradictionem excluderet.

18 Quæritur undecimò, an quando restitutio in integrum fit, debeant etiam fructus restitui. Respondent communiter cum distinctione, si enim aliena res habetur gratuitò, debet cum suis fructibus restitui, secus si non habeatur gratuitò, quoad conscientiam: siquidem si ager justo pretio venditus sit, sicut Emptor ex illo fructum, ita venditor ex pretio lucrum habere potest: unde in foro conscientiæ qui justo pretio emit agrum, ex quo percepit per plures annos fructus, tametsi teneatur ad agri restitutionem, non ita tenetur perceptos fructus restituere, in foro conscientiæ: quia in foro externo leges aliter disponunt, & Paulus jurisconsultus *in l. quod si minor §. restitutio ff. de minor.* ait, restitutionem in integrum ita minorennibus concedi, ut una cum fructibus perceptis sit res restituenda, quòd etiam affirmatur *l. verùm §. 1. & l. Patri §. si pecuniam. & l. minor. 25. annis.* Quia restitutio debet ita fieri, ut unusquisque jus suum integrum recipiat, ut notat Bart. *in l. ab hostibus §. sed quod simpliciter. ff. ex quib. caus.* Censerem tamen, hanc opinionem procedere si sermo sit de possessore malæ fidei; non ita de Possessore bonæ fidei, & qui justo pretio, ac solutâ pecuniâ agrum emit, quia sicut Emptor fructus ex agro, ita venditor lucrum ex pretio percepit: unde non videtur, qualem minorennis fuerit læsionem passus cùm loco fructuum, lucrum perceperit soluti pretii. Unde Covarruvias *lib. 1. var. c. 3.* asserit, citatas leges esse intelligendas non de fructibus ante indictam litem pendentibus, sed tantùm de illis, qui tempore litis pendent, & quorum judex debet mentionem facere.

19 Quæritur duodecimò, an à Principe restitutus in integrum ex mera gratia recuperet etiam pretium bonorum, quæ fuerunt à fisco alienata: ratio dubitandi est, quia semel quòd bona fuerunt alienata, non ampliùs recuperantur, alioquin gratia, quæ uni concederetur, alteri præjudicaret, contra *l. 2. §. merito ff. ne quid in loc. public.* Respondetur tamen, restituto à Principe in integrum esse pretium reddendum à fisco bonorum alienatorum *l. ex lege. §. sed & si lege. §. item si rem distraxit tit. de peten. hæredit.* ubi bonæ fidei possessor obligatur ad restitutionem juxta quantitatem, qua ex pretio factus est ditior: cùm igitur fiscus sit loco hæredis, & bona alienata sint, debet illorum pretium restitui *l. tutoris C. ad leg. Jul.* alioquin restitutus à Principe non intelligeretur in integrum restitutus, ut notat Fachin. *lib. 9. c. 18.* licèt contrarium nitatur probare Julius Clarus quoad bona alienata.

TITU-

TITULUS XLII.

De Alienatione judicii mutandi causâ facta.

SPecies restitutionis est, quæ in hoc titulo proponitur, siquidem hac mediante dolus coercetur illius, qui ne secum agatur, rem de qua putat se quæstionem passurum, alienat; ut potentiorem adversarium actori objiciat, illum scilicet, qui non facilè conveniri potest, vel aliqua se fori exceptione tuetur. Contingit interdum, ut adversarius intelligens litem contra se parari; malitiosè rem, de qua futura est controversia alienet, ad eum finem, ut intentionem eludat actoris, ei potentiorem, ac difficiliorem objiciendo adversarium. Remedium igitur contra hoc judicium est quædam species restitutionis in integrum, de qua rectè agit Pontifex in præsenti.

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Duorum capitum, quæ in hoc titulo continentur.

CAP. EX QUORUNDAM 1. h. t. Cum aliqui litteras à Pontifice impetrâssent, adversarii ad eas eludendas prinsquam ad judicem pervenirent. aut ipsi ab eo citarentur, appellâssent. Alexander III volens contra hanc versutiam providere, mandat, ut si adversarii taliter appellaverint, aut possessionem controversam commutaverint, aut se dolosè absentaverint; possessores se ingerentes cogantur juris æquitati parêre. Ex quo textu liquet, dupliciter posse fieri alienationem causâ mutandi judicii. Primò quando Reus transtulit rem, de qua erat contentio, in alium. Secundò quando reliquit, vel cessit possessionem, ut ejus amicus eam ingrederetur vacuam prior est directa alienatio; posterior indirecta, sed in effectu eadem cum priori: unde sicut potest quis agere contra directè alienantem causâ mutandi judicii ad interesse, & damna reo, seu actori provenientia l. 1. & 3. ff. eod. *ita potest agere contra eum, qui indirectè alienavit recedendo à possessione, ut alius amicus, vel potentior intraret; debet enim ut ponderat Panormitanus attendi mens legis, quæ fraudulenter circumvenitur* l. non dubium c. de leg.

C. EX PARTE 2. h. t. Gregorius IX rescribit, sub censuris prohibendos esse Clericos, ne accipiant, vel emant quæstiones, & causas sæcularium, ut trahant sæculares ad forum Ecclesiæ. In hoc enim consistit alienatio, quia causa spectans ad forum sæculare trahitur ad forum Ecclesiasticum, in quo potentia, & authoritas Clericorum est major. Generatim, quando causa, vel jura transferuntur in potentiores; conditio actoris redditur deterior, ac difficilior; quia ægrè resistit majori dignitati, & authoritati. Hinc sicut leges civiles volunt confugientes ad patrocinium potentiorum puniri jacturâ causæ ita rectè Pontifex jubet, clericos trahentes causas laicorum ad forum Ecclesiasticum esse censuris compescendos. Rursus cessiones, & emptiones litium legitimè prohibentur in jure. Cæterum notat hic Glossa, Clericum in lite posse trahere laicos ad forum Ecclesiasticum de consuetudine, non autem de jure.

COMMENTARIUS PARATITLARIS.

§. I.

Alienatio mutandi judicii causâ, quando fiat.

1 QUia inter causas restitutionis in integrum etiam habetur hæc de re alienata ex timore judicii, ne esset restituenda, ideò sequitur titulus de hoc alio remedio restitutionis in integrum, per quod providetur illis, in quorum damnum fuerunt res alienatæ ob timorem futuri judicii, in quo deberent restitui, & ad tale judicium vitandum, vel mutandum fuerunt res venditæ, ac alienatæ. Tunc enim fit alienatio judicii mutandi causâ, quando quis metu litis

impendentis eò quia timeat, litem sibi movendam esse super re aliqua, studiò, ac dolosè eam transfert in alium, à quo non ita facilè repeti possit. Hinc Prætor studens æquitati, cùm non debeat alteri, per alterum iniqua conditio inferri, neque alteri per alterius factum, aut dolum præjudicari *l. 2. ff. quod vi, aut clam.* ex officio opitulatur ei, cujus res fuit dolosè alienata, ac conceditur illi actio in factum, per quam conventus alienans tenetur suam fraudem retractare, ut res suo vero domino restituatur, ac detur unicuique suum, perinde, ac si alienatio facta non fuisset, ut desumitur ex *l. 1. & sequent. §. de alienat. judic. mut. causâ facta.* Sumitur autem alienatio laxè, ut importans omnem actum, quo aliquid de uno in alium transfertur, sive sit dominium rei, sive possessio *l. item si res 4. §. 1. ff. eod.* idque sive alienatio fiat per venditionem, per donationem, per permutationem, vel alio quocunque modo, quo res de uno in alium transfertur, sive sit dominium rei, sive possessio c. *l. item si res 4. §. 1. ff. eod.* unde sive alienatio fiat per venditionem, per donationem, per permutationem, vel alio quocunque modo, quo res de uno transferatur in alium; dicitur hæc actio alienatio, de qua in præsenti titulo agitur. Neque refert, si res alienetur metu futuri judicii, sive absque tali metu, quia actor sicut potest agere ad interesse contra illum, qui rem fraudulenter in alium transtulit judicii mutandi causâ: ita potest reus agere contra Actorem, qui actionem suam judicii mutandi causâ fraudulenter, & dolosè alteri cessit, ac potest ab eo repetere, quanti suâ interest, ac si per talem actionem res illa non fuisset in alium translata, ut notat Abbas in *c. 1. n. 6. h. t.* unde si adversarius rem, super qua conveniri posset, ante acceptum judicium dolo malo alienaverit in personam potentiorem, vel etiam alterius fori, ut Actori duriorem litem constitueret; datur huic actio contra talem alienationem, ut restituatur in integrum.

2 Quamobrem si pro re alienata competat actio personalis, ut ex empto, donato, locato; quia actio personalis tunc non datur contra tertium possessorem, cum quo contractus non fuit initus, ideò conceditur actio in factum contra ipsum alienantem ad obtinendum id, quod sua interest, rem alienatam non fuisse. *l. 1. & passim §. eod.* quòd si actio sit realis, ac rei vindicatoria, tunc liberum est actori eam contra possessorem, vel contra alienantem, qui dolo desiit possidere, instituere; quia, qui alienavit fictione juris habetur pro possessore *l. unic. C. eod.* Cæterùm nil videtur impedire, actionem realem contra possessorem, & personalem in factum contra alienantem intentare, cum hæ ad diversos dirigantur fines; realis enim contra possessorem tendit ad rem recuperandam; & personalis in factum ad obtinendum id, quod actoris ob majores expensas, & commoda interest cum alio potentiori adversario, vel etiam in alieno foro litem movere.

3 Ut autem actio in factum, per quam convenitur alienans rem judicii mutandi causâ competat, tria requiruntur, ut notat Glossa in *c. 1. V. commutationem fecerint. h. t.* Quorum primum est, ut alienatio facta sit mutandi judicii futuri causâ, non verò causa mutandi illius judicii; quod jam est *l. ex hoc edict. 8. §. 1. ff. h. t.* quia si lite jam intentata, aut inchoato judicio res super qua litigium instituitur, alienetur; alienatio ipso jure civili est irrita, nec ullo prætoris remedio opus est ad restitutionem, & res affecta vitio litigiosi, à quovis possessore, licèt ignorante vindicari potest, ac si nihil factum fuisset *l. 2. C. de litigios.* ut notat Covarruvias *quæst. pract. c. 17. n. 7.* Imò qui rem actu litigiosam alienavit, & qui sciens eam accepit, certis à jure sunt pœnis obnoxii, ut habetur in *l. ult. C. de litigos.* Quamobrem si rei alienatio facta est, postquam alienans fuit in litem vocatus, vel preces fuerunt Principi oblatæ, & cognitæ alienanti, non datur amplius actio in factum; neque vindicatio contra novum possessorem: sed cum alienante, perinde potest agi, ac si alienatio non fuisset facta; cum revera talis alienatio nulla sit.

Secundum est, ut res dolo malo in alterum sit 4
translata *l. 1. l. item si res 4. §. si quis h. t.* Res autem censetur dolo malo alienata, vel ratione loci, eò quia res translata sit in personam extraneam alterius Provinciæ, & jurisdictionis, quæ non est sub eodem judice: vel ratione personæ si in potentiorem, qui possit adversarium vexare, sit lanslata. Vel si alio quovis modo per alienationem deterior fiat conditio adversarii, ut habetur in *l. 1. in fin. l. 2. & 3. §. h. t.* Quando autem alienatio sit in potentiorem, sufficit si sit privata persona, & sit potentior ratione nobilitatis, vel divitiarum, quia si persona, in quam transfertur res sit potentior ratione officii publici, vel potestatis alienatio est ipso jure irrita, vel saltem per sententiam irritanda, & effectum non habet, & si quis rem illam cesserit, cedens causâ cadit, & jure agendi privatur *l. 2. l. ne liceat potentioribus*, ut notat Abbas *in c. 1. & 2. h. t. in fin.*

Tertium, ut Actoris intersit, seu illius, qui re- 5
stitutionem petiit, ex hoc edicto, ut si fortassis habuerit expensas, labores subierit, incommoda fuerit passus, imò & damnum in rebus propriis ex eo, quòd alius adversarius substituatur *l. quia 3. §. ex quib.* ubi Glossa *V. incommoditatum ff. b. t.* siquidem illi cujus nihil interest, alienationem non esse factam, non competit hæc actio restitutoria: quamobrem si res alienata non pertinebat ad petitorem, vel sine culpa ejus, qui alienavit, periit, non competit illi hæc actio restitutoria *l. 4. §. per ff. h. t.* generatim quando cessat causa actionis, scilicet nullum existit damnum, quod actor sentiat non datur ex hoc edicto actio, ut notat Wesenb. *ff. h. t. n. 6.*

De jure canonico duo sunt notatu digna. Pri- 6
mum est, quòd tametsi rescripta justitiæ non extendantur ad personas, in iisdem non comprehensas; si tamen ad ellusionem rescripti Apostolici res, de qua movetur controversia, fuerit in extraneum alienata, poterit tunc etiam extraneus ex vi ejusdem rescripti coram delegato judice dato in eodem rescripto conveniri, ut docent communiter juris pontificii periti. Secundum est quòd approbentur leges civiles prohibentes redimi lites alienas: præsertim Clericis sub censuris inhibendũ dicitur, ne emant, nec sibi cedi faciant res litigiosas, & causas sæculares ad eũ finẽ, ut

laicos

laicos actores pertrahant in suum forum. Prohibitum enim est in *c. 2. b. t.* ne clerici sive dono, sive pretio, hoc est sive titulo lucrativo donationis, sive oneroso venditionis, aut emptionis faciant sibi à laicis cedi lites, & actiones personales, sive jura creditorum, per dolum causâ judicii mutandi, ut adversarius acriùs in alieno judicio vexetur, & clericus videatur talem cessionem recepisse avaritiæ causâ: siquidem fraus, & avaritia, vel maximè in clericis vitandæ sunt *c. 2. b. t.* juncta Glossa *fin.* alioquin generatim non est absolutè prohibitū, actiones, & lites cedere clericis, sive ea cessio fiat per ultimam voluntatem, aut legatum, ut indistinctè conceditur. *in l. nomen. 24 §. de legat. 3.* ratio est, quia in ultima voluntate cessat præsumptio fraudis, quia non præsumitur moriturus immemor propriæ salutis. sive illa cessio fiat inter vivos titulo donationis; sive etiam venditionis, vel alterius contractus, qui cessante fraude, & dolo suum sortiatur valorem: non enim clericis prohibetur emere, & contrahere, sed tantùm ne id faciant per fraudem mutandi judicii causâ, ut durior contingat adversario conditio, & potentior actor ei substituatur: præsertim, si juxta qualitatem causæ teneatur laicus adire forum Ecclesiasticum. Quinimo ad abigendam omnem avaritiæ, & fraudis umbram, etiā in dubio cessio litis, sive actionis personalis, facta à laico Clericis præsumitur in fraudem, & avaritiæ causâ facta, adeò ut Clerici non possint talem cessionem recipere: quòd tamen procedit de solis Prælatis habentibus jurisdictionem, ratione cujus possunt coërcere proprios subditos, quia tunc reverà habentur potentiores, proinde non potest in eosdem fieri cessio actionum, ut docent communiter jurisperiti. Imò censetur etiam cessio facta in fraudem, si titulo oneroso, ut venditionis, fiat: quia emere actiones dubias, & incerti exitûs, quæ nondum sunt in judicium deductæ est quædam species negotiationis, quæ Clericos dedecet, & maximè si sit negotiatio actionum, ac litium forensium. Imò si hujusmodi negotiationes cum scandalo fiant, ac periculo justitiæ pervertendæ, prohiberi possunt sub censuris Ecclesiasticis ut desumitur ex *c. 2. b. t.* Sin autem cessio actionum non per fraudem judicii mutandi causâ, sed bona fide fiat Clerico, etiam titulo lucrativo donationis, valida est, nec jure prohibetur, non enim jura prohibent, quin laicus possit Clerico jus suum cedere, neque præsumitur in tali cessione libera fraus, ut notat Abbas *in c. 2. n. ult. b. t.*

TITULUS XLIII.

De Arbitris.

POstquam visum est de officiis variorum judicum, tam ordinariorum, quàm delegatorum, qui à Principe, vel Magistratu eliguntur, & constituuntur, & aliis, in quæ eorundem officium versatur; meritò nunc Pontifex agit de officio illorum judicum, qui à litigantibus, vel sponte, vel ex dispositione juris eliguntur; sunt autem hi judices Arbitri, ad quos recurrere solent homines, priusquam ad judicia perveniant, ut per eos controversiæ absque strepitu fori, ac breviori tempore si fieri possit, terminentur; & beneficio arbitrum impediatur litis ingressus, & evitentur moræ judiciorum, ac sumptibus parcatur. Hoc in Jure Canonico est singulare, ut qui delegatus est Judex, possit arbitrium recipere ex compromisso partium, & simul retinere judiciariam potestatem, ac arbitri æquitatem; eâ ratione quia cum jurisdictio Ecclesiastica inceperit ab arbitrio, facilè retinet arbitrium cum jurisdictione: unde hic titulus est de arbitris compromissariis, qui legibus, & conditionibus compromissi adstringuntur, nec ultra id quod est compromissum, evagari eorum officium potest.

SUM-

SUMMARIUM EXEGETICUM.

Omnium capitum, in hoc titulo contentorum.

CAP. SANE 1. h. t. ex Concilio Africano statuitur, ut si ex communi placito Episcoporum, inter quos causa versatur, arbitri eligantur, debeant eligi in numero dispari. ut unus, vel tres, & sententia majoris partis prævaleat. Ex quo textu liquet, compromissum debere procedere ex libera voluntate compromittentium, & neminem debere ad id compelli; neque arbitrum ad illud acceptandum, teneri tamen si semel acceptaverit ad prosequendum, ac pronuntiandum l. 3. ff. de Arbitr. *Quia verò homines proniores sunt ad dissentiendum; ideò arbitri assumuntur in numero inæquali; quia difficulter haberi posset major pars in ferenda sententia. Cæterum notat Panormitanus, numerum imparem non præcipi, sed tantùm suaderi: valeret enim compromissum quamvis arbitri assumerentur in numero pari.*

C. NON SINE 2. h. t. rescribit Alexander III. Archiepiscopo Eboracensi, Arbitrium iniquum, seu dolo & fraude factum esse irritum, & minime tolerandum, quamvis eidem fuerit juramentum adjectum: secus arbitrium æquum esse a partibus servandum. Nota, sententiam arbitrorum esse nullam, vel rescindendam, si redundet in grave damnum alterius, præsertim per dolum, & fraudem intervenientem. Rursus super re spirituali posse compromitti in clericum.

C. PERVENIT 3. h. t. rescribit Gregorius IX. Episcopo Exoniensi, arbitrum electum in causa patrimoniali alicujus Clerici non posse arbitrari, ut res Ecclesiastica, quam Clericus possidet, adjudicetur pro re temporali, quam Clericus debet, ad dies vitæ clerici; quia delictum personæ, seu factum prælati non debet vergere in damnum Ecclesiæ. Ex quo textu liquet, posse clericum etiam de bonis Ecclesiæ aliquid assignare tantùm tempore vitæ suæ; adeò ut illo defuncto redeat ad suam Ecclesiam. Verùm quia id laicis non servantibus fidem facilè in Ecclesiæ damnum redundat, Pontifex horum arbitrorum sententiam rescidit, jussitque amicabiliter alia ratione inter partes componi.

C. CUM DILECTI 4. h. t. Innocentius III. rescribit Cancellario Parisiensi, fœminas in jure removendas esse à publicis officiis, & ab arbitrio, etiam inter liberos, adeò ut contemptores arbitrii earum non sint puniendi: nihilominus ex approbata consuetudine liquet, posse excellentes fœminas habere ordinariam jurisdictionem in suos subditos: quòd si arbitrii sententiam ferant inter Ecclesias, cum præsentia, consilio, & approbatione Episcoporum, sententia servanda est Ex quo textu liquet, consuetudinem dare jurisdictionem personæ aliàs inhabili ad judicandù, & fœminas ab officiis civilibus esse remotas: secus Principem scienter posse delegare causam. Notandum est, communiter hodie in compromissis apponi juramentum, quod tametsi prohibeatur jure, authent. I. decernimus C. de arbit. *valet nihilominus, & debet manu teneri, eò quia servari possit sine dispendio salutis æternæ. Quando verò non apponitur juramentum, nec pœna, tunc requiritur emologatio sive expressa, sive tacita, seu approbatio, vel confirmatio.*

C. CUM TEMPORE 5. h. t. Idem Pont. declarat, Ecclesias non posse arbitris committere ea, quæ spectant ad libertatem, & exemptionem: quia sine licentia Papæ. Ecclesiæ non possunt renunciare privilegiis libertatis, quæ spectant ad sedem Apostolicam, tametsi adderent etiam juramentum: in aliis verò posse Ecclesias arbitris committere, quæ non spectant ad eorundem libertatem. Ex quo textu liquet, juramentum lædens jus alterius non teneri. Rursus exemplum non posse renunciare privilegio libertatis sine licentia Papæ.

C. CUM DILECTUS 6. h. t. Idem Pont. declarat, coram Arbitris non dari locum reconventioni, sicut coram Iudice: quia Arbiter solùm potest judicare de his, quæ sunt in compromisso, & non ultra. Quæ decisio est clara, quia nec Procurator, nec Mandatarius potest agere ultra id quod est expressum in mandato, adeò ut si limites mandati excedat, gesta sint nulla. Hinc laudum est prorsus invalidum, si ad plura se extendat, quam in compromisso fuerint expressa l. distingue §. de offic. eod.

C. CUM OLIM 7. h. t. Idem Pont. statuit, ut qui facto arbitrio obligatur in eligendo requirere consilium aliquorum, teneatur ad id in tractatu electionis, quamvis non teneatur sequi eorum consilium l. cum pater §. mandato ff. de Legat.

C. CONTINGIT 8. h. t. declarat idem Pont. ex Concilio Generali Lateranensi, in rebus spiritualibus laicum non posse esse Arbitrum: quia sicut non convenit, laicum judicare de rebus spiritualibus, ita neque arbitrari, cùm sit arbitrium quædam species judicii; proinde Arbiter etiam aliquo modo est Iudex, ut pluribus ostendit Barbos. hic. n. 3. Cæterum de rebus merè civilibus, quibus nullum spirituale est annexum, potest compromitti in laico: ut etiam in spirituali potest compromitti in Clericum, & laicum de licentia superioris, hoc est in Clericum de licentia Episcopi; & in laicum tantùm de licentia solius Papæ. Cæterum laicus de spiritualibus nullo modo potest judicare, nec principaliter, nec incidenter.

C. PER TUAS 9. h. t. Idem Pont. rescribit Archiepiscopo Pisano, Procuratorem cum mandato Generali coram Delegato cum parte contraria non posse causam compromittere, & arbitrium de licentia Delegati posse promulgari per unum clericum, & alterum laicum: quòd si pars principalis, cujus est Procurator, acceptet arbitrium, habendum est ratum, & executioni mandandum: secus si non acceptet, & in arbitrio fuit apposita pœna de observando, declarat Pontifex, Procuratorem posse conveniri ad pœnam: quòd si non fuerit pœna apposita, vult posse conveniri ad interesse, eò quia suo juramento se personaliter obligaverit. Ubi notat Glossa, Pro-

Procuratorem generaliter ad agendum, vel defendendum non posse exigere, vel compromittere absque speciali mandato, nec posse excedere fines mandati: unde si id fecerit, non nocet Domino. Notandum est, Procuratorem esse constituendum de consensu Capituli, & juramentum ab ipso præstitum esse personale, & non obligare alium.

C. *EX PARTE TUA 10. h. t. Honorius III. rescribit Archiepiscopo Coloniensi, quòd si Canonici duos eligant, & negotium compromittatur Arbitris, si ante sententiam decedat unus electus, non debeant Canonici procedere ad aliam electionem, quin prius arbitri judicent de sufficientia electi; eò quia hic electus habeat adhuc jus ad beneficium, licèt compromissum per mortem unius compromittentis expiraverit. Ubi notat Glossa, compromissum per mortem unius compromittentis finiri, & in hoc casu non procedere ampliùs ut Arbitrum, sed ut Iudicem Ordinarium; quia si superstes vere habebat rationem contra demortuum, verè habet etiam jus, & non aliter.*

C. *EXPOSITA 11. h. t. declarat idem Pont. arbitrum electum super aliquas dubitationes ortas per sententiam Legati non debere aliquid immutare, nec judicare contra sententiam Legati, tametsi mandatum acceperit à Papa de componendo inter partes. Unde hic textus confirmat, quòd gesta ab Arbitro contra ejus mandatum, aut ea, quæ in illo expressa non sunt, nullius esse valoris.*

C. *INNOTUIT 12. h. t. Gregorius IX. declarat, compromissum factum à partibus coram Iudicibus in duos arbitros cum clausula, ut in casu discordiæ possint Iudices, vel alii tertium eligere Arbitrum incertum esse irritum, eò quia sit contra jus. Rursus si Iudices excommunicent partem nolentem arbitro obedire declarat Pontifex, excommunicationem post legitimam appellationem esse nullam. Notandum quòd sicut non potest compromitti in duos Arbitros, ut ortâ inter ipsos discordiâ ipsi eligant tertium* l. item si unus §. si in duos ff. eod. *ita neque potest dari compromissum, ut ortâ inter arbitros discordiâ Delegati Principis eligant tertium. Ubi notat Panormitanus* n. 3. *quòd ubicunque datur potestas eligendi tertium in casu discordiæ compromissum non valet, eò quia hoc debeat fieri purè, & in Arbitros certos: unde si postea oriatur discordia, debet Iudex Ordinarius compellere duos ad eligendum tertium* c. suspicioni de offic. deleg. & c. speciale de appell. *Notat tamen Barbosa hic, posse compromitti in duos Arbitratores, ut si discordent, eligant tertium.*

C. *CUM A NOBIS 13. h. t. rescribit Gregorius IX. compromissum factum uni, vel duobus sub hac forma,* ut ipse per se, vel alii, quos ipsi Arbitri deputabunt rem definiant, *esse validum, & definitioni propterea standum sub pœna. Quia ut notat Glossa, tale compromissum non est contra jura, quia primi non sunt Arbitri, sed potius amicabiles Compromissores, qui de consensu partium possunt eligere arbitros: quinimò licèt essent Arbitri, adhuc compromissum valeret; quia de consensu partium eligunt certos Arbitros, & non incertos.*

C. *COMPROMISSUM 14. h. t. Idem Pont. declarat, compromissum non extendi ad hæredes compromittentis, nisi in compromisso fiat expressa mentio de hæredibus. Ubi notat Glossa in compromisso esse necessariò faciendam mentionem hæredis aliorum compromittentium, ut ad ipsum extendatur compromissum. Judicium tamen transire in hæredes, licèt de his nulla fiat mentio.*

IN SEXTO.

C. *SI EX TRIBUS 1. h. t. declarat Bonifacius VIII. quòd si ex tribus Arbitris duo aliquem in decem condemnent, & tertius in quinque debet sententia duorum prævalere. Secus si unus in quindecim, secundus in decem, & tertius in quinque condemnet, illius qui de summa dixit minori sententia censetur efficax, quia cæteri in illam concordant, quia numerus quinarius includitur in aliis majoribus numeris. Hinc notat Glossa, etiam in arbitris procedere regulam, qua dicitur valere, quod fit à majori parte, & inter tres duo faciunt majorem partem: unde quamvis compromissio fiat simpliciter, semper tamen intelligitur pactum de stando majori parti.*

C. *UT QUÆSTIONIBUS ult. h. t. Idem Pont. declarat, quòd si partes eligant tres Arbitros, & unus ab aliis duobus legitimè vocatus nolit interesse, vel non curet venire cessante legitimo impedimento, possint alii duo examinare, ac definire, perinde, ac si præsens esset alius, qui malitiosè non vult adesse: quia Arbitri hoc idem possent, etiam tertio præsente, & nolente cum iisdem concordare. Cæterum circa Iudices vult Pontifex, antiqua jura servari. Unde notandum est, hanc Bonifacii VIII constitutionem, servandam duntaxat esse in foro Ecclesiastico, ac in terris Romanæ Ecclesiæ temporali jurisdictioni subjectis: secus civilem constitutionum adhuc valere in forò seculari: quia quando lex civilis, & canonica circa materiam non Ecclesiasticam, sed politicam discrepant, utraque in suo foro servanda est. Rursus constitutio Bonifacii, in foro etiam Ecclesiastico intelligenda est, ut non valeat, nisi in terris Romanæ Ecclesiæ, seu ejus jurisdictioni temporali subjectis, & ut si major pars arbitrorum adsit, & reliqui vocati, ac requisiti, ut intersint, sine justo impedimento ex negligentia, vel malitia interesse noluerint: quia si justum habeant impedimentum, ut reverà non possint interesse; tunc etiam de jure canonico invalidum esset arbitrium, quod sine absentibus ferret major pars præsentium.*

COMMENTARIVS PARATITLARIS.

§. I.

Qui dicantur Arbitri, & quomodo differant à Iudice?

1 Um in præcedentibus compilator juris canonici egisset de officiis judicum, tum Ordinariorum, tum delegatorum, ac de præparatoriis judiciorum, & agendum hic esset de ipsis judiciis; nihilominus, quia Arbitri sunt etiam ipsi quodammodo judices, ad quos recurrere solent homines, antequam ad judicia perveniant, ut eorum prudentia, & consilio controversiæ sine strepitu fori, sine expensis, sine labore, & incomodo partium, ac breviore tempore, si fieri possit, sopiantur, ac terminentur, ut tali pacto impediatur litis institutio, & evitentur judiciorum moræ, ideò rectè hic agit de arbitris, antequam tractatum instituat de judiciis.

2 Arbiter suam ab arbitrando trahens nomenclationem, eò quia arbitretur, æstimet, censeat, definitur esse vir bonus ad aliquod negotium æstimandum, & terminandum electus, ut quid sibi de re aliqua videatur suam depromat sententiam *l. quis tam. 52. C. de decurion. lib. 10.* Et sicut Arbitrium est duplex, unum juris, quod & necessarium dicitur; & aliud voluntarium dependens ab ipso prudente judicio arbitri: ita solent eligi Arbitri, vel ex necessitate juris, aut statuti; vel sponte. Ex necessitate juris obligantur ut de causa suspicionis judici objecta cognoscant, *c. suspicionis 39. de offic. deleg. c. si contra 4. c. ab arbitris 11. eod. in 6. l. apertissimi & l. fin.* & ibi Bart. & communiter jurisperiti. *C. de judic.* Rursus ex necessitate juris assumuntur arbitri quando leges jubent, ut causæ inter conjunctos compromittantur Abbas *in c. dilecti 4. coll. 7. h. t.* ut etiam quando est quæstio de revocatione rescripti, ut desumitur ex *c. pastoralis 14. sup. de rescript.* & in aliis casibus à jure expressis, & hi arbitri ita juxta leges assumpti, ac electi, dicuntur arbitri juris, ac necessarii, quia tenentur arbitrari juxta leges. Hinc si Episcopus cum clerico sibi subdito controversiam habeat, debent ambæ partes arbitrum eligere, cujus prudenti judicio controversia dirimatur *c. si clericus 49. caus. 11. q. 1.* Si diversi judices super revocationem litterarum Apostolicarum dissentiant, sunt à partibus eligendi arbitri, à quibus res componatur, ut etiam si supremi Principes inter se contendant, & transactione nequeat res componi, ut etiam si exstet statutum, ut super controversiis inter conjunctos sanguine ortis compromittatur in Arbitros; omnes isti dicuntur arbitri juris, seu necessarii.

3 Arbitri Voluntarii, qui sponte assumuntur, dupliciter possunt eligi, vel simpliciter, & absque aliquo judicii ordine, ut si in aliquem clericum compromissum sit, qui de re arbitretur, & statuat, prout æquum sibi videbitur absque alio juris ordine, & hic propriè dicitur arbitrator, seu amicabilis Compositor, & ejus arbitrio partes acquiescunt *l. societatem. §. arbitrorum. ff. pro socio.* Vel ut de controversia sibi commissa servato ordine juris pronuncient, & isti propriè dicuntur arbitri, qui etiam vocari solent arbitri recepti, quia ex recepto, seu ex compromisso, ut interpretatur Justinianus in *l. rem non novam C. de judic.* eliguntur ad dirimendam controversiam; unde dicuntur etiam Arbitri compromissarii, quorum arbitria dicuntur redacta ad similitudinem judiciorum, eò quia citent coram se partes, libellum petitionis sibi edi jubeant, testes examinent, & causam totam secundùm judicii ordinem per sententiam terminent, perinde ac præstarent judices. Hinc patet discrimen inter Arbitros, & Arbitratores. Primò quia sententia Arbitri cùm procedat secundùm ordinem judicii debet ferri in scriptis, siquidem est instar sententiæ: non ita necesse est, ut sententia Arbitratoris feratur in scriptis, quia hæc se habet instar contractus, & illa per modum sententiæ, ut notat Jason *in l. cum te transegisse in 2. not. C. de transact.*

Secundò, legatum non potest conferri in meram voluntatem hæredis tanquam arbitri, benè tamen confertur in eundem, veluti in Arbitratorem; seu tanquam in voluntatem boni viri Oldrad. *conf. 156. in princ.* hinc arbiter in causa propria non potest quis esse, benè tamen Arbitrator, non enim Arbitri, & alii judices in causa propria possunt judicare, benè tamen Arbitrator Anchar. *conf. 208. judex de jure. n. 14.* Zabar. *conf. 140. n. 3.* 4

Tertiò, Arbiter debet habere liberum, & absolutum arbitrium; alioquin nec compromissum, neque laudum ullum fortiretur valorem; id autem non requiritur in Arbitratore, seu amicabili Compositore. Bellam. *conf. 24. in princ.* 5

Quartò, Arbitri juris habent jurisdictionem à lege ipsis concessam ad expedienda omnia necessaria ad causam finiendam, adeò ut possint præscribere partibus terminum peremptorium, eas citare, testes compellere, ut accedant ad testimonium ferendum, & alia, quæ necessaria sunt, ut causa finiatur *argu. c. suspicionis* juncta Glossa *V. ad quos omnia.* Secus Arbitratores nullam habent jurisdictionem, sed tantùm simplicem cognitionem, quia non recipiunt potestatem à jure, sed ab ipsis partibus, à quibus eliguntur; & personæ privatæ non possunt conferre jurisdictionem, nec publicam potestatem alteri, ut liquet *ex l. privatorum 3. C. de jurisdic. om. judic.* hinc defectu jurisdictionis nequeunt Arbitratores testes compellere ad comparendum, nec partibus imperare, nisi prout illæ se liberè per compromissum obligaverunt.

Quintò, Arbitri juris possunt adigi, ut fun- 6
gantur

gantur suo officio *c. cum speciali 61. de appellat.* eò quia assumantur ex necessitate, & eligantur ex præscripto juris, à quo eisdem confertur jurisdictio: & sicut munus judicandi est necessarium, ut lites dirimantur; ita Arbitri juris debent necessariò munus acceptare, illúdque exercere *l. munerum 18. §. judicandi ff. de muner. & honor.* Secus Arbitratores non possunt compelli ad acceptandum compromissum, sed pro arbitrio possunt illud libere suscipere, vel respuere *l. 3. §. 1. ff. h. t.* eò quia eligantur ex libera privatorum voluntate; à quibus nullam accipiunt jurisdictionem. Sin verò compromissum acceptaverint, sive per nudum pactum secundum jus canonium, sive per intervenientem stipulationem juxta jus civile compelli possunt, ut munere fungantur, quod susceperunt, ut desumitur ex *l. 3. §. 1. ff. h. t.* nisi occurrat aliquod necessarium impedimentum, quo non possint exercere officium à se receptum.

8 Sextò ab arbitris juris appellari potest ad eos, qui juri, aut statuto præsident, vel compulerunt ad eligendos Arbitros, quia ratione jurisdictionis ipsis collatæ censentur veri judices, & eorum arbitratum proximiùs accedit ad naturam judicialis sententiæ, ut notat Mynsing. *centur. 4. obser. 68.* siquidem consonat æquitati, ut iis per remedium appellationis succurratur, qui ad arbitros assumendos fuerunt compulsi. Secus ab arbitratoribus appellari non potest *l. 1. C. h. t. l. non distinguemus 32. §. cum quidam ff. eod.* quia in factum ex sententia, vel laudo non datur actio: quia cum partes spontè elegerint arbitratores, séque obligaverint ad standum eorum laudo, seu arbitrio; non debent postea illud impugnare; neque iisdem opitulatur remedium appellationis, quia sibi debent imputare, si arbitratores ad votum non fuerunt arbitrati, ut notat Glossa *in cap. ab Arbitris,* & ostendit Abbas *in d. c. suspicionis. n. 7.* Possunt tamen judici supplicare, ac ejus officium implorare, ut iniquum arbitramentum, seu laudum dignetur ad justitiam reducere juxta boni, & prudentis viri judicium, ut notat Glossa Margin. *in d. c. ab arbitris in fin. & c. 2. h. t.* Si enim laudum, seu arbitramentum manifestam videatur iniquitatem continere; & præsertim si appareat, Arbitratores per dolum, vel falsis probationibus processisse, tunc pars læsa potest excipere de dolo *l. non distinguemus §. cùm quidam. ff. hujus tituli.*

9 Septimò quia laudum Arbitratoris non habet paratam executionem, cùm potiùs sit contractus, quàm sententia, & contractus de jure communi non habeat paratam executionem: secus laudum Arbitri, quia habet rationem sententiæ paratam habet executionem, ut notat Joan, de Anan. *cons. 16. viso punct. n. 5. V. circa verò secundùm,* & fusiùs *cons. 50. n. 7. V. circa verò secundum. n. 8.* ubi declarat, nisi arbitramentum habeat guarentigiam.

10 Octavò, actio in rem utilis competit ex laudo arbitri facta traditione; secus ex arbitramento arbitratoris, seu amicabilis compositoris, competit tantùm actio personalis.

11 Nonò, compromitti non potest jus decimarum etiam laicis concessarum, nec spiritualia in laicos, ut arbitros, eò quia arbitria sint instar judiciorum supponentium jurisdictionem, quam laici non habent in res Ecclesiasticas, & spirituales: secus potest fieri compromissum in laicum tanquam in arbitratorem, ut notat Anchar. *cons. 34. n. 7. & sequent. V. ultra prædicta,* quia licèt Arbitrator sit laicus, potest tamen fieri compromissum de decimis, & aliis spiritualibus in illum, & de quibus valet amicabilis compositio; non tamen de beneficiis Ecclesiasticis potest compromitti in Arbitrum, nec Arbitratorem laicum, quia non valet compromissum, ut notat Anchar. *cons. 34. n. 10. V. ista prima facie.* Potest tamen laicus cognoscere de spiritualibus, si non apponatur exceptio incompotentiæ perimens judicium, quia quamvis non valeat compromissum de re spirituali in laicum arbitrum, vel arbitratorem; nihilominus compellitur pars, quæ juravit observare laudum, ut notat Ancharan. *cons. 98. circa fin. V. ult.*

Arbitramentum dicitur sententia Arbitrato- 12
ris, quæ propriè non est sententia, nec quasi sententia, sed tantùm compromissi implementum, quod vocatur etiam laudum; proinde actio oritur tantùm ex compromisso, non ex arbitramento, seu laudo, ut notat Zabarel. *cons. 139. n. 6. V. etsi hæc vera sunt,* unde laudum, seu arbitramentum est tantùm contractus utriusque partis declaratus per arbitratorem, qui non est judex: proinde talis declaratio nil habet commune cum judicialibus, & magis assimilatur transactioni, quàm sententiæ, ut notat Bald. *cons. 332. proponitur quod inter in fin. lib. 2.* Cùm enim Arbitrator non habeat authoritatem judicis, ejus declaratio non potest habere rationem sententiæ, sed tantùm transactionis, & est actus extrajudicialis, ut notat Angelus *cons. 198. coll. penult. V. aut dicimus;* ideò enim laudum, seu arbitramentum Arbitratoris dicitur habere rationem transactionis, quia si hæc non possit fieri; neque potest in Arbitratorem fieri compromissum, quia laudum Arbitratoris non valet in his, in quibus non potest fieri transactio: imò requisita ad validam transactionem requiruntur etiam in compromisso respectu Arbitratoris; proinde sicut non valet transactio super dispositis in testamento non cognitis verbis testamenti, ità neque valet compromissum, ut notat Angelus *cons. 198. n. 3.* & eadem solemnitas requiritur in compromisso, quæ necessaria est in transactione, adeò ut si minorennis non possit alienare sine decreto, nec possit compromittere, alioquin laudum inde latum non meretur executionem, etiam stante forma statuti. Bart. *cons. 159. n. 4. & 5. lib. 1.*

Cæterum arbitramentum, quando ex forma 13
statuti habet vim sententiæ definitivæ, debet observari, neque solutâ pœnâ potest ei contraveniri. Hinc si arbitramentum dicat, quòd actor non possit molestare reum; nec poterit eum molestare, etiam solvendo pœnam, Baldus *cons. 456. Seia origine in fin. num. 8. V. sextus articulus lib. 1.* Rursus virtus arbitramenti transit ad singularem successorem, ideóque laudum latum pro venditore prodest Emptori, Bald. *cons. 456. in fin. V. ultimus articulus lib. 1.* Operatur tamen

men hoc laudum, quòd non obediens incidat in pœnam ſtatutam, quæ poteſt exigi; idque procedit, tametſi quis paruerit laudo, & poſtea contravenerit, ut habet Caſtrus *in l. Titio centum in princ. ff. de cond. indeb.*

14 Cæterum arbitramentum irritum eſt ſi latum ſit per dolum, vel culpam; dicitur latum per dolum, ſi lædat ad ſextam partem, ut notat Zabarel. *conſ. 141. num. 3. & 4.* idque procedit, etiamſi arbitramentum fuerit confirmatum, quia quod eſt nullum in ſe, non poteſt validari per acceſſorium: unde nullitas non ceſſat, quando ex actis manifeſtè conſtat; vel provenit ex culpa Arbitri, vel Arbitratoris, quia tunc culpa non poteſt velari, ut notat Bald. *conſ. 208. præſuppoſitis tribus in fin. V. ſuper tertio lib. 1.* Tum quia laudum Arbitratoris latum poſt primum laudum non valet; ſi Arbitratori non fuerit data facultas ſemel, & iterum laudandi, unde ſi prima vice laudum fuit nullum, per confirmationem non poteſt validari, quia Arbitrator ſupponitur non habere facultatem iterum laudandi, ſeu confirmandi laudum; Bald. *conſ. 47. poſtquam fuit latum lib. 2.* Imò procedit, quòd ſecundum laudum eſt etiam nullum, ſi ſit contrarium primo; quamvis data ſit facultas ſemel, & pluries laudandi, Bald. *d. conſ. 47. lib. 2.* Imò procedit, quamvis Arbitratores ſibi reſervâſſent facultatem ſe corrigendi in primo laudo, quia hanc facultatem, non poſſunt ſibi reſervare niſi fuerit expreſſa in compromiſſo, ut notat Fulgos. *conſ. 144. V. ad ſecundum.* Quòd ſi poſt primum laudum partes iterum compromitterent, tunc poſſent Arbitratores iterum laudare Bald. *conſ. 333 proponitur quod inter.* præſertim ſi iterum interveniat cognitio, quæ in Arbitratore ſemper præſumitur interveniſſe.

15 Uſus arbitrorum, vel arbitratorum inventus eſt ob utilitatem, quia lites per arbitros, vel arbitratores faciliùs expediuntur, ſi extra tribunal ordinarium partes diſſentientes in aliquos viros prudentes, & bonos compromittant, ſéque obligent ſtare eorundum judicio. Sin verò res exigat, ut plures ſeligantur arbitri, vel arbitratores, tunc eorum numerus debet eſſe diſpar, ut ſuffragiorum majoritas haberi poſſit *l. item ſi unus 17. §. 6. ff. h. t.* ſi enim partes diſſentientes in duos compromittant, & hi non concordent negotium non ſortitur ſuum exitum: ſin autem compromittat in tres, vel quinque, tunc cùm ſuffragia non poſſint eſſe utrinque æqualia, una pars eſt ſemper alia major, & hæc dirimit litem. Sin verò plures Arbitri electi in decernenda aliqua quantitate pecuniaria diſcordent, ſtandum eſt illi arbitramento, vel laudo, in quod major pars convenit: hinc ſi unus arbiter, vel Arbitrator pronuntiet 50. alter 25. & alter 10. numerus denarius prævalet, eò quia contineatur in aliis duobus numeris majoribus implicitè, quapropter alii duo etiam implicitè cenſentur conſenſiſſe in denarium *c. 2. hujus tituli. num. 6. l. diem proferre. 27. §. ff. eod.* notat tamen Covarruvias, hanc regulam non niſi cautè eſſe in praxin deducendam: eò quia non videatur ſemper ſatis firma, quia licèt major ſumma contineat minorem, ut ſui partem, quatenus numerus denarius includit etiam quinarium, qui bis repetitus, tanquam duæ partes conſtituunt totum denarium, non tamen formaliter; & quantitas numerica eſt attendenda formaliter, non verò ſecundum illos numeros, quos implicitè continet: ſi enim Petrus velit vendere ſuum equum 50. florenis, certè vult etiam habere decem florenos, quatenus iſti includuntur in numero quinquagenario implicitè; non tamen vult vendere ſuum equum 10. florenis, unde attendendus ſemper eſt numerus formaliter, & ſecundùm totam illam quantitatem, quam explicat: alioquin ſi tres Arbitri, vel Arbitratores diſcordarent inter ſe, & primus pronunciaret eſſe ſolvendos centum florenos Petro, & alius 80. & tertius 50. Petrus teneretur accipere tantùm 50. eò quia hic numerus includatur in duobus præcedentibus, quod eſſet illi damno.

Hinc neque valet, quod Gloſſa *d. c. 1. h. t. in 6.* aſſerit, regulam hanc habere locum, quamvis arbiter, qui majorem ſummam pronunciavit; proteſtetur, quòd nolit conſentire in minorem, eò quia conſenſus in minorem numemerum ſit ex diſpoſitione juris introductus, proinde proteſtationem in contrarium nil operari: ſiquidem nec ſententia hæc ſatisfacit; quia non rectè conſultum eſſet æquitati: ſi enim ex quinque Arbitris, vel arbitratoribus unus condemnaret meum debitorem ad 500. florenos, alius ad 300. tertius ad 200. quartus ad 100. & quintus ad 50. ego tenerer acceptare 50. tantùm cum gravi præjudicio, nec meum creditum eſſet ſolutum; quamobrem præfatus textus ita eſt intelligendus, ut mens legiſlatoris ſit æquitati conformis, proinde tantùm procedere, quando minor numerus eſt intra terminos æquitatis, & qui majorem ſummam pronuntiârunt, poſſint rationabiliter præſumi, non eſſe inviti contra ſummam minorem: ſi enim Creditori non adferatur grave damnum, & lis vix poſſit aliter componi, tunc valet prædicta regula. 16

Sin autem plures fuerint Arbitri electi; quorum aliqui tempore ferendi judicii abſint, non poſſunt alii juxta jus civile procedere ad judicium, quia ad illud debent omnes electi Arbitri eſſe præſentes, ut deſumitur ex *l. item ſi unus 17. §. 6. ff. h. t. §. fin. cum l. ſequent.* E contra ſecundùm jus canonicum ſufficit, ſi major pars adſit, dicitur tamen major pars, quia ſi ex duobus unus tantùm adeſſet, vel ex quatuor duo, non ſufficerent ad ferendum judicium, quia duo ex quatuor nō ſunt major pars, quia hæc debet numero excedere aliam, & quando partes ſunt pares, neutra ab alia exceditur, idq; deſumitur *ex c. 2* juncta Gloſſa *in V. pro præſente in 6. h. t.* Et licèt in cauſis profanis quodlibet jus ſit in ſuo foro obſervandum: in cauſis tamen Eccleſiaſticis, aut Clericorum, prævalet jus canonicum, ut habetur *in c. clericus de for. compet.* 17

Differunt arbiter, arbitrator, & judex, primò quia judex etiam invitus cogi poteſt ad judicium, non ita arbitrator, qui tantùm volens acceptat ferre judicium, *l. labeo 3. §. 1. ff. h. t.* ſecundò à ſententia judicis valet appellatio *lib. 1. & tot.*

tot. tit. ff. de appellat. non ita à sententia arbitratoris, cui partes tenentur stare, *l. 1. C. h. t.* Tertiò coram judice inducitur litis pendentia; non ita coram arbitratore, ut notat Gailus *lib. 1. obser. 141. n. 3.* Quartò judex ordinarius, si tulit sententiam invalidam, potest illam mutare *l. si præses 6. l. quomodo, & quando judex.* Secus nec arbiter, nec arbitrator possunt sententiam invalidam, quam semel tulerunt, retractare *l. qualem 19. in fin. & l. sequent. ff. h. t.* Quintò arbitrator non potest laudum suum executioni mandare eò quia nullam habeat jurisdictionem *l. penult. C. h. t.* secus judex ordinarius ratione jurisdictionis, quam habet, potest suam sententiam executioni mandare, Abbas in *c. per tuas 9. n. 1. h. t.* Hinc arbitri non possunt exequi sententias à se latas, sicut possunt judices *l. epistola C. de Episcop. audien.* Baldus *cons. 90. quæritur, utrum arbitri lib. 1.* quia arbitri non habent jurisdictionem cohærentem territorio, etiam si eligantur ex forma statutorum Baldus *d. cons 90 lib. 1.* ubi asserit, arbitros propriè non esse judices Ordinarios, neque delegatos; sed ad similitudinem delegatorum: non enim arbitri, & arbitratores possunt compellere compromittentē, ut vendat rem suam tanto pretio alteri, quia hic actus est novus contractus, qui non supponitur in compromisso. Sextò ex laudo arbitri non datur actio, neque exceptio rei judicatæ, sed tantùm pœnæ petitio *l. 2. C. h. t.* nisi expressè, vel tacitè sit approbatum *l. pen. C. eod.* Secus ex sententia judicis datur actio, & exceptio rei judicatæ *C. de re judicata, & exception. rei judic.* Septimò in arbitrium id solùm venit, de quo actum est, ut veniret, *l. 21. §. plenum. ff. h. t.* quia arbitrium est stricti juris: secus in judiciū veniunt omnia, quæ expressè, ne venirent, non prohibentur *l. solemus 61. d. §. de judic.* Octavò in arbitrio non potest mora purgari, quia dies est præfixus ab homine *l. Celsus 23. §. h. t.* Secus in judiciis potest mora purgari, *l. sancimus 26. C. de fidejuss.* Nonò arbiter non potest alteri delegare arbitrium *l. 32. q. quæsitum ff. h. t.* Secus judex ordinarius potest vices suas delegare *l. more 5. ff. de jurisdic. l. 1. ff. de offic. ejus. cui mand. & jurisdic.* Decimò arbiter non potest punire contumaces, nec testes cogere, quia jurisdictionem non habet. Secùs judex potest contumaces cogere, & punire *l. 2. §. fin. ff. de judic.* Sunt aliæ plures differentiæ inter arbitros, arbitratores, & judices, quas exhibent Tuscus *littera A. conclus. 457. & seq.* Durand. *in spec. tit. de arbit. §. differentia.*

§. II.

Qui Arbitri esse possint; & qui compromittere in arbitros.

1 ARbiter esse potest homo liber, qui annum ætatis 25. compleverit, sive Pater, sive filiusfamilias, dummodo compos sit mentis, ac sui juris, & quicunque à lege non prohibetur, cujuscunque sit dignitatis, gradûs, & conditionis: habetur enim quoddam edictum de arbitris, quo prohibentur certæ personæ, ne in arbitros eligantur: in quo etiam arbitrariā imitantur judicia, quatenus etiam judices esse permittuntur, qui non prohibentur *l. cum Prætor. 12. ff. de judic.* hinc in arbitros non solùm ii possunt eligi, qui sunt integræ famæ, verùm etiam infames *c. infames. 2. §. cognitores. caus. 3. q. 7. l. Pedius. 7. in princ. ff. h. t.* eò quia arbitrium non sit res, quæ pertineat ad dignitatem, à qua excluduntur infames. Clericus itidem potest esse arbiter, & arbitrator *l. non distinguemus §. sacerdotio. ff. de arbit.* ut notat Joannes Andreas in *addit. ad spec. de arbit. §. post.* limitatur tamen in sacerdote, quia non potest esse arbiter, in tantùm, quòd si fiat compromissum in eum, quando est laicus, & pendente compromisso fiat sacerdos, illud expirat. *d. l. non distinguemus §. sacerdotio ff. de arbit.* Imò ut putant plures, possunt etiam eligi in arbitros, & arbitratores excommunicati, & Banniti, adeò ut valeat laudum latum, & compromissum; verùm id limitatur, quando laudum haberet executionem paratam, alioquin non valet latum ab excommunicato, vel Bannito.

Judæus itidem potest esse arbiter, & arbitra- 2
tor, ut notat Bart. *cons. 17. jus quoddam in princ. & per tot. lib. 2.* & quamvis in sententia plurium Judæus non possit esse arbiter, nihilominùs potest esse arbitrator Bart. *d. cons. 17. in princ.* Secus Monachus non potest esse arbiter, nec arbitrator, eò quia cùm sit civiliter mortuus, non habet velle, nec nolle, proinde ejus laudum nullam vim obtinet, ut notat Ancharanus *cons. fin. 1. eliciamus in princ.* Quinimò neque valet ipsum compromissum, ut ostendit Abbas *in c. quintavallis in 6. different. de jurejur.* Idque etiam intelligitur de cæteris aliis religiosis, qui habentur civiliter mortui, quia non possunt esse arbitri. Possent tamen esse arbitratores, ut ostendit Lanfranc. de Oria in *tract. de arbit. in chart. 4. in 2. & 3. coll.* Jas. *cons. 12. lib. 1* Ad quod tamen requiritur licentia sui superioris, alias sine licentia non potest esse arbitrator, etiam pro bono pacis, & concordiæ. Licèt fratres ordinis M norum cùm non habeant participationem bonorum temporaliū dicantur non posse e igi n arbitros, nec in arbitratores, cùm non sint capaces temporalium etiam habentium pietatem admixtam, ut notant Angelus *cons. 343.* Baldus *cons. 217. lib. 5.* nihilominus valere laudum latum à fratre minore, quando partes cum juramento promiserunt stare, & non opponere de nullitate; maximè si latum est præsentibus partibus, ut fusè ostendit Cornel. *cons. 2. lib. 2. per tot.* præsuppositâ tamen licentiâ sui superioris, ut notat *Anchar. cons. fin. in princ. & n. 6. V. sed* in contrarium; quod etiam asserit Alexander *cons. 80. in princ. lib. 5.* ubi expresè dicit, Monachum, & fratrem Ordinis Minorum posse eligi in arbitratorem de licentia sui superioris, & Bald. in *l. si quis ex consensu C de Episc. audien.* ait, licentiam superioris præsumi, quando laudum latum est præsentibus partibus.

In causa propria posse aliquem eligi arbitrato- 3
rem, sed non arbitrum ostendit Abbas *cons. 116. illud de jure coll. 3. n. 2. circa fin.* Notandum tamen, quòd tametsi possit quis esse arbitrator in causa propria: nihilominus verba, quamcunque liberam voluntatem denotantia in isto casu sem-

per important arbitrium boni viri propter suspicionem, eò quia judicet in causa propria; unde datur semper locus reductioni, ac si essent verba importantia arbitrium boni viri. Minor 25. annis non potest esse arbiter *l. cum lege ff. de arbit.* Quinimò licet tempore laudi superveniret ætas legitima, nihilominus adhuc laudum esset nullum, idque procedit in omni materia: quia non sanatur actus per supervenientem habilitatem: siquidem compromissum factum in minorem 20. annis non valet, sive compromittatur in arbitrum, sive in arbitratorem; sin verò sit major 20. annis, licet minor 25. non compellitur acceptare, si tamen acceptaverit, adigitur judicare, nisi petat restitutionem in integrum, proinde valet, juxta textum in *l. cum lege ff. de arbit.*

4 Quinimò possunt partes etiam compromittere in judicem suum competentem, ac proprium, ut causam, quæ coram illo agitur tanquam judex, arbiter definiat, ut asserit Glossa communiter recepta in *c. cum tempore 5. V. Magdeburgensis Archiepiscopus h. t.* & quoad judicem ordinarium habetur in *eod. c.* Glossa ibid. & clarius *c. ex parte 10. h. t.* ubi à partibus super causa electionis compromissum fuit in Archiepiscopum Coloniensem, qui erat Ordinarius compromittentium tanquam in arbitrum: siquidem tanquam arbiter præfixit diem partibus ad sententiam audiendam. Verùm in jure civili non videtur permitti, ut judex ordinarius accipiat arbitrium illius rei, de qua est judex, ut liquet ex *l. sed si in servum 9. §. si quis judex ff. h. t.* verùm plures interpretantur illam legem esse intelligendam in hoc sensu, quòd ibi solùm prohibeatur, ne judex ordinarius cogat partes litigantes, ut causam in ipsum compromittant; non verò ibi prohiberi acceptare compromissum, si sponte à partibus fiat in judicem, & non eo jubente: idque colligitur ex verbis, quæ statim sequuntur in *l. il. l. vel in se compromitti jubere prohibetur*, ubi particula *vel in se* non disjunctivè, sed copulativè sumitur: & hæc interpretatio est cæteris præferenda; quia quoties lex civilis est dubia est intelligenda secundùm determinationem juris canonici: siquidem in dubiis attenditur consuetudo, quæ habetur, ut optima legis interpres, proinde etiam ad jus canonicum recurrendum erit, cùm majoris sit authoritatis, quàm consuetudo; siquidem non est censenda differentia inter jus canonicum, & civile, nisi ubi clarè, & expressè apparet *argu. c. 1. de nov. oper.* atqui in jure canonico hæc quæstio est expressè decisa: proinde cum lex civilis sit dubia, erit exponenda secundùm jus canonicum, ut jura juribus concordentur.

5 Prohibentur verò in specie esse arbitri compromissarii, servi, qui non sunt sui juris *l. Pedius 7. §. 1. ff. h. t.* quia servi jure civili habentur pro mortuis, nisi liberi facti sententiam dixerint, & partes de novo in eos liberos factos consentiant *l. sed etsi 9. in princ ff. h. t.* vel nisi tempore compromissi pro liberis fuerint habiti, ac sententiam dixerint *argu. l. Barbarius 3. ff. de offic. Præt. & l. 1. C. de testament.* Rursus neque Pupilli, furiosi, muti, & surdi, compromissarii esse possunt *l. sed etsi. 1. nec minor 20. annis. l. cum lege 41. ff. eod.* Mulier itidem sicut jure communi prohibetur fungi officio judicis, eò quia fœminæ ab omnibus officiis civilibus, & publicis arceantur *l. fœminæ 2. ff. de R. I.* ita neque potest fœmina arbitrium dicere *l. fin. C. h. t.* quia arbitraria reducuntur ad similitudinem judiciorum *l. 1. ff. eod.*

6 Excipitur tamen, nisi mulier habeat jurisdictionem de jure communi, vel etiam juxta consuetudinem Provinciæ, nam semel quod admittitur ad judicium, etiam ad arbitrium, ut liquet ex *c. dilecti 4. h. t.* ubi Innocentius III. ait: *Quia juxta probatam consuetudinem, quæ in partibus Gallicanis pro lege observari solet, fœminæ præcedentes in suos subditos ordinariam jurisdictionem exercent, ideò mandat idem Papa Hospitalarios dictum arbitrium Reginæ, præsertim cum adhibito consilio Episcoporum providè latum, & ab utraque parte spontè receptum sit, observare.* licèt fœminæ ordinariè arceantur ab officio judicis, aut arbitri, excipiuntur tamen Reginæ, Ducissæ, & Principissæ, ad quas jure proprio, & hæreditario pertinent Regna, Ducatus, Principatus, quibus est jurisdictio annexa, ratione enim dominii possunt jurisdictionem exercere spectato jure communi, consequenter etiam judicare, & arbitrium ferre. Unde mulieres non prohibentur judicare, & arbitrium ferre ob incapacitatem, alioquin nunquam possent judicare; tametsi in dignitatibus constitutæ, quia à potentia incapaci non potest haberi actus: sed prohibentur, quia minus decens sit, ut mulier virilibus se immisceat muneribus. Cæterùm, quia dominium, & jurisdictio subinde nectuntur simul essentialiter, ut non possint separari, & fœmina in dignitate constituta, possit exercere dominium, ita etiam jurisdictionem, quia unus actus trahit secum alterum.

7 Compromittere in arbitos possunt generatim, quicunque habent rerum suarum liberam administrationem: qui enim non potest de rebus suis liberè disponere, neque potest super illis compromittere *argu. l. non 4. C. de præd. minor.* & desumitur ex *c. cum tempore 5. h. t.* ubi habetur, quod non valeat compromissum, si fiat in præjudicium exemptionis, quia exemptus, non potest renunciare suo privilegio, si sit Ecclesiasticus, sine facultate summi Pontificis, consequenter non potest æquè super eo compromittere, quia per compromissum deveniri potest ad alienationem, quæ non potest fieri à Prælato exempto Ecclesiastico, saltem cum effectu. Hinc non valet compromissum sine potestate in persona compromittente, quapropter Pupillus si absque tutoris authoritate compromittat, compromissum non valet *l. si Pupillus 36. ff. h. t.* si minor pubes habet curatorem sine cujus authoritate compromittat, neque obligatur compromisso: sin verò curatorem non habeat, compellitur stare compromisso, aut pœnam solvere, perinde ac si esset majorennis, ut desumitur ex *l. labeo 3.* juncta Glossa. *V. commissæ, & V. dabitur ff. eod.* quòd si læsus fuerit, succurritur ei per beneficium restitutionis in integrum. Prælatus itidem de rebus Ecclesiæ, quas alienare non potest sine consensu Capituli, neque potest super iis compromittere; ad id enim præter consensum capituli requiruntur

etiam

etiam solemnitates requisitæ ad alienationem rerum Ecclesiasticarum. Neque Vasallus super fœudo compromittere potest sine licentia veri domini, ut notat Hostiensis in *sum. hic. n. 7.* cum Claro §. *fœudum q. 39.* quia de re non propria, sicut non potest quis liberè disponere; neque potest de eadem facere compromissum; nisi ex tali compromisso non posset sequi alienatio fœudi. Religiosus itidem absque licentia sui superioris non potest compromittere, tametsi administrationem habeat. Excommunicati nec possunt compromittere, quia tales à communione fidelium excluduntur *c. penult. inf. de sent. excommun.* servata tamen moderatione, quæ habetur in Concilio Constantiensi: similiter laicus non potest assumi in re spirituali *c. contingit 8. h.t.* nec principaliter, nec incidenter *c. decernimus inf. de judic.* nisi assumatur junctim cum Clerico ex authoritate judicis Ecclesiastici *c. per tuas h.t.* & fusè Covarruvias *pract. quæst. 24. num. 1.* alioquin in causa civili potest in laicum etiam à Clericis compromitti *c. dilecti h.t.*

§. III.

Quid sit compromissum, & de causis, in quibus potest compromitti in arbitros?

1 Compromissum est species transactionis præsertim quando est voluntarium, imò est quædam transactio, adeò ut sicut non valet transactio super re non debita, ita neque compromissum Alexander *conf. 22. viso instrum. n. 3. lib. 1.* ubi Apostill. in *V. transactio* quia laudum propriè est transactio, quando fuit latum, & approbatum à partibus, in quo sensu intelligitur, cùm dicitur, quòd compromissum sit quædam transactio, scilicet post laudum approbatum, ut notat Decius *conf. 60. viso themate coll. 3.* siquidem laudum ante approbationem propriè non est transactio. Imò compromissum in tantum est species transactionis, ut per statutum prohibens fieri transactionem comprehendatur etiam compromissum per æquipollens; maximè quando compromissum est de jure, & de facto, quia tunc perinde ac transactio debet impleri, & ex eo censetur remissa pœna; sicut ex transactione Cast. *conf. 329. quod Namus, & Corus in fin. lib. 1.* Quòd si compromissum fiat coactè mandante statuto est species judicii, quod redditur in invitum, ut ostendit Fulgos. *conf. 119. n. 3.* siquidem sententia arbitri ex compromisso necessario electi vigore statuti habet vim sententiæ judicis Abbas *conf. 77. videtur 1. in fin. lib. 2.*

2 Compromissum autem in arbitros tribus præsertim modis fieri debet, scilicet vel adjecta pœna, vel sine pœna ulla, vel cum jurejurando: priori modo sit per adjectam pœnalem stipulationem, ut saltem metu pœnæ stetur compromisso, neque refert qualis pœna sit, an certa, vel incerta, vel quid aliud *l. non autem 23. ff. eod.* dummodo utrinque promittatur *l. litigatores 11. §. 4. ff. eod.* in quo casu, qui non stat compromisso, & sententiæ arbitri liberatur non solùm in jure civili *l. 1. & authent. decernit jus novum C. eod.* sed etiam jure canonico *c. dilecti 4. c. per tuas 9. h. t.* tametsi taciturnitas decem dierum intervenerit, nisi simul cum pœna apponatur clausula, manente compromisso, ut explicat Glossa in *d. c. dilecti in fin.* quia reverà sunt duo compromissa; unum pœnale, & alterum purum, ex quo etiam soluta pœna agi potest. Quando nulla adjicitur pœna, tunc contra non stantem compromisso competit actio ad interesse *c. per tuas 9. h. t.* hoc tamen est discrimen inter jus Codicis, & canonicum, quia in illo hæc sententia arbitri nisi pœna per stipulationem adjecta fuerit, aut compromissum stipulatione confirmatū, non nascebatur actio, vel exceptio, quomodocunque fuerit compromissum, eò quia jure civili ex nudo pacto non datur actio. Secus in sententia judicis res se habuit, quia ex ipsa oriebatur actio actori, ut etiam reo exceptio *l. in judicati ff. de re judic. & tot. tit. ff. de except. rei judic.* lure codicis ex sententia arbitri homologata, seu expressim approbata per subscriptionem, vel saltem tacitè per silentium decem dierum, oritur actio, & exceptio, sive pœna fuerit adjecta, sive non *l. cum antea 5. C. eod.*

3 Quòd si compromissum fuerit jurejurando firmatum, tunc illicò oritur actio, & exceptio *l. ne in arbitris 4. C. eod.* si verò compromissum non sit jurejurando firmatum, tunc intra decem dies ab arbitrio licet resilire. Hinc consultiùs censebatur eò jure pœnam stipulare: sed Justinianus postea prohibuit compromissum fieri sub juramento *l. 1. & authent. decernit jus novum C. eod.*

4 Jure canonico tamen semper ac indistinctè standum est compromisso, sive hoc fuerit homologatū, sive non; & sive adjecta pœna per stipulationem, vel per nudum pactum, in sententia existimantium jure pontificio ex nudo pacto dari actionem, adeò ut si non stetur arbitrio, competat actio ad interesse *c. 1. & c. per tuas h. t.* Quòd si compromissum fuerit utrinque jurejurando firmatum, omninò servari debet, adeò ut nec contingat liberatio ex solutione ejus quod interest, & ex illo oritur actio, ut ostendit Panormit. in *c. per tuas.* nisi compromissum sit contra scientiam, vel sapiat simoniam, ut si arbiter fuerit arbitratus, ut pro beneficio Ecclesiastico solvatur tanta pecunia: quia tunc non est standum arbitrio etiam jurato; siquidem ad peccandum, nec per juramentum potest se quis obligare *c. 2. h. t.*

5 Compromissum potest fieri per venditionem rei super differentia ipsius etiam inscio, & invito emptore, & valet laudum latum contra promittentem, quia licet non possit exequi super re, exequitur tamen super æstimatione Bald. *conf. 31. procul dubio dictum compromissum lib. 4.* quia compromissum potest fieri de omnibus, & super omnibus, quæ non prohibentur: hinc potest fieri compromissum de pœnis maleficiorum de præterito, licèt non de futuro. Bald. *conf. 97. proponitur quòd n. 2. V. super alio lib. 5* non tamen pro causa spirituali, ut an talis contractus sit usura nec ne; neque potest compromitti in laico nisi esset super usura inducta de jure statutario, seu super pacto, adeò ut posset causa per sæcularē cognosci, quia tunc nil prohibet in laicos compromitti; ut notat Castrens. *conf. 210. lib. 2. per toi.*

Non

Non tamen ea possunt compromitti super quibus non potest dari transactio, hinc sicut illa non valet super lite ficta, ita nec compromissum *l. 1. ff. de transact. l. post rem, & l. cùm ii §. si cum lis ff. eod.* Neque compromissum ea comprehendit, quæ minimè in rerum natura censentur deducta, ut est successio ex fideicommisso vivente testatore Castrens. *conf. 124. ego Paulus lib. 2.* hinc non valet compromissum super successione viventis, quia est quid turpe, ideò cùm compromissum ad turpia non extendatur, nullum sortitur valorem.

6 Generatim super qualibet causa, seu re compromitti in arbitros potest, nisi legibus prohibeatur. Sunt autem quædam de quibus in utroque jure canonico, & civili prohibetur compromitti. Causæ enim, quæ in majoribus judiciis expediri debent ob difficultatem, quam ingerunt, ac præjudicium, quod afferrent, arbitris non possunt compromitti, cujusmodi sunt causæ matrimoniales, in quibus sicut non habet locum transactio, ita nec compositio amicabilis, ut desumitur ex *c. ult. de transact.* præsertim si de valore matrimonii agatur; hinc Concilium Tridentin. *sess. 24. c. 20. de reformat.* statuit, ut causæ matrimoniales non nisi Episcopi relinquerentur examini, & jurisdictioni, quod est intelligendum de causis matrimonii carnalis, non verò spiritualis, ut est causa electionis, vel alia beneficiaria: quia in his causis possunt assumi arbitri, ut desumitur ex *c. ex parte 10. h. t.* Prohibentur itidem compromitti causæ liberales, in quibus agitur de hominis libertate, ingenuitate, vel libertinitate: quia hæ causæ favore libertatis majores exigunt judices, proinde non possunt arbitris committi *l. non distinguemus 32. §. de liberali ff. h. t.* tametsi arbiter incidenter cognoscere possit de causa status *l. cùm proponas 6.* juncta Glossa *fin. C. de reb. cred.* Prohibentur etiam causæ criminales publicæ, & privatæ, sive criminaliter intententur ad publicam vindictam, pœnámque corporalem, sive ad pœnam pecuniariam applicandam fisco, & si defacto hujusmodi causæ committantur arbitris, non tamen compelluntur illi sententiam dicere *d. l. non distinguemus §. Julianus ff. h. t.* quia partes non habent authoritatem remittendi talem pœnam: nec crimina privata, sed publica authoritate remittuntur, vel vindicantur. Sin autem agatur tantùm de crimine civiliter ad pœnam pecuniariam ipsi parti applicandam, posse tunc compromitti in arbitros, asserunt plures cum Glossa *in d. l. non distinguemus §. Julianus V. famoso delicto.* Prohibentur etiam compromitti, quæcunque pertinent ad nobile officium judicis, proinde, quæ spectant ad merum, & mixtum imperium, quia hæc exigunt jurisdictionem, quâ carent arbitri, qui non nisi meram habent cognitionem causæ, Abbas in *citat. c. penult. n. 4.*

7 Neque compromitti potest in arbitros de iis, quæ in detrimentum cederent Ecclesiæ, hinc nec Prælati, nec clerici exempti, & immediatè subjecti Ecclesiæ Romanæ, seu summo Pontifici possunt compromittere in præjudicium exemptionis sine consensu Papæ, quia id tenderet in præjudicium Apostolicæ Sedis, ut deducitur ex *c. cum 5. h. t.* & licèt Ecclesia exempta, ac immediatè subjecta Sedi Apostolicæ gaudeat aliqua libertate respectu Episcopi, in cujus diœcesi sita est, non tamen omnimoda libertate donatur: quia adhuc immediatè subjicitur Apostolicæ Sedi, proinde sine ejus consensu non potest super rebus Ecclesiasticis compromittere. Neque huic privilegio exemptionis, seu immediatæ subjectionis Sedi Apostolicæ potest renunciare absque licentia, & authoritate Pontificis, quia talis cessio fieret in detrimentum Ecclesiæ Romanæ, ad cujus proprietatem pertinet.

Hinc super jure exemptionis non potest compromitti, si exemptus non possit directè illi renunciare, tunc enim neque indirectè per compromissum, alioquin posset fieri arbitrium contra exemptionem, ut notavit Abbas hic *n. 3. notan. ult.* Tum quia nullus inferior Papa potest cognoscere de privilegiis Sedis Apostolicæ, tanquam judex *c. cùm venissent 12. de judic.* consequenter neque ut arbiter *l. cum lege 41. ff. h. t.* & tametsi partes in iis, quæ concernunt eorundem favorem, possint se spontè subjicere arbitrio alicujus tertii, non tamen potest arbiter assumere cognitionem super privilegio summi Pontificis, ad quem solùm pertinet judicare de exemptis *c. authoritate 8. de privilegiis in 6.* 8

Neque compromissum fieri potest de iis, quæ semel laudata fuerunt, seu, quæ per sententiam indubitatam, & quæ transivit in rem judicatam decisa sunt, ut desumitur ex *c. exposita 11. h. t.* & *l. post rem* ubi Bartol. & alii *ff. de transact.* & *l. si jam cognita C. eod.* Decius *conf. 99. n. 3.* Angelus *conf. 94. in 6. V. non sufficit sola controversia facti*, quia non potest compromitti res clara, nisi in specie renuncietur, ut fiat mentio de re judicata, quæ obstaret Decian. *conf. 39. n. 5. & sequent.* 9

Cæterùm censent plures, valere compromissum super decisis per rem judicatam, quando post rem judicatam passæ sunt partes, deduci iterum in controversiam semel decisa, & postea de controversis petierunt compromissũ: quia comprehenditur tunc res judicata iterum in controversiam deducta. Si tamen controversia non est super re judicata, nisi ex altera tantùm parte, eò quia alia pars protestetur, & recuset deduci in controversiam: in hoc casu compromissum non dicitur factum super decisis, quia protestatio conservat jus protestantis in contrarium, ut notat Decian. *conf. 72. n. 38. lib. 4.* quod procedit, quando compromissum non comprehendit semel decisa per rem judicatam, quando fuit facta protestatio; & pars, quæ est protestata, nil egit, sed tantùm tacuit: secus si actum positivum post protestationem facit disputando de comprehensis in re judicata, ut observat Felin. in *c. inter Monasterium. n. 21. & n. 23. de re judic.* Rursus si post rem laudatam novæ oriantur controversiæ, & quæstiones per sententiam latam non decisæ, de illis potest compromitti in arbitros, ut desumitur ex *c. exposita 11. h. t.* ubi præcipitur irritari arbitrium, seu laudum arbitri, quia pronunciaverit super rebus jam decisis per legatum, cùm tamen non super illis, sed super controversis post sententiam, ad quas sententia 10

lata

lata non se extendebat, compromittatur; siquidem episcopi non poterant compromittere super juribus Ecclesiæ per sententiam legati jam acquisitis: neque intentio Honorii III. fuit concedere tale compromissum Duci Venetorum, vi cujus posset arbitrari super controversiis per sententiam legati decisis, ut desumitur ex *d. c. exposita* sed solùm ut partes componeret, vel ferret arbitrium super controversiis postea exortis: & quia arbiter limites excessit compromissi, hoc nullius fuit valoris, quia arbitrium non extenditur nisi ad ea, quæ exprimuntur in compromisso. *c. cum dilectus 6. h. t.* & *l. non distinguemus 32. §. item si jubeat ff. h. t.*

11 Valet compromissum in quatuor arbitros cum facultate, quod duo soli concordes possint laudare, & laudata semel corrigere; quia si illi, qui semel laudârunt concordes præoccupando alios, sint tales etiam in reformando, vel revocando semel laudata, id censetur permissum: secus si duo ex quatuor laudâssent, & alii duo, qui non laudârunt revocâssent, seu reformâssent: quia id non possunt, ut notat Castrensis *cons. 225. visis, & considerat. lib. 1.* ubi docet, hanc esse meliorem interpretationem, siquidem qui præoccupat in principali, censetur præoccupare etiam in connexis, & dependentibus, & ne alii destruant facta ex rancore. Cæterùm compromissum generatim sumptum non continet semel laudata decisa, & quæ per sententiam transierunt in rem judicatam; adeò ut laudum latum super laudatis sit nullum, ac si latum esset super non compromissis, ut notat Castrensis in *l. post rem. in fin. ff. de transact.* ratio est, quia compromissum exigit fieri super lite, & re dubia *argu. text. in l. 1. §. de transact.* proinde non potest comprehendere, quod per laudum, & sententiam transivit in rem judicatam, quia tunc res non ampliùs est dubia, sed clara. Imò procedit etiam appositâ clausulâ, *quòd super omnibus laudatis censeatur factum compromissum*; quia non intelligitur operari quoad semel laudata, ut notat Bart. in *l. si causa cognita C. de transact. & in l. post rem. ff. eod.* Neque si res per sententiam transierit in rem judicatam, potest ampliùs censeri dubia, nec possunt partes fingere rem dubiam, ut valeat compromissum, & laudum, quia lex resistit potestati compromittentium *l. cùm ii §. si cum his*; ubi Jas. *ff. de transact.* Castrens. in *l. 1.* Angelus *cons. 66. n. 4.* Decius *cons. 39. n. 3.* & Socin. *cons. 282. n. 3. & 283. & 5. & sequent. lib. 2.* asserit, hanc esse sententiam communem, quamvis contrarium teneat Bald. *l. 1. ff. de transact.* Imò procedit, secundùm jus civile, tametsi in compromisso fuerit juratum: quia licèt juramentum super transactione invalida interpositum, eam corroboret, ac valorem conferat *l. si quis major C. de transact.* Non tamen ita contingit in compromisso, quod licèt sit quædam transactio; intelligitur tamen secuto laudo, quia laudum est purificatio tacitæ transactionis, ut notant Bald. in *l. si finis ex consensu coll. 2. C. de Episc. audien.* Bart. *cons. 87. factum tale est, & cons. 159. visa quadam constitutione.* Unde juramentum interpositum super compromisso non intelligitur interpositum super transactione: argumentum tantum procederet, si super laudo faceret valere in vim pacti, & transactionis, licèt non in vim laudi valeret *l. 2. C. cum utrinsque judic.* est enim de natura juramenti, ut reguletur secundùm naturam contractûs, super quo juratur *l. fin. C. de non numer. pecun.* siquidem juramentum licet suppleat defectum solemnitatis, non tamen se extendit ad consensum, ut docent Bart. *in l. si quis pro eo in fin. princ. ff. de fidejuss.* Alexander *cons. 28. lib. 3.* Aret. *cons. 24. coll. 2.* Juvat observare, quòd si fiat compromissum de differentiis vertentibus inter compromittentes, causa, & occasione sententiæ, & inde dependentium, & connexorum, non tamen ipsa sententia censetur venire in compromisso, adeò ut omnia debeant iterum initiari: quia aliud est sententia, & aliud lis occasione sententiæ *text. in clement. causam de elect.* ubi in commissa causa appellationis occasione electionis non comprehenditur electio, nisi hæc exprimatur, quia compromissum est stricti juris *l. diligenter. ff. mandat.* alioquin inverso ordine accessorium traheret principale, & causatum traheret ad se causam.

§. IV.

Proponuntur, & diluuntur aliquot selectæ quæstiones de Compromissis.

Quæritur primò, quando compromissum alieno nomine factum valeat, & quando non? Respondetur, compromissum factum per unum nomine alterius, pro quo de rato promisit, si feratur laudum contra hunc, non ei nocet, si ratum non habuit: ut si Petrus compromisit nomine Pauli, pro quo de rato promisit, si feratur laudum contra Paulum illi non nocet, si ratum non habuit, quia dicitur res inter alios acta *c. per tuas*, ubi Abbas *in 2. not. de arbit. text.* juncta Glossa *in c. qui ad agendum de procur. in 6.* quod procedit etiam in habente mandatum generale. si enim compromittat nomine Procuratorio cum promissione de rato, non obligat principalem, quia ad id requiritur speciale mandatum: ubi enim hoc requiritur, non sufficit cautio rati, ut benè ostendit Socin. *cons. 18. n. 57. lib. 3.* hinc compromissum factum à marito super re, vel dote uxoria non valet in præjudicium uxoris; & latum laudum, quoad uxorem nullius est valoris, tametsi compromissum necessariò esset faciendum vigore statuti juxta *l. novissimè ff. quod falso*, Jas. in *l. 2. C. de transact.* Felin. *in cap. cum M. Ferrariensis de constit.* Generatim, ut compromissum nomine alieno valeat, requiritur semper speciale mandatum in individuo, Abbas *in c. per tuas col. 4. V. not. secundo. & tene menti. de arb.* Decius *cons. 60.* Castrens. *cons.* si enim mandatum speciale non interveniat in compromisso, tam compromissum, quàm laudum est nullius valoris *l. in causæ ff. de Procur. l. licèt C. eod. l. licèt C. de judic.* Quinimò non potest Procurator ad compromittendum prorogare compromissum absque speciali mandato; quia mandatum ad compromittendum non extenditur, ut possit Procurator approbare laudum sine speciali mandato ad ratificandum, maximè si agatur de magno præjudicio domini

mini per talem ratificationem, quæ dat valorem laudo in vim pacti, & transactionis, ut notat Bart. in *l. expressim in 2. q. ff. de appellat.* Hinc si mandatum tantùm esset ad compromittendum super litibus, & arbiter laudaret super eo, quod non est lis, tunc homologatio laudi facta per talem Procuratorem nullum sortiretur valorem, quia mandatum ad compromittendum non est sufficiens, ut Procurator compromittat in facto proprio, vel in causa, in qua habet interesse *l. creditor §. Lucius, & l. si tibi mandavero §. si tibi centum ff. mandat.*

2 Quæritur secundò, an ad confirmandum compromissum possint obsides permitti. Respondetur affirmativè: siquidem ut partes stent compromisso, possunt dari obsides, quia partes ut faciliùs possint componi, possunt compromittere in arbitros super differentiis, & simul dare obsides, ut non liceat recedere à laudo, seu à sententia data per arbitros. Imò consuetudo invaluit ut inter viros Principes, & potentes, ad confirmandum compromissum dentur obsides, sine quibus non facilè possent conveniri, vel cogi ad observandum, & mandandum executioni arbitrium, seu laudum, ut observat Abbas *hic n. 1. not. 3.* postquam tamen arbitrium est revocatum, & rescissũ, debent obsides à partibus arbitro dati restitui, quia sublato principali tollitur accessorium

3 Quæritur tertiò, an si in duos, vel plures arbitros, ea conditione compromissum sit à partibus ut si inter se dissenserint, tertium aliquem assumant, nemine tamen in singulari nominato à partibus, quem eligere debeant, compromissum validum sit. Respondetur, tale compromissum esse invalidum, ut desumitur ex *l. item si unus 17. §. si in duos ff. h. t.* ubi etiam innuitur ratio, quia fieri posset, ut etiam in assumendo tertio, si is à partibus nominatus non sit, arbitri discordent; & quia inde poneretur impedimentum causæ expediendæ, ideò ex jure tale compromissum nullum sortitur valorem, ut desumitur ex *c. innotuit 12. h. t.* ubi Gregorius IX. declaravit, tale compromissum esse nullum. Cæterùm possunt partes etiam in causa delegata à Papa recedere à judicibus delegatis, quando in favorem partium facta est delegatio, quia possunt renunciare favori *c. ad apostolicam 16. de regular.* & compromittere in arbitros; non ita tamen, si causa delegata sit ob favorem publicum: quia tunc privati non possunt renunciare favori concesso communitati. Possunt tamen judices delegati ex consensu partium compromittentium in arbitros retinere sibi potestatem exequendi sententiam ab arbitris ferendam super causa delegata, & compellendi partes ad observandum laudum; quia si id fiat ex consensu partium Gregorius IX. in *d. c. innotuit*, non improbat. Possunt etiam partes, quæ in causa delegata relictis judicibus delegatis, compromiserunt in arbitros, si velint re adhuc integra redire ad judices delegatos absque nova delegatione, quia eorum jurisdictio durante controversia non expiravit: siquidẽ rescripta ex sua natura sunt perpetua, sicut & jurisdictio, proinde si per arbitros causa non decidatur, possunt delegati, eam reassumere, quia compromissum est voluntarium, & arbitri accipiunt potestatem à partibus, quæ proinde possunt, si velint, à compromisso facto recedere, quia jurisdictio datur à lege, aut superiore, & exercetur etiam in invitum, proinde non extinguitur, tametsi partes arbitros compromissarios elegerint. Rursus etiamsi arbitri non discordarent in assumendo tertio, adhuc compromissum esset invalidum: quia quod ab initio est nullum, non potest convalescere, per id, quod postea sequitur: unde quòd arbitri consentiant in electione tertii, talis consensus non facit, ut compromissum, quod antea erat invalidum postea convalescat; quinimò ex nullitate compromissi ob adjectam conditionem omnes actus subsequentes irriti sunt, adeò ut nec ipsa sententia concors duorum arbitrorum sit valida, eò quia lata sit ex compromisso invalido, ut docet Abbas in *d. c. innotuit h. t. n. 8. in 3. cas.*

Quæritur quartò, an compromissum in certum judicem extendatur ad alium. Respondetur, eum qui promittit stare mandatis certi judicis nõ posse conveniri ex illa obligatione coram alio judice, quia obligatio est stricti juris, & inclusio unius est exclusio alterius Cald. *cons. 124.* id etiam procedit, quamvis alicui judici ordinario detur facultas revocandi certam dispositionẽ, imò etiã in judice ordinario ex accidenti in certo loco; quia revocato, & mortuo tali judice prout in legato, vel in concilio generali expirat jurisdictio, ut notat Gemin. *cons. 65. n. 9.* hinc si Concilium generale coactum in uno loco dissolvatur, vel revocetur; licèt Patres iidem vellent in alio loco illud prosequi, nihilominus expirat facultas data restrictè ad Concilium in tali loco, ut notat præfatus Gemin. *d. cons. 65. n. 9. & 10.* pari pacto in compromisso facto in Arbitros, vel Arbitratores; per mortem enim eorum expirat compromissum; etiamsi unus tantùm moriatur. 4

Quæritur quintò, quot sint formæ compromissorum. Respondetur, esse varias, pro ut partes simul conveniunt ad compromittendum. Bald. *cons. 494. lib. 5.* exhibet unam formam latissimi compromissi, ratione cujus arbiter potest plures sententias ferre, declarare, ac pleraque alia præstare; adeò ut forma compromissi sit amplissima. At compromissum si fiat, ut procedatur de jure, & de facto; sed in ferenda sententia, non nisi de jure, habet in se formam specialem, quæ si non servetur, laudum nullius est valoris, tametsi juramentum esset nullitati adjectum, quia non censetur renuntiatum huic nullitati, quod verum est in jure civili, ut notat Fulg. *cons. 180. viso process.* Subinde compromissum fit tacitè, & tunc contingit, quando partes præsentes nullo alio facto compromisso, petunt ferri laudum, ac spondent eidem stare; ratio est, quia volens consequens, censetur velle antecedens necessariò connexum cum consequente, ut notat Alexand. *cons. 84. n. 3. lib. 5.* siquidem non minùs facto, quàm verbis probatur, & approbatur compromissum, & consensus: proinde, si fiat processus coram aliquo tanquam arbitro, & producantur jura, & petatur pronuntiari, ex hisce actis inducitur compromissum, & laudum inde latum suum sortitur valorem, ut ostendit Anchar. *d. cons. 261. per tot.* quia in casibus, in quibus potest 5

fieri

fieri compromissum expressè, potest tacitè induci ex præsentia, quando laudum fertur super iis, de quibus potest compromitti, non ita de aliis, ut notat Socin. *cons. 104. n. 4. lib. 4.* ubi ait, quòd in casu, quo possunt de novo compromittere, præsentia prolationi laudi, & patientia habetur pro tacito compromisso: & ratio est, quia prohibitum expressè ex una via debet esse permissum alia via *l. oratio ff. de sponsal.* siquidem non plus debet operari fictio in casu ficto, quàm veritas in casu vero. Hinc si feratur laudum partibus præsentibus, & non contradicentibus, licèt non constet de compromisso, adhuc laudum suum sortitur valorem, quia eò ipso, quòd non contradicunt, censentur compromittere laudo, Alexander. *cons. 84. super consult. n. 3. & seq. lib. 5.*

6 Quæritur sextò, an possit quis adigi ad compromittendum. Respondetur generatim à judice inferiori non posse partes compelli, ut compromittant: siquidem est regula generalis, quòd judex non possit partes compellere ad compromittendum, quia id est de reservatis Papæ, vel supremo Principi, ut notat Alexander *cons. 62. in causa, & lite in princ. lib. 7.* Tum quia compromissum debet esse omninò voluntarium, proinde de jure comuni nemo compellitur Bart. in *l. forti §. qui jussu. ff. de his. qui notam infamia* Alexander *in l. quidam æstimaverunt, ff si certa petit.* Cornel. *cons. 76. fol. 1.* & *cons. 65. fol. 4.* Soc. *cons. 221. fol. 2.* & alii asserentes communiter, quòd judex non possit compellere partes ad compromissum, eò quia hoc debeat esse voluntarium, & liberum, & Bald. in *l. si quis ex consensu. C. de Episc. audien. n. 3.* ait, compromissum esse ipso jure nullum, si per vim factum fuerit. Limitatur tamen, quia si lis esset inter Principes, & periculum immineret belli, & scandali, tunc possent compelli ad compromittendum *argu. l. congruit ff. de offic. præsidis. authent. de mandat. Princip. §. res*, ut etiam possunt compelli partes ad compromittendum, si lis diu duraverit, nec affulgeat spes, ut debeat absolvi, tunc enim supremus Princeps potest compellere partes ad compromittendum per textum in *c. placuit 10. dist 4.* ut etiam si causa sit valdè dubia, & non reperiatur decisio casûs, & utrinque militent rationes, & fundamenta plura, ut notat Anchar. *cons. 111.* Afflict. *decis. 149. ad leg. fin.* Non tamen pertinet ad judices inferiores compellere partes ad compromittendum, sed ad solum Papam, vel supremum Principem, ut ostendit Alexander *cons. 61. in princ. lib. 7.*

7 Quæritur septimò, an tempus compromissi statim post factum compromissum incipiat currere? Variæ sunt opiniones, aliqui asserunt, tempus compromissi facti in certos arbitros per duos, vel tres Menses non incipere currere, nisi à die acceptionis, Alexander *cons. 34. viso. fol. 1.* Fulg. *cons. 168.* Soc. *cons. 87. pensatis his colun. 1. l. 4.* & plures alii, quos citat, & sequitur Blancus in *tract. de compromiss. q. 1. n. 34.* Alii censent, tempus compromissi non currere, nisi à die, quo arbiter potuit partibus præsentibus arbitrari, & citatur pro hac opinione Bald. in *l. 1 §. c. de lege Corradi in usib. fæud.* cui adhæret Bolog. *in adit. ad consult.* Joan. de Anania 19. *n.* 18. verùm ibi loquitur de compromisso facto sine tempore, quod per annum expirat. Cæterùm communior sententia est, quòd incipiat à die acceptionis, quia si in causa appellationis fiat compromissum, statim currit, cùm arbiter acceptavit compromissum. Dies tamen compromissi non comprehenditur in termino compromissi regulariter. *l. 1. ff. si quis caut.* ubi Jas. asserit, esse sententiam communem; cæterum eatenus compromissum exigit acceptionem, ne ante acceptionem incurratur pœna ex contraveniente, ut notat Alexander *cons. 34. n. 4. V. fortificantur lib. 1.* Imò non intelligitur factum compromissum nisi post acceptionem arbitrorum Glossa in *l. si cum dies ff. de arbit.* Imò acceptio intimata per litteras privatas, & per instrumentum non operatur nisi à die acceptionis per instrumentum, quia acceptio privata non relevat, si non fuerit notificata partibus & publicata. Alexander *d. cons. 34. n. 5. V. super eo lib. 1.* debet etiam acceptio compromissi, ita notificari partibus, ut non sufficiat, si uni tantùm parti sit facta notificatio: quia tunc videtur dolosa: quòd etiam intelligitur de prorogatione compromissi facta vigore facultatis concessæ arbitro, quia non valet, nisi sit notificata, Alexander. *d. cons. 34. n. 5. usque in fin. l. 1.* Excipitur tamen nisi compromissum sit factum per dictionem, *hinc ad 25. dies, vel triginta*, quia tunc illa particula *hinc* operatur, quod de momento ad momentum currit tempus à facto compromisso ex *text. in l. placet C. de sac. Eccles.* Hinc si laudum esset latum per horam post diem compromissi, nullius esset valoris, quia quando tempus est determinatum ad aliquid faciendum, non potest impleri per tempus posterius Bald. in *l si plures n. 33. V. secus si tempus esset expressum.* Tum quia regulariter omne tempus computatur de momento ad momentum, nisi aliter reperiatur in jure dispositum, Glossa in *l. 3. §. minorem. ff. de minor.* Quòd si compromissum fiat per duos menses, debent sumi menses tot dierum, quot sunt dies illius mensis, in quo factum est compromissum, Glossa in *c. quam sit V. mensem de elect. in 6.* Bart. in *l. cùm bissextum ff. de verb. signif.* Si tamen compromissum sit factum in arbitrum per 40. dies utiles, tunc non currit instantia tempore feriarum, messium, vindemiarum, & inductarum à statuto, ex quo arbiter est instar judicis Bald *cons. 5. statuto civitatis in prin. juncto fin. l. 1* Id tamen limitatur in compromisso facto in arbitratorem, seu amicabilem compositorem, quia non dicitur judicium coram eo agi: sed tunc compromissum tantùm habet vim transactionis, ad quam omne tempus est utile, nisi adsit impedimentum legitimum, ut infirmitas, & quid simile: quia tale tempus non censetur utile. Bald. *cons. 6. per tot. n. 3. V. præterea lib. 1.*

Quæritur octavò, an si fiat prorogatio compromissi, censeatur esse idem compromissum. 8
Respondent communiter, non esse idem compromissum, quoties aliquid est additum, vel diminutum in prorogatione Bald. *cons. 436. quæritur circa medium V. præterea. lib. 1.* Idque etiam procedit, si electio tertii fiat in prorogatione: siquidem est novum compromissum, quia prorogatum est idem cum termino, ad quem fit prorogatio, quoad partes, sed respectu tertii est diversum,

sum; cùm fidejussor in termino prorogato non teneatur *l. item labeo* 2. § *pen.* Bald. in *l. amilius in 4. not. ff. de minor.* Alexander. *cons. 72. Habita in princ.* Decius *cons. 63. & pro tenui.* Bellam. *cons. 24. n. 5. V. tertiò dubitatur.* ubi ait, quod tunc compromissum sit idem quoad partes, non item quoad tertium. Cæterùm prorogatio compromissi intelligitur facta cum omnibus suis quali-
8 tatibus Bart. in *l. 1. §. & post oper. ff. de nov. oper.* siquidem prorogatum assumit omnes qualitates, & conditiones, & secum trahit omnia priora accessoria, ut notat Tiraquel. de *retract. convent.* §. 1. Gloss. *7. n. 27.* ut autem prorogatio validè fiat, quinque requiruntur. Primò quod data sit facultas in compromisso. Secundò ut partes ambæ consentiant; Tertiò, quòd arbiter hoc approbet; Quartò, quòd prorogatio fiat durante adhuc termino compromissi; Quintò quod intimetur partibus, quia tametsi data esset facultas arbitris prorogandi compromissum partibus absentibus, adhuc esset intimanda prorogatio, alioquin laudum non sortiretur suum valorem. Decius *cons. 39. Iuridicam in princ.* Alexander *cons. 34. lib. 1. in fin.* Ias. in *l. Nec quidquam §. ubi decretum. ff. de offic. Proconsulis.* Quòd si in compromisso datus est fidejussor, prorogatio debet fieri citato fidejussore, vel saltem est illi intimanda, alioquin laudum esset nullum Aret. *cons. 78. in fin.*

9 Quæritur nonò, quænam comprehendantur in compromisso Generali. Certum est, compromissum generale non comprehendere ea, quæ clara sunt, & liquida, quia super liquidis, & claris non valet compromissum, nisi expressè renunciatum sit, adeo ut non sufficiat generalis renunciatio, sed requiratur specialis, & expressa, ut notat Decius *cons. 39. col. 2. in. prin.* Hinc laudum est nullum, si latum sit super claris, liquidis, vel semel jam decisis; nec relevat negatio partis, quòd non sint liquida, & clara: quia si constat per sententiam, vel instrumentum, dicitur res esse notoria, & probatio probata *l. 1.* ubi communiter jurisperiti cum Bart. *C. de procurat.* Hinc quàndo ante sententiam ita factæ sunt probationes, ut res sit liquida; non potest, qui probavit, compelli ad compromittendum vigore statuti, Abbas *cons. 64. veni ad primum. n. 2. l. 1.* Neq; valet compromissum, nec laudum super hæreditate, vel successione viventis, eò quia censeatur continere turpia, ut notat Butrius *cons. 76. in princ.* Quapropter compromissum generale non potest hoc idem continere: quia verba generalia non intelliguntur extendi ad turpia, tametsi adesset clausula, *quod super omnibus laudatis censeatur compromissum*; quia licèt fictio referatur ad impossibilia, non tamen ad ea, quæ reprobantur à jure. Neque compromissum potest fieri de rebus dependentibus à testamento, nisi prius visis, & inspectis verbis testamenti *l. de iis. ff. de transact.* aliqui tamen censent sufficere, si constet, compromittentes habuisse notitiam de testamento, & de contentis in eo: & hæc sententia est magis communis, ut notat Decius *cons. 630. in caus. in princ. juncto V. ad fin. non obstat. quod transact.*

10 Quæritur decimò, quale in dubio dicatur compromissum generale, & qualiter sit interpretandum. Respondetur, compromissum factum simpliciter in personam habentem jurisdictionem esse censendum ut in arbitrum, si in compromisso adest pœna, ut notat Bald. *cons. 128. n. 4. V. & quidem vulgata lib. 3.* quod etiam extenditur, quando compromissum fit in eum, qui aliàs caret jurisdictione, quia præsumitur electus in arbitrum sive adsit pœna, sive non Bald. *cons. 121. n. 4. V. si autem aliàs lib. 3.* Cæterùm compromissum generale de omnibus controversiis ortis, & quæ quovis modo oriri possunt intelligitur de controversiis, quæ possunt oriri secundùm potentiam consistentem in jure, non verò secundùm potentiam injuriosam, proinde non se extendit ad fidei commissum, in quo de jure non potest controversia oriri, ut notat Bald. *cons. 191. in testam. Rolan. n. 3. lib. 2.* Neque compromissum generale de omnibus differentiis comprehendit facultatem, ut possit arbiter, vel arbitrator compellere partes ad vendendum sibi invicem Bald. *cons. 252. viso quodam arbitr. lib 2.* Neq; compromissum generale comprehendit, quòd pater teneatur filium emancipare. Neque compromissum licèt sit plenissimum, & quòd omnia super quibus fuerit laudatum censeantur compromissa, non tamen valet de futuris litibus etiam in compromisso arbitratoris, quia non comprehenduntur lites de futuro, nisi habeant jus de præsenti, ut notat Soc. *cons. 283. n. 5. V. si ad illam l. 3.*

Quæritur undecimò, qualis sit obligatio, & effectus compromissi, & laudi arbitratorum. Certum est, quòd si per nudum, & simplex pactum accedente stipulatione, nullàq; adjecta pœna, absolutè compromittatur in arbitros, tunc de jure civili nullam efficacem obligationem, neq; actionem ex eo competere *l. juris gentium 7. § sed nulla. ff de pact.* sicut enim ex nudo pacto compromissi etiam post latam sententiam non coguntur partes de jure civili stare compromisso, sed impunè possunt ab illo resilire: ita etiam arbitri, quamvis consentiant in compromissum nudo pacto factū non possunt eodem jure civili compelli progredi in causa ipsis commissa Abbas in *c. per tuas 9. n. 8. b. t.* Limitatur tamen nisi ex altera parte pactum sit traditione impletum, transeatque in pactum vestitum. Secus in arbitros per accedentem stipulationem secundùm jus civile, & etiam per nudum pactum spectato jure canonico, si absolutè fuerit compromissum sine adjectione pœnæ, datur actio contra non stantem compromisso, seu laudo lato, & quidem ad interesse, ut solvat alteri parti quanti ejus interest, & compromissum est servandum, ut desumitur ex *l. diem 27. §. ult.* juncta Glossa *V. incerti ff. b. t.* & etiam colligitur ex *c. per tuas 9. b. t.* Si compromissum factum sit nudo pacto sine pœna, & juramento, tunc de jure canonico agitur ad interesse, tametsi non sit à partibus laudum latum approbatum, quia in jure canonico nudum pactum producit actionem, licèt non ita in jure civili, nisi laudum fuerit approbatum. 11

Sin verò compromissum per stipulationem fa- 12
ctum sit, nulla adjecta pœna non est necesse, ut emologatum sit, seu approbatum, quia tunc agitur ad interesse, quod succedit in locum pœnæ. Ut autem de jure civili laudū censeatur expresè emo-

logatum

logatum seu approbatum requiritur subscriptio partium compromittentium, ut desumitur *ex l.ne in arbitris 4. in princ. & l.sequent. C.h.t.* In jure verò canonico, ubi ad veritatem magis attenditur non est necessaria talis subscriptio partium, sed sufficit si verbo, vel quovis alio modo partes consenserint in laudum arbitri, ut desumitur ex *citat. c. per tuas 9. h. t.* Emologatio alia est expressa, quæ fit per consensum expressum verbis, vel scripturâ; alia est tacita, quæ fit per non positionem oppositionis: fit enim emologatio, seu approbatio tacitâ, si nullus ex compromittentibus contra laudum arbitri intra decem dies à lato laudo reclamet, quia tunc censetur tacitè illud approbare, nec illi ampliùs licet reprobare, ut desumitur ex *l. pen. §. fin autem. C. h. t.*

13 Sin verò compromissum in arbitros factum sit adjectâ pœna transgressori sine juramento, tunc non stans compromisso tenetur pœnam solvere, ut desumitur ex *c. per tuas 9. h. t.* & solutâ pœnâ liberatur à laudo arbitri, & potest recedere à compromisso *l. 1.* junctâ Glossâ *V. metu. Author. decernitur. C. h. t.* siquidem eatenus apponitur pœna, ut illius metu à laudo non recedatur, sed stetur compromisso; unde solutâ pœnâ, potest resilire à compromisso, quod etiam intelligitur de quavis alia pœna conventionali adjectâ contractui, vel transactioni: siquidem contravenientes possunt compelli, vel stare transactioni, vel pœnam solvere *l. ubi pactum 40. C. de transact.* Sin verò sententia arbitri à compromittentibus fuerit expressè emologata, seu approbata, sive compromissum factum fuerit per nudum pactum, sive per stipulationem cum adjectâ pœna, non sufficit pœnam solvere, sed compellitur stare sententiæ, & laudo lato: quia semel quòd promittens approbavit latum laudum, eique consensit, supponitur elegisse potiùs stare latæ sententiæ, quàm solvere pœnam, & per talem electionem tacitè renuntiâsse illi juri, quod priùs illi competebat, vel solvendi pœnam, vel standi laudo lato; id tamen non intelligitur, si laudum tantùm tacitè approbatum sit per lapsum decem dierum, quatenus contra sententiam arbitri non reclamavit; tunc enim sufficit si pœnam solvat, quâ solutâ compromissor non tenetur stare laudo lato ab arbitro, nisi fortassis in compromisso pœnali adjecta fuerit clausula *rato manente compromisso, & arbitrio super eo lato*, tunc enim contraveniens ad utrumque teneretur, & ad pœnam solvendam, & ad parendum laudo arbitri: quia tunc in effectu consentiunt duo compromissa pœnale unum, alterum purum, seu simplex; unde etiam solutâ pœnâ datur actio ad observationem alterius, Glossa *in c. dilecti 4. in fin. h. t.* & ibidem Gailus *l. 1. obser. 159. n. 14. argu. l. pen. ff. de transact. & l. cùm proponis 17. C. eod.* Si tamen laudum arbitri manifestam contineret fraudem, tunc compromittens gravatus, posset contra latum laudum reclamare, & petere, ut reducatur ad æqualitatem.

14 Quòd si juramentum adjectum sit compromisso, adeò ut partes compromittentes juraverint staturas lato ab arbitro laudo, de jure canonico nascitur ex eo obligatio efficax, ut etiam ex jure civili veteri, ut liquet ex *l. ne arbitris 4. C. h. t.* ubi partes adiguntur ad observandum laudum, in quod cum juramento compromissum est, dummodo nitatur æquitate, & aliàs sit licitum. De jure autem civili novissimo, prohibetur compromissum confirmari juramento, adeò ut ex tali juramento nulla oriatur actio, & perinde se habet compromissum, ac si illud non fuisset appositum, *authent. de judic. §. quia verò Novela. 82. & authent. decernit C. h. t.* De jure verò canonico quidquid dicat Bart. in *d. authent. decernit*, compromisso, cui adjectum est juramentum, tenentur partes stare, quia omne juramentum promissorium, si ex parte jurantis sine peccato servari possit, servandum est: unde licèt juramentum sit prohibitum, si tamen id, quod juratur licitum sit, & possit sine peccato impleri, tunc qui juravit, tenetur stare juramento, illúdque servare. Quinimò, si compromissum juramento firmatum sit, tenetur compromissor jurans stare laudo Arbitri, tametsi ex ipso gravaretur, eò quia foret iniquum, ita ut non possit reclamare; nisi priùs impetrata relaxatione juramenti; dummodo sententia arbitri sine peccato ex parte compromittentis possit impleri, quia generatim omne juramentum servandum est, quando servari potest sine detrimento æternæ salutis, ut desumitur *ex c. cùm contingit 28. de jurejuran.* Est etiam effectus compromissi, quòd pendente arbitrio super re, de qua fuit compromissum, suspendatur jurisdictio, & cognitio judicis ordinarii, adeò ut causa coram illo non possit discuti invita parte altera, imò qui litem prosequitur omisso arbitrio, in quem compromisit incidit in pœnam compromissi *l. si quis rem 30. ff. h. t.*

Quæritur duodecimò, an, & quomodo laudum reduci possit ad arbitrium boni viri. Certum est à sententia, seu laudo lato ab arbitris compromissariis regulariter non posse appellari *c. à judicibus 23.* junctâ Glossâ ibid. *cauf. 2. q. 6.* 15 siquidem ex sententia arbitri non ampliùs nascitur actio, ne lites multiplicentur, imò neque datur exceptio rei judicatæ *l 2. ff. h. t.* unde partes compromittentes sibimet imputare debent, eò quia in arbitrum consenserint, eúmque approbaverint. Sed quæstio est, an quando rogatur superior, ut sententia arbitri reducatur ad arbitrium boni viri, ut hac via succurratur parti læsæ, quomodo tunc talis reductio fiat? videtur enim esse quædam species appellationis, cum qua similitudinem aliquam habet, & suspendit etiam executionem. Dubitatur, an peti possit reductio ad arbitrium boni viri à sententia arbitri compromissarii. Et respondetur cum communiori sententia, & probabiliùs, non posse talem reductionem peti; quia sententia arbitri, si fuerit emologata, seu approbata à partibus, sive expressè, sive tacitè per lapsum decem dierum standum est laudo lato ab arbitro: siquidem compromittens in arbitrum, videtur transigere, & quòd velit desistere ab ulteriore prosecutione causæ, & acquiescere laudo arbitri, & jura non permittunt, ut lites per transactionem semel decisæ instaurentur etiam sub prætextu enormis læsionis, ut tradunt communiter jurisperiti cum Zoesio *ff. h. t. n. 31.* limitatur tamen, nisi laudum arbitri manifestam, & evidentem contineat iniqui-

iniquitatem,& compromissarius fuerit enormissime læsus, quia tunc, ut laudum ad æquitatem reducatur, conceditur reductio ad arbitrium viri boni,& ex officio superioris potest tunc laudum retractari, ut ostendit Gailus *lib. 1. obser. 150. n. 9.* quia sicut contra omnes transactiones potest opponi exceptio doli, metûs, erroris, falsitatis *l. sub prætextu 19. l. interpositas 13. l. si ex falsis 42. C. de transact.* ita etiam à parte læsa contra sententiam arbitri possunt hujusmodi exceptiones opponi *l. non distinguemus. 32. §. cum quidem ff. huj. tit.*

16 Cæterum laudum arbitratoris reduci potest ad arbitrium boni viri,& desumitur ex *l. societatem 76. §. arbitrorum ff. pro socio*, quia partes compromittentes non censentur consentire in arbitratorem, nisi sperent, eum rectè arbitraturum *l. libertus 30. ff. de oper. libert.* unde si compromissarii ex laudo arbitratoris graviter læduntur, nil prohibet, quin possint petere reductionem ad arbitrium boni viri. Non tamen hæc reductio petenda est coram judice arbitratoris, sed coram judice Ordinario, coram quo causa acta fuisset, si compromissum non esset factum: siquidem petitio reducendi censetur esse provocatio ad judicem competentem, qualis est judex, ad quem pertinuisset de causa cognoscere, nisi fuisset compromissum, ut docent communiter cum Bart. *in l. societatem §. arbitrorum. n. 19. & 21. ff. pro socio.* Imò hæc reductio laudi arbitratoris ad arbitrium boni viri peti potest, usque ad 30. annos, ut ex communi sententia docet Gailus *lib. 1. obser. 150. n. 2. & 3.* siquidem jus petendi reductionem ad arbitrium boni viri est personale, proinde non præscribitur nisi spatio 30. annorum *l. sicut 3. C. de præscript. 30. vel 40. annorum.* ex quo liquet, sententiam arbitratoris non transire in rem judicatam, nec producere actionem in factum ex re judicata, nisi post 30. annos. Quòd si quis interposito juramento renuntiaverit reductioni laudi lati ab arbitratore, quod nolit ab eo recedere, tunc tenebitur eidem stare. nisi laudum contineat manifestam,& enormem iniquitatem, quia juramentum non extenditur ad incognita, nec est vinculum iniquitatis; unde in hoc casu nec esset necessaria relaxatio juramenti, quia hoc non censetur se extendere ad laudum iniquum.

17 Quæritur tertiodecimò, ad quæ se extendat potestas arbitri. Respondetur quod tametsi arbiter arctissimam habeat potestatem, potest nihilominus pronunciare super omnibus necessariis, utilibus ad negotium sibi commissum, imò etiam accessoriis, ut notat Feder. *cons. 216. n. 2. V. quinimò & arbiter.* Hinc potest adjudicare omnia bona paterna filio, licèt hæreditatem repudiaverit, ut notat Castrens. *cons. 72. dubitat. 7. lib. 1. V. super secundo usque in fin.* Ratio est, quia arbitri tenentur potiùs sequi æquitatem, quàm rigorem juris, quinimò aliquando ex causa arbiter habet latam authoritatem etiam super non compromissis; imò potest arbitrator pro coæquatione partium ab uno auferre, & alteri dare: quia hæc non est donatio continens liberalitatem, sed causam æqualitatis sapit, ut notat Roman. *cons. 55. in fin.* ubi Apost. *in V. coæquatione* citat plures. Cæterum tota potestas arbitri ex suo dependet compromisso: adeò ut de his tantùm possit arbitrium ferre, super quibus est compromissum, ut desumitur ex *l. non distinguemus 32. §. de officio.* & ibi Glossa *V. cautum, & §. fin. ff. hujus tituli.* Excipiuntur tamen, quæ dependentia sunt, & necessariò connexa cum causa principali, quæ expedire commodè sine ipsis non posset, quia ut paulò ante diximus de iis omnibus cognoscere potest arbiter, & judicare, tametsi non sint expressa in compromisso, ut notat Glossa in *c. cum dilectus V. nisi de his h. t.*

Hinc potest arbiter pronunciare super fructibus perceptis ex re, super qua est compromissum, quia isti veniunt accessoriè ad causam principaliter commissam. Imò potest etiam arbiter condemnare partem contumacem ad solvendos sumptus, quos pars alia ob talem contumaciam fecit: quia in hoc vertitur interesse parti adversæ, nec per hoc dicitur arbiter egredi limites sui compromissi, ut notat Joan. Andr. in *cit. cap. cum dilectus num. 6.* Potest etiam arbiter uni parti rem litigiosam adjudicare, eique imperare, ut non quidem aliam rem, sed pecuniam det alteri parti in compensationem sui juris dubii, quia cum pecunia succedat in locum æstimationis rei, non censetur esse alia res. Licèt arbitri latissimam habeant facultatem, hæc tamen ex bona fide restringitur, ut non excedat modum auferendi ab uno, ut detur alteri, Bald. *cons. 381. concessio arbitrii. lib. 1.* si tamen in compromisso conventum fuit, ut teneatur accipere consilium sapientis super dubiis proponendis, debet id præstare, neque potest effugere ex prætextu, quod dubia non sint vera, quia consideratur dubium prout censetur esse, non autem, an sit verum, ut notat Castr. *cons. 485. viso laudo in princ. lib. 1.* 18

Quòd si in compromisso exprimatur, quòd arbiter teneatur sequi consilium alienum necessariò, & simpliciter; non valet laudum, vel compromissum, quia debet esse liberum arbitrium arbitri. Tum quia si tenetur ipse stare necessariò consilio alterius, non ipse arbitraretur, nec laudum ferret, sed ille alter, proinde esset, & non esset arbiter. 19

Cæterum non potest arbiter pronunciare, ut una pars vendat aliquid alteri, si id non fit expressum in mandato, ut notat Bald. *cons. 414. V. dicunt per totum, lib. 1. & cons. 416.* Imò nec potest prohibere alienationem, si non est data facultas præcisa, ut notat idem Bald. *cons. 55. num. 4. lib. 3.* ubi ait, quòd tametsi data esset hæc facultas, adhuc prohibitio non impediret transferre dominium, licèt contraveniens pœnam incurreret: siquidem arbiter super re non compromissa non potest pronunciare, quia non plus potest, quàm dictet forma compromissi, adeò ut si factum fit compromissum inter plures fratres ex una, & extraneos ex alia, non possit arbiter pronunciare super controversia inter fratres, eò quia in hoc non fit factum compromissum, ut communiter docent jurisperiti Decius *cons. 11. Et pro tenui. V. tertiò principaliter.* Felin. *cons. 51. per tot.* Cast- 20

cons.

conf. 423. pro informat. in princ. lib. 1. & hoc etiam extenditur in arbitratorem, quia super compromissis nequit sententiam ferre Alexander *conf. 135. circa 1. dubitat. n. 9. lib. 6.* ubi ait, quod nec in modico possit excedere.

21 Quæritur quartodecimò, quale sit officium Arbitri. Respondetur plura teneri observare, ut suo fungatur officio. Primò suam sententiam, seu laudum nonnisi in præsentia partium compromittentium pronunciare debet, nisi aliter expressum specialiter fuerit in compromisso: siquidem ex consensu partium potest suam sententiam pronunciare, altera tantùm parte præsente, tametsi alia absit, ut desumitur *ex l. diem. 27. §. si quis litigatorum. ff. h. t.* & colligitur *ex cap. ex parte* 10. *hujus tituli.* unde arbiter tenetur partes citare ut ad certum diem, & locum compareant ubi laudum est pronunciandum *l. si quid tamen* 11. *§. si intra diem ff. eod.* Secundò tenetur arbiter compromissarius procedere in forma judicii servato ordine judiciali, ut colligitur *ex cap. cùm dilectus hujus tituli.* licèt arbiter propriè, & strictè non sit judex, nec proprium judicium exerceat, cùm ad hoc requiratur jurisdictio, quâ arbiter caret: unde arbiter tantùm exercet notionem quandam, ut habetur *in l. ait Prætor. 5. in princ. ff. de re judic.* Hinc arbiter dicitur ferre laudum, seu arbitrium, non verò sententiam, aut judicium: licèt hæc quandam habeant inter se similitudinem, distinguuntur tamen defectu jurisdictionis in arbitro. Tertiò ad officium pertinet arbitri, ut arbitrium justum, & æquum ferat, si enim laudum, seu arbitrium latum iniquum fuerit, observari non debet, ut nec etiam si oleat simoniacam pravitatem, ut desumitur *ex cap. non sine. 2. huj. tituli.* Quartò non debet laudum ferre, quod sit in detrimentum Ecclesiæ, nec in ejus vergat præjudicium, ut sumitur *ex cap. pervenit. 3. huj. tituli.* quia Ecclesiæ est potiùs succurrendum, non solum si periculum immineat, ne illi gravamen inferatur in jure, sed etiam de facto tantùm, sive damnum immineat de præsenti, vel timeatur in futurum.

22 Quæritur quintodecimò, quot, & quibus modis finiatur arbitrorum officium. Pluribus contingit modis, officium finiri arbitrorum. Primò si causa fit per ipsos jam definita, eò enim ipso quòd arbitri laudum tulerunt de re controversa, cessat compromissum factum de re illa; consequenter & etiam officium arbitrorum. *l. qualem 19. §. 1.* & ibi Glossa *V. à tota. ff. hujus tituli.* siquidem postquam laudum latum est, nil in eo addere, vel minuere ulteriùs arbitri possunt, imò nec si erraverint in sententia, eam mutare, vel corrigere possunt *l. qualem. § unde videntum.* quia semel quòd functi sunt suo officio, desinunt esse arbitri: quod tamen intelligitur de sententia definitiva; siquidem laudum interlocutorium mutare possunt, ut notat Bart. *l. qualem §. dicere.* Hinc arbitri latum à se laudum exequi non possunt, cùm censeantur tantum constituti ad proferendum laudum, non ad illud mandandum executioni. Unde executio latæ sententiæ ab ipso judice Ordinario fieri debet, sicut & arbitramentum arbitratoris exequi ab Ordinario.

Secundò finitur arbitrorum officium, si conditio apposita compromisso deficiat, tunc enim arbitrium est inefficax defectu conditionis *l. litigatores 11. §. fin. ff. hujus tituli.* ut etiam si tempus præfixum in compromisso, jam effluxerit *l. non distinguemus 32. §. summa. hujus tituli.* licèt possint partes præfixum tempus prorogare, vel etiam concedere ipsis arbitris potestatem prorogandi; debet tamen hæc potestas specialiter exprimi in compromisso. Cæterum arbiter assumptus ad certum tempus, eo dilapso, non potest cogi ad iterum acceptandum compromissum, si per eum non stetit, quò minùs laudum ferret in primo termino *l. quid tamen. §. Papinianus si cùm dies ff. hujus tituli.* Sin autem ex justa causa non possit tali die laudum ferre, cogitur prorogare ad sequentem, si partes consentiant. Quòd si nullum certum tempus præfixum fuerit ad proferendum laudum, tunc triennio dilapso à lite contestata, si intra id tempus non fuerit latum laudum compromissum expirat, ut notat Glossa *in l. item si unus 17. V. si multò ff. hujus tituli,* licèt non desint, qui censeant, arbitrium etiam ultra triennium protrahi, adeò ut arbitri compelli possint ad ferendum laudum, etiam post dilapsum triennium. 23

Tertiò finitur etiam officium arbitrorum per mortem eorundem, vel unius tantùm, si in plures arbitros partes compromiserint, quod est intelligendum si res integra sit, seu laudum nondum latum, ut desumitur ex *cap. uno 41. de officio jud. delegat.* ubi id æquè dicitur de legatis, ac arbitris: siquidem in eos ita est compromissum, ut omnes simul non autem seorsim judicent. *argu. l. duo, 39. ff. de re judic.* quod tamen ita est intelligendum, ut in compromisso non sit aliter expressum; imò sicut per mortem unius arbitri solvitur compromissum, ita etiam per diuturnam ejus absentiam, adeò ut non sit reversurus nisi post plures annos, ut ut etiam si aliquod aliud superveniat impedimentum, ob quod arbiter nequeat in causa progredi intra præfixum tempus, & tunc datur recursus ad judicem ordinarium, ut ipse litem definiat; quinimo potest compromissum fieri in judicem ordinarium tanquam in arbitrum. Non tamen super matrimonio carnali potest compromitti, quia ad dirimendas lites circa tale matrimonium requiruntur majores judices, cujusmodi sunt Archiepiscopi, & Episcopi: circa tamen conjugium spirituale potest compromitti; sed compromissum nunquam intelligitur prævalere in præjudicium Ecclesiæ, nec superioris confirmantis, quo minùs de jure electionis, vel electi cognoscere possit. 24

Quartò cessat etiam officium arbitri, si ante latum laudum alter compromittentium decedat, ut desumitur ex *cap. ex parte hujus tituli.* quia nec compromissum, nec ejus obligatio transit ad hæredes compromittentis, nisi de ipsis specialiter mentio facta fuerit in compromisso, ac expressum fuerit, quòd obliga- 25

tio

ſio etiam tranſeat ad hæredes, ut liquet ex *cap. compromiſſum* 14. *& ult. huj. tituli.* Neque urget, quòd ordinariè obligatio à defuncto contracta ex pactis, & contractibus tranſeat ad hæredes, tametſi nulla de ipſis mentio fiat in contractu *l. veritatis* 13. *C. de contrah. ſtipul.* Nam eſt diſpar ratio, ut notat Gloſſa *hic V. hæredes*, quia compromiſſa ſunt ſtricti juris, proinde non debent extendi, niſi ad ea, de quibus in iis ſit mentio, ut deſumitur ex *cap. dilectus* 6. *hujus tituli.* Tum quia ut notat Abbas. *hic num.* 4. à partibus in arbitros plerumque compromittitur ex ſingulari ratione amicitiæ, vel fiduciæ erga eosdem arbitros, quam fiduciam non ſemper hæres habet, qui ut plurimum mavult, cauſam expediri per judices via ordinaria; præſertim quando hæres non ita eſt notus arbitro, ficut erat defunctus: ex eadem ratione nec compromiſſum tranſit ad hæredes arbitrorum, quia cenſetur compromiſſum factum ex ſpeciali fiducia erga talem perſonam: actus enim compromittendi ſunt perſonales, ut etiam ipſum compromiſſum, proinde non tranſeunt ad ſucceſſores.

Quintò finitur etiam officium arbitri, & ejus compromiſſum per acceptilationem, judicium, pactum, ut deſumitur ex *l. diſtinguemus* 22. *§. ſumma rei. ff. hujus tituli.* Acceptilatione deſinit compromiſſum, quia ſi uni compromittentium accepto ſit lata pœna, non compellitur arbiter laudum proferre, ſed compromiſſum expirat, *l. Pomponius* 13. *in princ. ff. hujus tituli.* cui non niſi metu pœnæ ſtatur, quæ & alteri compromittenti videtur accepto lata, ut notat Gloſſa ibid. *V. alteri.* Judicio ceſſat officium arbitri, ſi unus compromittentium ab arbitro receſſerit, & coram ordinario judice litem moverit; tunc enim lis tractari debet coram judice ordinario, ſed tenetur recedens à compromiſſo adjectam in illo pœnam ſolvere, ut deſumitur ex *l. ſi quis rem.* 30. *eod.*

Demùm pacto, ſeu transactione finitur officium arbitri, & compromiſſum, ſi circa negotium, de quo compromiſſum factum eſt, ſit inter partes transactum: vel ſi partes inter ſe conveniant, velintque à compromiſſo diſcedere: quia ſicut compromiſſum initur mutuo compromittentium conſenſu, ita diſſolvitur *argu. l.* 1. *ff. de R. J.* Deſinit etiam pluribus aliis modis, ut ſi res, de quibus arbitrium eſt ferendum, pereant, ſi impedimentum neceſſarium acceſſerit.

F I N I S.

Primi Libri Decretalium.

INDEX
Rerum Notabilium,
Quæ in hoc primo tomo Decretalium continentur.
Prior numerus paginam indicat, secundus est Marginalis.

A.

B.

pro

D.

 ctant

Epi-

F.

G.

H.

I.

Jus

L.

M.

N.

 spen-

P.

Verùm

gaudet

Ponti-

Procu-

Q.

R.

gratiam

quo

T.

Trans-

V.

imò

Menda

Menda craſſiora, quæ currente prælo ſolicitam emaculatoris typi curam effugerunt emenda.

Pag. 7. colum. 1. lin. 9. vacario lege vicario, pag. 181 col. 2. l. 1. hon l. non. Pag. 217. col. 2. n. 6. pattonum Ecclesiaſticum l. ſæcularem pag. 227. col. 1. l. 40. ſanctæ Spiritus l. ſancte Spiritus. pag. 292. col. 1. l. 8. ob l. ab. pag 305. col 2. l. 19. Procuratiori l. procuratori. pag. 1·6. col. 2. l. 62. diplomtaa l. diplomata. pag. 319. col. 1. l. 1. reſignationis l. reſignationes. pag. ·06. col. ·. l. 25. fiuſtra l fruſta, pag. 320. col. 1. l. 63. de quocunque l. quacunque. pag. 318. col. 1. l. 48. nulla l. nullo. pag. 415. col. 1. l. 10. mutati l mutilati. pag. 198. col. 1. l. 57. neque l. attamen. Ibid. lin 62. nec poſtulari l. ſed poſtulari. pag. 218. col. 2. l. 46. juſta l. injuſta. pag. 476. col. 2. l. 58. abſententiâ l. abſentia.

Alia, quæ irrepſerunt per te ipſum emenda amice Lector, non enim in animo fuit integrum erratorum elenchum inſtituere ; & condona ſi Typipurgator oculatior non fuit in lævigandis offendiculis.

FINIS.